DE REPVBLICA ECCLESIASTICA

Pars Secunda;

CONTINENS LIBROS QVINTVM, ET SEXTVM:

CVM APPENDICIBVS IN SEXTO CAPITE QVINTI LIBRI.

In quibus Appendicibus

Refellitur opus imperfectum D. Cardinalis PERRONII, in ea Parte, in qua agitur De sanctissima EVCHARISTIA.

Additur in fine post sextum Librum RESPONSIO *ad magnam partem* DEFENSIONIS FIDEI *P. Francisci Suarez.*

AVTORE MARCO ANTONIO de Dominis Archiepiscopo Spalatensi.

Editio hæc à mendis, quæ in Anglicana editione magno numero irrepserant, quàm diligentissimè repurgata est: prætermissa etiam suis locis inserta sunt.



FRANCOFVRTI AD MOENVM:
Sumptibus Rulandiorum, Typis Ioan. Friderici Weiss. ANNO 1620.

INCLYTISSIMO, SAPIENTISSIMO, AC POTENTISSIMO PRINCIPI JACOBO

DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, AC HIBERNIÆ REGI. Fidei Defensori, &c.

Officiosis, ac supra modum obligatis clientibus non est satis vnica generali consignatione sua omnia in potentis Domini ius ac tutelam transferre: accrescente peculio nouas ingeminare gaudent nouæ prolis dedicationes, quibus nempe non patroni opes ampliores, sed familiam suam reddant tutiorem. Ego REX SERENISSIME*, tuo patrocinio supra omnem clientelæ rationem obstrictus, præuia certe totius huiusce decemplicis Operis semel factâ consecratione, satis iuris adeptus videri possim ad tenuitatem meam, Vestri intemerati & Sacrosancti nominis splendore ornandam, imo ditandam; ac maleuolos veritatis hostes, tam rutila, & quasi flammanti romphæa abigendos. Visus sum tamen non modo tutius, sed & sanctius facturus, si sæpiuscule eandem aram frequentarem, nec veritus sum, ne duplicato hoc obsequio haberer importunus. Hunc itaque secundum peculij mei fœtum, agnum quidem tenellum, iam recens ad hominum conspectum editum, per Ecclesiarum multarum pascua læta saltillaturum, etsi prius sub totius gregis oblatione tuorum bonorum summæ adscriptum, tamen, vt expressius suum (cuius primum in montibus errat) agnoscat Dominum, Regij etiam signaculi charactere notandum duxi. Hoc ipsum vt loci, ita & temporis ratio ferre, imo flagitare videtur. Vt enim, quia in Pascuis his tuis, si non nata, certe primum exposita nostra ouicula soli Dominum respicit, ita etiam primo ineuntis anni die lucem primam aspiciens se Strenæ loco offert; admonetq́; in huiusmodi, licet tenui, tamen opportuno pignore, non incommode, nec obscure Regi annum prosperum optari; imo & perpetem tranquillitatem felicitatemq́; obsignari. Regiam scilicet sub Deo, & per Deum vigere, & saluere potestatem vestri hodie subditi votis optant acclamantibus: nos & eodem calemus voto, & eiusdem potestatis fundamenta scrutamur, non concutienda, sed inconcussa seruanda: Regum solia illi (pietas iubet) precibus feruidissimis (hoc veritas inclamat, hoc speramus) argumentis. Cum enim in secundo hoc volumine,* libros quintum & sextum, *complectente potestatem, cum Ecclesiasticam, tum Laicam considerandas, ac ab ipsis primis quasi natalibus deriuandas susceperimus; eius* pars prior *propriam Ecclesiæ potestatem explicat, nempe prorsus spiritualem, totamq́; interna respicientem, ac circa sacra munia versantem: quam quidem tu (*IACOBE *à Deo coronate, Deo sua seruans) tibi haudquaquam arrogas (quicquid oblatrantes clamitent aduersarij) sed eam in suis illibatam tueris, ac promoues.* Pars *autem* posterior, liber *nempe* sextus, *Vestram propriam Regiam, non modo, in ciuilibus temporalis politiæ, sed, & in spiritualibus externis Ecclesiastici supremi regiminis considerat potestatem; eamque*

ita supremam in vobis Regibus esse demonstrat, vt nec Prælati vlli Ecclesiastici, nec ipsa tota Ecclesia aduersus illam quicquam de iure possit. Multiplici vero nomine Vestræ Maiestati debetur hic Tractatus; non modo, quod vt pars suum totum sequatur, & quasi in communem totius elementi locum insita vi commeet, sed etiam multo magis peculiari titulo, quod nimirum Regiam, vt dixi, potestatem tractet Ecclesiasticam; quam ex omnibus Regibus Christianis Tu, prudentissime IACOBE, *ne dicam, solus nosti, certe solus (quod sciam) exerces; idque legitimo, ac genuino modo. Deinde in vestrum sinum eo lubentius, ac certe audacius conuolat, quia alicubi in præcipuo Regio potestatis fundamento designando (quod mihi certe felix, faustumq́; , ac læti instar omnis) nostram sententiam explicet, vestræ, vt intelligo, consonam: cuius contrariam plurimi vtriusq; partis Theologi, fere communiter, certe temere ac immerito, docuerunt. Tibi demum (Regum Sapientissime) peculiarissimo etiam nomine Volumen hoc debetur, quia tui specialem in se continet aduersus insigne* Iesuitarum *par, Bellarminum, & Suarez, defensionem. Conati sunt illi quidem, sed effœtis iam viribus, tua præclara illa Opuscula, cum Apologiam pro* Iura*mento, quod debitæ Fidelitatis à tuis subditis requiris, tum etiam Præfationem illam sublimem ad Principes datam oppugnare, & subuertere. Eorum oppugnationes ad manus meas peruenerunt, quando iam Sextum meum ego de* REPVBL. ECCLES. *Librum absolueram. Ea, in quibus illi vana commenta obtrudunt, annotaui statim, vndiq; meis; quas* libro *potissimum hic* sexto *paraui, telis ad manum positis, tantumq́; applicandis omnes illorum conatus infringi, ac in inanias dissipari. Magnum contra Maiestatem Vestram sex Librorum scripsit Suarez volumen, quod ego potissimum paucis, sola ferme dicta applicatione iam demolior. Bellarminum non omitto, sed intersero; cui tamen & doctrina & pietate insignis Præsul, tunc* Elienſis, *nunc* Wintonienſis, *& virus, & vires retudit omnes. Eiusmodi sunt per te, Rex admirabilis, in tuis disputationibus iacta veritatis fundamenta, adeo solida, adeo firma, vt facillimum sit cuiq; depromptis ex vestra hac pharetra sagittis aduersarios configere, fundere, ac omnino fugare. En ergo,* Rex Sereniſſime, *tot nominibus tibi debitum. Alterum hunc Tomum tuis auspiciis emergentem in lucem, imo vegetum ac lætum. Tu illum, simulq; Autorem, vt soles, benigne excipe, & aspice; totque Principum Christianorum exemplis Maiestati Vestræ notis, à me in hac* ſecunda parte *commemoratis permotus, perge vt cœpisti, pro tua virili de Ecclesiæ Christianæ vnione restauranda cogitare. Deus pietati tuæ adsit (& certe aderit) propitius. Vale, ac præuale, Regiæ dignitatis decus, & huius seculi ornamentum.*

Sereniſſimæ Maieſtati Veſtræ

addictiſſimus, Chriſti, ac eo ipſo
veſter famulus

M. ANTONIVS *de Dominis*
Archiepisc. Spalaten.

DE

DE REPVBLICA ECCLESIASTICA LIBER V.

QVI EST DE POTESTATE PROPRIA ECCLESIÆ.

Procœmium.

I.

IN Republica Eccleſiaſtica iam vidimus adeſſe Rectores populi fidelis ipſam Eccleſiam conſtituentis, & gubernatores, ipſos videlicet Chriſti miniſtros, de quibus in præcedentibus eſt à me fusè diſputatum. Atque hi, ſi mediam, hoc eſt, rectam viam ipſis præſcriptam incederent, certe regimen Eccleſiaſticum intra diuinitus ſtatutos ac proprios Eccleſiæ limites contentum, Eccleſiam ipſam præclare ad Deum, finem ſuum, dirigeret, & Rempublicam ipſam Eccleſiaſticam conſpicuam omnibus redderet, ac in ſe plene pacatiſſimam.

II. Habent ſane Eccleſiæ Rectores ſupra ſe Deum Rectorem vniuerſi: habent ſub ſe fideles populos Eccleſiæ filios: habent iuxta ſe Principes terrenos, eoſdem populos in temporalibus gubernantes: habent demum inter ſe collegas & ſocios. Niſi vigilantiſſime ſuo quiſque ex nobis recto inſiſtat tramiti, facile ab eo deflectemus, & non ſi ne, vel Dei, vel populorum nobis commiſſorum, vel collegarum, vel Principum, vel horum omnium iniuria in grauiſsima incommoda prolabemur. Hinc perturbatio omnis in Eccleſia, ſcandala, rixæ, diſſenſiones, oppreſsiones, ſimultates, cum Principibus diſsidia, bellica ciuilia inter Eccleſiaſticos, ipſam Eccleſiaſticam Rempublicam miſerabili fœditate deturpantia, exoriuntur. Quæ enim Deus ipſe efficit in Eccleſia, ea nobis ſæpe tribuimus Sacerdotes: & ipſam diuinam ferme Chriſti omnipotentiam ſibi noſtrum non nemo arrogat: & quorum ſumus Patres ac in Chriſto miniſtri, eorum nos populorum dominos facimus, & quaſi Principes abſolutos. Inter nos vero de primatu, de poteſtate ac iuriſdictione certantes, de doctrina etiam, & veritate diſſentientes, turpi diſsidio, fœdoq; ſchiſmate Eccleſiæ abrumpimus vnitatem. Cum Regibus & Principibus pro imperio quoque in eos, in ipſiſque commiſſa temporalia altercantes, confuſionem facimus, & mala inducimus in Eccleſiam innumerabilia: quia nimirum nos Eccleſiaſtici miniſtri propriam poteſtatem non agnoſcimus, ſed illam & nimiam extendimus, & alienam adhuc conamur vſurpare.

III. De certamine & pugna inter Rectores Eccleſiæ, quoad primatum, prælationem, & ſubiectionem inter ipſos, ſatis eſt à me in præcedentibus quatuor libris diſputatum. De certamine inter eoſdem, quoad fidei doctrinam & veritatis regulam, diſſeram libro ſeptimo. De certamine vero, & pugna inter Eccleſiæ, & ſeculi Rectores, hic iaciam fundamenta, ſed libro ſexto proxime ſequenti rem abſoluam. Nunc enim propriam Eccleſiaſticam poteſtatem ita explicare conabor, vt neque diuinam nobis poteſtatem arrogare audeamus: neque erga Principes iniurij eſſe poſſimus; neque erga fideles ipſos nobis in ſpi-

in spiritualibus subiectos, aut potestatem Ecclesiasticam indebite, aut dominatum vllum despoticum exerceamus. Totum porro hoc argumentum duodecim complectitur capita.

Primum *docet Potestatem Ecclesiasticam esse totam spiritualem.*
Secundum, *Præfecturam & iurisdictionem veram excludit ab Ecclesia.*
Tertium, *Iurisdictionem aliquam impropriam ponit in Ecclesia.*
Quartum, *Potestatem Ecclesiæ ad effectus gratiæ per Sacramenta in genere examinat.*
Quintum *excutit Baptismum, & Confirmationem.*
Sextum, *Eucharistiam, & Missam.*
Septimum, *Pænitentiam.*
Octauum, *Indulgentias, & Purgatorium.*
Nonum, *Excommunicationem & censuras.*
Decimum, *Extremam Vnctionem.*
Vndecimum, *Matrimonij contractum considerat.*
Duodecimum, *Subiectum proprium potestatis Ecclesiasticæ propria inquirit.*

CAP. I.

Capvt I

Potestatem Ecclesiæ propriam totam esse mere spiritualem.

Svmma Capitis.

Ratione ex Scriptura deducta, & Pauli autoritate probatur propositum.num. 1, 2.
Ex Nazianzeno, & Valentiniano confirmatur. num. 3, 4.
Ex Romano missali, & Romanis Pontificibus idem probatur. num. 5, 6.
Ex Agobardo, & Bernardo. n. 7.
Ex nomine Cathedra. n. 8.
Ex Cardinali Cameracensi. n. 9, 10.
Ex Bellarmini consensu. n. 11.

I.

NVlla inter mortales Resp. sine directione esse potest; directio verò omnis, decenti & sibi propria potestate exercetur. Cum itaque Ecclesiastica Respublica, vt Ecclesiastica est, alium finem suum proprium non habeat, vt planum est, nisi eum quem habet Ecclesia; Ecclesiæ verò, vt Ecclesia est, solus & proprius finis ille tantùm sit, vt fideles, qui sunt ipsa Ecclesia, æternam beatitudinem supernaturalem consequantur, finis nimirum totus spiritualis, & solis spiritualibus mediis assequendus, quis iam non videt potestatem etiam omnem, qua homines duci ad hunc finem debeant, & iuuari, non posse esse nisi spiritualem? Ad quid venit Christus? Cur verbum & incarnatum & factum homo, inter homines est conuersatus? Quod officium habuit iniunctum à Patre? Quonam suas omnes dixerit actiones? Quam potestatem exercuit homo mortalis? Redemptio humani generis per Christum facta, debellatio diaboli, prædicatio Christi, fundatio Ecclesiæ, instructio fidei, remissio peccatorum, baptismus & huiusmodi alia omnia sunt res merè spirituales, & ad animas, non ad corporea & sensibilia, per se pertinentes. Et sanè de Christo ipso Rege prorsus spirituali minimeque sæculari, hoc est de ipsius aduentu & officio ad sola spiritualia, & nulla ex parte ad temporalia directo, agam fusè primo capite libri sexti subsequentis. Cum itaque tota Christi potestas, quam exercuit in Ecclesia, & in corpus suum mysticum exercendam habuit, sit merè spiritualis, (vt notat etiam Bellarminus *de Rom. Pont. l.* 5. *c.* 4. 5.) non alia sanè potestas in Ecclesia poterit, nisi sola spiritualis, & ad sola spiritualia referri. Atque hoc ipsum ex diuina scriptura, & communi sensu Ecclesiæ puræ & incorruptæ iam confirmo.

II. Omnis Ecclesiæ potestas, cum non sit naturalis, à speciali pendet Dei concessione, quæ non aliis est obsignata tabulis, quàm scripturæ sacræ testimoniis, iisque maxime quæ in Euangelio commemorantur; vbi Christus ipse suos mittit Apostolos, ac iisdem hanc ipsam Ecclesiasticam tradit potestatem. Si enim à Christi commissione non deriuetur, frustra vendicatur; atque potestas illa qua Christus mittendos Apostolos, adeoque eorum successores muniuit, non aliud quàm animas, vitamque respicit spiritualem, *Docete, baptizate, soluite, ligate, Hoc facite*, & si qua sint alia, spirituali obiecto coercentur. De officio ac potestate perpetuò duratura loquor, Virtus enim miraculorum sanandi corpora (forte etiam dæmones eiiciendi) Euangelii initiis conueniebat. Similiter cum eos non modo de receptione cum Euangelizarent, sed & reiectione præmoneret, contra obstinatos qui nollent audire oblatum Euangelium, non alia potestate armauit Apostolos quæ vltra animas in temporalia operaretur: Sed in exprobrationem ac testimonium infidelitatis per Ecclesiam incurabilis, voluit Christus *Matt.* 10. 14. vt excuterent puluerem. Imo in ipsis Ecclesiæ filiis obstinatis, vt habeantur pro alienis, siue Ethnicis: qua de re, hoc est excommunicatione, seorsim agam; ostendamque esse pœnam spiritualem. Obedite, *inquit Paulus Heb.* 13. 17. præpositis vestris. Et sanè loquitur de præpositis in Ecclesiasticis, vt est per se notissimum. At quibus in rebus tenentur fideles Christi suis præpositis Ecclesiasticis obedire? Sane in iis, in quibus illi præpositi sunt à Christo. Dicat ergo Paulus, num isti Præpositi curam gerere debeant rerum temporalium, an spiritualium tantùm, & ad animam pertinentium? Ideo, *inquit*, illis obedite: quia ipsi inuigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.] Non corpora, neque corporea vestra sunt eis commissa, sed animæ, hæ sunt quibus ex proprio officio inuigilant. Sicut & Christus ab eodem Paulo *Heb.* 4, 14. & *c.* 5. 6. vocatur maxime proprio titulo *Pontifex & Sacerdos*: Pontifici verò & Sacerdoti quis nescit animarum duntaxat curam esse commissam. Et si interdum Regis Ducisq; titulo Christus in Scriptura decoratur, statim apparet eum Regem, & Ducem esse in spiritualibus duntaxat; vt *lib.* 6. *cap.* 1. explicabitur.

III. In Constitutionibus, quæ dicuntur, Apostolicis *Constit. Apost. l.* 6. *c.* 2. legimus: quanto Sacerdotium est vestro excellentius, cùm regendarum animarum officio præsit, tanto grauiori supplicio punitur &c.] Regendarum duntaxat animarum officium in Ecclesiastico regimine agnoscunt Apostoli; nam modus hic loquendi adæquatum potestatis Ecclesiasticæ obiectum proculdubio assignat. sic in sequentibus. Gregorius Nazianzenus *in orat. apologetica.* ait, At verò homini cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare; ac præsertim in hoc nostro Imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit.] Et clarius paulo post animarum curandarum artem ponit in Ecclesiastico Rectore: Atque huius *inquit*, studium & opera in anima ponitur, quæ ex Deo est, atque diuinæ supernæque nobilitatis particeps, ad eamque properans.] Et postea, Nobis, *inquit*, circa occultum & internum hominem curatio omnis & studium versatur.] *Item*, quid nobis propositū est, nisi vt animæ, quibus nihil præstatius habemus, probè curentur, atque purgentur, maximique sint precii. *Item*, Scopus est noster animæ pennas addere, ac mundo eam eripere Deoque dare, diuinámque imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare, Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere, atque vt summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare; huc magistra lex tendit, huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ, huc spiritualis legis perfector, & finis Christus.] Patet hic non modo rectori Ecclesiastico curam tribuit animarum, sed totam etiam hanc curam Ecclesiastici Rectoris vult

circa animas, in rebus tantum spiritualibus, occupati. Atque hæc est illa tantopere à nostris, præsertim à Bellarmino decantata similitudo animæ & corporis, qua potestatem Laicam subiectam & subordinatam faciunt Ecclesiasticæ potestati, de qua erit fusius agendum nobis in libro sexto proximè sequenti. Ex ea profecto sequitur, & ex Nazianzeno, qui ea vsus est fortasse primus, Ecclesiasticam potestatem circa spiritualia duntaxat totam per se, & directè occupari. Et vbi positiuè tribuit Ecclesiasticis curam animarum, negatiuè quoq; ex alijs locis intelligendus est omnem aliam curā eis auferre.

IV. Optime etiam Valentinianus senior Imperator, sede vacante Episcopali Mediolani, vbi is aderat post Auxentij Ariani obitum, vbi Episcopi noui electionem facere recusasset, quā Episcopi illius Metropolis in ipsum coniiciebant, & Ambrosius non sine miraculo, adhuc Catechumenus, fuisset electus, ad Deum summa pietate conuersus sic orauit, *teste Theod. l. 4. c. 6.* Gratia sit tibi Domine omnipotens, & seruator noster, quod cum ipse corpora huic viro commisissem, tu etiam animas eidē commendasti.] Et Adrianus primus *In Concil. Francof. init.* Petrus, *ait*, in præmium suæ confessionis, cœli ianitor, & ligandi soluendiq; arbiter factus est animarum] in quo diu consensit Adriano, & idem confessa est Romana Ecclesia, nam in publicis precibus prima die Augusti, vincula Petri celebrans, sic orabat: Deus qui B. Petro collatis clauibus regni cœlestis, animas ligandi atq; soluendi Pontificium tradidisti.] Agnoscebat ergo in Pontificio solam animas ligandi & soluendi potestatem. Sed nostris diebus correctores Missalis, vt Pontificium iam asseratur habere absolutam quæcunq; ligandi atq; soluēdi potestatem, vocem *animas* abstulerunt; ipsi certe penè digni quibus anima auferatur: scio equidem Platinam asserere, sub Leone quarto hanc orationem compositam fuisse, & super vnam ex portis Leoninæ ciuitatis incisam, eamque orationem seu Collectam, vt à Platina exscripta fuit, non habere verbum, *animas*: Nihilominus tamen cum posteriores talem collectam in Missale Breuiariumq; conijcientes addiderint *(animas)* ad declarationem veræ & limitatæ Pontificiæ potestatis, non debuit illa particula iam abradi; sed debuit sensus, quem Patres nostri legitimum esse cognouerunt, & ad quem Collectam illam, reformatione necessaria facta, accommodarant, retineri.

V. Hormisda, *ep. 21.* Alia est, *inquit*, potestas hominum, alia ministeria Sacerdotum.] Sacerdoti meritò nō tribuit humanam potestatem, quam totam in principe terreno collocabat; sed purū sacrarū rerum ministeriū, à quo ministerio, exēplo puniti Oziæ Anastasiū Imperatorē absterrendū esse iubebat.

VI. Gelasii Romani Pontificis dictum sane sapientissimum sequenti libro sexto pluribus considerabo, vbi distinctionem inter Ecclesiasticam & Laicam potestatem probare contendam: interim illa huius Pontificis Gelasii verba *in lib. de Anath. vinc.* lector, accipe. Christus sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur; quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, nec ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus.] Quæ igitur ad æternam vitam pertinent, Pontifices curant, & spirituales tantum ad eos spectant actiones, & solis diuinis rebus præsident, à temporalibus & carnalibus negotiis alienissimi. Audiamus eundem rursum, dum ita imperatorem Anastasium alloquitur, *ep. 10.* Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: Autoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas. Nosti, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inq; sumendis cœlestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis quo rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?] En rursum Ecclesiasticis præpositis proprium & genuinum munus assignatur, vt diuinis rebus præsint, & causas solas tractent æternæ salutis, & cœlestia sacramenta, ac venerabilia mysteria disponant. Repetit hæc ipsa & inculcat Nicolaus primus *Epist. 8.* Sic paulo post Gelasium Symmachus, & ipse Romanæ sedis Antistes *in apologet.* eundem alloquitur Imperatorem. Conferamus autem honorem Imperatoris, cum honore Pontificis; inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam. Postremo tu humana administras, ille tibi diuina dispensat. Distinctio hæc, & contrapositio certe solam animarum curam relinquit Pontifici. An vero possint in eadem persona misceri videbimus libro sequenti.

VII. Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus ad Ludouicum Imperatorem inter alia hæc scribit. *Apud Baron. in append. tom. 12. ad ann. 833.* Neq; ignorare debueratis, maius esse Regimē animarū, quod est Pontificale, quam Imperiale, quod est temporale. Beatus Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram Imperatoribus in Ecclesia prędicare. Sic enim ipsis Imperatoribus loquitur, dicens; Suscipitis ne libertatem verbi? &c.] Hic Agobardus Regimen Pōtificale primo definit ab obięcto proprio & adæquato, nempe quod circa animas versetur; deinde aperte distinguit ac seiungit ab Imperiali, quod itidē reciprocè describitur ab obiecto suo proprio, nempe vt sit temporale, hoc est circa res temporales versetur. Et Hugo de S. Victore, *de sacr. fide l. 2. part. 2. c. 3.* Laicis, *inquit*, Christianis Fidelibus terena possidere conceditur, clericis vero spiritualia tantum committuntur. *Item, Ibid. c. 4.* Ad potestatem Regis pertinent quę terrena sunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad potestatem summi Pontificis pertinent quæ spiritualia sunt, & vitæ spirituali attributa vniuersa.] Hos obsigno, tanquam gemmā, dicto Bernardi; *de consid. l. 1. c. 6.* Est ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra; quoniā propter illa, & non propter has accepistis claues Regni cœlorū.] Ecclesię potestas in Clauibus ei à Christo traditis consistit. Hæ vero claues circa sola peccatā, aut retinenda aut remittenda, vt in sequentibus patebit, occupantur. Hæc igitur potestas tota spiritualiter, nihil corporaliter per se, nihil sensibiliter operatur.

VIII. Cur vero inter cætera Cathedræ quoque nomine ipsa potestas Ecclesiastica solet vocari à Sanctis, nisi quia potestas hæc consistit in docendo, & directiua est, non coactiua? Ita sanè Cyprianus *lib. 1. ep. 8.* vnam Ecclesiam, & vnam Cathedram super Petram Domini voce fundatam esse dicit: & Optatus primam Ecclesiæ Catholicæ dotem ait esse Cathe-

Cathedram, potestatem nimirum ipsius propriam, quæ per legitimas successiones in omnes Episcopos descendat, vt est à me supra explicatum, *lib. 1. cap. 10. num.* 18. vnde significatur, potestatem hanc Ecclesiasticam esse instructiuam. Et Augustinus *in Psal. 36. ad fin.* Cathedræ Moysi Christi Cathedram successisse affirmat: at vero tempore Christi super Cathedram Moysi sedebant Scribæ & Pharisæi, *Matth.* 23. 2. qui profecto nullam habebant iurisdictionem, nisi doctrinalē, nā & ait Christus, quæ dixerint vobis seruate & facite; hoc est legem Dei seruate, & facite prout illi ipsam legem vobis legunt, intimāt, & explicant. Atq; potestas quā dat Christus suis ministris in illis verbis continetur, *Euntes docete. &c.*

IX. Sextuplicem tamen Cardinalis Cameracensis colligit Ecclesiasticam potestatem, quam Christus in Euangelio suis Apostolis & discipulis, eorumque successoribus communicarit. *Alliac. de Eccl. autor. 1. par. c. 1. & Nauar. in c. Nouit. de iudi. notab. 3. n.* 83. Prima, *inquit*, potestas consecrationis, quæ interdum dicitur, character, vel potestas ordinis, quā contulit Dominus, quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationē. Luc.* 22, 29. Secunda est potestas administrationis Sacramentorum, & præcipuè Sacramenti pœnitentiæ, quæ est potestas clauium, vel spiritualis iurisdictionis in foro conscientiæ; & hæc potestas promissa fuit Petro, *Tibi dabo claues, &c. Matth.* 16. 19. Promissa fuit etiam omnibus, ibi, *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis, &c. Matth.* 18. 18. collata verò ibi, *Accipite spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Ioan.* 20. 22. Tertia est potestas, seu autoritas Apostolatus, seu prædicationis, quam tradidit eis Dominus dicens, *Euntes prædicate, &c. Matth.* 10. 7. Quarta est potestas iudicariæ correctionis in foro exteriori, per quā timore pœnæ peccata corrigūtur, præcipuè quæ sunt in scandalum Ecclesiæ; & hæc data est eis ibi, *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Si non audierit, dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, &c.* & sequitur, *Quæcunq; ligaueritis, &c. Matth.* 18. 15. Quinta potestas est dispositionis ministrorum, quo ad determinationem iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt euitetur confusio, dissensionis materia, in populo & inter ministros, si ipsi æqualiter & indistinctè de omni populo curam haberent: & hęc potestas collata est Petro, & successoribus eius, vbi ei specialiter dictum est, *Pasce oues meas, &c. Ioan. vlti.* 15. Sexta potestas est exigendi necessaria vitæ, ab ijs quibus spiritualia ministrabant: & hæc potestas declarata est, vbi dicitur, *Euntes prædicate, &c.* Et subditur, *Dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua. Matt.* 10. 10. *& Luc.* 10. 7. Aliā ergo potestatē, præter sex illas, non acceperunt discipuli à Christo, nisi miracula faciēdi ad confirmationē fidei, in qua non necessario succedunt eis Episcopi, & alij Presbyteri, quia iam non indiget miraculis confirmari.] Hæc ille.

X. Ex his sex potestatibus clarum & apertum est, primas tres esse penitus Spirituales. De quarta agam in sequentibus, *cap. 2. & 7.* patebitque illam quoq; esse totam spiritualem, & nullam in se continere veram iurisdictionem, aut coactionem: Nam & Augustinus *cont. epist. Parm. l. 1. c. 7.* excommunicationem vocat vindictam spiritualem. De quinta disseram *cap. 3.* ostendamque illam quoque esse totam spiritualem. Sexta vero neq; est potestas, neque Ecclesiastica. Potestas inquam non est, quia concionator nullam vim habet coactiuam, vt compellat Laicos sibi alimenta necessaria ministrare, neq; talem potestatem Christus vnquam concessit Apostolis: quando enim dixit, Dignus est operarius mercede sua, ius naturæ explicauit, æquum esse, ac omnino iustum, vt qui spiritualia populis impertit, ab ijs accipiat corporalia ad vitę sustentationem necessaria, vt sequenti capite declaro. Igitur neq; potestas talis, potestas est, ac multo minus Ecclesiastica: nā si ministri rerū spiritualiū pro alimentis suis habent aliquam actionem, eam coram Principe rerum temporalium tractant, & ad potestatem recurrunt temporalem, vt à me *sequenti capite, & libro 9.* ostendetur.

XI. Atque hæc veritas, potestatem nimirum Ecclesiasticam esse de se totam mere spiritualem, non indiget iam pluribus probationibus, quia Theologi scholastici, etiam Monarchici, sponte eam & fatentur, & probant; potissimum Bellarminus, *de Rom. Pont. l. 5. c. 1. 2. 3. 4. 5. & l. 1. c. 5. §. Secundum.* oppugnantque Canonistas, temporalium quoque rerum potestatem summam directè Papæ nostro concedentes. Ipsi tamen Theologi, ac præsertim Bellarminus, excogitarunt, potestatem hanc Ecclesiasticam, quæ reuera de se directe tota sit spiritualis, & circa sola spiritualia, indirectè tamen ad temporalia quoque posse extendi. Hanc autem indirectam operationem potestatis spiritualis ego pluribus oppugno *libro 6. sequenti, cap.* 10. Et illam impossibilem esse ostendo. Et quoniam potestatem hanc Ecclesiasticam esse merè spiritualem adhuc magis aperitur, si ab ea amoueatur vera iurisdictio, id conor *cap. 2. sequenti.* Multò magis si illa cum potestate laica conferatur: quod ego præsto. *lib. 6. cap.* 3. Propterea huic labori interim supersedeo.

CAPVT. II.

Potestatem cum vera Præfectura, iurisdictione, coactione, ac dominatu, in Ecclesia nullum esse.

SVMMA CAPITIS.

Præfectura vera autoritatiua, & principalis, distinguitur à pura ministeriali, & executiua. Regibus datur prior, Ecclesiasticu non nisi posterior. nu. 1. 2. 3. 4. 5.

Locus præcipuus Scripturæ ex Luc. 22, 25. auferēs ab Ecclesia veram Præfecturā, cum Origene, & Bernardo explicatur; & ex alijs locis Pauli res eadē cōfirmatur. n. 6. 7. 8. 9. 10.

Idem ex pluribus Patribus ostenditur, à n. 11. ad nu. 25.

Idem deducitur ex prohibita Ecclesiasticis legum ciuilium professione, ac studio, reprehensaque forensis iudicij tractatione, num. 26. 27. 28 29.

Coactionē in Ecclesia verā nullā esse inde deducitur quod in Ecclesia nullæ sint pœnæ corporales, & reales, à n. 30. ad n. 35

Obiectiones in contrariū pœnas basce in Ecclesia ponentes proferūtur ex canonibus, ac historijs, & soluūtur. n. 35. 37. 38

Obiectiones Præfecturam veram iurisdictionalem Ecclesiæ tribuentes, ex Scriptura primum, à nu. 38. ad n. 46. deinde etiam aliæ ex Bellarmino proferuntur similiter, & soluuntur à nu. 47. ad nu. 51.

Obiectiones præterea aliæ aliunde pro vera Præfectura, & iurisdictione petita agitantur, & soluuntur. à nu. 52. vsq; ad finem capitis.

QVænā sit vera ac ꝓpria Præfectura, cū vera ac propria iurisdictione ante ōnia statuendū est, vt inde cognoscam⁹ nū illa in Ecclesia habeatur. Posuimus quidē *li. 1. c. 2.* munus Apostolicū fuisse totū ministeriale; cūm igitur totū Ecclesiasticū regimē à Christo in Apostolos, & ab Apostolis in Ecclesiam transierit, hoc profecto consequenter erit totū duntaxat ministeriale, non principale, & sic præfectura tota Ecclesiastica non est nisi ministerialis. Verùm profecto est, quod ait Apostolus, *Rom.* 13. 2. Non est potestas, nisi à Deo; & quæ sunt, à Deo ordinatæ

natæ sunt: igitur Præfectura omnis publica, qua societas humana regatur, à Deo est instituta: Deus enim regit suã creaturam per homines: atque ita ipsi præfecti sunt ministri Dei, certe laici Principes in rebus temporalibus, & regimine ciuili, vt habet ibidem Paulus; Ecclesiastici verò in rebus spiritualibus, & regimine Ecclesiastico, vt probaui *lib.1.c.2.* Et licet omnes sint Dei ministri, tanquam principalis mundi Gubernatoris, imo Creatoris, & Domini, magna tamen est differentia inter ministrum in genere, & purum ministrum: Prorex enim est minister Regis principalis in regno absenti, in quo Rex non residet, sed non est purus minister; quia regit suo arbitratu, ex se, prout voluntas eius, & ratio dictat, condit leges, easque rursus refigit, distribuit Magistratus, & dignitates, punit, & parcit: donat multa priuilegia, & habet absolutum regimen per participationem à principali Rege, sub ipso tamen Rege; At verò purus minister Regis, est merus executor Regii immediati regiminis, & non propriarum, sed Regiarum legum: quales sunt omnes Regni officiales, & administri. Et sic ipsum regere & gubernare homines, duplex est: alterum principale, seu proprium, seu participatiuum; alterum merè ministeriale, & executiuum.

II. Deus itaque Principibus terrenis committit verum & principale regimen, participatiuum tamen, ita vt ipsi ex se, pro ipsorum arbitratu regant multitudinem in ciuilibus, & temporalibus; condant leges, refigant, puniant, indulgeant, varientq; ipsum regimen quoties id ipsi variandum esse censuerint, iuxta propriæ ipsorum dictamen rationis. Ac propterea ipsi Principes sunt veri, & principales in terris Rectores multitudinis, à Deo sic dispositi, vt *lib. 6. cap. 2.* fusius explicabo; suntque vera, & propria capita, cum vero, & proprio influxu in ipsum regimen externum, temporale, & ciuile, quia illi ex proprio arbitratu, proprioque rationis dictamine regunt, & facienda, fugiendaque, quoad ciuilem gubernationem, præscribunt. Illud vero interne spectat ad verum caput, etiam metaphoricũ; vt influat in suum corpus, sed si corpus sit totum externum, tunc influxus pariter sui veri capitis erit totus externus. Et contra si corpus sit internum, etiam influxus erit internus. Cum igitur corpus ciuile, vt ciuile est, sit totum externum, ideo influxus capitis ciuilis, id est Principis temporalis, qui influxus interne spectat ad caput, erit tamen totus externus. Sicut artis pictoris internum officium merito dicimus esse externam imitationem, quia ars pingendi tota externe tantum exercetur; & ita id quod de suo genere est internum arti, vel facultati, externum fit, si ars vel facultas circa externa tantum tota occupetur. Stat ergo vera & propria ratio capitis in Præfecto, & Rectore ciuili, qui Princeps sit absolutus, & principalis, cum solo influxu, & regimine externo; ad interna enim subditorum Præfectura ciuilis non penetrat, nisi per accidens: quatenus homines quãdocunque externa operantur, actiones faciunt quę ab interna voluntate imperentur: est autem, inquã, id per accidens, quod voluntas interna concurrat; Si enim homo posset operari externe ea quæ Regiæ legis sunt, absque vllo vsu interno voluntatis, satis esset Regi; qui etiam nolentes cogit, non vt velint facere, sed vt faciant, vel inuiti: & nihil ad Regem vtrum, nec ne flectat voluntatem subditorum; si enim voluntas interne flexa in opus externum non exeat, Rex nihil habet: si autem opus habeat, etiam si non habeat voluntatem, obtinuit totum quod intendit.

III. Prælati verò, & omnes ministri Ecclesię, circa verum, & proprium obiectum potestatis Ecclesiasticæ, quod est anima, & spiritus, & res hominis maxime internæ, nudam ministerialem, & executiuam exercent Præfecturam. Non enim regunt, neque regere possunt animas ex proprio arbitrio, propriis legibus, & proprio tantum dictamine rationis; sunt enim meri executores legis Euangelicæ, & Christi administri; & promulgatores, non proprię, sed Christi doctrinæ, suntque Christi legis instructores, hortatores, monitores, &c. neque variare, neque mutare, neque abolere possunt quicquam, neque denuo instituere, quod ad fidem & legem spectat Euangelicam: & hæc ipsa regunt directiue tantum, absque vera coactione, & iurisdictione, vt mox probabo; ideoque ministri Ecclesiastici non sunt vera capita Ecclesiæ, quia influxum in interna proprium nullum habent, hoc est in verum corpus Ecclesiasticum, quod totum de se est internum: sicut verum influxum habent Principes in corpus ciuile ipsis subditum, quod est totum externum: habent verò ad interna ipsi ministri Ecclesiæ, solum influxum ministerialem, vt in sequentibus planè explicabitur. Sunt enim mera instrumenta Christi, per quæ ille operatur in animas: Vera enim potestas autoritatiua in animas, cum plena & absoluta iurisdictione, est apud illum qui potest animam mittere in gehennam, hoc est penes verum Regem & Dominum Ecclesiæ Christum, qui sibi soli hanc iurisdictionem reseruauit, neq; illam concessit Apostolis, aut vlli ex suis ministris, quos meros voluit esse ipsius executores: meritoq; appellantur Vinitores, Aratores, Pastores, Cœmentarij, &c. vt explicat ex Isaia Hieronymus, *in Isa. c. 61.*

IIII. Non negabimus infra, Prælatis Ecclesiæ, propriis Apostolorum successoribus, Præfecturam aliquam externam in Ecclesia, quasi accessoriam potius, quàm propriam Ecclesiæ, & consquenter aliquam iurisdictionem competere, circa aliqua externa; vt est deputare ministros, congregare fideles ad synaxes, cõciones, & exercitia cultus externi, ipsum cultum externum dirigere, corrigere peccantes, excludere à cætu fidelium scandalosos, &c. Sed quia externa hęc non sunt verum & propriũm obiectum potestatis Ecclesiasticæ, imo multa ex his suo iure spectant etiam ad laicam potestatem, vt *lib. 6.* parebit: neque in his coactionem habet Ecclesia, iccirco hæc Præfectura exiguæ est apud nos considerationis, respectu veræ præfecturæ Ecclesiasticæ, quæ est ad interna ministerialis: & hanc contendimus non esse autoritatiuam, neq; coactiuam, neq; proprie iurisdictionalem. Et si ad hoc non sufficiant quæ ex Scripturis & Patribus protuli, *lib. 1. cap. 2.* accipe, Lector, eiusdem veritatis confirmationes.

V. Sumo verò in primis dictum illud Christi, quod etiam *lib. 1. cap. 11. n. 5.* proposui, nunc exactius considerandum; videlicet *Luc.* 22.25. *Marc.* 10.42. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: Vos autem non sic.*] Erdico, Christum hoc loco excludere ab Ecclesia, vt est Ecclesia, omnem dominatum, & forensem iurisdictionem, ac præsulatum talem qui sæculares præfecturas imitetur, & in subditos habeat imperium proprie dictum. Vos, inquit, non debetis eo modo dominari quo Reges dominantur; Reges profectò gentium qui tunc erant legitimi Reges, & dominabantur legitimè, præsertim Imperator Romanus, cuius Dominium tunc experiebantur ipsi Apostoli, de eo enim dicebat Dominus, *Matt. 22.21.* Redde

dire quæ sunt Cæsaris Cæsari, sane potissimum obedientiam ciuilem. Non igitur loquitur Christus de Tyrannis, qui per summam vim, cum magna iniquitate & iniustitia vexant subditos, & pro arbitrio ad proprium commodum, non pro æquitate ad bonum subditorum exercent potestatem: & de talibus Christus non loquitur; tales enim benefici non sunt, sed malefici; at Christus loquitur de ijs regibus qui benefici vocantur. Cum itaque Christus dicit Apostolis, *vos autem non sic*, non solum remouet ab eis tyrannicum abusum dominationis: sed negat eos, vt sunt Ecclesiastici, sibi arrogare posse legitimam etiam regendi ad modum legitimorum Regũ potestatem, illis verbis explicatam; *dominantur eorum*. Reges verò dominantur, leges ciuiles condendo, ius dicendo, lites ciuiles terminando, quod suum est cuique tribuendo, coercendo, carceribus & gladio vtendo, malos pœnis corporeis puniendo, &c. Ab his omnibus remouet Christus Apostolos: *Vos autem*, inquit, *non sic*. Et hoc est excludere ab Ecclesiasticis omnem penitus iurisdictionem temporalem, & imperium.

VI. Vim facit Bellarminus *l.5.de Rom.Pont.c.10. & cont.Barcl.c.12.* In verbo Græco composito κατακυριεύειν, quod violentum vult significare dominatum. Si per violentum intelligit tyrannicum & iniustum, fallitur: nam & ipsemet affert exemplum ex libro Iosue *cap.15.* de Ciuitate Cariatiepher capta: quam etiamsi per vim ceperit Othoniel, viq; in eam dominatum sit consequutus, non tamen propterea tyrannus iniustus in hoc fuit. Violentia itaq; includitur quædam in verbo Græco, propter vim coactiuam quam habent in subditos Principes temporales, qui ita dominantur, vt etiam inuitis dominentur. Quia ergo Principes omnes, etiam iusti & legitimi, vim habent coactiuam in suos subditos, dicũtur κατακυριεύειν: & hunc dominatum cum vi coactiua externa exclusit etiã Petrus *1.Epist.cap.5.* à Prælatis, illis verbis: *Non dominantes in cleru*. Ita etiã Christus, quando dixit, *Vos autem non sic*, exclusit, vt dixi, iurisdictionem temporalem, qualis est Regum, vt Episcopi non putent, se habere in subditos vim vllã externam, qua possint eos regere, ad modũ Regum temporalium, iustorum etiam, & legitimorũ. Addò vero Matthæũ quidem *cap.20.* & Marcũ, *cap.10.* vti verbo composito κατακυριεύειν, at vero Lucã *cap.22.25.* vti verbo simplici κυριεύειν, eodẽ ergo sensu sumũtur hæc ab Euangelistis, pro legitimo dominatu.

VII. Sed audiamus Origenem *hom.6.in Isa.* hoc loco vtentem; Bonum est, *inquit*, non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt, dignitates, & principatus, & ministeria Ecclesiæ; sed imitari Moysem, & dicere cum eo; Prouide alium quem mittas. Neque enim ad principatum Ecclesiæ venit, quæ saluare vult: & si præest, sed ad seruitutem Ecclesiæ: si oportet dicere & de Euangelio: Principes quidem gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in illis, Magistratus vocantur. Non sic autem erit in vobis; nec enim dominantur Principes in vobis, sed qui vult vestrum esse maior erit omnium minimus: qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ: Si vis credere de scripturis quia in Ecclesia seruus sit omnium qui præest, suadeat tibi ipse Saluator & Dominus, qui talis tantusque factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans.] Hæc Origenes, qui ita intellexit verba Domini primatum inhibentia, vt velit formam illam regendi, qualis est in ciuilibus Magistratibus, ab Ecclesia procul abesse debere: quia Prælationem Ecclesiasticam totam in ministerio & seruitute consistere ex Euangelio sentiebat. Multò tamen clariùs ac præclariùs eundem locum Euangelij tractat, & hanc iurisdictionis Ecclesiasticæ materiam explicat alibi *tract. 12. in Matt.* ita scribens.

VIII. Quoniam duo fratres super cæteros Apostolos sibi gloriam præcipere voluerunt, indignantibus cæteris, inde occasionem accipiens Iesus, regulam iustitiæ fidelibus ponit, quomodo quis apud Deum potest obtinere primatum, Principes gentium non contenti tantum regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autẽ qui estis mei, non erunt hæc; Ne forte qui videntur habere aliquem in Ecclesia Principatum, dominentur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate; spiritualia autem in voluntate, non in necessitate: sic & principes spiritales, principatus eorum in dilectione subiectorum debet esse positus, non in timore corporali. Sed & qui voluerit apud patrem meum maior esse, comparatione fratrum suorum cæterorum efficiatur minister eorum, quibus vult esse maior: Et qui Principatum desiderat Ecclesiæ, debet fieri omnium seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus in his quæ pertinent ad salutem, Vt hæc docet nos sermo diuinus. Nos autem, siue non intelligentes voluntatem diuinam positam in Scripturis, siue contemnentes talem condemnationem Christi, tales sumus, vt etiam malorum Principum mundi excedere superbiam videamur: & non solùm quærimus, sicut Reges acies præcedentes & terribiles, nos & accessu difficiles, maximè pauperibus, exhibemus, & tales sumus ad eos qui nos interpellant, vt propter aliquid deprecetur, sicut nec tyranni & crudeliores Principibus mundialibus ad subiectos. Et est videre in quibusdam Ecclesiis, præcipuè ciuitatum maximarum, Principes populi Christiani nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se permittentes. Et Apostolus quidem *Ephes.6.9.* etiam Dominis dat mandatum de seruis, dicens; Domini quod iustum est & æquum seruis præstate, scientes quoniam & vos habetis dominum in cœlis. Docet autem & remittere minas. Episcopi autem quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occasione peccati, aliquando autem contemnentes pauperum curam, cum sit scriptum; Quãtum magnus es, tantùm humilia te, & inuenies gratiam coram Domino. Item in Prouerbiis *cap.* 18. 12. Ante contritionem extollitur cor viri, & ante gloriam humiliatur. Principes ergo gentium dominentur eorum, Principes autem Ecclesiarum seruiant subditis. Sed & maiores gentium potestatem exerceant fidelium, audiant autem eum qui dicit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Non ista dicimus vt inclinemus Ecclesiasticum Principatum. Est enim interdum quando secundum vocem Apostolicam peccantes coram omnibus arguant, vt & cæteri metum habeant. Et aliquãdo, vt vtens potestate sua tradat peccantem Sathanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluetur in die Domini nostri Iesu Christi: Tamen raro hoc fieri debet. Corripiendi enim sunt inquieti, consolandi autẽ pusillanimes, sustinendi infirmi, & ad omnes magnanimitas est habenda. Nulli malum pro malo reddendum, vt non existimetur inimicus qui peccat, sed corripiatur vt frater. Hæc autem diximus, volentes ostendere quod Ecclesiarum Principes principũ mundia-

mundialium imitatores eſſe non debent; ſed imitari debent Chriſtum acceſſibilem, & mulieribus loquentem, & pueris manus imponentem, & diſcipulis ſuis pedes lauantem, atque tergentem, exemplũ eis dantem, vt & ipſi ſimiliter faciant Fratribus ſuis. Forſitan autem, & quoniam Dominus conſtitutus ſeruiebat pro ſalute hominum generi noſtro, propterea dicitur ſerui formam ſuſcepiſſe, & humiliaſſe ſe vſque ad mortem, propter quod & Dominus eum ſuperexaltauit. Qui vult ergo exaltari, ſimilia faciat, vt exaltetur per ea: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.] Hæc Origenes: qui & poteſtatem Eccleſiaſticam negat eſſe coactiuam; & violentam, hoc eſt, quæ vi adhibita obedientiam extorqueat à ſubditis: ſicut eam, & quidem legitime, non Tyrannicè, extorquent, vbi opus eſt, Principes temporales: & abuſum quoque propriæ dignitatis Eccleſiaſticæ reprehẽdit in Epiſcopis. Seruiat ergo nobis, non modo vt inſtructor, ſed etiam vt monitor.

IX. Bernardus quoque *de conſid. lib. 2. c. 6.* dominatum interdici Apoſtolis ex illis Chriſti verbis, *vos autem non ſic*, intulit ita ſcribens. Quod habuit hoc dedit, *Petrus*; ſolicitudinem, vt dixi, ſuper Eccleſias, nunquid dominationem? Audi ipſum, Non dominantes, inquit, in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur: & infert, vos autem non ſic; planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus.] Hæc Bernardus; qui ex hoc Euangelii loco non humilitatis gratia, ſed veritatis, ait, haberi prohibitionem Chriſti, ne Apoſtoli dominatum talem, qualis eſt apud Reges, exerceant; & profecto illum qui in Regibus ſit legitimus, non tyrannicus. Pergit enim Bernardus Eugenium Romanum Pontificem monere, & ait; I ergo tu, & tibi vſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Plane ab alterutro prohibetis: ſi vtrumque ſimiliter habere voles, perdes vtrumque.] Dum alterutrum ei permittit, etiam dominatum Regalem, dummodo Apoſtolatum ſimul non retineat, legitimum intelligebat dominatum, non tyrannicum.

X. Si iuriſdictionalia forenſia, ſuapte natura ſtrepiroſa, ad Præfecturam Eccleſiaſticam pertinerent, non diceret Paulus, 2. *Tim.* 2. 4. Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus. Hoc ſibi præceptum Eccleſia ſemper ſeruandum vt proprium proponit, iuxta illud Apoſtolorum, *Act.* 6. 2. Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.] Cùm etenim tota occupatio viri Eccleſiaſtici, Apoſtolorum locum tenentis, ſit, vt docui *lib.* 1. *cap.* 2. miniſterialis, circa verbi prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, à proprio, ſine dubio, detrahetur munere Prælatus Eccleſiæ, ſi neceſſe ſit ipſum ex loco quem poſſidet cauſis temporalibus diſtrahi, niſi quantum ex charitate interdum adigatur; vt *lib. ſexto ſequenti, & decimo* explicabitur.

XI. Gregorius Nazianzenus *in Apologet.* expreſſit ſatis clare, regimen Eccleſiaſticum eſſe directiuũ tantum, non coactiuum, & conſequenter neq; iuriſdictionale: ait enim, Huic verò, qui aliis præeſt, omni opere peccati poſt tergum relicto, proficere in optimis conuenit, ita vt poſſit profectus ſui exẽplo inuitare, & illicere cæteros ad virtutem; præcipuè tamen per humilitatis à Domino nobis traditam formam. Non enim oportet vi vel neceſſitate conſtringere, ſed ratione & vitæ exemplis ſuadere.] Et addit, Nam quod vi ac neceſſitate exprimitur, præterquam quod tyrannicum eſt, minimeque laudandum, ne firmum quidem ac ſtabile eſt. Solet enim id cui vis adhibita eſt, non ſecus ac planta per vim manibus inflexa, ſimul vt dimiſſum fuerit ad ſe rurſum redire: quod autem à libera voluntate proficiſcitur, æquiſſimum ſimul ac firmiſſimum eſſe ſolet, vtpote beneuolentiæ vinculis adſtrictum, atq; conſeruatum. Ac proinde vel maximè id lex noſtra, & legislator noſter ſanxit, vt grex non coactè, ſed ſponte ac libenti animo paſcatur.

XII. Hieronymus Epiſcopum cum Rege conferens, de Rege ait, *in Epitaph. Nepot. ep.* 3. Ille nolentibus præeſt.] De Epiſcopo vero, Hic volentibus:] & pergit: Ille terrore ſubiicit, hic ſeruituti donatur: ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas ſeruat ad vitam.] Volentibus gregi præeſſe excludit omnem iuriſdictionem & poteſtatem imperatiuam, ac coactiuam; & ſolam ſignificat directiuam, vbi videlicet in libertate ſubditi eſt, & parere, & non parere, ita vt qui præeſt nihil habeat quo nolentem parere adigat ad parendum; contra inuitos enim ſolum Regem habere poteſtatem aſſerit Hieronymus. Apud quem hoc loco obſerua etiam poteſtatem Epiſcopi, hoc eſt Eccleſiaſticam, eſſe merè ſpiritualem, ad ſalutem duntaxat animarum totam directam: & terrore Epiſcopum non poſſe agere, nimirum terrore pœnarum corporalium, & ad temporalia bona pertingentium. Obſerua quoq; Præfectum hunc Eccleſiaſticum, nempe Epiſcopum, dominium in ſe nullum continere, ſed vt loquitur Hieronymus, ſeruituti donari, ſeu mancipari, cùm primum ad hanc præfecturam promouetur, vt ſit Rector Eccleſiaſticus. Habet & illud, idem Hieronym. *in epiſt.* 83. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; 1. *Tim.* 3. 1. Opus, *inquit*, non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod humilitate decreſcat, nõ intumeſcat faſtigio.] Hoc eſt nudum ponere in Epiſcopis miniſterium, dum ipſum nil aliud eſſe niſi opus definiat Apoſtolus: inde verò negat Hieronymus Epiſcopatum eſſe dignitatem, hoc eſt, quaſi Magiſtrum cum poteſtate, & iuriſdictione.

XIII. Ioannes Chryſoſtomus *in Acta Apoſtol. Hom.* 3. omnium optimè, & ſæpiùs, & fuſe docet, maximũ diſcrimen inter Præfecturam Eccleſiaſticam, & ſæcularem, modumq; regiminis Eccleſiaſtici & Laici, ac perpetuò ſolam vim directiuam in Eccleſiaſtico Præpoſito agnoſcit, nullam imperatiuam & coactiuam. Conſiderans aliquando difficultatem maximam quæ eſt in Eccleſiaſtico regimine, inter alia obſeruat diſcrimen inter regimen ſæculare Principis, & Eccleſiaſticum Epiſcopi, ait; Nonne terrarũ orbis imperium tenet Imperator? Hic autem vnius ciuitatis Epiſcopus eſt: ſed tanto plus curarum habet hic, quantum intereſt inter aquam fluminis vento agitatam, & inter mare intumeſcens, & inſaniens. Quamobrem tandem? Quoniam illic plures ſunt qui adiuuant, eo quod legibus, ac mandatis omnia peraguntur: hic vero nihil tale, neque enim licet ex autoritate præcipere.] Autoritatem præceptiuam Eccleſiæ erga fideles ſubiectos nullam agnoſcebat Chryſoſtomus: nam & paulò ante, dum cõparat curam boni patris familias cum cura Epiſcopi, hanc multo facit illa grauiorem: tum ex filiorum longe maiori multitudine; tum ex Imperii multo minori poteſtate: quid non patietur hic, *Inquit Ibid. de Epiſcopo*, qui tot habet, non domeſticos, ſed obe-

dientiam

dientiam habentes in sua ipsorum potestate?] Et addit, in Principibus mouet metus, in his verò nequaquam.] Ibi nulla est vis coactiua, imò ne præceptiua quidem propriè, sed tantum directiua, vbi subditus in sua potestate habet obedientiam, & post præceptum etiam liber est, siue parere velit, siue nolit; Eiusdem enim Chrysostomi verba sunt etiam illa, *Hom. 1. in ep. ad Tit.* Omitto interim dicere, possibile non esse Episcopum dici veraciter Principem. Cur obsecro? Quia in potestate subiectorum positum est obedire, vel non.] *Item, ad Ephes. Hom. 11.* Et pater, *inquit*, tam naturalibus, quàm externis legibus munitus, multa libertate principatu suo erga filios vtitur, etsi inuitum erudierit, & percusserit, nemo est qui prohibeat, neque ipse filius respicere audebit: Sacerdotem verò multa grauat difficultas. Primum quidem voluntarijs præesse debet, & à quibus Principatus sui gratiam referat.] Et dum idem Pater in concione quadam in malum schismatis vehementius, quam par erat, inuehitur, huiusmodi vtitur moderatione: Veruntamen non ita doleo vt cogar huius metus gratia quidpiam quod indecorum sit admittere. Non dominamur fidei vestræ, charissimi, neque imperij aut dominij iure ista præcipimus. Sermonis doctrina nobis commendata est, non principatus nec potestatis autoritas; ordinem tenemus consulentium, & adhortantium: qui consulit sententiam suam dicens, auditorem non cogit, sed in illius potestate faciendorum optionem liberam relinquit.] Item alibi, Et Principes, *inquit*, huius præsentis vitæ, iterum hac *spirituali potestate* in tantum inferiores sunt, quanto melius est imperare voluntario quam inuoluntario: istud enim est imperare natura, nam illic quidem omnia metu, & necessitate fiunt, hic autem opus bonum per electionem, & voluntatem fit.] Ab Ecclesiastico Rectore potestatem omnem imperatiuam, coactiuam, executiuam aufert Chrysostomus superius in præcedentibus, sed præterea habet & illud *lib. 2. de Sacerd.* Neque homini licet tanta cum autoritate homines curare, cum quanta oues pastor curat. Hic enim liberum est & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & secare: cùm illic medicina ac curationis suscipiendæ facultas petita minimè sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantùm qui laborat. Hoc enim admirandus ille vir cùm intelligeret, sic Corinthios alloquitur; Non quod dominemur vobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij vestri.: Christianis enim minimè omnium licet peccantium lapsus vi corrigere: Exteri quidem iudices cum facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se præditos autoritate ac potestate ostendu[illegible], e[illegible] denique vel inuitos suos ipsorum mores mutare cogunt. Hic verò non vim afferre, sed suadere tantum oportet; atque hac ratione meliorem efficere quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta à legibus datur ad delinquentes coercendos: ac ne si dedissent quidem, haberemus vbi vim huiusmodi potentiamque exercere possemus: cum Christus eos æterna corona donet, non qui coacti, sed qui certo animæ proposito à peccato abstinent. Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani vltro sibi ipsi persuadeant, Sacerdotum curationibus sese submittere oportere.] Hactenus Chrysostomus: qui ibidem pergit docere, ne contra lapsos quidem in hæresim, esse vim adhibendam; de quo nos suo loco. Exactè demum tractat Chrysostomus idem argumentum, in Rectore Ecclesiastico præter vim directiuam & suasiuam, nullam aliam esse iurisdictionem, aut potestatem coactiuam: vbi Oziæ Regis factum considerat. 2. *Paral.* 26.18. Ac primum quidem reprehendit Oziæ animi elationem, inde sacrorum vsurpationem, docetque, alios esse terminos regni, alios Sacerdotii; Regique terrestria fuisse commissa, Sacerdoti cœlestia; Regi corpora, Secerdoti animas; & regnum Sacerdotis esse maius regno regis. Rex, *inquit*, *hom. 4. de verb. Isa. vidi Dom.* maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic spiritualia: ille bellum gerit cum barbaris: mihi bellum est aduersus dæmones.] Audis Sacerdotem non posse nisi hortari, & consilio agere: quod etiam contra Oziam à Sacerdote factum profert, nimirum verbis tantum egisse ac simplici admonitione: in qua sola totam Sacerdotis ponit & amplificat libertatem: pergit enim; Quid igitur Sacerdos? Non licet tibi Ozia adolere incensum, Vide libertatē &c.] Et post Encomia huius Sacerdotis, tandem obseruat, præter liberam admonitionem nihil amplius habuisse, quo posset contra Regem vrgere, sed reliqua in contumacem diuinæ curæ reliquisse: de excommunicatione vero nos postea. *Sed ex hoc loco* etiam maximè confirmatur, potestatem Ecclesiasticam esse totam spiritualem, & in animas duntaxat, quod 1. *cap.* tractabamus.

XIV. Principatum & dominatum in Ecclesia nullum esse, dum asserit Chrysostomus, certè iurisdictionem hanc externam potestatiuam & imperatiuam excludit. Non modo enim ait, vt paulo antè vidimus; *hom. 1. in ep. ad Tit.* Omitto interim dicere possibile non esse Episcopum dici veraciter Principem. Cur obsecro? quia in potestate subditorum positum est obedire vel non.] Sed etiā addit, At si quis rei veritatem diligenter exploret, non ad principatum promouetur qui huiusmodi est, verum potius ad seruiendum innumeris Dominis, qui contraria cupiunt semper & dicunt.] Et vbi narrauit renitentiam subditorū monitis sui Pastoris nō parentium, sed eum etiam conuitiis impetentium, ait, Hoccine quæso, honor existimatur, hoc principatus, hoc potestatis insigne?] Ac propterea vehementer cōmouetur, meritoq; stomachatur alibi in Episcopos sui temporis *hom. 3. in Act. Apost.* fastu autoritatiuo Principum proprio, & dominatu falso tumidos; voluisse eos etiam Præfectis, & Primatibus dignitatis sæcularis honore anteire: de qua nos *lib. 9.* In eandem sententiam habet pulchra Autor homiliarum in Mat. in operibus Chrysostom. *supra lib. 1. c. 2. nu.* 13.

XV. Optime quoque Hieronymus, vt dominatum hunc potestatiuū excludat ab Ecclesiæ Rectoribus, viget præclaram Petri admonitionem: 1. *Pet.* 5.3. Non dominantes in clerum, sed forma facti gregis.] Atque ad Nepotianum scribens *epist. 2.* Episcopi Sacerdotes se esse nouerint, non Dominos: honorent Clericos quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum illud est oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem? Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnum Templum, vnum sit etiam ministerium. Recordemur semper quod Apostolus Petrus præcipiat Sacerdotibus. 1. *Pet.* 5. 2. Pascite eum qui in vobis est gregem Domini, prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri

gratia, sed voluntariè; neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis ex animo, vt cum apparuerit Princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.] Sic Hieronymus. Huc profectò etiam spectat grauis illa reprehensio pastorum Ecclesiæ apud Ezechielem: *cap.* 34.4. Quod perierat non quæsistis, sed in austeritate imperabatis eis, & cum potentia: Quod propriè, *inquit Hieronymus in Ezech. c.* 34. ad supercilium Episcoporum pertinet, eorum videlicet, qui operibus dedecorant nominis dignitatem: & pro humilitate assumunt superbiam, vt honorem se putent consequutos, non onus.] Simile aliquid exaggerant Patres Concilij Parisiensis sub Ludouico & Lothario, *Concil. Paris. l.*1.*c.*23. At vero rursus Hieronymus in Monasterio Bethleemitico degens, & consequenter subditus Ecclesiasticus Episcopi Hierosolymitani, in cuius diœcesi in monasterium erat, ad eundem Episcopum, qui tunc erat Ioannes, & sibi plusculum aliquid imperij in monachos illos, & in ipsum quoq; Hieronymum arrogabat, scribens, *ep.*62. *in fine.* ait; Patrias nostras dimisimus, vt quieti in solitudine viueremus; vt Pontifices Christi, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum metu, sed patrum honore veneremur, vt deferamus Episcopis, vt Episcopis; & non sub nomine alterius, alijs, quibus nolumus, seruire cogamur. Contenti sint honore suo: Patres se sciant esse, non Dominos.] Intelligit Hieronymus, Episcopos in spiritualibus rantum præesse, paterna, non despotica prælatione: vbi vero, sub nomine Episcopalis Prælationis volunt illi arripere Dominium regale in suos filios, eosque sibi etiam in temporalibus subiicere, merito ipsos subditos à tali seruitute abhorrere. Nam, vt alibi *adu. Iouin. l.*1. idem ait, Episcopus, & Presbyter, & Diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum: nec dicitur, Si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum; sed bonum opus desiderat, &c. 1. *Tim.* 3. 1.] Estque optimum eiusdem Hieronymi monitum *in Ezech. c.*33. vbi ait; Magnopere formidandum est, ne ad hoc officium (*speculatoris Ecclesiastici*) accedamus indigni, & assumpti à populo negligentiæ nos demus atq; desidiæ, & quod his peius est, delicijs, ventriq; & otio seruientes, Honorem nos accepisse putemus, non Ministerium.] Totus igitur Hieronymus in eo est, vt planum reddat Prælaturam Ecclesiasticam neq; imperium in se continere in subditos, neque splendorem fastuosum Præfecturæ ciuilis proprium.

XVI. Anselmus quoq; *in Matth. c.*27. potestatem imperatiuam, & iurisdictionalem veram amouet ab Ecclesiasticis, dicens, Nota, duos esse gladios in Ecclesia; alter materialis, alter spiritualis; sed spiritualis non nisi volentes, materialis cogit etiam nolentes.] Sumpsit Ecclesiam pro vtraq; Repub. simul coniuncta, in qua potestas sola spiritualis residet in Ecclesiasticis ministris, materialis vero gladius est penes Laicas potestates. Cum verò spiritualis potestas solos cogat volentes & liberos, certe imperatiua non erit, neque coactiua.

XVII. Sed Bernardus eandem frequenter inculcat veritatem: ab Ecclesiastico Prępofito nullum dominium posse exerceri ne à Romano quidē Pontifice, vt Pontifex est: sic enim ad Eugeniū scribit, *de Consid. l.*2.*c.*6. Nec enim tibi ille, *Petrus*, dare quod non habuit potuit, quod habuit hoc dedit, solicitudinē, vt dixi, super Ecclesias: Nunquid dominationē? Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, nō etiam veritate, vox Domini est in Euāgelio. Reges gētium dominantur eorū, & qui potestatē habent super eos, benefici vocantur, & infert, Vos autem nō sic. Planū est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominās Apostolatū, aut Apostolicus dominatū. Planè ab alterutro prohiberis: si vtrumq; similiter habere velis perdes vtrumq; *iā Paulatim hæc verba Bernardi Prophetica esse animaduertimus.* Alioquin nō te exceptū illorū numero putes, de quibus queritur Deus: Sic ipsi regnauerūt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui eos. Iā si regnare sine Deo iuuat, habes gloriā, sed non apud Deum. At si interdictū tenemus, audiamus edictū. Qui maior est vestrū, ait, fiat sicut iunior, & qui præcessor est sicut qui ministrat. forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio: quæ & cōmendatur ipsius exēplo legislatoris, qui secutus adiungit: ego autē in medio vestrū sum tanquā qui ministrat: quis se iam titulo hoc ingloriū putet, quo se prior Dominus gloriæ præsignitur? Meritò Paulus gloriatur in eo, dicens. Ministri Christi sunt, & ego; & addit. Vt minus sapiens dico, plus ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundāius, in plagis supra modū, in mortibus frequenter. O præclarū ministeriū.] Hæc omnia Bernardus. Et Paulo ante de tēporalibus dixerat. Esto vt alia quacunq; ratione hæc tibi vēdices, sed nō Apostolico iure: nec enim ille tibi dare quod nō habuit potuit.] His Bernardi dictis cōuictus Bellarminus fatetur *lib.*5. *de Rom. Pōt. c.*10. Pontificē, vt pastor est ouiū, non debere eis dominari, sed eas pascere.] Et hoc ipse nunc contendo, quencunq; Episcopum, vt Episcopus est & pastor, nullū habere imperiū, nullā potestatiuā iurisdictionē, sed tantum directiuā in ipsismet rebus spiritualibus, & propriè Ecclesiasticis. Si tamē aliquo pacto ad Sacerdotem deuenerit terrenus etiam principatus, nō nego ipsum, vt hominem, nō vt Sacerdotem, esse capacem regiminis etiam temporalis. Sed an hoc deceat, an bene, an licite fiat, vt Sacerdos, detento penes se Sacerdotio, tēporalem accipiat principatū, erit opportuniore loco, libro nimirum *sexto sequenti, cap.*9. expendēdum. Interim Bernardus id licite fieri posse fortasse negabit: Planè, *inquit*, ab alterutro prohiberis: si vtrumque similiter habere velis, perdes vtrumq;.]

XVIII. Idem Bernardus *supra Cant. serm.* 23. in cōtemplationē illorū filiorū ingressus, qui dicebāt matri suæ, *Cant.* 1. Exultabimus ac lætabimur in te, memores vberū tuorū: optime decreuit qualenā esset officiū Ecclesiasticorū Prælatorum; illudq; explicauit, dicens, Nunc vero vides quomodo de matre pfumūt, quomodo eius lucta & gaudia sua reputant; proprię repulsæ iniuriā illius introductione cōsolantes. Mini nè ita considerent, nisi matrē agnoscerent. Audiāt hoc Prælati, qui sibi cōmissis semper volūt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini qui iudicatis terrā, *Psal.* 2.10. Discite subditorū matres vos esse debere, non Dominos: studete magis amari, quā metui. Et si interdū seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. matres fouendo, patres vos corripiēdo exhibeatis; mansuescite, ponite seueritatē, suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugū vestrū super eos aggrauatis quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus, fugit conscientiā Sacerdotis, ad quē eum magis oportuerat tanquā ad sinū recurrere matris? Si spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: considerer vnusquisq; seipsum, ne & ipse tentetur, alioquin ille in peccato suo morietur *Galat.*6.1. Sanguinem autem eius de manu vestra

nu vestra requiram. *Ezech.3.18.*] Ita Bernardus: Nō iudicem pro tribunali sedentem, sed patrem, imo matrem esse debere Prælatum Ecclesiasticum agnoscit.

XIX. Ex alio Bernardi dicto temporalem iurisdictionem omnem ab Ecclesiasticis remouet Ioannes Ferus, *in Matth.l.3 unc.16.* dicens: Obseruandū & illud, quod signanter dicit Matthæus, Tibi dabo claues regni cœlorum, non dicit regni terrarum: nihil hæc verba spectant ad terrenam potestatem: quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, asserentes, Petrum nedum in spiritualibus, sed & in externis plenitudinem potestatis accepisse: id quod Bernardus libro 1. de consideratione, ad Eugeniū *cap.6.* manifestè arguit, In criminibus, *inquit*, non possessionibus est potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has accepistis claues regni cœlorum. Sequitur, quænam tibi maior videtur potestas, peccata remittendi, an prædia diuidendi? Habent hæc terrena & infima iudices suos Reges & Principes terræ: quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Cur maior vis esse Domino, qui interpellatus à quodam dicente Dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem, respondit, Quis me constituit iudicē inter vos? *Luc.12.14.*] Iudicia terrena sunt aliena messis Ecclesiasticis: ita Ferus cum Bernardo sentit, & exponit.

XX. At hoc Bernardi dictum vssit semper & vrit Hieromonarchicos, qui Romanum Pontificem vtraq; suprema nituntur decorare potestate *Sixt.l.6. Bib.annot.72.* Dicunt itaq;, Bernardum alibi expresse vtramq; potestatem Papæ dedisse, nimirum quādo dixit, *Bern. de Consi.l.2.c.8.* Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, autoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.] Ecce, *inquiunt*, in Episcopo Romano pronunciat esse, non solū Aaronis Pontificiā summi Sacerdotis Maiestatem, sed eam quoq; politici Principatus iurisdictionē, quę olim fuit in Samuele iudice, in Moyse Duce, in Melchisedec Rege & Sacerdote.] Item quando vtroq; cinxit gladio eundē Pontificem, dicens, *Ibid. l.4.c.3.* Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quē semel iussus es ponere in vaginā? Quem tamē qui tuū negat, non satis mihi videtur attendere verbū Domini, dicentis sic, Conuerte gladiū tuū in vaginam? Tuus igitur & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus; alioqui si nullō modo ad te pertineret; & is, dicentibus Apostolis, *Luc. 22.23.* Ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus, satis est, sed, Nimis est: vterq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis: sed is quidē pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercēdus est; ille sacerdotis, is militis manu; sed sane ad nutū sacerdotis, & iussū Imperatoris.] Hucusq; Bernardus.

XX. Mirum profectò est, quod velint dicta clarissima Bernardi, vbi rem ex professo, & sanè docēdo tractat, dictis allegoricis & rhetoricis amplificationibus obscurare: Ibi dixit, temporalia non spectare ad Pontificem, sed ad Reges, & Imperatores, nisi ille velit falcem in alienā messem immittere; hic vero ad summū quid colligitur? Pōtificem summū, illorum veteris testamenti virorum aliquā proprietatem in se continere, & hoc oratoria amplificatione, figurateq; & allegorice. Et quod dicunt de gladio, Pontificem vtroq; cingi à Bernardo, errant, certè Bernardus reijcit materialem; Et cum prorsus allegoricum totum sit id quod dicit de gladijs, nihil conficit Theologice, conficit tantum oratoriè: sed & si quid efficit, ad summum efficit, potestatē Laicam in Principe Christiano, vbi necessitas fidei postulat, & religionis, teneri, si in auxilium ab Ecclesia inuocetur, pro fidei defensione bella gerere. Et ita gladium materialem docet Bernardus esse Ecclesiæ non formaliter, sicut est Imperatoris, sed finaliter tantum, vt pro Ecclesia interdum & admodum raro, si opus sit, exeratur. Posse autem præcipere Imperatori tanquam Christiano, vt fidem defendat, non est habere iurisdictionem in Imperatorem, qua Imperator est, sed qua fidelis: nec in ipsam Imperialem potestatem, sed in hominem qui est Imperator, circa vsum suæ potestatis: sicut potest præcipere Ecclesia medico vt non abutatur ad peccatū sua arte medicinæ, vel vt ea bene vtatur: quod non est habere iurisdictionem propriè, nisi directiuam vsus artis ad bonum spirituale. Sed de his sequenti libro plura. Dictum itaque Bernardi auferens Pontifici potestatem in sæcularia, integras retinet vires, quas vt eneruent, solum ipsis restat confugium ad potestatem indirectam; de qua alias disputabo; sicut & de gladio materiali.

XXI. Bernardum tamen iudiciariam potestatem temporalem, eo dicto, Papæ non abstulisse, sed illam quoq; in Pontifice ipsum agnouisse ex eo persuadet sibi Bellarminus, *cont. Barcl. c.13.* quod idem Bernardus *de consid. l.1. c.6.* subintulit statim; Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere.] Quæro ergo, si his verbis significat Pontifices habere potestatem hanc iudiciariam in temporalibus, dum eos asserit non esse indignos; cur eos, si iudicant talia, dixit in alienam messem falcem ponere? Messem alienam, *inquit Bellarminus*, iudicia terrena vocauit; non quod non possit Pontifex, sed quod vt plurimum non debeat, dimissis rebus grauioribus, istis terrenis & vilibus implicari.] Subterfugium hoc est, & glossa violentissima: Si Pontifici data est hæc à Deo iudiciaria potestas, cur non debet in ea implicari? frustra ergo data, imo ad damnationem data, quandoquidem si illam exerceat sæpius, facit quod non debet. Datur igitur potentia, sed prohibetur actus. Præterea si munus hoc iudicandi spectat ad pontificiam potestatem; etiamsi interdum propter grauiora negotia deberet ab eo abstinere, non abstinendo tamen nullo modo dici potest alienū officium vsurpare: tunc enim facit quidem quod ex prudentiæ moderamine non debet, sed non facit quod ex potestatis legē non potest: alienum vero officium vsurpare, est facere quod quis ipso iure non potest, cum illud non sit ipsius, sed alterius muneris. Si quis generosus Terrarum Dominus, vel Episcopus decimarū possessor, velit messis tempore, dimissa ac neglecta sua cura pastorali, ipse suis manibus fruges suas colligere, asportare, ventilare, molere; bene quidem posset illis Bellarmini verbis reprehendi, non quod hæc non possit; sed quod vt plurimum non debeat, dimissis rebus grauioribus istis terrenis implicari, at verò illis Bernardi verbis nunquam moneri potest, nempe ne in alienam messem falcem immittat. Bernardus ergo significat clarè; Pontificem in his iudicijs facere & quod ex æquo non debet, & quod ex iure non potest, nempe quod ab ipsius potestate est remotum; siquidem est messis aliena: Cur verò etiam dixit, In criminibus, & non in possessionibus potestas vestra? Cur Bernardum in paucis verbis sibi contradicere faciunt? Negat itaque absolutè Pontificibus iudiciariam temporalem potestatem: quanquam si sapientiam spectes &

aptitudinem, non iurisdictionem, non sunt indigni: imo & eos posse interdum ad ista deflectere nô negat Bernardus, neque nos negamus: non tamen vt iudices ordinarios, sed vt amicabiles compositores, de quibus dicebat Paulus, 1. *Cor.* 6. Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum?] Et de hoc suo loco plura, postremo libro.

XXIII. A suauissimo Bernardo diuelli nequeo. Iam Monarchia Romana etiam in temporalia, eius tempore, præter ius & fas non parum inualuerat: propterea vir sanctus totus in eo est, vt ab illa Eugenium deterreat: eo igitur sæpissimè reuoluitur, vt à fastu & dominatu, temporalibusq; iurisdictionibus animum Pontificis auocet. Christo Domino dictû fuisse profert: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: *Psal.* 2.8. hanc vero tam latam possessionem soli Christo conuenire dicit; & ait, *de consid. l.* 3. *c.* 1. Possessionem & dominium cede huic, *Christo nimirum homini Deo*, tu curam illius habe: Pars tua hæc, vltra ne extendas manum: quid, inquis! non negas præesse, & dominari vetas? Planè sic, quasi non bene præsit, qui præest in solicitudine. Nunquid non & villa villico, & paruus Dominus subiectus est pædagogo? Nec tamen villæ ille, nec is sui Domini Dominus est. Ita & tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues: præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam *Matth.* 24.46. Ad quid? vt des illis escam in tempore; hoc est, vt dispenses, non imperes; *Vide nudum ministerium*; Hoc fac, & dominari non affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia. At satis superq; intimatum hoc supra, cum quis sis disputaretur: Addo tamen & hoc, nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.] Prius vero dixerat, *Bernar. de consid. l.* 2. *c.* 6. Et nos igitur, vt multum sentiamus de nobis, vel nobis impositum senserimus ministerium, non dominium datum.] Et postea: Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro.] Hæc sapientissimè Bernardus: videbat iam venenum libidinis dominandi Romanos Pontifices hausisse.

XXIV. Si tamen nunc cerneret Romanum Pontificem non modo totum in terrenis opibus occupatum, nihil impensius quærere, quam vt magnas vndique conquirat, & congreget diuitias, terrenosque suis consanguineis præparet Principatus: sed etiam edicta publica audiret Romani Pontificis illud statuentis, *in c. Licet. de foro comp.* vt Laici in causis quæ forum sæculare contingunt, si à Consulibus & suis Laicis Iudicibus fuerint grauati, possint ad proprium Episcopum, seu ad Romanam Sedem appellare, præsertim tempore quo vacet Imperium, quid obsecro diceret? Appellationes etiam Ecclesiasticorum Eugenium vix paucissimas volebat audire, *de consid. l.* 3. *c.* 2. quomodo decreta ista ferret? quam grauatè audiret ineptias Canonistarum impudentissimorum adulatorum, qui contra ipsius saluberrima documenta, quid dico? qui contra diuinam Scripturam, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiæ communissimum sensum, contra rationem ipsam naturalem, Papam faciunt iudicem omnium Christianorum vniuersalem in omnibus causis, ac præsertim Imperio vacante, supremum volunt esse iudicem in temporalibus. Sed de his plura *lib.* 6.

XXV. Rupertus Abbas Tuitiensis *in Matth. c.* 10. in ea verba Christi, *Neque virgam &c.* ita scribit Nunc autem duæ virgæ sunt, altera Regum gentiû; alia discipulorum Christi: virga Regum gentium, virga dominationis; virga discipulorum Christi, virga directionis; virga pastoralis officij, supra curam animarum solicitè vigilantis: illa virga quæ dominationis est, non est concessa ministris Euangelij pacis: & illa interdicitur hic, dicendo, *neque virgam &c.*] Imo & ad eundem dominatum excludendum hic Autor intelligit & applicat verba illa Christi *Luc.* 22. 26. *Vos autem non sic.*

XXVI. Cur, quæso, Iustinus Imperator in quadam lege *C. De Episc. & Cler. l.* 41. absurdum esse asserit, imo etiam opprobriû, si Ecclesiastici peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium. Nisi quia sciebat valde indecens esse, vt Clerici, quę ad forum spectant agitent, aut profiteantur. Improbat igitur, ac merito, in Ecclesiasticis studium legum ciuilium: si enim solis rebus diuinis debent esse intenti vere absurdum & opprobriosum est, vt humana iura sciant, quibus temporalia agitantur, quæ à professione Ecclesiastica tota spirituali, & omnis iurisdictionis vere experte sunt remotissima. Neque solum Iustinum, sed nostros etiam viros pios, doctos, & Catholicos studium iuris ciuilis vidi in Clericis improbantes. Petrus Blesensis: *ep.* 26. Res plena, *inquit*, discriminis est in Clericis vsus legum, totum enim hominem adeo sibi vendicat, vt eum rei familiaris prouidentia fraudet, suspendat à spiritualibus, à diuinis auellat. Ideo Ioannes Chrysostomus, sicut tripartita refert historia, licet scientia ciuili, & facundia præmineret, noluit tamê ad instantiam amicorum gerere officium aduocati. Periculosum est ita se legibus humanis impendere, vt mens per horulam à diuinæ legis meditatione ieiunet.] Certe Ambrosius, dum reprehendit Syagrium Veronensem Episcopum, quod citra vllam accusationem, puellam Deo consecratam, ex vana suspicione ad inspiciendam obstetricibus tradiderit, vt iudicarent esset ne corrupta: formulam iudiciariam eum non seruasse commemorat: *ep.* 64. *l.* 8. vbi hæc, *inquit*, cognitionis solennitas? vbi talis iudicandi forma? si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt: si Ecclesiæ, duobus, inquit, & tribus testibus stat omne verbum. *Matt.* 18. 16.] Ecclesiasticum ergo iudicium à solo petit Euangelio, vt summarie sine forensibus solemnitatibus absoluatur. Nondum igitur in Ecclesiam irrepserant decretales, *de iudiciis, de accusationibus; inquisitionibus, & denunciationibus, de foro competenti, de probationibus, de testibus & attestationibus, & similes:* quia causæ temporales ibi erant iudicandæ, vbi leges eas decidentes conduntur & asseruantur, quas Ambrosius publicas vocat. Quomodo ergo vir Ecclesiasticus, qui solum Euangelium in Ecclesia habet, quo doceatur & instruatur, ac regatur, & reliquam diuinam Scripturam, publicis legibus operam dabit, quæ in solo foro publico locum habere debent, à quo foro Ecclesiasticus debet esse maxime alienus. De Canonibus alia est ratio, de quibus agam *lib.* 8. Honorius tertius studiû physices & legû omnibus vniuersaliter prohibuit, tam regularibus quâ clericis quibuscunq; *Ne cler. vel Monach. &c. c. super specula.*

XXVII. Et Gerson *lib. de vita spirit. lect.* 1. Saluberrimû, *inquit*, est sapientis documentû, quo ait: *Eccl.* 3. a 2. Quæ tibi præcepit Deus illa cogita semper & in pluribus operib⁹ eius ne fueris curiosus. Etenim, p-

pter ignorantiam diuinorum præceptorum, quam plerunque gignit superuacuâ occupatio circa traditiones humanas, aut curiosa inuestigatio rerum penitus inutilium, consurgunt ex consequenti faciliter transgressiones diuinæ legis: quod si hoc damnabile sit apud omnes, quantam precor damnationẽ sibimet accumulant culpabiles in hoc vitio vel Ecclesiastici Rectores, vel religionum professores? Miratus sum aliquando, qua ratione ipsi Ecclesiastici, præsertim ordinati & religiosi, prohibentur à scientia medicinæ, & non remouentur de facto à studio traditionis humanæ. Nam corpus longè melius est quam terrena substantia, cui traditiones illæ deseruiunt: quod si per alios corpus potest curari, nonne similiter per vicarios, & alios de Ecclesia contemptibiles, prout iubet Apostolus, possent temporalia ministrari? Nonne sanctius est Ecclesiasticum per se Deo seruire, ac mundo per vicarium; quàm ordine conuerso, imò peruerso, vicariis constitutis pro spiritualibus, se ipsum negare Deo, & tradere totum mundo? Prorsus ita.] Hæc Gersonius.

XXVIII. Quid verò nunc Ecclesia, in suis Rectoribus tota pene facta terrena, posthabitis sanctis antiquis Canonibus spirituale regimen dirigentibus, ad temporalia deflexit, & ex strepitoso sæculi foro ad se terrenas attraxit tricas, legibusq; merè terrenis sua impleuit volumina: etiam in Rectores animarum, ac Episcopos, atq; Papas Iuristæ puri potissimum assumuntur, ad quos si negotium mere Ecclesiasticum, hoc est spirituale, deferatur, si diuinæ Scripturæ locus difficilior vt explicetur proponatur, si verbum Dei sit ab ijs prędicandum, si fidei dubium resoluendum, nutant, balbutiunt, & stipitis instar, ne quidem quid proponatur intelligunt, sed mercenarios suos adhibent pro prǽmissis. Nunquid Monachis, ad sua peccata deflẽda cucullas suas pœnitentiales deferentibus, qui in monasteriis conclusi latere debent, promissa est Spiritus sancti assistentia, quando dictum est Apostolis, & Apostolorum successoribus Ecclesiæ Prælatis, *Matth.* 28. 20. Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi? Et quomodo vsurpabit sibi Papa, purus legista, facultatem quam prętendit dogmata fidei iudicandi, & explicandi, qui & quid fides sit forsitan ignorat? Theologos, *inquit*, consulet; non ergo ipse, sed Theologi ipsius conductitij Petri & Apostolorum exercebunt munus; atque ita in hoc ipse, neque Petri neque Apostolorum locum obtinebit, sed illi. Idem dico de infinito pene numero Episcoporum, qui ne à longe quidem Theologiam, aut sacræ Scripturæ peritiam salutarũt, sed ad sola terrena legibus ciuilibus tractanda sese habiles (& vtinam hoc etiam esset in multis) reddiderunt, & tamen ad Ecclesiasticas, hoc est totas spirituales cathedras euehuntur.

XXIX. Quàm verò inique ferat, iniquoq; animo ferendum omnibus doceat idem qui supra Petrus Blesensis, quod Episcopi, siue ipsi per se, siue per officiales, quos vocant, aut vicarios, aut Auditores, forensia exerceant iudicia in Ecclesia, qui cupit videre, legat epistolam eius in ordine 25. in qua amicum quendam suum, vt desistat esse episcopi officialis, plurimum hortatur. Ponam hic aliquot eiusdem epistolæ periodos, omnino obseruandas; Quia te affectuosissimè diligo, *inquit*, in visceribus Iesu Christi proposui te salutaribus monitis adhortari, vt de Vr Caldeorum, & de medio Babylonis tempestiuus exeas, & ministerium damnatissimæ villicationis omittas. Scio quia cupiditas subuertit cor tuum, vt fieres officialis Episcopi. Credo huiusmodi officiales non ab, *officio*, nomine, sed ab *offitio*, verbo, mutuasse vocabulum. Tota officialis intentio est, vt ad opus Episcopi suæ iurisdictioni commissas miseras oues, quasi vice illius tõdeat, emungat, excoriet: isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ, euomentes alienum sanguinem quem biberunt. Quod aggregant per oppressionem pauperũ, Episcopis quidem ad delicias cedit, officialibus ad tormentum: Episcopus quasi longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à se remouens, suis officialibus culpæ & infamiæ discrimen impingit: ideo quasi sub vmbra Episcopi, & obtentu iustitiæ palliatæ subditos opprimunt, Ecclesias grauant, redditus alienos violenter inuadunt, oculos habẽt ad munera, pupillo & viduæ non intendunt. Hanc administrationem quam tibi damnabiliter vsurpasti, patientius ferrem, nisi sacrarum literarum scientia præemineres: causæ & iudicia quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario & sæculari iure deciduntur. Virum literatum & Ecclesiasticum non sic decebat sęcularibus negotiis implicari. Apostolus ad Corinthios scribens dicit, sæcularia negotia si habueritis; eos, qui contemptibiles sunt inter vos, cõstituite ad iudicandum. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est, iura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fouere mendacium; quæstum sequi, æquitatem vẽdere, inhiare exactionibus, versutias concinnare. Isti sunt qui hospites suos grauant superflua euectione & multitudine clientelæ; quærunt delicatos & superfluos cibos, cum scriptum sit, *Luc.* 10. 7. Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt: de alieno enim prodigi, de proprio sunt auari, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, iura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt: benè dicta deprauant, prudenter allegata peruertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fouent.] Hæc & alia omnia mala quæ Autor hic fusius recenset, occasione bonorum temporalium, & iudiciorum forensium propter illa in Ecclesia institutorum, in eam tunc irrepserant; & hæc quidem aliquando peiora fuerunt; vt passim Episcopi hisce sordibus obsolescerent, sed iam, Dei gratia est quod ab his plurimum releuati sunt Episcopi, Roma dedecus hoc hoc à nobis bona ex parte abstersit, & ad se solam pene omnia negotia traxit. Si Monarchia Romana nullum aliud bonum posuit in Ecclesiis sibi subiectis, certè abusus istos Episcorum plurimum compressit non quidem iustitiæ zelo, sed vt fluuiorum omnium tractus ad sua deriuet molam. Eo Episcopatum, eo beneficiorum collationes, eo lites omnes, eo dispensationes & disceptationes, eo negotia omnia temporalia omnium Ecclesiarum deuoluuntur, trahuntur, rapiuntur: soli Romano Pontifici, & eius ministris omnes propemodum laborant sanguisugæ: nobis quod sugamus nihil relinquitur: etiam mensarum nostrarum miseri fructus in Cardinalium & curialium pensiones absorbentur. Sed hæc iam omittamus. Ac rationem firmissimam, vnde vera negetur Ecclesiæ Præfectura, subiungamus.

XXX. Profectò omnis potestas imperatiua & coactiua, quæ sit cum vera iurisdictione, in promptu habet pœnas quibus subditos contineat in offi-

cio vel inuitos: videamus ergo, num Ecclesia pœnas tales possit infligere, quæ & téporalia attingãt, & coactionem secum ferant. De pœnis enim spiritualibus, & quæ sola attingunt spiritualia, nunc non loquor, eas in sequentibus explicabo. Certum tamen est, spirituales pœnas, ne excommunicationem quidem, ad coactionem pertinere. Nam si excludimus aliquem in malo pertinacem, à fidelium consortio, & à Synaxi, ac penitus ab Ecclesia, & expungimus illum ex albo Christianorum, quatenus participant in spiritualibus, in ipsius adhuc est potestate, vel parere, vel non parere: & nos potius Episcopi & ministri declaramus esse excludendum, quem actu corporali excludimus. Quod si ille adhuc se intrudat ac cócurrat ad preces communes in Ecclesiam, nunquid Ecclesiastica potestate possumus illum vi extrudere, abripere, expellere? Sane sine laica potestate nil obtinebimus. Esto autem pareat excommunicationi, cedat sponte Christianismo, reducat se ipse ad statum Ethnici & publicani, potius quam, exempli gratia, vel concubinam dimittat, vel ex vsuris corrasa restituat, vel aliquid tale corrigat propter quod fuit excommunicatus, nunquid propter ea ab eo obtinuimus, quod volebamus? Num ad bonam frugem eum reduximus? Certe nihil tale: nostræ ergo pœnæ spirituales non sunt coactiuæ: alias vero non habemus ex propria Ecclesiæ potestate. Lege, & relege Corpus canonum, quo solo per plura sæcula Ecclesia vniuersalis & recta, & vsa est, nullum penitus canonem reperies, in quo publica vlla vllius fidelis, imò ne Ecclesiastici quidem delicta, pœna aliqua corporali, aut reali, & temporali puniantur: quòd argumento est certissimo, Ecclesiasticam potestatem ad coactionem non extendi.

XXXI. Obseruo ergo discretos Ecclesiarum Rectores, si interdum pœnam temporalem necessariam aut opportunam esse videtur, ad eum, qui nõ sine causa gladium portat, *Rom.* 13. 4. sibi confugiendum esse censuisse. Sic patres Concilij Vernensis, dato Canone contra Incestum tam clerici, quam laici, & fœminæ, vt pœna excommunicationis puniatur, exclusione nimirum ab Ecclesiastica communione in precibus publicis, quæ in Ecclesia fiũt, cum se potestate coactiua & executiua destitutos probè scirent, ad Regem confugiendum statuunt, hæc addentes: Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minime potuerit, Regis iudicio, exilio condemnetur. *Concil. Vernen. c.* 9. *& ex Concil. Antiod. Extra; de cler. excom. c. si quis Presbyter.*] Ita Patres Concilij Turonensis tertii, *Concil. Turon.* 3. *c.* 41. De manifestis criminosis, *inquiunt*, incestuosis, homicidis, &c. Qui in criminibus nulla admonitione percussi perseuerent iniungitur disciplina sæcularis potentiæ, tales per publicas pœnas coercere.] Et Gregorius nonus, postquam varia pœnitentiæ salutaris opera blasphemis præscripsit, *De maled. c. Statuimus.* pecuniariam etiam adhibuit mulctam. Sed hanc per temporalem potestatem infligendam ipsemet asseruit. Quare merito Almaynus, *de autorit. eccl. c.* 2. quoad pœnas, inter laicam, & Ecclesiasticam potestatem, illud posuit discrimen, quia, *inquit*, per vnam corporalis pœna duntaxat infligitur, per alteram vero spiritualis præcise.] Quod Celestinus 3. non negauit, *De iudic. c. Cum non ab homine.* Sed & ipsa spiritualis excõmunicationis pœna quã parce, & sobriè sit adhibenda, inferius proprio capite, *de censuris*, declarabitur. Interim nobis certũ sit, Patres sanctos parcius, pœnis etiã spiritualibus, & proprie Ecclesiasticis, in eos qui errore Ecclesiastico delinquerent esse vsos, vt adhuc mitius agerent, ne viderentur in Clericos etiã delinquẽtes velle dominari, & esse asperiores. Sanè Cyprianus *l.* 3. *ep.* 9. postquam Rogatiano scripsisset, vt diaconum quẽdam pessimũ excommunicaret, hæc addidit, Nisi quod hortamur & monemus, vt peccasse se potius intelligant, & satisfaciant, & nos propositũ nostrũ tenere patiantur; magis enim optamus & cupimus contumelias, & iniurias singulorũ, clementi patiẽtia vincere, quàm sacerdotali licentia vindicare.] Plus amat voluntariã in clerico delinquente pœnitentiã, & satisfactionem datã Ecclesiæ per emendationẽ, quam seueriorem in illum, licet Ecclesiasticã duntaxat, animaduersionem. Ita Rabanus. *Dist.* 50. *c. de his vero.* criminosos Clericos omninò deponendos esse censet: sed tamen hæc addit, Qui autem de prædictis peccatis abscõditè à se admissis per occultam confessionẽ coram oculis Dei, præsente etiã sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiã, confitẽtur, & semetipsos grauiter deliquisse queruntur, si se per ieiunia, & eleemosynas, vigiliasq;, & sacras orationes purgare certauerint, his etiam gradu seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.] Et hoc sibi voluit Gelasius, *de Anath. vinc.* dum in foro conscientiæ, & Ecclesiæ, errores & pœnas errorũ considerans, ait, Cum erranti pœna præfigitur, quãdiu manet errans, eadem pœna constringitur; quia errans esse nõ potest sine pœna errati. Hęc eadẽ pœna perpetua est, nunquamq; soluenda quandiu errans esse perstiterit. Qui si errans esse destiterit, pœna, quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti, id est alteri effecto, quam cui præfixa est, non solum non potest esse perpetua, sed nec esse iam pœna. Nõ est enim ipse cui præfixa est: erranti enim pręfixa est, non non erranti. Quæ enim erranti præfixa perpetua est, & perpetuò constringit errantem, non errantem non potest iam tenere.] Quæ verba ostendunt, in Ecclesia potissimùm non spectari pœnas criminum, quatenus pœnæ sunt, sed emendationẽ delinquentium; ita vt si sponte ille emẽdetur, nulla ei pœna in Ecclesia debeatur. Quod fortasse etiam coram Deo verum erit, vt frustra & inaniter nostri pœnam & culpam distinguant, & post deletam culpam velint manere reatũ ad pœnam temporalem, vt sic & purgatorium struant, & indulgentias imaginentur, & multos inuehant abusus, de quibus agam inferius, *cap.* 7. & 8. Sed videamus quid Patres sentiant de pœnis in Ecclesia.

XXXII. Cyprianus contra prædictum contumeliosum ac peruicacem Diaconum, suum Episcopũ contemnentẽ & exacerbantẽ, ac in schisma prope erumpentem pœnam maximã depositionem à suo gradu, & excommunicationem in Ecclesia esse sciens, ita ad Rogatianum, cuius ille erat Clericus, hoc est Diaconus, scribit, *Cypri. l.* 3. *ep.* 9. Quod si vltrà te contumelijs suis exacerbauerit & prouocauerit, fungeris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abstineas.] Hunc Cypriani locum Manutius & Morelius in suis Cypriani editionibus merito huiusmodi adnotatione obseruarunt: Episcopatus vigor, & Cathedræ autoritas, disciplinæ Ecclesiasticæ administrationem & conseruationem ministerio verbi adiunctam designant. Agitur enim in hac Epistola de depositione, vel excommunicatione Diaconi, nisi resipiscat. Locus aduersus ignauiam & tyrannidem pseudo-Episcoporum; qui Episcopatus vigore, & Cathedræ vero honore, nempe ministerio & disciplina neglectis, canes muti facti sunt in Ecclesia, pompam, curiam,

carceres, iurisdictionem temporalem habuerunt.] Hæc illi in Episcopos plurimos nostros, quos iure optimo, & tyrannos & pseudo-Episcopos vocant, dum eos cum Cypriano & Episcopis priscæ S. Ecclesiæ comparant, ab his iurisdictionibus, quas Ecclesia in se nullas habet, alienissimis. Habuit idem Cyprianus in sua Ecclesia sceleſtissimum Presbyterum, Felicissimum nomine, moribus infelicissimum, fraudibus, rapinis, adulteriis, ac schismate infamem: huic Cyprianus maiorem pœnam pro tot sceleribus quam infligeret non habuit excommunicatione, *libr.5. epist.7.* Accipiat sententiam, *inquit*, quam prior dixit, vt abstentum se à nobis sciat: quando ad fraudes eius & rapinas, quas dilucida veritate cognouimus, adulterii etiam crimen accedit: quod fratres nostri graues viri deprehendisse se nunciauerunt, & probaturos se asseuerarunt.

XXXIII. Iohannes Chrysostomus, noster hac in causa ex Patribus præcipuus, ac frequentissimus magister, satis clare nobis significat, Ecclesiam non habere vllas pœnas temporales & coactiuas, nisi solas Ecclesiasticas, quarum supremam & vltimam ponit excommunicationem: quam tamen agnoscit satis non esse ad coactionem: & si contemnatur talis pœna, nihil amplius haberi in Ecclesia, sed ad solum Deum esse tunc confugiendum. Cum enim aliquando summopere niteretur fletus & eiulatus à funeribus prohibere; quibus per conductitias fœminas, puto gentiles, Christiani suos defunctos ad tumulum delatos prosequebantur, postquam & precibus, & hortationibus, & præceptionibus, & minis excommunicationis est vsus, hæc addit, *ad popul. Antioch. homil. 70.* Si vero, quod absit, contempti fuerimus, minas ad rem reducere tandem cogemur: vos quidem Ecclesiasticis castigantes legibus, illas vero *fœminas eiulantes* sicut eis conueniet.] Necesse est has fœminas fuisse gentiles, siquidem Ecclesiasticæ censuræ cum suis conductoribus non suberant: nam & paulo ante eas dixit esse fœminas nostra destruentes. Et addidit. Illas verò miseras & infelices præficas lugente per vos prohibemus, ne vnquam efferendis intersint fidelibus: ne propria cogamus eas mala deflere, & doceamus non in alienis hæc agere, sed proprias potius ærumnas lamentari. En igitur & illas per vos commoneo, vt neque vos huiusmodi vocetis, nec illæ veniant.] Hæ igitur fœminæ ad Ecclesiam non veniebant: quandoquidem illa per ipsos Christianos suos auditores monendas curat: minaturque eis alias pœnas, certe temporales, nimirum ab Imperatore, seu Magistratu ciuili procurandas, & impetrandas: nam de propria Ecclesiastica pœna hæc subdit. Si quis autem nostra contemnit vincula, rursus cum Christus corrigat dicens, *Quæcunque ligaueritis, &c.* Si quis enim amicum tolerat actius æquo insurgentem, intentionem considerans quod beneuole non insolenter hoc agit: multo magis Doctorem increpantem, non autoritate tyrannica ista dicentem, neque quasi Principis loco constitutum, sed curatoris.] Vides vt ab Ecclesiastico Rectore amouet, non modo tyrannicam, sed etiam legitimam potestatem coactiuam, qualis in Principibus reperitur; seque curatorem duntaxat fidelium agnoscit, & vocat, non iudicem cum potestate. Ac pergit paulo post. Si quis autem hæc vincula contemnat, iudicii tempus aderit quod eum doceat.] *Item*, si quis hæc vincula dirupetit, ego iam quod meum est erogo, & iam innocens sum. Ratio vero tibi ponetur apud eum, qui me ligare præcepit.] Itaq; contra excommunicationis contemptores, ne brachium quidem seculare inuocandum in Christianos contumaces, etiamsi vilis agaso is esset, cēset, neq; id minatur, sed diuino iudicio totū reseruāt: tantopere à coactione se remotum esse vir sanctissimus agnoscebat. Nunc vero, proh dolor, nostri summi Pontifices in summos etiam Principes, si contingat illos se ab iniustis ipsius censuris tueri, depositiones, eiectiones, subditorum rebelliones, arma, & ciuilia & externa bella, euersiones Regnorum, sanguinis innocentis effusiones, & minantur, & cient, ac promouent, classicumq; infame canunt.

XXXIV. Idem Chrysostomus *in epist. ad Hebr. hom. vlt. & hom. 1. in epist. ad Tit.* rursus idem argumentum tractans, vbi considerat illa Pauli verba, *Hebr. vlt. 17.* Obedite Præpositis vestris, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, &c. Pulcherrime deducit, vt supra etiam vidimus; Præpositum Ecclesiasticum iurisdictionem & potestatem externam executiuam, aut punitiuam nullam habere. Intuetis, *inquit*, quoniam cum contemnitur Princeps *Ecclesiasticus*, non oportet vltiones ingerere, sed tota vltio est plorare, ingemiscere.] Et Rectorem Ecclesiæ penitus similem facit medico, qui ægrotum ad medicamenta suscipienda cogere non potest: & si ab ægroto contemnitur, gemere illius causa potest, sed non se vlcisci.] Atq; idem Pater rursus alibi, pœnas etiam proprias Ecclesiasticas, veram pœnæ aut punitionis rationem non habere docet, modumque procedendi contra delinquentes in Ecclesia esse longe diuersum, à modo procedendi in foro laico contra eosdem, imò etiam ferme contrarium. Honorabile, *inquit, hom. 15. in 2. Cor.* hoc tribunal, etiam animam, non corpus solum corrigit: quantum igitur distat inter animam & corpus, tantum iste principatus ab illo distat. Et ille quidem sedet iudex manifestorum, imo neque horum omnium, sed eorum, quæ arguuntur: Sæpius autem & in illis inique agit. Hoc autem tribunal erudit eos, qui accesserunt, quia qui apud nos iudicat, omnia nuda & reuelata in medium adducet, in communi totius orbis theatro. & impossibile est, vt aliquid lateat, atq; adeo Christianismus nostram vitam multo magis, quam leges externæ conseruat. Nam si tremere de occultis magis securi facit hominem, quam timere de solis manifestis, & pœnas dare etiam de minorib. multo magis ad virtutem excitat, quam de solis maioribus puniri: manifestum quod iste noster principatus maxime omnium vitam componit.] Et Paulo post subdit: Externus Princeps quidem, si arripuerit adulterum statim punit, quamuis quid inde lucri? hoc enim non est tollere affectionem, sed animam habentem vulnus: qui autem hic Princeps, si quem inuenerit, satagit non vt puniat, sed vt affectionem auferat. Nam tu quidem id facis, quemadmodū si dolens morbo capitis, non morbū quiescere facias, sed caput descindas. Ego autem non sic, sed morbū deseco, & ab ipsis mysteriis arceo, & sacris ambitib. Vbi autem illum reparauero, liberatum à peccato, & pœnitentia meliorem factum, iterum recipio. Et quomodo, *inquit*, licet adulterii eximere? Bene fieri potest: est enim à legib⁹ illis factum balneum quod est in Ecclesia spirituale, non sordes corporis, sed animæ maculam abluens, multis pœnitentiæ modis. Nam tu quidem siue reliqueris impunitum, deteriorem fecisti: siue punieris, incurabilem reliquisti: ego vero neq; relinquo impunitum, neq; punio

sicut tu, sed & pœnam exigo quam me decet exigere, & corrigo quod factum est. Vis & aliter discere, quomodo tu gladium vibrans, & flammam ostendens, peccantibus non magnam medicinam præbes, ego autem absque illis ad puram sanitatem manu duxi? Non opus est autem mihi sermonibus neque verbis, sed terram & mare in medium adduco, & ipsam hominum naturam, & inquire priusquam tribunal hoc conscenderis, quomodo humanæ res habeant, quomodo nihil quod nunc bene fit, aliquando neque nominari auditum sit. Quis enim mortem contempsit, quis diuitias spreuit, quis gloriam despexit, quis fugiens tumultus seculi, montes & solitudinem matrem Philosophiæ salutauit? Vbi virginitatis nomen erat? Nam hæc omnia, & his multo plura, huius tribunalis facinora sunt, & huius principatus opera.] Hucusque Chrysostomus pœnam omnem corporalem, & realem excludens.

XXXV. Agnouerunt nostri quoque posteriores Ecclesiastici legislatores, delicta quæcunq;, etiam grauissima, non modo fidelium laicorum, in quantum Ecclesiam scandalizant, sed etiam clericorum, alia pœna non posse comprimi, coerceri & puniri, nisi pure Ecclesiastica, siue per pœnitentias salutares, siue ad summum excommunicatione. 23. *q.8.c.31.* Membrorum sane mutilatores, & domorum incendiarij, quousq; de his vnicuique legaliter & amicabiliter coram Episcopo ciuitatis, aliisq; ciuibus non emendauerit, ab Ecclesia priuantur: quæ est excommunicatio quædam partialis, vt inferius explicabitur. Si vero post secundam & tertiam conuentionem non emendauerint, vniuersali excommunicatione ab omni Christianorum collegio separantur, decreto Eutychiani, vt habet Gratianus, *Dist.50.c. Si Episcopus.* Capitale Clerici crimen, siue sit Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus, statuto Concilij Agathensis *cap.50.* eam habet pœnam, vt delinquens ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, & ibi quandiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.] Tales retrusiones in Iure plures habes, *Dist.81.c.10.11. De pœnit c. Tua discretionis.* & in Decretalibus Romanorum Pontificum, *Zachar. ep.11. & Greg. l.7. ind.2. ep. 62. Et de pœnit. & rem. c. Omnis vtriusque.* & in Concilio Aurelian. *5.c.14.* Hanc vero, propter Ecclesiastica delicta in monasterium retrusionem, ne putet quis habere locum carceris, & pœnæ corporalis; Monasteria enim erant loca pœnitentium, & ad pœnitentiam salutarem agendam opportuna & destinata, non quidem directe & proxime ad satisfaciendum Ecclesiæ pro delictis, vt inde gradum suum Clericus recuperaret: sed ad humiliationem coram Deo pro peccato, ad effectum veniæ & remissionis sui peccati à Deo obtinendæ. Remotum vero, vt si veram viderit Ecclesia vitæ emendationem, eosdem promptius & libentius ad gradus suos restitueret. Cum tamen interim retrusio illa libera sit, non coacta, vt videlicet sponte ille in monasterium ad agendam pœnitentiam secedat, *Dist.81. c. dictum.* & liber penitus sit, siue velit, siue nolit id peragere: certe tamen nisi peragat, in suum gradum non restituendus, imo etiam excõmunicatione plectendus. Posteriores tamen Papæ, habitis iam à Principibus Laicis coactionis Clericorũ priuilegiis, aut fortasse etiam vsurpatis, & monasteria soliti sunt loco carceris assignare; & carceribus ad agendum pœnitentiam delinquentes Clericos includere. *De sent. excom. c. vt famæ.*

XXXVI. Non possum negare in facto exempla plurima haberi ex variis scriptoribus, etiam antiquioribus, & in iure, pœnarum corporalium in Ecclesia inflictarum, carceris, exilii, & similium, sed ex potestate propria Ecclesiastica certe illæ non sunt profectæ; Exilio mulctatur Clericus in Synodo Romana quinta sub Symmacho, & suis bonis omnibus in pœnam spoliatur. *q.5.c. Accusatoribus.* sed spoliatio hæc est quoad alimenta, & bona, quæ habet ab Ecclesia: similiter hoc exilium est eiectio ab Ecclesia, non à patria, & significat depositionem; ita vt locum iste non habeat amplius in Ecclesia inter ministros, sed ab omni ministerio excludatur. Hadrianus Papa 5.*q.6.c. Delatori.* delatori linguam capulandam, & caput amputandũ statuit; sed glossa interpretatur, ibi doceri iudicem secularẽ quid facere debeat. Sicut & Vrbani tertii decretũ; de pœna Clerici falsarii literarum Regis. *De crim. fal. c. Ad audientiam.* quæ vultus deformationem præcipit, & exilium præter depositionem, glossa declarat pœnam hanc non debere intelligi per iudicem Ecclesiasticum. Itaque videtur Vrbanus ibi, supposita autoritate regia Episcopo data puniendi talem Clericum pro delicto illo, qualitatem pœnę describere, quam posset Episcopus in Clericum proferre, & executori Laico relinquere. Simile aliquid videre potes in decreto quodam Alexandri tertii, *De raptor. c.4.* qui expresse supponit autoritatem à Rege Siciliæ datam Episcopo Panormitano, ad Laicos etiam criminosos, in abusu mulierum & puerorum, puniendos, pœnasq; corporales præscribit flagellationis & pecuniarias. Marcellus seu Bonifacius 11.*q.1.c.8.* Magistratum Laicum cinguli dignitate priuandum iubet. Id tamen à Rege procurandum esse significat. Idem intelligendum est de pœnâ carceris & exilii, quam ponit Vrbanus, 17.*q.4.c. Attendendum.* Nisi malis hos duos Canones tanquam apocryphos, & nullius fidei, reiicere, nec enim male feceris.

XXXVII. Gregorius *l.9. ep.86. ponitur extra de calumniat. c.1.* Subdiaconum criminosum non modo statuit à subdiaconatu deponendum, sed etiam verberibus castigatum in exilium deportandum. Verberatio tamen illa non erat pœna per se, necve pœna corporalis infligitur à Gregorio, sed quatenus infamia notabat verberatum: & ita sola infamia in tali pœna spectabatur, quæ non est pœna corporalis, vt bene explicat Ioannes Diaconus in vita Gregorii, *l.4.c.31. & ponitur 5.q.6. Quia iuxta.* hunc eundem locum tractans. Exilium vero ego intelligo ab Ecclesia & officio Ecclesiastico. Nisi dicamus Gregorium ab Imperatore, qui ei curam magnam rerum Italicarum committebat, talem potestatem habuisse: aut sub ratihabitione, certum de voluntate Imperatoris id præscripsisse. Quò etiam spectat alia epistola eiusdem *lib.10. epist.47.* in quâ exilio quendam mulctandum præcipit. Eodem modo intelligas exilium *in Epist. 29. & 30. Nicolai.* quo Rotadum Hincmarus Rhemensis afficit, fuisse ex Regis priuilegio; si potius fuisse retrusionem in monasterium; quæ retrusio *secundum eundem epist. 32.* exilium quoddam est. Ita Concilium Toletanum *apud Baron. tom.8. ann.597. num.28.* pœnam carceris imponit incontinentibus; profecto de licentia Regis Richaredi. Habes apud Gratianum non paucos tales Canones, in quibus videntur esse leges pœnales Ecclesiasticæ & pecuniariæ, & corporales. Quas tamen omnes, præsertim quæ non sint ex quisquiliis apocryphorum collectæ, interpretari debemus, vel iudici Laico in memoriam reduci, quid facere

debeat; vel de consensu, aut etiam concessione & priuilegio Principum secularium tales pœnas edici; vel eas esse circa bona Ecclesiastica & beneficia; vel esse pœnas pœnitentiales, quæ debeant in foro pœnitentiali, volenti tamen, præscribi, & sine coactione, quale scimus esse forum pœnitentiale; vel demum esse Romanorum Pontificum sibi nimium arrogantium ausus. Nam alioquin iam probatum est, tales pœnas non esse penes Ecclesiam. Pœnas autem huiusmodi aut reales, aut corporales, in sensibus modo explicatis, reperies in Decretis 16. *q.* 1. *c.*55. & 17. *q.*4. *c.*20.22.26.27.31. & 21. *q.*5. *c.*3. & 23. *q.*5. *c.* 1.2.3.4. & 24. *q.*1. *c.*32. & *q.*3. *c.*22. & 25. *q.*2. *c.*20. & 26. *q.*5. *c.*10. & 27. *q.*1. *c.*2. & 32. *q.*5. *c.*20. Tales recenset aliquas etiam Baron. *tom.*7. *ann.*523. *num.*6. Vbi vero inueneris priuationem beneficij, ne putes esse pœnam proprie realem aut corporalem, sed meram subtractionem alimentorum: tunc enim Ecclesia non punit illum in propriis bonis ipsius delinquentis, sed subtrahit ei bona Ecclesiastica; sicut non est proprie pœna, quando Dominus excludit aliquem à suo famulitio, & consequenter à sua mensa.

Concesserunt tamen Principes variis temporibus sancto Episcoporum Ordini plura priuilegia fori, immunitates, tribunalium erectiones, iudicia multa & ciuilia & criminalia, temporalia, & consequenter non exiguam veram iurisdictionem, vt ostendam *libro* 10. Sed talis iurisdictio ad Ecclesiasticam propriam potestatem, quam Ecclesia iure diuino habeat, non potest pertinere. Et si quid iurisdictionis cuiusdam proprie Ecclesiasticæ non raro obseruare contingat, id totum proximè sequenti capite explicatum dabo.

XXXVIII. Non desunt plura in Scriptura loca quæ ab iis vrgeri solent, qui veram Præfecturam, veramque iurisdictionem conantur in Ecclesiam inuehere, & sunt sequentia: Paulus Episcopos, seu mauis Presbyteros, sic alloquitur. 1. *Act.*20. *v.*28. Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus Episcopos posuit, regere Ecclesiam Dei.] Ecce penes Episcopos quoddam regimen Ecclesiæ: habent ergo Episcopi præfecturam; Rursum idem ait. 2. 1. *Thess.*5. *v.*12. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos.] Item, 1. *Timoth.*5.17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.] Presbyterorum ergo erat præesse. Erant itaq; cum præfectura. Addit etiam 3. Aduersus presbyterū accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut trib⁹ testibus.] Hæc sane supponunt, illum esse iudicem cum quadam præfectura. Quod si ipsemet Paulus sua Ecclesiastica præfectura nō polleret, nequaquam tam sæpe suam fidelibus commemoraret potestatem. 4. 1. *Cor.*4. 21. Quid vultis, *inquit*, in virga veniam ad vos? Et postea, 2. *Cor.*13. *v.* 2. Prædixi & prædico, vt præsens, & nunc absens iis qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum nō parcam. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?] Item, 2. *Cor.* 10. *vers.*2. Rogo autem ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam. In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.] Item, 2. *Cor.* 12. *v.* 20. Timeo enim ne forte cum venero, nō quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis qualem non vultis.] 5. Timotheum Episcopum monet non solum vt doceat, sed etiam vt præcipiat. 1. *Tim.*4. *v.*11. Præcipe, *inquit*, hæc & doce.] Et ad Titum, *Tit.*2. *v.*15. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni Imperio.] Et 6. ad Hebræos *cap.*13. *vers.*17. Obedite præpositis vestris.] Hæc tamen non conficiunt quod illi intendunt, & iam singula expono, ac soluo.

XXXIX. Ad 1. Regere ibi est Ποιμαίνειν, pascere, & dirigere, fide credenda proponere, & explicare, à via perditionis, corruptorumq; motuum monitis, consiliis, & interminationibus, censuris quoq; reuocare, & in viam salutis dirigere. quæ omnia, vt patebit in sequentibus, sine coactione, & vera iurisdictione peraguntur. Et Ecclesiastici Rectores medicis sunt simillimi. Medicus enim ægrotis salubria proponit, insalubria prohibet, vitæ rationem præscribit, &c. in ægrotum tamen iurisdictionem nullam habet: Ægroti enim liberi sunt vt pareant vel non pareant medico; nec eos medicus potest cogere: hortari potest, monere potest, impendentem mortem potest proponere, nisi pareant: ita & fideles, vt in sequentibus melius apparebit. Sicut igitur medici est regere ægrotos, & Magistri discipulos, hoc est sine iurisdictione; ita Rectoris Ecclesiastici est regere Ecclesiam Dei, hoc est, fideles.

XL. Ad 2. Præesse, hoc loco idem est, quod superiori regere, & in eodem sensu. Omnes autem, non solum Episcopi, sed & presbyteri præesse dicuntur; quia omnes populo sunt duces in fide, & in moribus Christiano homine dignis, docendo, hortando, monendo, &c. Ideoque ibidem addit Apostolus loco priori; Et monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem habere cum eis.] Quæ verba solam significant charitatiuam, non potestatiuam subiectionem.

XLI. Ad 3. Accusationes illæ non erant forenses, neque strepitosæ, sed charitatiuæ, ad hoc, vt accusatus, publice, dum conuenirent fideles ad Synaxes, corriperetur (& hoc est *Matth.*18. *vers.*17. dic Ecclesiæ) & sic ad meliorem frugem reduceretur: testes autem erant examinandi, non ad hoc, vt Timotheus posset iudicij forma seruata, ad iudiciales forenses actus deuenire, sed vt posset tuto & legitime illum publice corripere: quæ publica correptio quia pudore, & non exigua confusione hominem correptum suffundebat, cauendum erat, ne quis temere ad vnius accusatoris testimonium; qui ex speciali odio posset accusare, publica hæc fieret correptio. Ideoq; statim ibidem subdit Paulus, Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.] Addo, fuisse Pauli vehemens documentum, 1. *Cor.*6. *v.*1. vt fideles, suas lites, etiam criminales, agitarent in Ecclesia, & non coram iudice infideli: quod si fidelibus laicis præscribebatur hoc documentum, quantō magis Clericis. Ex quo documento Episcopus ordinarie in Ecclesiis, hoc est, in publicis conuentibus, tales causas audiebat, vt arbiter, non vt iudex, vt ostendam *lib.*10. & consequenter, seruata substantiali forma iudicij, debebat tales causas decidere; & hoc non ponit potestatem iudiciariam in Ecclesia ipsius propriam; nisi ex partium voluntate in Episcopum compromittentium.

XLII. Ad 4. Virgam Paulus intellexit potestatem, non aliquam ordinariam forensem temporalem punitiuam; sed extraordinariam, in signis, ac miraculosis punitionibus. Audiamus Chrysostomum *in* 1. *Corinth. hom.*14. & *in* 2. *Corinth. hom.* 29.

id præceptoris cathedram iam ascendentis, & inde cum iis disputantis, & potestatem accipientis est. Quid autem significat in virga? in pœna, in supplicio, hoc est perdam & excæcabo, quod *Actor.* 5. 10. in Saphira Petrus effecit, quod ipse *Act.* 13. 11. in Elyma mago. Hoc idem in secunda epistola apparet, cum inquit; 2. *Cor.* 13. 3. Num experimentum quæritis in me loquentis Christi?] Hoc genus punitionum per miracula extraordinaria ponit, & explicat rursum idem Chrysostomus alibi *in* 1. *Timoth. hom.* 5. dum & per se Paulus percutere poterat contumaces, & per ministerium Satanæ. Et de hac ipsa potestate sua sic loquitur ipse Paulus, 2. *Cor.* 12. 12. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni potentia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.] Sic perpetuo vbicunq; Paulus se puniturum comminatur, vt facit in locis his, hic obiectis, intelligit Chrysostomus *in* 2. *Corinth. hom.* 30. de pœnis, diuina extraordinaria sibi communicata signorum, & miraculorum virtute infligendis, aut ad summum, de excommunicatione. Ambrosius vero *libr.* 1. *de pæn. c.* 11. totam virgæ potestatem quam Paulus minabatur, ad correptiones, & increpationes, & ad summũ ad excommunicationem reuocauit: Quid esset, *inquit*, in virga venire, docet inuectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris quod inflati essent, quos magis lugere oportuit: Postremo condemnatio rei, vt tolleretur à consortio communionis, & traderetur aduersario. Venit in virga quia à communione sacra conuictum remouit.] *ibid. c.* 14. *& epist.* 18.

XLIII. Ad 5. video Rectorem Ecclesiasticum & docere debere, & præcipere: & sane vtendum illi esse interdum præcepto cum maxima autoritate. Video Chrysostomum his plurimum assentiri *in* 2. *Timoth. hom.* 15. vbi ait; Sunt quædam in rebus humanis quæ doctrina indigeant, sunt item quæ imperio. Si igitur peruerso ordine, vbi docere necesse est, imperare malueris, ridiculus profecto eris. Eadem ratione si docere pergas vbi Imperio vti conuenit, hoc ipsum similiter parieris, verbi gratia: Malum non esse, docere minime conuenit, sed imperare, & magna vi autoritatis prohibere: Iudaicis item non intendere fabulis, similiter imperandum est. Cæterum siquidem substantias pauperibus distribuere, virginitatemque seruare opus sit, ac de fide disserere, hic iam doctrina, & exhortatione agendum est. Idcirco vtrumque posuit Paulus, Præcipe inquiens, ac doce; Puta si quis ligaturas inanes, aut aliud quidpiam eiusmodi sciens ac prudens sequitur, præcepto atq; imperio tantum arcendus est: sin vero ignarus in ea inciderit, docendus est. Nemo, *inquit*, adolescentiam tuam contemnat. Vides vt imperare Sacerdotem necesse sit, summaq; cum autoritate disserere non semper docere. Nempe enim quoniam adolescentia, ex præsumpta opinione communi ferme, contemptibilis existimatur, idcirco ait: nemo adolescentiam tuam contemnat. Oportet enim eum, qui Doctoris officium suscipit, ita se agere, vt despici contemniq; non possit. Sed fortasse dicturus es; vbi modestia ac mansuetudo Sacerdotis eluceat, si semper in honore sit, neq; contemptui pateat? In his quidem quæ ad se pertinent, si contemnatur sane constantissime ferat; ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verum in his quæ aliorum tangunt salutem, contemptui omnino non pateat. Id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ. Nam siquidem iniurias in se, si maledicta, si insidias vlcisci velit, rite omnino culpabitur; verum vbi alienæ salutis negotium agitur, imperio vtatur, atque ex culmine autoritatis, ne quid noxium immineat gregi, summa cura prouideat: neque enim hoc in loco mansuetudine, sed autoritate opus est, vt ne Ecclesiæ vtilitas pereat.]

XLIV. Et tamen hic ille est, qui supra toties solum consilium in Episcopo, nullum imperium agnoscebat. Hic ille Chrysostomus est, qui vbi ista à thesi ad hypothesin, à theorica ad praxim reducebat, sui imperii vim admodum imbecillem experiebatur. Audiamus illum imperio suo vtentem, *in epist. ad Coloss. hom.* 7. Ecce prædico, *inquit*, non amplius admoneo, sed præcipio, & denuncio, qui volet audiat, qui vero minus, contumax sit, & immorigerus: quod si ista facere perrexeritis, non sum laturus, neque vos recipiam, neque patiar hæc limina transire. Quid enim mihi morbidorum multitudo? Quid vero si vos erudiens non prohibeo quæ superflua sunt? Atqui Paulus & aurum prohibuit, & margaritas. Ridemur à Græcis. Nostra videntur illis esse fabulæ: & viros quoque hic admoneo. In locum disciplinæ huc accedis, vt in spirituali Philosophia instruaris. Amputa fastum istum: huius & viros & mulieres admoneo. Et si quicquã aliter egeris, non ferã. duodecim erãt discipuli. Audi quid ad illos dixerit Christus. Num & vos abire vultis? Etenim si perpetuo vobis obsequuti fuerimus, quando recuperabimus perditos, quando proficiemus? Sed sunt, inquit, hæreses aliæ ad quas pleriq; transibunt. Vanus & frigidus est hic sermo; Melior est vnus qui voluntatem Dei faciat, quam mille improbi. Nam & tu, vtrum voles dic quæso? an mille fugitiuos habere seruos, & fures domesticos, an vnum beneuolum? Ecce admoneo & iubeo, vt & ornatum illum facierum, & quæ alia huiusmodi sunt vasa conteratis, & pauperibus detis, & vt non ad hunc modum insaniatis. Qui volet resiliat; qui volet incuset, & conqueratur; nemini plane parcam. Quando iudicandus ad Christi sistar Tribunal, vos mihi nimio procul stabitis. Tum nihil proderit vestra gratia, quando mihi reddenda erit officii ratio. Hæc verba corruperunt omnia: Ne abeat, *inquis*, & transeat ad aliam hæresim. Infirmus est, condonetur illi. Sed quousque? Quandiu? Semel, bis, ter, verum non semper. Ecce rursus denuncio, & iuxta beatum Paulum protestor, quod si denuo reuertar non parcam. Quando vero correcti fueritis, tunc scietis quantum hinc sit lucri, quantum vtilitatis. Etiam obsecro & supplico, neq; detrectabo genibus quoque aduolui, supplicandique morem huius gratia subire. Quæ est ista mollities? quæ sunt illæ deliciæ? quæ illa ignominia? non enim deliciæ sunt, sed ignominia, quæ istæc amentia? quæ insania? Tot pauperes Ecclesiam circumdant, & tot habens Ecclesia liberos adeo opulentos, nulli pauperi succurrere potest, sed hic quidem esurit, ille vero ebrius est, & argento excrementa sua excipit, cum interea iste ne panis quidem particeps est. Quæ est ista insania? quæ tanta feritas? Faxit Dominus ne sit periculum faciendum castigandi immorigeros, ne ve ista cum indignatione iudicio committere cogar, sed vt voluntarie & patienter hæc omnia in melius commutetis, vt ad gloriam Dei viuamus, & futuro supplicio liberemur, bonaque diligentibus ipsum promissa consequamur.] Hactenus Chrysostomus.

XLV. Præcipere hoc Chrysostomi, & imperare, nihil aliud esse video nisi acrius obiurgare, & increpare; cum ea tamen significatione, vt si ille vitam

emendare nolit, sciat se à numero fidelium excludendum: Atque interim timor sit, ne ille qui sic obiurgatur, ne expectet quidem ab Episcopo exclusionem, sed sponte se abdicet, & ad alias sectas transeat. Quale ergo præceptum est hoc, quod statim absque vllo vel minimo corporali incommodo possit eludi? Itaque ipsum quoque præceptum & imperium Ecclesiasticum est directiuum, non coactiuum: Et solum discrimen est inter docere Ecclesiasticum, & præcipere, vt colligo ex his Chrysostomi dictis, quod docere sit placide, & amice instruere ignarum, in iis quæ credenda sunt, & quæ facienda: at vero præcipere, sit voluntarie peccantem, & blandas correptiones non admittentem, acrius monere, vt omnino emendetur, alioquin à fidelium consortio excludendum: & omnia illa Pauli verba ad directionem solam spectant, non ad coactionem, Argue, obsecra, increpa; quæ tamen in se continent, & præcipere & docere. Dum obsecramus, docemus, & in charitate ad errantem accedimus: quando arguimus & increpamus, tunc, cum autoritate & in virga, vt supra explicabat Ambrosius, ad eundem venimus: & sic præceptum, virga, & autoritas sunt idem.

XLVI. Ad 6. Præpositus erat Paulus: præpositi erant Apostoli, præpositi tunc erant Apostolorum discipuli, quibus omnibus obediendum esse Paulus edicit: sed tunc Præpositura, *inquit Chrysostomus homil. 3. in Act.* non erat honos, sed cura subditorum] hoc est, Prælatura seu præfectura Ecclesiastica non consistebat in imperio & autoritate præceptiua, sed in ministrando: nam & addit: Ea res nec patiebatur eos qui ad præfecturas assumebantur efferri, quod ad pericula vocabantur, nec ij qui non fuissent electi mœrore vllo afficiebantur, ex eo quod viderentur fuisse contempti.] Non enim in his præposituris quicquam speciosi cernebatur, quale cernitur, vbi quis præest cum imperio, ac potestate præceptiua. Et obedientia hæc, quam requirit Paulus, est circa directionem in spiritualibus, vt supra explicatum est *primo capite* huius libri.

XLVII. Præter loca iam explicata sacræ Scripturæ, quæ videbantur in Ecclesia ponere aut supponere veram iurisdictionem, solent ad hoc afferri à nostris Hieromonarchicis alia argumenta. Et quidem Bellarminus *cont. Apolog. P. Pauli Ven. & cont. Barcl. c. 17. & 36.* iurisdictionem coactiuam in Ecclesia esse, ac forense iudicium omnino conatur nobis persuadere; eius vero argumenta sunt huiusmodi.

1. Paulus minatur se in virga venturum: Et Prælati quando præcipiunt, *inquit*, sub pœna excommunicationis, nonne ostendunt se iudicium forense habere, siquidem ipsis etiam parendum sit propter iram, hoc est propter timorem talis pœnæ.

2. Possunt, *inquit*, Laici in pœnam variorum criminum, non solum cogi in foro interiori à confessariis, vt eleemosynis redimant peccata; sed etiam ab Episcopis mulctari pœna pecuniaria, vel etiam carceribus mancipari: & per captionem pignorum, ad districtionem personarum iustitiam ministrare, vt habetur ex Concilio Tridentino.

3. Quando Tribunal sanctæ Inquisitionis condemnat reos, & addicit carceribus, fustigationi, exilio, & triremibus, nonne Ecclesia imponit pœnas temporales? Quartum, potest Ecclesia cogere etiam Laicos, vt parochos suos alant, & vt Apostolus loquitur, *1. Corinth. 9. vers. 11.* Seminantibus spiritualia concedant, vt carnalia metant. Atque ex his, hæresim Lutheranam esse pronunciat, si negetur Ecclesiæ externa iurisdictio temporalis.] Sed fallitur, nisi velit & Chrysostomum, & Bernardum, & totam antiquam Ecclesiam Lutherana hæresi laborasse: Ipse vero cum nimia facilitate, ne apparenti quidem vllo nixus fundamento, in re grauissima satis temere pronunciat, sanamque doctrinam hæresim facit. Argumenta etenim ipsius nihil minus concludunt quam quod ipse intendit, vt iam ex eorum solutione patebit.

XLVIII. Ad primum, virgam Pauli paulo ante explicaui. Excommunicationis vero potestatem reducere ad iudicium externum forense, non leuis mihi videtur aberratio. Forense enim iudicium proprie est iudicium seculare: & forum est apud solos principes, & ipsorum tribunalia: & si quid fori proprie dicti reperitur in Ecclesia, id totum ostendam postea ex sola Principum concessione duxisse originem. Falsum etiam absolute mihi videtur, excommunicationem esse pœnam externam, & coactiuam. Nos autem Ecclesiæ denegamus verum forum, in quo sit ipsa vis coactiua, quæ etiam in inuitum exerceatur, quoad pœnas, non priuatiuas tantum, sed etiam positiuas, vsque ad effusionem sanguinis, & necem inclusiue: & hæc est proprie ira propter quam principibus solet obediri: excommunicatio vero cum nihil temporale auferat homini, sed eum in suo statu liberum & intactum atque illæsum in naturalibus, & in bonis ciuilibus propriisque vniuersis, relinquat, ita non est propter quam obedire Ecclesiæ aliquis cogatur; nisi ille sponte sua propter iram, non temporalem, aut naturalem, sed diuinam, in ordine ad supernaturalia, se corrigat voluntarie, & emendet. Et hoc est quod supra Chrysostomus dicebat, *in Act. homil. 3.* Non licere in Ecclesia cuiquam ex autoritate præcipere; hoc est, non posse Ecclesiam sua autoritate ita præcipere, vt vel inuitos cogere possit, vt id quod etiam ad salutem animæ eis præcipitur exequantur. In hoc enim tota consistit fori externi iurisdictio. Et hanc coactionem Chrysostomus *lib. 2. de Sacerd.* inutilem penitus fore in Ecclesia obseruabat, supra *num. 13*: voluntarie enim, non coacte, sacrificabo tibi, *Ps. 53. vers. 8.*

a XLIX. Ad secundum: Miror quo pacto sibi excidere passus sit Bellarminus verbum illud, posse à Sacerdote pœnitentem cogi ad eleemosynas, aliave opera externa pœnitentialia. Hanc coactionem nemo vnquam, aut cognouit, aut posuit, aut recensuit in Ecclesia, quæ in hoc vim directiuam habet duntaxat, non coactiuam; Præscribit enim Sacerdos quid pro pœnitentia sit agendum: pœnitens vero liber est, vt si velit spirituale sponte hauriat pharmacum: sin minus, pereat vt libet: sed nec cogitur neq; potest cogi, quod idem Bellarminus aperte in suis controuersiis *de Rom. Pontif. l. 2. c. 29. ad 8.* est confessus: Confessarius, *inquit*, non potest pœnitentem omnino inuitum cogere ad pœnam subeundam.] Iura etiam plura contra hæc, quæ hoc argumento asserit Bellarminus omnino contraria, superius protuli, & patrum documēta. Concilium vero Tridentinum, si non se extendisset in multis vltra q̃ manus Ecclesiastica extēdi potest, si falcem in alienam messem non posuisset: si in graue præiudicium secularis potestatis multa statuere, quæ nō poterat, non præsumpsisset, certe Gallicana Ecclesia Catholica ipsum admisisset, q̃tamen neq; acceptauit, neq; sibi seruandū in eo Regno est amplexa: ꝓpterea nimirum,

mirum, quia potissimum & ipsi Ecclesiæ Gallicanæ, & Regno etiam indebite præiudicare fuit cognitum. Quæ præiudicia habemus peculiari libello descripta, & publicata, *in Extract. ex regist. congreg. Parisiis 1593.* inter quæ hoc ipsum decretum recensetur, & huiusmodi censura notatur. Hic articulus manifeste est contra Franciæ consuetudinem, innumerabilibus sententiis corroboratam, quæ negat iudicibus Ecclesiasticis; quippe qui nullum habent territorium suarum sententiarum & iudiciorum; per bonorum apprehensionem aut personarum carcerationem, executionem; & quando his mediis opus habent, tunc ipsis implorandum est brachium seculare.]

L. Poterat & Concilium Gallicanum apud Theodonis villam habitum tempore Caroli Magni, huc adduci: in quo de pœnis duntaxat actum est, quibus parricidia, vulnerationes, & verberationes in Episcopos & Clericos refrænarentur. Quia tamen pecuniariæ etiam pœnæ adhibendæ erant, non est ausum Concilium eas apponere sine expresso Regis consensu: sic enim Patres illius Concilij loquuntur, *in Concil. Theodon. init.* Decretum est, vt communi consensu, & humili deuotione supplicarent auribus Principis, si suæ pietati complaceret, vt calumnia in Christi sacerdotes peracta, iuxta Synodalia determinaretur pleniter statuta.] Et paucis interiectis; Quod si vero pietati illius, iuxta capitula Regum præcedentium, vbi eorum prouisio misericorditer in offensis, pecuniæ quantitatem interposuit, pro leuigatione scilicet pœnitentiæ, placuit, vt præfatæ res per pecuniam ab Imperatoribus, & a sibi succedentibus ad defensionem concessam, & per pœnitentiam determinentur Episcoporum iudicio, si pietas illius conlaudare voluerit: sic definiri eis complacuit.] Itaq; non modo in pœnam criminis externam, sed etiam in pœnitentiam peccati, non audent ad mulctam pecuniariam descendere, nisi Rex id confirmet. Mox aliquot statuta formant cum pœnis pecuniariis, & aliis temporalibus, post quæ Aistulfus Maguntiensis Archiepiscopus ita concludit. Si Principibus placuerit, aliisque fidelibus suis, rogemus vt conlaudetur, & subscribatur. Et conlaudatum est, & subscriptũ est, tam à Principe, quàm à cæteris omnibus.] Quod si volumus cum Tridentino mitius agere, dicamus Concilium pœnas pecuniarias, captionem pignorum, & personarũ districtionem præcipere; per suos proprios, vbi videlicet concessione aut permissione Principum id licet, aut per alienos executores, *inquit*, faciendum.] Vbi videlicet hoc Ecclesiasticis, non est à Principibus concessum; tunc enim rogandos esse vult, vt ego arbitror, Principes, vt ipsi executiones reales & personales faciant, quas Ecclesia facere non potest.

LI. Ad tertium. Officium Inquisitionis ad reales & corporales pœnas procedit ex Principum concessione, vt postea *lib. 6. & 7.* explicabo.

Ad quartum. Ius naturæ est, non Ecclesiasticum, vt, qui in gratiam alterius ita laborat, illius gratia & se ipsum priuet actione etiam alimenta sibi necessaria côquirendi, ab eo alimenta accipiat. Quod ius naturæ commemorat Paulus Corinthiis, tanquam æquum & iustum, vt ij qui se totos impendunt, vt spiritualia dona ipsis ministrent, recipiant necessaria corporis alimenta ab iisdem: ita etiam commendans Timotheo presbyteros in Ecclesia laborantes; vt ipsis abundanter prouideat de necessariis, ex eleemosynis fidelium, ait, 1. *Tim. 3. v. 17.* Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina, dicit enim scriptura, *Deut. 25. 4.* Non alligabis os boui trituranti: Et *Matth. 10. 10.* dignus est operarius mercede sua.] Hæc sane omnia æquitatem præ se ferunt naturalem. At vero Ecclesiam posse cogere laicos coactione reali externa, vt id, quod æquum est iure naturæ, omnino opere perficiant, in Scriptura non habetur: neque id vlla ratio suadet. Quamuis etiam in hoc Concilium Tridentinum *Sess. 21. c. 4.* nimium tribuat Episcopis, vt possint compellere populum ea Parochis suis subministrare, quæ sufficiant ad vitam eorum sustentandam.] Hanc compulsionem, nisi intelligas per recursum ad eos qui vim habent coactiuam, hoc est, ad potestatem secularem, digna erit vbique eadem censura, quam in Francia habuit, *in Extract. supr. alleg.* his verbis: Hic articulus est contra communem vsum Franciæ, quo Episcopus nullam habet iurisdictionem in laicos, nisi in Sacramentis, & rebus spiritualibus: & non in temporalibus; vt sunt alimenta.] Si nobilissima Ecclesia Gallicana tota ita sentit, & Concilium Tridentinum in hac parte non audit, pronunciet etiam hoc, si placet, Bellarminus, illam esse hæreticam ac Lutheranam. Sed interim caueat ipse cum omnibus Monarchicis ab hæresi Anabaptistarum, cum quibus deprimere conatur Principum temporalium potestatem. Nos vero, *libro 7.* Concilii huius, & aliorum autoritatem ponderabimus. Et de iure accipiendi alimenta, agam plene, *lib. 9.* Hæc ad Bellarminum. Sed aliæ quoq; mihi occurrunt obiectiones omnino non omittendæ.

LII. Obiectio prima. Habemus Innocentii tertii dictum celeberrimum, ex quo facile fundatur in Ecclesia immensa in omnes Christianos totius Orbis, imo in ipsos quoque Principes iurisdictio vera, propria, & coactiua. Ait enim; *in c. Nouit. de Iudiciis.* Cum Dominus dicat in Euangelio, Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum: Dic Ecclesiæ; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Et Rex Angliæ sit paratus, sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccat in ipsum, & ipse circa eum in correctione processit, & tandem dixit Ecclesiæ: Quomodo nos, qui sumus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum diuinum possumus non exaudire, vt non procedamus secundum formam ipsius; Nisi forsitan ipse coram nobis, vel Legato nostro, sufficientem in contrarium rationem ostendat? Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium: sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet, sine dubitatione, censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.] Et producit dictum Valentiniani, Pontificio se submittentis iudicio, vbi agatur de peccato. Et profert legem iam antiquatam Theodosii, à Carolo confirmatam, Ecclesiastico iudicio multum deferentem; mox vero addit: Cum enim non humanæ Constitutioni, sed diuinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit per districtionem Ecclesiasticam coërcere.] Sed neque Reges ab hac ipsius iurisdictione excludi posse contendit; postea addit, *Ibidem.* Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem

reuocemus

reuocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, præcipue cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis. Postremo cum inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrinq; præstito proprio iuramento firmata, quæ tamen vsq; ad tempus prætaxatum, seruata non fuerint, nunquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere, vt rupta pacis fœdera reformentur? Ne igitur tantam discordiam videamur sub dissimulatione fouere, prædicto legato dedimus in præceptis, vt, nisi Rex ipse, vel solidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel saltem humiliter patiatur, vt idem Abbas & Archiepiscop⁹ Bituricensis de plano cognoscant, vtrum iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima, quam cõtra eum per suas nobis literas duxit exprimendam, iuxta formam sibi datam à nobis procedere non omittat.]

LIII. Sic bonus Papa modum adinuenit argutum, subtilem, metaphysicum, quo sibi Christianos omnes, etiam Reges ipsos, directe subiiciat, seque totius Christiani orbis iudicem faciat vniuersalem, sub prætensa formalitate peccati, quæ in omni penitus causa facile potest excogitari obtendiq;. Atq; hoc ipso modo viam aperuit supremis Principibus, qui in ciuilibus & temporalibus, vt sequente libro ostendam, superiorem in terris non agnoscunt, qua possint se inuicem ad tribunal Papæ trahere, quoties inter ipsos discordiæ exoriuntur, circa ditionem, fœdera, pacem, & similia. Atq; si hæc vera essent, procul dubio hinc merito dicenda esset potestas Ecclesiastica indirecte se ad temporalia omnia extendere: spiritualis enim potestas, qua spiritualis, iudicat omne peccatum, vt est diuinæ gratiæ, & æternæ salutis impeditiuum: quicunque vero detinet, exempli gratia, alienum, is manet in peccato, quamdiu alienum detinet: potest vero iudex Ecclesiasticus, instante actore, huic pœna excommunicationis intentata, imponere, vt restituat alienum, & sic directe à peccato eum conatur liberare, quod est opus spirituale, per media spiritualia, & ad effectum spiritualem: inde vero indirecte, & necessario sequitur effectus etiam temporalis, vt actori satisfiat, & ei res sua restituatur.

LIV. Atque hunc modum quo Ecclesiasticus iudicet omnia, etiam ciuilia, sub formalitate peccati, ab Innocentio excogitatum, laudant & approbant aliqui ex Hieromonarchicis assentatoribus, vt Durandus potissimum *tractatu de Ecclesiastica Iuris.* & Almaynus *de dominio natur. ciu. & Eccles. concl. 2. part. 1. & de Autor. Eccles. cap. 3. & de potest. Eccles. & lai. q. 1. c. 9. & 10.* & sic volunt posse actorem conuenire reum pro suo beneplacito, apud iudicem Ecclesiasticum, pro quacunque causa ciuili, sub illa peccati formalitate directe, vt inde indirecte etiam quod intendit prætendit in ciuilibus & temporalibus obtineat: & iudicem Ecclesiasticum posse, & debere contra illum modis Ecclesiasticis directe procedere. Huic tamen Innocentianæ positioni Nauarrus *in c. Nouit. de iud. notab. 6. num. 15.* opposuit merito insolubiles obiectiones, quarum præcipua est, hinc fororum maximâ fieri confusionem, cum tamen nemo extra suum forum sit trahendus; sic vero omnes causæ fori secularis possent ad forum Ecclesiasticum trahi; vix enim vlla est, quæ non contineat iniustitiam, quæ de se est peccatum mortale. Possent igitur, *inquit, ibid. num. 20.* actores ad decipiendum, & declinandum iudicem suum laicum ordinarium, ita concipere suos libellos petitorios, vt concluderent eos peccare, & in peccando perseuerare.] Hoc argumentum adeo torsit Nauarrum, conantem tamen dicta Innocentij tanquam oracula infallibilia (vt est mos nostrorum, præsertim Canonistarum) tueri, vt *ibid. nu. 21.* fateatur, se hoc argumentum sibi valde difficile, nunquam esse ausum è cathedra proponere. Sed tunc tandem quando hæc scribebat, miraculo ferme quodam ei solutionem quasi Deum aliquem e machina occurrisse, quæ talis est: Verum quidem esse, posse actorem pro quacunque causa sub ratione peccati, reum coram iudice Ecclesiastico conuenire, nisi ipse reus excipiat: reum vero posse excipere, id malitiose fieri, ad declinandum forum, & talem exceptionem teneri iudicem Ecclesiasticum admittere, ne dolo ac fraudibus locus relinquatur, ac sic vitari illam confusionem, & fora non turbari, *ibid. num. 22.*] Sed quæro ego ex te, qui hunc nodum tam probe soluisti, Nauarre, Si iudex nolit admittere talem exceptionem, an possit nihilominus procedere, & an tunc ipsius processus sit validus? Si valide procedit, argumentum viuit, valet, ac vincit: nec vitatur confusio, cum sit in libertate iudicis admittere, & non admittere illam exceptionem. Si vero processus nullus est, ita vt post exceptionem interpositam iudicium ipsius nullius penitus sit roboris, nullius momenti, id erit vel ex defectu iurisdictionis, vel ex lege aliqua positiua, quæ tale iudicium annullet. Si ex defectu iurisdictionis, ostendendum est, quomodo iudex Ecclesiasticus habeat hanc iurisdictionem integram ante exceptionem, post exceptionem vero illam amittat, cum præsertim iurisdictionem ergà peccata habeat iure diuino liberam, & absolutam, absque vlla vllius casus exceptione. Si lege, lex hæc esset producenda, & si qua esset, certe illa esset positiua tantum & Ecclesiastica, neque tolleret iurisdictionem sed ligaret, vsumq; solum in casu iam dictæ exceptionis prohiberet. Atqui leges positiuæ facile possunt & abrogari, & abire in desuetudinem, & præscriptione tolli, & ita non satis esset confusioni consultum, & argumentum adhuc vegetum manet, & insolutum, cogitq; necessario nos Innocentium deserere, ipsiusq; dictum, tanquam iuri diuino contrarium omnino respuere.

LV. Respondendum itaque est Innocentiano cauillo, iudicium circa peccatum duplici ratione ad Ecclesiam pertinere: primum in solo secreto foro, quando peccator sponte & secreto confitetur ad hoc, vt per condignam pœnitentiam, & reconciliationem, animæ suæ prospiciat. Atqui in tali foro iudicium ministri Ecclesiastici potest interdum indirecte aliquid in ciuilia, & temporalia, cum iis, qui voluntarie parere sunt parati; non ex iurisdictione vlla in talia, quia vt probaui *cap. 1.* sola spiritualia directe ad potestatem spectant Ecclesiasticam, sed ex solo consequenti: quia nimirum, verbi causa, pœnitens fatetur se furatum esse aliquid alicui, certe iudex Ecclesiasticus obligabit illum restituere si possit, alioquin neque illum absoluet à peccato iniustitiæ, neque Ecclesiæ reconciliabit, in illius tamen voluntate erit & restituere, & non restituere, si contemnat absolui: sed iudex nihil potest in illum renitentem, neque actor in hoc foro vllum locum habet, in quo reus ipse & accusator est, & reus. Alterum iudicium est in foro publico Ecclesiastico, ad effectum correptionis. Si enim vel publice suum peccatum fateatur, vel ipsius peccatum sit publicum & notorium, quod nulla tergiuersatione celari possit, vel accusetur, & conuincatur peccator, tunc minister Ecclesiasticus sua propria Ecclesiastica potestate & iurisdictione potest illum corripere, etiam publice, & in conuentu, quando synaxes sacræ in Ecclesia peraguntur; & si sit incorrigibilis, & scandalosus, potest tandem illum è cœtu fidelium excludere, & excommunicare, iuxta ea; ***Si Ecclesiam non audierit***

dierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Hinc tamen non sequitur (quod intendit Innocentius, & post illum Durandus, & alij) posse occasione peccati causam ciuilem trahi ad hoc forum Ecclesiasticum externum indirectè. Ac certe non omne peccatum mortale, etiam in obfirmatis, correptione publica est vindicandum. Ac de peccato mortali occulto nullum pene est dubium; cum iam communis sit Theologorum sententia, peccata occulta non venire ad iudicium externum Ecclesiæ: & habemus rescriptum Stephani quinti, ad Vmbertum Moguntinum, *Apud Sixt. Senen. Biblioth. lib. 2. in fine* sub his verbis. Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, siue alia superstitiosa inuentione confessionem extorqueri ab aliquo, sacri non concedunt Canones: spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare; occulta vero & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.] Sed neque omne peccatum, publicum etiam & notorium, huic publicæ subſtat censuræ, ecclesiasticæque districtioni, sed sola illa peccata, quæ externum Ecclesiæ statum turbant, vel ipsam Ecclesiam scandalizant, adeo vt si incorreptum & incorrectum maneat, ruinæ spiritualis causa siue occasio multis futura sit: neque vero peccata quæ non sint talia, excommunicationis gladio, vt inferius *cap. 9. huius libr.* vbi agam de Censuris, patebit, sunt ferienda. Et si quis accuset in Ecclesia aliquem, tanquam scandalosum & turbatorem Ecclesiasticæ pacis, si ille neget, conuincendus est prius per testes, & postea publice corripiendus, & censuris subiiciendus: ne temere quis in publico conuentu pudore suffundatur; & accusator nihil aliud spectat, nisi ablationem scandali, & Ecclesiæ pacem, & bonam existimationem.

LVI. Cum itaque iudici Ecclesiastico occurrit reus corripiendus publice, & censuris vrgendus, ac præsertim per accusationem, diligenter debet ille attendere, quod genus peccati sit de quo quis accusetur, sit ne peccatum Ecclesiasticum, an laicum: hoc est, sit-ne peccatum quod turbat solam Ecclesiam, sed ciuili lege Forensique iudicio non puniatur: An vero tale quod ciuili obsit paci, turbetque Rempubl. In priori peccati genere ipse externa Ecclesiastica iurisdictione potest, & debet externus procedere; in altero nequaquam: nisi in foro pœnitentiali, aut vbi iudex ciuilis nullus adsit, aut partes communi consensu in iudicem Ecclesiasticum compromittant; vbi non agatur de iustitia vindicatiua, & criminali, sed mere ciuili. Distincta enim esse crimina ciuilia, & Ecclesiastica iam superius ostendi, meliusque libro meo vltimo ostendam, vbi agam de fori distinctione; nunc mihi sat fuerit Origenis optimam huc apponere considerationem: Is enim proponit sibi quæsitum soluendum, quare Apostoli *Act. 15. vers. 29.* in primo ipsorum Concilio, statuentes decreta, quæ obseruare deberent Christiani omnes, præsertim ex gentibus conuersi, nihil aliud decreuerint, & statuerint, nisi abstinentiam ab immolatis, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, & nihil aliud oneris eis esse imponendum: cur vero neque prohibuerint homicidium, neque adulterium, neque furtum, neque concubitum nefandum, neque cætera crimina, quæ diuinis & humanis legibus puniuntur. Quod si, *inquit Orig. lib. 9. in epist. ad Roman. cap. 13.* illa sola, quæ supra memoraui, obseruanda dicit esse Christianis, videbitur eis de cæteris dedisse licentiam. Sed vide ordinationem Spiritus sancti: quoniam quidem cætera crimina seculi legibus iudicantur, & superfluum videbatur ea nunc diuina lege prohibere, quæ sufficienter humana lege plectuntur: illa sola; de quibus nihil humana lex dixerat, religioni videbatur conuenire decernere. Ex quo apparet, iudices Mundi partem maximam Dei legis implere. Omnia enim crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antistites, & Principes Ecclesiarum, sed per mundi iudices voluit vindicari: & hoc sciens Paulus, recte eum ministrum Dei nominat, & iudicem in eum qui quod malum est agit.] Atque hæc distinctio fuit omnino necessaria, ne inter regnum & sacerdotium perpetuæ exurgerent dissensiones.

LVII. Si quis igitur sub prætextu peccati trahere conaretur causam ciuilem & secularem ad iudicium Ecclesiasticum, non potest habere apud iudicem Ecclesiasticum apertum aditum, nisi & peccatum proferat proprie Ecclesiasticum, & vel ex se notorium, vel confessione propalatum, aut si probandum fuerit factum duntaxat, non ius sit examinandum, & ad effectum tantummodo pœnitentiæ, non litium iudicandarum: Hoc enim concessum est iuri Ecclesiastico, (*inquit Autor quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst. 101. apud August.*) vt & pœnitentiam det, & post pœnitentiam recipiat.] Iuris itaque Ecclesiastici est cognoscere peccatum, vt corrigatur & remissio à Deo peccatori procuretur; non vt inde ciuilia iudicentur: licet hoc etiam ex accidenti indirecte & consequenter interdum, & admodum raro contingat: nam potest fur fateri furtum, & agnoscere se debere damnum passo rependere, sed si ipse non habeat vnde furta compenset, absoluetur ab Ecclesia, & nihilominus nihil inde actor, qui illum coram iudice Ecclesiastico conueniebat, obtinebit; & sic neque indirecte ex delatione & denunciatione illa Actor quicquam assequetur.

LVIII. Addo, quod si quis ciuilem causam habeat cum aliquo, quæstio potissima erit de iure: Cum vero ius rerum ciuilium à solo iudice ciuili cognoscatur, non ab Ecclesiastico, planum est talem actorem in Ecclesia non fore audiendum: Exempli gratia, si dixerit Petrus, Ioannem per vim ab eo equum abstulisse, & detinere, neque velle restituere, neque precium soluere, & ita manere illum in peccato iniustitiæ, ac propterea esse corripiendum, & censuris cogendum vt se à tali peccato liberet, & consequenter Petro satisfaciat pro equo, tunc iudex Ecclesiasticus primum plane animaduertet hic agi de peccato per se ciuili, & quod non scandalizat, neque turbat Ecclesiam, vt ecclesia est, sed tantum Rempubl. vt Resp. est, ideirco dimittet Actorem: deinde quæret ex Actore, an sit certum & indubitabile ita rem esse vt ipse dicit, non solum quoad factum, sed etiam quoad ius; nimirum Iohannem nullum habere iustam causam cur equum detineat: cumq; agnoscat hæc sine indagine decidi non posse, præsertim si Ioannes coram iudice Ecclesiastico conuentus à Petro, dicat se habere ius in illum equum, quod ius neque vult, neque tenetur iudici Ecclesiastico, quippe incompetenti, explicare: tunc profecto iudex Ecclesiasticus, qui super tali iure cognoscere neque potest, neque debet, à tali iudicio abstinebit, & ad suum forum partes dimittet. Quod vero spectat ad peccatum, Ioannes dicet, se non esse in peccato, quamdiu iudex competens super iure suo quod in equum prætendit legitime non pronunciet; se enim esse paratum stare sententiæ. Constat igitur, rationem hanc peccati nullo modo posse ad iudicem Ecclesiasticum ciuilia trahere. Ita si Innocentio tertio Francorum Rex ab Anglo conuentus pro peccato, dixisset, se nul-

se nullum in se eo nomine peccatum agnoscere, quia multa iura habeat in illo feudo, neq; se esse periurum, quia obligatio fœderis, & compositionis prius factæ ex multis causis iam cessarit: quarum, cum sint ciuiles & mere temporales, Papa non sit cognitor, certe Papa non potuisset se amplius autoritatiue in tales causas ingerere: nam in talibus non constat peccatum: & vt constet adesse peccatum, debent constare omnia iura vtriusq; partis, & causæ omnes, an fœdus & compositio iurata adhuc teneat, nec-ne; & hæc non Ecclesiasticam, sed ciuilem & politicam requirunt indaginem. Metus itaque cauillus est, & stropha sophistica, sub ratione sola peccati velle iurisdictionem indirectam acquirere in omnes causas ciuiles & temporales, & supremos Reges sibi indirecte subdere, qui tamen in terris nullum habent iudicem in temporalibus, nullum superiorem, vt sequenti libro demonstrabo. In controuersiis enim politicis inter supremos Principes, quis eorum alteri iniuriam faciat, & consequenter peccet, Ecclesiæ constare non potest, neq; illa est iudex talium controuersiarum: atque ita nullus Rex potest iudice super tali peccato conueniri, quia nihil de tali peccato constat, neq; potest constare. Valeat itaq; Innocentius cum sua captiosa Decretali.

LIX. Obiicies 2. Si non est vera & propria iurisdictio in Ecclesia, nisi ea quæ à nobis hoc capite explicata est, sequitur igitur Prælatum Ecclesiasticum non habere nisi potestatem directiuam, & nullo modo proprie coactiuam. Sed contra hoc insurgit Augustinus *de fide & oper. cap.* 4. & eos, qui solam directionem dabant Ecclesiæ, ait, Peruersissimam securitatem Præpositis tribuere, vt ad eos non pertineat nisi docere quid cauendum, quidve faciendum sit, quodlibet autem faciat quisq; non curare.] Docetq; tunc esse in Ecclesia malos tolerandos, quando corrigi non possunt. Cum vero, *inquit*; eis per quos Ecclesia regitur adest, salua pace, potestas disciplinæ aduersus improbos, aut nefarios exercendæ, tunc rursus ne socordia segnitiaq; dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad seueritatem coërcitionis pertinent excitandi sumus.] Ponit ergo Augustinus aculeos, & seueritatem coërcitionis in Ecclesiastica potestate. Respondeo totam hanc coërcitionem apud Augustinum, sicut & apud alios Patres passim in publica correptione consistere: vt nimirum Præpositus Ecclesiasticus non putet se muneri suo satisfacere, si tantum doceat quid sit fugiendum, quid faciendum ad æternam animæ salutem; sed etiam, vbi citra scandalum maius, maiusq; periculum prudenter possit, eum debere contra scandalosos, & publice peccantes, Ecclesiamque scandalizantes, & sua vita infamantes, acriori insurgere obiurgatione & correptione, iuxta documentum Pauli, 2. *Tim.* 4. *v.* 2. Argue, obsecra, increpa; & tandem, si nihil proficit, debet purgare Ecclesiam à talibus, vbi commode possit, eosq; gladio excommunicationis ab Ecclesia penitus præscindere. Sane, *inquit idem Augustinus serm.* 24. *de verb. Apost.* Si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, Ecclesiastica regula si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada.] Loquitur cum iudice Ecclesiastico, cuius coercitio tota est vt corripiat, excommunicet, degradet. Degradationem vero intelligit contra Clericum peccantem, & incorrigibilem, vt deponatur à suo gradu, officio, & ministerio.

LX. Et sane cum potestas hæc Ecclesiastica coërcitiua, neq; alia neq; maior sit, quam illa quam Christus vt homo habuit à Patre, ille vero veram coactionem nunquam exercuerit, neque Ecclesiæ tradiderit, nisi hanc corripiendi & ab Ecclesia excludendi ac ligandi animas, eandem profecto solam in Ecclesia reperiemus. Et quamvis virgam ferream habere dicatur Christus *Psal.* 2. *& Apoc.* 12. *v.* 5. eamq; dederit Ecclesiæ, dum ait, *Apoc.* 2. *v.* 27. Qui vicerit & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.] Hanc tamen virgam ferream intelligit Augustinus rigorem iustitiæ Ecclesiasticæ modo explicatæ: Ait enim *homil.* 2. *in Apocal.* In Christo habet Ecclesia hanc potestatem; sicut dicit, Apostolus, *Rom.* 8. *v.* 32. Cum illo omnia nobis donauit, virgam ferream dicit, propter iustitiæ rigorem, & de ipsa virga corriguntur boni, confringuntur mali.] Ego vero per virgam hanc ferream, in manu quidem Christi, cui in Scriptura datur virga ferrea, vel intelligendam puto perpetuitatem durationis Regni ipsius; vel quod futurus esset occasio ruinæ, & præcipitij multis: Lapis offensionis, & petra scandali 1. *Petr.* 2. *v.* 8. in quem qui impegerint sunt collisi, & contriti, *Matth.* 21. *v.* 44 At vero in manibus Ecclesiæ, & ministrorum, virgam ferream libenter intelligerem virtutem Euangelij per ipsos prædicati, qua gentilismus est confractus, idololatria gentium contrita, & superstitiones abolitæ. Obserua obiter, rogo lector, hic absque vllo dubio agi de potestate Ecclesiastica iurisdictionis: & hanc potestatem plenam promitti in Apocalypsi à Christo, Sicut, *inquit*, & ego accepi à Patre meo, non Pontifici Romano, sed ad verbum potius Episcopo Thiatyræ (Angelum enim Thiatyræ cum communi ego Episcopum intelligo) ad sensum vero Augustini, toti Ecclesiæ. Nam iuxta Apostolum, Christus est toti Ecclesiæ donatus, & consequenter, inquit Augustinus, cum Christo omnia, etiam ipsa virga ferrea. Dicant iam igitur nostri Romanenses Christum soli Ecclesiæ Romanæ donatum, & ideo virgam ferream Christi in solius Romani Papæ manu inueniri, non in reliquis Episcopis, nisi quantum ipse illis subdelegabit potestatis. Quid inanius?

LXI. Obiicit 3. Prælatum Ecclesiasticum posse punire Clericum ablatione alimentorum Ecclesiasticorum: sic enim Cyprian. *lib.* 5. *ep.* 3. iubet duos suos hypodiaconos, & vnum Acoluthū priuari diuisione mensurna, donec eorum causa cognoscatur. Hæc igitur erat pœna temporalis, & in temporalibus, cum vera iurisdictione illata. Resp. tunc Ecclesiam ex massa bonorum communium alimenta per menstruas pensiones solitam fuisse subministrare: (dignus est enim operarius cibo suo; & qui altari seruit de altari debet viuere, 1. *Corinth.* 9. *v.* 13.) sed si quis ministrorum se indignum redderet, per subtractionem primum ordinarij alimenti, deinde etiam per totalem exclusionem à ministerio, & consequenter à pensionibus ministris actu seruientibus arbitrio Episcopi assignatis puniebatur. quæ non est proprie iurisdictio. Quando Pater Filium errantem mulctat inedia, aut Dominus famulum, profecto illi veram iurisdictionem non exercent; multo minus Episcopus, cuius potestas in hoc multo minor est, quam patria vel herilis. Idem dico, quando Episcopus dicitur Presbyterum suum damnare, & honore priuare, de quo Bellarm. *de Rom. Pontif. l.* 1. *c.* 9. *ratione* 6. Damnatio enim hæc, & priuatio honoris, est exclusio ab officio; quod est directe ministerium Ecclesiasticum illi auferre, ne amplius sacra ministret. Atque hoc est illum directe re spirituali priuare, ex quo per accidens sequitur quod etiam alimentis Ecclesiasticis priuetur; sicut quando Dominus famulum sibi inutilem, ingratum, vel exosum dimittit, certe etiam alimentis quibus in ea domo fruebatur priuat, sed non propterea vllam in hoc veram exercet iurisdictionem.

LXII. Obiicies quarto: Diœcesim cuiusque Episcopi ad ipsius iurisdictionem dici spectare. Ita Gregorius *lib.* 12. *epist.* 2. 3. 8. Cassiopum Castrum sub iurisdictione Episcopi Corcyrani ponit. Respondeo, iurisdictionem in lato sensu hic accipi, pro ipsa potestate spirituali in spiritualibus illius diœcesi gubernandæ; quamuis etiam aliquo modo, vt explico cap. seq. Dicto 7. vbi adsunt aliqua, quæ sint Ecclesiastici iuris positiui, possit dari vera quædam iurisdictio: & ita, quia diœcesis propria cuique Episcopo est iure duntaxat humano Ecclesiastico, cum aliorum Episcoporum exclusione, assignata, & appropriata, illa merito dicitur sub ipsius esse iurisdictione. hoc est, alium Episcopum, nisi ipse licentiam concesserit, non posse legitime ibi Pontificalia exercere. Idem dico de Parocho, & Presbyteris. Atque propter hæc iura Ecclesiastica positiua possumus commode separare ab Ordine iurisdictionem; vt Episcopus in aliena diœcesi, & Presbyter in aliena Parochia habeant quidem ordinem, ille Episcopalem, hic Presbyteralem, non tamen iurisdictionem. Sed tunc aliud dicam esse iurisdictionem, aliud potestatem: Episcopus enim & Presbyter si sint legitime ordinati, vbique in toto mundo habent potestatem, totam & plenam sui ordinis. Vsus tamen iure positiuo eis ligatur extra propria loca: & ita habent & potestatem & iurisdictionem in propriis Ecclesiis: at in alienis habent potestatem, non tamen iurisdictionem. Quod si sine iurisdictione, & contra Ecclesiasticam prohibitionem ad actum Ordinis exeant, actus tenet, quia habet plenam potestatem, peccabunt tamen, & merito erunt ab Ecclesia puniendi. Iurisdictio ergo in hoc sensu, non dat posse, sed dat tantum licite posse. Profecto si, vt fiebat initio Ecclesiæ, & ego in præcedentibus ostendi, ordinationes fierent absolutæ, cum nulla locorum restrictione, nulla ratione possent nostri Theologi distinguere potestatem iurisdictionis, à potestate Ordinis: imo si quoque omnes ordinationes fierent, vt fieri deberent, occasione duntaxat prouidendi alicui Ecclesiæ de necessario ministro, eodem pacto distinctio hæc non appareret, quia in tali ordinatione statim datur & ordo, & potestas, & iurisdictio; quia tamen multæ fiunt ordinationes absolutæ, olim prohibitæ; & datur ordo, potissimum Presbyteralis, nonnunquam etiam Episcopalis, absque alligatione vlli Ecclesiæ, hinc fit vt in talibus iurisdictio distinguatur ab ordine & potestate; sed hoc non nisi propter ius Ecclesiasticum positiuum.

LXIII. Obiicies 5. Marsilium de Padua damnatum fuisse, eo quod omnem coërcitiuam iurisdictionem ab Ecclesia auferret; verba Almayni sunt *de Autor. Eccles. cap.* 2. *coroll.* 3. Marsilius de Padua deuiauit à fide, omnem coërcitiuam Iurisdictionem ab Ecclesia auferens.] Item, *Idem de potest. Eccles. & Lai. quæst.* 3. *cap.* 2. Marsilius de Padua ponit, quod Papa nullam habet potestatem coërcitiuam, siue coactiuam, ex institutione Christi. Sed ista opinio est damnata: erroneum enim est quod Papa non habeat potestatem coactiuam in vllis rebus.] Respondeo, me damnationem Marsilij non potuisse reperire. Puto tamen eum forte à Iohanne 22. contra quem ille scripserat damnatum fuisse, de more Paparum, libros omnes Paparum oppugnantes, etiamsi à S. Paulo scriberentur, prohibentium ac damnantium, nullo interim in ipsis deprehenso, & confutato errore. Sed tales damnationes, vt ostendam lib. 7. nullius sunt momenti. Almaynus vero, qui asseruit in hac quam tractamus materia iurisdictionis, Marsilium deuiasse à fide. & ipsius opinionem esse damnatam, debuit ipsum Marsilium confutare, doceteque quid & quatenus errauerit, & soluere ipsius argumenta quibus ille suam opinionem confirmauit. Quam indignum Theologo controuersiarum indagatore, tanquam pro Tribunali pronunciare, dictum aliquod alterius Theologi esse hæresim, esse erroneum, esse damnatum, interea vero nihil probare? Itaque si Marsilius protulit & Scripturas, & Patres, & rationes, quas ego hic protuli aut alias similes, potuit conuincere, vt arbitror me conuicisse, verissimum esse id, cuius nomine immerito Marsilius reprehenditur. Non puto tamen Marsilium negasse Ecclesiasticæ potestati iurisdictionem illam impropriam coactiuam, per correctiones, & censuras; quam si negasset proculdubio contra Euangelium errasset. Si vero solam iurisdictionem illam propriam vere, & proprie coactiuam negauit, merito eam negauit, & nos negamus; & errorem in fide, aut saltem erroneum ego puto, contra tot Scripturas, & Ecclesiæ puræ sensum iurisdictionem veram & propriam Papæ, vel Ecclesiæ tribuere.

LXIV. Obiicies 6. Si potestas secularis ferret legem aliquam saluti animæ directe contrariam, posse & debere Prælatum Ecclesiasticum fidelibus omnibus suæ Ecclesiæ prohibere, ne tali legi obediant; quod videtur fieri ex vera iurisdictione Ecclesiæ erga leges Principum temporalium. Respondeo, tunc Prælatum non aliam nisi sua spirituali potestate & iurisdictione vti, solaque vi directiua, intimando & declarando legem illam in se illicitam ac impiam nõ esse seruandam, & consequenter fidelibus ab ea esse cauendum. Et illi tenentur cauere, & ab illa lege seruanda abstinere, non virtute præcepti & inhibitionis sui Prælati, sed virtute legis diuinæ seu naturalis, seu positiuæ, quæ dictet legem illam, siquidem sit Deo contraria, vt docuit Prælatus, non esse seruandam.

LXV. Obiici vlterius possent multa quoque alia potestatem Ecclesiæ iurisdictionalem confirmantia, circa præcepta, mandata & leges, etiam quoad externum Ecclesiæ regimen ferendas, circa iudicia pariter exercenda, circa dispensationes concedendas, &c. Sed quoniam de his seorsim vnus liber integer, qui erit octauus, est mihi adornandus, hæc sunt eo reiicienda.

CAPVT III.

Iurisdictionem aliqualem impropriam, à forensi diuersam, esse in Ecclesia.

SVMMA CAPITIS.

Potestas aliqua Ecclesiæ externos tantum directe aspicit effectus; & ex Scripturis colligitur, num. 1. 2.

Potestas Ordinis & Iurisdictionis male à Scholasticis distinguuntur, num. 3.

Partem similiter solicitudinis male separant à plenitudine potestatis, & dissentiunt in quo sit ponenda hæc plenitudo potestatis, & ad quæ se extendat, num. 4.

Potestas Ordinis & Iurisdictionis aliter explicatur, & tota potestas Ecclesiastica ab Ordine fluere ostenditur, num. 5. 6.

Plenitudo potestatis Ordinis est æque in omnibus, & singulis Episcopis ac Presbyteris, num. 7. 8. 9.

Plenitudo vero potestatis Ecclesiastica vniuersaliter tam Ordinis, quam Iurisdictionis, est in Episcopis duntaxat, num. 10. 11. 12.

Hæc

Hæc plenitudo, quoad extensionem, est in habitu duntaxat, non in actu penes quencunq;, num. 13.
Aliqua iurisdictio vera est in Ecclesia ab Ordine proxime non dependens, num. 14.

IVrisdictionem omnem proprie dictam, hoc est coactiuam, quæ etiam in inuitum efficaciter exercetur, exclusimus ab Ecclesia. Cui tamen haud denegamus potestatem illam, quæ iurisdictioni quodammodo affinis est, adeoq; improprie nominari potest iurisdictio: atq; hæc ipsa iam mihi est declaranda. Agemus vero de potestate Ecclesiæ propria, quam illa habet iure diuino, non aliunde mutuatam, aut delegatam, sed à Christo concessam. Potestas porro omnis propria Ecclesiastica aut operatur in animam, aut duntaxat externos producit effectus. Omnis quidem Ecclesiastica potestas externe exercetur per actiones externas, & visibiles, ac sensibiles; effectus tamen talium actionum aliqui sunt de se interni duntaxat, nulloq; externo sensu perceptibiles; aliqui vero de se externi, & sensibiles. Agam prius de potestate Ecclesiastica ad effectus externos directa: postea de alia, quæ ad interna pertingit. Hanc ego potestatem Ordinis libenter vocarim, illam vero Iurisdictionis; quamvis longe aliter nostri Scholastici istas explicent, ac fere modo contrario.

II. Ecclesiam Christianam esse Rempublicam hominum, vnam & eandem fidem profitentium, ad vnum & eundem finem supernaturalem æternæ beatitudinis tendentium, iam primo libro & supposuimus, & exposuimus: ad quem finem vt perueniant, data sunt eis à Deo necessaria adiumenta, quæ per Ecclesiasticam potestatem ordinarie exhibentur. Quoniam tamen hęc eadem Respublica Christianorum adhuc humana Respublica est, quę & pacata esse debet, & à scandalis remota, & circa externum quoque diuinum cultum bene recta, hinc fit vt Apostoli, præter prædicationem, & sacramentorum vsum; in his quoque suam exercuerint potestatem, & eam sane totam externam; quam potestatem in generali illa commissione Christi *Iohan.* 20. *vers.* 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, acceperunt: in specie quoque vbi dixit eis, *Matth.* 18. 15. *Si* peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum, si te non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis, &c.] Vt sicut turbante spacem publicam Reipublicæ ciuilis, solent à laica potestate in exilium extrudi; ita à Rectoribus Ecclesiæ peccatores incorrigibiles, ne scandalo sint, non modo reliquæ Ecclesiæ, sed etiam infidelibus, qui ex vnius Christiani sceleribus totam infamant Christianam religionem: Sine offensione estote, inquit Paulus, 1. *Cor.* 10. *v.* 32. Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, debeant Ecclesiastico exilio, hoc est extrusione ab Ecclesia puniri, ipsa Ecclesia id declarante; quod genus excommunicationis, etiamsi effectum quoque spiritualem terribilem operetur, internum & inuisibilem, ipsa tamen corporalis extrusio visibilis est & externa; & respectu ipsius intimandæ potestas Ecclesiastica induit quandam iurisdictionis rationem contra se voluntarie submittentem, vt inferius explicabo. Sic Paulus 1. *Corinth.* 4. *v.* 21. virgam se habere dicebat, vt *præcedenti capite, num.* 42. Ambrosius exponebat; Sic incestuosum Corinthium ab Ecclesia excludebat, 1. *Corinth.* 5. *vers.* 5. Sic Iohannes contra seditiosum Diotrephem insurgebat, *Epist.* 3. *v.* 10. minitans, si venerit, se illum commoniturum: Sic idem Ioannes *epist.* 2. *v.* 10. præcipit de non recipiendis in domum, nec salutandis Christianæ doctrinæ hostibus. Huc spectant accusationes, 1. *Tim.* 5. *v.* 19. testiumq; examinationes, ad effectum corripiendi & etiam extrudendi, vt supra explicabam. Ad hanc externam Ecclesiæ gubernationem spectant, quæ dicit Paulus, 1. *Corinth.* 11. *v.* 34. Cætera cum venero disponam; & præscribit modum quo eleemosynarum collectæ fieri debeant, & quo ipsæ eleemosynæ sint distribuendæ, 1. *Corinth.* 16. *v.* 1. vt duplex portio detur Presbyteris qui bene præsunt, 1. *Timoth.* 5. *v.* 17. Præscribit etiam quinam ad Episcopatum sint promouendi, & qui non 1. *Tim.* 3. *v.* 2. quæ viduæ sint seruitio Ecclesiastico applicandæ, quæ excludendæ, *Tit.* 2. *v.* 3. Atque hæc est ipsa facultas in Ecclesia Canonum condendorum, de qua mihi erit seorsim peculiariter *libro* 8. disputandum. Eandem habuerunt Episcopi Apostolorum successores. Ab hac potestate gubernandi Ecclesiam pendet Diœcesium diuisio, & assignatio, finiumque præscriptio; de quibus egi *libro* 3. Sed quoniam circa hæc omnia, & similia, potestas hæc Ecclesiastica ad externa vim coactiuam veram non habet, sed multo propius accedit ad directionem, quam ad coactionem: ideo neque ipsa iurisdictionem proprie dictam ponit in Ecclesia, sed iurisdictionem quandam propriam Ecclesiasticam, quæ est sine coactione, vt in sequentibus explicabo. Et maximam quam habet Ecclesia vt Ecclesia iurisdictionem ponunt Origenes, *in epist. ad Rom. c.* 2. & Augustinus *de correp. & gra. c.* 15. in potestate excommunicandi.

III. Potestatem tamen ordinis & iurisdictionis aliter intelligunt, & explicant nostri Scholastici passim: *Gers. de potest. Eccles. consid.* 2. vt potestas ordinis sit ad corpus Christi verum; potestas iurisdictionis ad corpus Christi mysticum, id est, in ordine ad fideles qui sunt membra & corpus Christi mysticum, cuius ipse Christus caput est. Ita vt potestas ordinis tota consistat in consecratione corporis Christi, in Sacramento Eucharistiæ; potestas vero iurisdictionis sit tota reliqua potestas, quæ sit in Ministro Ecclesiæ in sacramentis populo administrandis. Quatenus igitur Sacerdos consecrat panem ad Eucharistiam, exercet potestatem Ordinis; quatenus vero Eucharistiam ipsam à se consecratam ministrat fidelibus, exercet potestatem iurisdictionis: similiter vbi ministrantur alia sacramenta, puta Confirmationis, Ordinis, Absolutionis, &c. semper volunt exerceri potestatem iurisdictionis. At vero consecrationes Virginum, Abbatum, Ecclesiarum, Altarium, & Ordinationem ministrorum Ecclesiæ volunt fieri per potestatem Ordinis. Rursum potestatem Iurisdictionis vnam faciunt externam, & coactiuam, quæ exerceatur etiam in inuitum: Talem volunt esse potestatem excommunicandi, interdicendi, & similibus censuris vtendi: Et hanc solam merito Gerson facit vere & proprie Iurisdictionem; quæ vera non est si non sit, *inquit*, coërcitiua.] Si ergo in Ecclesia sit aliqua potestas vere coërcitiua, illa proprie erit Iurisdictionalis, de qua infra: Aliam faciunt internam sine coactione, & non inuitum, sed in sponte se subiicientem; & exercetur per prædicationem, per baptismum, & pœnitentialem absolutionem, &c. Potestatem itaque Ordinis ponunt vnam & æqualem in omnibus, *Almayn. de potest. Eccles. & lai. quæst.* 1. *c.* 4. *propo.* 2. hoc est, Episcopalem & simul presbyteralem in Episcopis, etiam incluso Papa; & presbyteralem in presbyteris; Iurisdictionis vero potestatem variant plurimum, tam externam quam internam, eamq; compartiuntur, & subordinant hierarchiæ, primumq; ac summum faciunt Papam, in quo sit hæc Iurisdictionalis potestas, & à quo illa in alios deriuatur; vt *lib.* 2. *cap.* 5. vidimus.

IV. Considerant enim hanc potestatem, vel secundum plenitudinem, vel secundum participatio-

nem; & sane secundum plenitudinem ponunt illam alij in solo Papa, *Gers. dial. de potest. leg. Et solut.* alij in tota Ecclesia prius, & in Concilio generali. Quanta vero sit hæc plenitudo huius Iurisdictionis, certant illi inter se, & adhuc sub iudice lis est. Almaynus *de domin. ciu. & Eccl. Concl. 3. & de Autor. Eccl. c. 6. 7. 8.* sic scribit. Ad quos autem actus se extendat hæc potestas, tanta est apud Doctores controuersia, vt nimis confusa sit materia, ita vt his temporibus (vt dicit Gulielmus Occam) summe necessarium foret, quod per sapientes iuramentis, & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos declararentur quæ spectant ad plenitudinem potestatis, quam Ecclesia noscitur obtinere. Quidam enim eam ita ampliant, forsitan adulationis causa, vt beneficia, & priuilegia obtineant, vt omnis absorpta videatur Principum potestas. Cæteri vero ex aduersa parte, forsan vt Principibus adulentur, eam tantum arctant, vt Principum sæcularium voluntati subiiciant; vt Marsilius de Padua, dicens, neminem posse excommunicari ab Ecclesiastico iudice, nisi ex Principis consensu; vt videre est in suo libro, qui *Defensorium pacis* intitulatur. Aliqui eam extendunt vsque ad dissolutionem matrimonij rati & non consummati, vt gloss. *in cap. quod votum. de voto, & voti redemptione, lib. 6.* Similiter gloss. *in cap. ex publico. de conuersione coniugatorum:* vbi ponit hanc propositionem, meo iudicio, periculosissimam, & condemnandam, quod summus Pontifex posset statuere, quod per secundum matrimonium rumperetur primum. Eiusdem sententiæ est Panormitan. *in eodem cap.* Similiter Magister Thomas de Vio Caietanus, in opusculis nuper impressis: sed hoc est contra verbum Christi. Aliqui eam extendunt ad dispensandum contra ius naturale, vt Gloss. *in cap. Autoritatem 15. q. 6.* Alij contra prohibitionem Dei dicunt posse dispensari, & quod falsum sit istud manifeste patet. Aliqui vero hanc potestatem extendunt ad auferendos minores Prælatos, sine causa rationabili, vt Petrus de Palude, quæ profecto sententia est igne digna. Aliqui vero ad infideles eam extendunt. Aliqui ad peccata secretissima. Non videtur mihi insuper hæc potestas ad eos qui sunt in purgatorio extendenda. Alij vero hanc potestatem nimis restringere videntur, &c.] Hæc pluribus persequitur ibi Almaynus. Et iterum in tractatu *de Autoritate Ecclesiæ, cap. 3.*

Ego itaque, vt commodius in materia Ecclesiasticæ potestatis procedam, ad Ordinis potestatem reduco actus omnes Ecclesiasticos, externos quidem, sed ita, vt internum duntaxat illi per se, & directe, & principaliter ab Ecclesia intentum moliantur effectum. Iurisdictionis vero potestatem in illis actibus Ecclesiasticis externis agnosco & pono, in quibus Ecclesia externum, etiam principaliter ac directe, intendat effectum; & de his, Dico primo, vtramque potestatem, siue Ordinis, siue Iurisdictionis, directe & immediate pendere ac fluere ab ipso Ordine, sicut pendet & fluit lux à sole, calor ab igne, &c. & dato Ordine, dari simul cum Ordine sacro omnem sacram & Ecclesiasticam potestatem, quæ sit Ecclesiæ propria; siue illam voces Ordinis, siue Iurisdictionis: neque enim separari potestatem Iurisdictionis, quamcunque velis intelligere, modo sit proprie Ecclesiastica, hoc est spiritualis, siue ad spiritualia per se, & essentialiter directa. Hæc dixerim, quia potestas vera & propria essentialis Ecclesiastica est ipsa tota spiritualis, vt *cap. 1.* probaui, & spiritualem solum ac internum effectum operatur: quam ego proprie voco potestatem Ordinis, seu ministerialem. Huic vero accessoria est potestas circa externa Ecclesiæ, vt circa ritus diuini cultus; circa errantium correptiones & exclusiones; circa temporalium rectam administrationem; circa ministrorum electiones & deputationes, ac similia, quæ per se & directe pacem Ecclesiæ, decorum, purgationem, debitumque in ea ordinem respiciunt, omnia tamen ad finem spiritualem, vt Deus rite colatur, vt fideles in pace Deo seruiant, nec à quoquam turbentur, vt habeant pabula spiritualia, & Ecclesia ipsa sit vere Castrorum acies ordinata, *Cant. 6. vers. 3.* Esse vero totam Ecclesiasticam quamcunque potestatem plene & perfecte cum Ordine coniunctam, patet ex eo, quod Apostoli, quando Apostolicam acceperunt à Christo potestatem, tunc totam & plenam, præsertim ordinariam, quæ est Episcopalis, acceperunt potestatem, tam Ordinis, quam Iurisdictionis. Si enim Ordinis potestatem velis esse, vt loquuntur, in Corpus Christi verum, illam acceperunt in Vltima cœna, ante passionem; tunc tamen non sunt facti, neque Apostoli, neque Episcopi sed simplices Sacerdotes, vt est communis nostrorum Theologorum opinio: Iurisdictionis vero potestatem vniuersalem illam, quam nostri sic vocant, nimirum prædicandi, baptizandi, absoluendi, & Sacramenta illis ministrandi (quam tamen ego potius Ordinis potestatem appello, quia directe, & proxime ac principaliter ad eam missi sunt Apostoli, & spiritualem fidei, spei, ac charitatis effectum de se & proxime spectat) acceperunt post Christi resurrectionem, illis verbis, *Sicut misit me Pater; Euntes docete; Quorum remiseritis, &c.* & per hæc facti sunt vere & perfecte Apostoli, simul & Episcopi. Itaque Principalior potestas & multo magis intenta à Christo fuit potestas hæc Apostolica & Episcopalis, quam Sacerdotalis illa; quæ est ad solas consecrationes. Dum enim facit illos suos ministros, non ait, Euntes missas celebrate, chrismate confirmare, virgines benedicite, Altaria & Ecclesias consecrate, (in quibus nostri potestatem Ordinis collocant) sed euntes docete omnes gentes: & Quorum remiseritis peccata remittentur, &c.

VI. Missio itaque Apostolis dedit plenam hanc iurisdictionis tantummodo quam nostri intelligunt potestatem: nullam Ordinis, nisi solum ordinandi: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos, *Iohan. 20. vers. 21.* Imo missio, formaliter & essentialiter est traditio huius potestatis, secundum me, Ordinis, secundum Scholasticos, Iurisdictionis, vt probaui *lib. 2. cap. 4.* & consequenter, quando ordinatur Episcopus, ex vi ipsa ordinationis (quæ formaliter est missio, vt *lib. 2. cap. 1. nu. 4. 7. & libr. 3. cap. 3. num. 52.* ostendi) accipit hanc potestatem. Ordinare enim est mittere; mittere vero formaliter est tradere hanc potestatem. Cui tamen cum fuerit in Apostolis consecutiue à Christo annexa potestas regiminis, & gubernationis externæ, talis qualis Ecclesiam decebat, quam ego potestatem vocaui Iurisdictionis, illis verbis à Christo traditam, *Sicut misit me Pater, &c.* idcirco Episcopi quoque Apostolis in tota potestate ordinaria, & Ecclesiæ necessaria succedentes, eandem ex vi ipsorum ordinationis accipiunt potestatem: & vnde illam habuerunt Apostoli, inde eandem habent etiam Episcopi, hoc est immediate à Christo, qui in ordinationibus assistit, & operatur traditione potestatis supernaturalis, vt *libro 2.* loco citato declaraui. Et sane Caietanus *de Rom. Pont. instit. c. 5. ad 2.* ac Bellarminus *Apolog. cont. Regem c. 15. Mendac. 2.* merito fatentur, dimittendi peccata esse potestatem Ordinis: id est, Apostolos illam vt potestatem Ordinis accepisse, quando dictum est eis, *Quorum remiseritis, &c.* Et in hoc ponunt discrimen inter verba Christi, *Quæcunque alligaueritis, &c.* Et hæc, *Quorum remiseritis:* quod per illa datæ sint claues Iurisdictionis, per hæc vero claues Ordinis, pro Sacramento pœnitentiæ. Potestas

ergo

ergo absoluendi à peccatis tota datur in ipsa ordinatione, & pendet tota ab ordine, ab eoque fluit. Atqui absoluere est actus iurisdictionis; secundum communem; Ergo non datur seorsim ab ordine.

VII. Dico 2. Plenitudinem potestatis Ordinis, prout à me potestas Ordinis est explicata, esse totam & æque in omnibus, tam Episcopis, quam Presbyteris legitime ordinatis; essèque meram vanitatem, distinguere in tali potestate ordinis, plenitudinem potestatis, à parte solicitudinis. Talis enim potestas necessario fluit ex ordinatione Episcopi, & Presbyteri, quatenus Episcopus æque ac Presbyter succedunt Apostolis, in essentiali & ordinaria ministeriali potestate, vt est à me in præcedentibus explicatum. De potestate Ordinis, quam nostri Theologi explicant erga Christi Corpus verum, fatentur omnes communiter, eandem secundum totam plenitudinem esse in vnoquoque & Presbytero & Episcopo, & tantam in infimo Sacerdote, quanta est in ipso Papa. Vt tamen Papam in Papatu stabiliant, eam penitus inanem commenti sunt Monarchici distinctionem, vt alia sit potestas Ordinis, alia Iurisdictionis: & hanc ab illa separarunt: ita vt Ordo secum ferat necessario potestatem missas celebrandi, & non aliud; totamque iurisdictionis potestatem secundum plenitudinem ponunt in solo Papa, à quo ad Episcopos, & Presbyteros deriuetur, secundum partem tantam, quantam scilicet Papa concesserit. Ecce tibi Lector rursum nostri immanis & portentosi Papatus fundamentum præcipuum, imo quasi totale; idque non in solo solido, sed in leui nubecula, tenuissimoque vapore collocatum. Negare non possunt, qui vel parum salis in pectore habent, potestatem totam Iurisdictionis, potissimum illius quam ipsi Iurisdictionem esse volunt, æque fuisse cum tota plenitudine in omnibus, & singulis Apostolis, vt vidimus *libro primo*. Ex quo profecto necessario sequi vident, in Apostolorum quoque successoribus eandem penitus residere: quid illi? Ad suum, *Pasce oues*, se recipiunt. Hic inquiunt Petrus fit Vicarius generalis, Pastorque primarius, & ordinarius, cui soli datur his verbis potestatis plenitudo, quæ in alijs erat quidem tota, sed à Petro dependenter, & vt delegata, non ordinaria, & quibus successio in ea plenitudine non daretur, nisi in parte solicitudinis Petri, quam dicunt esse Episcopalem, vt sic vitaretur confusio. Ita Alliacensis Cardinalis dictus Cameracensis, *de Eccl. autor. par. 1. c. 1. concl. 2. & par. 3. c. 1. dicto 1. & 2.* quem Turrecremata *de Eccl. l. 2. c. 11. ad 2. & ad. 3.* Caietanus, *tract. de autor. Papæ & Concil. c. 3.* & omnes Monarchici posteriores sunt secuti: Hoc tamē inanissimum fundamentum est à me iam funditus extirpatum, tum toto *libro 1.* tum *libro 2. cap. 1. & 5.* vbi *dicto cap. 5.* ex professo hac de re disputo cum Bellarmino.

VIII. Placet tamen hic vnicum hoc solum & celeberrimum nostris Hierommonarchicis fundamentum totius Papatus summatim proponere, & ipsius vanitatem vnico intuitu manifestam comprehendere. Petrus, inquiunt, fuit generalis & ordinarius Pastor à Christo institutus, cui æquales fuerint cæteri quoque Apostoli, sed extraordinarij pastores & delegati: si quæras vnde id habeant, vndeque hanc colligant differentiam? Respondent, quia Petro soli, seorsim ab alijs; ipsis tamen præsentibus & audientibus, datæ sunt claues, & pastura generalis. Non enim negant, neque negare possunt, cum eadem penitus potestatis plenitudine habuisse omnes Apostolos, & claues, & curam pastoralem: sed quia seorsim cum solo Petro Christus agit, eique seorsim & soli claues promittit, & soli dicit, *Pasce oues meas* aiunt eum solum, generalem & ordinariū pastorem à Christo fuisse institutum. Sed Patres omnes, quicunque hoc mysterium examinarunt, alios in eo sensus agnouerunt, & nullus penitus hinc Petrū ordinarium fecit pastorem, vt probaui, *lib. 1. cap. 7. & cap. 8.* Cum ergo, secundum communem Ecclesiæ interpretationem, Euangelium nobis aliud significet & proponat, qua fronte inde Primatum Petri, ordinariumque Vicariatum, & consequenter, Papatum, nouo penitus & inaudito in Ecclesia sensu colligent, & firma etiam fide credendum proponent? vere enim nullum aliud fundamentum habent huius Papatus, hoc est ordinariæ Petri prælaturæ, nisi hoc quod proposuimus: Et eo supposito, iam eidem superstruunt & superædificant quicquid de Papatu gloriosum affirmant. Si hoc verum esset fundamentum, optime inter prima sequeretur, quod in plenitudine potestatis, quæ erat in solo Petro, si is solus fuit Pastor ordinarius, non nisi Petro soli daretur in Ecclesia successio: alijs vero Apostolis non succederetur in plenitudine potestatis, quia in ipsis illa erat extraordinaria & delegata, sed in sola potestate Episcopali, quæ non sit cum plenitudine. Cum autem fundamentum hoc totum sit ruinosum, & reuera Apostoli omnes fuerint æque ac Petrus primarii & ordinarii pastores Ecclesiæ; omnesq; Episcopi, ex æquo & in solidum omnibus Apostolis cum plena ordinaria Apostolica, hoc est Episcopali potestate, vt est à me in libris præcedentibus abunde explicatum, plenissime successerint; plenitudinem potestatis soli Papæ assignare vanissimum est; quam plenitudinem potestatis, & clauium iurisdictionem æque in vnoquoque Episcopo expresse admittit Cardinalis Cusanus, *de Concord. Cath. l. 2. c. 13.*

IX. Quid ad hæc illi? Sequeretur confusio, *inquit*, Aliac. Cameracensis, vbi supra. Neque posset Monarchicus Ecclesiæ status ac Regius defendi, *inquiunt Parisienses. Gers. dialog. de ligan. & soluendi potest. tom. 2. & de potest. Eccl. in Apolog. Concil. 2.* Ego vero confusionem in Ecclesia, postquam Papatus in eam irrepsit, obseruo maximam: tunc vero quando Ecclesia vna erat, vt loquitur Cyprianus, *l. 4. ep. 2. & 3.* in multa membra diuisa, ac Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus: quando ipsa Ecclesia vna erat, connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata; quando Pastores multi erant, *Idem l. 3. ep. 13.* vnum tamen gregem pascebant, qui erat vnus Episcopatus, cuius à singulis in solidum pars tenebatur *Idem de simp. prælat.* tunc plurimi Episcopi omnes inter se æquales in potestate in solidum Ecclesiam tegebant, vere florentem, vere speciosam, citra omnē confusionem, nisi quando Romani Episcopi volebant sibi supra cæteros fratres & collegas superioritatem arrogare. Monarchicus vero & Regius status, vt fuse *toto libro primo* probaui, est ab Ecclesia alienissimus; & quoniam potestas omnis, etiam iurisdictionis illius, quam Monarchici verbotenus ab ordine separarunt, reuera tamen ab ordine non potest separari, sed est eadem in omnibus & plenissima, & in solidum; ideo Monarchię Ecclesiastico est prorsus valedicendū, idq; eo facilius, quod contrariam assertionem; nempe quæ Episcopos iure diuino facit in iurisdictionis potestate inæquales, fateatur Almaynus *de potest. Eccl. & lai. q. 1. c. 4. propos. 4.* non posse ex sacris literis deduci.

X. Dico 3. plenitudinem veram potestatis (prout includit & potestatem Ordinis, & potestatem Iurisdictionis, à me positas & explicatas) esse in solis & omnibus Episcopis, quia illi soli & omnes succedunt Apostolis in solidum, in tota Apostolica ordinaria potestatē, vt ostendi huius Operis *lib. 2. c. 5. nu. 40.* Et quia Presbyteri non habent potestatem Iurisdictionis, ideo illi possunt dici quodammodo habere cum Episcopis par-

tem solicitudinis, non plenitudinem potestatis. Ita tamen vt ipsi quoque propriam habeant Presbyteralem potestatem à Deo, non ab homine, vi sui Ordinis, vt suprà, *lib. 2. cap. 9. num. 8. & 9.* exposui. Si regimen gubernatiuum externum, & ministrorum ordinationes excipias, possunt vi sui Ordinis Presbyteri quicquid possunt & Episcopi, etiam circa rerum & personarum benedictiones, & consecrationes, & hoc sane iure diuino & vt dixi vi sui Ordinis. Lege tamen Ecclesiastica Episcopis sunt aliqua reseruata, vt *lib. 2. c. 3.* docui & Presbyteris prohibita, vt prorsus mirum sit, quomodo sint ausi Papæ sibi Ecclesiarum dedicationes assumere: quod Gelasium sibi primum assumpsisse lego, *De consecr. dist. c.* 4. 5. 6. 7. simul & miror.

XI. Dico quarto, potestatem illam, quam scholastici nostri vocant Iurisdictionis, secundum suam plenitudinem, ita esse in omnibus & singulis Episcopis, etiam illam quam ego facio esse potestatem Iurisdictionis, vt nullo modo illa vnquam sit, aut reperiatur in tota Ecclesiæ communitate. Non enim Communitas instituit, aut instituere potuit hanc potestatem, quę de se tota est supernaturalis; vnde & merito negatur toti Ecclesiæ posse Sacramenta instituere; estq; tota hæc potestas extra ordinem naturæ. *Almayn. de domin. natur. ciuili & Eccl. concl. 2. par. 1. in fine. & de Autor. Eccl. c. 2.* Potest quidem Cōmunitas tota, inclusis etiam laicis, habere sæpe aliquid sui circa electiones, & approbationes personarum: ordinare tamen ministros non potest, nec eis vllam tribuere autoritatem. Multo minus potest ipsa Communitas tota esse capax talis in se potestatis recipiendæ. Potestas enim datur ad actus, actus vero sunt suppositorum singularium. Quid autem possint Concilia seu Synodi, explicabo *lib. 7.* quid vero faciant Metropolitani, Primates, & Patriarchæ, & quo iure illi multas exerceant iurisdictiones, quas Episcopi ordinarij non possunt iam plene *lib.* 3. declaraui, vt plura dicam *postremo cap.* huius libri.

XII. Dico quinto. Potestatem Ecclesiasticam secundum suam plenitudinem, quatenus est potestas Ordinis à me explicata, vltra spiritualia non extendi, & non nisi ad actus, quos ego in sequentibus capitibus huius libri, & *toto lib. 7.* explicabo. quatenus etiam est potestas iurisdictionis meo modo, habet suos limites, quos ego in reliquis sequentibus libris omnibus percurram.

XIII. Dico sexto. Plenitudinem hanc potestatis omnis Ecclesiasticæ, ita esse in vnoquoq; Episcopo, & æq;, vt tamen id intelligatur in habitu, seu in actu primo; in actu vero, seu in actu secundo, potestatem hanc plenam ab Episcopo quocunq; non exerceri, nisi vbi actu operatur, vt dixi de Apostolis *lib. 1. c. 8. n. 5.* Et quantū in ipsa potestate est, posse quemlibet Episcopum illam in quacunque mundi terreni parte exercere, sicut & poterat quilibet Apostolus: lege tamen Ecclesiastica cautum esse, vt quisque suæ particulari Ecclesiæ ligetur, & in alienam messem falcem non immittat, vt docui *lib. 2. c. 7.* Nam & propterea eadem lege Ecclesiastica, imo etiam laica, diuisæ sunt diœceses, & ab inuicem separatæ, certisque terminis circumclusæ: ita & prouinciæ, vt pluribus ostendi *lib. 2. c. 7. & lib. 3. cap. 2.* & ostendam *lib. 6. cap. 5. n. 136. 137. & cap. 6. n.* 47. Quicquid ergo facit Episcopus vi talis potestatis, factum valet, sed perperam agit, confundendo & perturbando Ecclesiam; & vltioni Ecclesiasticæ subiacebit, & facta per potestatem Iurisdictionis, meo modo explicatæ, irrita buntur: facta vero per potestatem Ordinis omnino effectum habebunt, vt puta si baptizet, sacramq; ministret communionem, absoluat à peccatis &c. Si vero ordinet ministros, adsunt Canones sacri qui talem ordinationem nullam, & irritam esse decernunt, *Dist. 71. per totam & 9. q. 2. c. 5. 6. 7.* hoc est, sic ordinantem nihil conferre, & ordinatum nihil recipere, iuxta ea quę protuli *lib. 2. cap. 4.* Recentiores tamen, postquam inualuit, ordinem esse Sacramentum, statuunt factum tenere, sed sic ordinatum statim esse suspensum à sui Ordinis executione, donec Episcopus illorum proprius voluerit. *De temp. ord. & qual. ord. c. 1. in 6.* Idem dico de Presbyteris, eos habere plenissimam potestatem presbyteralem in habitu & actu primo vbiq; & factum tenere; sed male agere, & seuere puniendos, quia extra propriam parochiam & Ecclesiam iure Ecclesiastico non potest presbyteralem exercere potestatem. Et de hoc egi supra *lib. 2. cap. 9.* agamq; inferius *cap. vltimo*, quæ omnia necessario sequūtur ex eo quod hic docui, potestatem ipsam totam & Ordinis & Iurisdictionis scholastico modo sumptæ, in ordinatione dari, imo formaliter ordinationem esse ipsammet concessionem huius potestatis, ineptеq; potestatem Iurisdictionis sic sumptæ, vt à scholasticis sumitur, à potestate Ordinis separari; potestas enim Iurisdictionis est magis propria ordinationis, & missionis, quam illa quam faciunt solum Ordinis potestatem, vt iam docui.

XIV. Dico 7. Circa ea quæ solo sunt humano iure Ecclesiastico in Ecclesia constituta, dari in ipsa Ecclesia veram Iurisdictionem, ab ipso sacro Ordine nequaquam necessario dependentem, si qua sit omnino ab Ordine separata. Scimus enim ex præcedentibus, recti & decentis ordinis causa esse in Ecclesia multa instituta; circa vsum veræ & propriæ Ecclesiasticæ potestatis; vt ibi causa; Episcopum non debere in aliena diœcesi Pontificialia propria autoritate exercere: Non debere Presbyterum extra propriam parochiam, vel Ecclesiam, in aliena missas celebrare, verbum Dei prædicare, Sacramenta ministrare, &c. Iam vero posse Episcopo alieno licentiam concedere, vt iam liceat ei in aliena Diœcesi ordinare, confirmare, consecrare, benedicere, &c. sic concedere Presbytero, vt possit concionari, baptizare, reconciliare, profecto spectat ad veram, & propriam Iurisdictionem; non dico coactiuam, quia in his coactio locum non habet: & concedere alicui vt licite possit, quod sine concessione licite non posset, profecto est actus veræ & propriæ Iurisdictionis. Atque hæc iurisdictio ab Ordine sacro proxime nihil pendet, actus enim huius Iurisdictionis, qui sunt concessiones licentiæ, non sunt actus sacri, neque spirituales, neque attingunt directe quicquam supernaturale: sed sunt mere temporales, & circa rem externam & temporalem, quæ est mera applicatio ministri Ecclesiastici ad exequendum munus Ecclesiasticum, & hæc applicatio est tota externa, solamque aspicit legem humanam positiuam, quæ est temporalis. Sic igitur Episcopus tantummodo electus & confirmatus, antequam consecretur & proprie ordinetur, potest tali vti Iurisdictione, & tales concedere licentias *De elect. c. Suffraganeu.* Et in his solis verum est quod quædam glossa ait *ibid.* videlicet, Nota quod per confirmationem conceduntur ea quæ sunt Iurisdictionis.] Quam regulam sequuntur passim Canonistæ, & fere Theologi in vniuersali, quoad omnem Iurisdictionem; & præsertim quoad potestatem excommunicandi: quod tamen falsum esse perpetuo (vna hac excepta Iurisdictione has licentias concedendi, & circa solos actus modo expositos, iuris duntaxat positiui) est à me in parte probatum *lib 4. cap.* 11. vbi ostendi, ex sola consecratione, siue legitima ordinatione Papam acquirere totam Ecclesiasticam præsertim potestatem, & de excommunicatione probabo in sequentibus, ac de alijs actibus Ecclesiasticæ Iurisdictionis. Ac de his hæc pauca satis.

CAP

CAPVT IV.

Potestatem ad internos effectus Gratiæ spirituales in Ecclesia, per actus aliquos externos ordinariè, ministerialiter duntaxat exerceri.

SVMMA CAPITIS.

Prima potestas Ecclesiæ ad effectus gratiæ, est per prædicationem verbi legitimam, quæ prædicatio legitimis Ecclesiæ ministris inter diuinas gratias præuenientes ad hominis conuersionem ponitur. num. 1. 2. 3.

Altera potestas ad eosdem effectus, est per Sacramentorum administrationem. & ideo de Sacramentis in genere hoc capite tractatur. circa quæ prima difficultas explicatur, de natura, & essentia Sacramenti in genere; elaboratur definitio, à nu. 4. ad num. 8. Materia & forma explicatur. n. 9. 10. Verbà non esse formam ostenditur, & fusius locus Augustini de verbo, & elemento tractatur nu. 11. 12. 13. 14. 15.

Secunda difficultas de numero Sacramentorum nouæ legis à nu. 16. ad num. 24.

Tertia difficultas de efficacia Sacramentorum. à num. 25. ad finem.

I. Mirabilis diuinæ gratiæ potestas in conuersione infidelium ad fidem, in iustificatione impij, & regeneratione, & in renouatione naturæ nostræ corruptæ, ac in ipsius hominis sanctificatione, (de quibus, si erit opportunitas, agam fortasse in sequentibus) ita est à Deo commissa Ecclesiæ, vt ipsius ministri ordinariè illam, ministerialiter tamen, actibus etiam externis exerceant. Acprimum gratiæ aliquot præuenientes, qualis est vocatio, excitatio, illuminatio per verbum Dei, vel voce viua, vel etiam scripto prædicatum, in actum reducuntur: non quod Deus extraordinariè, solis motibus internis secretis, quando ipse loquitur cum anima, externis etiam, pulchritudine vniuersi, patentibus diuinæ prouidentiæ signis, flagellis publicis, & priuatis sæpe non vocet, & moueat aliquos: sed ordinaria & maxime celebris efficaxque via vocationis, excitationis, illuminationis, siuè infidelium ad fidem, siue iniquorum ad iustitiam, est verbum diuinæ prædicationis per legitimos Ecclesiæ ministros legitime ministratum, & merito inter ipsas gratias præuenientes ipsa quoque ministerialis verbi prædicatio numeratur. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audiant sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autē per verbum Christi. *Rom.* 10. *vers.* 14.] Hinc illa visio Pauli, *Actor.* 16. 9. Vir Macedo erat quidem stans, & deprecans eum, dicens, Transiens in Macedoniam adiuua nos.] Hoc ipsum igitur ministerium est quoddam auxilium, sed diuinum, quia missiones veræ sunt à Deo, vt probaui *libro* 2. *capite* 4. *num* 7. & Paulus 2. *Corinth.* 6. *vers.* 1. dicebat, Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, & 1. *Corinth.* 3. *vers.* 9. Dei adiutores sumus. *Psalm.* 67. *v.* 12. Dominus enim dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, & dabit voci suę vocem virtutis, & prædicatoribus à Deo suscitatis, vt per eos fiant conuersiones, pulcherrime applicat Augustinus *Psalm.* 135. *v.* 7. illud Psalmi, *Suscitans nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit*; id est, minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigauit. *Aug. in Psalm.* 134.] Et Christus ait, *Matth.* 9. 36. Rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ac quemadmodum effectus iræ interdum, & indignationis Dei est, sicubi inopiam velit esse prædicatorũ, Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim, sed audiendi verbum Domini. *Amos* 8. *v.* 11.] Et ad Ezechielem dicit Dominus: *Ezech.* 3. 36. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.] &, *Isa.* 5. 6. Nubibus mandat ne pluant imbrem super vineam domus Israel: Ita ipsamet diuina gratia est, vt verbum Dei per Dei ministros annuncietur. Ministri autē legitimi non sunt, nec legitime prædicant, nisi in ipsa Ecclesia, in qua sola est potestas missiua, instituantur, & ab ea mittantur. Atque hæc est ipsa potestas ordinandi de qua fuse egi *lib.* 2. *cap.* 4.

II. Ne tamen putemus nostrum esse opus, si nobis vel scribentibus, vel prædicantibus, vel adhortantibus, fiat hominum ad Deum vera conuersio, sciamus nos esse mera Dei instrumenta, & nostrũ Euangelizare esse Euangelizare duntaxat ministeriale, non potestatiuũ, vt cum Augustino explicabam *lib.* 1. *huius operis cap.* 2. *nu.* 15. 16. 17. Nō enim qui plantat aut qui rigat est aliquid, sed qui incrementũ dat Deus. 1. *Cor.* 3. 7. Et sępe in pœnā indignorum audientium bonus Doctor inepte docet, & concionatur, Deo ita disponente; & ineptus Doctor gratiam dignorum auditorum aptissime, & cum fructu ingenti loquitur, vt obseruat Gregorius. *lib.* 20. *Moral. c.* 18. Iustitia tua sicut montes Dei, *inquit Augustinus, in Psal.* 35. Qui sunt montes Dei? Qui dicti sunt nubes, ipsi sunt & montes Dei, magni prædicatores montes Dei. Et quomodo quando oritur sol, prius luce montes illustrat, & inde lux ad humillima terrarum descendit: sic quando venit Dominus noster Iesus Christus, prius radiauit in altitudinem Apostolorum, prius illustrauit montes, & sic descendit lux eius ad conuallem terrarum: & ideo quodam loco dicit in Psalmo 120. *v.* 1. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Sed noli putare quia ipsi montes tibi dabunt auxilium. Accipiunt enim quod dent, non de suo dant. Et si remanseris in montibus non erit firma spes tua, sed in illo qui illuminat montes spes tua & præsumptio tua debet esse. Auxilium autem veniet tibi de montibus, quia Scripturæ per montes tibi ministratæ sunt, per magnos prædicatores veritatis. Sed noli in illis figere spem tuam. Audi quid dicat consequenter, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Quid ergo? Montes tibi dabunt auxilium? Non, Audi sequentia. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram. De montibus veniet auxilium, sed non à montibus. Et à quo? A Domino qui fecit cœlum & terram.] Hæc Augustinus.

III. Prima Itaq; potestas Ecclesiæ ad effectus internos gratiæ, est potestas ministerialis Euangelij prædicandi, quę ipsa prædicatio merito reponitur inter diuinas gratias præuenientes, vt est explicatum. Altera potestas similiter ministerialis, tribuitur Ecclesiæ circa sacramentorum administrationem: Sacramenta enim dicuntur esse veluti quædam instrumēta, quibus Deus per manus Ecclesiæ vtitur ad peccatorum remissionē, ad impij iustificationem, ad donorum spiritualium infusionem &c. Et quoniam circa hæc non desunt errores, necesse est aliquandiu hoc reliquo capite laborare, vt tutam & veram sacramentorum notitiam habeamus. Agam itaque de Sacramentis in genere, & tres duntaxat præcipuas summariè tractabo difficultates: Prima erit quid sit sacramentum, vt tota Sacramenti natura, & quidditas innotescat: Secunda quis sit sacramentorum numerus. Tertia quis sit ipsorum effectus.

IV. Prima difficultas. Quid sit vere & propriè Sacramentũ in Ecclesia: Benignus noster & misericors Deus, cum

cum nos & sensu, & intellectu prǽditos & creauerit & agnoscat, fragilitati nostræ compatiens res gratiæ, quæ sunt de se spirituales duntaxat, & non nisi intelligibiles, voluit non modo intellectui proponere, sed aliqua ratione sensibus quoque subiicere, vt sensus quoque noster circa spiritualia suo modo pasceretur, ita tamen vt ad animum eadem deferat per spiritualem applicationem. Vnde recte Chrysostomus: *in Matt. hom.* 83. *& Ad pop. Antioch. hom.* 60. Si incorporeus esses, *inquit*, nuda & incorporea tibi dedisset dona, sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.] Multas itaq; externas actiones sensibiles nobis vel mandauit, vel commendauit, quibus ipse effectus nonnullos suæ gratiæ se daturum promisit. Vt lotioni illi sacræ & religiosæ, quam Græca voce affecta & appropriata Baptismum vocamus, salutem animæ certam promisit: *Marc. vlt.* 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Congregationi duorum vel trium fidelium in nomine ipsius factæ promisit se Christus in eorum medio affuturum: *Matt.* 18. 20. Orantibus, & dicentibus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *Matth.* 6. 14. promisit certam peccatorum remissionem: nam si noluisset dimittere, non docuisset nos id petere. Idque confirmauit statim dicens, Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Porrectioni calicis aquæ frigidæ, in nomine discipuli, mercedem certam promisit; hoc est, facienti eleemosynam. *Matth.* 10. 42. Talia innumera in Euangelio inueniuntur, quæ sint aliquid sensibile, & quibus gratiæ effectus in perpetuum pollicetur Christus, quoties illa fiant, & hæc omnia in latissima significatione si quis velit posset vocare Sacramenta, sunt enim sacræ actiones sensibiles, quibus semper ex Christi promissione gratiæ effectus donantur, quæ est particula aliqua veri Sacramenti.

V. Proprium tamen & verum Sacramentum in sua propria & angusta significatione, est quidem semper necessario, iuxta communem omnium Theologorum, cuiuscunque partis sint, sententiam, res aliqua sensibilis, cui ex diuina promissione annexus sit effectus aliquis supernaturalis diuinæ gratiæ; hoc tamen certe non facit proprie Sacramentum, quia iam, vt dixi, essent innumerabilia. Laborant itaque omnes, vt Sacramenti naturam totam colligant ex multis, quę ad conficiendum verum Sacramentum concurrunt. Ideo iuxta suam quisque sententiam, qua sibi naturam totam præfixit Sacramenti, plura vel pauciora quoque addit ad Sacramentum conficiendum in genere concurrentia. Sacra enim Scriptura continet in se multa, vt dixi, quæ sunt sacræ res, & rem sacram quodammodo attingunt, & significant. Sed quæ sint vere & proprie Sacramenta, Scriptura non exprimit, imo nullo quidem nomine appropriato ad hoc, vtitur Scriptura, vt rem eam exprimat quam Ecclesia Latine vocat proprie Sacramentum. Sane Augustinus quoque *Epist.* 5. agnoscit omnia sub generico Sacramenti nomine vocari posse, quæ aliquid sacrum significent, Rerum, *inquit*, diuinitus impertitarum, vel imbuendo virtutibus animo, vel æternæ saluti adipiscendæ quædam signa sunt, quorum celebratione atque functione non Deo, sed nobis vtilia pietatis officia exercentur. Nimis autem longum est conuenienter disputare de varietate signorum, quę cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.] Omnia ergo signa quæ ad res diuinas pertinent, certe non nisi late sumpto Sacramenti nomine, Sacramenta, secundum Augustinum, appellantur, tametsi in latissima significatione omne mysterium, imo & humanum secretum, siue iuramentum, soleat etiam Sacramentum vocari.

VI. In sua tamen propria significatione in Ecclesia, Sacramentum est actio aliqua sensibilis ex sua natura indifferens, nullam ex natura rei connexionem aut conuenientiam habens cum effectu vllo gratiæ, & tamen à Deo instituta, & ordinata tota secundũ omnes sui partes, vt in Ecclesia perpetuo seruetur, cui effectũ gratiæ infallibilem promiserit, & adiunxerit, sed cum quadam similitudine & analogia, quæ sit inter ipsam actionem naturalem, & suum effectum naturalem; atque inter actionem spiritualem, ipsiusque effectum spiritualem. Necesse fuit mihi pluribus ipsum verum Sacramentum describere: nam nulla aliorum descriptio, quæ plurimæ sunt, mihi potest satisfacere, quia nulla excludit multas actiones externas, quibus gratiosa est adiuncta promissio, & quæ à Christo aut præceptæ sunt, aut commendatæ, vt Oratio, Reconciliatio cum fratre, Eleemosyna, Concordia &c. Octo porro illa quæ requirit Bellarminus *de sacram. in gen. l.* 1. *c.* 9. in vero Sacramento (si septimum excipias, quod suam habet propriam controuersiam, & difficultatem, de modo quo Sacramenta attingant effectum spiritualem) ego libenter admitto, & ab omnibus merito admittenda esse puto: Primum, vt sit signum, vt præter speciem, *sicut loquitur Augustinus*, *de doct. Christ. l.* 2. *c.* 1. quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciat in cogitationem venire.] Sic lotio corporis, suggerit in baptismo lotionem animæ. Secundum, vt signum hoc sensibile sit: Tertium, vt significatio hæc non sit naturalis, sed voluntaria, & data, non connata. Quartum, vt habeat signum hoc est analogiam & proportionem cum suo significato prædicto. Quintum vt res hæc significata sit sacra non profana. Sextum vt signum hoc non solum significet effectum spiritualem, sed etiam effectum qui tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur. Septimum requirit Bellarminus, vt hic effectus fiat vi Sacramenti, sed instrumentaliter; quod dixi peculiarem habere difficultatem. Octauum & vltimum, vt actio hæc sensibilis sit ceremonia quædam religionis, stata, & solennis.

VII. Hæc omnia, excepto septimo, in mea descriptione expresse continentur, & aliquid vlterius, quia hæc octo non sufficiunt; illa enim omnia sunt in oratione, eleemosyna, reconciliatione, &c. & multo clarius quam in aliquibus ex septem quę nostri numerant Sacramentis. Nam exempli gratia, reconciliari cum fratre, dimittendo ei iniuriam, 1. Est signum: reconciliationem enim cum Deo significat; & est 2. sensibile, quia ille vel complexu, vel verbis facit reconciliationem. 3. Est voluntarium, quia diuinam reconciliationem, ac peccati dimissionem non potest naturaliter significare. 4. Habet analogiam & similitudinem, vt sicut iste dimittit iniuriam lædenti, ita Deus dimittit peccata huic dimissori. 5. Peccati dimissio est res sacra, 6. Tunc fit, quando iste reconciliatur fratri, & concedemus nunc 7. etiam in actu huius reconciliationis huic peccata à Deo dimitti: Demum est stata & religiosa ceremonia, quæ in Ecclesia fuit semper, & est necessaria adeo vt prima causa ex qua dedit Christus potestatem Ecclesiæ *Matt.* 18. 17. excommunicandi aliquẽ, & à corpore Christi abscindendi, sit defectus huius reconciliationis. Sed quia reconciliatio est actus virtutis charitatis, & est sub diuino præcepto, non aliquid de se indifferens, ideo non est Sacramentum, & hoc sit nonum quod ego requiri arbitror. Requiritur decimo, vt sit expresse à Deo instituta, & ordinata talis actio, Ecclesiæque tradita ac mandata, cum expressa item promissione effectus gratiæ illi actioni annectente. Et cum dico expressam debere esse diuinam institutionem, mihi sat est quod certo & infallibiliter acindubitan-

dubitanter constet Ecclesiæ, id esse à Deo institutum, si fieri possit; vt etiam extra Scripturam id possit indubitanter constare. Ex his decem conditionibus facile excludentur à ratione Sacramenti veri omnia, quæ non sunt vera Sacramenta, licet plures ex his conditionibus habeant verbi gratia. Manus impositio super ægros à Christo instituta, *Marc. vlt.* 18. est indifferens, sensibilis, certa, & in multis Ecclesijs adhuc in vsu, &c. tamen ex defectu quartæ & quintæ conditionis non est verum Sacramentum. Sic de alijs.

VIII. Cum igitur constet, Sacramentum esse aggregatum quoddam artificiosum, & per accidens, si physice consideretur, planum est, frustra ipsius exactam quæri definitionem: vt concedit Bellarminus, *vbi sup. c.* 10. & ita standum est descriptionibus. An vero Sacramentum habeat vnitatem moralem, ex eo quod sit vnum medium, seu vnum instrumentum ad iustificandos homines, quod contendit Bellarminus, eget magna explicatione, & pendet ab explicatione efficaciæ Sacramentalis, de qua nos infra. Interim vero admitto libenter, Sacramentum posse ad vnitatem quandam moralem instrumenti cuiusdam reduci, & sic posse suo modo definiri. Eius igitur definitio, his admissis, talis esto. Sacramentum est purum instrumentum sensibile, & ordinarium à Deo institutum, quo Deus per Ecclesiam in homine vel gratiam producit, vel productam confirmat. Et cum dico *purum instrumentum*, excludo orationem, eleemosynam, reconciliationem, &c. quæ non sunt pura instrumenta, sed vel dispositiones, vel conditiones, vel aliquid tale. Dico etiam, *vel producit, vel confirmat*, propter varias opiniones efficaciæ Sacramentalis, de quibus postea. In hac tamen definitione nihil habetur de signo & significatione, quia vere perfectissimum Sacramentum esset quæcunque res sensibilis, qua Deus instrumentaliter vteretur per Ecclesiam in effectibus gratiæ, etiamsi neque analogiam, neque similitudinem vllam haberet. Quoniam tamen de facto non quaslibet res sensibiles Deus adhibet, & instituit, sed tales, quæ habent analogiam dictam, ideo non ex necessitate Sacramenti, vt instrumentum diuinum est, sed ex facto ipso, in Sacramento signum, & analogiam inuenimus: ideo nostræ definitioni quatenus est de Sacramentis iam à Deo institutis, addendum est, *esse instrumenta sensibilia significatiua.*

IX. Atque hoc pacto in hac definitione & materiam habemus, & formam: quatenus nimirum Sacramentum est instrumentum, non materiale, sed morale, & ita moraliter etiam assignabitur ei sua forma. In instrumento enim quocunque, materiale est res ipsa qua vtimur ad aliud, formale vero est vis, seu virtus, quam habet ad suum opus efficiendum, vt in serra materia est ferrum, forma vero, vis seu aptitudo ad secandum; quam vim seu aptitudinem materialia instrumenta habent à figura tali, vel tali externa: puta à dentibus, ab acie, à cuspide, &c: In moralibus vero aliunde. Sic locutio est instrumentum quo exprimimus sensa animi, cuius materiale est vox: formale vero est vis & aptitudo significandi voci ex voluntate imposita, dum ei est addita significatio: Sic Sacramenti materia est actio sensibilis, forma vero vis aliquo modo producendi gratiam, seu eam efficaciter testandi. Et quia res nulla sensibilis de se potest habere vim talem, oportet vt eam habeat à Deo, qui solus id potest rebus tribuere, & ita Sacramentum debet esse à Deo solo institutum. Seu ergo rebus aliquibus quæ sint proprie res, prout res distinguitur à solis verbis: seu ipsissimet verbis puris, seu etiam rebus aliquibus simul cum verbis adiunctis Deus dederit hanc ordinariam Sacramentalem potestatem, quis non videt verba quoque ipsa, si qua sunt in Sacramentis ex diuina institutione necessaria, tenere se ex parte materiæ Sacramentalis, & non formæ, quæ est vis illa, & efficacia Sacramentalis à solo Deo immediate concessa Sacramentis, vt instrumentaliter efficiant quicquid efficiunt. Sic igitur, exempli gratia, lotio aqua facta, simul cum verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* sunt ipsum materiale instrumentum & sensibile, vis vero mundandi animam est forma. Neque illi lotioni dant vim spiritualem verba illa, *Ego te baptizo*, qui enim possunt nisi per cabalam, vel magicam incantationem? sed & lotioni & verbis simul indidit Deus vim illam spiritualem instrumentalem, ex qua vi & lotione cum verbis illis facta, fit integrum Sacramentum, hoc est diuinum instrumentum. Siue ergo Deus vim hanc dederit solis rebus actionibusque, absque vlla verborum necessitate, siue solis verbis, hoc est locutioni, absque vlla alia re, seu actione: siue vtrisque simul, & illis modis ac conditionibus quas iam commemorauimus, illud erit verum & perfectum Sacramentum. Inquirendum itaque est, quid Christus fecerit de facto, & dederit-ne virtutem Sacramentalem in omnibus Sacramentis, rebus sine verbis, an verbis sine rebus: an vtrisque simul. An vero aliqua Sacramenta posuerit in rebus solis, aliqua in solis verbis, & aliqua in vtrisque.

X. Communis opinio nostrorum est, *teste Bellar. vbi sup. c.* 18. omnia Sacramenta nouæ legis, & in rebus & verbis consistere: dummodo & verba ipsa sumantur interdum pro re; & nutus siue scriptura aliudue pro verbis, quod eorum vice fungatur. Et sic omnia Sacramenta volunt constare, & rebus, tanquam materia, & verbis, tanquam forma. His tamen ante omnia obijcio id quod modo explicabam, nunquam verba posse habere rationem formæ, sed si sunt necessaria in omni Sacramento, tenebunt se ex parte materiæ, non ex parte te formæ: quia verba non sunt ipsa vis Sacramenti, sed id quod habet vim: in omni vero instrumento ipsa vis est forma: & id, quod habet talem vim, est materia, vt explicaui. An vero Christus verbis (profecto certis & determinatis, ac semper ijsdem, vt requirunt conditiones veri Sacramenti) vim Sacramentalem concesserit, indagandum erit.

Equi-

Equidem, vno excepto baptismo, nusquam inuenio in tota Sacra Scriptura nouæ, imo ne veteris quidem legis, ex diuina institutione certis verbis à Deo dari vim nullam propriam Sacramentalem, neque seorsim à rebus, neque simul cum rebus. De Sacramentis lato modo, & improprie sumptis, id non negabo: Dicite, inquit, *Matth.* 6. 12. Pater noster, & dimitte nobis debita nostra.] Sed hæc locutio non est actio indifferens, *Thom.* 2. 2*æ q.* 38. *ar.* 3. sed oratio, quæ est actus virtutis religionis, de suo genere bonus, ideo non est verum Sacramentum. Cum ergo Christus nunquam dixerit, *Hoc dicite*: neque Apostoli vnquam explicarint, vllũ verum Sacramentũ verba certa & iure diuino determinata, præter inuocationem Trinitatis in baptismo, continere, planum est, verba in Sacramentis non modo non esse formam, sed ne materiam quidem certam & determinatam.

XI. Proferent tamen statim mihi, non modo verba, *Ego te baptizo*, sed etiam, *Hoc est Corpus meum*: Item, *Ego absoluo te*, & sic de cæteris. Ac vniuersaliter producent mihi dictum celeberrimum Augustini; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*] Ego, vbi in sequentibus huius libri capitibus agam de singulis, seu veris, seu veris putatis Sacramentis, ostendam verba, quatenus in Sacramentis sunt necessaria, tenere se ex parte materiæ semper, nunquam vero formæ. Nunc Augustini dictum sumo excutiendum: Ac dico, nihil minus Augustinum cogitasse quando illa verba scribebat, (videlicet: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*) quam materiam & formam Sacramenti: ac omnino Sanctum Patrem non loqui de illis verbis, quæ nostri pro formis ordinarijs adhibent Sacramentorum. Accipio ergo totum Augustini locum plenius considerandum.

XII. Ex illis Christi verbis *Ioan.* 15. 3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*, colligit Augustinus totum effectum mundandi esse à verbo prædicato & audito ac credito. Obijcitque sibi, cur non dixit Iesus, Vos mũdi estis propter baptismum quo loti estis, sed propter verbum, &c. Quia, *inquit*, etiam baptizans non lauat, neque mundat animam, nisi propter verbum,] hoc est propter fidem, quam per verbũ habemus. Itaq; etiam in baptismo mundi sumus propter sermonem quem locutus est Christus, dum se filium Dei nobis declarauit. Et semper Augustinus sumit verbum prædicationis, probatq; hoc verbum prædicationis etiam in baptismo mundare, & illa Christi verba: *Vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*, (quod plane est verbum prædicationis, non consecrationis) præcise applicat baptismo: & ex illis ait baptismum quoque mundare. Audi Augustinum, Quare non ait, mundi estis propter baptismum quo loti estis; sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat?] Vult igitur Augustinus verificari Christi dictum, mundationem fieri per sermonem, quem locutus est eis; etiam in baptismo: ideoque non dixisse, eos esse mundos propter baptismum, quia etiam baptismus ex sermone Christi habet vt mundet, qui enim baptizatur, si non percepit sermonem fidei, non mundatur, quod si baptismo mundatur, mundatur virtute sermonis fidei: quæ fides accedens ad lotionem mundat, sola vero aqua, vel lotio sine fide, est pura aqua; & nuda corporalis lotio. Detrahe *inquit*, verbum, & quid est aqua, nisi aqua?] Absit fides & doctrina de Christi diuinitate: aqua est pura aqua, mox addit, Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.] hoc est fides cum lotione absoluunt Sacramentum, & consequenter obtinent effectum mundationis internæ, etiam, inquit, ipsum, tanquam visibile verbum.] Lotio ipsa visibiles operatur mundationes, propter verbum iam creditum, quod verbum creditum inuisibile est, in illa tamen locutione cui illud verbum inuisibile est adiunctum, id est fides in Christum, fit quasi visibile: quia visibilis lotio operatur simul cum verbo inuisibili. At verbum consecrationis ipsum quoque est visibile, id est, sensibile, nec indiget vt ex visibili lotione ipsam acquirat sensibilitatem. Tum vero subdit, vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur.] Baptismus quidem mundat, sed vi verbi, non quatenus prodit à prædicante, sed quatenus creditur ab audiente, qui baptizatur: Ac pergit, Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.] Respectu Auditoris verbum, vt est à prædicante, est simplex sonus transiens, nisi per fidem maneat in ipso audiente, & si manet fides, transeunte sono, virtus verbi manet in ipso audiente, quæ virtus iuncta lotioni operatur mundationem. Hoc est, inquit, verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus. *Rom.* 10. 8.] Ecce aperte explicat Augustinus de quo verbo loquatur, nimirum de verbo prædicationis, non consecrationis: ad hoc etiam affert locum ex *actis*, *cap.* 15. 19. *Fide mundans corda eorum*: & Petri, 1. *Pet.* 3. 21. *Non carnis depositio sordidum, &c.* ac pergit: Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo sine dubio, vt mundare possit, consecratur & baptismus.] Hoc est, ex hoc verbo prædicationis, & fidei in Iesum Christum, baptismus accipit vim, vt mundet: & huc refert illa Pauli verba, *Ephes.* 5. 26. Christum mundare Ecclesiam lauacro aquæ, in verbo, hoc est verbum hoc prædicatum dare vim lauacro: alloquin enim, inquit, mundatio non tribueretur labili elemento, nisi adderetur, *in verbo*] & statim subdit: Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia, vt etiam infantes non valentes corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, mundet tamen.] & concludit: Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.] Et hic perpetuo Augustinus sibi constans, absque vlla æquiuocatione verbi, explicat vim verbi prædicati, adeo vt etiam in baptismo idem verbum mundet, & sic semper verbum prædicatum mundet, tam sine baptismo, quam cum baptismo, qui baptismus Augustino materialiter sumitur, vbi adest & lotio & inuocatio Trinitatis: Sed si absit verbum prædicatum, id est, fides in Christum, Sacramentum hoc remanet in suo solo materiali absque effectu: & hæc aqua erit pura aqua, non Sacramentum mundans. Sed, inquies, nonne baptismus confertur etiam indisposito & ficto? *Aug. de bapt. l.* 3. *c.* 10. 14. Respondeo, aqua illa ad effectũ baptizandi seu conferendi Sacramentũ, sed sine effectu, nõ est pura aqua, sed Sacramentum, etiam sine verbo fidei prædicatæ: sed ad effectum mundandi, (qui effectus consideratur hic ab Augustino) est pura aqua, quia mundat tantum corpus, sed cor non abluit. Ideo ait Augustinus, Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, vt mundare possit, cõsecratur & baptismus.] hoc est baptismus semper est baptismus: sed vt mundet animam accipit vim & consecrationem à verbo prædicato & credito, sine quo non mundat.

XIII. Et falsum est quod contendit Bellarminus, *de Sacram. in gen. l.* 1. *c.* 10. Satis esse Augustino, si demonstret mundationem fieri per verbum in genere, hoc est, prædicatum & creditum extra Sacramentum, vel consecrationis in Sacramento. quia Augustinus semper conatur in hac concione docere, verbum prædicatum, & creditum, mundare, tam extra Sacramentum, quam

in Sacra-

in Sacramento, vt vidimus. Loquitur enim Augustinus de adultis, quia ad Apostolos dicta sunt verba illa Christi: *Iam vos mundi estis.* Et sic de Apostolis quærit, cur non dicitur eis, iam mundi estis propter baptismum, & adulti si actu non credunt in Christum, non mundantur baptismo: imo docet ibidem, etiam infantes mundari baptismo, propter idem verbum creditum, & fide receptum: non quidem ab ipsis, sed ab Ecclesia. Hoc verbum, *inquit*, fidei, tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.] Semper ergo verbum quod adiungit baptismo, per quod baptismus mundet, accipit, & explicat esse verbum fidei prædicatum & creditum, vel ab ipsis *adultis* baptizandis, vel ab Ecclesia baptizante paruulos. Hæc vero fides non facit quidem vt sacramentum baptismi sit sacramentum, sed facit, vt sit sacramentum operans, & mundans. Efficaciam ergo baptismi quatenus mundat, Augustinus desumit ex fide prædicata, & accepta. Sed de opere & efficacia sacramentorum seorsim inferius disputabo.

XIV. Opponi possunt nostræ huic Augustiniani loci expositioni ex Bellarmino *ibidem* ista: [Primum, Augustinus ait, Detrahe verbū quid est aqua nisi aqua? At detracto verbo concionis adhuc aqua baptismi non est pura aqua, sed aqua sacra & sacramentalis.] Secundo Augustinus ait; Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, At concio, inquit, non accedit ad elementum; sed præcedit. Tertio, Augustinus ait, vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Et infra; Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Vbi fatetur Augustinus, ipsam etiam aquam vim habere mundandi, sed eam non ex se habere, sed à verbo. At concio nihil tribuit aquæ, tota enim refertur ad instruendos auditores, non ad sanctificandam aquam. Quarto, Augustinus ait; Hoc verbo, vt mundare possit, consecratur & Baptismus. At idem Augustinus docet, verbum, quo baptismus consecratur, esse illam inuocationem, *in nomine Patris, &c.* Quinto, Augustinus ait; Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. *Aug. de baptism. cont. Donat. l. 3. c. 15. & epist. 118.* At verbum concionale nihil prodest, nisi actu credatur, vt notum est: non igitur Augustinus de concionali verbo loquitur.] Hæc Bellarminus, sed frustra.

XV. Ad primum respondeo, Detracto verbo concionis, id est, detracta fide, quæ per verbum concionis, id est, Euangelicæ prædicationis acquiritur ab eo, qui baptizandus est, (Non enim, inquit, facit effectum verbum, quia dicitur, sed quia creditur) quoad effectum mundandi animam, aqua manet simplex aqua, & hoc est verissimum: neque enim est illi sacra, neque Sacramentalis; quoad effectum mundandi, in quo totus hic Augustini locus versatur; remanet tantum sacra, & sacramentalis, quoad validitatem solam baptismi:

Ad secundum, Nescio in quo sensu sumat Bellarminus concionem contra Caluinum: videtur impugnare concionem, quæ circa ipsam baptismi ministrationem singulis vicibus solet immediate baptismo præmitti: Ego tamen concionem seu prædicationem in Augustino intelligo illam, vel illas prædicationes, ex quibus baptizandus hausit fidem in Christum, quandocunque id fuerit: etiamsi per annum & vltra ante baptismum: nam & diu Catechumi post susceptam fidem instruebantur, vt notum est. Itaque ad oppositionem respondeo, verbum ipsum, non quatenus dicitur, sed quatenus creditur, accedere ad elementum, & fieri Sacramentum, id est lotionem simul cum fide, & ratione fidei mundare animam, in dictis Augustini.

Ad tertium similiter, non concio ipsa vt dicitur, sed vt creditur, id est fides à baptizando iam per verbum prædicatum cōcepta, dat secundum Augustinum aquæ per inuocationem Trinitatis consecratæ vim vt animam mundet.

Ad quartum respondeo, vt supra, expresse hoc loco verbum, quo consecratur baptismus, ab Augustino poni verbum ipsum fidei, quod prædicatur, id est ex fide prædicata, & à baptizando suscepta, baptismum vim habere vt illum mundet. Si vero alibi verbum hoc ipsum consecrationis aliter sumpsit, nihil derogat huic loco, in quo expresse se explicat, de quo verbo loquatur. Nam hoc loco consecrare baptismum, est ipsi actioni baptizandi vim mundandi tribuere. Alibi vero consecrare baptismum, est illum debite & sub debitis nominibus ministrare, hoc est inuocatione Trinitatis aquam ipsam consecrare, vt ex aqua nuda elementari, fiat aqua sacramentalis: quod itidem sanctus innuit Hieronymus, *ep. 83. ad Oceanum.*

Ad quintum respondeo, Augustini sensum esse, Tantam esse verbi fidei vim, vt ex ipsa fidei, quæ est in Ecclesia, per verbum prædicatum efficacia, baptismus infantes quoque mundet, non fide ipsorum propria, sed aliena, Ecclesiæ nimirum, quam Ecclesia actu habet. Nondum igitur habemus in genere quicquam, quod cogat nos verba in Sacramentis in genere admittere vt formam. An vero baptismus aliudue Sacramentum in specie verba necessario requirat, videbimus, vt dixi, vbi de singulis agemus. Hæc de prima difficultate proposita satis.

XVI. Secunda difficultas, quis sit sacramentorum nouæ legis numerus. Septenarium numerum nostri mordicus tenent, &, vt fidei articulum, nobis obtrudunt, *Bellar. de sacram. in gen. l. 2. c. 21.* Vnde vero id directe per sacram Scripturam probent, fatentur se expressum non habere, nisi ex singulorum per eandem Scripturam confirmatione. Oportet ergo ostendant, non plura, non pauciora ex Scriptura colligi vera nouæ legis Sacramenta, nisi illa septem, *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, & Extremam Vnctionem.* Vt propterea & Ecclesia vniuersa ab annis vt minimum 150. tenuerit & docuerit septem hæc esse vera Sacramenta Euangelica, & illis vsa fuerit *Magist. lib. 4. dist. 2.* Et Concilium Florentinum *in Instrut. Armen.* eadem præcise numerauerit, & postea Tridentinum. *sess. 7. Can. 1.* Addunt deinde ad confirmationem huius septenarij numerationis congruentias. Ex similitudine vitæ spiritualis ad corporalem: ex numero peccatorum & vulnerum: ex numero virtutum: ex celebritate numeri septenarij, *Thom. 3. p. q. 65. art. 1. & Bellar. vbi sup. c. 26.* & si quæ aliæ.

XVII. Proh Deus immortalis quàm facile articulos fidei cudimus: & vbi ex Scriptura nihil colligi potest, nescio quæ traditiones mysticæque numerorum significationes suppetias ferunt, de quibus postea suis locis. Primum porro huius septenarij numeri fundamentum ex singulis septem Sacramentis ostendam ego quoque in singulis esse ruinosissimum. Patebit nobis sane euidenter, in solis Baptismo & sacra Communione ve-

rꝫ: veram & integram veri Sacramenti Euangelici rationem inueniri: non item in reliquis quinque, quæ nos illis adnumeramus. Desunt enim Confirmationi diuina institutio, diuina promissio gratiæ, actio certa sensibilis & indifferens, vt perpetuo seruanda. Desunt Pœnitentiæ actio certa sensibilis & indifferens, ac significatio cum analogia. Desunt Ordini hæc ipsa similiter, quæ desunt pœnitentiæ, & præterea nonnulla alia, vt probaui *lib.2 cap.4.* Desunt Vnctioni institutio diuina, promissio, significatio. Desunt denique Matrimonio omnes penitus veri Sacramenti conditiones, ita vt ne in lata quidem significatione sit Sacramentum, sed duntaxat in latissima, vt sit in genere signi seu similitudinis, vt infra suis locis in his singulis pertractandis conabor explicare. Atq; ita vere & proprie duo tantum erunt vera Sacramenta, & non septē: aut si in latiori significatione sumatur Sacramentum, tunc erunt multo plura quam septem: & nonnulla habebunt in se multo plus Sacramenti veri, quam aliqua ex his quinque. Exempli gratia, imponere manus super ægros, multo plus accedit ad verum Sacramētum, quam vngere infirmos, illa enim est Christi institutio, *Marc.vlt.* & cum promissione rei factæ, *& bene habebunt:* videlicet non tantum in corpore, sed etiam in anima, talia enim sunt beneficia Christi corporalia, vt simul ad animam transeant: Alioquin Apostoli fuissent erga ægros medici duntaxat corporales. Est ceremonia significatiua & analoga; manum enim alicui imponere, est ei opem ferre, & significat adiumentum spirituale. Sed id non fuit verum Sacramentum, quia non erat ceremonia stata, & in perpetuum duratura, sed ad tempus in ipsis Apostolis & viris Apostolicis, imo in ipsis etiam fidelibus, qui inter alia miracula etiam ægrotos manuum contactu sanaturi essent: nam ibi etiam alia miracula commemorantur. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, &c.*] Idem dico de lotione pedum, de oratione, de reconciliatione cum inimico, seu de dimissione iniuriæ, de pijs congregationibus, de eleemosyna, de conuersione peccatorum, de actibus charitatis & similibus; quæ omnia habent promissionem gratiæ, & præterea aliquot alias conditiones veri Sacramenti, quædam plures, quædam pauciores; & aliqua sane plures, vt dixi, quam aliqua ex illis quinque. Quomodo ergo septenarius præcise numerus est de fide stabiliendus?

XVIII. Quod vero contendit Bellarminus totius Ecclesiæ consensum à centum & quinquaginta annis vt minimum, in septem Sacramenta concurrisse, vanum est. Primum enim sequitur, (si tamen hoc verum sit) per mille ac ducentos & vltra annos ignotum fuisse verum numerum Sacramentorum: Magister ergo Lombardus primus aperuit Ecclesiæ vniuersali oculos, vt septem inspiceret Sacramenta, Quia videlicet primus damnabili, & imperita curiositate voluit Sacramenta numerare: à qua numeratione semper Ecclesia abstinuit; videbat enim multa esse à Christo, vel instituta, vel laudata, quibus suas addebat promissiones, & illa vt mysteria venerata est, sed quod & quæ essent noluit numerare, ne erraret, cum numeratio isthæc nihil spectet ad salutem; res tenebat, numerum ignorare volebat. Interim tamen quoties de Sacramentis in genere sanctis Patribus occurrit occasio aliquid dicendi, duo semper, tanquam certissima & liquidissima Sacramenta, nominabant; reliqua sub dubio, & incertitudine relinquebant; quia stricte non nisi duo inueniebant; latius tamen etiam plura. Ambrosius sane, prout constat, duos tractatus scripsit de Sacramentis: Alterum de ijs, qui mysteriis initiantur; alterum de Sacramentis inscripsit. Percurrat qui vult vtrunque, non alia nisi duo Sacramenta inueniet, alterum baptismi, alterum Eucharistiæ, & tamen, saltem in libro de Sacramentis, certe occasio tractationis ad illa sola duo non arctabatur, sed omnium verorum Sacramentorum notitiam postulabat. Non ergo censuit Ambrosius vera Sacramenta alia esse, nisi illa duo.

XIX. Augustinus similiter, vbi ei occasio se præbuit Sacramenta in genere commemorandi, duorum nominatim fecit mentionem, quippe quæ proprie & stricte agnoscebat esse citra dubitationem Sacramenta: Baptismum, & Communionem Corporis Christi: reliqua multa sub dubio ponit, in quibus perfectam perfecti Sacramenti naturam non cernebat, Vnde Sacramentis, inquit, *ep. 118. & de doct. Christ. l. 3. c. 9.* numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.] Sacramenta ergo per solam traditionem extra scripturam Canonicam non agnoscebat, & sub dubio multa relinquebat, quæ Sacramenta alias in lata significatione vocare non destitit, *in Psal. 133. concione 1. & in Psal. 141.* Sicut & *ep. 119.* Sacramentorum largius sumptorum, materias, non aquam solum, panem & vinum, sed etiam oleum aliquando recensuit; propter confirmationem puto, quæ tunc iam oleo, id est Chrismate ex oleo & balsamo confecto, peragebatur. A quo ergo duo magni Patres abstinuerunt, nē Sacramenta numerarent, id satis audacter Petrus Lombardus voluit persequi; & multo audacius eius sequaces Scholastici, etiam ad articulum fidei numerum suum reduxerunt: & tamen expresse Paschasius Abbas Corbeiensis, *de Euch. c. 3.* qui ad finem octaui post Christum seculi scribebat, non nisi duo agnoscit Sacramēta: Baptismum & Chrisma simul, vnum; & Corpus ac sanguinem Christi, alterum.

XX. Deinde vanum quoque est, quod supponit potius, quam probat Bellarminus, à 150. annis Ecclesiam vniuersam Lombardi numerationem esse amplexam. Ecclesia enim non modo à centum & quinquaginta annis, sed etiam perpetuo ab incunabulis agnouit aliquam rationem Sacramenti late sumpti, & in septem illis quæ nos numeramus, & in multis alijs: sed esse septem & non plura, in lata significatione, neque pauciora in stricta, Ecclesia etiam recens hoc vniuersa non tenuit, sed post Lombardum disputationibus fuit agitatum, etiam inter nostros Scholasticos. Ac sane cum primum septenarius hic numerus cœpit sub ratione proprijssima Sacramentorum à Scholasticis inculcari, Lutherus obstitit; subsecuti sunt Protestantes: & licet hac etiam in parte pro hæreticis habeantur, eorum tamen rationes nondum sunt plene solutæ. Et melius fecissent, ac facerent nostri, si hac distinctione verissima & necessaria de Sacramentis proprie & improprie, stricte & late sumptis, lites inter se componerent, atque ita septenario, quoniam ijs adeo placet, numero retento, vt nullum præiudicium multis etiam aliis lato modo sumptis Sacramentis, generetur.

XXI. Quid sit sentiendum de Concilio Florentino cū schismate celebrato, ac præsertim de literis vnionis ab Eugenio formatis, quoad Græcos, nonnulla dixi *lib. 4. cap. 10. n. 11.* Idem ferme dico de vnione Armenorum. Sed præterea addo, articulum de septem Sacramentis nunquam fuisse in eo Concilio aut discussum, aut conciliariter definitum, quod sponte & libenter fatetur ipse Bellarminus, *de sacra. in Gen. l. 2. c. 25.* qui etiam hanc ipsam Armenis datam instructionem asserit

conti-

continere res non definitas conciliariter, ſed tantum obiter dictas ad rem explicandã, *Idem de Baptiſ. c. 9.* Sed ab Eugenio Papa, non definitiuè, ſed inſtructiuè, ex communi tunc doctrina nonorum Scholaſticorũ, tanquam catecheticam quandam doctrinam datam fuiſſe Armenorum Legatis; & ſi quis velit totam eam doctrinam de ſeptem Sacramentis eſſe ibi de fide definitam, oportet vt tueatur Ordinis materiam eſſe traditionem librorum vel vaſorum: At vero Bellarminus, cum multis poſt dictum Concilium, materiam ſeu rem ſenſibilem in Ordine ponunt manuum impoſitionem. Poſſem etiam alia proferre, ſed prolixitatis vitandæ cauſa abſtineo. Addo tamen, me bonam Eugenii fidem in illa Armenorum inſtructione deſiderare: Nam Concilii illius vltima ſeſſio habita fuit die Martis 24. Menſis Martii, anni D. 1439. Subſecutæ ſunt aliquot priuatæ collationes & diſputationes, ac demum literę vnionis cum Græcis ſolenniter lectę & publicatæ fuerunt die Lunæ ſexta Menſis Iulij eiuſdem anni, vt in ipſis actis conſtat, & ſubſecutæ ſubſcriptiones; cum tamen iam multi diſceſſerant, vt Actuarius ipſe teſtatur, ſtatim poſt ſubſcriptiones, & poſt hæc omnia aduenerunt Legati Armenorum, quibus inſtructio illa data eſt decimo Cal. Decemb. eiuſdem anni. Et tamen data ponitur in publica ſeſſione Synodali ſolenniter in Eccleſia maiori celebrata, quæ tamen fuerit hæc Synodus neſcitur, nam ipſa Florentina quæ pro generali obtruditur, eſſe non potuit, vt conſtat. Quomodo ergo eam Bellarminus ad Concilium Florentinum reducit?

XXII. Sed præterea aliunde etiam bonam fidem Eugenii in hoc Armenorum negotio deſidero. Eam inſtructionem quam Synodale vocat decretum ait ab Armenis Oratoribus ſuo, & ſui Patriarchæ, omnium Armenorum nomine, cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſa deſcriptam, nec non quicquid tenet, & docet ſancta ſedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia cum omni deuotione & obedientia acceptaſſe, ſuſcepiſſe, & eſſe amplexos.] At profecto debuit publico documento id confirmare, & teſtimonio corroborare, in quo manifeſtum eſſet Oratores id ſua ſponte fateri, ſed nihil protulit. Videat ergo Bellarminus quomodo ex Concilio Florentino ſuum ſeptenarium Sacramentorum numerum tanquam rem de fide, audeat nobis perſuadere.

XXIII. De Tridentino iam ſæpius aliquid ſubmonui, & *lib.* 7. illud plenius examinabo: Si interim acta ipſius non prodeant. Illius conatus videntur omnes fuiſſe, vt quicquid purioris doctrinæ noua Proteſtantium reformatio profiteretur, id totũ penitus damnaretur, & reprobaretur, ne videretur Romana Eccleſia in vlla vel minima re erraſſe, & ipſis Proteſtãtibus ſuccubuiſſe aut ceſſiſſe. Atque ita plurimas Theologicas theſes, quæ in vtramq; partem diſputari poſſunt, & ſolent, pro articulis fidei ipſum Concilium haberi voluit, vt ipſos duntaxat Proteſtantes videretur repreſſiſſe, tametſi magna ex parte falſitates, & errores etiam tueri maluerit, quam in vlla particula Proteſtantibus cedere. Et vel eo ſolo nomine quid ſentiendum ſit de Tridentinis definitionibus, & anathematis, ſapiens quiſque ſtatuat, quod plurima ſcholaſticorum placita perpetuo diſputabilia ac inter Theologos controuerſa definire voluerit. & ad fidei articulos reducere, innumeroſque Eccleſiaſticæ diſciplinæ canones edere plane inutiles, ac pernicioſos; antiquos vero vtiles & proficuos non paucos abrogare.

XXIV. Ad argumentũ ex congruentiis petitũ, tanquam indignum Theologo, in confirmando præſertim, imo re vera, in aſtruendo, vt hic fit, articulo dogmatico, ad fidem pertinente, non eſt cur quiſquam reſpondeat. Argumentum Concionatorium eſt, & populare, non Cathedrale: vix enim vllus eſt numerus cui multa myſteria aptari non poſſint.

XXV. Tertia difficultas, *quid operentur Sacramenta.* Primum effectum noſtri ponunt in aliquot noſtris Sacramentis characterem: quem ego primum effectum merito pono (ſi tamen talis effectus detur) quia nihil impedit hunc effectum quin producatur: at vero gratia non ſemper datur: indiſpoſitio enim ſuſcipientis Sacramentum, eam impedit ſæpe. Sed circa hunc effectum non eſt nimium contendendum. Stemus itaque omnes iis quæ certa ſunt. Primum, ex ſcriptura characterem hunc non poſſe directe probari. Quæ enim de ſigno, & de ſignando profert Bellarminus ex 2. *Cor.* 1. 21. & *Epheſ.* 1. 13. & *Eph.* 4. 30. tales patiuntur, imo & habent interpretationes, vt ex illis character nequaquam colligatur. 2. Patres characteri præſertim baptiſmali plurimum fuere, & potiſſimum Auguſtinum, quos recenſet Bellarminus. *de Sacram. in gen. l.* 2. *c.* 21. 3. Baptiſmum producere quendam effectum in quocunque baptizato, propter quem effectum baptiſmus ſit & dicatur validus, & rite ſuſceptus, quantumuis qui baptizatur ficte accedat, & baptiſmalem gratiam regenerationis, & remiſſionis peccatorum non accipiat; & tamen Sacramentum baptiſmi accipit. Neque mihi aliquis actionem ſolam externam aſſignet, in ſuſcipiente Sacramentum receptam; hæc enim quatenus externa duntaxat eſt, Sacramentum non eſt; neque ex eo quod quis externe tantummodo lotus eſt, ſacramentaliter baptizatus eſſe dicetur: ac propterea qui nulliter baptizatur, ex defectu, verbi gratia inuocationis Sanctiſſimæ Trinitatis, vel ſecundum noſtros, ex defectu intentionis, vel ex alia ſufficienti cauſa, actionem illam totam recipit, & tamen Sacramentum non recipit. Vt ergo in vno ſit validum, tametſi ſine fructu, in alio penitus inualidum, neceſſe eſt aſſerere, baptiſmum validum ſine fructu regenerationis ſuſceptum conferre homini interne, & quoad animam aliquid, per quod ille dicatur Sacramentum ſuſcepiſſe, quod tamen non dicitur ſuſcepiſſe, qui actionem baptizandi inualidam ſuſcepit. Et quia talis effectus non erat notus Cypriano, & ſequacibus, ideo baptizatos ab hæreticis negabant eſſe baptizatos: & rationes Cypriani id penitus conuincunt, ſi auferas hunc effectum, quem baptiſmum parere, etiam quando nullam baptiſmalem gratiam confert, Eccleſia tota cognouit, & confeſſa eſt. Hic vero effectus ſit ne ſignum indelebile inhærens in anima, ſit ne aliud, Deus nouit, vt propter hunc effectum vel certe character in baptiſmate ſit ponendus, vel aliquid aliud æquiualens. An vero Confirmatio imprimat characterem infra apparebit, vbi prius indagandum erit, an ſit verum Sacramentum. De ordine autem ſatis diſputaui, *lib.* 2. *cap.* 4. vbi oſtendi ordinem neque eſſe Sacramentum proprie, neque initerabilem, neque characterem vllum imprimere. Veniamus ad proprium Sacramentorum effectum, qui eſt gratia gratum faciens, ipſiuſue corroboratio, & conſeruatio, & augmentum.

XXVI. Tametſi non omnes actiones externæ fidelium, quas ex diuina promiſſione comitatur effectus gratiæ, vt ſupra monui, ſint vera Sacramenta, vt eſt oratio, eleemoſyna, dimiſſio iniuriæ &c. Aliquæ tamen earum, quas inſtituit Chriſtus iuxta conditiones veri

nes veri Sacramenti supra expositas, & vera Sacramenta sunt, & adiunctum semper habent effectum gratiæ gratum facientis, siue in eius prima assecutione, cum primum homo iustificatur per baptismum, siue in eius conseruatione & augmento, vt per sacram Communionem. Dissensio iam est, an Sacramenta efficientiam hanc gratiæ habeant in se, ita vt ipsa Sacramenta gratiam ipsam tunc quando recipiuntur ab homine efficiant, an vero tantum excitent hominem gratiamque iam receptam, quasi sigillo quodam, confirment. Nos primum certo scimus, Sacramenta, si gratiam efficiant quam significant, id non efficere in vllo alio causæ genere, nisi vel solius instrumenti diuini, vel conditionis sine qua non; ordinarie. Sed neque statuimus aut definimus quomodo id præstent ipsa Sacramenta, etiam si quid operentur instrumentaliter: sunt enim mysteria diuinarum operationum nobis inscrutabilia; num physice, num moraliter; & si physice, num per virtutem aliquam occultam spiritualem à Deo illis communicatam, an sine vlla virtute, sed quod Deus eis ex pacto assistat, & suam gratiam tribuat homini recipienti Sacramenta. Nobis nunc satis sit videre, an effectus gratiæ semper comitetur Sacramentum, ita vt posito Sacramento semper Deus det suam gratiam digne suscipienti, hoc est non ponenti obstaculum seu obicem; & sine Sacramento illam non det, ijs videlicet, qui respuunt & contemnunt recipere Sacramentum, cum possint, vt explicat Augustinus *de bapt. l. 4. c. 25*. Si enim ita se res habet, profecto merito dici potest, ipsa Sacramenta esse instrumenta efficacia gratiæ, & efficere gratiam instrumentaliter, imo & ex opere operato; hoc videlicet sensu, quod, exempli gratia, rite baptizato remittantur peccata omnia, non virtute eius dispositionis, vlliusue ipsius actionis internæ aut meriti (sic enim remitterentur ei ex opere operantis) sed virtute ipsius Sacramenti baptismi, non tanquam agentis, hoc est remittentis principaliter (hic enim solus Deus est) sed instrumentaliter seu conditionaliter, quia per ipsum baptismum Deus remittat peccata: ad quam remissionem actiue, siue physicé, siue meritorie, siue aliqua alia imaginabili ratione homo non concurrat nisi tantum dispositiue, tum amouendo voluntatem actualem peccandi, per necessariam pœnitentiam, tum credendo viua fide in Christum, & sic Christum apprehendat & sibi vniat, sed mediante Sacramento & per ipsum Sacramentum. Et sic remissio seu iustificatio, vt est actio, à Deo solo erit effectiue principaliter, & à Sacramento instrumentaliter: vt vero est passio, ab homine recipitur principaliter, & per fidem dispositiue, & fortasse instrumentaliter. Ac nisi ex parte hominis adsit hæc dispositio, certe nos Sacramento non tribuimus efficientiam suam actualem gratiæ ex opere operato, nihil enim gratiæ in indisposito operabitur, & quando operatur, ex opere operato operatur; hoc est absque vllo actiuo, siue physico siue morali, & meritorio concursu, aut dantis, aut recipientis. Non sic fit quando recipiens assequitur aliquid ex opere operantis, quia tunc meritorie & moraliter ipse sibi efficit id quod acquirit.

XXVII. Iam vero Sacramenta efficere suo modo, hoc est, vt diuina instrumenta, gratiam, & hanc ex opere operato, hoc est ex se, & non ex merito ea suscipientis, sed dispositi, fuit Ecclesiæ Catholicæ etiam puræ & incorruptæ sensus perpetuus, ex ipsa sacra Scriptura manifeste habitus, & eductus. *Actor. 2. vers. 38. Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Actor. 22. vers. 16. Baptizare, & ablue peccata tua. Ephes. 5. vers. 26. Mundans eam lauacro aquæ. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. 1. Cor. 6. vers. 11. Abluti estis, sanctificati estis. Pet. 3. vers. 21. Nos similis forma saluos fecit baptisma &c.* Ex his & similibus, Patres etiam antiquissimi, ipsi Sacramento suam tribuunt gratiæ efficientiam. Iustinus Martyr, *dial. cum Triph. & Apolog. ad Anton. Adipiscimur remissionem peccatorum per hoc lauacrum. Item remissionem peccatorum consequimur in aqua.* Clemens Alexandrinus *l. 1 pædag. c. 6. Lauacrum per quod peccata abstergimus.* Tertullianus, *de baptis. Mirandum & lauacro dilui mortem.* Origenes, *in 2. cap. Luc. hom. 14. Per baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur.* Cyrillus Hierosolymitanus de baptismate; *Catech. 3. Captiuitatis*, inquit, *liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cælum &c.* Nyssenus, *lib. de baptis. Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis, & regenerationis causa &c.* Chrysostomus, *hom 1. in Acta Apost. In baptismo præcipua pars est Spiritus per quē & aqua fit efficax.* Ambrosius, *De sacram. l. 3 c. 2. Qui venit ad baptismū hoc ipso implet confessionē omniū peccatorū, quod baptizari petit vt iustificetur, hoc est, vt à culpa ad gratiam transeat. Et quæ impossibilia sunt homini, possibilia sunt apud Deum: Nam & impossibile videbatur vt peccatum ablueret aqua. idem de pænit. lib. 2. c. 2.*] Hieronymus *ep. 83. ad Oceanum. de vi quam habet baptisma, & aqua Trinitate sanctificat*, se disputaturum pollicetur. Optatus *lib. 5. Baptisma confert gratiam.* Augustinus, *in Ioan. tract. 80. Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Gregorius, *l. 9. ep. 39. Qui dicit peccata in baptismate funditus non dimitti dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Mitto multos alios.

XXVIII. Hi modi loquendi, quos & in scriptura & Ecclesia veteri obseruamus, satis tribuunt efficaciæ Sacramentis: aliqui efficaciam hanc in Sacramentis non admittunt, nolunt enim Sacramentum attingere productionem gratiæ, ne instrumentaliter quidem; quia fortasse non videtur ipsis stare posse cum iustificatione per solam fidem, & cum perseuerantia Sanctorum. Sola namq; fide volunt hominem apprehēdere iustificationem, & nullum aliud agnoscunt instrumentum: ideoq; excludunt Sacramentum: & post primam iustificationem nolunt amplius hominem egere gratia iustificante, & consequenter si Sacramento corporis Christi fruatur, id ad gratiam iustificantē nihil facere: Ita si absolutio esset verum Sacramentum, eam in semel iustificato iustificationem non operari: quia si semel iustificatus (quod non nisi electo donari putant) decidat in peccatum, id peccatum non esse ei ad mortē putant, neq; gratiā ei eripere, sed non imputari. Reprobos vero, quantumcunque sumant materialiter Sacramenta, per ea nunquam iustificari censent, multo minus sine ipsis: ideo effectus hos dandi gratiam ex opere operato nolunt admittere: sed ipsa Sacramenta operari gratiam in electis asserunt, quatenus ea, sicut facit & verbum prædicatum, excitant fidem, qua fide homo à Sacramento excitatus iustificetur; faciunt præterea, Sacramenta signa gratiæ iam à Deo collatæ; quasi sigilla, ipsam gratiam, vti præsentem, testificantia, & eam datam esse confirmantia.

XXIX. De fide iustificāte, & de amissibilitate iustificationis, non est hic locus disputandi. Nostram tamē Sacramentorum efficaciam etiam ex opere operato, tolerare facile possint, nec propterea vnioni nostræ, si quis nostrum eam cuperet, resistere. Nam & ipsi Sacramenta negare non possunt, sed coguntur fateri esse signa efficacia gratiæ, hoc est non tantum significatiua, sed etiam talia, vt gratia ea semper vel consequatur, vel comitetur, imo si Bellarmino credimus, *vbi sup. c. 3.* plus adhuc dixit Caluinus: videlicet lauacrū esse sym-

esse symbolum efficax; quia Deus dum hoc signum ostendit, simul etiā operatur quod per illud significat.] Hoc vero quamuis Bellarmino non sufficiat, quia sic per accidens coniungitur effectus cum Sacramento: mihi tamen, ac Catholico cuiq; sufficere debere videtur. Nam & supra dixi, nos non posse modum assignare, quo Sacramenta operentur, non ergo necesse est, vt quæramus coniunctionem per se: quæ quoniā magnas patitur difficultates, ideo nostri veteres, etiam scholastici, satis sibi esse putarunt, si hæc sola coniunctio per accidens adsit, vt videlicet præsente Sacramentali actione, Deus ex se solus, & immediatè quasi viso suo sigillo, gratiam donet. Hanc tamen præsentiam, non vt casualem, & mere per accidens ponunt, sed quodammodo per se, ex pacto Dei, quæ sit conditio sine qua gratiam ordinarie non donat. Sicut imaginantur, *inquit Gersonius, de Aufer. Papæ Consid.15.* Doctores multi de potentia collata Sacramentis, respectu gratię, quam figurant, non enim attingit illa virtus actiua Sacramentorum substantiam gratiæ, sed tamen sunt causa, sine qua talis gratia nequaquam crearetur.] Possumus igitur facile nos inuicem tolerare. Alias difficultates etiam circa hęc ipsa, vt à meo instituto remotiores, omitto. De ministris tantum Sacramentorum dicam aliqua *postremo cap. huius libri.*

CAPVT V.

Baptismum esse verum Sacramentum, non item Confirmationem.

SVMMA CAPITIS.

In Baptismo est integra ratio perfecti Sacramenti. nu. 1.2.
De materia, & forma Baptismi disputatur nu.3.4.5.6.
Confirmationem non esse verum Sacramentum ostenditur, Primo, quia non est à Christo institutum, sed potius ab Ecclesia. num.7.8.9.
Secundo, quia est pars ceremoniæ baptismalis, non seorsim per se Sacramentum, à num.10 ad nu.25.
Tertio, quia non habet certam rem sensibilem, seu materiam. à nu.26. ad nu.31.
Quarto, quia per modum Sacramenti impositione manuum, qua vtebantur Apostoli, iuxta Augustini explicationes, effectum spiritualem non operatur. à nu.32. ad nu.43.
Quinto, quia forma verbalis in Confirmatione aut non est, aut nihil efficit. nu.44.45.46.
Obiectiones demum soluuntur à nu.47. ad finem.

I. IAm iam ad singula Sacramenta accedo, non quod mei instituti sit, de ipsis plene, in quantum dogmatica sunt, disputare, sed vt veram in ipsis Sacramenti naturam & essentiam inquiram; ac inde ea, quæ de numero septenario Sacramentorum à nostris asseruntur, ad examen adducantur. & propria Ecclesiastica potestas, quæ per hos actus, qui dicuntur Sacramenta, exercetur, penitus agnoscatur.

II. In Baptismo itaque totam, veram & integram veri & proprij Sacramenti naturam facile est inuenire: qui a octo illæ, siue decem, veri Sacramenti conditiones, *supra cap. precedenti num 7.* positæ omnes perfectissime in eo inueniuntur, adeo vt ex ipso Baptismo solo, vel maxime tota veri Sacramenti natura optime, tanquam à singulari exemplari, colligatur. Ante omnia est signum: lotio enim adhibita homini per sacros ministros ordinarie, quorum non sit officium & munus balnea curare, & hominum corpora lauare, sed animorum duntaxat curam exercere, ingerit profecto in ea lotione aliquid spirituale latere, & eam aliquid aliud, quo lotio corporalis non attingit, significare. Secundo, est signum sensibile, vt per se patet. Tertio significationem habet Sacramentalem, ablutionis nimirum animæ, non ex sua natura, sed ex diuina impositione. Quarto, Significatio hæc est cum perfecta analogia: quod enim facit lotio externa corpori, hoc in proportione & similitudine facit ablutio interna animæ, hoc est, mundationem & sordium spiritualium depositionem. Quinto, id quod baptismus significat, est res sacra, non profana, est gratia & sanctificatio animæ. Sexto, Effectus hic sanctificationis tunc fit, & producitur à Deo, quando ipse Baptismus peragitur. Septimo, & hoc fit vi Sacramenti, hoc est siue instrumentali, ita vt ipsum Sacramentum attingat vel physicè vel moraliter hunc effectum, vt instrumentum Dei, siue tanquam conditio sine qua ordinarie hic effectus ex pacto Dei non habetur. Octauo, hæc actio est stata & perpetua in Ecclesia, semper eadem. Nono, hæc actio secundum se est indifferens in se, neque vlla ratione debita, aut homini spiritualiter necessaria, aut ab vlla virtute Christiana proficiscens. Decimo denique, instituta est à Christo, & mandata ac tradita Ecclesiæ. *Matth. vlt. vers.9.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.]

III. In Baptismi Sacramento non est cur materiam & formam sensibilem quæramus, quia quicquid est sensibile in Sacramento, id totum est materia; forma vero est vis, quam habet efficiendi effectum spiritualem, ei à Deo concessa: quamuis hanc vim specificare non possumus, in quo illa specialiter consistat, & quomodo illa operetur. Satis vero est Sacramentum operari effectus spirituales, vt iam probaui, *cap. 5. præcedenti num. 27. & seq.* & nihil operatur, quod non habeat vim operandi: siue ergo baptismo Deus communicet vim instrumentalem aliquam, qua instrumentaliter, vel physice, vel moraliter in manu Dei operetur, siue sit conditio sine qua Deus non vult operari, semper in Sacramento erit aliqua efficientia, & illa est forma Sacramenti.

IV. In ipso tamen baptismi materiali sunt ex diuina expressa institutione & res & verba, quia Christus iussit, vt baptizarent in nomine Patris, &c. Res est baptizare, actio nimirum abluendi. Verba sunt; *In nomine Patris, &c.* vt videlicet actio hæc sensibilis lotionis fiat cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis, qua inuocatione innuunt Hieronymus *ep. 83. ad Ocean.* & Augustinus *de bapt. l.3.c.15. & ep.118.* ipsam aquam consecrari, vt ex aqua elementari ordinaria, fiat aqua Sacramentalis: & simul ac eodem tempore, & consecratur aqua tali inuocatione, & fit ipsum Sacramentum ablutionis. Benedictiones enim Sacerdotales, quibus nos aquam baptismalem benedicimus, non sunt vlla pars sacramenti baptismi, neque sunt à Christo institutæ, aut præceptæ, sed sunt ab Ecclesiis tantum institutæ, ad maiorem reuerentiam, ac deuotionem excitandam. Vtinam iam ab omni superstitione essent immunes. Verba autem illa, *Ego te baptizo*, sunt certe in vsu etiam ab antiquo in Ecclesijs multis, quorum loco Græci habent, *Baptizetur seruus Christi:* sed ea sicut omittenda non sunt, ita pars essentialis baptismi nullo modo esse possunt. Christus enim mandauit, vt Apostoli baptizarent, id est, actum baptizandi, seu lauandi exercerent, non autem vt dicerent. & verbis quoq; exprimerent se baptizare: qui enim actu ipso lauat, etiamsi non dicat se lauare, certe lauat: & Christus mandat ipsam actionem lauandi. Qui ergo lauat cum inuocatione Trinitatis, siue dicat se lauare, siue non dicat,

perfectum adhibet baptismi Sacramentum, & perfectissime adimplet mandatum Christi. Non ita, si non inuocet Trinitatem, & sane ore & voce sensibili, non corde tantum & fide; quia mandatum Christi de baptizando in nomine Patris, &c. non potest sine graui periculo trahi ad internam fidē ministri, & verba Christi satis per se indicant inuocandam esse Trinitatem; quamuis aliquando Apostoli, vt nonnullis videtur, baptizarent in nomine Christi: sed hac de re nolo disputare, iam à Theologis sufficienter est tractata.

V. Ego vero non esse necessaria verba illa, *Ego te baptizo*; neque illa, *Baptizetur seruus Christi*, neque alia æquiualentia, contendo: & produco in huius rei confirmationem Stephani Tornacensis Episcopi sententiam, qui *Epist.5.* rem ex professo disputat, & pluribus ex Augustino locis firmat, satis esse, si actio baptizandi fiat cum sola Trinitatis inuocatione, absque illis verbis, *Ego te baptizo*, quæ tamen non esse temere omittenda monet, attamen illud addit; Eam clausulam, *Ego te baptizo*, mater Ecclesia sic induxit, vt esset de solennitate ministerii, non de substantia Sacramenti.] Ad traditionem Ecclesiasticam eam clausulam reducit Bellarminus *de Bapt.c.3.* sed traditio esse non potest qua Christi institutio tradatur, vbi inter Ecclesias non est vniformitas, sed variatio. Et licet adesset vniformitas, habetur duntaxat vsus illius clausulæ, vt solennitatis, non necessitatis, vt explicat Tornacensis.

VI. Non caret adhuc Baptismus suis dissensionibus, & controuersiis, vt de ipsius necessitate, sit-ne necessitas medij, an præcepti: De paruulis sine baptismo morientibus: De baptismo Ioannis: De baptismo sanguinis, an videlicet martyrium ex opere operato idem efficiat quod baptismus: De vero & proprio ministro baptismi: An per baptismum tollatur, an vero tegatur tantummodo peccatum: De amissione gratiæ baptismatis: an liberet ab obligatione adimplendi legem Christi, vel Ecclesiæ, De ritibus, & cæremoniis, & aliæ similes: de quibus dimicent inter se Theologi, sunt enim Theologicæ duntaxat & scholasticæ disputationes, in quibus exerceat quisque suum ingenium: non enim puto ob hæc ab vlla parte vnionem contemptum aut interruptum iri; Certe non sunt tantæ hæ dissensiones, vt non facile possint reduci ad pacificam, vel libertatem, vel conciliationem. Ego his supersedeo, ac ad Confirmationis Sacramentum transeo.

VII. Confirmationem non esse verum & proprium nouæ legis Sacramentum, facile est ex multis demonstrare; & sane primo ac præcipue, quia non est à Christo institutum, nam neque in Euangelio vllus est locus, qui vel à longe innuat hanc institutionem & mandatum de danda Confirmatione; neque Apostoli vnquam asseruerunt se talem institutionem, vel tale mādatum à Christo accepisse. Confugere vero ad traditionem vt facit *Bellarm. de Sacram in gen. l.1.c.14. & de Sacram. Confir. c.9.* in asserendis diuinis Sacramentis, quæ sunt in Ecclesia maximi momenti, mihi videtur valde temerarium: certum enim & euidens esse deberet, id perpetuo in Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse inuariabiliter, nō modo seruatū, sed seruatū tanquā rem à Christo institutam & mādatam cum sua promissione. Videbimus porro in sequentibus, nihil constans de Confirmatione, nihil firmum; nihil certum in ipsis haberi traditionibus, sed in hac ceremonia maximam & essentialem intercessisse variationem, & nusquam constat, id tanquam Christi institutum fuisse traditione propagatum. Plurima enim, quæ spectant ad ritus, etiam cum aliqua significatione, & efficacia spirituali, ex Ecclesiæ traditione, sunt ipsamet Apostolica non Christi instituta, vt Consecrare aquam baptismi, oleum, & ipsummet baptizandum; hoc est preces quasdam super ijs fundere, Basilius *de Spir. sancto c.27. & Hieron. adu. Lucif.* vult haberi ex Apostolica traditione: sic orare ad Orientem: sic genua die Dominico flectere: & similia. Et si hæc neque sunt vera Sacramenta, neque à Christo instituta, etiamsi ab Apostolis forte vsurpata, cur signare frontem oleo dicat quis esse & Sacramentum & Christi institutionē, quia Apostoli id faciebant? Sed quomodo Apostoli potuerunt, inquit Bellarminus, ex ipsorum institutione efficere, vt Spiritus sanctus etiam sensibiliter descenderit in suos confirmatos? Ad hoc respondebo inferius cum Augustino, id ad temporariam miraculorum potestatem spectasse; atque interim habemus Amalarium Fortunatum expresse docentem *in lib. de Eccl. offic. l.1.c.12.* olei vsum ab Apostolis fuisse, non ait, promulgatum, sed institutum: & sane non nisi ad infirmorum leuamen: postea vero Apostolicis viris, hoc est Apostolorum successoribus vsum olei adhibitum ad Neophytorum cōsignationem, Apostoli autem, *inquit*, hac arte, id est olei, vtebantur in redintegratione infirmorum: Apostolici viri in consignatione Neophytorum. Quapropter non sine peccato à nobis potest dimitti quod eorum autoritas consecrauit. Sic enim scriptum est in Euangelio, *Marc.6.13.* Exeuntes prædicabāt & vngebant oleo multos ægros, & sanabant. Et Iacobus, *cap.5.14.* Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Vnde patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, vt ἐνεργούμενοι, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato. De eo oleo quod infunditur super Neophytos non tale quid legimus, sed tenemus Apostolicam consuetudinem & autoritatem suam accepimus à Romana Ecclesia, quam pro lege tenere oportet.] Ecce tota institutio harum vnctionum est ab Apostolis.

VIII. Certe Hugo de Sancto Victore, *l.2. de sacram. par.15.c.2.* & Magister sententiarum *l.4. dist.23.* expresse negant, omnia illa septem Sacramenta fuisse à Christo instituta: quod profecto etiam propter Confirmationem eos dixisse non dubito, cuius institutionis nullum vel leue indicium in Euangelio videbant. At vero Alexander de Ales *4.p.q.24.m.1.* primam institutionem Confirmationis ponit in Concilio Meldensi. Videtur etiam idem sentire Bonauentura. *in 4. dist.7. art.1.q.1.* Priores duos, vt effugiat Bellarminus *de sacram. in gen. l.1.c.23.* institutionem in ipsis accipiendam esse censet pro declaratione, seu promulgatione: sed ipsorum verba hoc non patiuntur, & præuium habent Amalarium, & alios antiquiores, vt mox dicam. Alexandrum vero & Bonauenturam errare putat, quia Confirmationem inuenit ante Concilii Meldensis tempora in Fabiano, Areopagita, Tertulliano, Cypriano: de quibus nos infra. Nunc mihi satis sit, tempore Alexandri & Bonauenturæ de fide non fuisse, Confirmationem esse verum Christi Sacramentum; aut hos duos grauissimos Theologos, quorum prior fuit Thomæ Aquinatis Magister, in hoc articulo hæreticos fuisse.

IX. Baptismum Nouatiani in lecto susceptum Cornelius Romanus tanquam imperfectum arguit ex eo, quod aliquas ceremonias prætermiserit, atque inter has ponit confirmationem seu consignationē, aut obsignationem: has vero necessarias fuisse ex Ecclesiastico Canone asserit. Verba Cornelii *Apud Euseb. l.6.c.35.* sunt, Verum morbo tandem elapsus, neque cæteris quibus post baptismum secundum Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat acquisiuit, neq; Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit.] Fuisse autem hanc obsigna-

signationem partem ceremoniarum Ecclesiasticarum, ad completum baptismum pertinentem, statim confirmabo. Hieronymus quoque *adu. Lucif. ante med.* consuetudinem ac legem Ecclesiæ esse ait, vt baptizatis ad Spiritum sanctum inuocandum manus imponantur. Non quidem, *inquit*, abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat: sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?] Consuetudinem porro seu manis eam etiam vocare traditionem, fuisse ad legem Ecclesiasticam deductam non est dubium, non quidem in Concilio Meldensi, sed in Laodiceno, magnæ autoritatis in Ecclesia vniuersali, cuius Canones omnes fuerunt in codice Canonum Ecclesiæ vniuersæ; eius vero Canon vnus talis est. Quod oportet eos qui baptizantur post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & Regni Christi participes esse *Concil. Laodic. c.* 48.] Qui Canon in codice est 152. Si ergo hæc confirmatoria ceremonia canonibus est Ecclesiasticis instituta, ad Christi institutionem non spectabit. igitur neq; erit verum Sacramentum.

X. Secundum argumentum est, quia hæc ceremonia confirmandi, seu consignandi fuit in antiqua Ecclesia per plura secula ceremonia pura Ecclesiastica, ad ritus baptismi pertinens; non ergo est peculiare Sacramentum: atque hoc iam conabor euidenter ex ipsa antiquitate demonstrare. Constitutiones Apostolicæ, etiamsi neque Apostolorum, neque Clementis sint, antiquissimæ tamen sunt, vnctionem hanc confirmationis seu sigilli esse vnam ex baptismalibus ceremoniis expresse docent *libr. 3. cap. 16.* Vbi enim asseruerunt, caput baptizandorum esse ab Episcopo oleo vngendum, in figuram spiritualis baptismi, & inde aqua baptizandos, postea vero vnguento ab Episcopo liniendos, addunt *ibid. cap. 17.* ista. Datur igitur Baptismus in mortem Iesu, aqua pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, sigillum pro cruce, vnguentum & confirmatio professionis, mentio fit Patris, vti causæ, & mittentis Spiritus sancti vti testis, &c.] Atque iterum, vbi de Catechumenis baptizandis agunt, & chrismatis, & vnguenti benedictiones apponunt, in solius baptismi gratiam. De Chrismate, *ibid. lib. 7. c. 42.* sic loquuntur. Benedicitur hoc oleum à sacerdote in remissionem peccatorum, & præparationem Baptismi.] Vnguentum similiter in gratiam Baptismi benedicitur; in qua benedictione & prece hæc verba habentur, *ibid. cap.* 44. Da nunc etiam hoc vnguentum operari virtutem in baptizato, vt firma & sancta in eo maneat fragrantia odoris Christi tui, & commortuus ipse resurgat, & viuat vna cum Christo.] Hæc vero resurrectio est proprius, & proximus effectus baptismi, ergo & vnctio olei, & linimentum vnguenti ad baptisma perficiendum spectant: imo iuxta sensum harum Constitutionum vnctio prima, qua caput vngebatur (& in aliquibus Ecclesiis totum corpus, vt paulo post videbimus) erat ad Spiritum sanctum impetrandum; nam Christus dixerat, *Iohan. 3. v. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Ad inuocationem ergo Spiritus sancti adhibeatur vnctio ex oleo, in figuram (inquiunt Constitutiones) spiritualis baptismi, id est baptismi per Spiritum, iuxta illud quoque, Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Quod etiam explicat Fulbertus Carnotensis *epist. 1.* qui vnicum facit Sacramentum ex aqua & chrismate. Vnguentum vero, hoc est chrisma ex balsamo & aliis odoratis liquoribus (nam ponunt illæ Constitutiones etiam chrisma ex puro oleo, vt videmus) volunt, non ad inuocationem Spiritus sancti, sed ad confirmationem professionis, quam facit baptizatus, pertinere. Ille quoque, qui Clementis Romani nomine epistolas scripsit; cum *epist. 4.* perfectum Christianum faciat per aquam baptismi, & per confirmationem Episcopi, planum est vtrumque pro vnico Sacramento, hoc est perfecto baptismo sumi. Sic etiam Vrbani nomine edita epistola confirmationem requirit, vt quis plene Christianus inueniatur: quod etiam posuit Concilium Aurelianense primum, *cap. 3.* quod verum esse non potest, nisi propter baptismum, cuius pars ceremonialis Ecclesiastica tamen sit ipsa Confirmatio.

XI. Dionysij Areopagitæ, liber, fictus fortasse, sed tamen ab Autore satis antiquo perscriptus, vnctionem illius temporis ponit in toto corpore baptizandi: & post aquæ baptismum addit aliam ex vnguento vnctionem à Pontifice: & sane in ipso baptismate absoluendo, *Areop. de Eccl. hierar. vbi de baptism.* Post quam nullam aliam ponit vnctionem: hanc enim postremam, quæ data est in baptismo, perficiendi vim habere ait, & signo crucis peragi, vt baptizatus sciat Christum pro ipsius regeneratione mortuum esse, *Ibid. vbi de interpretat. Seraphin.*

XII. Fabiani & Melchiadis Romanorum Pontificum antiquorum nomine editæ epistolæ, si quid autoritatis habent, adhuc & ipsæ supponunt & innuunt partem baptismalium rituum esse consignationem. Fabianus enim *epist. 2.* ait, Baptismum sancti chrismatis vnctione perfici atque confirmari: Confirmatio ergo non est nomen absolutum, vnum per se Sacramentum significans; sed relatiuum, vt vnctio chrismatis sit baptismi confirmatio, hoc est vltima ceremonia, vltimusque ritus, quo totus baptismi ritus absoluitur & consummatur. Melchiades quoque *epist. vn.* duo Sacramenta (hoc est, duo mysteria, puta lotionis, & manus impositionis) facit ab inuicem inseparabilia, & vnum, inquit, sine altero rite perfici non potest, & manus impositio & confirmatio ad baptismi perfectionem pertinet] sed mittamus Apocrypha.

XIII. Tertullianus *de Baptismo.* vbi de solo Baptismo tractatum habet, vnctiones & confirmationem adhibet tanquam sui temporis ritus baptismi ordinarios. Exinde, *inquit*, egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione, de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in Sacerdotio solebant, sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritualiter proficit. Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum. Tunc ille Sanctissimus spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, super baptismi aquas, tanquam pristinam sedem, recognoscens conquiescit, &c.] Pergitque hæc omnia ipsi baptismo applicare; & transitum facturus à ritibus ad necessitatem baptismi tractandam, sic ait, Diximus quantum mediocritati nostri licuit de vniuersis, quæ baptismi religionem struunt, &c.] Igitur ad ipsam baptismi religionem spectarunt & vnctiones, & manuum impositiones, ad Spiritum sanctum inuocandum. Ita clarissime Tertullianus *de resurrect. carnis.* Confirmationem partem Baptismi agnoscit. Vbi itaq; ait, Caro abluitur vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur; caro signatur, vt anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur.] Hæc omnia vnico integro exhibentur Sacramento, nimirum Baptismo: quod vero addit, Caro corpore Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur, ad aliud spectat Sacramentum; sed non propterea singula præcedentia singula denotant Sacramenta, neq; enim possunt, sed ad vnicum spectant, vt est explicatũ, ex li. eiusd. de Baptismo.

Frustra ergo Bellarminus *de Confirm.c.6.* Tertullianum protulit ad Confirmationis Sacramentum; vt vnum peculiare, & ab aliis distinctum, asserendum.

XIV. Cyprianus suam tractans argumentum de Baptismo hæreticorum, vt probet ipsum nihil efficere, percurrit ritus & ceremonias præcipuas, quarum tunc vsus erat in baptismo, & eas nihil efficere, nihilq; obtinere conatur ostendere; vt inde tandem colligat, totum baptismum hæreticorum nullum habere effectum spiritualem; at vero inter baptismi ceremonias ponit Ecclesiasticam aquæ, & olei consecrationem, & ipsam vnctionem. Vngi quoque, *inquit, lib.1. epist. vlt.* necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.] Hæc profecto vnctio est pars baptismi apud Cyprianum; quia enim talem vnctionem inefficacem esse probat, si ab hæretico fiat, inde colligit baptismum ipsum esse inefficacem. Ab inualiditate vnius Sacramenti, non licet colligere inualiditatem alterius: laicus enim inualide consecrabit, at vero valide baptizabit. Vnctionem porro hanc esse eam; quam nos iam vocamus Confirmationem, & admittit Bellarminus *de Confirm.c.6.* & non abnuit, sed inclinat Pamelius *in epist. Cypr.70.* & ex verbis Cypriani cogimur fateri, vbi huic vnctioni chrismatis dat peculiarem effectum gratiæ Christi; sed certe simul & in solidum cum ablutione baptismali. Eodem penitus sensu improbat baptismum hæreticorum etiam alibi, sed quia aduersarij ei opponebant locum ex actis Apostolorum *cap.8.v.17.* vbi Samaritani à Philippo baptizati sola manuum impositione suntà Petro, & Ioanne confirmati, non autem rebaptizati, respondet, locum ad suam causam nil pertinere, quia rite & legitime Ecclesiastico baptismo baptizati fuerant, ideo baptizati, inquit *Cypr. ad Iubaian.* eos vltra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita inuocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.] Certe non nisi de baptismo, seu illo suo Anabaptismo disserebat, & consequenter quæ dicit de Confirmatione, ea ad ipsum baptismum pertinebant. Et verba illa (*quod deerat*) & , (*consummentur*) exprimunt satis, manus impositionem fuisse in vero Ecclesiastico baptismo partem ceremonialem, & vltimum ritum quo baptismi Sacramentum consummaretur, vltimumq; acciperet complementum.

XV. Iustinus non quidem Philosophus ille & martyr, meo iudicio; sed alius quispiam, antiquus tamen Autor, huiusmodi proponit quæstionem, *de quibusdam necess. qq. q.137.* Si Dominum Maria, antequam sepultus esset, vnguento perfudit & inunxit, nos autem eius & passionis & resurrectionis in baptismo significationes perficimus, cur primum oleo inungimur, deinde cum ea quæ ante dicta sunt in piscina expleuimus, vnguento postea perfundimur, nec; hæc nos præpostero, contrarioq; ordine iis quę in Christo facta sunt, facere existimamus? Siquidem primum Christus vnguento inunctus est, deinde mortem pertulit. Quid autem causę est quin superuacanea olei perfusio iis qui baptizandi sunt adhibeatur? Siquidem solo vnguento Dominus in passione perfusus est.] Ex hac huius quæstionis propositione plane constat, vtramq; vnctionem in baptismo peragi, & ceremoniis baptismi significationes etiam illas contineri, quas vnguenti delibutio secum fert, hoc est, chrismatis, & in ea vnctione quam nostri volunt esse Sacramentum peculiare Confirmationis, pro quo Bellarminus *de Confirm.c.5.* hunc eundem locum citauit, sed immerito: vt patet.

XVI. Concilium Elibertinum circa tempora primi magni Concilij Niceni in Hispania celebratum, Confirmationem supponit satis clare esse partem baptismi, licet ipsum quoque pro se, Bellarminus *de Confirm.c.4.* at vero valde immerito, afferat. Concilij vero Canon vnus talis est: *cap.38.* Peregre nauigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita vt si superuixerit ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.] Noluit Bellarminus parenthesim illam obseruare (qui lauacrum integrum habet.) At quomodo potest esse lauacrum non integrum? Vbi videlicet quis baptizatus est, sed Episcopalem manus impositionem Confirmatoriam non habuit. Ad integritatem ergo baptismi additur ceremonia Confirmationis: quæ perficit baptismum, vt est in eodem Canone, si perficit baptismum; integrum profecto facit lauacrum. Illa ergo est pars baptismi, & non Sacramentum peculiare. Est etiam in eodem Concilio *epist.77.* alius Canon, qui sic habet. Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de seculo recesserit, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse iustus.] En rursus baptismus sine vltima ceremonia confirmatoria à non habente confirmandi autoritatem datus, benedictione, hoc est confirmatione Episcopali perficitur, vt sit integrum lauacrum: imo, vt videmus in hoc Canone, tam imperfectus (at certe perperam) putabatur sine Confirmationis ceremonia baptismus, vt suo effectu vacuus putaretur, aiunt enim, si baptizatus moriatur sine Confirmatione, eum iustum, hoc est, iustificatum & saluum virtute suæ fidei, (non igitur virtute Sacramenti) futurum.

XVII. Optatus Mileuitanus libr. 7. retorquet in Donatistas id, quod ipsi Catholicis opponebant, eos esse muscas morientes, quę corrumpant vnguenti suauitatem: & ostendit ipsis Donatistis hoc conuenire, vt videlicet corrumperent suauitatem vnguenti Chrismatis, dum ad eos ex Catholicis venientes rebaptizarent, & consequenter denuo vngerent. Si autem vnctio hæc esset distincta à baptismo, sat fuisset Optato Donatistis obiicere, eos corrumpere vnguentum, quia denuo Chrismate vngerent, quasi fœtidam & corruptam censentes vnctionem, quæ apud Catholicos daretur. At vero rebaptizationem sumpsit, quia vnctio erat quasi pars Baptismi, & qui baptismum repetebant, necesse erat vt etiam vnctionem repeterent, vtriq; partem baptismi. Optatum porro loqui de vnctione confirmatoria patet dum ait, Vos exterminastis in rebaptizatione suauitatem olei illius quod in nomine Christi confectum est, vnde condirentur mores, vnde incenderetur lumen mentis, &c.

XVIII. Contendebant aliquando Luciferiani, laicos ab Arianis Baptizatos ad Catholicam venientes, esse sine rebaptizatione per manus tantummodo impositionem, ad inuocandum super eos Spiritum sanctum, recipiendos: Episcopos vero Arianos non esse cum Episcopali autoritate retinendos, quando fiunt Catholici. Hoc oppugnat Hieronymus fusè. Et quia illam suam receptionem laicorum sub sola manus impositione Luciferiani confirmabant, tum ex facto Apostolorum, *Act.8. v.17.* tum ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, & traditione, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus; Hieronymus

ronymus admittit hoc consuetudine & lege Ecclesiastica fieri, sed tamen manus imponi rite & legitime baptizatis, in recta nimirum sanctissimæ Trinitatis fide, (quod in Arianismo non fuisse putat, aut dubitat, sed immerito, Hieronymus, illi enim secundum Augustinum *de bapt. lib. 3. c. 15.* verum dabant baptismum in Trinitate, licet de Trinitate perperam sentirent, & docerent) & ita non posse Spiritum sanctum accipere per manus impositionem, qui in baptismo remissionem peccatorum non accepit. At ne nimium fiderent illi manus impositioni, sed potius innitetentur baptismo, vlterius innuit, imo & explicat Hieronymus, Confirmationem per manus Episcopalis impositionem, esse quidem ceremoniam ad baptismum pertinentem, ita tamen, vt neque necessaria sit, neque quicquam illa per se spiritualiter efficiat: Sed quod ei à quibusdam tribui solet, vt det Spiritum sanctum, id totum perfectissime haberi in solo baptismo, lege tamen Ecclesiastica eam adhiberi propter solum honorem quendam externum Episcopalis dignitatis. Quod si hoc loco quæris, *inquit, Hieronym. adu. Lucif.* quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui; disce hanc obseruationem ex ea autoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit: & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotij, quam ad legis necessitatem. Alioqui, si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inuiserentur. Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes: inde venit vt sine chrismate, & Episcopi iussione, neque Presbyter, neq; Diaconus ius habeant baptizandi: quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere Laicis. Vt enim accipit quis, ita & dare potest.] Non igitur institutionem peculiaris Sacramenti deducit Hieronymus ex descensu Spiritus S. super Apostolos *Act. 2. v. 3.* aut ex eorundem manus impositione, *Act. 8. v. 17.* sed inde Ecclesiam occasionem sumpsisse asserit illius ceremoniæ in baptismo addendę: quæ postea à baptismo separata fuerit, & in honorem Episcopalis gradus Episcopis perpetuo reseruata, humana tamen institutione, vt Episcopi, autoritate quadam extraordinaria aucti, aptiores essent ad schismatibus obuiandum. Hoc arrogantiæ tribuit Beda in *Psal. 26.* Et confirmationem Episcopalem tertia quadam vnctione fieri docet, quæ tamen diuersa sit à secunda, quæ nimirum baptisalis erat ceremonia, vt iam explicatum est.

XIX. Ambrosius suum de Sacramentis tractatum habet, quem tamen totum baptismi duntaxat, & Eucharistiæ tractatione absoluit. Et vbi varios ritus, variasq; ceremonias baptismi mystice contemplatur, interposuit etiam considerationem spiritualis signaculi; quia post fontem, *inquit, lib. 3. c. 2.* superest vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.] Addit vero *ibid. c. 1.* hanc ceremoniam tanquam vltimam, & totius baptismi consummationem, ac perfectionem, aliis præcedentibus, albæ vestis, lotionis pedum, &c. Et post eam explicatam adhuc *ib. lib. 4. c. 1. 2.* pergit ipsum baptismum considerare. Post hæc ad Sacramentum Eucharistiæ considerandum accedit. Atque vbi in omnibus Sacramentis mysterium Trinitatis, & Christi passionis, idem Ambrosius agnoscit, ait, *ibid. lib. 6. cap. 2.* Ergo vnxit te Deus, signauit te Christus; quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma ad illius passionem, accepisti signaculum ad ipsius similitudinem, vt ad ipsius formam resurgas.] Hæc profecto de ceremonia confirmatoria, nam & præmisit nonnulla de vnctione spiritus. Vbi vero vult hæc mysteria adimpleri? In quo Sacramento? Audi: & tuus homo vetus in fontem demersus peccato crucifixus est, & Deo viuit.] Planum ergo est, in Ambrosio Confirmationem ipsam, seu obsignationem esse partem ritus baptismalis.

XX. Augustinus de processione Spiritus sancti à Patre & Filio disputans, docet ex Scripturis, Spiritum & à Patre & à Filio dari: neque posse Deum ab alio dari nisi à Deo: neque enim, *inquit, de Trinit. lib. 15. c. 26.* aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe vt veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat Ecclesia. Propter hoc & Dominus ipse Iesus Spiritum sanctum non solum dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, propterea dictus est plenus gratia, & manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum, *cap. 10.* Quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto; non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.] Quid sibi vult Augustinus illis dictis, *Seruat Ecclesia: vngit Ecclesia*? An ita diceret, baptizat Ecclesia? Nequaquam profecto, sed intelligit hos esse ritus Ecclesiasticos, & ceremonias ab ea institutas, significatrices tamen, nam legitimæ & sobriæ ceremoniæ ad significationem profecto instituuntur, & hac ratione sacramenta in lata significatione solent appellari: sed præterea orare vt veniat Spiritus sanctus, profecto non est ministrare Sacramentum: & (quod hic præcipue ex Augustino intendo) vngere baptizatos, est ceremoniam circa baptismum exercere. Itaque Augustinus consentit Patribus iam à me prolatis, Confirmationem esse partem ceremonialem & ecclesiasticam baptismi, quia baptizatos vngit Ecclesia.

XXI. Theodoretus *lib. 3. heret. fab.* Nouatiani, *inquit*, pœnitentiam à suo conuentu arcent penitus, & iis qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbent: Quocirca eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti Patres vngi iusserunt.] Igitur iis, qui tinguntur, hoc est, qui baptizantur, chrisma præbendum erat, & sicubi omissum fuisset, etiam post baptismum supplebatur, non tanquam nouo sacramento, sed tanquam baptismi iam peracti ceremoniali complemento. Hoc idem Cornelium Papam obseruasse supra monuimus *num. 9.* nimirum Nouatianum in lecto baptizatum omisisse ritus omnes, qui secundum Ecclesiæ Canonem erant adhibendi, & inter hos omisisse cum etiam Dominici sigilli obsignationem. Rursum vero idem Theodoretus, *in Cantic. cap. 1.* Qui initiantur, *inquit*, baptismo, post Satanæ abnegationem, & confessionem fidei, veluti signo ac nota regia spiritualis vnguenti chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie, inuisibilem sanctissimi spiritus gratiam percipiunt.] Qui igitur baptismo initiabantur, confirmatorie quoq; inungebantur.

XXII. Seuerus Patriarcha Alexandrinus minute totum baptizandi ritum præscribens, signat profecto baptizandos in fronte ter oleo, sub certa verborum forma, *Signatur talis, &c.* cum præcedente oratione qua inuocatur aduentus Spiritus sancti supra baptizandos. Posthæc fit baptismus, sub hæc verba: *Baptizatur talis N. in nomine Patris, Amen, & Filii, Amen, & Spiritus sancti ad vitam sæculi sæculorum.*

Deinde,

Deinde obsignantur chrismate ipsi baptizati, per omnia membra, & per totum corpus. Orat postea sacerdos his verbis, *Coram te vos omnes, & si serui tui qui nunc baptizati sunt, &c.* [*Seuer. in Biblioth. SS. PP. tom. 6.*] neque nominat aliud Sacramentum nisi baptismatis. Igitur illæ obsignationes ad baptismum pertinebant.

XXIII. Ioannes Damascenus *de fide lib. 4. cap. 10.* Oleum, ait, in baptismate assumitur, vnctionem significans, & Christos nos efficiens, & misericordiam Dei nobis annuncians per Spiritum sanctum.] Vult igitur vt omnes superiores, dari Spiritum sanctum in baptismo, sed per illam olei ceremoniam, quæ vere fit ceremonia baptismum complens, non nouum Sacramentum tribuens: vt sic fieret regeneratio ex aqua & Spiritu sancto: sed simul per vnicum baptismi Sacramentum totale, quamuis re vera, vt optime supra obseruabat Hieronymus, solum ablutionis per aquam Sacramentum, Spiritum quoque sanctum plene assequatur. Sed & illud habet idem Damascenus *ibid cap. 14.* Vt in Baptismate coniunxit Christus oleo, & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fiat illud lauacrum regenerationis; ita &c.]

XXIV. Alcuinus scribit epistolam ad Oduinum Presbyterum, de baptismi ceremoniis; certe vltimam ponit Confirmationem. Nouissime, *inquit*, per impositionem manuum à summo sacerdote septiformis gratiæ spiritum accipit, &c. Sed clarius vbi ex professo rem tractat: in recensendis enim baptismi ritibus ponit confirmationem, primum per orationem Episcopi, cum manus impositione, deinde statim per consignationem factam chrismate in fronte: Monet vero Alcuinus ibi videlicet *de diuin. offic. c. 9.* hoc pacto: Sane illud præcauendum est, vt hoc non negligatur: quia in hoc omne baptisma legitimum Christianitatis nomine confirmatur.] Non est igitur hæc consignatio Sacramentum Confirmationis, sed est confirmatio Sacramenti, nempe baptismi, & consequenter etiam secundum Alcuinum ad baptismum spectat. Quod ipsum etiam mihi videtur Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. 3. mystag.* satis expressisse, vbi ait. Huius sancti Chrismatis dono accepto appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eousque progressi estis vt efficeremini Christiani.] Quis non videt his verbis Cyrillum includere baptismum, in quo vere regeneramur, & per quem vere & proprie fimus Christiani? Sed nondum, *inquit*, plene, nisi post vnctionem. & Christus significat vnctum: Christiani igitur plene merito appellantur qui in baptismo etiam sunt vncti.

XXV. Rabanus quoq; partem esse baptismi, quoad ritus æque agnoscit chrisma in vertice per sacerdotem datum baptizato, ac etiam in fronte per Pontificem, *De consec. dist. 5. c. Nouissime.* Profecto postea idem expressit etiam Goffridus Vindocinensis Abbas, *Apud Iuret. ad Iuonis epist. 255.* Et aliqui ex superioribus iam à me positis testibus innuerunt. Atque ex his omnibus testimoniis confirmatum maneat primum argumentum, quo ego Confirmationem à numero proprie sumptorum Sacramentorum excludebam, quia à Christo non erat instituta, sed ab Ecclesia ad ritus baptismales complendos. Sigillum vero huic veritati apponat Deusdedit Pontifex Romanus, qui ex cathedra illa nobis tremenda & adoranda sic docet. Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi, à primo pabulo sacrati salis, & ingressus S. Ecclesiæ, vsque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma,] itaque ex septem ceremoniis baptismi prima est salis degustatio; vltima chrismatio: pars igitur baptismi, quod intendimus.

XXVI. Tertium argumentum sit, quod Confirmatio non habeat certam fixam & firmam rem sensibilem, quam nostri materiam vocant Sacramenti. Aliquando enim sola manus impositio adhibita est, aliquando chrismatis vnctio, modo in vertice, modo in fronte, modo in omnibus membris, & toto corpore. vt iam vidimus: modo puro oleo, modo oleo & balsamo, modo aliis odoriferis vnguentis absque oleo: & summa in hoc obseruata fuit semper in Ecclesiis varietas, vt plane constet nihil certi fuisse hac in re à Christo præstitutum, sicut in veris ipsius Sacramentis fuit præstitutum, sed has esse ceremonias & ritus Ecclesiasticos ab ipsis Ecclesiis pie & religiose initio inuentos & institutos.

XXVII. Materiam Sacramenti Confirmationis vult Bellarminus *de Sacrament. Confirm. cap. 8.* esse remotam quidem, oleum balsamo mixtum: proximam vero, vnctionem in fronte per signum crucis. Et probat primum ex Scriptura *2. Cor. 1. v. 21. & 1. Iohan. 2. v. 27.* quibus locis profecto non est sermo de vnctione materiali, sed spirituali. Quod si vult in spirituali vnctione allusionem fieri ad corporalem, dicat ergo Christum quoque fuisse corporaliter Chrismate vnctum: Quomodo vnxit eum Deus, (*inquit Petrus Act. 10. v. 38.*) Spiritu sancto & virtute.] Caute ergo dicit Bellarminus, efficacius ex Patribus suam probari intentionem. Certe quia in scriptura nihil habebat: at vero in Patribus paulo plus lucratur. Vt enim ostendi, ad summum habet Ecclesiasticum aliquem ritum baptismalem, & sane satis varium & diuersum. Sed vnde quæso habet oleum balsamo debere misceri & consecrari? Det nobis huius rei mandatum vel exemplum à Christo profectum. Panem & vinum deberi dari fidelibus in Eucharistiam, & sane consecratum, habemus & mandatum, & exemplum. *Luc. 22. vers. 19. Hoc facite,* inquit, *in meam commemorationem.* Quidnam? quod ipse fecit: videlicet, accipere panem, gratias agere, benedicere & frangere; & propterea si panis non consecretur, licet frangatur, comedatur, non erit Sacramentum, vt infra; Cur aqua baptismi; etiamsi precibus Ecclesiæ non consecretur, apta est ad Sacramentum, non vero panis, nisi quia de pane consecrando habemus Christi exemplum, non ita de aqua? Iam igitur ostendendum est ex scripturis, oleum esse balsamo miscendum. & necessario, neque per quemcunque ministrum, sed per Episcopum consecrandum. Aut si volunt recurrere ad traditionem, probent traditionem haberi tanquam Christi institutionis, nam traditiones etiam, Apostolicas tantum sæpe, præsertim in ritibus, continent institutiones: at vero Apostoli sacramenta instituere non potuerunt.

XXVIII. Chrisma profecto consecrari debere docent Apostolorum Constitutiones *lib. 7. cap. 42.* sed certe in gratiam baptismi id consecrari volunt. Benedicitur, *inquiunt*, hoc oleum à Sacerdote in remissionem peccatorum, & præparationem baptismi.] Et titulus capitis est talis, *Chrismatis mystici olei benedictio.*] Atq; hoc Gratianus facile agnouit; dixit enim, *Dist. 95. §. Chrisma ante c. Presbyteri.* Chrisma vero à suis Episcopis ad baptismi sanctificationem Presbyteri petant. Quia nimirum ad baptismi sanctificationem consecratum est. Quinimo Chrisma benedicitur, tanquam materia communissima ad quascunq; etiam rerum insensibilium consecrationes, vt vult Areopagita *de Eccles. hierar. vbi supr.* & praxis Ecclesiarum nostrarum omnium docet. Chrismate enim, & signo crucis consecrantur campanæ, altaria, Ecclesiæ, calices, æque ac homines. Chrismate

smare baptizamus, chrismate confirmamus, chrismate Presbyterum, chrismate Episcopum ordinamus. Quas ceremonias & consecrationes ex ceremoniis veteris legis desumptas esse (vtinam non multæ superflue, vtinam non etiam superstitiose) fatetur Tertullianus *de Baptism. supra num.13.* Si ergo consecrare chrismate est Sacramentum confirmationis conferre, campanę profecto, altaria, parietes, calices, patenæ & similia, Confirmationis accipient Sacramentum.

XXIX. Si Apostolos huius Sacramenti facimus promulgatores, seu declaratores, quatenus ipsi confirmasse fideles perhibentur, certe non oleum neque vnctionem, sed manus impositionem deberemus huius Sacramenti materiam, seu rem sensibilem ponere. Nos vero abiecta manus impositione, sola vnctione confirmamus. Quæ est isthæc materiæ mutatio? cuius autoritate facta est? Et, si in Sacramento Confirmationis id licuit, liceat igitur etiam nobis, omisso pane, Sacramentum corporis dare, vt olim in carne assa agnina, *Exod.12. vers.8*: quæ maximam habebit mysticam significationem agni immaculati pro nobis in cruce assi. Respondet Bellarminus *de Sacram. confirm. cap.2.* Nunc quoque bis imponi manus confirmandis: Semel, quando super illos manus Pontifex extendit & orat: Secundo, quando eos vngit; ipsa enim vnctio, *inquit*, est manus impositio.] Atqui illa extensio manuum valde improprie dicitur impositio: & si sit impositio, non est tamen sacramentalis, sed pure deprecatoria: neque in ea quisquam nostrorum posuit vim Sacramenti: non ergo illa extensio, aut impositio est materia proxima Sacramenti. Pollice vero duntaxat frontem tangere esse manum imponere, nimis coactum est, nimisque violentum: cum manus impositio semper intelligatur expansa, & desuper applicata. Pontifex autem tantummodo tangit vno digito adversam frontem hominis confirmandi, idque non vt ei manum imponat, sed vt crucem imprimat. Neque exemplum quod affert *Marc.7.v.33.* de lunatico est ad rem: illi enim orabant, vt ei Dominus manus proprie imponeret; ille vero noluit manum proprie imponere, sed digito tetigit linguam, & aures eius, quod non fuit manum imponere, sed digitum adhibere; sicut nos in confirmando pollicem duntaxat adhibemus. Proprius accidit ad manus impositionem, quod nostro confirmato, ex Pontificalis præscripto, alapam impingimus; dicentes, *Pax tibi*, &c, si hæc non est Sacramentalis manus impositio; certe multo minus illa erit, vbi vnicus digitus adhibetur.

XXX. Argutius est, quod nostri Scholastici comminiscuntur, quos sequitur Bellarminus, *ibid. cap.9.* videlicet; vel Apostolos initio vsus manus impositione, quamdiu visibiliter spiritus fidelibus dabatur: postea vero, quando cessauerant hæ formæ visibiles, Apostolos ipsos cœpisse vnctionibus vti. Vel (quod est adhuc argutius) semper Apostolos vsos esse chrismate, & impositionem illam manuum Apostolicarum semper fuisse simul cum vnctione chrismatis.] Mira profecto sacræ Scripturæ declaratio-ne, an detorsio? Manus imponebant, hoc est, vnguento vngebant. Quæro ex duabus actionibus ad vnum effectum concurrentibus, vt sunt adhibitio manus, & vnctio tali adhibitione per manum facta, quæ sit præcipua, & Sacramentalis proprie? Certe si manus adhibetur non sui gratia, sed gratia vngendi, tunc manus adhibitio erit instrumentalis, vnctio vero erit actio principalis, & principaliter intenta. Inepte scilicet Lucas, vbi debuit exprimere actionem principalem, cui effectus deberetur, nempe vnctionem, solam posuit instrumentalem, & siue generalem, incertam, ac indefinitam: quia manu multa fieri possunt circa hominem, potest ille manu aliena lauari, potest vngi, potest percuti, potest pingi, &c. Cum igitur solam manus impositionem expressit, eam profecto vt principalem actionem, & per se intentam, non vt instrumentalem expressit. Etsi vnctio tunc erat principalis actio, satis fuisset scribere, Apostolos vnxisse: nam profecto statim intelligitur eos manu adhibita vnxisse: nisi alioquin pedibus hanc vnctionem peragi potuisse suspicandum sit. At vero manum adhibere, non statim significat vngere.

XXXI. Sed Areopagita, *inquit Bellarminus*, & Clemens, Apostolos vnxisse referunt. Apocrypha ergo obscura clarissimę sancti Lucæ luci sunt præferenda? Lucas dicit, *Act.8.v.17.* Manuum impositione datum fuisse Spiritum sanctum, quod in se est clarissimum: Sciolus aliquis Euangelistam corriget, & intruso glossemate ineptam reddet ipsius Lucæ narrationem? Sed neque hi dicunt, tunc Apostolos esse vsos vnctione, quando per manuum impositionem dabant Spiritum S. Et verum est Apostolos vnxisse infirmos; *Marc.6.13. & Iac.5.14.* sed illud non erat Sacramentum, aut saltem non Sacramentum Confirmationis. Inde vero Ecclesia cœpit vti vnctionibus, etiam in Catechumenis, & dum baptizantur. Neque abnuo antiquissimum esse vsum chrismatis & vnctionum, sed ante Tertulliani tempora nullam Chrismationum memoriam authenticam inuenio; & scriptores Ecclesiastici ante Tertullianum de vnctione Confirmationis nihil dixerunt: Iustinus præsertim *Apolog.2. in fine*: qui exacte recenset totos ritus baptismi, & Eucharistiæ, de confirmatione ne verbum quidem. Vsus igitur Chrismatis Ecclesiarum tantum institutis, & cum maxima, vt vidimus, varietate, & libertate fuit adhibitus. Ex eo vero, quod ex scriptoribus Ecclesiasticis constat, modo Ecclesiam vsam esse sola manuum impositione, modo sola vnctione, modo vtroque, ad inuocationem Spiritus S. num melius colligatur, hæc ad institutionem liberam pertinuisse Ecclesiarum, cum præsertim iisdem etiam temporibus aliæ vno, aliæ altero vteretur modo in confirmando; an vero, quod vult Bellarm. *ibid. c.9.* Apostolos vtroque simul vsos, vbi scriptura non nisi vnum ponit, iudicent eruditi. Nonne vidimus in superioribus, aliquas Ecclesias in frõte signasse, alias in omni præcipuo membro, & in toto corpore? Nonne vidimus aliquos asserentes eandem esse vnctionem in vertice, quæ iam fit in omni baptismo; & in fronte, quę fit in Confirmatione, hoc est vtramq; ad Spiritum S. inuocandum dati? Leo Magnus ita confundit hos ritus, vt manifeste pateat nihil certi illum habuisse, quod circa materiam confirmationis statueret: ait enim, non licere Chorepiscopis altaria consecrare, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conuersis hæreticis paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere; nec chrismate baptizatorum frontes signare; &c. *Distinct.68. c. Quamuis.* Cur vero tanquam diuersa ponit, per impositionem manus Spiritum sanctum tradere; & chrismate frontem signare; nisi quia Ecclesiæ in hoc ritu variabant? Et eiusdem Leonis tempore Concilium Arausicanum primum, [*De consecrat. distinct.4. c. Nullus ministrorum.*] vnicam crismationem satis esse docet, vel eam, quæ fit in baptismo, vel si in eo fuit omissa, eam quæ post baptismum datur. Et vnicam esse satis, vt clare colligitur ex primo dicti Concilij Canone, prout à Burchardo, & Iuone profertur. Neque tunc erant separatæ, Chrismatio in vertice, & Chrismatio in fronte.

XXXII. Quartum igitur sit argumentum; quia ceremonia hæc, manus imponendi, qua vsi sunt Apostoli,

stoli *Act.8.v.17.* non dat Spiritum sanctum, neque per modum Sacramenti, neq; verum effectum Sacramentalem operatur, quod expresse docet Augustinus. Audiamus quæso, quid de illa manuum Apostolicarum impositione ille sentiat: Spiritus, *inquit, de Baptism. lib.3. c.16.* sanctus, quia in sola Catholica, per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, *Rom.5.v.5.* Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt.] Obseruemus ante omnia verba illa, *dari dicitur*; sciebat profecto manuum impositionem illum effectum non facere; sed mysterium illud, Patres, Spiritum sanctum in Ecclesia dari per manus impositionem, dicentes; intendisse explicar, vt nosceremus omnes; Spiritum sanctum, hoc est charitatem, non nisi in Ecclesia dari, schismaticis non dari. Pergit itaque Augustinus *de baptism. lib.3. cap.16.* & ait, Non autem habet Dei charitatem qui Ecclesiæ non diligit vnitatem; ac per hoc recte intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.]

XXXIII. Ecce Augustinus impositionem illam manuum, quæ fiebat ab Apostolis ad impetrandum Spiritum sanctum, non absolute, sed quoad effectus quosdam sensibiles, & gratias gratis datas, linguarum potissimum, ad tempus duntaxat seruiisse asserit; & postea quando iam vbique prædicatum est Euangelium, eam cessasse, quippe non amplius necessariam: Nam & alibi *in epist. Ioan. tract.6.* sic loquitur, Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus, & loquebantur linguis; Signa erant temporis opportuna.] Non negat tamen, vt postea inferius videbimus, Ecclesiam retinuisse illam manus impositionem ad imitationem, & fortasse ex institutione Apostolorum, non ad dandum, sed ad impetrandum Spiritum sanctum super baptizatos, non ad effectus sensibiles doni linguarum, sed ad inuisibiles inuisibilium donorum, præsertim charitatis, quam Spiritus sanctus diffundit in corda fidelium. Sed ne ad impetrandum quidem absolute ipsum spiritum, quin potius ad exorandam stabilitatem & perseuerantiam cum incrementis. Spiritus enim sanctus in baptismo ipso datur, in quo homo regeneratur ex aqua & Spiritu sancto, *Ioan.3.v.5.* Et bene Cyprianus *lib.2. epist.3.* Per baptisma, *inquit*, Spiritus sanctus accipitur, & sic à baptizatis, & Spiritum sanctum consecutis ad bibendum calicem Domini peruenitur.] Si igitur impositio illa manuum Apostolicarum non erat nisi temporaria, & ad effectum sensibilem, & quæ erat cessatura, profecto non erat Sacramentum Ecclesiæ statum & perpetuum: nec illa impositio manuum erat proprie sacramentalis. Non ergo eam habere potuit Ecclesia ab Apostolis, tanquam sacramentum, si Apostoli ea non vterentur tanquam sacramento.

XXXIV. Iam addo, Apostolos etiam pro eo tempore, quo tali manuum impositione obtinebant pro fidelibus Spiritum sanctum, quoad donum linguarum, id non obtinuisse ex opere operato illius actionis, tanquam sacramentalis, sed ex opere tantum operantis, hoc est, ipsorum oratione & precibus. Nam de hac ipsa manuum impositione loquens Augustinus, vt postea ostendam ait, *lib.3. c.16. de Baptism.* Quid est enim aliud (*manuum impositio*) nisi oratio super hominem?] Ideoque eam facit iterabilem: & clarissime Cyrillus Alexandrinus negat illam Apostolicam manuum impositionem sanctum dedisse spiritum, quem non nisi ipsorum oratio dabat: vbi enim docet, neminem posse dare aliis Spiritum sanctum, nisi eum qui Spiritum sanctum habeat, & non ad mensuram, vt Christus tanquam Deus, ideoq; purum hominem Spiritum sanctum negat posse dare, obiicit sibi factum illud Apostolorum, & ait, *lib.2. c.72. in Ioan.* Sed Apostolorum quoq; manibus datum Spiritum sanctum non ignoramus, quispiam obiiciet. Orabant illi Spiritum; ô amice, qui cum exoratus veniret, manibus eorum præberi dictus est.] Non ergo dabatur ex opere operato illius impositionis, quæ erat duntaxat pars quædam, seu signum orationis, sed impetrabatur oratione ex opere operantis. Igitur illa impositio non erat sacramentalis, aut sacramentum.

XXXV. Hinc Ecclesia manus impositionem super nuper baptizatos didicit ab ipso Apostolorum exemplo, imo fortasse traditione, vt Spiritum sanctum suis fidelibus, non ad gratias sensibiles gratis datas & miraculosas, sed ad dona inuisibilia, præsertim charitatis, habenda non daret, sed impetraret, oratione, non Sacramento, nisi late sumpto: quod satis clare exprimit Cyprianus *ad Iulian.* Nunc quoque, *inquit*, apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, per Presbyteros Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.] Illa ergo manus impositio non ad Sacramentum spectat, sed ad Ecclesiæ orationem. Nempe externo illo gestu illa persona, cui manus imponebantur, Deo solennius præsentabatur, & quasi consecrabatur, non consecratione aliqua speciali, quæ ad distinctam aliquam vocationem, aut vitæ conditionem obliget, sed dedicatione tantum generali Christianitatis. Ita scilicet in Christianitate palam testanda, ac ad eam corroborandam diuinis benedictionibus deuouendis preces solenniores cum adhiberentur; iste ritus erat quasi appendix earum orationum. Oratio autem non est res indifferens, prout esse debet omne Sacramentum, vt *supra c.4. nu.7.* monui. Sed ipsa per se, non vt Sacramentum, sed vt oratio, habet suas à Christo promissiones, & suos effectus: & præsertim oratio publica Ecclesiæ sponsæ Christo dilectissimæ. Innuit vero Cyprianus præter manus impositionem, etiam signaculum chrismatis adhiberi solitum, omnia sane ad plenos baptismi ritus, vt iam explicaui.

XXXVI. Cum itaque manus impositio semper sit oratio, & fiat tantum deprecatorie, non est distinguenda Confirmatoria à reconciliatoria illa, quæ non fiat per claues: & est de se iterabilis, quod non potest competere Sacramento Confirmationis, quale nostri sunt commenti, quod imprimat characterem. Et hæc iam expono cum Augustino; Sacramentum, sicut ex opere operato certo ac infallibiliter & semper, siue bene, siue male dispositus sit is qui suscepit Sacramentum, habet suum effectum illum, quo dicitur ille valide suscepisse Sacramentum, siue id character sit, siue quicquid aliud; ita effectus gratiæ, & Spiritus sancti ex opere operato hoc pacto non semper est Sacramento annexus: indispositus enim hunc effectum per Sacramentum non consequitur. Et in hoc sensu planum est, Sacra-

Sacramentum etiam verum & proprium, ex opere operato non dare gratiam; Sed requirere etiam opus operantis: quia semper & cuique illam daret, quod non est verum in indispositis, & indignis. Vbi igitur dispositi & digni, non modo Sacramentum, sed etiam effectum Sacramenti, qui est gratia, suscipiunt, id absolute non est ex opere operato solius Sacramenti, sed quia ministrans Sacramentum, in se habet Spiritum sanctum, dat etiam digne suscipienti Spiritum sanctum; si vero ipse ministrans, vel hæreticus, vel schismaticus, vel malus sit, ac Spiritu sancto destitutus, tunc dabit quidem ipse Sacramentum digne suscipienti, hoc est, & disposito, & in Ecclesia Catholica existenti, gratiam tamen non dicetur dedisse ipse ministrans, etiam instrumentaliter; sed ipsa Ecclesia, in qua ille ecclesiasticum Ecclesiæ donatum accipit Sacramentum: nam in ipsa Ecclesia Catholica residet, tanquam in domo propria, Spiritus sanctus, & nemo illum, vel sibi accipit, vel aliis dat, nisi quatenus eum habet per Ecclesiam.

XXXVII. Sic igitur in hæresi, siue in schismate existentes, siue etiam peccato delectantes, sceleribusq; se contra conscientiam contaminantes, & pœnitentiam respuentes, licet in ipsa Catholica Ecclesia sint permanentes, à quocunque accipiant Sacramentum, siue hæretico, & schismatico, siue orthodoxo, siue bono, siue malo, Sacramentum accipiunt, sed non rem Sacramenti, hoc est, gratiam & Spiritum sanctum. Quam primum vero in hæresi & schismate baptizatus, relicta hæresi ad Catholicam se adiunxerit, tunc hoc ipso facto per hanc vnionem cum Catholica, abiecta hæresi, Spiritum sanctum assequitur, qui iam in ipsum, vt in viuum membrum Ecclesiæ per ipsam Ecclesiam influit, eiq; charitatem & gratiam infundit. Sic malus, cum primum pœnitentiæ remedium adhibuerit, effectum suscepti Sacramenti assequitur, gratiam nimirum, & dona Spiritus S. Hæc omnia ex Patribus colliguntur; ex Athanasio, *cont. Arian. serm. 3.* qui inutilem dicit esse aquam hæreticorum: ex Ambrosio *de iis qui myst. init. cap. 4.* qui baptismum perfidorum, *ait*, non sanare: ex Leone, *epist. 85.* qui negat hæreticos posse dare per Sacramenta sanctificationem: ex Augustino potissimum *de baptism. lib. 3. cap. 16.* illum audiamus: ait vero.

XXXVIII. Quis nunc hoc expectat, vt ij quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari.] Per vinculum pacis, ait; non per manus impositionem: effectus ergo Spiritus est, quia Ecclesia suis viuis membris Spiritum, quo plena est, communicat. Distinguit vero egregie statim ibidem multas Spiritus operationes, etiam per Sacramenta; atque, Cum ergo sit aliud Sacramentum (quod habere etiam Simon Magus potuit) aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet: sicut Saul habuit prophetiam, aliud operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicæ vnitatis & pacis; nec est in omnibus, quia nec eius sunt omnes, sicut suo loco videbimus: Præter ipsam tamen illa charitas esse non potest, sine qua cætera; etiamsi agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt.]

XXXIX. Videmus hæc tria distingui; Sacramentum; Effectum Sacramenti, gratiam aliquam gratis datam; & effectum Sacramenti maxime proprium, qui est gratia gratum faciens, & dona interna spiritualia. Duo priora posse habere etiam hæreticos, & schismaticos concedit: nam Simon Magus habuit Sacramentum baptismi, non tamen effectum vllum, neque priorem, neque posteriorem, ex duobus iam positis. Saul etiam malus, & reprobus habuit donum prophetiæ, (non tamen, quod sciam, per vllum Sacramentum) sed posterior effectus non potest haberi nisi in Ecclesia Catholica. Et quia poterat proponi ei dubium tale; Per quid ergo accipient Spiritum sanctum, qui ex hæresi aut schismate, iam in hæresi aut schismate baptizati, ad Catholicam correcti veniunt; imo non modo baptizati, sed etiam manus impositione confirmati? Respondet sic: *ibid.* Manus autem impositio, non sicut baptismus repeti non potest; quid est enim aliud nisi oratio super hominem?] Quasi dicat, Etsi necessarium non sit, vt quidquam eis sensibile adhibeatur, ad hoc vt vere recipiant Spiritum sanctum; potest tamen eis manus impositio illa confirmatoria rursus adhiberi, cum illa sit simplex oratio, & non Sacramentum sicut Baptismus, ideoque repeti potest: non ita baptismus. Sed re vera quod spectat ad receptionem gratiæ & Spiritus sancti, solam cum Ecclesia Catholica factam vnionem, per hæresis & schismatis abiectionem, satis esse docet Augustinus: sicut etiam in Ecclesia Catholica, indispositi, tamen baptizati, per solam vitæ correctionem gratiam accipiunt baptismi: ait enim, *ibid. cap. 18. & lib. 1. cap. 12.* Sicut autem isti qui intus cum gemitu tolerantur, quamuis ad eandem columbæ vnitatem, & illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, non pertineant, tamen si corrigantur, & se pessimos ad baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere, per cuius gemitus eis peccata soluuntur, à cuius pace alienati tenebantur, sic & qui apertius foris sunt, si eadem Sacramenta sumpserunt; cum correcti ad Ecclesiæ veniunt vnitatem, non iterato baptismo, sed eadem charitatis lege, & vnitatis vinculo liberantur.] His iam nullum amplius adhibetur Sacramentum: & tamen ad gratiam Sacramenti prius inutiliter suscepti, sola charitate Ecclesiæ redintegrantur.

XL. Digne vero accedentes ad Sacramentum, sed à malo ministro illud recipientes, ab eo immediate non habere Spiritum sanctum, sed ab Ecclesia, seu per Ecclesiam, docet & Cyprianus *lib. 1. ep. 12.* illis verbis: Quis autem potest dare quod ipse non habeat? aut quomodo potest spiritualia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum?] quod approbans Augustinus adhuc clarius *de baptism. lib. 3. cap. 18. & lib. 5. cap. 21. 22. & lib. 6. cap. 1. 3. 4. 14. 16. 23. & lib. 7. cap. 12.* ita scribit: Tales tamen (*rapaces fraudatores, &c.*) ipsius Cypriani temporibus baptizabant, remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, si ad eius pacem illi pertineant, quibus datur.] hoc est, modo sint ipsi Catholicæ Ecclesiæ adhærentes, & non ab ea discissi: Ac pergit; Non raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest, nec solui, vbi non sit qui aut ligare possit aut soluere, sed soluitur, qui cum columba fecerit pacem, & ligatur, qui cum columba non habet pacem, siue aperte foris sit, siue intus esse videatur.] Cum itaque ex Augustino constet, Spiritum sanctum non dari per manus impositionem, tanquam per Sacramentum ex opere operato, sed tanquam per preces, & orationem Eccle-

siæ, quis iam in tali manus impositione agnoscet rem sacramentalem, vel Sacramentum?

XLI. Hinc est, quod ab hæresi vel schismate ad Catholicam venientes, solerent sine rebaptizatione, cum sola manus impositione quasi confirmatoria, recipi, ad Spiritum sanctum eis tanquam oratione impetrandum; licet id absolute necessarium non esset, vt vidimus in Augustino; quia ex sola conuersione Spiritum sanctum, & gratiam baptismalem obtinebant; ad ipsius tamen conuersi consolationem, id quoque ei ab Ecclesia præstabatur. Sed reuera multo magis manus eis imponebatur quasi reconciliatoria, quam confirmatoria, sed absque clauium vsu. Vera enim manus reconciliatoria per claues erat (vt infra suo proprio capite de pœnitentia explicabo) quando Ecclesia prius sua excommunicatione, & manus impositione ligatum, post peractam pœnitentiam soluebat & reconciliabat; quæ solutio & reconciliatio, post manus impositionem, per preces ac orationes fieri solebat. Hoc tamen necessarium non erat, nec vllam habebat vim Sacramenti, & penitens etiam absq; vlla vel prece, vel manus impositione, vel certo & stato signo externo poterat plene reconciliari, & à peccatis absolui. Et hæc reconciliatio per claues, non dabatur ab hæresi, vel schismate conuersis; quia ad plenam remissionem Sacramentum baptismi, si vis etiam cum adiuncta manu confirmatoria, vti ritu vltimo baptismi, in hæresi adhuc vel schismate, vel etiam in peccato receptum, iam ex sola hæresis vel schismatis abiectione, Ecclesiæque Catholicæ adhæsione, aut peccati detestatione, eo ipso suum effectum gratiæ, vt iam vidimus, operabatur. Sed imponebatur manus, ad similitudinem quandam admissionis ad pœnitentiam, & reconciliationis, ad hoc tantum, vt qui ab Ecclesia pro hæretico aut schismatico iure habitus fuit, per manus quasi pœnitentialis, & reconciliatoriæ signum externum, iam pro Catholico, & Ecclesiæ legitimo filio posset haberi, & à fratribus vt frater recipi; quem iam, ex hac quasi reconciliatione visibili, cognoscerent resipuisse, & in sua hæresi, vel schismate illum non amplius perseuerare: Manus autem, inquit Augustinus *de Bapt. lib. 2. c. 23.* non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse iudicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus correctis hæreticis imponitur.] Itaque hæc manus impositio, & habet aliquid confirmatorij, & habet aliquid correctorij, & reconciliatorij: nam & correctum reconciliat externe duntaxat hominem cum Ecclesia, qui iam interne per suam internam conuersionem cum ea se reconciliauit; & eum dona Spiritus sancti accepisse demonstrat, dum illum Ecclesiæ iam reconciliatum declarat. Sic etiam Innocentius primus *epist. 20.* Arianos, *inquit*, sub imagine pœnitentiæ, ac sancti Spiritus sanctificatione, per manuum impositionem suscipimus.] Vtrumque miscet. Hæc vero impositio manuum super ficte accedentem ad baptismum, in Ecclesia tamen Catholica baptizatum, recedente fictione, non adhibebatur: quia secundum externam apparentiam, & legitimam præsumptionem, iste erat in Ecclesia, nec indigebat illa declaratione, & per solam vitæ mutationem effectum sui baptismi, id est gratiam & Spiritum sanctum consequebatur. Vt hinc iam manifesto appareat, manus impositionem super hæreticos & schismaticos conuersos, fuisse meram ceremoniam externam, illius conuersionis duntaxat declaratiuam; & consequenter etiam declaratiuam donorum Spiritus sancti, quæ per Ecclesiam ille conuersus acceperit, & ideo manus hæc impositio, neque confirmatoria vere est, neque reconciliatoria interne; & sic nulla ratione erit Sacramentalis, neq; Sacramentum.

XLII. Inanis itaque totus labor erit Bellarmini, qui *in lib. de Sacram. Confirm. cap. 7.* plurimum torquetur, & distorquetur, dum inquirit, num manus impositio, super hæreticos redeuntes sit confirmatoria an reconciliatoria; neutra enim proprie est, & vtraque improprie, sed nullo modo verum Sacramentum; quæcunque tamen sit, iterabilis est, vt dicebat Augustinus, quia si est confirmatoria, ea non est nisi oratio super hominem, ergo repeti potest, & sic de facto repetitur super hæreticum conuersum, modo supra explicato, ad quandam abundantiorem cautelam, non ad necessitatem, etiam quando quis venit ab hæresi, quæ in baptismo adhibet confirmationem. Concilium enim Arelatense 1. *cap.* 8. præcipit, vt omnibus qui veniunt ab Arianis, seu Afris, si baptismum in nomine Trinitatis susceperunt, eis manus duntaxat, vt accipiant Spiritum sanctum, imponatur; ergo confirmatorie. At certum est Arianos confirmasse suos baptizatos: Nam soli Nouatiani respuebant confirmationem, *Theod. hæret. fab. lib. 3.* vt etiam sup. *nu.* 21. vidimus. Igitur manus confirmatoria ad recipiendum Spiritum sanctum repetebatur, nec immerito: erat enim simplex oratio, non Sacramentum, & confirmatoriam fuisse manum hanc confirmatur ex Siricio Papa, qui sic loquitur, Quos *Arianos*, cum Nouatianis, aliisq; hæreticis, sicut est in Synodo de Nouatianis seu Catharis constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus Episcopalis manus impositione, Catholicorum conuentui sociamus.] Quis non videt hanc esse manum confirmatoriam? Receptationem ergo hæreticorum reliqui fatentur expresse per impositionem manus confirmatoriam fieri, solus Augustinus ad reconciliatoriam se recipiet, omissa penitus confirmatoria?

XLIII. Effugeret libenter Bellarminus, si posset, ne manuum hasce impositiones in recipiendis ab hæresi venientibus sacramentales Sacramenti confirmationis agnosceret, ideo vrget, in Occidente Confirmationis Sacramentum Chrismate dari, non autem simplici manus impositione, quæ deprecatoria duntaxat sit, aut reconciliatoria; & [*lib. de Sacram. Cōfir. c. 7.*] ex Vigilio atq; Gregorio profert, Orientales vnctione chrismatis recepisse hæreticos conuersos: Occidentales vero non nisi manus impositione, & sane in solam reconciliationem. Sed obstant primum testimonia, quę protuli, tali impositione manus Spiritum sanctum inuocari super illos conuersos, quod nos proprium effectum facimus Confirmationis. Deinde repugnat Vigilio & Gregorio Siricius, qui *epist. 1. c. 1.* verbis supra allatis de hæreticorum per manus impositionem receptione, ista subnectit: *quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.*] Sed etiam Augustinus *de Eccles. dogm. cap. 52.* seu Gennad. ei resistit, vbi de baptizatis apud eos hæreticos, qui in S. Trinitatis confessione baptizant, loquens, ista habet: Purgati iam fidei integritate adulti confirmentur manus impositione] non dicit reconcilientur, sed confirmentur, expresse, ac pergit: si vero paruuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.] Igitur in Occidente quoque, qui apud hæreticos fuissent baptizati, & manus impositione, & chrismate expiabantur, & tamen certe cum baptismo, etiam manus impositionem cōfirmatoriam, & chrisma ipsum confirmatorium ab hæreticis acceperant, & nihilominus

confirmatio

confirmatio hæc iterabatur. Hæc circa materiam: accedamus ad eam, quam nos vocamus formam.

XLIV. Quintum est argumentum, quia in Confirmatione non habemus illam formam, quam nostri in verbis ponunt. Iam igitur ex parte etiam talis formæ ostendo, Confirmationem non posse esse verum Sacramentum. Primo, quia ex Scriptura nihil habetur siue certum & definitum, quibus verbis sit vtendum vel vsi sint Apostoli in danda confirmatione; siue incertum & indefinitum, puta orandum esse, vel benedicendum, &c. Et tanto maiori premimur difficultate, quia & chrisma volumus necessario egere benedictione, seu consecratione, & rursus in danda Confirmatione, certis verbis esse vtendum. At vnde possumus probare, vel directe, vel indirecte, ex sacris Scripturis hanc duplicem verborum pro Sacramento Confirmationis necessitatem? Eritq; confirmatio Sacramentum multo operosius quam quodlibet aliud. In baptismo enim certo scimus, & omnes conuenimus, nullam requiri aquæ consecrationem, nisi sola Trinitatis inuocatione in ipso actu baptizandi. In Eucharistia colligimus necessariam esse panis & vini per verba consecrationem, quia Christus gratias egit prius, & benedixit, postea fregit, &c. at in administranda Eucharistia, seu in actione ipsa comestionis, in qua positum est Sacramentum, nulla est verborum necessitas, nulla institutio. Secus in confirmatione. De aliis nunc nihil dico.

XLV. Conantur aliquid nostri circa formam ipsam consignandi; sed circa formam chrisma benedicendi, & consecrandi, vnde nam talis consecrationis necessitas possit deduci, ne verbum quidem. Sicut in Eucharistiæ Sacramento, formam consecrationis panis inueniunt verba Christi, *Hoc est corpus meum:* at vero forma Sacramenti, quod in ipsa manducatione consistit, è mente eorum prorsus euanuit, & tamen sicut Confirmationis Sacramentum non est ipsa chrismatis consecratio, licet sine ipsa chrisma non esset materia Sacramentalis, sed est ipsa inunctio, rebus & verbis constans: ita deberent ostendere sacram communionem similiter rebus, & verbis adimpleri. Sed de Eucharistia postea. Videamus formam confirmationis. *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Bellarm. de Sacram. confirm. c. 10.*] Mitto nunc verba hæc, præter inuocationem Trinitatis esse penitus superuacanea, vt dixi de verbis illis in baptizando; *Ego te baptizo*; Nam tametsi non dicas te consignare & confirmare, tamen actio tua per se loquitur, quia imprimis signum crucis, & vngis hominem, & ista est actio seu res sensibilis, & huic actioni debent verba & forma addi: non tamen verba, quæ nihil aliud significent, nisi ipsam actionem, quæ de se est sensibilis: mittamus inquam hæc: quis hanc formam præscripsit? Certe, si est forma veri Sacramenti, ab alio præscribi non potest, quam ab eo, qui instituit Sacramentum. Instituere autem sacramenta non potest nisi Deus, vt confitemur omnes. Vnde ergo habemus verba hæc vel æquiualentia, ex diuina procedere institutione? Scio confugium ad sacram anchoram, nempe ad traditiones, *Bellarm. ibid.* At primum obiicio vt supra, traditiones continere multa, quæ sint non diuina Christi, sed humana & Ecclesiastica Apostolorum, vel aliorum instituta, in ritibus Ecclesiasticis. Doceant ergo, has traditiones esse à Christo primum, & non ab Apostolis ipsis profectas: & Apostolos hæc tanquam Christi institutiones, non tanquam Apostolicas Ecclesiæ traditiones; quod nunquam ostendent, & in constituendis Sacramentis non est tam leuiter ludendum, ne mandata hominum pro mandatis Dei Ecclesiæ obtrudantur.

XLVI. Deinde oppono, me traditiones quidem nos vllas habere: formæ enim huius memoria à Bellarmino vltra Amalarium & Alcuinum ad superiores ætates nõ protenditur. Traditio vero debet esse cõstans & firma, & ad ipsa Apostolorum tempora, aut proxima continuate reduci. Ille vero nobis octingẽtos annos priores post Christũ huius traditionis expertes ponit. Nititur etiam Bellar. plurimum libr. antiquissimo, qui dicitur, *Ordo Romanus*. O miseras traditiones, quę latent in libr. occultis, priuatis, ignotis, apocryphis, & nullius fidei. Sed esto, sit bonę fidei, quot annis vetustior est Amalario & Alcuino? Sit vetustissimus, si cõtinet diuinas Christi traditiones, non debent esse diuersę ab aliarũ Ecclesiarum traditionibus: ex vno enim & eodem fonte omnes riui eandem aquam accipiũt. Bone Deus, quanta varietas, non verborum, sed sententiarum in hac prætensa prætensi Sacramẽti Conformationis formula, & iisdem, & diuersis temporibus reperitur? Primum quicunq; in manuum impositione Confirmationem posuerunt, nullam formam addiderunt, nisi arbitrariam orationem. Ambrosius vero *de Sacram. l. 2. c. 7.* etiam in chrismatione formã ponit deprecatoriam sui temporis, quæ sic habet, *Deus Pater omnipotẽs, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu S. concessitq; tibi peccata tua ipse te vngat in vitam æternam.* Æthiopes dicunt. *Vngo in nomine Patris, &c.* Alexãdrini, *Obsignetur talis in nomine P. &c.* Alcuinus solam inuocationem ponit Trinitatis, nulla alia verba. Refert enim Romæ Pontificem vngere frontem, & dicere, *In nomine Patris, &c.* Horum omnium loca iam supra citaui, & est merum Bellarmini lubrici fugium, dum Patres ait non integras formas recitare, aut non ipsas formas proferre, aut omnes has formas esse inter se æquiualentes. Sed hæc sapienti non satisfacient, nec iis confutandis est illaborandum.

XLVII. Obiectiones aliquot ex Patribus mihi ex Bellarmino *de Sacram. confir. c. 5.* desumptæ possunt opponi, quibus Confirmationis Sacramentum nititur astruere. Prima ex Origene, *in Leuit. hom. 8.* cuius verba sunt, Sic ergo conuersis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superius diximus: Domini autem Spiritus per olei imaginem designatur, vt non solum purgationem consequi possit is, qui conuertitur à peccato, sed & Spiritu sancto repleri omnes quicunque vnguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem Ecclesiam dicit, vos autem genus electum, regale Sacerdotium.] Secunda ex Cypriano *lib. 2. epist. 1.* Tunc plene sanctificari & esse filij Dei possunt, si Sacramento vtroque nascantur.] Baptismo videlicet & Confirmatione. Addimus nos alium locum ex eodem Cypriano *ad Pompeium.* Si effectum baptismi maiestati nominis tribuunt, cur non eiusdem Christi nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? Cur eadem eiusdem maiestas nominis non præualet in manus impositione, quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? Porro autem non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum S. sed in Baptismo, vt spiritum iam natus accipiat.]. Distincta ergo sunt in Cypriano ista Sacramenta, *Bellarm. ibid. c. 5.* Tertia, Ex Cyrillo Hierosolymitano, *Catech. 3. mystag.* Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet, quo frons, & alij sensus tui symbolice inunguntur: & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima vero sancto ac viuifico spiritu sanctificatur.] Hic plena continetur descriptio vnius per se Sacramenti, qui baptismus non est, *Bellarm. ibid. c. 6.* Quarta Ex Paciano, *lib. de bapt.* Lauacro peccata purgantur, chrismate sanctus Spiritus superinfunditur, vtraq; vero ista, manu & ore Antistitis impetramus.] Item, [*Idem epist. 1. ad Sympro.*]

Si ergo & lauacri, & chrismatis potestas maiorum longe charismatum ad Episcopos inde (ex Apostolorum forma) descendit, & ligandi quoque ius adfuit atque soluendi.] Item, *epist. 1.* Vestræ plebi vnde spiritus quam non consignat vnctus Sacerdos?] Loquitur cum Nouatianis, quos diximus Confirmationis ceremoniam respuisse. Separat ergo his locis Pacianus Confirmationem à baptismo & Pœnitentiæ absolutione, imo cum iis comparat. Quinta obiectio *apud Bellarm. de Sacram. confirm. c. 6.* est ex Augustino *contr. lit. Petil. lib. 2. c.* 104. Sacramentum chrismatis in genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Discerne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod & in bonis & in malis esse potest, illis ad præmium, istis ad iudicium, ab inuisibili vnctione charitatis, quæ proprie bonorum est.] Item [*Idem in tit. Ps. 26. enar. 2.*] vngimur modo in Sacramento, & Sacramento ipso præfiguratur quiddam, quod futuri sumus. Et illud nescio quid futurum ineffabile desiderare debemus, & in Sacramento gemere, vt in ea re gaudeamus, quæ Sacramento præmonstratur.] Augustinus igitur verum Sacramentum Confirmationis agnoscit in vnctione, & non in manus impositione.

XLVIII. Ad 1. Has vnctiones instituit Ecclesia procul dubio ad aliquid significandum: omnes enim ceremoniæ sunt, aut si recte instituantur, debent esse significatiuæ, non vacuæ, non otiosæ, non superstitiosæ (qualibus hodie nostræ Ecclesiæ abundant), significant ergo donum Spiritus sancti, sed non dant: illud vero oratio Ecclesiæ quæ vnctioni additur, impetrat: & Origenes aliter loquitur de baptismo, aliter de vnctione: per baptismum dari purificationem à peccato asserit: at per vnctionem non ait dari donum Spiritus sancti, sed designari: nam per has vnctiones Ecclesia suggerit fidelibus baptizatis, eos in Baptismo dona etiam Spiritus sancti accepisse, quæ illis vnctionibus designantur. Similiter illud quoque mentibus ab Ecclesia per vnctiones ingeritur; quod spiritualiter & Reges & Sacerdotes in baptismo facti sumus; nam Reges & Sacerdotes olim in populo Israël publice vngebantur. Sic Ecclesiæ nostræ primo die quadragesimæ aspergunt fidelium capita cineribus, vt fragilitatis, mortis, & corruptionis nostræ, nec non debitæ pœnitentiæ, & humiliationis simus memores; nec tamen inde hic ritus Sacramenti nomine insignitur. Sic alia multa sunt Ecclesiastica pia instituta, pulchras & perutiles secum ferentia significationes; sed neque Sacramenta sunt, neq; quicquam præter dictas mentis monitiones per has spirituales significationes operantur. Nos vero cum talibus demus virtutes mirabiles supernaturales ex opere operato, eas omnino reddimus propriissime superstitiosas; vt iam Ecclesiæ reformatæ vnctiones hasce prudenter omittant. Confirmationes autem per manuũ impositionẽ, non vt Sacramenta, sed vt pias orationes obseruent.

XLIX. Ad 2. Respondeo primo, impositionem etiam manus, suo modo in latiori significatione esse & dici posse ac solere Sacramentum, cum sit in genere signi. Respondeo secundo, Cyprianum illo priori loco diuidere baptismi Sacramentum in externum opus, & internum effectum; fundat enim suum dictum in illis Christi verbis, *Iohan. 3. vers. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Sensus ergo Cypriani est, verum baptismum vtroq; constare Sacramento, seu mysterio: hoc est, & ablutione aquæ; & receptione spiritus, & hoc verbum, *nascantur*, in Cypriano sonat: *nascimur autem per baptismum*: & manus impositio significat duntaxat, baptismo perfecto nos etiam Spiritum sanctum cum aquæ lotione sumere, vt sic baptismus perfectus sit ex aqua & Spiritu sancto. Et ita posteriori quoq; loco, in impositione manuum, frustra significari contendit aduentum Spiritus sancti, nisi prius quis per baptismum natus sit Christo, & qui potest, *inquit*, dare verum baptismum, potest etiam dare baptismi complementum, ipsum Spiritum sanctum, & significare Spiritus sancti aduentum, per manus impositionem. Sed in hoc errabat, quia potest dari baptismus indigno valide, vt valide recipiat Sacramentum baptismi, licet effectum baptismi præcipuum, qui est Spiritus sanctus, non recipiat: & tunc manus impositio adhibetur quidem, & indignus eam supra se recipit, vt actum materialem & naturalem, illa tamen impositio non significat Sp. S. præsentiam, & ita frustra ei manus imponuntur: cum vero ab indignitate sua ille se liberauit, tunc & baptismus iam rite habitus obtinet suum effectum gratiæ & Spiritus sancti, & manus impositio suam assequitur significationem, & dum repetitur eadem manus impositio, repetitur etiam significatio, modis supra explicatis. Semper itaq; in Cypriano Confirmatio est aliquid Baptismi.

L. Ad 3. Cyrillus inunctionem vt partem ceremonialem baptismi ibi considerat, quæ significet potius Spiritum sanctum in Baptismate datum, quam det de nouo: Et ipsemet paulo post hunc sensum satis explicauit, ita scribens *in Catech. 3. mystag.* Huius sancti Chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hęc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eousque progressi estis, vt efficeremini Christiani.] Planum est hæc de baptismo esse intelligenda, in eo enim est vera regeneratio; in eo fit homo proprie Christianus: sed non, nisi simul cum externa lotione interne Spiritus sanctus accipiatur; qui per vnctionem *illam* baptismalem ceremoniam accipi significatur.

LI. Ad 4. Pacianus quoque de baptismali ceremonia est intelligendus, qui baptismum plenum, vt alij omnes in eo constituit, vt sit in eo nasci hominem ex aqua & Spiritu sancto. Neq; enim, *inquit, de Baptism. ad Catechum.* aut insertus in Ecclesiam videbitur, qui non crediderit; aut genitus à Christo, qui Spiritum ipse nõ receperit. Credendũ est igitur posse nos nasci, sic. n. ait Philipp⁹, *Act. 8. 37.* Si credis, potes. Recipiendus est Christus vt generet, quia sic Ioan. Apost. dicit, *c. 1. 12.* Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi lauacri & chrismatis & Antistitis Sacramento.] Deinde statim subnectit; lauacro enim peccata purgantur, &c.] Hic quisq; videt, Patrem hunc de baptismo loqui; nam de generatione spiritnali loquitur, quam vult fieri lauacro, & chrismate; quia lauacro & chrismate baptismus perficitur, tanquam vnico Sacramento, & ea simul vniuit etiam cum ministro, ad vnicum conficiendum Sacramentum, in numero singulari. Hæc compleri, *inquit*, alias nequeunt, nisi lauacri & chrismatis & Antistitis Sacramento, & si Chrisma hoc loco est diuersum à lauacro Sacramentum, tertium quoq; ab his duobus diuersum erit, Antistes; Sacramentum.

LII. Ad 5. Chrisma Sacrosanctum est Sacramentum, sicut Baptismus, quatenus signum, & in ratione significandi in genere signorum visibilium, in quit Augu st. & in eo potissimum cum baptismo conuenit; quod ipsum æque mali ac boni possunt recipere, vt ibidem ipse explicat: sed cum effectu spiritus (intellige significato, non dato) non nisi boni, sicut & baptismi effectum remissionis peccatorum suo modo datum, non nisi boni cum ipso baptismo accipiunt. Comparatio itaq; inter Chrisma & Baptismum, quatenus duæ sunt actiones,

actiones, altera lauandi, altera vngendi, & ita suo modo duo incompleta in suis ceremoniis Sacramenta, quæ vnicum integrum compleant, & non in ipsa substantia Sacramenti, sed in quibusdam circumstantiis, vt modo explicabam. Alter vero locus Augustini prorsus nobis fauet: ibi enim, vt constat, Sacramentum sumit pro mysterio, & allegoria: negat vero vnctionis effectum allegoricum in hac vita haberi, (Sacramenta vero suum effectum spiritualem statim habent) sed quod in Sacramento vnctionis, id est, in mysterio allegorico in hac vita dum vngimur concipimus & affectamus, id nobis in futuro reddendum asserit Augustinus.

LIII. Confirmatio igitur, præsertim Chrismatis, inter vera Sacramenta per se seorsim non est reponenda: sed est ceremonia Ecclesiastica, quæ pro arbitrio Ecclesiarum æque seruari, atque ex causis omitti potest: nec vllo modo hæresis reatum incurrunt, qui veram Sacramenti rationem eidem denegant. De ministro confirmationis dicam *in vltimo capite huius libri.* Hic tamen illud monendum superest, nullam penitus spiritualem cognationem ex hac sola confirmationis ceremonia resultare: cum enim Sacramentum illa non sit, sed baptismi complementum, neque nouam potest inducere cognationem: nam neque nouis indiget susceptoribus, si illa, vt nunc fit, à baptismo separetur. Inde enim susceptores in chrismatione prodierunt, quod olim chrismatio esset ceremonia baptismum complens, & illi iidem susceptores, qui baptizandū offerebant, offerebant etiam chrismandum, & sic vnicam, non duas spirituales cognationes, & compaternitates contrahebant.

CAPVT VI.

In Ecclesia esse propriam ipsius potestatem, conuiuij Eucharistici apparandi, & corporis Christi exhibendi, non tamen propriè sacrificandi.

SVMMA CAPITIS.

Eucharistia est verum & proprium Sacramentum, de quo in hoc cap. quinq; sunt difficultates tractandæ, num. 1.

Prima difficultas, an sit necessaria consecratio panis, & vini: & quibus verbis illa fiat, à num. 2. ad num. 19.

Secunda difficultas, fiatne per consecrationem mutatio aliqua in pane, & vino, & quænam illa sit: ac primum præsentia realis, hoc est, corporalis & carnalis Christi corporis excluditur & modus spiritualis, figuralisq;, sed efficax, tum omnibus Patribus ponitur, à num. 20. ad num. 168.

In specie transsubstantiatio, & etiam consubstantiatio impugnantur à num. 169. ad num. 193.

Tertia difficultas de sacrificio Missæ, & probatur nullum esse verum sacrificium, sed commemoratiuum duntaxat à num. 195. ad num. 214.

Obiectiones ex quibus sacrificium Missæ solet probari diluuntur à num. 215. ad num. 240.

Duo corollaria colliguntur: Alterum, Missam non esse sacrificium propitiatorium num. 241. 242. 243. 244. Alterum priuatas Missas improbari num. 245. 246. 247. 248.

Quarta difficultas, in quo consistat vera ratio Sacramenti Eucharistiæ, à num. 249. ad num. 257. vbi data occasione tractatur de pane Eucharistiæ debeatne esse azymus, an fermentatus à num. 258. ad num. 277.

Quinta & vltima difficultas communione sub vtraq; specie enodatur à num. 278. ad finem.

EVcharistiæ Sacramentum habere omnes veras veri & proprij nouæ legis Sacramenti, supra capite 4: *num. 6. 7.* numeratas conditiones facile est ostendere. 1. Comestio enim est signum quo ducimur in cognitionem mutuæ charitatis, & spiritualis animæ refectionis. 2. Comestio est sensibilis, cum sensibili cibi & potus sumptione. 3. Significare mentis refectionem habet hæc comestio, non ex sua natura, sed ex impositione. 4. Analogia optima est inter corporalem refectionem, quæ nutrit corpus, eiq; vires suggerit, & spiritualem, quæ nutrit animam, eiq; spirituales addit vires. Item inter humanæ amicitiæ per conuiuia attrectationem, & charitatis in fide dilectionem. 5. Hoc significatum est sacrum. 6. Hic effectus tunc habetur quando digne quis manducat & bibit sacramentaliter. 7. Hunc effectum, seu instrumentaliter, seu saltem vt conditio sine qua non, producit ipsa sacramentalis comestio. 8. Comestio hæc est ceremonia stata & perpetua, ac celeberrima in Ecclesia. 9. Comestio de se est actio indifferens, à nulla virtute morali, multo minus spirituali requisita de se, aut præcepta. 10. A Christo est expresse instituta, & mandata. [*Matth. 26. v. 26. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24.*] *Benedixit, gratias egit, fregit, deditq; discipulis, &c. Hoc facite in mei commemorationem.*] Hæc omnia profecto non nisi in baptismo, & sacra communione perfecte concurrunt, vt constat ex iam dictis, & ex dicendis clarissime constabit. Sed circa hoc ipsum Sacramentum sunt plures & grauissimæ difficultates, ex quibus tamen præcipuas summarie & compendiose, vt institutum meum postulat, hoc capite pertractabo, videlicet;

Prima, sitne ad Eucharistiam necessaria panis & vini verbalis consecratio, & quænam sit illa.

2. Quid efficiat hæc consecratio in pane & vino.

3. An consecratio hæc & liturgia habeat vim proprij sacrificij, quod nos Missam appellamus.

4. In quo consistat propria ratio, propriusq; effectus Sacramenti Eucharistiæ.

5. An integritas Sacramenti requirat sumptionem & panis & vini Eucharistici, vt integre dicamur in communione sacra de corpore & sanguine Christi participasse. Hæc ita tractabo, vt & vera Ecclesiastica potestas circa corpus & sanguinem Christi innotescat; & pacem atque concordiam inter partes propter hæc inter se dissidentes, si qua iniri possit, inquiram & proponam.

PRIMA DIFFICVLTAS PRINCIPALIS, Sitne ad Eucharistiam necessaria panis & vini verbalis consecratio, & quænam sit illa. Agimus de vero & proprie dicto, citra omnem controuersiam, secundum communem consensum, sacramento; Igitur vere & proprie à Christo immediate instituto. Res ipsa in sacta noui Testamenti scriptura clara est & aperta, panem & vinum fuisse à Christo Apostolis sacramentaliter porrectum. An vero panem & vinum ipsum, vel potius, vel in ipsa porrectione consecrauerit, in scriptura clare non habetur; nam quod ait scriptura, Christum accepisse panem, gratias egisse, siue benedixisse & fregisse, ac dedisse discipulis, non necessario significat panis & vini consecrationem. Nam quando turbas pauit multiplicatione septem panum in deserto, *Marc. 8. v. 6.* gratias agens fregit, & dedit discipulis suis vt apponerent. Quando similiter quinq; panibus famelicam satiauit turbam, *Matth. 14. v. 19.* aspiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbæ; nemo propterea dixerit has fuisse panis consecrationes in Eucharistiam. Verba autem illa, *Hoc est corpus meum*, certe de se non sunt consecratoria, vt sonant, sed tantum assertoria.

II. Nihilominus certum est, Christū, siue illa gratiarū actione, siue illa benedictione, sit, vt nostri volunt,

illis verbis, *Hoc est corpus meum*, panem & vinum consecrasse, & ex pane communi & ordinario, fecisse panem Sacramentalem Eucharisticum; quia Apostoli id ita intellexerunt, & Ecclesiæ explicarunt, traditione potius non scripta quam scripta. Innititur quidem id vno loco à Paulo, 1. *Cor.* 10. *vers.* 16. vbi ait, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* At vero cum id vix sufficiat, si quicquam traditione non scripta de scripturæ sensu, tanquam certum & indubitatum in sui pendet confirmatione, hoc vnum verissima & probatissima traditione ab Apostolorum temporibus vsque ad nos, non interrupta in Ecclesia Catholica continuatione, peruenit, Christum nimirum pane & vino consecrato discipulos suos in vltima cœna communicasse; & vt id in Ecclesia perpetuo fieret, præcepisse. Nam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis perpetuo, continuate, & firmiter seruatum est, vt legitima consecratione Eucharistiæ Sacramentum pararetur: & semper Ecclesia professa est, nullum percipi Sacramentum, vbi panis & vinum non fuerint legitime consecrata. Atque si talem, tam exactam, tam certam, tam probatam, & de re quæ scripturæ, neque contraria est, neq; repugnat, imo in scriptura sua habet indicia, traditionem in aliis scripturæ interpretationibus, aut Ecclesiæ ritibus haberemus, profecto ei omnino deferendum esset, neq; liceret ab ea citra periculum erroris, & fortasse hæresis, discedere. Traditionem porro hanc esse certam & infallibilem, præterquam quod in hoc ipso eam expresse asserit Basilius, *de Spir. sancto c.* 27. omnium ætatum memoriam habemus, semper ab ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiam docuisse consecrationem hanc esse necessariam, profecto non nisi quia Christus panem & vinum consecrarit, & consecrandum esse Apostolis tradiderit; & ita necessitas in Ecclesia semper habita & seruata, ostendit Apostolos eam à Christo didicisse, & Ecclesiæ tradidisse, & illam gratiarum actionem ac benedictionem, siue illa verba, *Hoc est corpus meum*, includat, seu non includat, de necessitate consecrationis eos accepisse, intellexisse, & esse interpretatos.

IV. Traditionem porro hanc de horum verborum sensu continuatam, colligimus ex his classicis autoribus; Iustino *Apolog.* 2. *ad Anton.* Irenæo *libr.* 4. *adu. hæres. c.* 34. Origenes *in cap.* 15. *Matth. & cont. Cels. lib.* 8. Cyrillo Hierosolymitano *Catechesi* 3. *&* 4. *mystag.* Basilio *vbi sup.* Gregorio Nysseno *de vita Moysi.* Optato Mileuitano *lib.* 2. *contr. Parmen.* Ambrosio *de Sacrament. lib.* 4. *cap.* 4. Hieronymo *epist.* 1. *& epist.* 85. *ad Euagrium, & in Sophon. cap.* 3. Chrys. *in* 2. *Timoth. homil.* 2. *Serm. de prodit. Iudæ.* Augustino *de Trinit. libr.* 3. *cap.* 4. *& contr. Faust. libr.* 20. *cap.* 13. *& serm.* 28. *de verbis Domin.* Cyrillo Alexand. *in Ioan. lib.* 10. *c.* 13. Theodoreto *Dial.* 1. Gregorio Emisseno *serm.* 5. *de Pasch.* Remigio *in* 1. *Corinth. c.* 10. Gregorio Magno *Dialog. lib.* 4. *cap.* 58. Ioanne Damasceno *de fide lib.* 4. *cap.* 14. Paschasio Corbeien. Abbate *lib. de Corpore Domin.* Omnibus liturgiis, Clementis *in constitut. Apost. lib.* 8. *cap.* 12. *&* 17. Iacobi Marci *apud Cyrill. Hierosolym. catech.* 5. *mystag.* Æthiopica, Basilij *in Bibliothec. SS. PP. tom.* 6. Chrysostomi *in suis operibus*, & Romana, quæ dicitur Petri, & ita per mille annos traditio est continuata; post millesimum vero, & post Berengarij dissertationes, quantum tributum sit Consecrationi vsque ad nostra tempora, nemo ignorat, sed eam vt penitus necessariam confessa est omnis Ecclesia, nec in dubium est vocata, nisi fortasse à paucis nostro vltimo, penultimove seculo.

V. Maior difficultas est, quibus verbis sit facienda hæc consecratio, siquidem neque Scriptura, neque traditio ea præcise explicat. Omnes enim supra citati Patres eam precibus fieri contendunt, certas preces non explicantes; nonnulli etiam verba Christi, *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei*, consecratoria & Christo fuisse, & nobis esse volunt, adeo vt scholastici iam ferme omnes in his verbis Domini constanter asseuerent consistere vim Eucharistiam consecrandi; Roma vero hodie pro hæretico puniat si quis id negaret. Ego autem, vt ingenue dicam quod sentio, ita probabilem puto hanc sententiam, propter alicuius Patris, qui eam tenuisse videatur, assertionem, vt tamen longe probabiliorem existimem aliam, nimirum precibus Ecclesiæ fieri Eucharistiæ consecrationem: nam & Scriptura huic sententiæ magis fauet, & plures Patres eam docuerunt, & paucioribus implicata est difficultatibus. Atque hæc singula paucis percurro.

VI. 1. Scriptura magis fauet: Christus enim *Matth.* 26. *v.* 26. prius *benedixit*, deinde fregit ac dedit dicens; *Accipite comedite, hoc est corpus meum.* Benedictio ergo illa consecrauerat iam panem, vt propterea dicat esse corpus, quia iam benedixerat, & consecrauerat panem in corpus; de ipso vero corpore dicam in alia sequenti difficultate. Quod vero Lucas *cap.* 22. *vers.* 19. & Paulus 1. *Corinth.* 11. *vers.* 24. dicunt, Christum *gratias egisse*, idem profecto est, quod vel orasse, vel benedixisse, vt habemus in eodem Paulo 1. *Timoth.* 4. 5. Nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; explicat vero, cur id quod cum gratiarum actione perceptum est, obesse non possit, & ideo non esse reiiciendum quia, *inquit*, sanctificatur per verbum Dei & orationem: illa ergo gratiarum actio erat verbum Dei & oratio: oratio nimirum, quam ex verbo Dei aut didicimus expresse, quæ incipit, *Pater noster, Matth.* 6. *vers.* 9. aut fundimus ex nobis, sed iuxta verbum Dei, & ex fide quam ex verbo Dei percepimus. Fauet præterea Paulus, 1. *Corinth* 10. *vers.* 16. quia Eucharistiam reducit ad benedictionem, quam ipsi ministri Christi fundunt, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? &c.* Bellarminus quoque, qui mordicus oppositam tueri conatur sententiam, ne quodam aduerso sibi argumento cogeretur fateri, illud dedisse Apostolis, quod accepit, & benedixit, hoc est panem, quia omnia illa verba regunt eundem accusatiuum, nempe panem: sic respondet, vt in nostram veniat sententiam, ait enim, *de Eucharist. lib.* 1. *c.* 11. Respondeo, Dominum accepisse ac benedixisse panem, sed dedisse panem non vulgarem, sed benedictum & benedictione mutatum.]

VII. Patres vero plurimi ex supra citatis ita intelligunt necessariam consecrationem, vt precibus eam fieri expresse asserant: & ita, si ex Patribus traditio Apostolica, imo & Euangelica non scripta est colligenda, profecto habebimus, Apostolos docuisse Ecclesiá, ex Christi institutione non modo consecratione opus esse in conficienda Eucharistia, sed etiam consecrationem precibus esse peragendam. Sit omnium choragus antiquissimus Iustinus Martyr; Is tota descripta forma, quæ tum in Ecclesia, in baptizandis neophytis seruabatur, deducit nuper baptizatum, ad Eucharistiam percipiendam; non ex tabernaculo, aut pixide, in qua iamdiu asseruabantur hostiolæ consecratæ, sed ipsam Eucharistiæ confectionem describit, & ait, *Apolog.* 2. *ad Anton. ad fin.* Ducimus eum in locum, quo conuenerunt comprecandi causa contentis animis, & pro se, & pro eo qui illustratus est; sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Deinde ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua, & vino temperatum; quæ cum accepit, laudem & gloriam omnium Parenti, Filij, Spiritusq; sancti nomine tribuit, gratiasq;

diu agit, quod ab eo is dignus sit habitus: quibus rite perfectis precibus, & gratiarū actione, populus omnis qui adest benedicit, dicens, *Amen*. Postquam & is qui præest gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt percipiendum panem, vinum & aquam quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad nos qui adsunt perferunt.] Ecce modum antiquissimum sub ipsis Apostolorum temporibus, consecrandi, & sumendi Eucharistiam. Consecrationem vero precibus, & gratiarum actione per Præpositum, hoc est Episcopum vel seniorem Presbyterum, factam cernimus: cui benedictio applauderet populi fidelis præsentis per verbum, *Amen*. Et paulo post describens rursus ordinariam fidelium communionem singulis diebus Dominicis, hæc habet. Die qui solis dicitur omnes qui in oppidis vel agris morantur vnum in locum conueniunt, commentariaq; Apostolorum, vel Prophetarum Scripta leguntur, quandiu hora patitur: deinde vbi is qui legit destitit, is qui præest admonet & hortatur vt ea quæ lecta sunt bona imitemur: tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostris precibus, panis iam, vt dixi, vinumq; & aqua offeruntur, tumq; is, qui primum locum tenet, eodem modo preces, gratiarumq; actionem pro virili mittit, populusq; benedicit, dicens, *Amen*, & ijs quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisq; participat, eademque ad eos qui absunt, Diaconis dantur præferenda.

VIII. Miror itaq; Bellarminū, *de Euch. l. 4. c. 13.* satagere, vt Iustinum ad suas partes pertrahat: ac si dicat Iustinus, per preces verbi Dei Eucharistiam consecrari. Verbum autem Dei intellexisse Iustinum verba illa, *Hoc est Corpus meum*: dicitq; Bellarminus haberi ex ipsomet Iustino ibidem attestante & explicante; Fallitur tamen Bellarminus. Nam Iustinus, postquam priorem illam fecit descriptionem Eucharistiæ consecrandæ per preces Præpositi, & gratiarum actiones, mox explicat, quid sit hoc Eucharistiæ sacramentum, his verbis. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, qua nemini alij participare licet, nisi ei, qui & vera esse credit quæ nos dicimus, & expiatus est lauacro, quod in remissione peccatorum regenerationemque datur, & ita viuit vt Christus tradidit. Neque enim hæc communem vsitatumque panem, vsitatamque potionem capimus, sed quemadmodum per Dei verbum homo factus Iesus Christus conseruator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam cibum, qui per preces sermonis quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostræ communione aluntur, Iesu Christi, eius qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim in commentariis suis, quæ Euangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse tradiderunt, cum accepto pane cum gratias egisset, dixisse, *Hoc facite in memoriam mei, hoc est corpus meum*: dixisse etiam accepto poculo cum egisset gratias, *Hic est sanguis meus*, sibique solis dedisse.] Hic certe Iustinus nihil dicit de vsu illorum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, in Eucharistiæ consecratione, sed ait illum cibum iam non esse cibum communem & ordinarium, sed per preces sermonis à Christo accepti consecratum: à qua consecratione iam illud habeat, vt eo sumpto noster sanguis, & nostræ carnes communione alantur, hoc est ad immortalitatem, participatione spirituali corporis, & sanguinis Domini: nam talem cibum & potum ex Euangeliis didicerant esse corpus & sanguinem Christi. Duo igitur asserit Iustinus his verbis, alterū est, per preces sermonis quem à Christo accepissent, eos Eucharistiam consecrasse: Alterum, didicisse in Eucharistia sumi corpus & sanguinem Christi; vtrunq; probat ex Euangeliis. Primum quia Christus dixit. *Hoc facite in meam commemorationem* id est, benedicite, frangite & comedite: atque hic est sermo Christi, ex quo deducit Iustinus prece esse Eucharistiam consecrandam. Posterius vero, quia Christus dixit Apostolis, *Hoc est corpus meum*. Hæc ergo verba in Iustino nihil spectant ad Eucharistiæ consecrationem, (Quid vero sentiat Iustinus de pane & corpore Christi, videbimus inferius suo loco.) Addo insuper verba hæc. *Hoc est corpus meum*, nullo modo posse ad preces, seu precatoriam orationem spectare. Quicunque ergo prece dicunt confici hoc Sacramentum, præcise de his verbis profecto non sunt intelligendi.

IX. Irenæus quoq; *l. 4. c. 34.* prece Eucharistiā confici expressit, Panis, *inquit*, percipiens vocationem, seu potius, vt correxit Feu-ardentius, inuocationem Dei, iam non communis panis est, offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam.] Hæc sanctificatio creaturæ, est Eucharistiæ consecratio, per gratiarum actionem, & Dei inuocationem. At verba illa, *Hoc est corpus meum*, neque continent Dei inuocationem, neque gratiarum actionem, aut orationem. At enim Bellarminus *vbi supra* Irenæo nititur alibi *nempe lib. 5. c. 2.* dicenti; Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.] Et rursus ibidem, de tritico & vino ait, quæ deinde per sapientiā in vsum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei, Eucharistia fiunt.] Non est autem aliud in Eucharistiæ consecratione verbum Dei, *inquit Bellarminus*, nisi, *Hoc est corpus meum*.] Sed aduertere debuit idem esse Irenæo percipere verbum Dei, posteriori loco positum, quod percipere inuocationem Dei, vt priori loco habet: & ipsam inuocationem Dei fide factam, merito dicit verbum Dei: quia nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, *1. Cor. 12. v. 3.*

Origenes *in c. 15. Matth.* Eucharistiam vocat panem verbo Dei, & per obsecrationem sanctificatum. Non enim dubium est, in liturgiis lectiones quoque sacræ Scripturę semper fuisse adhibitas, præsertim vbi de huius Sacramenti institutione agitur. Sed obsecratione tamen panis sanctificabatur, vt clarissime idem alibi *Cont. Cels. l. 8.* testatur, dicens, Oblatos panes edimus; corpus sanctum quoddam per preces effectos, & sanctificans eos, qui cum sancto proposito ipso vtuntur.] Vide infra *num. 30. 41.*

Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. mystag. 3.* Quemadmodum, *inquit*, panis Eucharistiæ post sancti Spiritus inuocationem, non amplius est panis communis, &c.] Inuocatio Spiritus sancti certe ad preces spectat. Habet & illud idem Cyrillus postea, *Catech. mystag. 5.* Atque sic per eiusmodi hymnos; nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita Sanctum spiritum emittat, vt panem quidem faciat Corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi; omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus hoc sanctificatur & transmutatur. Basilius quoque *de spir. sanc. c. 27.* inuocatione & prece panem Eucharistię esse consecrandum asserit.

Basilii frater Gregorius Nyssenus Episcopus *de vita Moysis*. Dei verbo sanctificatum panem ponit, sed statim explicat quid per Dei verbum intelligat, nimirum ipsum Dei filium; subdit enim, Hæc autem tribuit virtute benedictionis, &c.] Nam effectus Sacramētales ipsa diuina operatur potestas vt agens principale; quos tamen eam efficere per Ecclesiæ benedictionem asserit Nyssenus; videlicet vel vtente benedictione-

ne nostra tanquam instrumento, vel tanquam condi- tione sine qua non, Christum hæc operari. Atque in eodem sensu explicandus est idem Nyssenus in alio loco, quem ab aliis mutuatur Bellarminus *de Euch. l. 4. c. 15.* si tamen aut fideliter ab eo sit adductus, aut fide certa oratio illa non nutet.

Optatus Mileuit. de altarium, siue mensarum sacrarum confractione per Donatistas facta conquerens, indecentiam exaggerat dicens; quo Deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus.] procul dubio in panis & vini consecratione.

Hieronymus vero de Presbyteris ait, *ep. 85.* Ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.] Item de sacerdotibus malis ait, *in Sophon. c. 3.* Impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantum solennem orationem, & non sacerdotum merita, &c.] Hæc satis clare noster Hieronymus.

Victor Antiochenus *in Marc. c. 14.* quærit, Cur Dominus ad Apostolos dicit, *Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus?* Respondet: vt certo apud se statuant, postquam benedictio, & gratiarum actio ad panem vel calicem propositum accesserit, corporis & sanguinis Christi se participes fieri.]

Augustinus *de Trin. l. 3. c. 4.* ait, Corpus Christi & sanguinem dicimus illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rite sumimus, &c.] Et *epist. 59. inf. nu. 191.* oratione consecrationem fieri pluribus explicat.

Cyrillus Episc. Alexandrinus *in Ioan. l. 10. c. 13.* Mystica benedictione fieri, ait, vt in nobis Christus communicatione carnis corporaliter habitet.] Et Theodoretus, *Dial. 2.* ait, Ante inuocationem Sacerdotis vocari panem.]

Remigius etiam, *in 1. Cor. cap. 10.* Panis, *inquit*, primum consecratur, & benedicitur à sacerdotibus, & à Spiritu sancto, & deinde frangitur.] Gregorius, *apud Ioan. Diac. in vita Greg. l. 2. c. 41.* Ad Catholicam precem, *ait*, Corpus Christi consecrari.

Ioannes demum Damascenus, *de fide l. 4. c. 14.* Panis vinumque & aqua per inuocationem Spiritus sancti, supernaturaliter transmutatur in Corpus & sanguinē Christi.] Et Cabasillas *in expos. litur. c. 27.* aperte fatetur Consecrationem fieri per preces Sacerdotis, quæ subsequuntur verba illa Christi Accipite, edite, hoc est corpus meum.

X. Iam vero Praxis antiquissima, & ferme vniuersalissima Ecclesiæ difficultatem omnem tollit. Videamus liturgias antiquas, inspiciamus quibus verbis Sacramentum Eucharistiæ in præcipuis quibusq; Ecclesiis confici soleat. Sane Apostolos initio oratione sola Dominica Eucharistiam consecrare solitos fuisse affirmat Gregorius. Gratis vero dicunt nostri ad verba consecrationis, nimirum illa, *Hoc est Corpus meum*, additam fuisse solam orationem Dominicam: *Bellar. de Euch. lib. 6. c. 19.* verba Gregorij *l. 7. ep. 63.* sunt, Mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.] Hic profecto excluduntur omnia alia quæcunque verba; & hæc ipsa sola oratio ponitur, non vt accessoria, sed vt consecratoria. Liturgiæ omnes celebres & famosæ in Ecclesia Catholica supra *num. 4.* citatæ, vna excepta Liturgia Romana, vtuntur quidem magno apparatu ad Eucharistiæ consecrationem, & in ipsis leguntur verba Euangelica, seu Paulina de cœna Domini, & historice recitantur etiam verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, sed post ea recitata adhuc panis est panis, & ad Deum funditur oratio, vt dignetur panem illum efficere suum corpus, & vinum suum sanguinem; quam orationem (in qua tota Græca Ecclesia adhuc firmiter sustinet vim consecrationis contineri) Romana liturgia, id est Canon missæ, præmittit verbis illis Euangelicis, *Hoc est corpus meum*, vbi oratur, vt oblatio illa, nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij, &c. Sed Canō hic nostræ missæ innumerabiles passus est formationes, & tandem etiam deformationes. A scholastico quodā formatum esse ait Gregorius, *Ibid.* non igitur à Petro. Apud Ambrosium *l. 4. de Sacram. c. 4. & 5.* aliqua eius pars legitur. Scholasticus postea illum formauit plenius, & Gregorius reformauit: alij Papæ alia addiderunt. At vero aliæ liturgiæ, vt adhuc integræ conseruantur, tales sunt, quales initio à suis Autoribus compositæ. Et illæ omnes non illis verbis Euangelicis, *Hoc est corpus meum*, sed prece conficiunt Sacramentū, quod Nicolaus Cabasillas *in expos. litur. c. 29. 30.* egregie contra Latinos tuetur.

XI. Bessarion tamen fulgore rubri galeri illectus, ex homine Græco, nec alioquin malo, totus in non admodum bonum Latinum Romanum transformatus, in suo libro de verbis cōsecrationis, more Romano, cauillos excogitauit, vt argumentum hoc ex Liturgiis petitum solueret; quem cauillum Bellarminus *de Euch. l. 4. c. 14.* auide arripuit, nimirum, sensum nō esse vt verba sonant, sed alium: videlicet non peti vt fiat id quod nondum fit, sed peti confirmationem, & stabilitatem rei iam factæ: Non quod Sacerdos timeat, *inquit Bellarminus*, ne euanescat munus iam consecratum, sed vt ostendat desiderium suum, & amorem erga præsentiam Dominici corporis.] At profecto Sacerdos non proprio nomine illud orat, sed nomine Ecclesiæ; Ecclesia vero dum rogat vt fiat aliquid, nondum habet illud quod rogat, & est valde violenta interpretatio, vt fieri significet aliquid iam factum conseruari, ratificari, stabiliri, quasi Ecclesia dubitet, posse illam consecrationem euanescere. Affert Bellarminus loca ex scriptura; quibus arbitratur preces hasce esse similes, cum sint valde dissimiles. Christus *Marc. 5. v. 35.* dixit ad mulierem, *ait*, postquam iam illam curauerat, Vade in pace, & esto sana à plaga tua.] At ego nego illa verba, *Esto sana*, dicta fuisse post effectum tributæ iam sanitatis: sed per illa verba illam sanauit, hoc est tunc quando illa verba proferebat. Neque est necesse, vt eodem ordine quo verba à Christo dicta ab Euangelistis referuntur, sint etiam dicta: nam ea verba, *Vade in pace*, potuerunt esse vltima. Et præterea verba hæc, *Esto sana*, possunt conuenire etiam iam sanæ factæ: at verba, *rogamus vt fiat*, non possunt conuenire rei iam factæ. Item dixit Christus peccatrici, *ait Bellarminus*, Remittuntur ei peccata multa: & paulo post, Remittuntur tibi peccata tua.] Sed illud prius, *remittuntur*, potest esse promissorium, mox peragendum, posterius vero effectiuum. Potuit quoque merito Christus remissionem eandem bis repetere, semel loquendo cum Pharisæo, semel vero cum ipsa peccatrice: neque verbum, *remittuntur*, habet alium sensum, nisi vt verba sonant: at vero rogare, vt fiat, omnino significat nondum esse factum, aut nondum patere esse factum, quando factum est imperceptibile. Solet vero Christus tanquam iam factum aliquid asserere, quod statim sit facturus: vt vbi Lucas *cap. 13. 12.* de muliere inclinata rectitudini reddita narrat Christum dixisse ei, *Mulier demissa es ab infirmitate tua.*] Et profecto nondum eam curauerat; pergit enim Euangelista, *Et imposuit illi manus, & confestim erecta est.*

XII. Ex Patribus quoque antiquioribus, qui floruerunt intra sex septemue primas à Christo ætates, nullus est qui verba Christi *Hoc est corpus meum*; quatenus à ministro in præparanda Eucharistia pronunciantur, fa-

tur, faciat expresse consecratoria. Bellarminus *de Euch.* *l.4.c.13.* in primis Iustinum producit, & Irenæum: sed supra num. 9. vtrumque nobiscum plene sentire iam probaui. Profert etiam Tertullianum, *aduers. Marcio.* *l.4. non procul à fine*, vbi sic ait; Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illud fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo.] Si hæc verba Tertulliani habent sensum Bellarminianum, certe Tertullianus stertebat quando ita scribebat. Nunquid Christus iam distributum panem fecit suum corpus illis verbis, *Hoc est corpus meum?* Si hæc verba faciebant ex pane corpus, certe id non præstabant post distributum panem, sed in ipsa panis distributione: Debuit ergo dicere Tertullianus, *distribuens*, non *distributum*. Non ergo vult, per ea Christi verba factum esse corpus, sed ex illis verbis probat, panem illum iam distributum, fuisse Christi corpus; quia id ita esse Christus ipse affirmarat, dicendo, *Hoc est corpus meum*; & illud gerundium, *dicendo*, hoc loco non est cum sensu effectiuo, & causali, sed resolui debet vt solet in hæc verba; *Cum dixerit.* Et sensus est; Cum Christus ipse de illo pane discipulis distributo dixerit, ipsum esse suum corpus, planum est, Christum fecisse vt panis esset corpus; intellige sacramentaliter. Hic ergo nihil de verbis consecratoriis. His annectit Bellarminus Cyprianum, hoc est Autorem illum qui sermonem scripsit De cœna Domini, qui sic habet: Hoc est, *inquit*, corpus meum; Manducauerant, & biberant de eodem pane, secundum formam visibilem; sed ante verba illa cibus ille communis nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea, & hic est sanguis meus*; quotiescunq; his verbis de hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens:] Sensus huius Autoris hic est: ante verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, panis erat cibus duntaxat corporalis, sed non post benedictionem, & gratiarum actionem, quæ immediate illa verba præcessit. Et postquam dictum est à Christo, *Hoc facite*, id est, postquam data est Ecclesiæ potestas huius Sacramenti conficiendi, postquam institutio huius Sacramenti est à Christo facta, tunc iam in Ecclesia, his verbis, non tamen solis, sed etiam benedictione, inquit, solenni fit panis & vini consecratio. Itaque Autor hic magis nobis, quam ipsi fauet. Nyssenum quoque addit. Sed Nyssenum ego supra, *num 9.* explicaui.

XIII Ambrosio maxime innititur Bellarminus. Ambrosii *de Sacram. l.4.c.4.* verba sunt: Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu: nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentũ, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. *Ibid c.5.* Antequam consecraretur, panis est; vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi: Ante verba Christi calix est, vini & aquæ plenus; vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.] Habet & illa Ambrosius, *de iis qui myst. init. c.9.* Ipse clamat Dominus Iesus; *Hoc est corpus meum*; ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem, corpus Christi significatur.] Et idem postea alibi, *de sacr. l.5.c.4.* totidem ferme verbis: Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.] Mutauit, nescio quam candide; Bellarminus *l.4. de Eccles. c.13.* hoc vltimum verbum *significatur*, in verbum, *est*; cauebat, tanquam à colubro, à significatione; consului varias aliquot editiones, & in omnibus inueni priori loco verbum, *significatur*, non verbum, *est*. Quod igitur spectat ad Ambrosij autoritatem ipsiusq; dicta, in primis fateor mihi illa opuscula, *De iis qui mysteriis initiantur*, & *De Sacramentis*, Ambrosianam lucernam non olere: sed quia illa penitus reiicere non audeo, Respondeo secundo, Ambrosium infimo disserendi modo in his opusculis esse vsum, & populari, quia illa ad catechumenos & Neophytos perscribebat, vt ex eorum initio, & fine patet: propterea noluisse exacte ad amussim suas quæstiones exagitare. Et sane prima fronte videtur plurimum iis fauere, qui in solis Christi verbis à Sacerdote prolatis vim ponunt consecratiuam: sed qui mentem Ambrosii intimius rimetur, inueniet illum eniti persuadere, Christum, & non hominem Sacerdotem esse, qui faciat in pane mutationem, ex communi & vsuali, in Sacramentalem. Atq; hoc probat ex eo, quod in Liturgia latina consecratio proprie, & maxime peragi intelligatur illa sola canonis oratione, quæ incipit, *Quam oblationem*; vsq; ad illam aliam, quæ incipit, *Vnde & memores.* Sola vero oratio ferme tota constat recitatione verborum Christi: & hinc vult colligi, Christum esse, qui panem & vinum consecrat, non Sacerdotem preces illas recitantem. Totam vero illam precem efficere consecrationem, non nuda & pura illa verba, *Hoc est corpus: Hic est calix*, sentire Ambrosium, patet; quia in alijs, *inquit*, orari pro populo, pro Regibus, pro cæteris: At vero in hac tota prece non oratur amplius pro quoquam; sed tunc duntaxat orabatur, vt Deus oblationem illam admittat in figuram preciosi corporis, & sanguinis Iesu Christi Domini nostri: & statim ingreditur Sacerdos in verba Christi; Qui pridie, *inquit*, quam pateretur accipiens panem, & gratias agens, dixit, *Accipite, &c.* imo expresse Ambrosius non per sola verba, *Hoc est corpus: Hic est calix:* sed etiam per illa, *Accipite, comedite, bibite, &c.* fieri consecrationem asserit: procul dubio, quia totam illam integram precem considerat: At vero in ea etiam humana Ecclesiæ precatio continetur. Quia ergo consecratio in Liturgia non intelligitur per illam precem absoluta, nisi post recitata verba Christi, inde argumentatur Christum esse qui operatur illud mysterium: sed non excludit ab ea etiã verba illa nostra precatoria; *quæsumus vt &c.* Non enim inquirit, quibus verbis fiat consecratio; sed à Christo illam fieri, ex illa precatione deducit, in qua verba Christi inseruntur: ideo vero ante prolata Christi verba, *ait*, panem adhuc vocari panem, & post illa vocari corpus Christi, quia illis verbis absoluitur oratio precatoria, & consecratoria: itaq; consecratio debetur toti illi precationi, & verbis etiam Christi, quia illa claudunt ipsam precationem. Et eam precationem, sicut & reliquas totius Liturgiæ, etiam ipsis iam Neophytis notam supponit, & ab eis auditam: non enim submissa voce, vt nunc in Papatu nostro, à Sacerdote murmurabantur, sed alta, & intelligibili voce proferebantur. Obseruat vero Ambrosius postremo loco, ante benedictionem verborum cœlestium in ipsa Liturgia panem sub suo proprio panis nomine vocari: at vero post consecrationem panem corpus Christi significare; quod & Augustinus inferius *nu. 15.* obseruauit. Et benedictionem verborum cœlestium intelligit precem illam nostram, in qua ad benedicendum panem etiam verba cœlestia adhibemus. Prece ergo, & benedictione, non sine vsu verborum Christi Ambrosius quoq; supponit fieri Eucharistiæ consecrationem.

XIV. Mox

dille.

XIV. Mox in aciem Bellarminus pro se educit Chrysostomum: qui *in 2. ad Tim. hom. 2.* sic loquitur: Quemadmodum verba quæ locutus est Christus eadē sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est; eadem quoque baptismi ratio est.] Item alio loco *serm. de prodit. Iuda.* Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur.] Prior tamen locus nihil aliud euincit, nisi in liturgiæ satis lōga actione recitata fuisse eo tempore, (vt in omnibus videre est liturgiis) verba quoque Euangelica quæ Christus protulit, quando primum suos Apostolos sacra communione refecit. Ea vero sunt, non modo, *Hoc est corpus meum*, sed etiam, *Accipite & comedite, quod pro vobis frangitur: hoc facite in meam commemorationem &c.* Sed his verbis Eucharistiam consecrari non dicit Chrysostomus, hæc enim verba in liturgia quoque Chrysostomi, sicut & in aliis, præcedunt, verba vero consecratoria, quæ sunt preces, quibus petit Sacerdos vt panis ille fiat corpus, & vinum sanguis, subsequuntur. Posterioris vero loci verba quem sensum iuxta mentem Chrysostomi habeant explicat ipsemet *ibid.* Et sicut illa vox, *inquit*, quæ dixit, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, semel quidem dicta est; sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura, ita & vox illa semel dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernam diem, & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.] Non sumpsit ergo hoc loco Chrysostomus verba hæc, *Hoc est corpus meū*, prout sunt in ore Sacerdotis Eucharistiam præparantis, sed prout semel initio fuerunt in ipsomet ore Christi: & ab illis verbis, quatenus ab ipsomet Christo prolata fuerunt, vult Chrysostomus pendere nostræ consecrationis efficaciam, vt nimirum propterea nostra consecratio efficiat corpus Christi sacramētaliter, quia Christus id futurū promisit tunc, quando panem à se consecratum dixit esse suum corpus, & statim mandauit vt Ecclesia quoque id faceret. Ideo igitur certum, & ratum est, nostram consecrationem efficere corpus Christi sacramentaliter, quia de pane à se consecrato, & nobis commisso ad consecrandum ipse asseuerauit, illum esse corpus suum: & hoc pacto sibi respondent verba Dei, *Crescite & multiplicamini*, & verba Christi *facite*, illa enim adhuc suum effectum sortiuntur in natura; & ista in gratia: Quando itaque ait Chrysostomus, Hoc verbo proposita consecrantur, intelligit eo ipso verbo in numero, non in specie, nostram Eucharistiam consecrari, id est, sortiri vt sit corpus Christi, qua inde nostra per preces consecratio, addito verbo mandante *Hoc facite*, totam suam habet efficaciam, & firmitatem.

XV. Adducit quoque Augustinum *de verb. Dom. serm. 28.* dicentem, Dixi vobis, ante verba Christi quod offertur panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.] Ego vero iam ostendi, Augustinum, vbi de consecratione loquitur, eam in precibus collocare: At vero hoc loco nihil dicit de consecratione, neque eam nominat, neque ait, verbis tantum Domini consecrationem peragi, sed mouet quoddam dubium ex liturgia sui temporis Africana, quæ procul dubio erat Romana, dubium vero tale est: Cur in Liturgia panis ad Eucharistiam oblatus antequam recitentur verba Domini, illa videlicet, *Accipite, comedite, Hoc est corpus &c. Hoc facite &c* semper nominatur proprio vocabulo panis; Deinde post hæc verba, iam nominatur corpus: ac rursus postea in oratione Dominica quæ in ipsa liturgia subsequitur, non corpus, sed panis nominatur: *Panem nostrum quotidianum, &c.* Itaque verba illa Christi non sumit vt consecratoria, sed materialiter, pro illa parte liturgiæ in qua illa verba recitantur. Vnde autem habeat post illa verba panis vt iam corpus nominetur, si quæras, respondebo, id habere ex precibus illis; Quam oblationem ratam, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quā pateretur, &c. Et sic ait Augustinus, Ante verba Domini, id est, ante hanc precationem in qua includuntur etiam verba Domini, panem vocari panem, vt supra *num. 13.* vidimus etiam in Ambrosio; post illam vero, quia per eam facta est consecratio, panem vocari corpus: nisi quod in subsequenti Dominica oratione denuo nominetur panis; sed ea significatione quam ibidem exponit Augustinus. Addit mox Bellarminus incertum locum ex Augustino à Gratiano positum, *De consecrat. Dist. 2. c. utrum.* & ex variis triuialium Autorum laciniis consutum; in quo Eucharistia dicitur, non merito precantis, sed verbo effici Creatoris.] Dictū tamen hoc verum est, sed verbum Creatoris intelligitur verbum Patris, illud quo facta sunt omnia: & hoc verbum, non sunt illi soni, illæque voces *Hoc est corpus meum*, sed sensus est, diuinam omnipotentiam sicut rerum creationes attigit, ita in Eucharistia operari.

XVI. Eusebium quoque Emissenum nescio quem profert, certe apocryphum, & adhuc quis ille sit ignoratum. Non enim est Emisenus ille, cuius sectatorem fuisse Ioannem presbyterum Antiochenum; hoc est magnum Chrysostomum, scribit Hieronymus *de viris illust. in Eusebio Emisseno.* Eusebio illi suo subnectit Bellarminus Isichium, Damascenum, Paschasium, & alios iam minorum veluti gentium Doctores, id est, recentiores, quos ego parum moror, cum satis habeam Patres sex, aut saltem quinque primarum post Christum ætatum, & Liturgias omnes veteres consecrationem Eucharistiæ in precibus statuisse, & nōn in verbis illis solis; *Hoc est corpus meum.* Attamen ad Damascenum quod attinet, cum illum à nobis eodem loco stare iam ostenderim, aio illa quoque ipsius verba *de fide l. 4. c. 14.* quæ pro se allegat Bellarminus, in aliam sententiam Damascenum nequaquam flectere, vbi ait, Dixit Dominus, *Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem*, & omnipotenti eius præcepto efficitur donec veniat.] Huius enim dicti est idem plane sensus, quem supra in Chrysostomo explicaui *num. 14.* Nec Paschasius Corbeiensis fautor Bellarmini, vt ipse contendit, sed aperte aduersarius. & noster in hac parte patronus est; Ait enim, *de corp. & sang. Dom. c. 12.* vnde sacerdos non ex se dicit quod ipse creator corporis, & sanguinis esse possit, sed obsecrans per filium Patrem, Rogamus hanc oblationem, *inquit*, benedictam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi, &c.] Et infrà: Cæterum sacerdos quia vice Christi visibili specie inter Deum & populum, agere videtur, infert per manus Angeli vota populi ad Deum, & refert: vota quidem affert & munera, refert autem impertrata per corpus & sanguinem.] Et clarius in expositione Euangelij, *Cœnantibus autem eis, &c.* Sic enim habet, Notandum est quod ait, *Benedixit & fregit*, in qua nimirum benedictione ac fractione noua creatura efficitur, vt panis caro eius iure credatur. Similiter & sanguis in eadem gratiarum actione quam Deo Patri egit, creatur.] Sentit ergo Paschasius, & Christum sua benedictione & gratiarum actione consecrasse, & nos per preces illas, *vt fiat nobis, &c.* consecrare. Quod vero ait idem Paschasius priori loco, per verbum Christi carnem & sanguinem effici; non obest: non enim affert verba illa, *Hoc est corpus meum*: sed intelligit, nos consecrare virtute promissionis Christi, qui dixit, vt nos quoque facere-

mus quod ipse fecit: ipse vero testatus est, se suum corpus & sanguinem tradere in pane & vino à se benedicto, & consecrato. Et hoc sonant verba Paschasii, *Ibid.* quæ talia sunt, Sic itaque in hoc mysterio credendum est. quod eadem virtute spiritus sancti per verbū Christi, caro ipsius & sanguis efficitur:] Hoc est, Credendum est, nos nostra prece virtute Spiritus sancti efficere carnem & sanguinem Christi: quia verbum Christi id est, quod nos facimus esse ipsius corpus & sanguinem: facimus enim quod ipse fecit, id nimirum de quo ipse dixit, *Hoc est corpus meum.*

XVII. Graues præterea difficultates quibus se inuoluunt qui in solis illis verbis, *hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei*, ponunt consecrationem, sententiam ipsam tanto magis reddunt improbabilem. Neque enim explicare commode possunt, quid demonstret pronomen, *Hoc*, neque enim corpus demonstrat, cum nondum facta sit consecratio, neque panem, quia panis non est corpus, ideoque velimus nolimus, cogimur verba ipsa Christi, vt illis aliquem certum sensum demus, omnino inuertere, & à sua literali significatione deducere. Sic enim iam cogimur cum magis approbatorum scholasticorum commento ea verba interpretari? *Hoc est corpus meum*, id est, *sub his speciebus est corpus meum*, *Bellar. de Euch. lib. 1. c. 11.* quæ est maxima literæ coactio. Et si nobis sic licet verba permutare ex recto in obliquum, cur non licebit nostris aduersarijs transubstantiationem impugnantibus ea, & sane, cum minori violentia sic in obliquum inuertere: *Hoc est corpus meum*, id est, *cum hoc pane exhibetur corpus meum*? Si vero consecratio facta est illa præcedenti benedictione & gratiarum actione, tunc litera integra seruatur, nam qui tenent transsubstantiationē (qui inferius impugnabo) per pronomen, *hoc*, demonstrabunt Corpus Christi iam factum; qui vero eam negant per pronomen, *hoc*, demonstrabunt panem, qui dicatur esse Corpus Christi, id est, exhibere se digne manducantibus corpus Christi. Quid vero illud: si leuiculæ mentis Sacerdos in panariam pistoris officinam ingressus, super toto illo pane verba illa pronūciarit, *Hoc est corpus meū*, cum intentione consecrandi? omnino totum illū panē transsubstantiatū nos fatemur, & corpus Christi substantialiter illū esse asserimus. Hoc autē asserere mihi maximæ videtur esse leuitatis. vt enim panis fiat Sacramentalis, id publice & solēniter occasione cœnæ Domini à fidelib. simul celebrādæ per ōnes solēnes preces fieri debet. Et intētio publica Ecclesiæ, non priuata stulti ministri est inspicienda, vt *postremo cap. huius libri.* ostendā. Negandū igitur est panem illum re ipsa consecrari.

XVIII. Est & alia difficultas: Esto, Christus dicēs, *Hoc est corpus meū*, his verbis tamq̄ operatoriis, & practice ꝓlatis effecerit esse verū id ꝙ verba enunciabant, id est, panē illū fieri Corpus Christi quomodo id verū erit in puro homine, & sordido peccatore Sacerdote? Sacerdos iā dicit, *Hoc est corpus meū*, Si verba sunt practica, & opatoria, panis ille transsubstātiabit in corp⁹, nō Christi, sed Sacerdotis: quia nō Christus, sed Sacerdos dicit, illud esse corp⁹ suū: & nō dicit, Hoc est corp⁹ Christi, sed, hoc est corpus meū. Vt autē sint operatoria debent esse in ore Christi, nō in ore Sacerdotis, q ea non effert ꝓlatiue, sed refert historice, & narratiue. Ecce iā tibi varias scenæ mutationes, & in vna eadēq; persona, in eodē actu liturgiæ in varias personas transmutationes seu rꝑsentationes. Modo Sacerdos in ꝓpria persona loquitur, modo exuit ꝓpriā personā, & personā Christi induit, *Bell. de Euch. l. 4. c. 14.* & ita induit, vt vere & ꝓprie ac realiter, nō duntaxat repꝛæsentatiue Christus ipse, per os Sacerdotis, non Sacerdos verba illa ꝓferat: sed quis dedit nobis hanc potestatē? Vnde illā hebemus? quomodo probamus? Hæc certe sunt mera commenta. Alias quoque graues difficultates ex hac opinione exorientes breuitati consulens prætermitto.

XIX. Occurrent fortasse aduersarii, *Bellar. ibid. c. 13.* Nullā particularē formā precum Christū Apostolis, & per Apostolos nobis tradidisse, qua fieret consecratio; sed omnes preces esse ab hominib. pro ipsorū libertate in omnib. liturgiis excogitatas & cōpositas. Respōdeo, ad institutionē veri Sacramenti satis esse, si certa & particularis actio à Christo assumatur & ordinetur, & facieda mādetur, cui actioni si verba addi iubeat, potest vel verba ipsa & in particulari designare ac pcipere, vel in generali dūtaxat, eaq; libertati ministrorū relinquere, quoad particularē & conceptā formā verborum. In Baptismo quidē expressit inuocandā esse Trinitatē, sub his conceptis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* At vero in Eucharistia dixit, *Hoc facite*, id est, quod ego feci: quasi dicat; Accipite panē & vinū, & ea benedicite, ea forma precationū quæ talē actionē maxime deceat, & inde distribuite, &c. Quod si Christus voluisset illa ipsa verba q bus ille benedixit panē & vinum Ecclesiæ tradere, certe Euangelistę ea expressissent, saltē Paulus, cui seorsim à Christo *1. Cor. 11. 24.* reuelata fuit tota ipsius actio in Eucharistiæ prima institutione; ea nō omisisset; sed cū & Euangelistæ & Paulus ea sub vocabulo generali benedictionis & gratiarū actionis posuerint, manifestū est, Christū formā particularē illius benedictonis libertati Ecclesiæ reliquisse; Ecclesię vero ōnes, vt vidimus, in eo semper conuenerunt, vt prece tali facerēt Eucharistiæ consecrationē. in qua oraretur Dominus, vt panē & vinū illud ipse efficeret corp⁹ & sanguinē suū sacramentaliter, licet deuotionis & ꝑparationis fideliū causa, huic preci & psalmōdia, & scripturarū lectio, præsertim vbi de institutione cœlestis cōuiuij agitur, & gratiarū actiones, *1. Tim. 2. 1.* & variæ admonitiones, ac obsecrationes, & peccatorū confessio, & similia adiungūtur, prout cuiusq; Ecclesię deuotio, & legitima incorruptaq; cōsuetudo exposcit. Certū enim est, in ipsas liturgias, ac præsertim nostram Romanā, nō paucos nec exiguos errores, & aliquas etiam superstitiones irrepsisse. Hęc de prima difficultate satis.

Secvnda difficvltas principalis; An per consecrationem Eucharistiæ realiter & substantialiter mutetur panis in corpus, & vinū in sanguinē Christi. Magna esset Ecclesię potestas, si ad nutū ferme, quoties ei placuerit, posset vbi illa velit corpus Christi verū ac reale corporaliter statuere ac collocare. Est ergo exacti potestas hęc excutiēda. Nimia ꝓfecto hinc dānabilisq; curiositas, nec nō crassities, &, vt ita dicā, nostrarū materialitas cogitationū hanc pene inexplicabilē difficultatē plenā periculis excitarunt. Per mille profecto annos Ecclesia sancta Catholica sobria diuinorū mysteriorū cognitione contenta, & pie credidit, & tuto docuit, in Eucharistia legitime consecrata fideles corp⁹ & sanguinē Christi agnoscere, & recipere ac manducare, ac in illo sacro pane, sacroq; vino, corpus & sanguinē Christi mirabiliter exhiberi; modum vero particularē pie, humiliter, & religiose ignorare voluit, quo Christi corpus & sanguis in sacris hisce mysteriis, & Sacramentis exhiberetur. Rem ipsam & effectum læta tenebat, à modo inquirendo humilis, & deuota abstinebat. Vtinam perniciosa curiositas ad inquirendum ipsum modū non accessisset, & nostra materialitas corpus illud & sanguinem materialiter non intellexisset, sed spiritualiter, iuxta illud Christi documentum illis datum, quibus durus videbatur sermo eius de ipsius carne comedenda, & de sanguine bibendo; Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquā; verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt! *Ioan. 6. v. 63.* si hic constitissent, profecto in tantas & tam periculosas dissensiones non incidissemus. Quod

si demum omnes Ecclesiæ rem ipsam & effectum retinerent, & modum tanti mysterii, vti Deo soli notum, & nobis occultatum, soli diuinæ cognitioni relinquerent, ab eoque curiosius inquirendo omnibus omnino abstinendum esse statuerent, magna inter Ecclesias pax conciliaretur, & magnæ turbulentarum dissensionum occasiones & semina eliderentur. Quoniam tamen nos, nimium profectò audacter, non solum modum illum inquirere exacte voluimus, sed etiam illum tanquam rem de fide statuere, & per transubstantiationem quandam stabilire, libereque & constanter, sed certe carnaliter asserere, in consecratione Eucharistiæ panis substantiam in substantiam corporis Christi realiter, & materialiter transire; vinum vero in sanguinem, non possum hic nostram audaciam non reprehendere: & si semel in considerationem modi ingrediamur, non possum similiter non illis Christi verbis adhærere: *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Sobrietas profectò Ecclesiæ primæuæ summopere laudanda est. dum ab explicando modo particulari abstinuit, semper enim in genere duntaxat in sensu mystico, & spirituali, & non in sensu corporeo & materiali verba Christi de suo pane cœlesti, de corpore suo, de carne sua, de sanguine suo, edendis & bibendis intellexit & explicauit. Qua de re iam nobis plenior est tractatio instituenda; & lis illa exagitanda, quam nostra Romana Ecclesia Ecclesiis reformatis intendit. An in Sacramento Eucharistiæ sit præsens corpus Christi ita realiter, vt præsens adsit materialiter & corporaliter, ac carnaliter; (præsentiam enim Christi realis corporis in Eucharistia iam vix quisquam Euangelii sectator negare potest) an vero in signis mysticè duntaxat, in re autem spiritualiter, non carnaliter. Altera lis ab ijs tantum intenditur, qui materialem & corporalem præsentiam admittunt: an videlicet adsit corpus Christi reale simul cum pane, & sanguis cum vino; an vero per transmutationem realem substantiæ panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Domini, quam iam nos vocamus transsubstantiationem.

XXI. Præsentiam realem, hoc est, materialem & corporalem illius Christi corporis, quod ex Maria virgine natum est, & in cruce tormenta & mortē passum, quod in sepulchro triduo iacuit, quod resurrexit, quodque iam ad dexteram Patris in cœlesti gloria residet, ponunt neoterici plurimi, & ab septingentis iam circiter annis hæc præsentia ita stabilita est in Ecclesiis plurimis, vt nefas videatur fuisse eam in dubium reuocare; quamuis non defuerint etiam, modo plures, modo pauciores, qui reclamarent. Modus itaque veritatis circa hanc præsentiam inquirendæ præcipue in eo consistit, vt quod vetus Ecclesia per octingentos, aut saltem sexcentos primos annos senserit, indagemus. Nam si Ecclesia dum adhuc pura esset, & nihil à doctrina Apostolica deflexisset, præsentiam hanc non agnouit, proculdubio inter errores, etiamsi communissimos & valdè vniuersales, præsentia hæc erit reponenda, & ab Ecclesia procul amandanda: Neq; enim nouum aut insolitum est, Ecclesiam etiam fermè totā à Deo interdum permitti, vt in aliquem labatur errorem. Tota Africa, & magna pars Orientis Cypriani errorem de baptismo hæreticorum aliquando est amplexa, & diu in eo errore perseuerauit; Arianismus & Orientem & Occidentem fermè totum quodam tempore occuparat.

XXII. In veteri profectò Ecclesia verba illa Christi, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & panis quem ego dabo caro mea est, Ioan. 6. v. 53. Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, Matth. 26. vers. 26. & similia,* spiritualiter tantum & mysticè fuisse intellecta, non corporaliter & materialiter, multo euidentius & clarius, & per maioris autoritatis Patres probari potest, quam oppositum, quod iam ostendo. Incipiam à sapientissimo philosopho, sanctissimoque martyre Iustino, nouellæ adhuc nostræ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ germine nobilissimo. Is igitur de Eucharistia ita loquitur, *in Apolog. 2. ad fin.* Sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quē ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostræ commutatione aluntur, Iesu Christi eius qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus.] Ex hoc modo loquendi necesse est Iustinum aut imperitissime loqui, imo vero blasphemare, quod horror est vel cogitare; aut ipsum corpus & sanguinem Christi non nisi in sensu mystico, & effectu spirituali in Eucharistia agnouisse. Ait enim, ex illo sacro cibo qui fit in Eucharistia consecratus, quemque corpus & sanguinem Christi esse didicerunt, sanguinem, carnesq; nostras commutatione, seu per mutationem ali. At quis quæso sanæ mentis dicet vnquam, ipso reali & substantiali Christi corpore nostras carnes nostrumque sanguinem, id est, nostrum corpus ali & nutriri, ac sane ita nutriri, vt ipsum Christi materiale corpus verū, & reale per sui mutationem in nostri corporis substantiam transeat? Quod si ita esset, profectò & pars aliqua abiret in excremēta, & corpus ipsum Christi transubstantiaretur, imò proprie transmutaretur in corpus nostrum; & cessaret esse corpus Christi, quæ sunt horribilia cogitatu. Sentit ergo Iustinus, cibum illum esse vere & proprie panem, & cibum materialem quo corpora nostra aluntur & nutriuntur, sed simul ex consecratione eundem cibum habere, vt sit spiritualiter corpus Christi & propterea corporibus quoq; nostris tribuere posse pro suo tempore immortalitatem, vt melius applicat Irenæus, vt mox videbimus.

XXIII. Nititur huic Iustini loco pro reali corporalique præsentia Bellarminus, *de Euch. l. 2. c. 4.* sed frustra. Sic enim deducit: Primo, quia Iustinus negat esse panem communem.] Negat quidem esse panem communem, sed non negat esse panem: imo cum ex ipso corpus nutriri velit, propria profectò & ordinaria naturali nutritione, agnoscit verum panem: non tamen communem, sed Sacramentalem, cum sanctificatione, & cum adiuncto effectu reali exhibendi simul, sed spiritualiter, ipsum corpus verum, & reale, Christi. Neque vero institutum Iustini in ea Apologia est, quod autumat Bellarminus, soluere obiectiones gentilium; sed ipsis ipsamet nostra mysteria directè detegit & explicat, vt quænam esset Christianorum fides aperte eis pateret, in qua nihil contineretur, quod pœna iusta plectendum esset. Secundo sententiam suam astruit Bellarminus ex eo, quod Iustinus Incarnationem quoque ibidem nominauit, & in exemplum, *inquit*, adduxit, vt tali exemplo doceret, non temere credere Christianos panem fieri carnem, quia verbum etiam factū est caro, vtrumq; ergo per omnipotentiam.] Respondeo sensum Iustini esse huiusmodi: quemadmodum verbum pro nostra salute voluit carnem assumere, ita pro eadē nostra salute voluit Christus, vt carne ipsius, spiritualiter tamen, etiam cum pane Eucharistico pasceremur. Conatur tamen declinare Bellarminus ictum, & addit glossema ad verba Iustini, vt quæ dicit de alimento corporali, non sint intelligenda de corpore Christi, & de ipsa Eucharistia iam consecrata; sed ea esse periphrasim quandam panis: hoc sensu; panis ille quo corpora nostra ordinarie solent nutriri, cum consecratur fit Eucharistia & corpus Christi. At glossema nimis violentum est, & coactum: Iustinus enim non dicit cibum illum quo nostra corpora aluntur, in conse-

conse-

consecratione fieri corpus Christi: sed cibum consecratum in Eucharistiam ex quo, (certe consecrato in Eucharistiam) corpora aluntur, esse corpus Christi, quin & Patribus aliis quoque, vt videbimus, familiaris est locutio, vt per Eucharistiam corpora quoque in sui ex ea nutritione accipiant donum immortalitatis.

APPENDIX AD IVSTINVM.

SI quo tempore ergo Spalati quintum hunc librum scribebam, videre mihi licuisset perillustris Viri, strenui Equitis, in medio armorũ Theologica scientia exculrissimi, Philippi Mornæi Plessiaci Domini &c. Libros doctissimos de sacra Eucharistia; editumque tunc fuisset præclarum opus, licet imperfectum Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Cardinalis Peronij, quod aduersus parte eiusdem Mornæi tractatus nuper prodijt; nullis mihi nunc appendicibus vti necesse esset. Sed quoniam & ex iisdem Patribus plura loca protulit Dominus ipse Mornæus, quæ ego aut non obseruaram, aut consulto, vt minoris mihi visa momenti, omiseram, & D. Cardinalis Perronius (cuius opus illud imperfectum Gallice scriptum ad meam notitiam, & manus, his ipsis diebus peruenit, cum iam typographus huic meo quinto libro manus admoueerat) vrget sæpius suis nouis & acutis argutiis loca Patrũ ad realem præsentiam crassam illam confirmandam, vidi omnino necessarium fuisse, vt saltem per Appendices occurrerem, ne ex alterius Cardinalis, magni nominis post illustrissimum Bellarminum, dissertationibus, meus hic tractatus aliquid detrimenti apud simpliciores præsertim, pateretur, quorum oculos, & tanti hominis nominisque splendor perstringere; & gloriosus (non audeo dicere Thrasonicus) dicendi modus perterrefacere, animos; & fallaces ex magno ingenii acumine prodeuntes in explicandis, imo obnubilandis Patribus, subtilitates possent tenebras offundere. Interprete mihi, qui Gallicæ linguæ ignarus sim, perpetuo vtendum fuit, ac propterea diutius laborandum. Hæ appendices partim in causa fuerunt, cur secundæ huius partis, mei de Repub. ecclesiastica Operis, editio nonnihil dilata sit. Agam breuiter, & succinctè; res considerabo, in verbis non immorabor; meũ tractatum defendere conabor, & à Perronianis argutiis, vbi mihi & veritati cõtrariæ sunt, ipsum vindicare. D. Mornæum non dubito se ipsum esse optime propugnaturum, Athleta egregius est, Pugil veteranus, pugnant arma ipsius, non indiget alienis. Age ergo Iustinum denuo resumamus: reliquos etiam Patres subsecuturos, in suis quemq; Appendicibus, in gratiam amplissimi D. Cardinalis Perronij, reuisuri.

2. Ex Iustino itaq; D. Plessæus locum protulerat, suo *lib.4.* de sacrificio Missæ supposititio, *cap. 4.* vbi Iustinus comparat panem Eucharistiæ, farinæ, quæ in veteri lege offerebatur pro leprosis, quem afferebat Plessæus, vt ostenderet transsubstantiationem veteribus Patribus esse incognitam, prout in ipso huius quarti capitis titulo proposuit. Cum igitur Iustinus panem Eucharistię dicat habuisse pro sua figura farinam illam, & panis sit figuratum illius; profecto in Eucharistia panem esse panem agnoscebat, & quia in recordatione passionis Eucharistiam confici dicebat ibidem Iustinus, notauit merito D. Mornæus verbum, *Recordationis*, vt videlicet inde confirmaret, quæ iam in præcedentibus fuse probauerat, sacrificium Eucharistiæ non esse verum sacrificium & propitiatorium, sed tantummodo commemoratiuum. De quo nos inferius. Hic vero illustrissimus D. Cardinalis Perronius ante omnia vellicat Plessæum, quod ex Petronij interpretatione legisset aliquando, *vaccam* pro *simila*; & tamen iam viderat ipse Perronius editiones posteriores, in quibus ipsemet Plessæus veteris interpretis errorem notarat, &, *farinam*, pro *vacca* reponendum esse submonuerat. Cur ergo persistit in reprehensione Perronius post correctiorem editionem Mornæi, editque suas obseruationes, post correctas iam datas, & à se visas ac lectas editiones? nec potest negare, id enim constat ex ipsius *pag.684. à tergo*. Et, si resecuisset Perronius à suo opere imperfecto, antequam ederetur, omnia illa in quibus exultat sæpius, vt iam inutilia, & extra rem, post editiones correctiores Mornæi, opus illud imperfectum, adhuc imperfectius mundo appareret. Et sane tanti viri ingenuitas ferre nunquam debuit, vt obiectiones ipsius ederentur in ijs, in quibus ipse Plessæus obiectioni ansam abstulit. Sed & Perronius immerito hallucinatus supponitur, quia in suis obseruationibus ipse expresse *similam* ponit non *vaccam*: propterea nescio quomodo in ipsius interpretationem irrepserit *vacca* pro *simila*.

3. Retorquet tamen locum Iustinini, & ad confirmandam transsubstantiationem sic eo vtitur *pag. 887. à tergo*: similæ oblatio, ait Iustinus, figura fuit panis Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suę facere pręcepit Christus, Igitur Eucharistia est veritas, & adimpletio illius oblationis. At quomodo potest esse veritas, & adimpletio, si Eucharistia nihil aliud est, nisi ipsummet sacrificium farinæ? Ac vlterius, quid est præcipere vt Apostoli faciant panem? An vt sint pistores? Sane præcepit vt ex pane faciant corpus Christi. Nam sacerdotes, vt ait Hieronymus, *ep. 1.* sacro ore conficiunt corpus Christi. Et rursus ait idem, *in Isa.c.62.* Triticum, de quo panis cœlestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus, *Caro mea vere est cibus.*] Hæc sane frustra Perronius, Nam Iustinus intendit, Similæ oblationem in sacrificium, *Leuit. 14.10.* ad mundandum leprosum ab immunditia legali, postquam à morbo lepræ conualuit, quam immunditiam ex lepra contraxerat, fuisse figuram, seu simulacrum, ac similitudinem quandam nostræ Eucharistiæ: vt videlicet, quemadmodum similæ illius oblatio auferebat immunditiam legalem contractam ex lepra, sic nostrum panem offerri Deo, vt per sacerdotis preces sanctificetur, ad abstergendas maculas ex peccati lepra contractas, in sumptione digna Sacramenti; fitque per benedictionem & preces sacerdotis, vt panis nobis fiat corpus Christi, quod ait Hieronymus, id est, exhibeat nobis spiritualiter ipsum corpus Christi, & hoc in memoriam passionis eius, à qua habemus peccatorum remissionem. Et hoc non est esse pistores in faciendo pane, sed esse ministros Christi in offerendo, licet impropriè, pane, & sic faciendo vt sanctificetur, & fiat Sacramentalis. Atque ita non farina ipsa leprosi erat figura farinæ nostræ, sed oblatio illius farinæ cum effectu munditiæ tantummodo externæ legalis, erat figura nostræ oblationis itidem farinaceæ, sed ad effectum munditiæ internæ spiritualis, ita vt res oblata sit ferme eadem vtrobique; oblatio tamen, & effectus oblationis sint diuersi; ibi enim offertur farina ad simplicem cultum externum; & ad effectum totum externum; hic vero offertur eadem ad cultum internum Sacramentalem, pro effectu interno spirituali, & suo modo etiam corporali ad incorruptionem etiam & immortalitatem corporis, vt inferius docebo; quæ est veritas & corpus, respectu typi illius & vmbræ. Miror vero cur Perronius contendat, figuram in se materiali

teriali diuersam esse debere à figurato: vt propterea loco farinaceæ oblationis pro lepioso, sit nobis oblatio corporis Christi, & non panis farinacei. An non aqua nostri baptismi est eadem prorsus specie aqua, qua immersi sunt Ægyptii? Et tamen illa aqua immergens Ægyptios, erat figura nostræ aquæ demergentis peccata; illa erat figura, hæc veritas;& tamen ibi aqua, & hic aqua, & hæc aqua habet adimpletionem rei in illa aqua adumbratæ. Sic farina hic, farina ibi; sed per hanc farinam adimpletur, quod per illam farinam adumbrabatur. De hoc Iustini loco vide quæ infra considerauí *num.* 221.

4. Quod vero Plessæus obiter notabat de recordatione, Eucharistiam nimirum in Iustino esse Sacrificium tantum commemoratiuum, euitatur à Perronio *pag.* 888. *à tergo*, asserente, nihil melius posse excitare memoriam passionis Christi, quam ipsum Corpus Christi. Vt corpus magni Regis pro patria occisi in feretro tectum, magis mouet memoriam ipsius, quam quæcunque ipsius similitudo, vel imago, & propterea Eucharistiam dici à Iustino recordationem, quia in ea adest ipsummet Christi corpus pro nobis olim crucifixum. Sed Iustinus ait, Christum præcepisse fieri panem in recordationem passionis, quam sustinuit pro ijs, quorum animi à prauitate purificantur; hoc est offerri panem ad consecrationem, vt sic celebretur memoria passionis. Itaque memoriam ponit in ipso facere, & non in facto, alludens ad ea Christi verba: *Luc.* 22. *vers.* 19. Hoc facite in meam commemorationem, & Pauli: 1. *Corinth.* 11. *vers.* 26. Quotiescunque manducabitis, mortem Domini annunciabitis. Recordatio ergo, seu commemoratio ponitur, & à Christo, & à Paulo, & à Iustino, & postea ab aliis Patribus passim in rebus sensibilibus, omnia enim memorialia, seu monumenta, sunt sensibilia, & patentia sensui; ac propterea benedictio illa sensibilis, fractio, distributio, comestio panis Sacramentalis, nobis est memoriale passionis Christi, non autem corpus latens, inuisibile, impalpabile, ac ferme ne imaginabile quidem. Nec certe cadauer velatum, & absconditum in feretro cuiquam potest memoriam viri mortui excitare, nisi ex fide & relatione, quæ perinde memoriam excitat, absente corpore, & remotissime posito, ac præsente, sed tecto, & abscondito; plusque monet imago picta, si oculis exposita sit, quam corpus ipsum occlusum, & circumtectum. Quis porro diceret vnquam memoriam alicuius excitari, vbi ille ipse oculis obiicitur? Vbi corpus Christi præsens adest ibi profecto ipse Christus adest, & si cerni posset corpus Christi sub speciebus latens, iam corpus illud non esset memoriale & signum, sed esset ipsummet Christi corpus, & sic exemplum cadaueris nihil est ad rem. Potius dicere debuisset neminem melius mouere memoriam beneficii ab aliquo accepti, puta vitæ, per defensionem ab inuadentibus, quam ipsummet hominem oculis obiectum, à quo quis fuit defensus. Faciat ergo D. Perronius nos in Sacramento Christum ipsum videre, profecto semper nostri assertoris egregie recordabimur; nunc supplent signa, & Sacramenta. & hoc plane voluit Iustinus, qui præsentiam illam corporis imaginariam, ne somniauit quidem.

5. In Confirmationem sensus Iustini, in Eucharistia aliud sacrificium non agnoscentis, nisi commemoratiuum, protulit Plessæus illa quoque Iustini verba, ibidē aliquanto post sequentia; *in dial. cum tripli.* Panem Christus nobis ad conficiendum tradidit, vt corpus eum factum esse recordaremur, &c.] Respondet Perronius *pag.* 889. *à tergo*; imo in hoc consistere vnum ex maximis secretis mysteriis Eucharistiæ, vt quemadmodum in incarnatione panis cœlestis, hoc est Verbum diuinum, caro factum est, ita in Eucharistia vera imagine incarnationis, panis terrestris fiat ipsamet caro Verbi: & sub his terminis idem Iustinus ad finem Apologiæ 2. fatetur, & à Mornæo etiam proponitur. Sed quoniam Iustinus ait, Christum tradidisse nobis panem ad conficiendum, id est ad consecrandum in Sacramentum, vt inde recordaremur, Verbum carnem esse factum, certe in Sacramento hoc non agnoscit præsentiam corporalem carnis, sed memoriale duntaxat signum, & symbolum incarnationis; ideo vrget Perronius, vt supra ferme de cadauere in feretro; videlicet, nullum esse memoriale, quod Incarnationis memoriam magis reficiat, quam ipsum corpus Christi corporaliter exhibitum & ob oculos positum; & hoc fieri in Eucharistia, ideo à Iustino dici, in ea esse recordationem quod Verbum assumpserit corpus. Exemplis hoc illustrat Perronius. Sicut manna, inquit, seruata in arca, fuit memoriale mannæ exhibitæ in deserto: & erat substantialiter & corporaliter eadem manna; sic & virga Aaron ibidem corporaliter seruata, erat memoriale sui ipsius.

6. Iustinus tamen priori loco considerabat verba illa Propheriæ. *Isa.* 33. *vers.* 16. vbi ei, qui in excelsa petræ fortis spelunca habitat, panis dandus asseritur; Atque in hac Prophetia illius panis, inquit, fit mentio, quem nobis Christus noster dedit ad conficiendum in memoriam, &c.] Nostra ergo Eucharistia adimplet illam Prophetiam secundum Iustinum, quæ Eucharistia conficitur in memoriam. Memoriale ergo hoc Iustini non est ipse panis præcise, sed sunt illæ actiones sacramentales verbo faciendi comprehensæ, vt etiam superius obseruabam, nimirum benedicendi, frangendi, distribuendi, edendi. Illæ autem actiones non sunt corpus Christi, etiamsi circa corpus Christi suo modo occupentur. Sed & iterum nego, hominem qui se sistat præsentem, esse, aut posse dici memoriale sui ipsius: memoria enim est rerum præteritarum, non præsentium; & ita memoriale est quod rem præteritam in memoriam reducit, non se ipsum, & consequenter res memorata necessario diuersa est à suo memoriali: & sane Manna, quæ erat in arca, reficabat memoriam non sui ipsius, sed refectionis habitæ in deserto per mannam eiusdem speciei, non per illam eandem mannā numero: & Virga erat memoriale, nō sui ipsius, sed mirabilium, quæ olim per ipsam facta fuerant. Iustinum vero non posse hoc suum memoriale statuere in corpore Christi in Eucharistia præsente corporaliter, ex eo liquido constat, quod Christum suis redemptis adesse sola vi, & virtute sua in remissione, asserit; negatq; eum adesse ipsis in re ipsa, nimirum corporaliter, sic enim ait;

7. Illud quod à Iacobo Patriarcha propheriæ spiritu prædictum est; Abluet in vino tunicam suam, & in vuæ sanguine pallium suum; significabat eius sanguine expiatum iri eos qui crederent. Tunicam enim eius Spiritus sanctus eos, qui per eum remissionem acceperunt vocauit, in quibus vi quidem semper inest & adest Christus, re autem vera in altero aduentu aderit.] Tanquam opposita ponit Iustinus, adesse Christum δυνάμει, & adesse ἐναργῶς: & vult, nunc non nisi δυνάμει, id est, per vim & efficaciam suam nobis adesse; at vero in ipsa rei euidentia, ἐναργῶς, nimirum per ipsam corporalem præsentiam, quæ opponatur præsentiæ virtuali, non prius affuturum, quam venerit ad iudicandum mundum, quando ipsius præsentia erit & realis & manifesta ac visibilis, vbi nunc non est nisi virtualis. Quis ergo præsentiam realem corpo-

corporalem Chriſti in Euchariſtia ex mente Iuſtini ſomniabit? Nam ſi debeat Chriſtus memoriam mouere, debet adeſſe ſenſibiliter; quod ſi adeſſet ſenſibiliter, non eſſet memoriale ſui ipſius, ſed viſionem primariam ſui, & directam exhiberet, abſque vlla motione vllius recordationis, niſi eo modo quo paulo ante monebam.

8. Accedit mox *pag.* 891. ad alterum locum ex Apologia Iuſtini, in quo Pleſſæus illa primum ponderabat Iuſtini. Non enim vt communem panem, neque communem potum iſta ſumimus.] Eſt igitur panis in ſubſtantia, ſed mutato vſu. Perronius vero Iuſtini locum integrum pro tranſſubſtantiatione affert, & illud vrget, Iuſtinum affirmare, eodem modo, ὃν τρόπον, Chriſtum verbo Dei factum eſſe carnem & ſanguinem in incarnatione, & panem ac vinum verbo Dei Euchariſtizatum fieri carnem & ſanguinem eiuſdem Chriſti, ita vt æquipolleant hæ duæ propoſitiones: *Verbum caro factum eſt*: &, *Hoc eſt corpus meum.* Quis ergo, inquit, audebit dicere, Ieſum Chriſtum non habuiſſe carnem, & ſanguinem, niſi in figura, & allegoria, & hanc propoſitionem, *Verbum caro factum eſt*, non eſſe intelligendam, niſi ſignificatiue & repræſentatiue? Reſpondeo, vt innui ſupra *num.* 23. ſenſum Iuſtini eſſe, Dei filium, quemadmodum pro noſtra ſalute carnem aſſumpſit, ita voluiſſe etiam, vt nos eius carne paſceremur, modo ineffabili, per panem videlicet, atque ita iam panem hunc nobis non eſſe panem communem, ſed Sacramentalem cum exhibitione reali corporis Chriſti: vt dum hoc pane nutrimur, etiam corpora noſtra, propter carnem Chriſti nobis ſpiritualiter communicatam, ad immortalitatem, & incorruptionem nutriantur. Neque Iuſtinus vnquam dixit, eodem modo quo Verbum caro factum eſt, etiam panem fieri corpus: ſic enim dicendum eſſet, panem ad hypoſtaticam vnionem in Euchariſtia à Chriſto aſſumi: quia caro hypoſtatice vnita fuit Verbo. Non igitur hoc Iuſtinus aſſerit, illo ipſo modo panem fieri carnem, quo Verbum factum eſt caro, ſed oſtendere cur dixerit, panem in Euchariſtia non ſumi à fidelibus tanquam ſi eſſet panis communis: quia, inquit, dicimus nobis digne ſumentibus cibum Euchariſtiæ eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, qui ſicuti pro noſtra ſalute carnem aſſumpſit, ita pro noſtra ſalute voluit etiam vt carne illa per panem paſceremur: & ſic iam panis hic non eſt communis, quia carnem Chriſti nobis exhibet, quod non facit panis communis, & debuit Perronius, illud ὃν τρόπον, vertere potius Gallice *ainſi comme* quam, *en la meſme maniere que*, quoniam non conſideratur identitas modi coniunctionis Verbi & panis cum carne; non enim dicit Iuſtinus, *Eodem modo quo*; ſed ait, *quemadmodum*, hoc eſt, ſicuti Verbum pro noſtra ſalute voluit carne veſtiri, ita voluit etiam, vt cum pane Euchariſtico carnem eandem ſumeremus; neque quia Chriſtus carne vera & reali, vere & realiter, & corporaliter veſtitus eſt, ſequitur quod carne ſua corporaliter nos paſcat. Sed ſatis eſt, quod nos vera eius & reali carne paſcat: modo tamen aliquo ineffabili per panem, ſeu cum pane, ipſi ſoli noto: nam de modo nullus eſt hic ſermo apud Iuſtinum, ſed de re: & comparat rem cum re, non modum rei, cum modo rei. Si quis diceret: Quemadmodum anima eſt vita corporis ſic Deus eſt vita animæ; verum diceret, Ac ſi dicat, eodem modo quo anima eſt vita corporis, ſic Deus animæ, falſum diceret, quia anima eſt vita corporis ipſum informando; non ita Deus eſt forma animæ. Si igitur in noſtro caſu volumus facere modum eundem, blaſphemabimus, quia, vt dixi, non eodem modo quo vnita eſt caro Verbo in incarnatione, vnitur caro Chriſti nobis in Euchariſtia, ideo Iuſtinus dicit, Quemadmodum verum eſt quod Verbum ſibi carnem vniuit; ita verum eſt, quód cum pane Euchariſtiæ nos Chriſti carne veſcimur: & comparatio quædam inſtituitur inter Verbũ & carnem, primo, deinde inter carnem Chriſti & nos illa veſcentes, potius quam inter carnem Chriſti & panem. In quo Perronius ſimplicioribus conatur imponere. Neque enim Iuſtinus comparat illas duas propoſitiones, *Verbum caro factum eſt*: &, *Hoc eſt corpus meum*, vt in modo eas conuenire doceat, ſed vt oſtendat panem Euchariſtiæ non eſſe communis vſus, ſed cum ipſo nobis carnem Chriſti exhiberi; idque probat, quia de hoc pane Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Nos ergo cum illo pane comedimus corpus Chriſti, non ergo eſt panis communis, panis tamen eſt.

9. Sed obiicit Perronius *pag.* 893. argumentum non valere, ſi dicamus, Non eſt panis communis, Ergo eſt panis; quia columba quam vidit Ioannes *cap.* 1. *verſ.* 32. ſuper Chriſtum deſcendere, certe communis columba non erat, & tamen non ſequitur, Ergo erat vera columba, & non Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ. Sic *Geneſ.* 18. *verſ.* 2. viri tres qui apparuerunt Abraamo in conualle Mambre, non erant homines communes; nec tamen ſequitur, Ergo erant veri homines, & non Angeli in figura hominum. Miræ profecto ſunt hæ Perronianæ argutiæ. ſi columba illa fuiſſet vera & realis columba, extraordinariæ tamen magnitudinis, & pulchritudinis, qua vſus fuiſſet Spiritus ſanctus ad ſe aliquomodo manifeſtandum, profecto argumentum procederet: non eſt columba communis, Ergo eſt columba vera, & eſt Spiritus Sanctus. ſubſtantialiter niſi typice. Sicut ſi quis de auro obrizo diceret, hoc eſt non aurum commune, ſignificaret eſſe quidem aurum, ſed communi, & ordinario auro purgatius. Sed quia non putatur fuiſſe columba, niſi apparenter ſola externa effigie, ideo ſi quis dixiſſet, hæc non eſt columba communis, ſignificaſſet illam non eſſe vnam ex veris columbis communibus: & conſequenter inde non voluiſſet inferre; eſt tamen vera columba, ſed eſt columba tantum apparenter. Sic quia illi viri non erant veri viri, potuiſſet quis dicere, eos non eſſe homines communes, eo tantum ſenſu, eos non eſſe ex veris hominibus, quales ſunt communiter homines; modus tamen loquendi fuiſſet improprius: qui enim dicit, hic non eſt homo communis, ſupponit eſſe hominem in humana vera ſpecie, non tamen communem & ordinariam quoad mores & virtutes, ſed ſupra, vel infra homines ordinarios. Idem dico de illa columba. At vero Iuſtinus loquitur de pane, qui ante vſum ipſius ad Euchariſtiam eſſet verus & realis, ac ſubſtantialis panis. Dum ergo ait, illum non eſſe communem, ſignificat eſſe quidem panem in natura, non tamen communem, ex adiuncta gratia quæ ſimul cum illo exhibeatur: quo argumento ego quoque vtor infra *num.* 71. vbi aliquid ſimile ex Cyrillo Hieroſolymitano colligo.

10. Sic profecto etiam vinum poſt conſecrationem à Iuſtino nihiloſecius vocatum potum obſeruat Pleſſæus, licet non ſit communis potus, ſed ſacramentalis; in vſu profecto, non in ſubſtantia & natura mutatus, & ad hoc reſpondet Perronius, ſi propterea vinum non eſt in ſubſtantia mutatum, quia poſt conſecrationem adhuc manet potus, licere pariter argumentari, aquam in Cana Galileæ poſt ſui mutationem in vinum, fuiſſe adhuc potum, ergo non fuiſſe ſubſtantialiter, ſed quoad vſum duntaxat mutatam,

adhucq; mansisse aquam, quod non est verū. Ego vero ad hoc respondeo, potuisse aquam illam substantialiter manere aquam, cui Deus concesserit qualitates & proprietates vini, & ita fuisset idem potus substantialiter post illam accidentalem mutationem, qui fuit ante. Sed concedam etiam, aquam illam substantialiter & de repente per diuinam omnipotentiam mutatam fuisse in vinum, sicut naturaliter fit in tempore in vite, cuius humor aqueus tandem maturescit in vinum, per corruptionem formæ aquæ, & generationem formæ vini, & tunc dico, non esse eundem potum in specie, qui erat ante conuersionem, sed alium specie, eundem tantum genere: quia aqua & vinum differunt specie, conueniunt genere. Cum autem Iustinus dicat, aut saltem supponat, eundem esse potum post consecrationem, qui erat ante, non modo genere & specie, sed etiam numero, profecto bene sequitur, non esse mutatum substantialiter, sed solo vsu, & virtualiter quodammodo, quia in tali vsu, potus vini exhibet sanguinem Christi. At vinum Canæ non erat idem potus cum aqua, sed longe diuersus substantialiter.

11. Obijcit Perronius Plessæo, illum ex Iustino, verbis supra citatis, inferre panem non conuerti in accidentia, & negat quemquam ipsorum id asserere, sed asserere, panem conuerti in verum corpus Christi, non in accidentia. At vero hoc est proprie cauillari; Plessæus enim ait, iam non esse panem communem, propter sanctificationem: at panem tamen perpetuo & potum, quorum substantia maneat, quæ mera accidentia non sint.] Et hoc non est asserere, aut supponere, Realistas velle panem conuerti in accidentia: sed est confutare transsubstantiationem illud secum ferentem, vt panis substantia transeat in corpus Christi, sola vero maneant accidētia panis sine subiecto: quod dici non posse obseruat Plessæus, si, secundum Iustinum, post consecrationem maneant panis & vinum in sua substantia. Hæc de prima obseruatione Plessæi in verbis Iustini ex Apologia.

12. Secunda obseruatio erat in eodem Iustini loco, Consecrationem fieri per preces ministri non illis solis quinque verbis; *Hoc est enim corpus meum*, quod ego etiam ex Patribus, atque adeo ex hoc ipso Iustini loco obseruaui, *num.* 7. *&* 8. Sed respondet Perronius *pag.* 894. Iustinum addere, has preces esse verbi à Christo profecti, vt moneremur non fieri consecrationem per omnia precum verba, sed per ea sola quæ sunt à Christo profecta; nimirum, *Hoc est corpus meum*. Ego vero *num.* 8. idem respondenti & obijcienti Bellarmino, Iustini verba sic sum interpretatus, vt velit nos precibus consecrare Eucharistiam per preces verbi, seu sermonis à Christo prolati, videlicet tunc quando dixit, ***hoc facite in meam commemorationem***, hoc est, ***benedicite &c.*** Itaq; nos fundimus preces ad Eucharistiæ consecrationem iuxta Christi verbum, & mandatum; ***hoc facite &c.***

13. Tertia obseruatio erat in Iustino, nostram carnem, & nostrum sanguinem nutriri hoc cibo, per mutationem. Et hoc ego quoque vrsi *num.* 22. Sed Perronius obiicit nobis primum responsionem Bellarmini, quam ego *num.* 23. reieci, Iustinum nimirum describere panem, qualis sit ante consecrationem, in vsu communi, ad corporis nutritionem. Merum subterfugium, quo summa vis verbis Iustini affertur. De eo enim cibo qui Eucharistizatus iam est, ait, & ex ipso carnes nostras ali, & ipsum esse corpus Christi. Ideoque Perronius aliud addidit commentum; videlicet; si quis velit Iustinū loqui de pane post consecratione, ita intelligendum esse, vt mutatio illa ad nostra spectet corpora, non ad Eucharistiam, videlicet ex vsu Eucharistiæ corpora nostra accipere nutritionem non augmenti in quantitate, sed inuisibilis immutationis in qualitate, quæ ex contactu corporis Christi imprimatur ad resurrectionem & incorruptionem, & ad immortalitatem. Atque probabilius esse, Iustinum posuisse verbum mutationis, vt compararet mutationem naturalem in nutritione naturali, ex pane communi, vi nutritiua, cum mutatione supernaturali panis in corpus Christi, actione verborum Dei.

14. Sed illud commentum inane est: Iustinus enim ait, Carnes nostras nutriri cibo Eucharistico; nutritio autem consistit, non in augmento quantitatis, sed in reparatione substantiæ, etiam in ætate consistentiæ, finita adolescentia: & tota philosophia clamat, nutritionis terminum non esse qualitatem, sed substantiam & mutationem quæ fit in nutritione, esse conuersionem substantiæ alimenti, in substantiam aliti. Non nego tamen acquisitionem etiam illam qualitatum supernaturalium in corpore nostro ex Eucharistia, & consequenter illam quoque mutationem admitto: sed illa est consecutiua ad nutritionem naturalem, quam recipiunt corpora nostra ex cibo Eucharistico: non ex contactu corporis Christi, qui ibi nullus est, & si esset, nulla esset necessitas edendi Eucharistiam, quia etiam manus sola potest frui illo contactu, & os per solum osculum, &c. at vero cum requiratur comestio, profecto requiritur talis contactus in quo fiat interna nutritio. Deus autem tali nutritioni Eucharisticæ promisit etiam suam gratiam communicandi ipsi quoq; corpori incorruptionem, & immortalitatem, ita vt Eucharistia digne manducata & concocta, sit vel instrumentum talis gratiæ, vel conditio sine qua non, vt in sequentibus explicaui.

14. Comparatio vero illa satis friuola est. nam data etiam transsubstantiatione, nulla est analogia, aut similitudo inter nutritionis corporalis mutationem, & mutationem transsubstantiationis. Nutritio fit per generationem, & corruptionem, & ad reparationem conseruationemq; animalis: At vero in transsubstantiatione, nulla generatio, nulla corruptio: & corpus Christi ex conuersione illa panis in ipsum, neque reparatur, neque conseruatur; non ergo hic quadrat comparatio. Et quia comparatio friuola, ideo etiam assertio transsubstantiationis ex hoc Iustini loco est friuola, & commentitia.

16. Ac demum quod spectat ad Iustinum, Plessæus Langi testimonium afferebat, hoc loco transsubstantiationem non agnoscentis, cum tamen alioquin staret à partibus Pontificis. Respondet Perronius *pag.* 895. illum esse hæreticum, & eius opera esse in Indice prohibitorum primæ classis. Hæc parum ad me, Sed non possum non annotare, normam ad quam censuræ Romanæ, seu Hispanicæ libros examinant, non esse fidem Catholicam, sacram Scripturam, consensum Patrum veterum, sed solam lesbiam Papalis auaritiæ & ambitionis regulam. Et quicunq; veritatē contra Papam, ipsiusq; abusus, & tyrannidem aperit, ab eo inter hæreticos proscribitur. Nihilominus vbi Pontificiæ partis homines, ex ipsamet & Pontificiorum librorum supellectile, veritatem aliquam aduersus errores Papales eruunt, magnum veritati exhibent testimonium; & hoc nihil inde infirmatur; quod isti à curiis mundanis, (quæ se pro Ecclesiasticis venditant) inter hæreticos, per vim, & nefas reponantur. Ac de Iustino quidem, pro ratione Appendicis, satis.

XXIV.

IRenæus similiter, & multo apertius veram corporalem nutritionē ex Eucharistia fieri asserit; *lib.* 4. *cap.* 34.

Quo-

Quomodo autem, *inquit*, dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur?] Item, *l. 5. c. 2.* Et quoniam, *inquit*, membra eius sumus, & per creaturam nutrimur: eum calicem qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; & eum panem, qui est à creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius, quemadmodum & beatus Apostolus ait, in ea quæ est ad Ephesios epistola, Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, non de spirituali aliquo & inuisibili homine dicens hæc (Spiritus enim neque ossa neque carnes habet) sed de ea dispositione, quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus & neruis & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & dissolutum, multiplex surgit, per Spiritum Dei qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia Verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris.] Hoc autem impossibile est aliter explicare, nisi quia pane Eucharistico nutritur nostra caro, tanquam vere & proprie pane materiali, sed simul ob virtutem Sacramentalem ei annexam, quæ est tota spiritualis, spiritualiterque corpus Christi exhibet digne comedenti illum panem, accipit in illa nutritione naturali caro nostra ab illa virtute Sacramentali donum immortalitatis pro suo tempore. Et hoc est quod idem ait Irenæus, *lib. 4. cap. 34.* Eucharistia, duabus rebus constat, terrena & cœlesti.] Profecto terrenam intelligit panem, nam Eucharistia corpora quoque ipsa nutri asserit, certe non nisi ex pane, quæ est res terrena: cœlestis vero res est corpus Christi, sed spiritualiter, quia corpore etiam ipso Christi carnes nostras nutriri affirmat Irenæus. Admittit sponte Bellarminus *de Euch. l. 2. cap. 4.* ex Eucharistia corpora quoque immortalitatem recipere, vt vult Irenæus, Hilarius, Nyssenus, Cyrillus & alii: Sed hoc, ait, Patres intelligere per cōtactum carnis Christi, puta in communione.] At Patres non dicunt corpora nostra immortalitatem consequi ex contactu carnis Christi in communione; sed id inde consequi, quod carne Christi alantur: ali vero non est tantum contingere, sed substātiam cibi in substantiam aliti conuerti; & sic cogimur omnino corpus Christi in Eucharistia ita ponere, vt spiritualiter illud à digne communicante recipiatur.

XXV. At vero Bellarminus contrarium conatur ex Irenæo colligere, nimirum non modo præsentiam realem corporis Christi corporaliter in Eucharistia, sed & transmutationem panis in corpus, realem & substantialem. Quod tamen est impossibile, quia tam expresse & toties asserit Irenæus, ex ipso corpore Christi & sanguine nutriri & augeri nostrum corpus, quod de corpore Christi realiter & materialiter sumpto asserere est impium, & blasphemum. Sic vero colligit Bellarminus: *ibid. cap. 6.* Irenæus ait, *l. 4. cap. 34.* Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est Verbum eius per quod lignum fructificat, defluunt fontes; & terra dat primum quidem fœnum; post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?] Probat igitur Irenæus, *inquit Bellarminus*, Christum esse creatorem, ex eo quod panis per consecrationem fit corpus Christi. Igitur credebat re ipsa, & non sola significatione, mutari panem in corpus Christi, nam mutatio realis requirit plane omnipotentiam Creatoris, non autem impositio nouæ significationis.] Respondeo, hoc esse non ducere, sed trahere Irenæum, vel inuitum & reluctantem, in prorsus alienos ab ipsius mente, & instituto, sensus. Non enim erat ipsius instituti, Christum ostendere Creatorem; sed Christum esse veri Dei, qui est creator totius creaturæ, filium: & hoc contra Marcionitas, & reliquos Gnosticos: *Iren. l. 1. c. 16. & l. 2. c. 30. 31.* qui patrem Christi dicebant esse alium Deum, diuersum ab illo Deo, qui esset Creator vniuersi. *Tertul. l. 4. adu. Marcio.* Vt igitur probet Irenæus, Christum esse Filium Dei Creatoris, & non alterius, inter alia argumenta, quæ partim in præcedentibus, partim in subsequentibus tractat, illud habet; Christus creaturam panis assumit, vt fit ipsius corpus; & creaturam vini, vt fit ipsius sanguis post consecrationem in Eucharistia, & sane veram, & propriam creaturam, panis enim ex terra producitur, primum in herbam, deinde in spicam, deinde in triticum, ex quo fit panis, & illa productio est à vero Deo mundi Creatore, & per hunc ipsum filium eius Verbum, à quo natura habet vt lignum fructificet, vnde vuæ & vinum, & vt flumina fluant, vnde aqua qua pinsitur panis, cuius vsus est in Eucharistia. At nisi Christus esset huius Dei creatoris filius, qua ratione auderet creaturas has assumere, vtpote alienas, & in quas nullum ius haberet, vt iis ad exhibendum suum corpus & sanguinem vteretur? Cum ergo illis vtatur tanquam Dominus, manifestum est illum esse Dei Creatoris filium, quippe qui in creaturas Dei Creatoris, suum ius exerceat, & imperium. Non ergo agitur hic de omnipotentia in conuersione panis in corpus; sed de iure & dominio filii Creatoris in sui Patris creaturam. Atque hoc idem aliis argumentis, & præcedentibus, & subsequentibus confirmat Irenæus: *lib. 4. cap. 57.* & hoc est vnum ex ipsius argumentis nouum, & ab aliis distinctum. Frustra ergo opponit Bellarminus, in præcedenti argumento hæc fuisse tractata, quasi vero vna & eadem veritas vnico duntaxat argumento confirmetur. In eo quoque fallitur Bellarminus dum contendit probari ab Irenæo, Christum esse Filium Creatoris, & ipsum Creatorem, hoc est Verbum per quod facta sunt omnia, & lignum fructificat, & flumina fluunt: Id vero ex Eucharistia non constare, nisi fit vera & realis transmutatio panis in corpus, &c.] Fallitur, inquam, quia probandum erat Irenæo, panem, vinum, aquam, quibus Christus in Eucharistia vtitur, esse veras creaturas, à Deo creatore per Verbum suum factas: quo constituto, sequitur Christum esse Creatoris Filium, quia vtitur cum dominio veris creaturis in Eucharistia, pane, vino, aqua. Itaque Irenæus probat, Christum esse Filium creatoris ex libero vsu creaturarum, non ex conuersione illa panis & vini, quam Irenæus non agnouit, quippe qui veram & corporalem nutritionem ex cibo Eucharistico agnoscit, non tamen ex ipsa substantia corporis Christi, vt iam explicaui.

XXVI. Ex aliis Irenæi verbis alia tria pro se format ibidem argumenta Bellarminus, Primum est: Corpora nostra incorruptibilia fiunt, quia aluntur corpore Christi; ergo Corpus Christi non solum animis per-

cipitur, sed etiam corpore, ex Irenæi sententia, At corpus non potest in cœlum conscendere, vt ibi gustet Christi carnem, ergo vere præsens est in Eucharistia ipsa Christi caro. Secundum est: Panis terrenus post inuocationem Dei, seu mysticas preces, non est amplius communis panis, sed est cibus constans duabus rebus, vna terrena, altera cœlesti. Non potest autem res illa cœlestis esse nisi corpus Christi: igitur vere est in Eucharistia corpus Christi. Tertium: Ita panis mutatur ex terreno in cœlestem per inuocationem Dei, sicut corpora nostra mutabuntur per Eucharistiam ex mortalibus in immortalia. Sed corpora nostra re ipsa fient immortalia, non autem sola significatione: igitur panis terrenus re ipsa fit corpus Christi, non sola significatione.] Ad primum respondeo, effectum incorruptibilitatis necessario esse spiritualem, non ex corpore Christi corporalem; quia corpore Christi corporaliter non alimur: alimur tamen sacro pane, qui ex consecratione habet, vt corpus Christi reale, modo tamen spirituali exhibeat, & animæ nostræ, cum suis donis spiritualibus, & corpori etiam cum dono hoc incorruptionis, pro suo tempore; tota enim operatio corporis Christi in Eucharistia à nobis digne sumpta, est spiritualis, & spirituali modo facta, & nobis spiritualiter duntaxat vtilis & salutaris, necessaria, & sufficientissima, Caro enim non prodest quicquam, *Ioan. 6. vers. 63.* Ad secundum, cœlestis pars est corpus Christi, sed spiritualiter animæ & corpori, vt dictum est, applicatum. Corpore enim & sanguine suo reali Christus omnia dona spiritualia nobis comparauit, & quando talia dona nobis applicantur, tunc ipsum corpus & sanguis nobis applicatur. Hoc autem insigni modo fit in perceptione Eucharistiæ, quam voluit esse signum, & signum efficax sui corporis realis ibi spiritualiter præsentis & operantis, Ad tertiũ, Comparatio hoc pacto procedit in Irenæo: sicut panis consecratione acquirit præsentiam spiritualem corporis Christi cœlestis, id est, quod est iam in cœlis gloriosum, & cœleste, non amplius terrenum & mortale ac passibile, manens tamen panis; sic corpora nostra ex comestione huius sacri panis, & spiritualiter corporis Christi, acquirent immortalitatem, vnam ex proprietatibus corporis Christi. In aliis comparatio non consistit.

APPENDIX AD IRENÆVM.

PRimus locus quo vsus est Plessæus ex Irenæo *l. 4. c. 34.* aduersus realem præsentiam inter alia habet hæc verba. Quemadmodum enim, qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic &c.] Interpretabatur Plessæus terrenam partem in Eucharistia esse panem sanctificatum: cœlestem vero, panem de cœlo viuificum, qui in pane repræsentatur. Sic & ego supra *num. 24.* Hic Perronius ante omnia obseruat, in vertendo verbo illo Græco ἐπίκλησιν Irenæi intentionem à Plessæo distrahi, qui & hoc loco, & superius *cap. 1. eiusdem 4. libri de Missa*, verterit, vocationem, cum debuisset verti, inuocatio; atque ex hac immutatione vocis, *vocatio*, quæ deberet esse *inuocatio*, conatur quasi dolum in Plessæo reprehendere, atq; ex se comminiscitur, Plessæum velle nomen vocationis, pro nominatione seu appellatione sumere, & ipsum pani attribuere; quasi velit ipse Plessæus inferre, Irenæũ pani nõ nisi vocationem corporis tribuere, & ex consequenti negare, in pane esse realitatẽ corporis, siquidem non adsit nisi vocatio, hoc est, appellatio ac nominatio: Hoc est profecto sibi ipsi ex proprio cerebro aduersaria formare, vt habeat quod impugnet, & velle non cũ corporibus, sed cum vmbris decertare. Neq; enim locus ipse, etiã cum lectione vocationis illũ sensum recipit, cum dicat Irenæus vocatione Dei panẽ fieri Eucharistiam. Neq; versio tribui debet Plessæo, quæ exat in omnibus excusis codicibus antiquioribus. Neq, ipse Plessæus vnquam aut innuit, ne per somnium quidem sensum illum, aut quisquam alius, quod sciam. Imo quemadmodũ Ipsemet Irenæus *eodem c. 34.* dum ait de Gnosticis, Quomodo autem constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sint, esse corpus Domini? & rursus ibidẽ, Offerimus ei, non quasi indigenti, sed gratias agẽtes donationi eius, & sanctificantes creaturã, &c.] Et postea, *l. 5. c. 2.* Quãdo ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia, &c. satis clare se explicat, per receptam vocationem Dei se intelligere ipsam Eucharistizationem & sanctificationem, seu consecrationem quæ fit per preces, quæque merito melius dicetur inuocatio, vt ego supra legebam, & legitur in cusis recentioribus; sic & Plessæus ipse quoque, licet legerit, *vocatio*, tamen hanc vocationem se pro inuocatione sumere in sua declaratione satis declarauit, ita scribens, Panis percepit vocationem Dei, id est, ex ipsius institutione, de communi fit sacer: Item, Panis terrestris fit nobis panis cœlestis, non ex reali eius naturæ mutatione, sed ex ea, qua à nobis accipitur, fide, & ex ea etiam quam ab instituto diuino percepit vocationem; quod igitur hic dicit, Panis percipiens vocationem Dei, idem est, quod alibi, Sanctificatus est: & producit ipse Plessæus secundum locum Irenæi ex tribus à me modo prolatis. Hinc vero etiam suum deducit in posteriori editione contra transsubstantiationem argumentum, non illud friuolum & puerile, quod Perronius confinxit, sed huiusmodi: An non multum interest sanctificetur, an deificetur panis? Supra primam, seu creationem, seu conditionem, supra primæuum vsum euchatur, an in creatorem ipsum adoretur? Ad hoc nihil Perronius: sed neque ad primum, quod ex verbis Irenæi Plessæus deducebat in posteriori item editione, argumentum, habuit quod responderet: Aiebat enim Irenæus, Communicationem, & vnitatem carnis, & spiritus prædicamus: non igitur, *subdit Plessæus*, vnius in alterum transsubstantiationem; non vtriusque confusionem, suum imo singula locum retinent.] Loco responsionis ad hæc argumenta ex Irenæo explicata substituit Perronius commentum illud suum, quod impugnet.

2. Accedit mox ad ea Irenæi verba, vbi is ait, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena, & cœlesti: nos per terrenam intelligimus panem, per cœlestem ipsum corpus Christi spiritualiter exhibitum. Planum enim est in Irenæo hæc binaria idem esse, idemque significare, duæ res terrena & cœlestis; Panis & inuocatio Dei; addent alij etiam illud, carnis & spiritus: nimirum in Eucharistia concurrere carnem rem sensualem, id est, panem & vinum, spiritum vero effectum spiritualem corporis, & sanguinis: nam Christus etiam distinxit hoc sensu carnem & spiritum, quãdo dicebat *Iohan. 6. v. 65.* ipsius verba esse spiritum & vitam, & carnem non valere quicquam: vbi loquebatur de manducatione suæ carnis, id est de fide incarnationis, cuius symbolum se daturum in Eucharistia pollicebatur, Panis quem ego dabo, caro mea est. Atquæ hæ sunt duæ res, carnalis & sensibilis altera, panis videlicet terrestris: altera spiritualis, panis ille qui de cœlo descendit, id est Christus, non carnaliter & corporaliter, sed spiritualiter cum effectibus spiritualibus exhibitus etiam nostræ carni, nõ animæ duntaxat,

quod

quod pariter significatur per panem, & inuocationem. Panis enim terrestris, coniuncta sanctificatione Sacramentali per inuocationem Dei, Ecclesiæ precibus fit nobis Eucharistia, cum communicatione simul iuncta, vt probabiliter quidam volunt, & carnis & spiritus, id est, & panis corporis Christi.

3. Perronius tamen *pag.896. à tergo, & seqq.* in quandam miram ingreditur metaphysicam, vt hunc Irenæi locum nobis eripiat, seu potius ipse effugiat, contenditque Irenæum non loqui de pane, & corpore Christi, sed de Christo ipso, qui & corpore terreno, & spiritu cœlesti constabat, quam interpretationem, imo vanum effugium, in quo tamen exultat plurimum Perronius, didicit à Feu-ardentio Franciscano, qui in suis annotationibus in hunc locum Irenæi duas posuit interpretationes illarum duarum rerum terrenæ & cœlestis, de speciebus & corpore primum, deinde hanc, quam Perronius longo discursu conatur persuadere, de Christi carne & spiritu constante. Verba Feu-ardentij sunt: Eucharistiam fieri dicit Irenæus, quæ terrena panis & vini specie, simulque cœlesti, & gloriosa Domini carne constat: vel carne Christi, quæ terreno virginis vtero prodiit, & anima, quæ Deo superne creante, corpori eius infusa, & communicata est.] Et hanc alteram addidit expositionem, quia videbat Irenæum non panis species, & nuda accidentia, sed panem cum integra substantia in Eucharistia ponere, quod vt effugeret, loco panis & rei terrenæ, sumit carnem Christi, & loco rei cœlestis accipit animam Christi, & ita tota Eucharistia in Irenæo, fit ipse Christus corporaliter & realiter, viuus & animatus. Et hanc eadem de causa Perronius arripuit interpretationem, non illam priorem de speciebus, cui plurimum, puto, diffidebat.

4. Huius expositionis primum affert Perronius conuenientiam, deinde necessitatem. Ad probandam conuenientiam, profert primum & ex ipso Irenæo, & ex aliis Patribus, familiare ipsis esse, vt per res terrenas intelligant corpora, & per cœlestes spiritum; & carnem Christi faciant rem terrenam, spiritum vero Christi rem cœlestem. Hoc profecto nemo negabit: quid tamen per rem cœlestem, quid per terrenam significetur, subiecta materia debet docere. Si sermo sit de hominis natura, ac de Christi etiam humanitate, quis dubitet partem terrenam esse corpus, cœlestem vero animam? vt est clare apud eundem Irenæum, *lib.3. cap.32.* Sed hunc esse perpetuum sensum, vt vbi terrestria nominantur, ea significent humanum corpus, seu Christi corpus, cœlestia vero animam seu spiritum, nunquam puto Perronium fuisse affirmaturum. Dicebat Christus Nicodemo, *Iohan.3 vers.12.* Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis. Num de carne & spiritu sunt hæc intelligenda? Non profecto, sed de doctrina. Subiecta enim de qua tractatur materia verum dat sensum metaphoris & translationibus. Videndum ergo est, quidnam sit illud quod præ manibus habet Irenæus, vbi duas illas res, terrenam & cœlestem ponit in Eucharistia. Atque hoc ipsum inquirit Perronius, vbi necessitatem suæ expositionis nititur confirmare, *pag.898.*

5. Ait igitur, Præcipuam quæstionem quæ tunc agitabatur inter Valentinianos & Catholicos, propter quam illa verba afferebat Irenæus, fuisse, An Corpus Christi terrena res esset, an cœlestis: Valentiniani enim corpus quoddam cœleste dabant Christo, non humanum sumptum ex vtero matris: nam Christum dicebant per Mariam transiisse, quemadmodum aqua per tubum transit, & hoc illos censuisse docet Perronius ex Augustino *de hæres.* Catholici vero asserebant, Christum corpus suum terrenum ex matre sumpsisse, quod ex Irenæo ipso *lib.3. cap.32.* colligit, & probat Perronius, & ex Tertulliano. In quibus frustra & ipse tempus terit, & lectorum diuexat ingenia. Verissimum enim est, Valentinum, & Gnosticos eum errorem tenuisse, ac docuisse; Ac nisi ipse quoque Perronius suum aliquem compilatorem (similem Plessæi Orthodoxo, quem toties ei obiectat ipse Perronius) sequeretur, sed Irenæum ipse sua propria lectura percurrisset, Augustini suppetiis non eguisset, nam in ipso primo primi libri Irenæi capite, Gnosticos inter multos alios errores, illum de corpore Christi cœlesti per virginem, quasi aqua per tubum transeunte, inuenisset. Sed hoc nihil ad rem. Gnostici enim innumerabilibus scatebant hæresibus, & hæc de corpore Christi vna erat ex multis. Has omnes hæreses Irenæus quasi in vna massa enumerat, capite primo primi libri: deinde in sequentibus eiusdem primi libri capitibus, post iactum fundamentum veritatis Catholicæ quasi symbolo quodam generali *cap.2.3. & 4.* inde suas proprias Valentino, proprias quoq; reliquis Valentini discipulis & asseclis hæreses assignat, abusumq; scripturarum ostendit, quibus aut singuli, aut vniuersi suos stabilirent errores. In reliquis vero consequentibus quatuor libris resumit Irenæus singulas hasce hæreses; & eas redarguit, veritatemq; ipsis contrariam confirmat Orthodoxam.

6. Docere ergo debuit Perronius iam in hoc, quod præ manibus habemus 34. capite libri quarti, Irenæum illam specialem Gnosticorum hæresim de Christi corpore cœlesti confutare, quod non docuit. Nemo ei negabit, scimus enim omnes, Valentinianos illa hæresi laborasse: Sed scimus etiam plurimis aliis hæresibus fuisse contaminatos, & hoc sufficienter etiam ex ipso solo Irenæo, quem in manibus habemus, didicimus: Igitur non sequitur in hoc capite 34. quarti libri hanc ipsam hæresim ab Irenæo confutari, quia præter illam, reliquæ etiam hæreses erant Irenæo confutandæ. Sophisticum est, & sane etiam satis rudis sophistæ, velle probare scopum Irenæi esse in hoc, quem consideramus, loco, refellere hæresim Valentinianorum de corpore Christi cœlesti, non terreno, quia nimirum Valentiniani hanc hæresim tuebantur, & Orthodoxi; Irenæus (non hoc loco, sed alio, *lib.3. cap.32.*) Tertullianus, & Augustinus eam confutabant. Qui à Perronio non vult decipi, elenchi doctrinam e manibus nunquam deponat.

7. Non latebat Illustrissimum Perronium, hæresim hanc Gnosticorum de cœlesti corpore Christi, fuisse ab Irenæo satis superque agitatam & confutatam libro 3. capite 18. 31. & 32. & libr. 5. cap. 1. & aliis locis alias. In ea igitur confutanda, si ansam aliquam aduersariis præbuisset, vnde ipsi in ea hæresi confirmarentur, procul dubio, & officio, & instituto suo, vt obiicit Perronius, defuisset. Hoc tamen ab eo factum omnino negamus: Tum quia hoc loco, quem exagitamus, non de hac, sed de alia materia disputat, vt ostendam: Tum quia ille non asserit hoc loco, Christi corpus fuisse cœleste: sed rem cœlestem in Eucharistia esse corpus Christi, videlicet iam in cœlis glorificatum, & spiritualiter, digne sumentibus Eucharistiam, communicatum. Neque hinc poterant Valentiniani colligere Christum habuisse corpus cœleste, & non terrenum, quia Paulus etiam dicebat 1. *Corinth.15. ver.44.* Seminatur corpus animale surget corpus spirituale. Si hoc de nostro corpore hominum peccatorum, quanto magis de corpore Sancti Sanctorum? Corpus igitur terrenum fit cœleste, quando fit spirituale,

Et his metaphoris non vteretur Irenæus, vbi quæstio tractaretur in sensu proprio, & non metaphorico, an Christi corpus esset verum corpus humanum & terrenum in vtero muliebri formatum, an vero aliud phantasticum, à corpore terreno alienum, & nihil sui in vtero accipiens. De quo aliis locis supra citatis fuse, & abunde disputauit: quod fatetur Perronius *p.898. à tergo*, vbi partem aliquam probationum Irenæi, quibus veritatem corporis ille probabat, attulit. Miror igitur quomodo potuerit asserere hoc loco, Irenæi scopum esse veritatem corporis Christi demonstrare.

8. Sed locus ipse consulatur, & vel mediocri ingenio statim patebit in toto illo capite, imo in toto illo libro ne syllabam quidem vnam eo dirigi, vt hæresis de corpore Christi vero vel apparenti confutetur, aut contraria ei veritas confirmetur. Verus enim scopus Irenæi est, vt Gnosticorum varias hæreses à Simone Mago, & sequacium vsque ad ipsius tempora profectas, aperiat & redarguat. Progressus vero ipsius, & ex ipsis præsertim singulorum quinque librorum initiis seu præfationibus facile est colligere, talis est. In primo libro ipsas hæreses enumerat, & quales essent explicat. In secundo fundamenta, & regulas ipsas Gnosticorum rationibus demolitur. In tertio singulas has hæreses ex sacra Scriptura, Apostolicaq; prædicatione conuellit. In quarto præcipuam horum hæresim contra vnitatem Dei resumit, eamque solam fuse pergit confutare, ac ostendere eundem esse Deum rerum omnium opificem, & factorem; & Deum Patrem Christi: nam duos diuersos Gnostici ponebant, ac præsertim Marcion. In quinto, aliquas alias item ex magis præcipuis dictis hæresibus, fusius item refellendas resumit, inter has illam de corpore Christi, quod terrenum esse probat, & non cœleste: sed maxime illam, quam de resurrectione carnis perperam illi docebant, & nonnullas alias.

9. In quarto igitur libro nullam aliam hæresim ab Irenæo exagitari, nisi solam quæ vnitatem Dei destruebat, & duos Deos ponebat; *Iren. lib. 1. cap. 1.* est clarissimum; quia in singulis ferme capitibus, productis Scripturis, præsertim vero noui Testamenti, veteris Testamenti Scripturis correspondentibus, semper vrget expresse vnum & eundem Deum esse in vtrisque. Sed argumentum quod tractatur *cap. 34.* in quo est locus inter nos controuersus, apertissime eandem quæstionem de vnitate Dei respicit. Post varia enim alia argumenta ex Scripturis deducta, accedit Irenæus ad argumentum oblationum & sacrificiorum, & ostendit primum *c.32.* eidem Deo nos primitias & oblationes fructuum terræ, imo & panem in Eucharistiam offerre, cui etiam Israëlitæ offerebant; & eundem esse nostrum Christianorum Deum, qui puritatem cordis plus amat, quietiam eandem puritatem in Iudæis plus amabat, quam carnales illas victimas. Atq; huc per prophetiam Malachiæ nos deducit, concluditq; *cap. 33.* nomen illud magnum Dei Israëlitici, quod in Gentibus magnum fore à Malachia prædicitur, non esse aliud nomen nisi Domini Iesu Christi, per quem glorificatur Pater. Mox *cap. 34.* identitatem hanc sacrificiorum ex Scripturis confirmat, respectu Dei cui illa offerebantur: diuersitatem tamen aliquam in offerentibus ponit, quod illi serui essent, & coacti offerrent, lege eos astringente; nos vero liberi; illi sæpe cum nausea Dei, nos vero in odorem suauitatis; & sic, ad conclusionem tendens, loquitur, *lib. 4. c. 34.* Oportet nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri Fabricatori Deo, in sententia pura, in dilectione feruenti, primitias earum quæ sunt eius creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert Fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius.] Cum igitur nos per Christum, vt habet *cap. 33.* offeramus Deo creatori ex ipsius creatura, hinc vult patere, nostrum Deum Patrem Christi, esse Deum creatorem. Quid hæc ad hæresim de corpore Christi? vbi ne minimum quidem verbulum hoc loco de hac hæresi.

10. Pergit vero Irenæus ostendere quod dixerat; solam Ecclesiam, nostram nimirum Christianam offerre Deo creatori puras oblationes; quia nec Iudæi, illas offerunt amplius, quorum manus plenę sunt sanguine, ex reiectione sui Messiæ: Sed neque omnes hæreticorum Synagogæ. Alij enim, *inquit*, alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ideo quæ secundum nos creaturæ sunt offerentes ei, cupidum alieni ostenduntcum, & aliena concupiscentem.] Gnostici etiam Christiani, sed hæretici, offerebant Deo Patre primitias, & has eorum oblationes, ex eorum opinione ostendit esse impias, & pollutas, non vere Ecclesiasticas, quia cum Deum Patrem dicant non esse Deum creatorem, ei tamen ex creaturis faciant oblationes, iniuriam ei afferunt, ex eorum praua mente, quia cum illæ creaturę non sint ipsius, sed alterius Dei, faciunt Deum Patrem esse alieni appetentem: qui vero, *inquit*, ex defectione, & ignorantia, & passione dicunt facta ea quæ secundum nos, & ignorantiæ, & passionis, & defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum; contumeliam facientes magis ei, quam gratias agentes.] Iam quia idem argumentum ex oblationibus petitum, suggerebat incidenter occasionem alios quoque errores Gnosticorum reprehendendi, præstat hoc his vltimis verbis Irenæus, & sequentibus. In his vero reprehendit eosdem Gnosticos, offerentes Deo Patri primitias ex fructibus terræ, quia eo etiam nomine impure offerant, quod creaturam illo inscio, & ex defectu, ac passione creatam asserant, *Iren. lib. 1. c. 16. & lib. 2. c. 50. 51.* vnde calumniam ei inferunt, dum ei offerunt id quod ipsis defectum, ignorationem & passionem attestetur.

11. Pergit; Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum Fabricatoris mundi filium dicant, id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, &c.] Ab oblationibus communibus descendens ad particularem quæ fit in Eucharistia, ex ea nouo argumento perstringit hæresim illam præcipuam de duobus Diis. Argumentum vero tale est. Christus nisi esset Dei creatoris filius, & verbum illud per quod omnia treata fiunt, germinant, crescunt, & fructificant, fontesq; defluunt, ille certe non assumeret istas alienas à se creaturas, vt in pane & vino suum corpus, suumq; sanguinem nobis exhiberet? Cum igitur hac creatura vtatur, tanquam sua, per ipsum à Deo Patre facta, profecto filius est Dei creatoris. Ac propterea Gnostici inepte vtuntur Eucharistia in pane & vino, dum negant Christum esse creatoris filium. Vtitur postea Irenæus *lib. 4. cap. 57.* eodem ex Eucharistia argumento contra Marcionem, negantem Christi veram carnem, quo etiam Tertullianus vtitur, vt videbimus.

12. Pergit: Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domini alitur?] Hæc etiam obiter, & incidenter, quia illam quoque hæresim Gnosticorum ex argumento Eucharistiæ iam assumpto ictum posse recipere sentiebat, quam tamen hæresim ex professo pluribus capitibus *lib. 5.* persequitur; ictus vero est, quia Eucharistiæ vsum habebant Gnostici quoque, sciebantque ex Christi verbo, in ea

corpus

corpus Christi exhiberi, ideo negare non poterant corporum resurrectionem, siquidem panis sacer nutriat corpora nostra, & exhibendo corpus Christi, ipsius incorruptionem communicet corpori nostro necesse est, vt ego supra & in Iustino, & in Irenæo explicaui.

13. Pergit adhuc: Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ dicta sunt.] Sententiæ vero Gnosticorum in hoc argumento modo nominatæ tres fuerunt. De duobus Diis; De ignorantia & defectu Dei; & de Resurrectione corporum. Hic profecto nihil de substantia corporis Christi, sit ne terrena, an cœlestis, nec de Christo, constet ne anima, & corpore, quæ Perronius cupit nobis, si forte dormitemus, obtrudere. Iam veniamus ad locum principalem. Sic enim pergit Irenæus,

14. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.] Quænam quæso sententia? An Christum constare anima & corpore? An Christi corpus esse terrenum, non cœleste? At de his in hoc loco in præcedentibus, ne gry quidem. Est ergo sententia opposita sententiis Gnosticorum iam prolatis, & ex argumento Eucharistiæ reprehensis, ac præsertim de duobus Diis; & de incorruptibilitate per resurrectionem. Nostra, inquit, sententia, id est, Christum esse filium Dei creatoris, & ita non esse duos Deos, vnum creatorem, alterum Christi Patrem; corporum similiter resurrectionem esse expectandam, cum nostra Eucharistia optime cohæret, Offerimus enim, *inquit*, ei *Christi* Patri, quæ sunt eius, congruenter communicationem, & vnitatem prædicantes carnis, & spiritus.] Hæc possent hoc pacto declarari. Nos in Eucharistia offerimus Deo quæ sunt eius, id est, vt supra dicebat, creaturam per Verbum filium ex terra à Deo factam, & productam, panem & vinum: ergo Deo creatori: & ille nobis refert suum corpus per suum spiritum: ita vt in Eucharistia vnio sit carnis, & spiritus: quod statim duas res esse dicit, terrestrem & cœlestem: & hoc idem est, quod carnale & spirituale. Ait enim: Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem seu inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans; terrena & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.] Quid sunt aliud illæ duæ res, nisi panis, ac consecrationis (quæ inuocatio hic dicitur) effectus? Itaque panis est res terrena in Eucharistia, & inuocationis effectus, hoc est corpus Christi iam spirituale spiritualiter exhibitum, est res cœlestis. Hæc vero optime cohærent, & confirmant sententiam Orthodoxam, quam ex Eucharistia confirmari asserebat Irenæus: tum de Deo Patre creatore, ex vsu, & dominio creaturæ panis & vini; tum de resurrectione, ex proprietate spirituali Eucharistiæ communicandi etiam corpori immortalitatem.

15. Ex illis tamen Irenæi verbis, *vnitatem carnis & spiritus prædicantes*, persuadebat sibi Perronius, *pag.* 896. *à tergo*, indicari ab Irenæo, se de coniunctione carnis & spiritus in Christo loqui, in quo sint duæ res, terrestris & cœlestis etiam in Eucharistia. Cum tamen totus Irenæi processus sit longe ab hac intentione diuersus, vt probaui; si interpretatio illa de carne & spiritu huius loci iam allata superius non placeret; addam ipse multo planiorem, vt mihi videtur, & Irenæi argumento penitus hærentem expositionem, videlicet, Irenæum semel ingressum in nostrum sacrificium Eucharisticum, ex eo etiam incidenter, quicquid colligi potest aduersus varias Gnosticorum hæreses colligere. Inter alia vero duo præcipua colligebat perperam à Gnosticis teneri: Alterum erat, Deum Christi Patrem alium esse à Deo creatore; *quomodo autem constabit &c.* alterum, carnem nostram esse incorruptionis incapacem: *quomodo autem rursus dicunt, &c.* Sententiam vero oppositam Catholicam in vtroq; esse mysteriis Eucharistiæ valde conformem; & hanc conformitatem in hac vtraque veritate cum Eucharistia probat succinctissime paucis illis verbis: *Offerimus enim ei quæ sunt eius.* Hæc pauca probant priorem veritatem cum Eucharistia conuenire, cum qua opposita hæresis non conuenit: quia illa offert Deo in Eucharistia panem, qui non sit, secundum ipsorum errorem, illius creatura, & hæc adeo strictim ponit, quia in præcedentibus sunt satis explicata, quando illis opponebat Irenæus illa. *Quomodo autem constabit eis, &c.* Pergit; *Congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis, & spiritus.* Hæc vero probant veritatem resurrectionis carnis cum eadem Eucharistia conuenire, quia ex ea corpora nostra aluntur, & spem capiunt resurrectionis, vt statim subdit idem Irenæus. Sensus ergo illorum verborum, *Congruenter communicationem, &c.* est hic. Nostra sententia Catholica de resurrectione congruit cum Eucharistia, quia nos prædicamus, profitemur & docemus coniunctionem carnis & spiritus, id est, hominem Iustum suæ carni adiunctum habere Dei spiritum, à quo caro etiam ipsa fiat spiritualis, inchoate in hac vita mortali, perfecte post resurrectionem, quando corpus hoc animale resurget spirituale, 1. *Cor.* 15. 44. Atque hæc nostra doctrina congruit cum Eucharistia, quadam sua similitudine & proportione: quia sicut in Eucharistia sunt duæ res coniunctæ, altera terrena panis & vinum, altera cœlestis, Christi corpus; sic nos in nostro corpore rite coniungimus carnem & spiritum: vnam partem cœlestem, spiritum; vnam terrenam, carnem, quæ à spiritu absorbeatur, & fiat spiritualis, & incorruptibilis; quod quia negant nostro corpori Gnostici, ideo in hac parte, cum mysterio Eucharistiæ, quo tamen vtuntur, non habent conuenientiam. Est autem solenne Irenæo *l.* 5. *c.* 8. & 9. tria hæc inter se in homine iusto distinguere, corpus, animam, & spiritum: Spiritum vero accipit pro spiritu Dei, qui regit corda nostra, idq; probat ex pluribus diuinæ Scripturæ locis, & ad hunc spiritum reducit nostrorum corporum resurrectionem, & incorruptionem.

16. Atque ita Irenæi locus noster est, nec potuit Perronius, suo vano commento eum nobis eripere: quæcunque vero inserit ipse in sua disputatione ad præsentem Irenæi locum *pag.* 900. & *seqq.* vera quidem illa sunt de errore Valentinianorum circa carnis resurrectionem, quam quia negabant, negabant etiam veram carnem Christo, qui resurrexerit corpore illo cœlesti quod ei affingebant. Sed ad hunc locum nihil pertinent, tractat ea Irenæus fuse *lib.* 5. Hic vero de resurrectione incidenter argumentum illud vnicum ex Eucharistia quasi corollarium deducit, quod iam exposui: & plurimum fallitur, fallitque D. Cardinalis Perronius, dum asserit, contra hos duos articulos disputare Irenæum, nimirum Christi corpus non fuisse cœleste, inquit, *lib.* 3. aggreditur; & carnem terrestrem non esse capacem resurrectionis & salutis æternæ: quod ait *libro* 4. tractari, quæ sunt à veritate remotissima, vt iam ostendi, & *libro* 3. Irenæus omnes ac singulas Gnosticorum hæreses ex sacra Scriptura redarguit, non autem solum illum articulum de carne Christi aggreditur, quem tamẽ expedit eodem *lib.* 3. *c.* 18. 31. & 32. Et iterum resumit *lib.* 5 *cap.* 1. In quarto vero solum articulum de duobus Diis refellit, & incidenter interdum alias hæreses, prout argumentum aliquod ad præcipuũ articu-

articulum tractatum occasiones ferret, attingit. De carnis resurrectione *lib. 5.* tractat ex professo. In *quarto* vero non nisi incidenter ad eam vnicum argumentum accommodat, vt est à me explicatum.

17. Vltra vrget Perronius *pag. 901. à tergo*, Si expositio Irenæi tenet de pane terrestri, & corpore cœlesti, quomodo panis constabit vna re terrena, altera cœlesti? Respondeo Irenæum non de pane solo, sed de Eucharistia totaillud proferre. Panis, *inquit*, iam non est communis, sed Eucharistia ex duabus rebus constans &c.] Eucharistia enim non est panis solus, sed est panis sacer & manducatus, in qua manducatione si digne fiat, panis associatum sibi ex consecratione habet spiritualiter corpus Christi: ideo Eucharistia in hoc sensu re duplici constat, & vtraque reali, non sane pane & figura, quæ est accidens: sed pane, & reali corpore Christi, modo ineffabili, sed certe spirituali cum pane adiuncto.

18. Suas friuolas, & captiosas, fallacesq; huius loci explicationes adhuc conatur confirmare *pag. 902. & seqq.* hoc pacto. Irenæus probat, *inquit*, resurrectionem carnis ex articulo Eucharistiæ, debuit ergo articulum hunc adhibere iuxta doctrinam quam de eo habebant Valentiniani: aut alias debuisset eorum articulum refutare. Atqui Valentiniani tenebant in Eucharistia panem vero fieri corpus, & sanguinem, vt patet ex ipso Irenæi *lib. 1. c. 9.* vbi de Marco Collarbasio præstigiatore. Et Irenæus non impugnat hanc vt falsam doctrinam, sed reprehendit imposturas, neq; amplius, aut vbiuis alibi contra hanc doctrinam insurgit. Ideoque cum disputat in genere contra eos omnes, tam Collarbasianos quam reliquos, quærit q; ex his *lib. 4. c. 34.* quomodo constabit ipsis, panem Eucharistizatum esse corpus Domini, si non ipsum Fabricatoris Dei filium dicant: quis non videt, eum non potuisse ipsis hanc quæstionem proponere, nisi eodem sensu, quo illi tenebant realem præsentiam corporis Christi, &c. Igitur cum addit Irenæus; Eucharistiam constare duabus rebus, intelligit de consistentia non imaginaria & significatiua, sed reali, id est, corpore, & spiritu Christi. Scopus enim Irenæi est, *inquit*, probare, per Eucharistiam, nostra corpora esse capacia incorruptibilitatis. Hoc itaque affert pro medio sui præcipui argumenti, quod in Eucharistia nos prædicamus vnitatem carnis & spiritus: hoc est, *inquit*, testamur nos esse factos vnam carnem, & vnum spiritum cum Christo. & ad hoc probandum ait adduci illa ab Irenæo: *quemadmodum enim panis percipiens inuocationem, &c.* Hæc particula, *enim*, ostendit rationem antecedentis clausulæ, videlicet cur nos simus facti vna caro, ac vnus spiritus cum Christo, contineri in comparatione sequenti. Atqui non continetur in vltima parte, & redditione similitudinis: nam esset petitio principij, quia hæc vltima pars est recollectio theseos, & illud quod resultat ex toto argumento, videlicet per Eucharistiam corpora nostra fieri incorruptibilia, ac proinde oportet eam contineri in prima clausula comparationis: & consequenter, hæc verba, *terrena & cœlestis*, necessario æquipollere illis, *caro & spiritus*.] Hæc ille.

19. Ego vero verum genuinum & planum sensum illorum verborum, *prædicamus vnitatem carnis, &c.* Iam elaboraui satis diuersum ab hoc Perroniano. Quidni diuersum, si de Christo, eiusque carne aut spiritu nihil penitus hoc loco vel innuitur? Nego ergo hæc ab Irenæo hoc loco tractari, vt iam probaui: nego etiam Valentinianos vnquam in sacra Christiana Eucharistia corporalem Christi præsentiam posuisse, aut credidisse: atque sic totam hanc Perronio mirram Logicam e ipio, totumque hunc inanem discursum in cassum po. Ex Marco tamen Mago subsidium petit. Sed sicut Marcus suis præstigiis mulierculas decipiebat, ita Perronius ipse simpliciores, ad quos vulgari idiomate suum tractatum direxit, facile decipere potuit, doctos mediocres præstigiis suis certe non decipiet. Marcus profecto ille non profitebatur, se Eucharistiam Christianam conficere, corpusq; Christi & sanguinem tradere, neque pane vtebatur. Sed imitatione Christianæ Eucharistiæ, vt Diabolus solet, consecrationes quasdam fingebat, hoc est, voce promebat incantationes, quas inuocationes ex imitatione nostræ Eucharistiæ vocat Irenæus, super poculo duntaxat, atq; ita præstigiis suis vinum, quod imponebat album, post fictam illam Eucharistizationem iam rubere apparebat. Numen vero quoddam, quod sit super omnia *Gratiam* vocabat ille Magus, & prædicabat vt suam, vinumq; illud iam rubrum ex albo factum, huius Gratiæ sanguinem esse dicebat, proculdubio in ludibrium nostri calicis, eandemq; incantationem mulierculas quoque docebat, & similiter pocula Eucharistizare faciebat, easq; hisce præstigiis dementabat. De Christo ne verbum quidem. Immerito igitur Perronius vinum illud pro Christi sanguine obtrusum fuisse putat, siquidem Irenæus dicit ibidem, Magum hunc Gratiam suam impartiri solitum, illam nimirum, quæ esse super omnia ab eo dicebatur, & cuius sanguinem illum esse asserebat, non tamen Gratiam illam dicebat esse Christum: suam enim esse asserebat, & erat vis quædam diuina, quam ille tribuere se posse profitebatur. Hanc vero magicam Gratiam Perronius Christum esse apud Irenæum audacter protulit *pag. 907.* sicut & immerito inuocationem illam huius Magi vult Perronius eum fingere voluisse tanquam si essent verba consecrationis: nam in longum hanc inuocationem protrahebat, vt ait Irenæus, at vero verba consecrationis, de mente Peronij, sunt breuissima: & idem Magus in aliis sequentibus præstigiis, quæ ad vinum iam nihil pertinent, adhuc dicitur inuocationes quasdam cuiusfecisse, vbi nullam Ecclesiasticam consecrationem poterat imitari, aut fingere. Legat quisque caput illud nonum primi libri Irenæi, & stupeat quomodo tantus Cardinalis ibi veritatem corporis & sanguinis Christi, Christianamq; Eucharistiam, sub præstigiis tamen, agnoscat, imo se fingat agnoscere. Ibi ergo Irenæus narrat has præstigias Marci, non vt Eucharistiam, ipsiusve abusum, aut sensum Valentinianorum circa Christianam Eucharistiam explicaret, sed vt scelus, & turpe facinus Valentinianorum aperiret, quod narrasse, refutasse fuit, non enim erat doctrina, sed factum; neque nomen Eucharistizandi quenquam moueat, nam illa erat nostræ Eucharistizationis ficta & præstigiosa imitatio.

20. Quando igitur Irenæus rogat Gnosticos, quomodo constabit eis, panem Eucharistizatum esse corpus Domini, supponit eos Eucharistiam Christianam admittere, & sumere, id est panem sacrum, & cum pane corpus Domini: eos tamen, quia negabant Christum esse filium Dei Creatoris, redarguit, quod stulte assererent, pani in confectione Eucharistiæ esse adiunctum corpus Christi, si Christus non erat Filius illius Creatoris qui panem creauit, vt iam explicaui. Igitur duæ illæ res in Eucharistia sunt ambæ reales, non imaginariæ, id est, panis & corpus Christi, vt est à me explicatum; & de scopo Irenæi iam patet; & de particula, *enim*, dico redditionem congruentiæ, vt §. 11. huius appendicis explicaui; ibi enim est vera Analysis illius logicæ, non illa, quam absque vllo fundamento facit Perronius.

21. Addit ille per modum digressionis, in eo dicto Irenæi.

Irenæi, Eucharistia ex duabus rebus constans, in Græco, in parall.m.S.Damasceni haberi participium præteriti συνεστηκυῖα, hoc est, non esse panem communem, sed Eucharistiam, quæ fuit composita, seu, *inquit*, quæ duxit originem ex duabus rebus. Sed hæc grammatica parum ei prodest: Ibi enim reliqua verba annexa, sunt præsentis temporis, *Panis percipiens inuocationem non est panis communis*: neque seruit quicquam Irenæo, quod Eucharistia fuerit composita, seu originem duxerit ex duabus rebus, nisi tunc quando recipitur adhuc constet duabus rebus: Sic enim optime accommodatur argumento à simili pro carnis resurrectione, vt supra est à me accommodatum §.15. huius Appendicis.

22. Mox epilogat suam interpretationem loci principalis de pane communi & non communi, dicitque *pag*.906. panem communem se interpretari panem corruptibilem & temporalem qui perit; panem vero non communem, panem incorruptibilem, & sic *logicatur*: quia in comparationibus argumentatiuis nihil debet esse in redditione similitudinis, quod non inueniatur realiter aut æquipollenter in exemplari: vbi præsertim exemplar proponitur, non vt idea & formula tantum, sed etiam vt causa & principium rei probandæ, Cum igitur Irenæus colligat incorruptibilitatem futuram nostrorum corporum, ex eo, quod panis Eucharistiæ non sit communis, oportet illud non commune significare incorruptibile.

23. Non est profecto, cur sibi nimium in hac sua Logica, seu Metaphysica complaceat. Persistit enim in eo errore quem ego iam totum conuulsi: Hic nimirum agi de corpore Christi, quod non est verum. Fateor equidem ex Eucharistia Irenæum duas reprehendere hæreses, De Deo creatore, Patre Christi; & de resurrectione carnis; & hanc secundam non nisi incidenter, quatenus pugnat cum Eucharistia, nam plenius aliis rationibus & scripturis *lib*.5. ex professo impugnatur: & vera Logica Irenæi in hoc argumento talis est. Hæresis negans corpora nostra esse capacia incorruptionis, pugnat cum nostra Eucharistia: At veritas Catholica prædicans coniunctionem diuini spiritus cum carne nostra, & consequenter admittens corpora nostra posse spiritualia fieri, congruit cum Eucharistia. Itaq; non colligit Irenæus incorruptibilitatem nostri corporis ex eo, quod panis Eucharistiæ non sit communis, quod imaginatur Perronius; sed colligit congruentiam inter has duas assertiones; Corpora sunt capacia spiritus à quo fiant incorruptibilia; & Eucharistia constat pane & corpore Christi. Congruunt vero, quia inter eas est proportio, analogia & similitudo: Sicut enim in priori assertione coniuncta ponuntur caro & spiritus, res terrena & cœlestis: ita in posteriori planum est adesse panem rem terrenam, & corpus Christi gloriosi per resurrectionem, imo etiam per hypostaticam vnionem facti cœlestis & spiritualis. Panis ergo communis est panis non consecratus, panis vero non communis est panis sacer, cui in vsu Sacramentali adiungitur corpus Christi per ipsius spiritualitatem, ita vt manente pane, re terrena, simul adiunctum habeat spiritualiter corpus Christi, rem cœlestem. In quo persimilis est Eucharistia conditioni nostri corporis, quod terrestre cum sit, adiunctum tamen habet spiritum diuinum, rem cœlestem, à quo habeat incorruptibilitatem: quam sane incorruptibilitatem recipiunt corpora nostra etiam ab Eucharistia digne sumpta, quia per illam recipitur modo peculiari spiritus ille diuinus, per quem corpora ipsa à mortalitate transibunt ad immortalitatem. Et per illam quoque fit illa vnio in nobis, carnis & spiritus. Panis ergo, tam communis, extra Eucharistiam, quam non communis, in Eucharistia, semper est res terrena & corruptibilis, sed cum pane hoc terreno in Eucharistia exhibetur corpus Christi, res cœlestis & incorruptibilis, communicans per spiritum suum corpori nostro incorruptibilitatem.

24. Ineptum porro est quod contendit Perronius, corpus Christi esse in Eucharistia rem illam vtramque simul, & cœlestem, & terrenam: id est, illam constare carne & spiritu. Eucharistia enim comeditur, & est sacramentum in genere signi, Ergo visibile & sensibile: at corpus Christi neque comeditur, comedere enim proprium est in stomachum traiicere, & id concoquere, ac in se conuertere: vt fusius postea considerabo, neque est vllo modo sensibile, neque signum nobis esse potest; & aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Eucharistia vero est sacramentum; corpus Christi apud Perronium erit res sacramenti: Neque potest excludere ab Eucharistia saltem species panis & vini, quæ sunt etiam in Eucharistia terrenæ & corruptibiles. Cur ergo totam Eucharistiam, quæ apud Irenæum constat re terrena & cœlesti, reducit ad solum corpus Christi? In quo sane Christo, neque potest commode explicare duo illa, carnem, & spiritum præsertim insistendo in Irenæo, qui carnem & spiritum non intelligit corpus & animam, sed corpus & diuinum spiritum, qui per gratiam infunditur iustis, in quibus tria ponit distincta, corpus, animam, spiritum. Substantia, *inquit, lib.5.c.*8. nostra, id est, animæ & carnis adunitio, adsumens spiritum Dei, spiritualem hominem perficit.] Item, [*Ibid.c.9.*] Tria sunt ex quibus perfectus homo constat, carne, anima, & spiritu.] Cum autem hic loquatur de duabus partibus Eucharistiæ, certe non loquitur de Christo, in quo similiter ternarium inueniret. Nec ad rem quicquam facit præsenti Irenæi disputationi, quod Christus constet anima & corpore, seu carne & spiritu, vt est à me iam ostensum, vbi verum & planum aperui scopum Irenæi.

25. Præterquam quod paraphrasis illa Perronij verborum Irenæi, de duplici re in Eucharistia, *pag*.907. summam violentiam aperte præ se ferat. Sensus, *inquit*, Irenæi est; quod quemadmodum panis est substantia è terra sumpta, & corruptibilis, tamen cum recipit consecrationem, fit res incorruptibilis; hoc est Eucharistia; ita tamen, vt non amittat generalem conditionem, quod sit terrestris, & materialis; quia post consecrationem manet corpus Christi, constans carne terrestri, & spiritu cœlesti; ita nostra corpora, quamuis nascantur terrena & corruptibilia, per Eucharistiam tamen fiunt incorruptibilia, & interim non cessant esse substantia terrestris.] Panis profecto est apud Irenæum ille, qui suscepta consecratione fit Eucharistia, re duplici constans, terrena, & cœlesti, & ita pani illi conuenit vt sit res duplex, & hoc summa vi à pane Perronius transfert in corpus Christi, penitus omisso pane. Panis manet res terrena; ait Irenæus: Perronius ait, Christus ratione suæ carnis est res illa terrena. At Christi caro non est ille panis, cui rem terrenam tribuit Irenæus: Est, *inquit*, sed in genere; nam & panis ille, & corpus Christi in genere sunt res terrena. At Irenæus de pane illo in specie, imo in indiuiduo ait esse rem terrenam. Profecto si ita per ista genera liceret res explicare, vt quod dicitur de specie, explicetur ratione generis, liceret etiam ex duabus affirmatiuis in secunda figura syllogizare, & colligere hominem esse Asinum ratione animalis, in quo conueniunt tanquam in genere. Sic profecto egregius noster sophista colligit, si ipsius paraphrasis resoluatur: videlicet, hic

hic panis secundum Irenæum est res terrena, &, Hoc corpus Christi est res terrena, ergo hoc corpus Christi secundum Irenæum est hic panis: & consequenter Irenæus non de hoc pane, sed de hoc corpore Christi affirmat, in Eucharistia esse rem terrenam: indignæ profecto sunt & expositore & exposito huiusmodi expositiones. Nec tantus Cardinalis deberet agere sophistam; nec Irenæus tantæ celebritatis Pater, antiquus homo Dei, vt ex Augustino illum vocat ipse Perronius *pag.* 909. talibus sophismatis esset tam male tractandus.

26. Confirmat hanc suam paraphrasim, seu expositionem sophisticam ex alio simili loco, quem totum producit ex Irenæo *lib.* 5. *cap.* 2. quemque ego in suo vero sensu attuli *num.* 24. ante hanc Appendicem. Eo vero extense & græce & gallice prolato, hæc addit. Quænam ex chalybe vel adamante forcipes possent melius, non insculpere, sed incidere in cordibus lapideis durissimis doctrinam veritatis Eucharistiæ?] Profecto verum dicit, quia toties hoc loco repetit Irenæus, in Eucharistia nos eum panem sumere qui est creatura, eoq; nostra corpora augeri, sed de hoc paulo post. Videamus expositionem Perronij. Hic probare Irenæum, ait, Valentinianis, non solos spiritus nostros fruituros vita æterna, sed etiam nostra corpora; quia non tantum nostri spiritus fiunt participes spiritus Christi, sed etiam quia per Eucharistiam caro nostra de eius carne participat, alitur, & fit membrum eius carnis.] Ita profecto disserit Irenæus. Sed nimis materialis erit qui hæc omnia materialiter intelliget. Si nostra caro ex Christi carne alitur, ergo eam conficit calore naturali, & in suam hypostasin conuertit: & caro Christi in nostram carnem conuersa desinit esse caro Christi, & consumitur, & ita fit cibus ventris, non cibus mentis, quod abhorret, & merito, Bellarminus *de Euch. lib.* 2. *c.* 4. Sensus ergo Irenæi erit ille quem ego exposui *num.* 24. quod in Eucharistia & sit panis & vinum, quibus nutritur caro nostra; & simul corpus & sanguis Christi spiritualiter, cum reali participiatione, etiam in carne nostra, qualitatum diuinarum corporis & sanguinis Christi.

27. Venit tandem Perronius ad nodum, quomodo dicatur ab Irenæo corpora nostra corpore Christi ex Eucharistia sumpta nutriri, ali, augeri. Iustinus quoque id dixerat: sed Bellarminus, vt vidimus *num.* 23. ad cauillosam quandam verborum transpositionem recurrebat, quam etiam Perronius approbabat, vt consideraui in appendice superiori ad Iustinum §. 13. & abieci. At in verbis Irenæi cauillatio nulla eis suppetebat, sed Perronius alteram suam, quam vrget in Iustino interpretationem, Irenæo quoque accommodat *pag.* 910. nutritionem intelligi ad vitam æternam, in qua non fiat conuersio alimenti in alimentatum, sed alimentati in alimentum, id est, per conuersionem conditionis vilis & corruptibilis nostrorum corporum, in conditionem incorruptibilem & gloriosam corporis Christi. Exemplum affert auri potabilis quod exhibetur ægrotis interdum, cuius substantia non consumatur, sed qualitas conseruatiua, & reparatiua virium vitalium imprimatur: sic ait fieri per contactum corporis Christi.] Sed contactus simplex, vt innuebam *num.* 24. ad finem, non est ad rem, neq; solus contactus nutrit, nutrire enim est conuerti substantiam alimenti in substantiam aliti, de quo ego *num.* 22. & *append. ad Iustin.* §. 14. Sed neque contactus vllus est corporis Christi in Eucharistia, etiam data transsubstantiatione, quia sicut sub speciebus panis corpus ipsum est inuisibile, sic est impalpabile, & intangibile; & sicut ipsum non tangitur, sic neq; tangit.

28. Dubium tamen non est, ex corpore Christi in Eucharistia sumpto, qualitates illas vitales corpora nostra, si digne communicemus, recipere: id tamen non fit per contactum realem, qui ibi neque est, neque vt iam monebam, esse potest, sed fit per contactum virtualem, & spiritualem toties explicatum à me, & explicandum. Neque similitudo auri probabilis est ad rem; quia vel nihil ab auro epoto accipit corpus illius qui tali auro vsus est; vel si aliquid accepit, id fuit per intromissionem vi caloris naturalis alicuius particulæ subtilioris substantiæ auri: omnia enim quæ per traiectionem in stomachum recipiuntur siue operentur per modum cibi, siue per modum medicinæ, operantur per substantiam suam in venas susceptam, & distributam. Caueat vero Perronius ne in suo aureo exemplo faciat qualitates & nuda accidentia transmigrare de subiecto in subiectum, quia in scholis philosophorum vapulabit.

29. Longior est ad nauseam in metaphysicando, seu potius grammaticando super verbum *augendi*, & *augmenti*, seu *actionis*, *pag.* 910. *à tergo & seqq.* quia Irenæus dixerat, *lib.* 5. *c.* 2. Panis & calix fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.] Mira indagat super verbo, *augetur*, cum tamen idem prorsus sit his locis *augeri*, quod *nutriri*, & *ali*. Nam neq; augmentatio corporis viuentis est sine nutritione, neque nutritio sine auctione. Ea sola differentia est, quod in augmentatione plus reparatur quam consumitur; at vero in nutritione tantum reparatur quantum consumitur, aut paulo minus: in statu etiam consistentiæ fit reparatio per nutritionem cum vera auctione, quia reponitur quod deperditum erat, in quo profecto semper est quædam auctio. Sed missis hisce ambagibus, planum est, his locis idem esse Irenæo augmentum, quod nutritionem. Ait enim ibidem de carne, *quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane qui est corpus eius, augetur.* De quo ergo ait *nutriri*, de eodem ait *augeri*. Nutritio autem fit in vita mortali, ergo etiam augmentum hoc spectat ad vitam mortalem, & non ad immortalem, quo se recipiebat Perronius. Quid mihi ergo mysteria quærunt in verbo *augendi*, vbi concedunt & negare non possunt, verbum *alendi*, & *nutriendi*? Annon statim subdit Irenæus, Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ caro, sanguine, & corpore Christi nutritur? Respondeat ergo ad verbum, *nutritur*: si ab eo se feliciter expediet, etiam à verbo *augendi* expedietur. Quod si verbum *augendi* alio traxerit, & verbum *nutriendi* manserit, nihil effecerit, sunt enim hisce locis synonyma. Totam ergo illam grammaticationem reductam ad statum corporum nostrorum post resurrectionem, tanquam extra oleas, contemnendam esse censeo: manente veritate, quod carnes nostræ corpore Christi alantur, nutriantur, & consequenter etiam augeantur, sumpta auctione pro reparatione substantiæ deperditæ, quæ est ipsamet nutritio. Cum igitur id verum non possit esse, nisi respectu panis & vini, profecto panem, & vinum in Eucharistia sumimus, eisq; nutrimur; spiritualiter vero etiam corpore Christi, vt in Iustino ostendebam *num.* 22.

30. Moneo vero, Perronium in verbo *augendi* non sine artificio, licet frustra, insistere, vt diuertat mentem lectorum simpliciûm à verbo *nutriendi*: & quæ ad rem non sunt exaggerare, quæ vero acrius vrgebant, prætermittere. An non erat validum argumentum Pissæi in posteriori editione ex eodem loco; Calix & panis fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, inquit Irenæus. Noluit ergo dicere fit corpus, & sanguis Christi: & profecto libenter euitat, ne dicat panem & vinum

vinum fieri corpus & sanguinem Christi: nam & ibidem paulo post ait, panem & vinum percipientia verbum Dei, fieri Eucharistiam, quod est corpus & sanguis Christi.] Vbi etiam noluit dicere panem & vinum fieri corpus & sanguinem Christi quod tamen Tertullianus *cont. Marcion lib.* 4. non euitauit.

31. Sed instat Perronius *pag.* 911. hæc spectare de mente Irenæi ad incrementa, quæ post resurrectionem corpora nostra accipient, quia Irenæus opponit augmentum & multiplicationem quæ contingit surculis vitis defossæ, & grano tritici postquam in terra sepultum fuit, & deinde suo tempore germinanti.] Respondeo, Irenæum nihil diuersum hoc afferre ab eo quod superiori loco *lib.* 4. *cap.* 34. differuit, eadem enim reperit *lib.* 5. *cap.* 2. verbis paulo auctioribus, & eodem scopo, vt conuincat Gnosticos duorum errorum, de Deo creatore, & de corporum resurrectione, atque hoc ex vsu Eucharistiæ: quæ primum conuincit Christum esse filium Creatoris, siquidem vtitur Creaturis ad exhibendum suum corpus, & suum sanguinem. Deinde etiam conuincit corpora nostra esse capacia incorruptionis, siquidem nutriuntur Eucharistia, in qua exhibetur nobis spiritualiter ipsum immortale & incorruptibile corpus Christi; quam tamen incorruptionem nos habituros ait in resurrectione post mortem, & corporum eorundem dissolutionem. Atque hoc etiam mysterium resurrectioni illustrat ex ipso mysterio Eucharistiæ, per similitudinem quandam & analogiam. Vt sicut panis & vinum fiunt ex ligno in terra defosso, ac tritico scrobibus sepulto, ac postea germinantibus; & accipientia consecrationem, fiunt Eucharistia, quæ est corpus & sanguis Domini, sic corpora nostra ex Eucharistia nutrita, in morte sepulta, & in terram resoluta, suo tempore resurrectionem à Deo accipient.] Vbi etiam ait nostra corpora Eucharistia nutrita, (procul dubio, in hac vita mortali,) diuina donatione resurrectura. Non ergo agit de augmento post resurrectionem habendo, sed agit de resurrectione post augmentum, id est, nutritionem ab Eucharistia ante mortem susceptam. Quod vero parum de Eucharistia sumatur; vt in Concilio Niceno videtur dictum, & vsus Ecclesiarum id ostendit, vrgetque Perronius *pag.* 912. nihil obest his dictis; quantumcunque minimum id sit, quod de pane, & vino sumitur, illud certe in nostram substantiam conuertitur; & si minima particula, etiam minor illa quam de Eucharistia sumimus, sit veneno infecta, totum corpus peruadit, & corrumpit, mortemque infert, (quot enim solo pane, aut vino Eucharistico venenum hauserunt, & perierunt?) quanto magis diuina gratia potest per minimum cibum, & potum toti corpori vitam tribuere?

32. Ex tot Irenæi dictis colligebat Plessæus, vniuersale esse in hoc Patre, imo etiam in reliquis, sensum, vbi panem dicunt esse corpus Christi, sacramentali et intelligendum, hoc est typice, figuraliter, virtualiter, & effectiue, non realiter. Nam Thomas et iam dat axioma, non posse dici proprie, quod de pane fiat corpus, aut quod panis sit, vel fiat corpus Christi. Et tamen Irenæus, & Ambrosius, & alij passim ita loquuntur. Veritas enim est, has propositiones esse falsas in sensu materiali, ac reali: veras tamen in sensu Sacramentali, figurali, typico, & virtuali. At vero realistæ, qui sensus hos figurales non admittunt, & cum materialis sensus sit aperte, vel ipsis confitentibus, falsus; coguntur omnia peruertere, & Christi verba de pane prolata, *Hoc est corpus meum*, inuertunt; vt sensus sit, sub his speciebus panis est Corpus meum; quia sciunt panem non posse esse Corpus Christi, idque expresse fatetur etiam Perronius *pag.* 913. Videlicet, panem, dum manet in substantia panis, non posse esse corpus Christi. Atqui Irenæus, & sancti Patres panem manentem in substantia panis, dicunt esse corpus Christi, & benedicunt, quia Christus panem illum, certe panem substantialiter, confitebatur esse corpus suum, vt vult Irenæus *lib.* 4. *cap.* 57. Accipiens, inquit, panem huius conditionis; *Id est, huius creationis, qui videlicet à Deo conditus est*, suum corpus confitebatur, *Idem lib.* 5. *cap.* 18. Et calicem, qui est ex creatura suum sanguinem confessus est, *Idem libro* 4. *cap.* 2.] Et toties dixit, nostram carnem corpore, & sanguine Christi nutriri, quia nimirum panis, & vinum in propria substantia sumpta in Eucharistia sunt, corpus & sanguis typice & virtualiter ac effectiue. Optimum est ergo argumentum Plessæi: Irenæus panem creaturam dicit esse corpus Christi. Atqui realiter id esse verum non potest, Thoma & Perronio, &c. id fatentibus, Ergo in sensu sacramentali, & virtuali, ac effectiuo, non reali, sunt accipienda. Realistæ autem non possunt eas propositiones affirmare, & tamen orthodoxi Patres eas passim affirmant; non ergo erant realistæ. Ad hæc respondere debuisset Perronius, & non grammaticari in verbo, *conditio*, & verbo *temperamentum*, nam sine his grammaticationibus Plessæus verum Irenæi sensum optime percepe rat, & inde optima, licet succincte, formabat argumenta.

33. Ex eo vero quod Irenæus dicebat *lib.* 4. *cap.* 57. Christum confessum esse panem illum esse suum corpus: & alio loco *lib.* 5. *cap.* 2. esse suum proprium corpus ἴδιον σῶμα (quod tamen Latini codices non habent, & Græcis caremus) exaggerat ille verbum, *confitendi*, & verbum *proprium*, & verbum διαβεβαιώσατο, quod est ex corde fateri & penitus affirmare, illud esse proprium, id est, verum & reale corpus ipsius in ipso vero verborum sensu prout proferuntur; non imaginem, non figuram.] At vero ipsemet Perronius fatebatur paulo ante, cum Thoma & Scholasticis, de pane dum manet panis, non posse affirmari ipsum esse corpus Christi: Irenæus tamen de pane qui sit creatura, ait, Christum confessum esse ipsum esse suum corpus, imo, si Perronio credimus, suum proprium corpus. Quod si panis ille qui est creatura non est in substantia panis, tunc falsum esset quod ait Irenæus de pane qui est creatura, illud à Christo affirmari. Verissimum ergo est, panem illum manentem in sua substantia panis, esse verum proprium reale corpus Christi sacramentaliter, typice & virtualiter. Nec valet instantia illa Perronij, Est corpus proprium, hoc est verum, & non simplex signum, & memoriale? Panis enim ita est signum, vt tamen sit efficax; exhibet enim verum & proprium ac reale Christi corpus. Atque ita panis figuraliter tantum dicitur, & est corpus Christi, non realiter: at vero exhibet non figuraliter tantum, sed realiter ipsum corpus Christi verum, proprium ac reale, modo tamen quodam ineffabili ac spirituali.

34. Vrget vero vlterius Perronius, & ait *pag.* 914. Irenæus disputat contra Marcionitas, qui tenent Christum non fuisse verum hominem, nisi apparenter, & sola figura, non substantia, absque veritate carnis. Quo ergo iudicio poterat duo hæc quæsita simul proponere: alterum, quomodo Christus confessus est panem esse suum corpus: alterum, quomodo item confessus est se esse hominem, si in primo quæsito fatebatur, panem esse corpus suum duntaxat putatiue: ex quo illi statim respondere poterant, ipsum etiam esse hominem putatiue.] Disputatio Irenæi, fateor, est contra

Marcionitas: sed argumenta & quæsita aliter proponuntur, & non vt ea inuertit & peruertit Perronius. Quæsita illa duo non sunt apud Irenæum, loco quem discutimus; illa Perronius ex se confinxit. Duos hoc capite errores proponit Irenæus contra Marcionitas, de quibus sint iudicandi. Alterum est, Christum non esse filium Dei Creatoris: alterum Christum non habuisse carnis veritatem. Priorem errorem refellit Irenæus ex Eucharistia, vt sæpe iam alias fecit; videlicet, si Christus non esset Creatoris Filius, creaturis panis & vini non fuisset tanquam suis vsus in Eucharistia conficienda. Posteriorem confutat errorem quatuor argumentis: 1. quia Christus se Filium hominis vocat propter humanam generationem. 2. quia subiectus fuit, & crucifixus, & aqua sanguisque ex latere eius profluxit. 3. quia sepultus fuit. 4. quia resurrexit. Interseruit autem inter hæc Irenæus adhuc vnum argumentum contra priorem errorem; quia videlicet Christus remittebat peccata, quæ homines contra Deum suum factorem committunt. Quid hæc ad illa duo quæsita? nihil prorsus. Sed fortasse insurget, si panis non est corpus Christi nisi figuraliter & repræsentatiue, poterunt inde Marcionitæ deducere, etiam Christum non habuisse corpus nisi per apparentiam, & repræsentationẽ. At qui ego puto illos tã inepte non argumentaturos. Neque enim dicerent illi, Petra illa erat corpus Christi tantum figuraliter; Ergo Christus non habuit corpus nisi figuraliter; semper enim magna distantia est inter vmbram, & corpus; & inepte loqueretur qui diceret, vmbra repræsentat corpus, Ergo corpus repræsentatum est vmbra. Ita licet panis non esset corpus Christi, nisi mere figuraliter, tamen non inde sequeretur etiam corpus Christi esse corpus figuraliter. Sed addo, panem esse corpus Christi multo plus quam mere figuraliter, quia habet adiunctam veritatem corporis, quod ipse panis verum & reale exhibet.

35. Resumit demum Perronius locum alium Irenæi *lib. 4. cap. 32.* ex quo probabat Plessæus, Irenæum asserere Christum fuisse confessum, Panem creaturam esse ipsius corpus. Exultat in eo Perronius, quia si Christus confessus est esse suum corpus, non ergo allegoria ibi vlla, non figura, quæ vnum dicit aliud intelligit.] Sed hanc ei iam sustulimus exultationem in præcedenti. Panis enim creatura non potest esse corpus Christi, si maneat panis, atqui manet: nam si non maneret non esset panis creatura, & tamen panis creatura eo loco est corpus Christi: Quomodo autem panis sit & panis & corpus Christi, modo, & toties alias explicaui. Vrget de noua oblatione noui Testamenti, de qua ego infra *num. 201.* & de sacrificiis Malachiæ *num. 223. & seqq.*

XXVII. Clemens Alexandrinus spiritualiter tantum sanguinem exhiberi in vino Eucharistico expresse tradit: ait enim *libr. 2. Pædag. cap. 2.* Duplex est autem sanguis Domini: alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu: alter vero spiritualis, quo scilicet vncti sumus. Et hoc est bibere Iesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi autem virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis. Commoderata itaq; proportione & conuenientia, vinum quidem aquæ, homini vero spiritus admiscetur. Ac temperatum quidem vinum ad fidem conuiuio excipit, spiritus autem deducit ad incorruptionem. Amborum autem temperatura, potus scilicet & verbi, dicitur Eucharistia, quæ & laudatur, & bona est gratia, cuius qui per fidem sunt participes, sanctificantur & corpore & anima.] Sanguinem non carnalem, sed spiritualem in Eucharistia agnoscit, & bibere sanguinem esse participem fieri incorruptionis per Spiritum; & sicut in Eucharistia est vinum aquæ admistum, ita in homine sacrum hoc vinum digne bibente Spiritus admiscetur, & in ipso Eucharistiæ conuiuio vinum temperatum ponit ad fidem, vt videlicet per fidem in tali vino bibamus Christi spiritum. Et dicit Eucharistiam dici vbi ipse potus, certe materialis vini temperati, cum spiritu, id est, cum effectu spirituali sanguinis Christi miscetur, qui effectus & ad animam, & ad corpus extenditur. Hæc sunt in Clemente valde clara. Sed & rursus eundem adhuc clarius loquentem audiamus. Vult contra Encratitas probare, Christum Dominum bibisse vinum, sed sobrie, & modeste, & inter alia Euangelij loca ad id probandum assumit vltimæ cœnæ calicem, Ipse quoque, *inquit, ibid. ad fin. capitis.* vino vsus est: nam ipse quoq; homo & vinum benedixit, cum dixit, *Accipite bibite, hoc est sanguis meus, sanguis vitis.* Verbum, *quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sanctum lætitiæ fluentum allegorice significat.] Sanguis meus, *inquit*, sanguis vitis: hoc est sanguis meus est vinum ipsum; Sed quia Christus subintulit; quod pro multis effundetur, ne quis inde colligeret, vt iam nostri colligunt, illum iam fuisse verum sanguinem, quia verus sanguis, & non vinum effusus est pro remissione peccatorum; ait Clemens, illud verbum ferre secum sanctum lætitiæ fluentum, id est, sanguinis Christi nos emundantis riuum, sed id non nisi allegorice, id est, sanguinem illum quem dicebat Christus se illis ad potandum porrigere, fuisse vitis sanguinem, hoc est vinum, quod tamen allegorice ipsum verum sanguinem significaret; & confirmat hoc paulo post dicens, Quod autem vinum esset quod benedictum est, ostendit rursus dicens discipulis; Non bibam ex fructu vitis huius, &c.] Ergo erat adhuc fructus vitis, etiam postquam dixit, *Hic est meus sanguis.* At nisi Christus bibisset verum vinum quando bibebat illud quod benedixerat, Clemens non posset inde probare, Christum vinum bibisse, Et hoc est quod ibi præcipue intendit, vt idem ibidem asserit contra Encratitas.

Appendix ad Clementem Alexandrinum.

Primus locus quem ex hoc Patre aduersus transsubstantiationem afferebat Plessæus est in *1. lib. Pædag. c. 6.* & eum variis obiectis Perronius oppugnauit *p. 916. & seqq.* Ac primum generale responsum obiicit, Clementem videlicet esse Catechistam, & Catechumenos instruere per ænigmata & allegorias; siquidem esset sacrilegium mysteria hæc illis aperire. Sed hoc responsum bene sciebat Perronius Plessæũ non esse admissurũ, cuius iampridem viderat responsa ad disputationem Fontibellaquensem: in sexto enim loco pluribus autoritatibus Plessæus docet contra ipsummet Perronium, tunc Episcopũ Ebroicensem, mysteria fuisse plenissime Catechumenis etiam explicanda. Sed hoc iam dissimulat Perronius, quod non est cãdide agere. Ipse vero addo, si vera etiam essent, quæ contendit hic Perronius, non licuisse mysteria aperte Catechumenis declarare, non propterea licuisse Catechistæ falsa, & veritati mysteriorum contraria docere. Aliud enim est obscure & ænigmatice veritatẽ profiteri, aliud clare & aperte falsitatem proloqui. Si igitur Clemens de Eucharistia ibi loquitur, profecto videtur aperte asserere, carnẽ Christi fide comedi. Ait enim, euidenter sub nomine esculentorũ & poculentorum, i. e. carnis & sanguinis comestionis, & potationis, id quod est fidei & promissionis contineri.

contineri. Sed reſpondet Perronius, Clementem ibi aſſerere, carnem Chriſti eſſe allegorice fidem, ſanguinem vero ſpem: ſed non propterea negari veritatem carnis & ſanguinis: omnes enim allegoriæ ſupponunt veritatem literæ in qua fundantur, & eam non deſtruunt. Ego ſane video Clementem ibi totum eſſe in quibuſdam allegoriis in quibus dogmata tractari non ſolent, omninoque exiſtimo ibi nullum ſermonem eſſe de Euchariſtia, ſed potius de fide incarnationis, ideo puto non eſſe operæpretium in eo immorari.

2. Alter locus ex Clemente à Pleſſæo & à me in ſuperioribus *num. 27.* conſideratus, eſt ex eodem *libro 2. Pædag. cap. 2.* vbi vinum eſſe id quod in calice benedictum fuerat aſſerit, & duplicem Domini ſanguinem ponit: quod ſi vinum erat in calice etiam poſt benedictionem, non ergo fuiſſe accidentia vini, innuit Pleſſæus. Reſpondet Perronius, non eam eſſe mentem Clementis, vt probare intendat in calice fuiſſe vinum, & non accidentia vini, ſed fuiſſe vinum, & non puram aquam. Sed neque Pleſſæus contendit id voluiſſe Clementem probare, ſed ex eo quod vinum in calice fuiſſe aſſerat Clemens, & non alium liquorem, merito colligit Pleſſæus fuiſſe vinum in ſubſtantia, & non nuda accidentia vini, quæ profecto vinum non ſunt. Ait quoque Perronius, Clementem probare bonum eſſe vſum vini, contra Encratitas, & hoc duplici argumento: primum quia Dominus quoque bibit vinum: & hoc, *inquit*, probat, non ex Euchariſtia, ſed ex illis locis vbi Iudæi exprobrabant ei quod eſſet homo vorax, & potator vini, *Luc. 7. v. 34.* Deinde ex Euchariſtia, quia vinum fuit in calice quod conſecrauit, *Matth. 26. v. 29.*] Et hæc vera ſunt, ſed inuerſa: verus ſcopus Clementis eſt docere ſobrium debere eſſe vſum vini Chriſtiano, qualem putamus Dominum habuiſſe: nam illum bibiſſe vinum non eſt dubium, ex quo Encratitæ confundi debeant, qui vſum vini abſolute malum eſſe dicebant. Dominum vero vinum bibiſſe probat duplici argumento: primum ex Euchariſtia, quia vinum fuit in calice quem Chriſtus benedixit profecto & bibit: Probandum enim ſumpſerat Clemens, Dominum quoq; vinum bibiſſe: ac ſi tantum benedixerit & conſtet id quod benedictum eſt in calice, vinum fuiſſe, ſi non bibit Chriſtus ex eo calice, nihil ad rem hoc loco Euchariſtia. Dum vero probat Clemens, vinum fuiſſe in calice, etiam poſt benedictionem, quia Dominus dixit poſt benedictionem, à modo non bibam de genimine vitis huius, hinc duo manifeſte habentur, alterum, genimen vitis tunc in illo calice fuiſſe vinum, & non accidentia vini, quia illa non ſunt vinum: alterum, quod præcipue intendit Clemens, etiam Dominum bibiſſe vinum, ſi quidem ſupponit Clemens, ex illo genimine iam bibiſſe; quod ſi non ſupponeret, fruſtra & penitus extra rem probaſſet, id quod erat in calice fuiſſe verum vinum, & non alium liquorem potabilem. Secundum argumentum quo probat Clemens Dominum vino vſum fuiſſe, eſt, quia Iudæi illum voracem & potatorem vini ad contumeliam vocabant. Sed in primo argumento noſtrum verſatur negotium.

3. Vt ab eo ſe liberet Perronius, ait, ſat fuiſſe Clementi quod probaſſet ante conſecrationem vinum fuiſſe, & non puram aquam in calice.] Sed probat Clemens, etiam poſt conſecrationem verum fuiſſe vinum in calice, quia à Chriſto vocatur fructus vitis. Reſpondet Perronius fructum ſeu genimen vitis, eſſe etiam ipſa accidentia; nam id quod generat ſubſtantiam, generat etiam omnia accidentia quæ illam naturaliter comitantur. Ideoq; ſanctum potum Euchariſtiæ duplici titulo eſſe genimen vitis: quia videlicet & bibuntur externe ſpecies Sacramentales quæ ſuum eſſe à vite materiali habuerunt: & interne bibitur vinum ex vite prophetica, & non incorruptibili ortum, *Iudic. 9. v. 13.*] Mitto nunc, quod bibere genimen vitis nunquam erit bibere ſola accidentia vini, ſed bibere ipſum vinum ſubſtantialiter, niſi dicamus Chriſtum cum Apoſtolis poſt reſurrectionem (qua fortaſſe ſignificatur illud Regnum Dei) bibiſſe ſola vini accidentia, quando cum diſcipulis ſuis diſcubuit, *Ioan. 21. v. 12.* & cum ipſis manducauit ac bibit, *Act. 10. v. 41.* Quod ſi etiam allegorice loquitur Chriſtus de vino gloriæ bibendo cum ſuis diſcipulis in regno cœleſti quando diſponet eis Chriſtus regnum, vt edant, & bibant ſuper menſa ſua, *Luc. 22. v. 29.* certe debet eſſe analogia inter vinum materiale, & hoc ſpirituale vinum gloriæ; nam inter nuda accidentia vini materialis, & gloriam ipſam eſſentialem, nulla pene eſt analogia. Sed mitto, inquam, iſta. Illud vero planum eſt, ſi Clemens ſola accidentia vini putaſſet fuiſſe illud genimen vitis quod erat in calice poſt benedictionem, ridiculum argumentum Encratitis obiecisſet: nam inde nequaquam probaſſet Chriſtum vino vſum fuiſſe. Illi enim vſum ſubſtantiæ vini abominabantur, vt ſubſtantiæ in ſe malæ & pollutæ; quod ſi eis Clemens obiceiſſet, Chriſtum bibiſſe vini accidentia, illi riſiſſent, dixiſſentq; ſe non accidentia vini nuda, ſed quando ſunt ſimul cum ſua ſubſtantia, reprobare. Vidit Perronius hanc vim argumentandi: ideo negabat Clementem vti argumento ex Euchariſtia ad probandum Chriſtum vino vſum eſſe. Ego vero iam oſtendi, etiam ex Euchariſtia, imo primo id probaſſe, ſuppoſito tanquam indubitabili, quod Chriſtus etiam biberit ex calice conſecrato. Dum enim, ait, *non bibam amodo*; Profecto patet illum tunc bibiſſe, quia illam dicebat fore vltimam bibitionem, vſque ad alium terminum, quem ſibi in regno Patris præfigebat.

4. Tertius locus ex Clemente eſt ille de duplici ſanguine, & eſt in eodem *c. 2. lib. 2.* prope initium; nam locus modo à nobis ſecundo loco examinatus eſt ad finem eiuſdem capitis. Eum ego diſcuſſi *num. 27.* Duplicem ſanguinem explicat Perronius *pag. 919.* non ſubſtantia, ſed modo: vt Chriſti ſanguis ſumatur primum ſub mortalitate, & paſſibilitate, & corruptibilitate; tum vero ſub immortalitate, & incorruptione. Et hanc pillulam vt Pleſſæus dulcius deuoret, ait ſe illam ei manu Hieronymi porrigere: affertq; locum ex Hieronymo *in ep. ad Epheſ. c. 1.* qui talis eſt. Dupliciter vero ſanguis Chriſti & caro intelligitur; ſpiritualis illa atq; diuina, de qua ipſe dixit: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*: Et, *Niſi manducaueritis carnem meam, & ſanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam*: vel caro & ſanguis, quæ crucifixa eſt, & qui militis effuſus eſt lancea. Iuxta hanc diuiſionem & in ſanctis eius diuerſitas ſanguinis & carnis accipitur, vt alia ſit caro, quæ viſura eſt ſalutare Dei, alia caro & ſanguis, quæ regnum Dei non queant poſſidere. Conſequenter autem poſt redemptionem ſanguinis Chriſti, remiſſionem accepiſſe ſcribimur peccatorum. Quia niſi redempti fuerimus, fruſtra nobis peccata donantur. Nec ante veniam accipere poſſumus delictorum, & ſerui eſſe ceſſamus, niſi pretium pro nobis cruentus quondam victor acceperit.]

5. Clemens ſane & Hieronymus optimi Medici pillulam optimam noſtræ valetudini in recta veritatis ſententia maxime proficuam nobis porrigendam decreuerunt, quam de manibus ipſorum libenter ſumimus, & ab ipſis diſcimus, quid illa in ſe contineat, & quas vires habeat, Sed dum ſimplex pharmacopæus, ſeu medicus empyricus nobis pillulæ non à ſe, ſed à pe-

ridioribus compositæ, substantiam & naturam explicat, non ei nimium credimus. Quam enim nobis Clementis & Hieronymi manus porrexerunt, ex aloe; quam vero Perronius explicat, ex eleboro confecta est; putauit enim nos adeo insanire, vt quid Clemens, quid Hieronymus dicat, non percipiamus.

6. Idem Profecto sensus mihi quoque videtur vtriusque, & Clementis scilicet, & Hieronymi: Sanguinem Christi, sic & carnem, dupliciter considerari, & carnaliter & spiritualiter. Carnaliter quidem in sua propria realitate; substantia & natura. Spiritualiter vero, in suo effectu quem operatur in hominibus per fidem, dum eos regenerat, & spiritu diuino adimplet: qui spiritus dicitur vnctio, 1. *Iohan.* 2. *v.* 20. & ad hanc spiritus vnctionem per gratiam, respexit Clemens: subdit enim; *Verbi virtus est spiritus, sicut sanguis carnis*] & ita sanguinem considerauit in suo effectu spirituali dictæ vnctionis, non ad vnctiones postium remotissimas, & per tot ambages ad actum bibendi, & sic os seu labra vngendi violentissime deductas. Corruptibilitas vero & incorruptibilitas penitus nihil facit ad hæc Clementis & Hieronymi dicta. Sanguis enim Christi nunquam fuit corruptibilis, quia Christi corpus (quod sine sanguine esse non potest) perpetuo, ab instanti suæ conceptionis fuit vnitum Verbo hypostatice: Et quorsum quæso dicat Clemens, sanguinem Christi & esse carnalem, hoc est in statu passibili & mortali, & esse spiritualem, hoc est in statu glorioso & immortali? Oporteret hæc applicare. Sed vere sunt omnino otiosa, & vera quidem, sed nihil ad rem. Quod si dicat Christi sanguinem spiritualem nobis applicari, profecto vtrunq; falsum erit. Nam Christi sanguis tam perfecte abluit & saluauit bonum latronem, tametsi esset adhuc (vt loquar cum Perronio) corruptibilis, atq; saluauit Petrum, & hodie saluat quemcunque alium; non enim saluabat, quia esset sanguis Christi iam post resurrectionem immortalis, sed quia erat sanguis Filij Dei, & sanguis gloriosus neminem saluat, sed à sanguine carnali habemus totam salutem.

7. Ac sane Hieronymus ibi dupliciter considerat Christi sanguinem; vno modo cum in sua realitate, illum videlicet qui effusus est in cruce: alio modo pro vt fide percipitur, siue fides sit fides incarnationis, siue fides qua in Eucharistia nobis exhibetur Christi sanguis & Christi caro. Nam verba ex Euangelio quæ affert ad spiritualem carnem ostendendam & sanguinem spiritualem, videlicet, *Caro mea vere est cibus, &c.* &, *Nisi manducaueritis, &c.* certe vel pertinent ad fidem incarnationis, vt est communior opinio, vel ad fructum Eucharistiæ, sed spiritualem; siquidem Hieronymus illa Euangelij dicta ad spiritualem carnem & sanguinem proferebat. Dum vero similem diuisionem ponit Hieronymus in Sanctis, vt alia caro sit visura salutare Dei, alia vero caro & sanguis quæ regnum Dei non possidebunt, nimium remote ab eo recessit Perronius, qui hæc intellexit de corporibus Sanctorum mortalibus, & corruptibilibus, ac de gloriosis & immortalibus. Non est profecto sensus Hieronymi, vt eodem modo intelligatur in homine diuisio carnis & sanguinis spiritualis, & carnalis; quo in Christo; vt carnalis sit in sua realitate, spiritualis in effectibus spiritualibus; quos enim effectus spirituales potest producere nostra caro? Manifesta sunt opera carnis. fornicatio, immunditiæ, &c. *Galat.* 5. *v.* 19. Sed vult etiam in hominibus scripturas assignare diuisionem carnis & sanguinis: vt aliqua caro dicatur visura salutare Dei, *Isai.* 40. *apud Luc.* 3. 6. aliqua vero cum suo sanguine regnum Dei non possidere, 1. *Corinth.* 15. *v.* 50. Dicet-ne Perronius ad carnem & sanguinem hominis mortalis & corruptibilis spectare, vt regnum Dei non possideat? Actum esset de nobis omnibus mortalibus, desperandum esset de regno Dei. Dicet ne ad solos sanctos homines post resurrectionem pertinere illud Isaiæ, vt legitur in Luca *cap* 3. *vers.* 6. Videbit omnis caro salutare Dei? Non ergo vlla caro ante resurrectionem videt salutare Dei. Atqui Abraam vidit illud, & gauisus est, *Ioh.* 8. *v.* 56. & tamen nondum resurrexit, & sane vidit dum in carne esset. Itaq; Hieronymus ibi non considerabat carnem mortalem, & immortalem: sed esse homines in carne spirituali sanctos, qui non secundum carnem viuant, sed secundum spiritum, & hos videre salutare Dei, & frui diuina gratia & diuina protectione. Esse vero contra homines in carne carnali, viuentes carnaliter, & de hac carne carnali verum est, quod non possidebit regnum Dei, vt est communis horum locorum interpretatio. Manet ergo & in Clemente, & in Hieronymo, Carnem & sanguinem Christi esse duplicem, id est, dupliciter considerari, vel in substantia & secundum se in subesse reali, quod est carnaliter; & sic illa alia caro non est, nisi quæ fuit crucifixa, & nunc sedet ad dexteram Patris; & ille sanguis qui fuit effusus in cruce, & nunc est in venis Christi Saluatoris in cœlo. Vel spiritualiter in suis effectibus, & sic extra Sacramentum operatur per fidem incarnationis, in Sacramento similiter; quia exhibetur spiritualiter, vt Clemens sentit & explicat. Ait enim, Et hoc est bibere Iesu Sanguinem, esse participem incorruptionis.] qui est effectus spiritualis, ita vt bibere vinum sacrum, sit participare gratiam etiam pro incorruptione corporis. Vbi Perronius mutata interpunctione, quæ est in omnibus Codicibus, componit ex se quendam sensum à Clemente remotissimum, vt ex his quæ ego hic disputaui patet manifeste. Atq; hoc pacto pillula illa fuit nobis salutaris, & nostræ sanctæ doctrinæ proficua. Vtinam Perronius, eiusq; adhærentes illam bona animi dispositione deglutirent.

XXVIII. Tertullianus & ipse profecto expresse conceptis verbis in parte Eucharistiæ, non realem & corporalem corporis Christi præsentiam, sed figuratam, & mysticam esse profitetur, & declarat, nec semel. Audiamus illum: Iudæos primum, de lygno mystico in Scripturis crucem Christi præfigurante disserens, sic alloquitur, *in lib. con tr Iudæos.* De hoc ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam, quod esset is dicturi. *Venite mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius.* Vtique in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retro corpus in panem prophetes nunciauit. Item *adu. Marcion. lib.* 3 Hoc lignum & Hieremias tibi insinuat, dicturis prædicans Iudæis, Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro, *id est Lucæ,* reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram panis dedisse, cuius retro corpus in panem prophetes figurauit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo. Item, *ibid. lib.* 4. Professus itaq; se concupiscentia concupisse edere Pascha vt suum (indignum enim vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum dicendo,* id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis

corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Aduersus me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite coniiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem.

XXIX. In his Tertulliani dictis ante omnia illud obseruari cupio, ipsum in conferendo pane cum corpore Christi contraria penitus ratione comparationem instituere, quam quæ institui communiter solet: Mutationem enim, quæcunque illa esse possit, in hoc Sacramento ponit Tertullianus à corpore Christi, tanquam termino à quo, ad panem, tanquam ad terminum ad quem. Ita vt potius censeat corpus Christi conuerti aliquo modo in panem, quam panem conuerti in corpus Christi. Sic enim Hieremiam vult *cap.11.19.* panem pro ipso corpore sumpsisse, vbi ait, Venite mittamus lignum in panem eius: hoc est, inquit, crucem in corpus. Panis ergo locum tenet corporis: non corpus tenet locum panis, & verba Christi asserentia de pane, *Hoc est corpus meum:* intelligit Tertullianus, corpus esse subiectum, panem prædicatum, Panem, inquit, Corpus suum appellans, quasi Christus diceret: comedite hunc panem, vt sic meum corpus comedatis, quia ego iam feci vt meum corpus verteretur in hunc panem. Vt hinc iam, *inquit ad Marcionem,* intelligas corporis sui figuram panis dedisse.] Obscurus est locus: sed repetenda est vox, *figuram*, vt Barreus iuxta Autoris stylum annotauit. Sensus itaque erit huiusmodi, dedit figuram panis, figuram corporis sui, sicut olim Hieremias in pane corpus Christi figuratum esse voluit: & postea in Euangelio Dominus ipse nomine corporis significauit panem, panem videlicet talem, in quo & figuraliter, & virtualiter corpus ipsius esset constitutum, vt nimirum panis in Sacramento conspectus & significaret corpus Christi, & simul secum ferret spiritualiter dona, & virtutes, & efficaciam corporis Christi, & sanguinis, & eius sanctissimæ passionis, resurrectionis, & glorificationis, tum animæ, tum etiam corpori, digne sumentium. Quod si literulam, *s*, expungeremus, & non *panis* sed *pani* legeremus, obscuritas omnis tolleretur, neq; vllius vocis, aut repetitione, aut repositione indigeremus.

XXX. Hic porro sensus, corpus nimirum in panem figuraliter & spiritualiter in Eucharistia mutari, & non panem in corpus, ex Euangelio optime confirmatur, vbi Christus ait: *Iohan.6.v.51.* Ego sum panis qui de cœlo descendi: certe de cœlo nullus panis descendit vt fieret Christus, sed Christus descendit vt fieret panis. Item ait, *Iohan.6.v.55.* Caro mea vere est cibus, & sanguis potus: Caro & sanguis sunt subiectum harum propositionum cibus & potus prædicatum: vt videlicet nos haberemus quod possemus vere & proprie manducare corporaliter, & inde sacramentaliter: Idem non panis comestibilis promittitur in carnem Christi incomestibilem corporaliter mutandus: sed è contra caro in sensu proprio incomestibilis, & sanguis impotabilis promittuntur in panem vere & proprie comestibilem, & in vinum vere & proprie potabile transmutanda, non profecto realiter, & corporaliter, quia tunc corpus Christi desineret esse corpus, si substantialiter in panem mutaretur, sed spiritualiter, virtualiter, typice & effectiue. Ita manna, figura celeberrima nostræ Eucharistiæ, quæ etiam vocatur, *Panis cœli, Psal.77.* *v.24.* supplebat miraculose pro vero pane, & dabatur loco panis, & efficiebat effectus panis, licet ipsa non esset realiter & substantialiter panis, sed manna: sic panis noster Eucharisticus, cum sit realiter & substantialiter panis, supplet tamen miraculose pro corpore Christi, & producit effectus spirituales corporis Christi. Est hæc tamen differentia, quod manna res cœlestis & miraculosa & quodammodo spiritualis in se, quia non erat, absolute loquendo, tota naturalis, licet Deus in ea producenda vteretur fortasse causis etiam naturalibus, dabatur ad præcipuum effectum naturalem & corporalem: Panis vero noster contrario modo, sed miraculoso, res de se sensibilis ordinaria & naturalis in Eucharistia detur nobis ad effectus insensibiles, spirituales, & supernaturales: per ipsam nihilominus comestionem sensibilem panis, & naturalem; & ita Christus infundit se in panem spiritualiter: non in se ipsum, hoc est, in corpus suum viuum & integrum transmutarà se remotum panem. Quod si quæras, quid sit hoc quod dicimus, corpus Christi dari spiritualiter in Eucharistia simul cum pane materiali sacramentali, respondebit Athanasius *de incarn.* corpus seu carnem Christi spiritualiter esse ipsum spiritum Christi: nam caro Christi, *inquit*, est spiritus viuificans, quoniam ex spiritu viuificante concepta est. Quod enim ex spiritu nascitur, spiritus est.] Et hunc locum inferius examinabo.

XXXI. Ita Hieronymus quoque *in Psal.109.* non panem in corpus, sed corpus in verum panem conuerti asserit, dum Christum Dominum sic alloquitur. Quomodo Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum, sic & tu offeres corpus & sanguinem tuum, verum panem & verum vinum.] Respondet Bellarminus *de Euch.lib.2.c.33.* corpus Christi dici verum panem, & verum vinum, non ratione naturæ, sed ratione effectus. Nam etiam panis Melchisedechi fuit ratione naturæ verissimus panis.] Ego quoque facile concedo ponendum esse discrimen inter panem Melchisedechi, & panem Christi: nam ad illius differentiam hic est panis verus, igitur in hoc sensu ille verus panis non erat. Hic enim verus panis est, & ratione naturæ, & ratione effectus duplicis, quia & corpus nutrit materialiter; & animam simul & corpus quoad dona spiritualia & supernaturalia, & præcipuum in hoc pane est alimonia spiritualis. At vero ille panis naturalis tantum erat, & effectus naturales faciebat: spiritualem vero effectum figurabat, sed non efficiebat. Interim tamen Hieronymus corpus & sanguinem Christi inducit ad panem & vinum, & non contra. Huc etiam respexit Rupertus Tuitiensis *in Ioan.lib.6.* dum in Eucharistia Verbum fieri panem hypostatice, licet inepte, asseruit tamen. Maluit enim affirmare corpus Christi, vt ita dicam, impanari, quam panem corpore Christi corporari. Cum itaq; Tertullianus terminum ad quem tendat Eucharistica consecratio faciat panem, in quem corpus Christi conuertatur, corpus vero Christi realiter, & corporaliter in panem transire nullo modo possit, præsentiam corporalem corporis Christi in Eucharistia non agnoscit, sed tantum spiritualem, & mysticam, sed cum effectibus corporis Christi realis.

XXXII. Opponit se tamen Bellarminus *de Euch. lib.2.cap.7.* neque sibi Tertullianum aduersarium esse potest pati: Scribit, *inquit*, ipse Tertullianus apud Hieremiam, per panem intelligi corpus Christi, quod in ligno crucis affixum fuit, idque à Christo fuisse explicatum, quando dixit, *Hoc est corpus meum.* Vbi necesse est per panem apud Hieremiam non accipere panem materialem, qui significet corpus Christi (vt hæretici loquuntur de pane Eucharistiæ) sequeretur enim panem fuisse

 fuisse

fuisse crucifixum, non autem ipsum Christum, si ita acciperemus eo loco panem, & Christus non de pane materiali dixit, *Hoc est corpus meum*, panis enim materialis non fuit crucifixus, neque in panem materialem missum est lignum, &c.] Respondeo panem materialem acceptum fuisse à Christo, vt esset figura corporis ipsius; & talis quidem figura, quæ etiam efficaciam haberet corporis eiusdem in spiritualibus spiritualiter. Lignum vero missum est in panem, non in panem materialem, qui erat figura, sed in illum panem figuratum, per figuram panis materialis. Et Christus de pane ipso materiali dixit, *Hoc est corpus meum*: quia in illo pane materiali ponebat figuram sui corporis realis, & illi pani materiali donabat vt secum ferret spiritualiter ipsum reale corpus Christi, non in figura, sed in efficacia & virtute, quæ spiritualiter panem ipsum materialem in digne vescentibus comitatur. Tropus itaque in Hieremia est in pane materiali, qui modo explicato sit figura: non in corpore Christi, qui dicatur panis, quia ad modum panis nutrit animas. Hoc non est esse figuram panis, sicut Deus inepte dicetur esse figura leonis, quia fortis est, neq; Deus est figura ignis, quia Deus noster ignis consumens est, &c. *Heb.* 12. 29. Sed figura Dei ex aliqua particula est leo, &c. Sic corpus Christi est figuratum panis, non figura: vt quod facit panis in corpore corporaliter, Christi corpus faciat in anima, profecto spiritualiter. Et figura mihi videtur seu per notior, & apertior figurato. Inepta igitur erit figura, si ex eo quod Christi corpus nutrit animam, quod de se est mysterium abditum & occultum, inde velimus colligere eodem modo, proportione, & similitudine, panem nutrire corpus; sed contrario modo est procedendum: & per nobis notas actiones per similitudinem ferimur in mysticas, abditas, & occultas. Neq; sequitur, quod ait Bellarminus, panem materialem esse crucifixum, si de pane materiali dixit Christus, *hoc est corpus meum*, quia satis est, quod corpus verum quod fuit crucifixum, figuraliter & virtualiter transfertur in panem illum materialem, quia sensus est: in hoc pane materiali ego colloco figuraliter & virtualiter meum corpus reale quod pro vobis datur & crucifigitur, & sic præsentia corporalis in pane sacro nulla est, sed figuralis duntaxat, mystica & virtualis, secundum prophetiam Hieremiæ, & pulcherrimam Tertulliani explicationem.

XXXIII. Verba quoque illa Tertulliani obscuriora Bellarminus ad se torquet, vbi ait Tertullianus, *Hinc intelliges corporis sui figuram panis dedisse.*] Quæ nos supra *num.* 29. exposuimus: sed Bellarminus non acquiescit. Non significant, *inquit*, Christum dedisse Apostolis figuram corporis sui, non ipsum corpus: alioquin non diceret, *corporis figuram panis*, sed *figuram corporis panem dedisse*. Significat igitur, *inquit*, Christum dedisse, id est explicuisse, siue implesse figuram corporis sui; quam in pane Hieremias posuerat: & sic ordinanda ait esse illa Tertulliani verba; Hinc intelliges corporis sui figuram, figuram, inquam panis, id est, in panis vocabulo latentem, Christum apparuisse.] Et confirmat id ex sequentibus Tertulliani verbis, *Cuius retro corpus, &c.* Vultque hic adesse antithesim talem; Sicut Hieremias panem dixit cum significare vellet corpus Domini, sic è contrario Dominus corpus suum esse dixit, cum panem vitæ discipulis daret.] Hæc Bellarminus nimium coacte, & violenter: vt *figuram dedisse*, sit *explicuisse*, seu *implesse*: vt figura panis sit id quod latet in vocabulo panis; vt antithesis sit, vbi nihil penitus antithesis verba sonant, sed sensum eundem continuatum ferunt, vt apparet legenti. Vertat se quocunque vult, Tertullianum habet acerrimum præsentiæ corporalis in Eucharistia hostem, qui optime dixit, Christum in vltima cœna sui corporis figuram pani dedisse; hoc est ipsum panem materialem ad figurandum suum corpus assumpsisse. Nec erat necesse vt diceret, *figuram corporis panem dedisse*: quia idem dicit, dum ait, *figuram corporis pani dedisse*. Et sic nihil hic agitur de expletione figurarum: sed figura Hieremiæ, ex ipsis Christi verbis explicatur & confirmatur, nimirum, panem materialem figuram corporis Christi gerere, & antithesis nulla est, sed continuatus idem sensus, hoc pacto; Hieremias olim in pane intellexit figurati corpus Christi, dum prædixit lignum mittendum in panem, hoc est in corpus per panem significatum: atque hoc ipsum confirmauit Christus quando pani corporis sui dedit appellationem; qui sensus vel grammatico cuiq; est obuius, & planus in verbis Tertulliani præsertim si legamus, *pani*, & non *panis*, vt iam multi legunt.

XXXIV. Alio quoque loco Tertullianus semper sibi similis de eadem re sic loquitur *lib. 4. contr. Marcion.* Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo.] Ac ne quis putaret ipsum his verbis transmutationem realem panis in corpus ponere, seu corporis in panem, explicans quid sit panem facere corpus, statim addit, hoc est, figura corporis mei.] Ita vt verba Christi, *Hoc est corpus meum* secundum Tertullianum hunc sensum faciant, Hic panis eatenus est corpus meum, quatenus est figura corporis mei. Quid ad hæc Bellarminus. Non significat, inquit, panem Eucharistiæ esse figuram corporis Domini, sed quod fuit olim figura in testamento veteri, nunc in corporis veritatem esse mutatum.] Bone Deus, quam remota est hæc periphrasis textus Tertulliani; *Hoc est corpus meum*, hoc est, *figura corporis mei*:] glossa Bellarmini; Hoc, id est hic panis, non qui manet, sed qui mutatur, quique olim fuit figura corporis mei, nunc est corpus meum.] Talibus glossis, & periphrasibus facile est peruertere quemcunque cuiuscunque Scripturæ locum & sensum. Sed Tertullianus quo sensu supra dixit, Christum in figura panis dedisse figuram corporis: eodem nunc ait, de pane Christum pronunciasse ipsum esse suum corpus, hoc est figuram sui corporis, modis supra explicatis. Quod vero hoc loco addit Tertullianus *Figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus*: sensus est, tunc quando Christus voluit vt panis esset figura sui corporis, figuram corporis nunquam habuisset, nisi ipse verum corpus haberet, & hoc contra Marcionem, qui veritatem incarnationis verbi in Christo non agnoscebat. Imbecillem igitur Bellarminus pro se confirmationem in verbo, *fuisset*, venatur: dixit Tertullianus, *fuisset*, & non dicit *esset*, non quia ad veterem figuram in Hieremia positam aspexisset, sed quia loquebatur de tempore præterito quo Christus discipulos communicans dixit in figura, *Hoc est corpus meum*; sicut neque sequentia illa verba de pepone, & de veteri figura Hieremiæ eo spectant, vt velit per ea Tertullianus docere figuræ veteris adimpletionem, quod contendit Bellarminus, sed suum sensum per hæc verba continuat, vt docet, Christum in pane sui corporis figuram non adimplesse vt veterem, sed posuisse & veterem confirmasse, eodemq; sensu de pane dixisse, *hoc est corpus*, quo sensu Hieremias tanto tempore antea corpus Christi panem vocauit.

XXXV. Adhuc insurgit Bellarminus, vt tela Tertulliani quoquo modo euitet, sequentiaque eius verba profert, ex quibus colligat in institutione Eucharistiæ, non figuram posuisse positam in pane, sed figuras veteres adimpletas per præsentiam realem corporis Christi; Tertullianus enim, explicans verba illa Genesis,

neſis, *cap. 49. 11. Lauabit vino ſtolam ſuam, & ſanguine vuæ pallium ſuum.* Stolam, *inquit, ibid. lib. 4.* carnem demonſtrat, & vinum ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit. Vt hæc vaticinia, *inquit Bellarminus*, & has figuras explicaret, dedit Chriſtus ſuum corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, & ſane ſi non verum corpus & ſanguinem re ipſa dediſſet, non recte explicuiſſet nec impleſſet vaticinia. Nam tam Hieremias per panem, verum corpus, quam Iacob per vinum, verum ſanguinem prænunciauit, vt Tertullianus dicit.] Hæc Bellarminus: Voluit idem ſaxum cum ſudore, nec proficit hilum. Figurarum, & vaticiniorum impletionem nullam tractat Tertullianus, *ibid.* ſed figurarum veterum continuationem, & confirmatiuam repetitionem, Vt autem, *inquit*, & ſanguis veterem figuram in vino recognoſcat, &c.] In ipſo vino à Chriſto propinato recognoſcit eandem veterem figuram, tum in prophetia Iſaiæ, *cap. 63. verſ. 2.* tum etiam, & multo melius, in vaticinio Iacob olim propoſitam. *Gen. 49. verſ. 11.* In vino figura replicatur, non expletur. Vinum enim non erat id quod figurabatur olim, ſed erat eadem figura quæ olim ſimiliter in vino, ſanguinem figurante, poſita fuerat. Ita nunc, *inquit Tertullianus*, ſanguinē ſuum in vino cōſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.] Id eſt, qui tunc vinum ſanguinis figuram habere voluit, vt ſit eadem figura in vino à Chriſto propinato, cum illa explicatione, *Hic eſt ſanguis meus*: quæ fuit olim in vino Iſaiæ, vbi Chriſtus figuratur tanquam calcans in torculari cum veſtibus vino tinctis & rubricantibus: & Iacobi, qui ait, Chriſtum lauaturum ſtolam ſuam in vino, & amictum ſeu pallium in ſanguine vuæ. Hic gradus ne[illegible] quos figurarum effingit ſibi Bellarminus: vt per ſanguinem vuæ intelligat Tertullianus vinum, in ipſo vuæ ſanguine figuratum; at vero vinum ipſum figuram deinde eſſe ſanguinis Chriſti, & ideo ad illum ſanguinem vuæ reſpexiſſe Tertullianum, quando dixit, Chriſtum nunc in vino ſanguinem conſecraſſe, qui tunc vinum in ſanguine figurauit. Mirum acumen: ſanguis vuæ erat figura vini, & poſtea vinum erat figura ſanguinis. At quis quæſo tam rudis eſt, qui ſanguinem vuæ non in[illegible]gat eſſe homonymum, non figuram vini. Figuratum eſt ſemper patens, & in ſuo proprio literali ſignificato diuerſum quid penitus à figurato. At quis quæſo ſanguis datur in vua viſibilis & apparens, qui ſit figura vini, & non ipſiſſimum vinum? Vinum ergo, & olim in Geneſi, & poſtea in Iſaia, & vltimo in vltima cœna, ac perpetuo in noſtra Euchariſtia ſemper eſt figura, & nunquam figuratum: olim ſignificatiua duntaxat, nunc etiam virtualis, & effectiua, ſed ſpiritualiter, ipſius Chriſti ſanguinis. Et hoc vult Tertullianus, iuxta cuius ſenſum Iacob ſtolam demonſtrat carnem, & vinum ſanguinem.] Sicut ergo ſtola in illo vaticinio Iacobi eſt typice & figuraliter Chriſti caro: ita ibidem vinum, quo ſtola infecta rubeſcit, typice ſignificat ſanguinem Chriſti effuſum, quo diuinum eius corpus in paſſione fuit totum cruentatum. Et eandem figuram agnoſcit Tertullianus in vino quoq; Euchariſtiæ, vt ſignificet Chriſti ſanguinem, & non vt ſit: ſicut neque vinum in vaticinio Iacobi, aut prophetia Iſaiæ erat ſanguis, ſed ſanguinem duntaxat ſignificabat. [illegible]cet in Euchariſtia habeat ſignificationem etiam efficacem, & virtualem, vt explicaui.

XXXVI. Nonum adhuc indicium conſiderat Bellarminus, *vbi ſup. cap. 7.* vt illam ſuam figurarum expletionem colligat & confirmet; quia, *inquit*, ex toto illius libri progreſſu conſtat, Tertulliani propoſitum eſſe oſtendere Chriſtum in Euangelio non deſtruxiſſe teſtamentum vetus, ſed illud impleſſe.] Sed relegat quæſo denuo totum librum, & videbit præcipuum libri inſtitutum eſſe aduerſus fabulam illam Marcionis, aſſerentis, alium eſſe Chriſtum quem Creator aliquādo miſſurus eſſet, ad reſtituendam rem Iudaicam; aliū, qui veniſſet ad aſſerendum genus humanum à Deo illis incognito reuelatum. At Tertullianus in eo maxime laborat, vt noſtrum Chriſtum verum Creatoris filium oſtendat, illum qui à Deo creatore in veteri teſtamento promittitur. Atque ad hoc correſpondentiam quærit inter Chriſti actiones in teſtamento nouo, & figuras ac prophetias veteris. Hæc vero correſpondentia non eſt ſolum in adimpletione figurarum, ſed eſt etiam in conformitate, & confirmatione, vbi mutuo ſibi Euangelium & lex atq; prophetæ conſentiunt & correſpondent. Audiamus Tertullianū quibus verbis librum hunc ſuum quartum claudat. Exhibuimus, *inquit*, Ieſum Chriſtum prophetarum doctrinis, ſententiis, affectibus, ſenſibus, virtutibus, paſſionibus, etiam reſurrectione, non alium quā Creatoris: Miſereor tui Marcion; fruſtra laboraſti. Chriſtus enim Ieſus in Euangelio tuo, meus eſt.] Non concludit quicquam de adimpletione veteris teſtamenti per Chriſtum, aut de ipſius non deſtructione: ſed Chriſtum eſſe filium Dei creatoris, quem nobis exhibet etiam vetus teſtamentum. Et hoc conſtat, non ſola figuratum ac vaticiniorum adimpletione, ſed etiam quacunque alia harmonia & correſpondentia; Vt quando probat, à Chriſto non fuiſſe reuelatum alium Deum præter creatorem. Item ex Dæmonum querimoniis, agnoſcentium Chriſtum pro ſuo iudice, *Matt. 8. 29. Veniſti perdere nos* colligit Chriſtum eſſe creatoris filium, illius qui in veteri ſcriptura creator omnium rerum deſcribitur, & dominus etiam Angelorum & Dæmonum: Creaturæ, ipſi Dæmones Chriſtum pro Domino agnoſcunt. Hic nulla eſt expletio legis aut Prophetarum, ſed ſolum correſpondentia. Sic de aliis.

XXXVII. Sibi tamen ex Tertulliano propitia quatuor adducit loca Bellarminus, quæ ſic habent: 1. *Tertull. l. 2. ad vxorem.* Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciuerit, panem non illum credit eſſe qui dicitur. Sentit ergo Tertullianus Euchariſtiam non eſſe panem materialem, licet id videatur eſſe Gentilibus, ſed eſſe Chriſtum. 2. *Idem de coro. mil.* Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur. 3. *Idem. de Reſurrect.* Caro abluitur vt anima emaculetur, caro inungitur, vt anima conſecretur; caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. 4. *Idem. lib. de idolat.* Proh ſcelus, ſemel Iudæi Chriſto manus intulerunt iſti, *mali Sacerdotes*, quotidie corpus eius laceſſunt; ô manus præcidendæ, &c.] Ad 1. Certum eſt, gentilem maritum non crediturum vxori aſſerenti ſe Chriſti corpus in pane prægustaſſe. Sed cur ei id myſterii vxor reuelet, quam omnino omnia myſteria Chriſtianorum celare iubet ibidem Tertullianus? Quid mali, quid incommodi ſequitur vxori, ſi maritus gentilis hoc ei non credat? Nullus ergo hic ſermo de præſentia reali corporis Chriſti in pane Euchariſtico; ſed Tertullianus cupiens diſſuadere fœminis Chriſtianis connubia cum viris gentilibus, inter alia incommoda illud exaggerat; myſteria noſtra non ſunt gentilibus, prodenda, ne margaritæ porcis proiiciantur & irrideantur; Tu vero quæ gentilem ſis habitura maritum, ſperaſne adeo ſecreto Euchariſtiam ſuis temporibus ſumpturam, vt id virum lateat? Certe vix. Tunc enim (vt ex hoc etiam ipſo loco colligitur, & ex aliis, de quibus infra) occupatiores præſertim, Euchariſtiam à Presbytero in publica ſynaxi accipiebant, & ſecum in linteo do-

mum ferebant, ibique maiori cum commoditate, & priuata deuotione communicabant, & ante cibum communem sumebant. Ideo ait Tertullianus, quomodo id clàm suo marito faciet vxor? Ettamen tenetur hæc mysteria ei occultare. Quid igitur facies, inquit, si ille sciuerit, te panem quendam non domesticum seorsim clam illo in domum intulisse? Dices forte, esse panem sacrum quem tua religio comedendum præcipit, & per Ecclesiæ Præpositos ad diuinum cultum fidelibus distribuit? Sed non propterea te iurgijs, & turbis domesticis liberabis: nam ille non credet te talem panem tecum in domum ex Ecclesia detulisse, id est, sacrum & religiosum, sed suspicabitur, te aliquid contra ipsum machinari, & fortè fortè te venenatum panem aliunde adferre, vt ipsum aliqua data opportunitate interficias. Vnde & subdit Tertullianus. Et hæc ignorans quisque rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis, an veneni?] Quod si etiam acquieuerit & crediderit illum panem esse Ecclesiasticum, & ex religione Christiana qualem tu dicis, adhuc tibi nulla quies: nam vel inculcabit, inquit, hoc est, obiurgabit & reprehendet quod his prætextibus curam domus interim deseras: vel illudet & sannis ac ludibrijs affliget. Itaque sermo perpetuus est de pane, & quidem pane existente, sed à communi & ordinario solo sacramento differente.

XXXVIII. Ad 2. & 4. Panis, inquit, nostri, id est, communis, qui etiam ipse, nedum Eucharisticus, tractatur cum quadam reuerentia, vt non pedibus teratur, neque conculcetur: quanto magis panis ipse sacer, & Sacramentalis, qui illud habet donum, vt cum ipso Christo corpus spiritualiter sumatur, sitque iam actu figura, & figura efficax corporis Christi: Ex quo etiam, quia nimirum panis Eucharistiæ talis figura est, oratorie merito amplificatur, illos qui indigne panem hunc tractant, esse in Christi corpus iniurios. Et de talibus dicebat Paulus, eos non diiudicare corpus Domini, hoc est, non considerare panem illum esse figuram, & sane efficacem corporis Domini, sed illum perinde tractabant ac si esset panis communis, & ordinarius. Ex reuerentia itaque quam pani illi exhibemus, non potest colligi realis præsentia corporis Christi: Sic olim arcam ligneam tangere fuit Ozæ capitale: num propterea arca erat corpus aliquod diuinum? Et nos corporalia calicesque nolumus à laicis tangi, & eorum ablutiones in Sacrarium vergimus, num ideo colligemus ipsa corporalia & vasa esse corpus Christi?

XXXIX. Ad 3. Caro vescitur corpore Christi, id est, figura corporis Christi, quæ tamen secum feat spiritualiter ipsum corpus Christicum suis effectibus, nō solum erga animam, sed etiam suo modo erga corpus vescentis, quod ad resurrectionem, & immortalitatem inde præparatur, modis supra explicatis. Frustra ergo obijcit Bellarminus, si panis hic sit tantum figura corporis Christi, resurrectionem quoque non fore nisi metaphoricam. Est enim figura non nuda, sed efficax, quæ secum ferat dona corporis Christi, & pro anima, & pro corpore. Iam satis de Tertulliano, qui profectò apertissime, vt vidimus, præsentiam realem corporis Christi ab Euchar istia excludit; nam corpus Christi nō agnoscit in Eucharistico pane adesse, nisi figuraliter.

Appendix Ad Tertvllianvm.

1. Locus primus ex Tertulliano à Plessæo productus, quemque ipsius Achillem vocat Perronius, est ille quem ego fuse supra *num.* 34. *& seqq.* pertractaui, & à Bellarminiana impetitione, quam iam Perronius vrget, vindicaui. Tertullianus, *l. 4. cont. Marcio.* ad ea Christi verba, de pane prolata, *Hoc est corpus meū*, addebat suum glossema tale, hoc est, figura corporis mei.] Quo nihil clarius contra realistas: quid Perronius? idem quod Bellarminus; hyperbaton, inquit, est, sicut quando scripsit idem Tertullianus: *ad Prax.* Christus mortuus est, id est vnctus: & Chrysostomus, *in Matt. hom.* 55. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est fidem, atque confessionem.] Prout ex Latina versione legit aliquando Plessæus. Contra hanc hyperbaticam locutionem satis disputaui in superioribus, pro illa vero fuse ad nauseam, imo confuse disserit Perronius. Sed vere, neque verba, neque scopus Tertulliani ferunt illud hyperbaton. Non verba, quia ipse quoque Perronius *pag.* 934. fatetur esse supplendas has duas dictiones (*quod erat*) sine quibus hoc hyperbaton nullum sensum faciet, at penitus corrumpet totum locum Tertulliani. At vbi est nudum hyperbaton, sensus seruatur perfectus, si transposita verba suo proprio loco collocentur, absque vlla aliorum verborum ab extra suppletione: Sic illud Tertulliani hyperbaton, *Christus mortuus est, id est vnctus*, sola repositione sensum facit perfectum, si dicamus; *Christus, id est vnctus, mortuus est.* Ita in Chrysostomo, si dicas, *Super hanc petram, id est fidem atque confessionem ædificabo Ecclesiam meam.* At vero si locum hunc Tertulliani ita quis efferat absque hyperbato; *Hoc, hoc est, figura corporis mei est corpus meum*: locutionem faciet valde rudem, imo & ineptissimam. Nam de pane illo, quem in manibus habebat diceret Christus, Hic panis, qui est figura corporis mei, est corpus meum. At figuram esse rem figuratam quis vnquam dicat? Præterea, hoc hyperbaton sumit particulam, *hoc*, expresse pro pane illo qui erat in manibus Christi: at nullus realista admittit per particulam, *hoc*, significari panem: omnes enim falsum esse dicunt, Panē esse corpus Christi. Propterea Perronius supplet illa verba (*quod erat*) quod si fuissent necessaria, vt omnino necessaria sunt, ad faciendum sensum Perronianum, Tertullianus procul dubio in suo hyperbato expresse posuisset, & verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum*, suum glossema addidisset, sic, *hoc est, hoc quod erat figura corporis mei*: cum autem tale non sit hoc glossema, sed aliud, ipsumque immediate hæreat corpori, & planum sensum faciat, absque hyperbato, profectò glossema hoc ideo additum est à Tertulliano, quia plane falsitatem videbat in illa propositione, *Panis est corpus*: verū ergo sensum illius posuit illo glossemate, vt panis sit corpus, hoc est, figura corporis.

2. Circa scopum vero Tertulliani ex quo Perronius conatur suum hyperbaton defendere, non ero in hac Appendice adeo solicitus, quia ipsum scopum satis indagaui & aperui contra Bellarminum *num.* 35. Nego enim scopum Tertulliani esse, probare figuras legales in Euangelio à Christo fuisse adimpletas. Audiamus propositum ipsius initio huius quarti libri: Confiteor alium ordinem decurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in noua apud Christum. Nonnego distare documenta eloquii, præcepta virtutis, legis disciplinas, dum tamen tota diuersitas in vnum & eundem Deum competat, illum scilicet, à quo constat eam dispositam, sicut & prædicatam.] Scopus igitur Tertulliani est, ostendere eundem Deum esse autorem veteris & noui Testamenti, & illius Dei, qui erat Patrum illorum Deus, Christum esse filium, & non alterius Dei, ac proinde vnum & eundem esse Redemptorem datum mundo à Deo, & liberatorem promissum Israeli. Nam

li. Nam his contraria docebat Marcion. Intentum vero probat Tertullianus multum ex veterum figurarum continuatione cum Euangelio, sed etiam ex solo Euangelio non semel. Inseruiunt itaque ei adimpletiones per Christum factæ, non tam quia adimpletiones sunt, quam quia mutuam habent correspondentiam, ex qua constet Christum esse illius Dei filium, vt clare ostendi *nu.* 36. Ex longa tamen illa & satis molesta ac importuna Peronij disputatione pro illo hyperbato aliquot obiectiunculas colligam & dissoluam.

3 Prima reprehendit Tertullianus Marcionem, quod non intelligeret, panem veterem figuram fuisse corporis Christi.] In his Tertulliani mentem ait esse, conuincere Marcionem, quod falsum diceret ipse, quando asserebat Christum venisse, vt solueret, & destrueret legem: siquidem panem qui erat in lege figuram sui corporis, suum corpus faciebat.] Fingit profecto Perronius, vt nos decipiat, se non aduertisse ibi Tertullianum reprehendere Marcionem, non de subuersione legis per Christum facienda, de qua ne verbū quidem ibi Tertullianus, sed de negatione veritatis corporis Christi; iam enim contra hanc hæresim argumentum Eucharistiæ conuerterat, & id ex prophetia Hieremiæ confirmabat, videlicet Marcionem non intellexisse panem illum propheticum, *Hierem.* 11. 19. Venite, mittamus lignum in panem, &c. significasse verū corpus Christi, quod fuit in ligno crucifixum. Quid hoc ad expletionem figurarum panis, in exhibitione materiali corporis Christi in Eucharistia?

4. Secunda, *pag.* 923. quicquid loquitur de figuris Tertullianus semper loquitur de figuris veteribus, nunquam de Euangelicis: cur ergo panem Eucharisticum vocabit figuram corporis? Respondeo falsum est, Tertullianum nihil aliud afferre nisi expletionem in Euangelio, figurarum veteris testamenti. Affert enim eo libro quarto vndecunque potest argumenta, contra duas hæreses Marcionis, de Deo creatore, & de veritate carnis Christi. Sed priorem potissimum exagitat, posteriorem non nisi incidenter, vt obseruaui *num.* 36. & ex solo Euangelio non pauca profert argumenta. & interdum hoc pacto concludit: Habes itaque Christum vltro vestigia vbique creatoris insequentem.] Quæ ergo erat necessitas Tertulliano, figuras antiquas panis commemorare, ac fugere nouas si nihil aliud conabatur, nisi vndequaque colligere, ab eodem Deo vtrunque testamentum esse conditum, & Christum esse filium Dei creatoris? Hoc autem probabat Tertullianus eo inter alia argumento: quod Christus desiderauit Pascha comedere vt suum, inquit Tertullianus, & addit, Indignum enim, vt quid alienum concupisceret Deus: ex quo vult colligi, illum esse Deum creatorem, & Dominum totius creaturæ, nec non executorem in suo filio antiqui Paschatis à se instituti, in figuram filii sui, mundi Redemptoris, & in hoc ponit figuram veterem, & ipsius in Euangelio adimpletionem. Et hac occasione, quia in eadem cœna institutum est Eucharistiæ Sacramentum; incidenter ex eo hæresim Marcionis de veritate corporis Christi redarguit.

5. Tertia, *pag.* 924. *à tergo*, scopus Tertulliani est, in quarto libro, ostendere, Christum venisse vt impleret legem, non vt eam destrueret, quod Marcion asserebat.] Ego vero satis iam ostendi, hoc esse falsum. Fateor equidem Marcionis fuisse illum errorem, quia Christum faciebat filium alterius Dei, & non illius creatoris qui in veteri testamento est legislator: huius enim filium dicebat esse illum, qui liberator Israeli promittitur, alium sane à Christo. Hunc vero errorem satis conuellit Tertullianus, dum probat, eundem esse Deum eundemque filium: Et quia est idem, ideo probat pluribus exemplis, & factis Christi, illum legem adimplesse, non destruxisse. Sed vbi assumit hoc argumentum ex Eucharistia, ex vsu, & dominio creaturæ panis & vini, innuit esse creatorem, non ex vlla impletione figuræ panis; & statim transit ad aliam hæresim de veritate corporis Christi, vt iam dixi, & dicam inferius.

6. Quarta, *pag.* 925. De veritate corporis obiter, & non directe dixit aliquid Tertullianus, tanquam ad ipsius institutum directe non pertinens.] Ego quoque puto occasionaliter & incidenter, quia Eucharistia in quam iam ingressus erat, ei suppeditabat argumentum etiam contra hæresim Marcionis, de veritate corporis Christi, ad eam reprehendendam diuertisse. Imo illa omnia verba, de quibus est tota hæc disputatio, videlicet, *Acceptum panem, & distributum, &c.* cum viginti circiter lineis sequentibus, mihi nunc tandem planum est, ad solam hanc hæresim, de corpore Christi confutandam spectare, & hunc solum in his esse scopum Tertulliani licet incidenter, & digressiue; qui scopus quia non nimium proderat Perronio, ideo libenter ipse, dum integrum locum Tertulliani se referre profitetur *pag.* 926. adiecto suo &c. non pauca ad hunc scopum pertinentia bis detruncauit. Stante autem hoc scopo, effugium illud de figura corporis per hyperbaton ei totum perit. Mirum profecto illud, quod aperte fatetur Perronius, hanc esse digressionem & extra directum Tertulliani tractatum: hunc vero directum tractatum vult esse, vt probet Christum figuras veteres adimplesse. Quomodo igitur hæc verba de figura corporis, spectabunt ad directum tractatum de figuris & earum adimpletionibus, si sunt parerga digressiua & extra filum tractationis?

7. Quinta, *pag.* 928. *à tergo*, Ex integro loco Tertulliani monet lectorem, vt colligat, totum conatum Tertulliani esse, ostendere, Christum venisse vt adimpleret legem, eamque transferret ab vmbra ad Corpus.] Ego vero moneo lectorem, vt colligat id quod in ipso Tertulliano inueniet, non quod Perronius colligendum esse contendit. Locus quem refert, sed bis mutilum, vbi maxime oportebat esse integrum, incipit ab illis verbis Tertulliani, non longe à fine quarti libri. *Erant & loca alia apud Hierusalem, &c.* Quo loco Tertullianus vsque ad ea verba de quibus nunc dissérimus, totus est, fateor, in applicandis variis prophetiis, quæ ad actiones Christi circa tempus passionis contigerunt, vt præcipuum suum intentum probaret, de conuenientia inter vtrumque testamentum, vt sic idem vtriusque Deus esse conuinceretur; quæ vero inde sequuntur, etiam cum omissis à Perronio, apertissime ad veritatem Christi corporis euincendam faciunt omnia; in quibus medietas saltem totius loci à Perronio recitati consumitur.

8. Sexta, *pag.* 929. verba Tertulliani quæ exagitamus, sunt colligata à Tertulliano per particulam, *itaque*, quæ est particula ratiocinatiua, & fibula orationis, quæ ostendit textum subsequentem esse continuationem & confirmationem inductionis præcedentis. Ita vt probatio huius thesis, *Christus figuras legis adimpleuit*, contineatur in hac hypothesi, *Christus fecit panem suum corpus.* Hæc autem duo non possunt per aliud medium inter se colligari, quam huius aut æquipollentis propositionis, *Panis sub lege erat figura corporis Christi*: quia vtraque extremitas debet continere medium terminum: atque inde format Syllogismum talem; Christus fecit panem suum corpus, sed panis erat figura legalis sui corporis, Ergo Christus adimpleuit

impleuit figuras legales: seu si inuertatur, inquit, argumētum, hoc pacto; Christus adimplere debebat legales figuras, sed panis est figura legalis sui corporis, Ergo munus suum adimpleuit, dum fecit panem suum corpus: & hoc esse non potuit, nisi clausula illa, *Hoc est figura corporis mei*, æquipolleat huic propositioni, Panis erat figura legalis corporis Christi.] Tota hæc Logicatio reijcienda esset ad Summulistas: quorum profecto nullus, aut regulas illas approbaret, aut Syllogismos illos admitteret; vterque enim quinque saltem terminis constat: nimirum, *adest, Christus, panis, figura legalis, figura corporis, & adimpletio figuræ*. Copulæ autē propositionum præter verbum, *est*, adsunt verba, *facere, adimplere, & debere*. Quadraturam circuli geometricam facilius & citius profecto inuenirem, quam modum & figuram horum Syllogismorum.

9. Quorum vero syluestris hæc Logica? quorsum Syllogismi? quia adest verbum, *Itaque*. Semperne igitur adest Syllogismus aliquis, vbicunque est verbum, *Itaque*? Adsit is, nolo contendere. Videamus Tertullianum suam orationem fibulantem; Passionem Christi, *inquit*, lex figurat: nam Pascha erat Domini: ideo & affectum suum ostendit; Concupiscentia concupiui hoc Pascha,— ipse erat, qui tanquam ouis ad victimam—figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat.] & cum narrasset prædictiones propherarum de traditore suo familiari, & de pretio etiam triginta argenteorum, statim hæc subdit; Professus itaque, se concupiscentia concupiuisse edere Pascha, vt suum, (indignum enim vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, &c.] Quid ligat fibulo illa, *Itaque*? Ego puto hoc loco esse continuatiuam duntaxat particulam, non illatiuam. Ligat ergo continuando sermonem de actionibus Christi, quibus correspondentes in veteri testamenro habebantur vel prophetię vel figurę vt inde pareat, præcipuum intentum esse eundem Deum vtriusque testamenti; eundemq; datum in nouo, promissum in veteri liberatorem. Sed sit, inquam, illatiua: quis vnquam vidit illationem ligare sequentia, & non potius præcedentia? Proponi quidem potest conclusio & deinde probari, sed inferri non potest nisi ex præmissis. Præmiserat porro tertullianus vt ostendi, Pascha Iudæorum figurasse Pascha passionis Christi? Atque vt probet etiam in Paschate adesse correspondentiam, illudque Pascha verus vere dictum esse Domini, ait, *Professus itaque se concupiscentia concupiscere, &c.* Hæc est fibula Tertulliani, adimpletio figuræ Paschatis; non fabula Perronii, adimpletio figuræ panis. Nam de pane aliquid subsequitur, at nihil præcedit particulam *Itaque*, præcedit autem *Pascha*: Et particula, *Itaque*, connectit Pascha subsequens, cum Paschate præcedenti; & si vult thesim ac hypothesim, cum allegatione aliqua syllogistica, erit hoc pacto. Thesis est, testamentum nouum & vetus inter se vniri cum optima correspondentia: hypothesis erit, Pascha Christi, correspondet Paschati Iudæorum. Syllogistice vero vna extremitas est, *testamentum vetus & nouum*; altera extremitas est, *sibi correspondere*; medius terminus est, *Pascha*. Hinc talis posset formari in Tertulliano Syllogismus expositorius in tertia figura: Pascha Christi, & Pascha Iudæorum sibi correspondent, Sed Pascha Christi, & Pascha Iudæorum sunt nouum & vetus testamentum: ergo nouum & vetus testamentum sibi correspondent.

10. Thesis porro illa Perronii cum hypothesi, nullo modo conuenire possunt cum verbis Tertulliani; Primum, quia nulla præcessit panis mentio qui fuerit figura corporis Christi: Secundo, quia panis ille de quo ait Christus esse ipsius corpus, non erat panis veteris testamenti, sed noui; non ergo poterat esse figura veteris testamenti, tunc per Christum adimplenda. Tertio, quia non omnis panis in veteri testamento indifferenter fit figura corporis Christi, sed panis certus & designatus, puta Melchisedechi, propositionis, & si quis talis alius, & de nullo tali pane facta est à Tertulliano mentio, cuius figuram voluerit Christum adimplesse. Et si diceret Tertullianus, id quod cum dicere cogit Perronius, sensum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, esse talem: hic panis, videlicet qui in testamento veteri erat figura mei corporis, est corpus meū, profecto satis inepte loqueretur. nam vel ita loqueretur, de pane illo indiuiduali, vel de pane in specie, quod solemus dicere in genere. Si de indiuiduali, clarum est illum non fuisse figuram in veteri testamento. Si de pane in suo genere, clarum etiam est, panem in genere in veteri testamento non fuisse figuram corporis Christi. Si ita esset, panis fermentatus qui in celebratione Paschæ debebat abesse à Domibus, *Exod.* 12. 19. significasset quoque corpus Christi, & tamen panem illum Paulus 1. *Cor.* 5. 8. vocat panem malitiæ & nequitiæ: non diceret Psalmus, 79. *v.* 6. Cibabis nos pane lachrymarum: neque, *Psal.* 119. 18. Cinerem tanquam panem manducabam: neque, *Psal.* 126. 2. Surgite qui manducatis panem doloris: neque daret Deus aliquibus panem arctum: *Isa.* 30. *vers.* 20. neque Malachias, *cap.* 1. 7. diceret offerri super altare pollutum panem, &c. Non est ergo cur sibi tantopere complaceat Perronius in hoc tam vano commento, & leuissimo hyperbato.

11. Septima, *pag* 930. Glossema illud Tertulliani, *hoc est, figura corporis mei*, pertinet ad figuras legales, quia statim subdit: figurata autem non fuisset, nisi *veritas* esset corpus.] Dixit *fuisset*, in præterito, & non *esset* in præsenti quia figuræ legales erant præteritæ. Euangelicæ vero præsentes. Neque hoc vnico loco ita loquitur Tertullianus, sed pluribus aliis in toto hoc sequenti discursu; ait enim, Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem.] hoc est tempore Hieremiæ, cuius verbis refellebat Tertullianus id quod iam contra Marcionem probauerat *lib.* 3. Panem videlicet in veteri testamento significasse corpus Christi. Ait etiam. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit.]

12. Ex his tribus dictis collegit, Tertullianum in illo glossemate, de quo iam disputamus, intellexisse figuras legales veteris testamenti. Ego vero ad primum dictum iam respondi, ante hanc appendicem *num.* 34. respicit enim tempus præteritum, nimirum quo Christus suos Apostolos pane sacro communicabat, tametsi non sit insolitum, vt præteritum pro præsenti ponatur.

13. Ad alterum dictum respondeo; sermonem ibi esse de Prophetia Hieremiæ, ex qua Tertullianus conuincit Marcionem, Christum habere verum corpus: quia Prophetia illa per panem & lignum significabat corpus Christi & crucem: ait in crucem agi non potest nisi verum corpus. Quod si hoc loco agitur de pane expresse in Propheria Hieremiæ nominato, & consequenter de pane olim expresse prophetato, non propterea sequitur, etiam in primo dicto, de quo est præsens disputatio, agi de pane qui fuerit legalis figura, cum præsertim in hoc loco sermo sit de prophetia panis, non de pane figura; at prior locus controuersus est de pane figura. Hieremias enim corpori Christi vero, posuit tropice nomen panis: at vero Christus contrario modo pani Sacramentali dedit nomen corporis,

quia

quia videlicet, vt est glossa Tertulliani, ipsum panem voluit esse figuram sui corporis. Ait igitur Tertullianus, quod Christus antiquitatis illuminator, dum panem vocat suum corpus, satis significat Hieremiam nomine panis in illa prophetia, *Venite mittamus lignum in panem eius*, corpus Christi significasse. Cum igitur & Hieremias prædixerit corpus Christi crucifigendum, & vere corpus Christi fuerit crucifixum, sequitur testamentum nouum & vetus sibi correspondere, & consequenter vtrunque esse ab eodem Deo. Sequitur etiam, corpus Christi verum fuisse & non phantasticum, quia & vere crucifixum est, & Hieremias ipsum vere crucifigendum prædixit, & hoc est quod contra Marcionem vrget Tertullianus: non autem panem in lege fuisse figuram corporis Christi: nam si id intendisset, profecto omnia loca ex veteri Scriptura attulisset, in quibus panis in figuram corporis Christi adhibetur, & tamen hoc in Tertulliano nusquam reperitur.

14. Ad tertium dictum respondeo ex alia quoque prophetia, eandem & correspondentiam inter nouum & vetus testamentum, & veritatem corporis Christi probare: protulerat enim prophetiam *Gen. 49. vers. 11.* Iacob. correspondentia vero est, vt ille ipse qui tunc per os Iacob nomine vini sanguinem Christi figurauit, nunc in vltima videlicet cœna Christi, vinum rursus in sanguinem consecrauit. Hoc igitur loco fateor, sicut & proxime præcedenti à me explicato, Tertullianum proferre figuram Scripturæ veteris, non legalem, sed ante legem conferre cum facto Christi illi figuræ respondenti; quod non est in primo illo dicto quod iam examinauimus, quia nullam figuram, nullam prophetiam ibi de pane protulerat, quando dicebat, panē à Christo porrectum fuisse corpus Christi, quia erat figura corporis Christi. Est ergo glossema Tertulliani, explicans immediate verba illa Christi, *corpus meum*, hoc est, inquit, figura corporis mei; nam de nullo alio pane præcessit vlla aut prophetia, aut figura cum qua compararet panis in Eucharistiam consecrationem; subsecuta quidem est vnica figura seu prophetia de pane veteris legis, in Hieremia: at vero illi non Eucharistiam Tertullianus, sed crucifixionem posuit correspondentem.

15. Octaua *pag. 936. à tergo*, glossema illud Tertulliani de figura corporis, intelligendum est de figura legali, quia statim post opponit Tertullianus hanc alternatiuam. At si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate.] Quibus, inquit, confirmat Tertulliani veram & integram rationem, cur Christus elegerit panem quem faceret suum corpus, fuisse comprobatam in antecedenti discursu: nam particula, *aut*, est disiunctiua, ostendens sermonem antecedentem, & consequenter, esse duos ramos oppositos ratiocinationis alternatiuæ, & singulos in se completos; adeoque, siquidem in verbis sequentibus contineretur falsa ratio, quam allegabat Marcion, cur Christus fecerit panem suum corpus; scilicet, quia carebat alio vero corpore, in præcedentibus contineri veram & integram rationem Tertulliani, ad idem videlicet Christum fecisse panem suum corpus, quia venerat ad implendas figuras legis: Panis autem in lege erat figura corporis eius, quod non potest consistere, si hæc verba, *Hoc est, figura corporis mei*, non exponuntur de figura legali.] Hæc satis verbose Perronius, ex Logica, ex Grammatica, ex sophistica, vndecunque potest, opem emendicat, vt Tertulliani clarissimum & apertissimum dictum de corpore Christi figuraliter in Eucharistia, obscuret, obnubilet, inuertat, peruertat, & destruat, ne ipsi & reliquis realistis obsit. Tam longa apud ipsum, tam importuna, tam varia, tam inconstans, tam dura, tam violenta, tam difficilis differratio super tribus verbulis Tertulliani, *figura corporis mei*, hoc ipso conuincit locum esse realistis admodum difficilem, ac penitus insolubilem. Iam igitur has quoque octauæ particulæ morosissimi discursus subtilitates in nihilum redigamus.

16. Somnia sunt isthæc omnia, vana commenta, simplicium fascinatio. In loco Tertulliani tanta arte producto, totque dolis obuoluto, nulla est ratiocinatio alternatiua, nulla Marcionis propositio, nulla ibi ratio quæritur, aut assignatur cur Christus panem fecerit suum corpus. Nihil penitus horum, quæ hic inculcantur à Perronio, in loco Tertulliani producto aut discusso est reperire, omnia excogitata, omnia vana, & quod peius est, fraude aliqua ingeniosa & dolo non carentia.

17. Verba Tertulliani mutila, truncata, imperfecta protulit Perronius, & incompletæ sententiæ, perinde ac si integra essent, & aliquam absoluerent orationem: Quis, quæso sensus perfectus potest esse in his verbis: *Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate?* Profecto nullus, nisi suspensus, inde tamen alternatiuam quandam falsam Marcionis propositionem sibi confinxit Perronius, & ea sic parum admodum fideliter vertit gallice tanquam sensu perfecto. Ant sane, si causa cur Christus fecit panem suum corpus fuit, quia non habebat verum corpus: Ac quemadmodum in superioribus ex dictione, *Itaq.*, ratiocinationes quasdam cum suis Syllogismis, parum fæliciter confinxit Perronius, ita nunc ex particula, *aut*, alias nihilo certe fœlicius confingit. Tertulliani locus integer, integrum sensum faciens, est hic; Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus: cæterum vacua res, quod est phantasma figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis: faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur.] Enumerabat toto libro quarto Tertullianus plurimas Christi actiones in Euangelio, respondentes figuris & prophetiis; & simul cum illis colligatas, vt idem esse Autor vtriusque testamenti conuinceretur: venit tandem ad postremas actiones ad finem vitæ Christi: vna præcipua fuit Eucharistiæ institutio, ex ea non modo Paschæ correspondentiam considerauit, sed obiter & data occasione etiam veritatem corporis Christi aduersus eundem Marcionem colligebat, quia de pane dixit Christus, illum esse corpus ipsius. Noluit Tertullianus inde argumentari, si panis erat corpus Christi, Ergo Christus habebat verum corpus; quia bene sciebat, & ipse & Marcionitæ, panem Sacramentalem non esse verum corpus Christi materialiter, sed tantum figuraliter, ideo addidit illud glossema, *Hoc est, figura corporis mei*: quia ex hoc ipso quod Christus fateatur, panē illum Eucharisticum esse figuram corporis sui, volebat argumentari contra Marcionem, Christum verum corpus habere: atq; hoc argumentum format statim illis verbis. Figura autem non fuisset, nisi veritatis corpus esset. Nam si aliquid est figura alicuius rei, oportet illam rem esse: figuræ enim non figurant ea quæ in rerum natura non extant, sed sunt phantasmata, res apparentes & imaginariæ. Cæterum, inquit, vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Cum ergo panis Eucharistiæ esset, vel ipso Christo teste, corpus ipsius, hoc est figura corporis, profecto

Christus

Christus habebat verum corpus, quia figura figurans corpus, figurat verum corpus, & non phantasticum, nec imaginarium. Et quia potuisset respondere Marcion, Christum dixisse panem esse ipsius corpus, non quia panis esset figura sui corporis, quod nullum verum habebat, sed quia cum nullum verum corpus haberet, fingere voluit sibi corpus in pane; tunc, inquit Tertullianus, necesse fuit, vt panis traderetur pro nobis, siquidem Christus dixit, panem esse corpus ipsius quod tradetur, & consequenter panis etiam fuisset crucifixus, non verum corpus Christi: & hic sensus est clarissimus in illis verbis Tertulliani: *Aut si propterea*, & sequentibus à me recitatis. Ex quibus adhuc multo clarius redditur, Tertullianum glossam illud, de quo adhuc disputamus pani Eucharistico, qui erat in manibus Christi, addidisse, ipsum fuisse corpus Christi, hoc est figuram corporis Christi, quia de hac ipsa figura totus est ille Tertulliani discursus, vt ostendi. Particula igitur illa disiunctiua, *aut*, facit hanc disiunctionem, & alternatiuam; Panis Eucharisticus aut est figura veri corporis Christi: aut panis debuit tradi & crucifigi. Et ita non modo Tertullianum habemus asserentem, panem Eucharistiæ non esse verum corpus Christi, sed figuram duntaxat veri corporis Christi; sed etiam hoc ipsum probantem & demonstrantem argumento hoc alternatiuo. Et hæc non est dubium Petronium vidisse, sed contra conscientiam voluisse ea suis dedita opera adinuentis commentis obtenebrare.

18. Nona *pag* 931. *à tergo*, Tertullianus exprobrat Marcioni; quod non intellexerit panem fuisse veterem figuram corporis Christi, vt sic confirmaret, se glossam illud intellexisse de pane veteri figura corporis Christi. Tertulliani verba sunt: Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam, &c.] Exprobrat quidem, quod non intellexerit in Hieremia *cap.* 11. *vers.* 19. panem illum in quem lignum erat ponendum, figurasse verum Christi corpus, vere crucifigendum. Si enim id intellexisset, non negasset Christo verum corpus. Non tamen exprobrat, quod non intellexerit panem Eucharistiæ esse verum corpus Christi; quia in Eucharistia impletur aliqua figura vetus panis, qui olim significauit corpus Christi. Itane ex vno singulari, aliud singulare, aut probatur, aut reprobatur? Protulit figuram certam & particularem quam non intellexerat Marcion: at nullam figuram certam veterem protulerat, quam in Eucharistia adimpleri non intellexerit Marcion. Indignæ profecto tyrone Theologo sunt tales deductiones scripturales.

19. Decima, *pag*. 932. Omnia loca huius libri tractant de figuris legalibus, & propheticis; non ergo poterat Tertullianus vrgere vllum aliud genus figurarum, nisi extra oleas vagando, nam nulla tunc erat inter ipsum & Marcionem quæstio de figuris Euangelicis; nec quicquam adeo exportasset Marcion, quam posse elicere ab aduersariis, Christum fuisse vsum hac voce, *Corpus*, ad significandam figuram sui corporis, vt ipse posset deinde extendere hanc glossam ad reliqua loca, vbi Christus de suo corpore & sanguine loquitur, & colligere, sicuti ei iam Tertullianus exprobrarat, Christum fuisse hominem in figura & non in substantia.] Respondeo, Petronium aut non legisse totum hunc librum, aut falsum dedita opera profiteri. In hoc lib. 4. vt ostendi ante hanc Appendicem *num.* 36. & in hac appendice toties repetii, multa proponuntur argumenta, ex conuenientia inter Euangelium & veterem scripturam, in figuris potissimum, & prophesiis, vt vnicus Deus, idemque Autor vtriusque testamenti probaretur: interim tamen ex solo Euangelio etiam idem sæpius probatur vide *num.* 36. Neque extra oleas vagatus est Tertullianus, vbi arrepta occasione ex Eucharistia, veritatem corporis Christi, argumento à me iam exposito, contra hæresin Marcionis confirmauit; & hanc veritatem non ex veritate corporis Christi in Eucharistia, quam neq; credebat, neque tueri poterat, sed ex oratione figuræ demonstrauit: quia figura est rei veræ figura. Neque poterat Marcion quicquam arripere, vnde suam hæresin stabiliret contra veritatem corporis Christi. Modo ne dicat quis Orthodoxus, Christum de suo proprio corpore & sanguine loquentem, affirmare alicubi aut innuere, ipsum corpus & sanguinem esse id figuraliter. Asserere vero de pane, de vino, & de quacunq; alia creatura, quæ non sit realiter, & materialiter, & formaliter corpus Christi, non realiter, sed figuraliter, non modo non est error, aut periculum, sed est etiam necessarium. Atque hoc nihil prodest hæresi Gnosticorum contra veritatem corporis Christi; imo eam vehementer impugnat; quia, vt argumentatur Tertullianus, figura est rei realis figura, non phantasticæ nec imaginariæ. Et cur nullum fuit periculum exprobrare Marcioni, quod non intelligeret. Panem Hieremiæ fuisse figuraliter corpus Christi, & in genere, vt vult Petronius, panem fuisse in lege corpus Christi figuraliter; erit vero periculum eidem affirmare, panem Eucharistiæ esse corpus Christi figuraliter? Nam si ex hoc potest negare Christo corpus verum, potest etiam ex illis; & si non potest ex illis, neque poterit ex hoc, vtrobique enim est par ratio.

20. Vndecima, Totus status quæstionis de figuris quæ tunc agitabatur, erat de figuris legalibus, quas Marcion negabat fuisse figuras rerum Euangelicarum, & Tertullianus asserebat. Ad soluendum ergo nodum huius quæstionis, Tertullianus confugit ad Euangelium, & ex successu & conformitate veritatis Euangelicæ ad vmbras legales, probat res legales fuisse vmbras rerum Euangelicarum. Sic ex eo, quod Dominus panem fecit suum corpus, probat panem in Hieremia fuisse figuram corporis Christi. Sic *lib.* 5. ex illis verbis Pauli, 1. *Corinth.* 5. *vers.* 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, probat Pascha legale fuisse figuram Paschatis Christi: Cur Pascha Christus, ait Tertullianus, nisi quia Pascha figura Christi? Sic Ambrosius *in Luc. cap.* 3. de typo columbæ.] Ex hac multiloquentia, & tot repetitionibus eiusdem tam rancidi argumenti, plane video D. Cardinalem sua tanta diligentia nec cæteris satisfacere omnibus, neque profecto sibi ipsi: Totus status quæstionis non est de figuris, neque vnquam inter se decertarunt Tertullianus & Marcion, aut potius Marcionitæ, essent ne figuræ rerum Euangelicarum, necne. Hoc dixit Petronius sed non probauit: ego vero aio, totum statum quæstionis inter Gnosticos, & Orthodoxos (si disputationem Tertulliani quam habet libro hoc quarto, inspiciamus) esse, sintne duo Dij inter se diuersi; alter autor veteris testamenti, alter noui: an vero vnicus, & idem. Marcion duos: Catholici vnicum & eundem affirmabant.

21. Ad solutionem huius quæstionis Tertullianus harmoniam & correspondentiam inter vtrumque testamentum per figuras & prophetias, & alias conuenientias, & correspondentias indagat, vt ex ea conuincat aduersarios. Ex eo igitur, quod Christus panem

nem dixerit esse suum corpus, primum colligit Tertullianus correspondentiam inter Pascha, & Pascha, deinde quia Christus Pascha illud vt suum celebrat, colligit idem, Christum esse illius Dei Filium qui Pascha Iudaicum instituit. Et obiter, vt toties monui, ex eadem Eucharistia probat, Christum habuisse verum corpus terrenum: & longissime à veritate recedit quod ait Perronius, Tertullianum probare Panem in Hieremia fuisse figuram corporis Christi, quia Christus dixit, Panem esse suum corpus. Bene iam video tandem Perronium proprium suum errorem obseruasse, in eo quod toties hactenus dixerit illud glossema Tertulliani, *hoc est, figura corporis mei*, sensum habere, panem in veteri lege fuisse figuram corporis Christi: Et quia, quod ego ei in præcedentibus, nec semel obieci, nulla præcessit mentio de vlla certa figura panis veteris legis, necessarium vidit sibi esse assignare aliquam certam figuram veterem, cuius adimpletio facta sit in vltima cœna, quando Christus dicitur panem suum corpus fecisse; hanc igitur figuram si Deo placet inuenit esse eam quam ex Prophetia Hieremiæ paulo post produxit Tertullianus. Nos vero iam plane vidimus, adimpletionem illius figuræ secundum Tertullianum, & veritatem, fuisse crucifixionem, non Eucharistiæ institutionem. Et omnia hæc parent ex meis explicationibus præcedentibus, quibus nolo quisquam innitatur, nisi loca Tertulliani exacte cum ipsis contulerit. Quod vero addit de Pascha & columba, ea vera sunt. Poterat profecto multa volumina conscribere, in ea congerendo, omnes figuras quæ in nouo testamento suam habuerunt adimpletionem; sed nisi ostenderit in præsenti loco Tertulliani, agi de adimpletione alicuius figuræ panis, quæ fit in lege, per institutionem Eucharistiæ actum agit, & valde pueriliter argumentatur hoc pacto. Tertullianus alibi Pascha verus ait fuisse figuram Paschatis Christi: & Ambrosius ait, Columbam arcæ Noe fuisse figuram columbæ qua Spiritus sanctus est manifestus: ergo in hoc controuerso loco Tertullianus loquitur de figura legalis panis, quæ fuit adimpleta in Eucharistia. Stomachum mihi ipsi facio, in his amplius repetendis.

22. Duodecima, *pag.* 933. His probatis, ait Perronius, sequi per corollarium, veritatem corporis Christi.] Et hoc falsum est: Non enim ex eo quod vetera fuerint figuræ rerum Euangelicarum, neque ex eo quod Christus venerit adimplere illas figuras, neque ex eo quod panis in lege fuerit figura corporis Christi, sequitur corollarium, Christi corpus fuisse verum; nam nulla hic apparet consequentia, præsertim ex his duobus prioribus: tertium vero faceret ad rem, sed de illo ne verbum quidem habet Tertullianus, si solum Hieremiæ locum excipias. Itaque non per modum corollarii, sed directe, & primario ex Eucharistia Tertullianus veritatem corporis probabat, ac præsertim ex ratione figuræ, vt vidimus, tum vero addit alia etiam argumenta, ex aliis scripturæ locis deducta.

23. Terriadecima, *pag.* 933. *à tergo*. Res apparens, & quæ non est res vacua, vt vult Tertullianus, non potest esse obiectum & adimpletio veræ figuræ. Quod si figuram corporis Christi vno loco intelligeret Tertullianus figuram legalem, & in alio loco figuram Euangelicam, id tam Marcionem quam Catholicos impugnaret. Res enim quæ in veritate non est, non potest esse veræ figuræ figuratum; & ita neque figura potest esse alterius figuræ figuratum, neque figura figuræ figura: sed potius sic esset figurarum permutatio, & successio vnius post aliam, non adimpletio.] Tertullianus dicit; Vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest.] Vult igitur, figuram non posse habere pro figurato, rem quæ nullum esse habeat à parte rei, nisi apparenter, aut in sola imaginatione hominis. Nam propterea debuit deducere Perronius, non posse esse obiectum figuræ, nisi, vt videtur putare, substantiam aliquam. Potest enim & solet figurari sæpius accidens, quam substantia. Sed si figura est vera & realis, debet habere figuratum verum & reale, siue substantiam, siue accidens. Panis Melchisedechi erat substantia, & figurabat substantiam corporis Christi: Sanguis sacrificiorum erat substantia, & figurabat sanguinē Christi in sua substātia. Mors victimæ non erat substantia, erat tamen vera & realis priuatio vitæ, & significabat mortem Christi, quæ non erat substantia, sed priuatio. Ita figura potuit esse alterius figuræ figura, dummodo fuerit figura realis vtraque, cum vera & reali significatione. Sic igitur comestio agni Paschalis erat suo modo figura nostræ Eucharistiæ, cuius Sacramentum consistit in comestione, illa est comestio realis, & hæc est comestio realis; illa sumebat sacras carnes agni, significantes corpus Christi, & nostra comestio in Eucharistia sumit panem sacrum, significantem idem corpus Christi. Et si quis nolit istas vocare adimpletiones figurarum, sed permutationes & successiones, non repugno; nullum enim inde sequitur absurdum, vt iam docui.

24. Fallitur vero ibi maxime Perronius, quod figuram putet esse nihil, rem vacuam, apparentem, phantasticam; est enim res realis cum pleno & perfecto esse in suo genere à parte rei. Sic panis Eucharisticus est figura realis, imo & efficax corporis Christi. Et quod panis hic sit figura, Catholicis nihil obesse potest, nec Marcionitis prodesse. Non enim oppugnabant isti figuras, quod essent nihil, & nullum esse haberent, &c. sed negabant figuras veteres quicquam coniunctionis habere cum Euangelio; siquidem duos diuersos Deos autores legis & Euangelii faciebant. Seorsim tamen quamcunque figuram, æque legalem, atque Euangelicam corpus verum Christi significantem abiecissent, quia negabant Christum habuisse verum corpus. Nihil ergo proderat ipsis, quod panis Eucharistiæ esset figura corporis Christi, imo oberat plurimum, quia figura non potest esse figura rei phantasticæ & imaginariæ, sed rei realis, Ergo Christus habebit corpus reale, si panis esset figura corporis. Et licet figura quatenus figura, non sit realiter res ipsa figurata; res ipsa tamen figurata est res realiter, & non figura. Non ergo ex figura quæ nō sit ipsa res figurata, sequitur rem quoque figuratam non esse rem realem & actualem, quia ipsius figura non est actu, sed sola significatione res illa.

25. Quartadecima, *pag.* 934. Oportet in verbis Tertulliani quę ponderamus adesse Hyperbaton, cum suppletione tamen duorum verborum, *quod erat*; fuit vero postponenda illa glossa Tertulliano in reuerentiam verborum Christi, præsertim sacramentalium & operatiuorum, quæ nullo modo erant glossemate interrumpenda; sic enim non fuissent quod sunt, & intentioni suæ Tertullianus defuisset, cum protestatus fuerit se relaturum ipsa verba formalia sacramentalia quibus Christus panem fecit suum corpus.] De hyperbato & suppletione satis dixi in superioribus. Si vero tot scrupulis vrgebatur Tertullianus, ne interrumperet verba consecrationis Eucharistiæ, tunc igitur Missam celebrabat quando hæc scribebat; nec debuit interrumpere consecrationem, quia nihil consecrasset. Miræ considerationes; ex morali politia etiam Perronio argumenta pro transsubstantiatione

suppeditantur, vt Principes & viros graues loquentes non interpellemus. Illam ego Tertulliani protestationem non inuenio: vnde eam eruat Perronius nescio: An vero Tertullianus velit verba illa sola Christi, *hoc est corpus meum*, esse consecratoria, vide lector in hoc ipso meo tractatu de Eucharistia, *in hoc 6. capite huius quinti libri, num.* 12.

26. Quintadecima *pag.* 935. *à tergo.* Hoc igitur loco Tertullianus non modo non oppugnat transsubstantiationem, sed etiam passis vexillis eam oppugnat; ait enim; Sicuti Dominus effudit suum sanguinem in cruce, ad implendam figuram sui sanguinis quæ est Pascha, quod in veteri lege erat figura effusionis sanguinis Christi; passimque in aliis suis operibus testabatur Christus, se venisse ad implendas figuras, easque vertendas in corpus & veritatem; Ita hic ad ostendendum, quod impleret in Sacramento Eucharistiæ figuram sui corporis pane veteri figurati, dixit, *hoc est corpus meum.*] Eandem cantilenam repetit & concludit, sed frustra. Vbi enim Tertullianus de Paschate aliquid commemorat, ita loquitur, *lib.* 5. *cont. Marc.* Concupiuit Christus Pascha seruare, nimirum veruecina illum Iudaica delectaret? An ipse erat qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente, sic os non aperturus, *Isa.* 53. figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat?] Docebat ex actionibus Christi iam morti propinquis, Euangelium correspondere veteri testamento, vt vnum inde vtriusque comprobaret Autorem: venit ad cœnam postremam: Desiderium Christi comedendi illud Pascha considerat, in eoque inuenit fuisse desiderium adimplendi figuram effusionis sui sanguinis, in sanguine agni Paschalis figurari. Inde transit Tertullianus ad ostendendum, etiam proditionem Christi per vnum ex suis familiaribus, & venditionem pro triginta argenteis, fuisse in veteri Scriptura prædictam. Mox accedit ad ipsam cœnam; & Eucharistiæ institutionem. Et quidem in Paschate, & venditione, ac proditione, vt ostendat connexionem Euangelij cum lege, profert & Christi actionem, & ipsius figuram olim expressam, seu prophetiam: In Eucharistia autem hoc non facit, nullam enim illius figuram aut prophetiam proponit: & nihilominus optimum argumentū ex ea eruit, tum ad principalem quæstionem, de Autore eodem Euangelii & legis; tum occasionaliter de veritate corporis Christi. Pessima ergo est consequentia Perronii illa; Tertullianus dixit Christum venisse ad explendam figuram sui sanguinis: ergo dixit etiam eum venisse ad explendam figuram sui corporis. Quomodo id sequitur? Factum quærimus, & factum singulare: non ius; Hoc Tertullianum dicere pernegamus: & tamen de sanguine eum illud dicere negare non possumus. Sensum porro verum Tertulliani in illis verbis; *hoc est, figura corporis mei,* iam aperuimus & confirmauimus, plane transsubstantiationem destruentem.

27. Secundus locus ex Tertulliano quo aduersus realistas vsus est Plessæus, est, *ex lib.* 3. *cont. Marcio.* Hoc lignum & Hieremias &c. Vt ponitur à me ante hanc Appendicem *num.* 28. quo loco quoque Tertullianus in pane Eucharistico solam figuram corporis Christi agnouerat; ait enim, Christum in vltima cœna panem suum corpus vocasse: sic enim Deus, inquit, *Marcioni,* in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse.] Insurgit primum Perronius aduersus Plessæum, quod Euangelium Marcionis putaret esse Euangelium Apocryphum Thomæ, & in hac reprehensione dilatat fimbrias. Viderat tamen in posterioribus editionibus Plessæum exposuisse, hoc Euangelium fuisse Lucæ: cur ergo reprehendit quod iam reprehendendum non inueniebat. Sed noluit supprimere partum iamdiu frustra editum, adeo sibi complacebat in suis illis dicteriis, de sole sub Iosue immoto, & sub Ecclesia retrogrediente, etiamsi dicteria isthæc iam putrescerent. Deinde vt loco satisfaciat, ait ea verba Tertulliani, *vt hinc iam eum intelligas figuram corporis sui pani dedisse*, parenthesi esse includenda. Hanc tamen parenthesim, quantum videre potui, nulli codices habent. Sed necdum quid ista parenthesis, aut illi prosit, aut nobis obsit, plene video. Videtur tamen innuere, eo se parenthesim excogitasse, ne relatiuum illud, *cuius retro*, cogeret eum admittere, Christum dedisse pani figuram corporis in ipsa vltima cœna, & consequenter in Eucharistia, siquidem illa particula, *retro*, significans tempus Hieremiæ, denotat à Christo datam figuram corporis sui pani longe post vaticinium illud Hieremiæ, & consequenter in Eucharistia. Hoc vt effugiat, ponit parenthesim, vt relatiuum, *cuius retro*, coniungatur cum præcedentibus, ipsa vero parenthesis trahatur ad tempus ipsum Hieremiæ, & non ad Eucharistiam vltimæ cœnæ.

28. Probat debere ea verba parenthesi includi, quia in libro aduersus Iudæos, locus est totidem verbis descriptus, ea tamen verba quæ parenthesi includenda esse dicit Perronius, omnino absunt. Igitur, inquit, ea postea Tertullianus interseruit.] Sed alia quoque verba absunt à loco contra Iudæos, nimirum, *in Euangelio quoque vestro*, nullum enim Euangelium Iudæi vt proprium habebant. Eadem ratione omissa sunt ea quæ ad Eucharistiæ mysteria spectarent, Iudæis penitus ignota, Marcioni optime nota; non ergo sunt interserta per modum parenthesis, sed addita, & continuata, quia contra Marcionem erant proficua, contra Iudæos non item. Admittamus tamen; quandoquidem ita Perronio placet, parenthesim illam, & relatio illa, *cuius retro*, immediate referatur ad ea verba, *panem corpus suum appellans*, certe non potest non fateri, ex illa quoque parenthesi adiecta Tertullianum asserere, Christum vsurpasse panem in vltima cœna, tunc quando interpretabatur Hieremiæ panem antiquitatum illuminarot, in eodem sensu in quo ipsum Hieremias vsurpauit. Atque Hieremias panem figuratiue vsurpabat pro Christi corpore. Igitur etiam Christus, dum panem vocat in Eucharistia suum corpus, panem sumit figuratiue: Parenthesis ergo illa, in qua dicitur Christus pani figuram sui corporis dedisse, siue intelligatur tunc dedisse quādo Hieremias vaticinabatur in pane, siue tunc, quando Christus panem discipulis distribuebat, perinde est; quia vtrobique panis est figura corporis, & si in vltima cœna non fuit figura corporis, certe neque in vaticinio Hieremiæ fuit talis figura: inde enim probat Tertullianus, panem Hieremiæ esse figuram corporis, quia Christus, qui illud erat interpretaturus, panem dixit esse suum corpus: eo profecto modo quo in vaticinio Hieremiæ, id est, figura. Et hoc est quod Tertullianus contendit & explicat tum *lib.* 3. in illa parenthesi, quæ tamen parenthesis nulla est; tum *lib.* 4. in illo glossemate. Vtrunque locum vellet effugere Perronius; alterum per parenthesim, alterum per hyperbaton, & sunt vere mera subterfugia.

29. Videbat sibi in illa sola parenthesi latibulum tutum non esse, conatur se melius ex grammatica in eo circumtegere, & addit illud, *dedisse*, accipiendum esse in præterito plusquam perfecto, vt sensus sit, vt intelli-

intelligas ô Marcion, quod Christus indeà temporibus Hieremiæ iam dederat figuram sui corporis in pane: nec enim venit, vt tu arbitraris ex abrupto, quin præmiserit figuras, & prænuncios, ac indicia: Scopus enim libri tertii est, *inquit*, disputare, An Christus deberet venire inexpectato &c.] Si Tertullianus diceret, aut etiam verum esset, Christum in actu, vt loquar cum scholis, signato, figuram Hieremiæ explicasse, & tradidisse explicite ibi panem significare suum corpus, aliquid Perronius, sed neque multum posset vrgere & conari vt præteritum illud plusquamperfectum ad tempora transferat Hieremiæ: Sciat tamen, Christum dici à Tertulliano *cont. Iud. & cont. Marcio. l.* 5. reuelatorē, antiquitatis *Idem cont. Marc. l.* 4. illuminatorem, & interpretatorem propheticæ Hieremiæ *Ibid. l.* 3. in actu tantum exercito, & non in actu signato. Latebat enim, quid sibi voluisset Hieremias per lignum missum in panem: Si Christus explicite alicubi declarasset Hieremiam ibi per panem intellexisse suum corpus, tunc profectò Christus respexisset ad tempus Hieremiæ. Atqui Christus hoc non facit. Sed sua propria occasione instituens Sacramentum Eucharistiæ, dixit panem illum esse eius corpus: hic iam nobis aperuit viam vt intelligeremus Hieremiæ prophetiam de ligno in pane, id est, de cruce in corpore Christi.

30. Quando ergo Christus loquebatur de pane, dicendo illum esse suum corpus, loquebatur de pane qui tunc erat in manibus ipsius: atque hinc per sequelam necessariam nos deducimus, & dicimus, panem illum Hieremiæ, alium panem non fuisse, nisi corpus Christi: quandoquidem iam tandem à Christo ipso discimus, corpus ipsius in pane figuraliter significari. Neque Hieremias tunc loquebatur de pane edendo, sicut Christus, sed de pane crucifigendo: Christus ergo quando de pane suo dicebat, *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*, suam illam præsentem; præsentisque temporis actionem respiciebat, non præteritam Hieremiæ locutionem, quæ erat de crucifixione. Ergo Marcion quando ei proponebatur dictum Christi, *hoc est corpus meum*, debuit intelligere, Christum tunc eodem tempore quo illa verba proferebat, pani dedisse figuram corporis. Atque inde etiam discere & intelligere poterat, quando prophetiam Hieremiæ audiebat: *mittamus lignum in panem eius*; Hieremiam per panem intellexisse corpus Christi figuraliter, quod nunquam intelligeret aut ipse, aut quisquam alius, nisi Christus de pane Eucharistiæ dixisset, *hoc est corpus meum*. Et quamuis verum sit, Christum voluisse vt panis in antiquis figuris, & prophetiis suum corpus significaret, verum tamen non est, Christum, tunc quando dixit, *hoc est corpus meum*; directè & proxime respexisse ad illas figuras, & prophetias: Sed ad illum panem præsentem, indirectè tamen, & remote sensum quoque illarum figurarum, & prophetiarum in actu exercito explicauit. Itaque parenthesis illa omnino ad tempus institutionis Eucharistiæ spectat, quod tempus respectu Christi dicentis; *hoc est corpus meum*, erat tempus præsens: respectu vero Tertulliani de eo scribentis, & Marcionem alloquentis, erat præteritum perfectum, *dedisse*; præteritum plusquamperfectum ibi necessario non est assignandum.

31. Vera sunt illa ex parte quæ dicit Perronius, Tertullianum probare, Christum non venisse ex abrupto: quia Marcion falso asserebat, Christum non esse illum, qui promittitur in veteribus scripturis, sed alium alterius Dei filium: Contra hanc hæresim pugnat Tertullianus etiam *lib.* 3. & passim contra Marcionem, dum plurimas figuras & prophetias veteres applicat Christo, & Euangelio, & inter alias, prophetia illa Hieremiæ huc spectabat, non quod illa prophetia de pane & ligno, fuerit impleta per Eucharistiæ institutionem: sed quia in Eucharistiæ institutione patet, panem esse figuram corporis Christi: & inde intelligitur, & non aliunde, illam prophetiam esse de crucifixione corporis Christi, vt explicaui, ac propterea correspondent sibi lex & Euangelium; quia vtrobique panis est figura corporis Christi.

32. Tertius in Tertulliano locus à Plessæo consideratus erat, *ex lib.* 1. *cont. Marc. c.* 14. vbi ille ait: Nec panem reprobauit quo ipsum corpus suum repræsentat.] Hunc ego locum in meo tractatu prudens omisi; videram enim verbum *repræsentandi* esse ambiguum. Perronius vero ad Calepinum amandat Plessæum. Sed certe Plessæus in posterioribus editionibus egregie corroborat locum; & sane consulto suo Calepino, optime ostendit, Perronium magis indigere Calepini ditectione, quam ipse indigeat. Et hoc viderat Perronius, sed dissimulauit: neque ad grammaticam ab ipso Plessæo inductam quicquam habuit quod responderet, nisi ea se ante octodecim annos scripsisse. Sed cur post octodecim annos euulgat, ea quæ iam ad rem non essent amplius? Ex hac porro Grammatica & Syntaxi clare patet, innumerabilia loca quæ Perronius coaceruauit, habere verbum, *repræsentandi*, pro actuali exhibitione. Sed Syntaxis loci præsentis conuincit verbum *repræsentandi* sumi pro pictura quidem, typo, & similitudine rei prolatæ, non pro rei naturali exhibitione. Obseruat enim Plessæus, & sane optime, repræsentare non esse actu rem exhibere, nisi cum solo accusatiuo: vt repræsentare pecuniam, repræsentare iudici reum, &c. At vero si addit præter accusatiuum ablatiuus instrumentalis, semper repræsentare esse oppositum reali exhibitioni: vt si aliquis dicatur vultu repræsentare Cæsarem, repræsentare bellū carmine, &c. Cum itaque hoc loco Tertullianus dicat, Christum suum corpus pane repræsentare, planum est, repræsentationem hanc oppositam esse realitati. Optime etiam vrget Plessæus, per realem præsentiam, qualem realistæ ponunt, nullo modo posse dici, Christum re ipsa per panem corpus suum repræsentare; quia quæ re ipsa repræsentantur, ita exhibentur vt sensibus pateant manifesta. At quis dicat, corpus reale materiale Christi in Eucharistia repræsentari, id est, re ipsa exhiberi, si inuisibile ibi est, impalpabile, & penitus insensibile?

33. Vsus est demum Plessæus, ad confirmandam suam expositionem quorundam verborum Tertulliani, à realistis pro se productorum, illo dicto Tertulliani, *de resurrect. car.* vbi ait, Et si carnem ait, nihil prodesse, ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum, & intolerabilem existimauerunt sermonem eius; quasi vere carnem suam illis edendam determinasset, vt in spiritu disponeret statum salutis, præmisit: *Spiritus est qui viuificat*.] Mihi quidem locus hic videtur opportunus contra realistas, & merito à Plessæo produci: non quidem propter illa verba, *quasi vere*, in sensu assertiuo sumpta, vt velit Tertullianus, carnem Christi in Eucharistia non proprie vere comedi, sed *quasi vere*, id est, quodammodo, secundum quendam modum, nimirum sacramentaliter: nam illa dictio, *quasi*, non est ibi extenuatiua, idem enim significat, quod, *tanquam*, seu, *perinde ac*. Sed in eo oppugnat realistas, quod Tertullianus Caphernaitas merito turbatos fuisse censet super anthropophagia à Christo commendata, si videlicet vere determinasset carnem suam esse comedendam. Sed non debuisse eos turbari significat, quia vera nō erat futura illa comestio, sed per spiritum duntaxat; ideo, inquit, præmisit, *spiritus est qui viuificat*.]

34. Respondet Perronius *pag.* 945. Tertullianum hoc loco, partim vt se ab hæreticis expediret, negantibus propter illa Christi verba: *Caro non valet quicquam, spiritus est qui viuificat*; & resurrectionem nostræ carnis, & veritatem carnis Christi; partim etiam, quia putarit Christum noluisse Caphainaitis mysteria incomprehensibilia aperire, quæ ipsi non essent intellecturi, interpretari verba Christi *Ioan.* 6. non de manducatione sacramentali, sed de spirituali. Non tamen propterea sequi, idem fecisse cum Apostolis, quibus datum erat nosse mysteria Regni Dei, quando is dicebat, *Accipite, edite, hoc est corpus meum*: voluisseque vt hæc de spirituali manducatione intelligerent, & non de reali. Nam Lutherus, eiusque sequaces contendunt & illi, apud Ioannem *cap.* 6. sermonem esse de manducatione spirituali per meditationem mortis Christi, interim tamen in vltima cœna admittunt libenter manducationem realem. Sic Caluinus verba Christi. *Ioan.* 3. *vers.* 5. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* intelligit spiritualiter: neq; propterea negat baptismum verum per realem lotionem.] Hæc ille.

35. Si Plessæus vsus fuisset immediate pro sua doctrina firmanda ipsis Christi verbis, *Spiritus est qui viuificat caro non prodest quicquam*, discursus hic Perronii non esset extra rem. Sed iam non est controuersia super verbis Christi, sed super verbis Tertulliani, illa sunt consideranda, & mens ipsius in eo argumento indaganda. Certe vis argumenti ex hac autoritate Tertulliani, in eo consistit, quod fateatur durum esse & intolerabile, si Christus velit suam carnem vere manducari. Quod autem Christus *Ioan.* 6. de manducatione spirituali loquatur, hoc est, de fide incarnationis, fateor non sequi inde, etiam in vltima cœna de spirituali locutum. Sed quia Tertullianus ait, durum & intolerabile esse, vt quis Christi carnem vere comedat, & merito in hoc Caphernaitas fuisse turbatos, quia de vera comestione verba Christi intelligebant, optime sequitur, etiam in vltima cœna, durum & intolerabile fuisse, si Apostoli putassent sibi vere carnē Christi esse comedendam. Ad hoc igitur respondet Perronius *pag.* 946. *à tergo*, Tertullianum asserere id durum fuisse, *illis*, Caphernaitis, qui nondum mysteriis erant initiati, nec instructi, quo pacto absque laceratione, & destructione, absque crudelitate & barbarie caro Christi possit comedi, videlicet, non in propria forma, sed sub alia specie, & figura. Et vere comedere intelligit Perronius in sensu Caphernitarum, cum laceratione, &c. Duo, inquit, *pag.* 947. concurrunt in ordinaria manducatione vt sit vera, & completa, vnum est, receptio cibi manducati in manducantem per organa manducationis: alterum vero, impressio rei manducantis in rem manducatam, per eadem organa. Quoad primum, nos vere & realiter comedimus corpus Christi: quoad secundum, nostra manducatio non exercet suos effectus, vltra quam in signa externa; & sic vere & non vere manducamus corpus Christi: vere, quantum ad veritatem substantiæ; non vere, quantum ad integritatem circunstantiarum. Durum itaque visum est Tertulliano, quod Caphernaitis Christus loqueretur de edenda carne eius corporaliter; non ita durum eidem visum, quod Christus in vltima cœna discipulis carnem dederit corporaliter ad manducandū: de qua *in hoc eodem libro de resurrectione carnis*, ait, Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.]

36. At vero Tertullianus suo modo loquendi plane assentitur, merito durum illud fuisse Caphernaitis: dum enim narrat id eis durum visum fuisse, dat causam cur merito durum id eis visum fuerit, quia videlicet putabant, de vera comestione corporali verba esse. Ipsam ergo realem corporalem comestionem carnis Christi, duram esse & intolerabilem merito censet, cuicunque illa proponatur, siue Caphernaitis, siue Apostolis: neque id durum agnoscit Tertullianus in modo comedendi, puta an per partes dissectas, an per dentium lacerationem, an crudam, an coctam, assam, elixamue, sed absolute durum & intolerabile id ait, modo adsit vera comestio, modo intelligatur caro Christi vera realiter, & corporaliter cum vera manducatione degluriri. Quod si comedatur, non in propria forma, sed sub alia specie & figura, id durum esse non debet, fateor, & assentior Perronio, sed id fieri nō potest, nisi spiritualiter, quod intendit Tertullianus, quia si de manducatione sola spirituali sit sermo, de fide nimirum incarnationis, siue de manducatione sacramentali, in vtraque verum est, durum futurum merito Tertulliano & intolerabile, si vera sit corporalis manducatio carnis Christi. Quod vero in sacramento sub manducatione vera corporali panis, & vero potu vini, sub aliena hac specie panis & vini substantialiter sumptorum, & sub figura talis comestionis corporalis, simul spiritualiter comedatur vera caro, & bibatur verus sanguis Christi, iam cessat durities, cessat intolerabilitas, quia vera comestio hic nulla est carnis Christi, sed figuralis tantum, efficax tamen.

37. Philosophiam nunc de vera comestione quam docet Perronius, examinemus. Duo sunt quæ concurrunt, inquit, ad veram manducationem: receptio cibi intra se per organa comestionis, & impressio rei manducantis in rem manducatam per eadem organa.] Nullus aut philosophus, aut anatomista vnquam dixit, quod sciam, in manducatione rem manducantem imprimere aliquid in rem manducatam. Nescio an per rem manducantem velit intelligere ipsum mānducantem; quem certe potuit per genus aliquod propinquius, puta animalis, vel viuentis nominare, & nō per genus generalissimum, & sane transcendens. Impressionem autem illam omnino non percipio: nam paulo post mutat terminos hosce obscuros in alios, si non obscuriores, certe æque obscuros; vt videretur aliquid dicere, & interim nihil diceret, ne caperetur, sepiam imitatus; vbi ait, nos vere comedere carnem Christi corporaliter, quantum ad veritatem substantiæ, non quantum ad circumstantiarum integritatem. Receptio ergo est substantiæ; impressio vero illa est circumstantiarum. Si quis potest ista percipere, percipiat, ego sane non percipio, sed neque ipsummet, qui ita scribit, puto id percipere. Ego sane veram manducationem, cum communi philosophia, & ex communi anatome, intelligo esse traiectionem cibi per os, & æsophagum in ventriculum, ad hoc, vt cibus ille calore naturali vertatur in chylum, & chylus per pilorum egressus in intestina per venas mesaraicas exsurgatur, & ad hepar trahatur, ibi vero versus plene in sanguinem, per venam portam cordi perficiendus committatur, ac inde per venam cauam toti corpori nutriendo distribuatur, & arterias spiritu repleat. In hoc ego puto veram consistere comestionem: sic docet philosophia.

38. Si Perronius omnes has operationes, quibus virtute caloris naturalis & facultatis nutritiuæ cibus perficitur, vt plene transeat in alimentum, vocat impressiones à manducante in cibum, tolerandus erit. Et tunc vera manducatio, non sola traiectione rei per os in stomachum; sed etiam aliis illis operationibus completur, adeo vt sola traiectio rei in stomachum, nulla ratione possit sic præcise esse aut vocari manducatio. Sunt enim qui lapides, qui metalla deuorant; & pro-

& profecto in istis manducatio non est, nisi æquiuoce, quia ad similitudinem cibi deglutiunt id, quod cibus non est, neque aptitudinem vllam habet ad nutriendum, sed qualis ingreditur talis egreditur, aut interficit: quare manducatio absolute vera non est, nisi sit cibi, & per modum cibi cum illis operationibus, & impressionibus, vt eas vocat, ni fallor, Petronius: qui plurimum hallucinatur, vbi manducationem veram vocat, secundum solam substantiam, seu receptionem; & veram item secundum impressiones, & circumstantias. Sicut si diceret, embrio seu cadauer, est verus homo, secundum materiam, non est verus homo secundum formam. At verus homo absolute non est, nisi secundum materiam, & secundum formam simul. Atque ideo falsissimum est, embrionem seu cadauer esse verum hominem; nam eo ipso quo essentia, seu aliquid essentiale deest rei, res illa vere non est id quod dicitur. Sic comestio corporis Christi per solam receptionem comestio vera non est, neque hoc pacto caro Christi est cibus, esset enim cibus ventris, non mentis: & durum penitus & intolerabile. Quod si ponatur, Christi corpus realiter & substantialiter recipi, si per modum cibi corporaliter non recipitur, certe vere non comeditur, comestio enim vera est cibi per modum cibi. Neque quicquam plus operabitur, si ita recipiatur ore, vt in viscera traijciatur, quam si sola manu attingatur, aut tantisper in solo ore retineatur. Ad quid ergo & vocatur cibus, & comedi percipitur? nisi quia ad veram comestionem veri cibi & per modum cibi, cum receptione & impressione, seu cum substantia & circunstantijs, panis nimirum, & vini, verum corpus, verusque sanguis spiritualiter & effectiue manducetur & bibatur. Et hic est modus admirabilis, ac vere ineffabilis, quem Christus inuenit ad hoc, vt sine duritie illa & intolerabilitate carnes eius comedamus, & sanguinem bibamus, dum panem & vinum, figuras efficaces eius corporis & sanguinis, vere & proprie, ac complete comedimus, & bibimus: ita vt carnem eius & sanguinem non proprie, neque vere, neque complete edamus, & bibamus, nisi spiritualiter.

39. Quid vero sibi velit Tertullianus, vbi ait, Carnem nostram corpore & sanguine Christi vesci, expoliante hanc Appendicem *num.* 39. videlicet, hanc non esse veram comestionem nisi ratione typi & figuræ: non enim est insolitum, vt signum nomine signati, & signatum nomine signi efferantur: sic vidimus & panem dici corpus Christi, & corpus Christi panem. Id vero optime Plessæus obseruarat, obieceratque realistis cur transsubstantiationem ponant in pane, ex eo quod Tertullianus dicat, Carnem nostram corpore & sanguine Domini vesci, vt anima saginetur, & non transsubstantient aquam baptismi, de qua idem ait, Caro abluitur, vt anima emaculetur: & manus in confirmatione, de qua similiter ibidem ait, Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.] Non igitur ideo anima saginatur, quia corpus recipit ipsum materiale corpus Christi: sicut non ideo anima emaculatur, quia ipso materiali sanguine Christi corpus abluitur; aquam enim baptismi esse meram aquam omnes fatentur. Ita non ideo anima spiritu illuminatur, quia Spiritus sanctus in manus impositionem sit transsubstantiatus; sed manus manet manus, & impositio illa tota corporalis est. Sic igitur Tertullianus vult; in Eucharistia animam saginari, dum corpus panem sacrum comedit corporaliter, sed sacramentaliter, & bibit vinum, absque vlla transsubstantiatione. Optime enim æque potuisset dicere; Corpus sanguine Christi abluitur, vt anima emaculetur. Et certe sensus fuisset, corpus aqua vera & substantiali, quæ esset figura sanguinis Christi, ablui. His similesque obiectiones viderat Petronius apud Plessæum etiam in prima editione quam impugnat, & nihilominus vti voluit pro se loco illo Tertulliani: solutiones autem hasce eludit generico illo effugio, ista esse vana Plessæi subterfugia, & tamen istæ sunt solidissimæ demonstrationes, quæ Petronio fuerunt insolubiles: neque eum permittebant vti pro se dicto illo Tertulliani de animæ saginatione.

40. Sed obiicit Petronius *pag.* 948. suas de more metaphysicas subtilitates, & ait, Tertullianum partiri obiectum communionis inter nostram animam, & nostrum corpus, & assignare nostro corpori perceptionem corporis & sanguinis Christi, animæ vero perceptionem diuinitatis. Non potuit ergo per corpus & sanguinem Christi intelligere signa simplicia, quia signa simplicia non opponuntur diuinitati; & præterea caro Christi excluderetur ab hac partitione, & neque caderet in perceptionem animæ, neque in perceptionem corporis: Neque per manducationem qua nostra caro vescitur corpore Christi, potest intelligere manducationem spiritualem, cum nostrum corpus id sit quod eam exercet.] Respondeo, signa esse sumenda simul cum suo materiali, hoc est panem & vinum: & ita obiectum perceptionis corporalis sunt panis & vinum, quæ sunt signa corporis, & sanguinis Domini: & signa ipsa in suo materiali recte opponuntur diuinitati, quia sunt corpus, & res sensibilis, & materialis, non ita diuinitas, id est, gratia diuina. Sed etiam signa vt signa, ratione huius formalitatis, quatenus signa sunt, opponuntur diuinitati, hoc est rei signatæ, est enim inter signum & rem signatam oppositio relatiua: ideo nescio cur neget Petronius, signa opponi diuinitati.

41. Quod vero ait, fore vt ab hac partitione excludatur caro Christi, fallitur; nam sub nomine diuinitatis includitur corpus verum, & sanguis Christi verus, quæ sunt obiectum perceptionis spiritualis. Recipere enim corpus Christi spiritualiter, est recipere gratias & dona diuina quæ à corpore Christi diuino, ex hypostatica vnione, spiritualiter nobis communicato redundant, in animam potissimum, sed etiam in corpus. Itaque in hac partitione bis ponitur corpus Christi & sanguis: primum figuraliter in suo signo, id est, in pane & vino, & hic sunt obiectum perceptionis corporalis: deinde vere & realiter, & sic sunt obiectum perceptionis spiritualis. Sic nostra caro per Eucharistiã vescitur corporaliter corpore Christi, in suo signo, & figura, spiritualiter vero & anima, & caro etiam nostra vescitur eodem corpore Christi reali, & vero, propter participationem realem corporis Christi spiritualiter in vtroque, in anima nimirum & in corpore, modo toties explicato. Tertullianus igitur hostis est eorum qui præsentiam corporalem ponunt; & figurati corporis Christi in Eucharistia clarissimus assertor.

XL. ORigenes nihil à Tertulliano, & à magistro suo Clemente discrepans, vbi conatur contra Marcionitas probare, Christum verum corpus habuisse, *dial. 3. de Christo hom.* sic loquitur. Quod si, vti obloquuntur isti, carne destitutus erat & exanguis, cuiusmodi carnis, cuius corporis, & qualis tandem sanguinis signa & imagines, & panẽ & poculum ministrauit? iussitque per illa discipulos memoriam sui renouare?] Panem ergo & vinum ministrabat Christus, quando discipulis Eucharistiam distribuebat: & sane panem & vinum quæ essent signa duntaxat,

xat, & imagines veri corporis Christi, eiusque sanguinis. Vbi ergo præsentia Christi corporalis in pane, vel sub accidentibus panis? Passim vero Origenes per carnem Christi qua pascamur & nutriamur, intelligit verbum Dei, quo ad fidem instruimur ac eleuamur, adeo vt comestionem carnis Christi nunquam secundum veritatem, & realitatem velit esse intelligendam: Si enim, *inquit, in Leuit. hom.* 7. secundum literam sequaris hoc quod dictum est, *Ioan.* 6. *vers.* 53. *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum*, occidit hæc litera.] Ordinarium nostrorum effugium, vbi Patres à reali corporis Christi comestione abhorrent, est vt eos interpretentur de comestione carnis, ad modum aliarum carnium per lacerationem, & consumptionem, &c. Atque in hoc sensu hoc loco loqui Origenem contendit Bellarminus, *de Euch. l.* 2. *c.* 8. sed frustra. Origenes enim non loquitur cum Caphernaitis, neque cum Gentilibus, qui Christianis anthropophagiam obijciebant: sed loquitur cum suis fidelibus, qui iam quotidie ferme communicabant, & de mysteriis fidei præcipuis essent instructi, quique iam comestionem illam carnis Christi per dimembrationem, assationem, consumptionem, vt absurdissimam, proculdubio non concipiebant. Hos vero fideles monet, ad literam non esse accipiendam carnis Christi realem comestionem, etiam sub mysterio, & sacramento quocunque: talem enim literam occidere asserit. Realem ergo præsentiam omnino excludit, & mysticam solam carnis Christi comestionem admittit, hoc est, verbi Dei per fidem, etiam tunc quando signum, & imago corporis Christi, id est, panis Eucharisticus comedebatur, quem panem Eucharisticum alibi *in Leuit. hom.* 13. expresse vocat panem mysticum: quod videlicet signum, & imago esset mysteriosa corporis Christi, ideoque ipsum vocat etiam sacramentum corporis Dominici, non corpus Dominicum. Quod si in Eucharistia realem carnis sumptionem agnouisset, illam videlicet quæ esset sine læsione corporis Christi, &c. eam debuisset admittere & explicare, non autem penitus abijcere, tanquam literalem illius literæ quæ occidit.

XLI. Alium quoque locum habemus in Origene, præsentiam hanc corporalem in Eucharistia non admittentem. Vbi enim dictum illud Euangelicum explicat, *Matth* 15. *vers.* 11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, tale excitat dubium, *in Matth c.* 15. Dixerit quispiam, — quod sicut quod ingreditur in os non polluit hominem, etiamsi putatur à Iudæis polluium; ita quod ingreditur in os non sanctificat hominem, etiamsi à simplicioribus credatur sanctificare: nimirum is qui vocatur panis Domini.] Mox addit dubij explicationem, & solutionem, his verbis. Quemadmodum non cibus, sed conscientia cum hæsitatione vescentis polluit edentem, eo quod qui hæsitat, si vescatur, iudicatus est, quia non ex fide. Et quemadmodum nihil est impurum per se, polluto & incredulo, sed propter ipsius immundiciem & incredulitatem: ita quod sanctificatur per verbum Dei, & per obsecrationem, non suapte natura sanctificat vtentem. Nam id si esset, sanctificaret etiam illum, qui comedit indigne Domino, neque quisquam ob hunc esum infirmus aut ægrotus fuisset, aut obdormisset. Nam tale quiddam Paulus demonstrat, quum ait; Propter hoc inter vos infirmi & male habentes, & dormiunt multi. Proinde etiam in pane Domini tum vtilitas est vescenti, cum impolluta mente puraque conscientia particeps est panis illiu s. Sic quod ad esum per se attinet, nec ex hoc quia edimus de pane, verbo Dei & per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono: Siquidem causa defectus est malitia peccataque; & abundantiæ causa est iustitia ac recte facta: vt tale sit quod dicitur apud Paulum his verbis: Neque si comederimus abundabimus, neque si non comederimus, minus habebimus. Quod si quicquid ingreditur in os in ventrem abit, & in secessum eijcitur, & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei, perque obsecrationem, iuxta id quod habet materiale in ventrem abit, & in secessum eijcitur: cæterum iuxta precationem quæ illi accessit pro portione fidei fit vtilis, efficiens vt perspicax fiat animus, spectans ad id quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico, symbolicoque corpore.] Hæc Origenes. In his porro verbis plura sunt notabilia. videlicet. 1. Eucharistia vocatur panis Domini. 2. Cibus de se sicut non polluit, ita neque sanctificat edentem; nam pollutio & sanctificatio ex cibis, est ex comedentis vitio, vel virtute. 3. Qui mente impolluta sumit Eucharistiam vtilitate eius fruitur. 4. Qui indigne accipit, iudicium sibi manducat, & corporisque infirmitatem. 5. Neque ex esu Eucharistiæ, vt esus est, fructum quis capit, neque ex abstinentia ab ea fructu priuatur, sed ex dispositione fructus pendet. 6. Eucharistia quod materiam, in secessum emittitur. 7. Eucharistia propter consecrationem quæ ei accessit fit vtilis pro portione fidei. 8. Eucharistia est corpus Christi typicum, & symbolicum. Locum itaque hunc insignem vt effugiant aliqui, negant commentaria illa esse Origenis, sed sine vllo fundamento, cum locus hic satis conformis sit aliis indubitatis Origenis locis. Alii de pane quodam benedicto, non proprie sacramentali locum interpretantur, sed frustra: de illo enim pane loquitur de quo Paulus, 1. *Corinth.* 11. & ex mero pane benedicto, qui non sit Eucharisticus nunquam tanta vtilitas spiritualis expectatur, neque ob illius malum esum infirmi sunt, & dormiunt multi. Hæc tamen quæ hoc loco ab Origene dicuntur, conatur soluere, & explicare Bellarminus, ita vt reali præsentiæ, & transsubstantiationi nihil obsint.

XLII. Ego autem ex illis octo particulis tres solas vrgeo, primam, sextam, & octauam. Secunda enim & quinta non excludunt vim Eucharistiæ propriam, sed solum requirunt, vt suscipiens Eucharistiam non accedat indigne, & cum peccati obice, quod expressit Origenes illis verbis. Proinde etiam in pane Domini tum vtilitas est vescenti, cum impolluta mente puraque conscientia particeps est panis illius.] Ad primam vero respondent passim nostri, Eucharistiam panem vocari, quia panis fuit, & panis species perseuerat, & panis effectus facit. At vero antiquos Patres panem verum in Eucharistia agnouisse, & substantialem, ac materialem, constat ex hactenus allatis, & ex afferendis multo melius constabit: & quod ad Origenem attinet, satis nunc sit sexta illa particula, in qua habet, Eucharistiam quoad materiam in secessum abire, materia vero profecto substantia est, non pura accidentia. Ad sextam igitur respondet Bellarminus, materiam appellari ab Origene accidentia panis visibilia. Sed vt dixi, materia est substantia. Præterea sicut accidentia non nutriunt, sed substantia, ita excrementa non sunt accidentia, sed substantia: nisi etiam in excrementis illius, qui solo pane Eucharistico nutriatur, ponamus aliquam transsubstantiationem, per quam maneant accidentia excrementorum, sed sine substantia, quorum substantia fit in nescio quid (certe in corpus Domini non blasphemabunt) transsubstantiata. Aut

si iam

si iam in stoma ho & intestinis, illis accidentibus panis & vini Deus substituit per nouam creationem aliquam substantiam, & non est substantia illa quæ fuit in corpus Domini transsubstantiata, & ita non Eucharistia in secessum abiit, sed hæc noua substantia, at vero de ipsa Eucharistia, ait Origenes, eam quoad materiam in secessum eiic. Ad 8. Respondet Bellarminus, corpus Christi in Eucharistia esse typum & symbolum sui ipsius, prout fuit in cruce & modo est in cœlo.] Quomodo autem possit idem esse typus sui ipsius, non percipio. Figura enim & figuratum semper sunt diuersa. Et Origenes concludit, se hactenus locutum de corpore Christi typico & symbolico. Locutus vero semper est tantummodo de pane Eucharistico, de eo enim erat dubium excitatum, an sanctificaret comedentes. Hunc igitur panem vocat corpus typicum & symbolicum, quia panem Eucharistiæ agnoscebat esse typice tantum, & symbolice corpus Christi. in se tamen vere panem. Nos, inquit, *contr. Cels. lib. 8.*—cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus iam per precationem factos sanctum quoddam & sanctificans vtentes eo cum sano proposito.] Panis ergo est quem offerimus, panis quem edimus: sed qui ex consecratione factus sit quoddam corpus sanctum, & sanctificans eos qui edunt: quoddam corpus, hoc est, mysticum, & symbolicum, sed spiritualiter sanctificans. Neque subtiles Bellarmini interpretationes sunt audiendæ, quia nemo melius Origenis dicta potest interpretari quam ipse Origenes, cuius superioribus dictis hæc postrema optime cohærent.

XLIII. Nunc videamus, an recte Origenes cum Origene committatur, & pugnans à Bellarmino *de Euchar. lib. 2. cap. 8.* inducatur. Pro reali præsentia tres Origenis locos produxit. Primus in quo reuerentiam magnam à Christianis Eucharistiæ exhiberi solitam narrat, *in exo. hom. 13.* ne quid de corpore Domini decideret, aut consecrati muneris dilaberetur.] Quid hoc ad realem præsentiam? Quasi vero æquum non sit, vt panis Sacramentalis, quem Christi corpus spiritualiter & cum effectu comitatur, reuerenter tractetur, & non conculcetur. Et tamen ex hoc ipso loco ego argumentum pro me colligo: ait enim; quod si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini, quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quam corpus eius?] Maius ergo, aut non minus piaculum esse vult negligere verbum Dei, quod prædicatur, quam negligere corpus ipsius Eucharisticum. At si corpus hoc esset ipsum reale Christi corpus, maximam Origenes ineptiam protulisset. Non ergo in Eucharistia agnouit verum & reale corpus Christi realiter præsens. Alter locus est talis, *in diuer. loca Euang. homil. 5.* Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilia temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Vbi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.] Ponderat Bellarminus verba illa, *incorruptum epulum*: &, *Domine non sum dignus.* Si vero, *inquit*, loqueretur Origenes de ipso Christo per panem significato, qui per fidem accipitur, non diceret; Vbi indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.—At Origenes illi qui ingreditur ad pios & impios vult dici, *Domine non sum dignus*: Ergo vel vult adorari, & inuocari panem, quod est absurdissimum, vel vult sub illis speciebus vere Christum contineri.] Respondeo, ab Origene vocari sanctum cibum & incorruptum epulum, ob consecrationem, & effectus qui illum comitantur, si digne cibus ille accipiatur: panem tamen interim vocat, & poculum: sed addit, *vitæ*, propter dictos effectus. Et qui dicit, Domine non sum dignus, non alloquitur panem, sed ipsum Christum quem cum pane spiritualiter se susceptutum credit is, qui humiliter, & digne accipit. Quando vero ait Origenes; *vbi indigne ingreditur.*] intelligit de Christo in suo typo & imagine, non per effectum spiritualem. Et falsum est, Origenem velle vt tam impij quam pij dicant, *Domine non sum dignus.* Impium enim non vult accedere, nisi velit iudicium sibi manducare, vt supra monuit. Et qui dicit ex corde, *non sum dignus*, certe impius non est, sed humilis, & consequenter suam agnoscens indignitatem, & Christo Domino se subdens, quem solum inuocat, non panem; quem fide credit cum pane spiritualiter venturum.

XLIV. Tertius locus est, *in lib. Num. homil. 7.* vbi Origenes ait, Tunc in ænigmate erat manna cibus; nunc autem in specie caro verbi Dei, est verus cibus, sicut ipse dicit, *quia caro mea vere est cibus.*] Sed ego rogo, quomodo Origeni locus Ioannis, *Caro mea est cibus*, potest ad literam significare veram carnem Christi, si ipse Origenes sensum hunc non posse esse, dixit nisi literæ quæ occidit? Non igitur Origenes hic loquitur de Eucharistia, sed de verbo Dei, hoc est, de ipsa iam clara & aperta Euangelica prædicatione: passim enim, vt supra monui, Origenes per carnem Christi quæ nos pascat, intelligit ipsum verbum prædicationis. Et hoc etiam loco ait, Caro verbi Dei est verus cibus; & verbum Dei hoc loco non est ipse Christus, sed Euangelium. Quod ergo manna alens corpora, ænigmatice significabat alimoniam animæ, id, postquam Moyses Æthiopissam duxit, id est, Christus carnem assumpsit, præstat vere & perfecte ipsum verbum Dei, verus cibus animæ nostræ. Iam igitur Origenem quoque à præsentia corporali Christi in Eucharistia abhorruisse compertum habemus.

APPENDIX AD ORIGENEM.

Locum Origenis ex ipsius commentariis in *cap. 15. Matthæi* à nobis *supra num. 41. 42.* ponderatum, & discussum, proponebat Plessæus. Eo grauiter ictus Perronius, vt serpens percussus miris modis sibilat, & excandescit. Origenem hæreticum non esse iudicem competentem inclamat; commentarium illum non esse Origenis suspicatur, aut si est, Erasmi fidem in eo edendo se desiderare significat, ac demum, si & commentarius ille, & locus ex eo productus fide non nutat, hoc ipsum speciale dictum vnam ex Origenis hæresibus esse pronunciat, Et quicquid aliquis veterum Patrum in Origenem inuehendo protulit, id repetit. Videbat tamen satis non esse ad repellendum hoc dictum, quod in multis aliis religionis capitibus Origenes sit turpiter lapsus, & in genere multarum hæresium reus habitus, nisi in hac ipsa materia de Eucharistia, doceatur ab Ecclesia vel à Sanctis Patribus damnatus, eo etiam conatum dirigit, vt probet, in hac ipsa circa Eucharistiæ Sacramentum hæresi, Origenem iampridem male audire: Siquidem hoc ipso loco contra Ecclesiam disputat; nam ipsemet fatetur simpliciores sensisse, sanctificationem realem fieri per Eucharistiam: hos vero simpliciores fuisse ipsos orthodoxos explicat Epiphan. *hær. 64.* Hieronymus *ad Pammachium de erroribus Iohannis Hierosolymitani*,

& Vincentius Lyrinensis ait Origenem contempsisse simplicitatem religionis Catholicæ. Quinimo vnus ex illis simplicioribus erat, vt ait Perronius, ipsemet Origenis Episcopus Dionysius Alexandrinus, quod ait constare ex ipsius Epistola canonica, vbi de menstruatis. Atque in hac epistola obseruat Perronius *pag. 958.* in Eucharistia non esse simplex velum aut signum nudum, sed proprium corpus Christi, illud quod Hæmorroissa non audebat attingere. Cum vero Origenes his contraria hoc ipso loco doceat, & etiam Chrysostomus *in homilia de Encæniis* expresse neget, id quod de secessu affirmat Origenes, igitur hæc doctrina erat Ecclesiæ, & Patribus contraria, & ab iis reiecta: nam & Theophilus *epist. 1. Paschali.* refutat illam Origenis hæresim de sanctificatione per creaturam. Et Theophilum egregie laudat Hieronymus, *in præfatione lib. Theophyl.* Addit demum Perronius, in multis locis fuisse opera Origenis ab hæreticis deprauata.

2. Iudicium de commentario illo, sitne Origenis, & an Erasmus fideliter illum ediderit, & fuerit ne ab hæreticis, hoc maxime loco, deprauatus, relinquo Criticis. Illud scio, tecum pugnare Perronium, qui locum ipsum controuersum, à Theophilo Alexandrino, & citatum & oppugnatum, produxit, & tamen de Erasmo suspicari aliquem posse asserit. Theophilus autem Erasmum mille & ducentis annis præcessit, & locum in pleno sensu eundem legebat quem Erasmus edidit. Sed Criticorum munus omittamus, ad rem veniamus. Si vera sunt quæ contendit Perronius, hoc ipsum dictum tanquam hæreticum, aut erroneum, aut falsum fuisse à quoquam ex SS. PP. confutatum, aut reprehensum, & reiectum; procul dubio silentium Catholico cuique debet imponere, ne hoc Origenis loco in causa Eucharistiæ controuersa vtatur. Si tamen hoc dictum in ea parte, in qua cum reali præsentia pugnat, nunquam fuit confutatum, nunquam damnatum, nunquam reprehensum, sed perpetuo in bono Catholico sensu in Ecclesia retentum, profecto Origenis in ea parte autoritas manebit inconcussa.

3. Nostra quæstio est, an fideles, iusti præsertim & digni, in sumptione Eucharistiæ, comedant panem substantialiter, & corpus Christi non nisi figuraliter & spiritualiter: an vero ipsum Christi corpus materiale substantialiter, & materialiter comedant. Si Origenes dixit nos panem comedere, & non corpus Christi corporaliter, atque in hoc fuit reprehensus & damnatus, contra realistas non est producendus; secus si secus. Videamus ergo quid dicat Origenes, & quam censuram à Patribus orthodoxis tulerit. Certe quæstio quam proponit Origenes hæc est: dixerit quispiam, quod sicut quod ingreditur in os non polluit hominem, etiamsi puretur à Iudæis pollutum: ita quod ingreditur in os, non sanctificat hominem, etiamsi à simplicioribus credatur sanctificare, nimirum is qui vocatur panis Domini.] Hic certe nulla quæstio est, an panis ille sit panis, an vero sit transsubstantiatus in corpus Domini; sed plane panem quando in Sacramento comeditur, supponit esse panem substantialiter: etsi putasset iam panem illum esse transsubstantiatum, non proponeret, an panis sacer sanctificet hominem, sed an corpus Christi sanctificet hominem: imo ne absolute quidem hanc mouisset quæstionem; stulte enim quæreret de corpore Christi vero & reali, an comestum ab homine illum sanctificet, neque illum compararet cum reliquis puris creaturis, neque quæreret, an Deus per creaturam sanctificet homines, nimirum per corpus ipsum filij sui, quod est per ipsummet Christum, verum Deum & verum hominem. Non ergo panem Eucharisticum putauit esse Christum. Sed fuitne in hoc reprehensus? minime vero: in sua præcipua quæstione & quæstionis solutione à Theophilo fuit male acceptus, videlicet quia definiuit Sacramenta non operari sanctificationem ex opere, vt ita dicam, operato, sed tantum ex opere operantis: & Deum non vti creaturis materialibus, & insensibilibus ad communicandam homini sanctificationem. Theophilus vero, dum hanc Origenis opinionem erroremue redarguit, totus in eo est vt probet creaturas etiam insensibiles esse capaces diuini Spiritus, *epist. 1. Paschali.* & ita aquas in Baptismo mysticas aduentu sancti Spiritus consecrari; & panem Dominicum quo Saluatoris corpus ostenditur *(nota ostenditur)* & quem frangimus *(nota frangimus, corpus enim Christi verum non frangitur)*; in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, & vtique inanima sunt, *(nota, inanima sunt; non ergo corpus Christi verum, & viuum,)* per inuocationem & aduentum sancti Spiritus sanctificari.] Tantum ergo abest, vt Theophilus redarguat Origenem, quod negauit in Eucharistia veram præsentiam realem corporis Christi, vt ipsemet hoc ipsum doceat, panem per consecrationem, tametsi adhuc sit res inanima & insensibilis, per spiritum tamen ad nostram sanctificationem sanctificari. Quod itaque astruebat Origenes, creaturam non accipere Spiritum sanctum, neque hominem sanctificare, hoc destruit Theophilus. Si quid ergo errauit Origenes in hoc dicto, errauit circa efficaciam Sacramentorum, & vim qua res sensibiles in Sacramentis attingunt effectum spiritualem: num per modum instrumenti, num tanquam conditio sine qua non, num alio modo. Certe Theophilus errorem putauit, negare rebus ipsis sensibilibus in Sacramentis vim quandam spiritualem eis à Spiritu sancto communicatam, qua velut Dei instrumenta operentur in anima; qua de re vter melius senserit Origenes ne an Theophilus, non est huius loci disputare.

4. Satis nunc nobis sit, Origenem à nemine fuisse aut confutatum aut reprehensum in materia realis præsentiæ, sed tantum in materia efficaciæ Sacramentorum: quod ad rem nostram non est. Desideratur vero maior sinceritas, & melior fides in Perronio, vbi ille statum quæstionis, vt proponitur & tractatur ab Origene, explicat *pag. 956.* dicens, quærere Origenem, an panis Domini nos sanctificet suapte natura, quod est, inquit, ad loquendum sine ænigmatibus, an ipse panis sit vere corpus Christi necne: nam nulla alia creatura potest nos suapte natura sanctificare, nisi corpus Domini.] Itane? Cur ergo tantopere laudas Theophilum? ipse tamen dicit, aquam sanctificare animam, ita & panem. Sed vim facit in illis verbis, *suapte natura.* At Origenes per illa verba intelligit, per suam efficientiam, attingendo effectum gratiæ, quod ferme Scholastici dicunt, ex opere operato; negabat enim creaturam insensibilem esse capacem spiritus ad opera spiritus: at Theophilus affirmabat, & ita asserebat creaturam insensibilem, vt aquam, & panem in Sacramentis per virtutem Spiritus sancti in se acceptam, attingere sanctificationem. Neque Perronius id potuit negare, est enim communis opinio iam Pontificiorum, Sacramenta efficere gratiam Physice ex opere operato, nisi ponatur obex. Non debuit ergo ludere in sensu illorum verborum, *suapte natura*, quasi Origenes quæreret, an creatura possit sanctificare ex se, suis propriis viribus: hoc enim ille non quærebat; sed quærebat, an creatura insensibilis esset capax Spiritus sancti, per quem illa posset homines interne sanctificare suapte natura, attingendo se ipsa sua propria actione Physica, sanctificationem, post acceptum tamen

men Spiritum ſanctum. Quia tamen negabat eſſe capacem Spiritus ſancti, ideo negabat poſſe ipſam ſe ipſa, per ſuam propriam operationem, quod eſt, ſuapte natura, ſanctificare. Ab Origenis ergo quæſito & ſcopo plurimum, ſed certe ſciens & volens, aberrauit Perronius, dum dixit, Origenem quærere, an panis ſit corpus Chriſti verum, necne; quærit enim, an panis, cum ſit creatura inanimis, ſit capax Spiritus ſancti, ad ſanctificandos homines: atque hoc negat, quanto magis negabit ipſum panem eſſe ſubſtantialiter ipſummet corpus Domini, ſiquidem de pane iam conſecrato illud quærit, tanquam de creatura inanimi.

5. Cum igitur Origenes in hoc, quod videlicet panis in Euchariſtia ſit res ſenſu carens, & quod ſecundum materiale in ventrem vadit, & in ſeceſſum eiicitur, & quod nullus malus accipit corpus Chriſti (ex quo ſequitur quod corpus Chriſti non ſit Sacramentum, ſed res Sacramenti) nunquam fuerit damnatus, aut reprehenſus, ille erit iudex competens, & teſtis in Eccleſia Catholica in hac parte idoneus: etiam vbi ait, Euchariſtiam quoad materiam, quæ eſt panis, in ſeceſſum ire: ad quod Chriſtianos aures obſtruere debere monet Perronius: & tamen ſi panis in Euchariſtia ſubſtantialiter comeditur, vt omnes Patres hactenus comprobarunt, id neceſſario ſequitur; quod etiam de ſpeciebus Sacramentalibus id neceſſario ſequi non poſſunt negare. Non eſt ergo cur aures huic veritati obſtruantur. An vero Chryſoſtomus eas obſtruxerit, & contrarium *in homilia de encaniis* docuerit, videbimus ſuo loco.

6. Dionyſium tamen Alexandrinum omittere nolo, quem Epiſcopum ſuo Preſbytero Origeni aduerſarium protulit Perronius *pag.958.* non quod directe dictum hoc Origenis reprehendat, ſed quia realem ille præſentiam ponat, quam Origenes non ponebat. Poterat ergo ſeorſim inter Patres reali præſentiæ fauentes recenſeri, cum nihil ille peculiaris negotij habeat cum Origene. Quid igitur ait Dionyſius? De menſtruatis ait, *epiſt. Canon. bibliothec. SS. PP. tom. 3.* Non puto mulieres vel ad ſanctam menſam accedere, vel corpus, & ſanguinem Domini attingere. Neque enim quæ 12. annorum fluxum habebat, ipſum ad medicinam tetigit, ſed ſolum eius fimbriam: — Ad Sancta autem Sanctorum qui anima & corpore purus non eſt accedere prohibetur.] Eſtne igitur in Euchariſtia ipſum verum Chriſti corpus tangibile? Quis hoc concedet? Attingere ergo corpus Domini; eſt attingere panem, qui eſt figura & ſignum corporis Domini: ſic toties vidimus ſignum nomine rei vocari. Exemplum vero Hæmoroiſſæ non facit niſi argumentum à ſimili, ſed ſimul etiam à maiori ad minus. Sicut Hæmorroiſſa laudabiliter abſtinuit ab attingendo Chriſti corpore vero, ſic laudabiliter mulier immunda abſtineat ab eodem in ſua figura & typo. Siue ſicut mulier illa Hæmoroiſſa ex profluuio ſanguinis immunda, abſtinuit ne attingeret corpus Chriſti verum: ſic menſtruata abſtineat, nec in ſe percipiat Sacramentum, & conſequenter rem Sacramenti quæ eſt Corpus Domini, ſed ſpiritualiter. Sancta vero ſunt omnia Sacramenta, ſed Euchariſtia fuit ſemper reputata ſanctitate ſua Sacramentali præcellere, quia exhibet ſuo modo ineffabili verum corpus Chriſti, ideo Sancta Sanctorum; ſi tamen hic modus loquendi ſit ſanctitatis augmentatiuum: nam Euchariſtia *Sancta Sanctorum* vocatur, quia non datur niſi ſanctis, nec accipere eam debent niſi ſancti, nec proficit niſi ſanctis; Ideo Liturgiæ veteres habent, *Sancta Sanctis.*

7. Illud præterea nolo omittere, quod Perronius *p.961.* in quadam ſua parentheſi monuit: in illis Theophili verbis: *quo Saluatoris corpus oſtenditur*, nimirum græce haberi verbum, quod & *oſtendere* ſignificat, & *facere*, & tamen verbum Græcum non poſuit, vt ſolet, id vero monuit, ne contra realiſtas Theophilus in pane ſolum ſignum corporis videatur agnoſcere. Epiſtolam illam Theophili græce videre non potui, quodnam ſit illud verbum ignoro: illud tamen ſcio verbum *faciendi* locum in eo Theophili dicto non habere; pane enim neque apud realiſtas fit corpus Chriſti: cum tamen ſignum ſit, recte dicitur, pane Chriſti corpus oſtendi.

8. Tranſit Perronius ad alium Origenis locum à Pleſſæo productum, vbi Origenes *in num. homil. 16.* ait, Nos bibere ſanguinem Chriſti, non ſolum Sacramentorum ritu, ſed & cum ſermones eius recipimus, &c. conaturq; oſtendere, locum hunc nihil præiudicare reali præſentiæ. Quoniam vero in poſterioribus editionibus Pleſſæus non adducit hunc locum, vt principalem, & ad ipſam præcipuam quæſtionem pertinentem, ſed vt lateralem ad aliquid aliud confirmandum, in huius loci defenſione nolo ſubſiſtere. Idem dico de alio loco, *in Matth. tract. 35.* vbi allegorice ſumit Origenes panem Euchariſtiæ pro verbo nutritorio. nam etiam hunc locum lateraliter produxit Pleſſæus. & duntaxat innuit, non quæſtioni principali accommodauit.

9. Pro reali præſentia afferebat Bellarminus Origenem *in Leuit. hom. 13.* vt ego ſupra conſideraui *num. 43.* vbi tractat de reuerentia ſacræ Euchariſtiæ exhiberi à fidelibus ſolita, ne quid decideret in terram, &c. Reſpondebat Pleſſæus reuerentiam Sacramentis merito deberi; quod & ego reſpondi loco citato adducitque locum Tertulliani, *de coron. mil.* vbi de calice communi ait, nos anxie pati, vt aliquid in terram decutiatur. Vrget Perronius, extraordinariam venerationem pani ſimplici non deberi. Debetur tamen, quia panis iam Sacramentalis eſt, obſecrationibus conſecratus, & quem ipſum verum corpus Chriſti ſpiritualiter comitatur. Sic profecto etiam aquæ baptiſmali per inuocationem Trinitatis iam ad baptiſmum conſecratæ, multo maior reuerentia debetur, quam aquæ communi; & ſi quis ea abuteretur in rebus ſordidis, procul dubio magnæ irreuerentiæ reus eſſet; ſed non propterea aqua illa eſt in ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiata. Ego vero eodem *num. 43.* oſtendi, colligi potius ex illa reuerentia argumentum contra realem præſentiam; quam pro illa.

10. Pro eadem reali præſentia alium quoque Origenis locum *de diuerſ. homil. 5.* proferebat Bellarminus vbi ille ait, Quando incorruptum epulum ſumimus; nos dicere; Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, &c. Eundem locum pleniorem profert etiam Perronius; queritur enim à Pleſſæo fuiſſe mutilum productum & decurtatum; & ego eum plene retuli ſupra *num. 46.* ad hunc locum hæc ſubdit Perronius. Nonne ex his verbis ſequitur corpus Chriſti vere & realiter eſſe in Sacramento, ſi ad ipſum Chriſtum dicitur, *Domine non ſum dignus*? Vbinam vero etiam intrat, cum indigne intrat ad iudicium recipientis? Non in animam, quæ non poteſt indigne recipere, ſiquidem non aliter niſi per fidem: ergo in corpus.] Ad hæc ſatis eſt mea reſponſio data Bellarmino ſupra num. 43. Nam non dicitur pani, *Domine non ſum dignus*, ſed Chriſto, quem ſpiritualiter recipimus in Sacramento. At indigne recipiens recipit Chriſtum in ſuo typo, & figura, corporaliter tantum, ſed ad iudicium. Inſtabat porro Pleſſæus contra Bellarminum:

minum: non esse corpus quod se humiliat, sed animam: ergo tectum anima est, non corpus. Respondet Perronius. Et neque tectum domus Centurionis erat quod se humiliabat, sed ipsius anima: ergo tectum de quo loquebatur non erat tectum domus suæ, sed animæ: inde exclamat, A logica Salmuriensi libera nos Domine; & postea, ô Chrysippe, ô Aristoteles.] Sed profecto contra logicam Perronianam ita exclamandum est; nam omnino ipse Perronius sine logica logicam examinat. Logica Salmuriensis optima est. Nunc enim post Christi ascensum in cœlum, sicuti ipse in persona propria non nisi spiritualiter ingreditur, ita non nisi spirituali tecto excipitur: At vero dum in terris mortalis esset, sicuti ipse corporaliter in propria persona aderat, ita etiam corporali quoque tecto excipiebatur. Fallit ergo sua logica Perronium, qui nesciuit ita distinguere, & mutare terminos. Centurio ergo, vt erat persona externa, humiliabat se Christo externe etiam præsenti; at nunc fideles in persona potissimum interna se humiliant, quia Dominum non nisi interne recipiunt in animam. Et ita tectum de quo loquebatur Centurio, erat tectum externum, domus materialis: at nunc, quando spiritualiter duntaxat recipitur, tecto etiam duntaxat spirituali recipitur, tametsi etiam ad corpus spiritualitas se extendat, vt in superioribus vidimus. Salmuriensis ergo logica optime colligit, nunc Christum non excipi nisi spiritualiter ab homine spirituali, & sub tecto spirituali. Centurionem vero agere de homine materiali, de domo & tecto materiali, & de Christo secundum præsentiam materialem & corporalem, quæ simul logica Perroniana confundit.

XLV. Cyprianus sanctissimus accedat; is *libr. 2. epist. 3.* probare nititur, & vinum & aquam vino mistam ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum esse necessaria; nam aliqui solam etiam aquam consecrabant: vt vero ex Christi institutione ostendat vinum esse adhibendum, ait; Calicem benedixit, & dedit discipulis suis, dicens; Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis noui Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dicam vobis, Non bibam amodo ex ista creatura vitis, &c.— qua in parte inuenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, & vinum fuisse quod sanguinem suum dixit.] Hic primum videmus Cyprianum sentire, Christum de vino adhuc consecrato loqui, vbi ait, *Non bibam de genimine huius vitis.* Ergo non poterat non sentire, vinum à Christo consecratum fuisse adhuc vinum de genimine vitis: non ergo agnoscit fuisse transsubstantiatum, neq; agnoscit præsentiam realem sanguinis, vbi est verum vinum. Deinde expresse ait, in calice quem Dominus obtulit, profecto post consecrationem, vinum fuisse id quod Christus sanguinem suum esse dixerat. Habet vero paulo ante Cyprianus; Nec potest videri sanguis eius, quo redempti sumus esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur.] Si vino ostenditur sanguis, vinum ergo est in calice consecrato: & si per vinum consecratum ostenditur Christi sanguis, vinum ergo est ostensiuum, & figuratiuum duntaxat sanguinis: non ergo in calice adest reali præsentia sanguis.

XLVI. Obseruat Bellarminus *de Euchar. lib. 2. cap. 9.* multum interesse inter has duas propositiones, *Vinum est sanguis Domini*, &, *Sanguis Domini est vinum.* Si prior sit in Cypriano, ait eam sibi non prodesse, sed nec obesse: at vero si sit posterior, eam sibi aperte aduersus contrariam opinionem suffragari: Deinde conatur vtramque in hac eadem Cypriani epistola inuenire. Acuit quidem ille ingenium, sed nihil efficit; Prior enim propositio plurimum præsentiæ reali sanguinis in calice officit, imo eam omnino tollit. Vinum enim in calice est sanguis Domini tantum ostensiue, hoc est figuratiue & typice, vt vult Cyprianus: At vinum ille intelligit verum vinum, vinum vitis, substantialiter vinum, non spectrum vini, non similitudinem vini, non nuda accidentia vini; illa enim non sunt vinum, in recto, sed aliquid vini, in obliquo: quorum accidentium sine subiecto existentium, neque Cyprianus, neque vllus vnquam ex antiquis Patribus, vel per somnium meminerunt; Certe Cyprianus in eadem epistola aduersus aquarios, ait, Nisi in Sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini, redoleat sanguinem Christi.] Odorem profecto, qui citra omnem controuersiam est solius vini accidens, & sane vini propriissime sumpti, tamen simul facit Cyprianus accidens sanguinis Christi: cum autem accidentia non transsubstantientur, profecto sanguis Christi hoc loco Cypriano est ipsissimum vinum propriissime sumptum, quod vinum sit in se & sua substantia perfecta, sanguis vero typice, figuraliter, & effectiue. Imo accidentia nuda vini nec ostendere nec significate possunt, aut repræsentare Christi sanguinem prout est, aut à nobis fingitur esse in calice, quia accidens non potest repræsentare nisi accidens, neque potest esse simile nisi accidenti, vt rubedo rubedini, dulcedo dulcedini, &c. accidens vero nudum omni substantia denudatum, nulla ratione potest repræsentare vlla, ne remota quidem similitudine, substantiam omni accidente denudatam: qualem nos ponimus in calice sanguinis Christi substantiam: at vero vinum verum & reale ac substantiale optime repræsentat sanguinem item substantialem, siue materialiter, quia vterque est liquor rubeus & corpus humanum sustentans; siue spiritualiter, quia sicut vinum dat robur & vires corpori, & perficit simul cum cibo nutritionem, ita sanguis Christi cum eius carne dat robur & alimentum animæ: quod si à vino tollas substantiam, nulla erit amplius similitudo, nulla conuenientia. Prima ergo propositio destruit præsentiam realem.

XLVII. Altera quoque propositio nihil minus eandem destruit, Dicit itaque Cyprianus, Nam cum dicat Christus, *Iohan. 15. vers. 1.* Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua vtique est, sed vinum.] Si illæ duæ propositiones formentur in naturalibus, *vinum est sanguis*, &, *sanguis est vinum:* in sensu substantiali prior significabit vinum cessare esse vinum, & fieri sanguinem, qui sit verus sanguis: posterior vero contra significabit sanguinem, amissa natura sanguinis, mutari in verum & reale ac completum vinum: At vero extra naturalia, & in subiecta materia supernaturali veritas ex possibilibus, & non ex impossibilibus est indaganda. Qui ergo dicit, *Vinum est sanguis Christi in Sacramento*, cum in sensu substantiali omnimodam secum ferat impossibilitatem, nihil aliud potest seruata veritate significare, nisi vinum typice, allegorice, significatiue & repræsentatiue esse sanguinem; imo vero etiam virtualiter, & effectiue, stante promissione Christi, qui se suum sanguinem dare dixit, certe spiritualiter simul cum vino consecrato; ipsum vinum digne bibenti. Altera vero propositio, prioris conuersa apud Cyprianum est talis, *Sanguis Christi est vinum in Sacramento*; & non ait, per similitudinem; cum sanguis Christi ineptissime adhibeatur vt sit figura & typus vini; semper enim figuratum, in rebus præsertim diuinis, qualia sunt Sacramenta, est longe nobilius quam ipsa figura, in ratione significandi; quia figura est propter figuratum, non è contra: neque

neque imaginabile est, vt sanguis Christi vel conuertatur physice vel transsubstantietur in vinum; propterea propositio hæc; *Sanguis Christi est vinum*, alium sensum verum & admissibilem non potest habere, nisi sanguinem Christi transire in vinum, sicut figuratum in suam figuram. Aut sanguinem Christi spiritualiter, & cum suis spiritualibus effectibus comitari vinum, & cum vino exhibere, digne vinum illud sacrum bibentibus. Et ita nego hanc secundam propositionem requirere, vt sanguis verus sit in calice: sed satis est vt vinum verum sit in calice, cui spiritualiter adiungatur sanguis verus, qui est in Christi corpore. Sic de ferro ignito possumus dicere, *Hoc ferrum est ignis*, quia habet sibi intra suos poros annexum ignem, cum tamen sit verum ferrum & possumus dicere, *Hic ignis est ferrum*, quia ignis cum suis proprietatibus transit in ferrum, ei adhærendo

XLVIII. Tribuitur Cypriano Sermo quidam de cœna Domini, inter opera Cardinalia, bonus tamen & satis magnæ autoritatis, licet Cypriani Carthaginensis Episcopi communiter esse non credatur. Et hoc sermone mirum quam multa & valde clara dicta habeantur, quæ præsentiam realem nullo modo ferre possunt. Ea sunt hic statim paucis recensenda. 1. Immortalitatis alimonia — corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam.] Species hic non significat accidentia, seu nudam apparentiam, sed ipsammet formam & naturam reique veritatem internam & externam, prout species solet à Patribus opponi typo & ænigmati, vt vidimus paulo ante in Origene. Hæc ergo alimonia retinet suam corporalis substantiæ formam & naturam, & etiam aspectum, sed tamen per effectus spirituales virtutis diuinæ præsentiam probat. Non agnoscit præsentiam corporalem Christi, sed solam præsentiam virtutis diuinæ, per inuisibilem efficientiam spiritualem: quam nos iam toties posuimus & exposuimus. 2. Panis, *inquit*, iste supersubstantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis salutem vitamq; proficit.] Hic rursum panem ponit in Sacramento, & consecrationem, & spiritualem efficientiam diuinam ad salutem, & vitam hominis; de corporali præsentia nihil. 3. Sceleratum os *Iudæ*, panis sanctificatus intrauit.] non corpus reale, sed panis sanctificatus, hoc est Sacramentalis, panis tamen. 4. Nostra infirmitas sensibili incremento edocta est, visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos vniri.] Hic erat opportunitas dicendi, visibilibus Sacramentis inesse inuisibiliter ipsum reale corpus Christi, secundum realem & corporalem præsentiam, & tamen solum effectum agnoscit, seu efficientiam illam [illegible]m; negatque nos corporaliter vniri Christo per hoc Sacramentum: quod non modo merito negat, quia nos non transimus in substantiam Christi: sed etiam quia substantia corporalis corporis Christi nobis in hoc Sacramento non vnitur per realem corporis comestionem, licet Sacramento obuoluti, sed hoc totum fieri ait spiritualiter. 5. Quamuis ab indignis se sumi vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes.] Video satis clare hic distinctionem inter Sacramentum & rem Sacramenti: Sacramentum huic Autori est panis sacratus manducatus, res Sacramenti non est corpus Christi reale realiter in Sacramento præsens: sic enim indigni & Sacramentum, & rem Sacramenti, id est, ipsum corpus sumerent, & tangerent, sed est spiritus ipse Christi, hoc est corpus eius spirituali modo operans. 6. Dixerat Dominus, *Ioan.6.v.53. quod nisi manducaremus eius carnem, &c.* — spirituali nos instruens documento, vt sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio, &c.] Manducatio ergo carnis est spiritualis, non realis; tunc enim Christum manducamus, quando nos in ipso manemus, fide nimirum & dilectione. Vbi ergo manducatio realis & corporalis corporis Christi, si non nisi spiritualiter ea fiat? 7. Vsq; hodie hoc veracissimum & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & pie sumentibus diuidit.] Num reale corpus Christi realiter creatur? num corpus Christi sanctificatur, benedicitur, diuiditur? Hæc omnia de pane dicuntur, qui nobis à Deo creatur, ac vt sit efficax figura veracissimi & sanctissimi corporis Christi, sanctificatur & benedicitur, ac demum ad vtilitatem sumentium ipse panis diuiditur, vt cum ipso veracissimum & sanctissimum Christi corpus spiritualiter sumant & effectiue. 8. Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus, & partimur.] Si corpus reale Christi realiter in Eucharistia sumeretur, certe etiam dentibus morderetur, & palato, ac faucibus in stomachum traiiceretur: at hoc negat fieri hic Autor, sed fide ipsum Christi corpus comedi asserit, dum dentibus & faucibus panem sanctum comedimus, & partimur. 9. Sacramento & re Sacramenti capiti nostro connectimur & vnimur singuli alter alterius membra.] Vnio, *inquit*, qua inter nos tanquam membra in vno corpore conglutinamur & capiti Christo cohæremus, fit Sacramento & re Sacramenti: non est ergo Christus res Sacramenti, quo Christo vniamur, sed est is cui vnimur per Sacramentum & rem Sacramenti, hoc est per fidem & spiritum quem cum Sacramento accipimus. Ad aliqua ex his nouem dictis respondet Bellarminus, & iis suas addit interpretationes, nostræ tamen breues quas singulis apposuimus explicationes, Bellarminianas enecant interpretationes; omnia tamen hæc nouem dicta huius sermonis non considerauit, quia non omnia sibi obiici viderat.

LXIX. At vero ipse Bellarminus ex eodem sermone de cœna Domini tela pro reali præsentia tria educit, sed satis infirma: quidni infirma, si nouem hæc dicta debent in se illa absorbere? Primum est: Cœna disposita, inter Sacramentales epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis.] Panis, *inquit Bellarminus*, non est cibus inconsumptibilis qui non minus consumitur quam agnus: neque corpus Christi, vt sola fide manducatur, quia eodem modo habuissent eundem cibum Iudæi in agno Paschali.] Respondeo primo, Eucharistiam nostram dici cibum inconsumptibilem, quia nunquam amplius, vsque ad consummationem seculi est cessatura: Agnus vero talis non fuit; quia in Christi morte suam habuit consummationem, & ipsius vsus cessauit. Et quia hæc explicatio non placet Bellarmino *lib.1.cap.4.* Respondeo secundo, Agnum fuisse cibum consumptibilem, quia non exhibebat corpus Christi reale in re, sed tantum in spe. Quod enim in re sumebatur in esu agni, nihil aliud erat nisi agnus, cibus de se consumptibilis, Christi enim corpus, etsi spiritualiter sumeretur per fidem, non tamen in re ipsa sumebatur, sed in spe; At vero panis noster exhibet ipse Christi corpus reale in re ipsa, & non in spe tantum: illi igitur manducabant cum agno Christum fide rei futuræ & speratæ, nos vero comedimus eundem Christum fide quidem vt illi, sed fide rei præsentis, quæ actu ipso, & non sola spe, nobis cum

cum pane exhibeatur, modo tamen ineffabili, certe non corporali, quod illis non contingebat; & sic illi re ipsa non comedebant corpus Christi, sed carnes agni solas, qui erat cibus consumptibilis; at nos comedimus re ipsa corpus Christi, qui est cibus nobis inconsumptibilis: & nos quidem comedimus ipsum realiter, sed non corporaliter.

L. Secundum telum est, Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro; & sicut in persona Christi humanitas apparebat, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.] Miror tam forte hoc telum reputari à Bellarmino, vt nullam admittat solutionem. Ego tamen conabor ei hoc telum exmucronare, & totum obtundere. Tota vis, tota acies in vnico verbulo consistit; *natura*, quod solum verbulum si abesset, totum telum esset Bellarmino plumbeum. At vero nouem à nobis prolata dicta, naturalem hanc seu substantialem mutationem nullo pacto admittentia, imo ne tolerantia quidem, nonne cogunt quemque sapientem verbulum, *natura*, satis ex se amphibologicum ad sensum clarum Autoris applicare? Imo locus ipse id omnino cogit. Si enim naturæ mutationem, hoc est, substantialem intellexit Autor, Panem nimirum substantialiter in Christi carnem mutari; cur sibi constans in eadem sententia non perseuerat, sed ab ea longe longius statim abscedit, rem enim similitudine explicaturus dicebat. Sicut in persona Christi humanitas apparebat, & latebat diuinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.] Atqui debuit dicere, (nisi inter os & offam ei aliquid intercidit,) ita Sacramento visibili ineffabiliter Christi corpus substantialiter se infudit: iam silet de corpore, & diuinæ duntaxat essentiæ, hoc est, diuinæ virtutis in Sacramento spirituales effectus operantis, facit mentionem; & sic hoc loco, sicut & clarius in sequentibus à nobis iam productis & explicatis, in Eucharistia agnoscit Sacramentum ipsum panem sanctificatum, & rem Sacramenti, non corpus materiale, sed diuinam essentiam; hoc est, diuinam virtutem corpus Christi reale cum suis donis & effectibus spiritualiter sua omnipotentia Sacramento adnectentem. Quando igitur ait Autor, panem non effigie, sed natura mutatum, necesse est intelligamus mutationem, non in eo quod esset quidem & appareret panis, sed in vi quadam ac potestate, quam ex consecratione accepit, vt digne comedentibus exhibeat ipsam Christi carnem, modis explicatis. Neque enim nouum est, vt natura vim & proprietatem significet, vt cum dicimus, hæc res est talis naturæ, vt hoc vel hoc efficiat, &c. Neque vim faciat Bellarminus in eo, quod dicatur panis natura mutari, & non dicatur, naturam panis mutari. Nam idem est, panem natura mutari, atq; eum in natura mutari, hoc est in vi, & potestate: acquirit enim eam vim de nouo, quam non habebat, vt Sacramento virtualiter & efficienter cum ipso exhibeatur corpus, &c. Sublata ergo sola verbuli illius, *natura* æquiuocatione, totus locus Bellarmino eripitur, & contra præsentiam realem produci debet, tali sensu; panis quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, qua apparet esse panis, vt vere est, sed in vi, ac potestate mutatus, omnipotentia diuina factus est caro virtute & efficienter.

LI. Tertium telum ex eodem sermone assumit Bellarminus, ex illis verbis; Noua est huius Sacramenti doctrina, — vt biberent Christiani sanguinem, cuius esum legis antiquæ autoritas districtissime interdicit: lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit vt bibatur.] Vbi nisi proprie, *inquit Bellarminus*, de sanguine loquatur, nihil prorsus dicit: non enim lex vetus prohibebat sanguinem figurate sumptum, imo Hebræi potu aquæ de petra scaturientis Christi sanguinem bibebant figurate, vt modo Sacramentarij facere se dicunt in Eucharistia.] Hæc ille. In his tamen verbis est lusus quidam Rhetoricus circa *sanguinem*, absque vlla oppositione inter legem nouam, & veterem: Non enim solum in lege veteri prohibebatur esus sanguinis, sed in tota natura inauditum erat vt sanguis biberetur, licet extra legem Mosaicam legitime ederetur. Nouum vero & prius inauditum est, quod Euangelium iubet, vt sanguis bibatur, qui tamen nunquam solet pro potu adhiberi, sed pro cibo duntaxat, siue intra venas adhuc existat in suffocato, siue extra venas; sed cum præparatione in escam, nunquam in potum. Non est autem sensus, in Euangelio bibi sanguinem realem Christi realiter & materialiter, sed sat est, quod ipse realis Christi sanguis, & verissime & propriissime corporalis, spiritualiter tamen bibatur, quod Hebræis neque realiter, neque spiritualiter vnquam contigit: non realiter, quia nullum sanguinem vnquam, aut ipsi, aut vlla natio bibit, imo ne comedere quidem eum illis licebat; neque spiritualiter, quia aqua illa ex petra repræsentabat quidem figuraliter Christi sanguinem, non tamen bibentibus; iuxta communiorem nostrorum sententiam, illa exhibebat actu dona & efficaciam sanguinis Christi spiritualiter, sicut exhibet nobis sacrum vinum. Et cur quæso proprie debet sanguis esse, qui bibendus in noua lege præcipitur, ideo quia sanguis proprie erat, cuius esus in veteri lege prohibetur? in eadem veteri lege *Exod.21.v.24.* prohibebatur, ne Eunuchus amputatis testiculis intraret in Ecclesiam: & qui oculum alicui eruebat, graui pœna plectebatur. Et tamen in Euangelio *Matth.19.* laudantur Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Et si oculus nos scandalizauerit, iubemur illum eruere, *Matth.18.* Nunquid proprie hæc debent fieri?

LII. Verum adhuc veri Cypriani locum pro se vnicum adducit Bellarminus *de Euchar. lib.2.c.9.* vbi Cyprianus de iis qui negarant Christum in tormentis, & ante debitam pœnitentiam & reconciliationem Eucharistiam sumebant, sic loquitur, *serm. de lapsis.* Vis infertur corpori eius & sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quam cum Dominum negauerunt.] Incredibile vero videtur Bellarmino, Cyprianum sensisse maius esse peccatum, indignis manibus tangere signum aliquod, seu figuram Christum repræsentantem, quam Christum ipsum negare.] At vero Cyprianus non comparat nudum & solum contactum Sacramentalis panis ab homine in peccato existente, cum Christi negatione: sic enim etiam si quis peccator Christum in terris mortalem degentem tetigisset, vt quando Iudas eum osculatus est, profecto longe minus peccatum Iudæ fuisset, Christum fuisse impuro ore osculatum, præcise ratione solius huius contactus, quam quod illum tradiderit vel negauerit. Comparat vero contactum illum Sacramentorum, eorumque receptionem sacrilegam, cum tanta indignitate, nondum expiato peccato negationis, cum ipsa negatione, & vult audaciam hanc, & summum diuinorum contemptum post negatum Christum, adhuc ipsis esse maius peccatum, quam fuerit sola negatio: illa enim facta est ex fragilitate; hic vero Sacramenti abusus fiebat cum summa arrogantia & superbia, & cum magno, libero, voluntario; ac ex omni parte inexcusabili sacrilegio.

APPEN-

APPENDIX AD CYPRIANUM.

PRimus locus Cypriani apud Plessæum erat, Quando Dominus corpus suum panem vocat, &c. quando ergo Christus dicebat, *hoc est corpus, hic est sanguis*, de pane loquebatur. Vbi ergo transubstantiatio? Respondet Perronius, Dominum vocare quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & tunc quando panem vocabat corpus, fuisse quidem panem, sed vocando fecisse vt esset corpus, & sic post vocationem illam, *hoc est corpus*, panem non fuisse amplius panem, sed corpus. Sicut Lazarus ipsa vocatione viuificatus est, mortuus enim erat quando eum vocabat, sed non amplius mortuus, sed viuus post quam eum vocauit.] Hoc est merum subterfugium & tenetur assignare monumenta, in quibus panis fiat corpus, in quo sunt tricæ innumerabiles, satisque oppugnatur hoc subterfugium, tum ex mea disputatione de verbis consecratoriis *num.5.& seqq.* tum ex omnibus illis Patribus, qui panem in Sacramento agnoscunt, vt hactenus vidimus, & videbimus in sequentibus, à quibus Cyprianus nihil penitus discordat. Exemplum vero Lazari nihil est ad rem, quia Lazarus erat mortuus toto tempore quo à Christo dicebantur illa verba, *Lazare veni foras*: statim post ea immediate reuixit, & illa verba sensum suum perfectum habent, absque vlla absurditate, tam ante viuificationem Lazari, quam post. At verba illa, *hoc est corpus meum*, supponunt iam esse corpus, & tamen constat etiam fuisse panem; nam illud, *hoc*, non potest demonstrare aliud quam panem. Præterea verba illa, *Lazare veni foras*, sunt operatiua suscitationis Lazari, neque significant Lazarum esse iam suscitatum. At verba illa *Hoc est corpus meum*, significant iam illud esse corpus, Et si nondum erat corpus, falsa erant, quæ est blasphemia. Si autem erat iam corpus, non ergo erant factiua corporis, in quas angustias redigi non possunt illa verba, *Lazare veni foras*.

II. Alter locus Cypriani est, *de vnct. chrism.* vbi ait, in mensa Domini significantia & significata iisdē vocabulis censeri; Non vtique significantia, *inquit Plessæus*, in significata transmutantur; aut significata significantium locum subeunt.] Respondet Perronius per significantia & significata eo loci, non corpus & panem intelligi, sed Sacramenta Melchisedechi, & Sacramenta Christi.] At in toto illo sermone profundum perpetuo silentium de Melchisedeco, & de quacunque illa figura veteri Eucharistiæ. Sed expresse ibi agitur de pane & vino, & de correspondentibus, corpore & sanguine Domini. Ait enim autor ille: Dedit itaque Dominus noster in mensa propriis manibus panem & vinum; in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, vt in Apostolis secretius impressa sincera veritas, & vera sinceritas, exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis:] Vinum & panis, certe non Melchisedechi, qui nunquam nominatus in hoc sermone fuit, sed illud vinum & ille panis, quem modo dixerat fuisse in mensa propriis manibus à Domino datum. De hoc ergo pane & vino, ac de correspondentibus, corpore & sanguine ait, Apostolos docturos fuisse gentes quomodo conuenirent, & diuersa nomina vel species ad vnam reducerentur essentiam; & significantia, & significata eisdem vocabulis censerentur.] Melchisedec ergo hoc loco à Perronio inuocatus certe ei nullas tulit suppetias. Sed ad hunc locum iterum redit postea, qui vltimus erit Cypriani.

III. Tertius locus est, *ep.63. siue l.2. ep.3.* vbi Cyprianus ait, Non posse videri esse sanguinem in calice, quando vinum deest calici, quo Christi sanguis ostenditur.] Locus profecto est pulcherrimus, & contra realem præsentiam eximius; vinum enim in Sacramento tunc maxime quando iam Sacramentum est, necessarium esse Cyprianus contendit: quod si desit, *inquit Plessæus*, vitæ & vegetationis corporalis ad spiritualem ratio, seu proportio minus significatur, quod vtique argumentum qui robur suum retineat, si sola accidentia superfunt?] Et notandum esse verbum, *ostenditur*, innuit idem Plessæus. Respondet Perronius *pag.998. à tergo*, etiam Christus iuxta Latinam editionem, ostensus dicitur mulieribus: num propterea nō erat verus Christus? Ego vero aio, Christum qui ostendebatur alia effigie, fuisse quidē verū Christū, at vero effigiē illā alienā, ratione effigiei, nō fuisse verū Christum, sed sub illa verū Christū fuisse ostensum: ita sanguis Christi qui ostenditur in calice, est verus sanguis; vinum tamen quo ostenditur verus sanguis, non esse verum sanguinem. Itaque id quod ostendit aliud, siue quo ostenditur aliud, non est id quod ostenditur, nisi significatiue & repræsentatiue. Quod autem Cyprianus hoc loco sumat verbū, *ostendēdi*, pro sola indicatione & significatione rei diuersæ ab eo qui ostendit, seu quo quis ostenditur, planum est: nam in eadem epistola, & materia, bis adhuc verbo, *ostendendi*, vtitur, pro demonstrando tantum & significando. Ait enim, Quando autem sanguis vuæ dicitur, quid aliud quā vinum calicis Dominici ostenditur?] Et rursum; quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, vt quemadmodum grana multa, &c.] Grana ad conficiendum panem adunata ostendunt populum; certe duæ res valde distinctæ, grana & populus.

IV. Quod vero ait Cyprianus, in calice vino ostendi sanguinem, declarat Perronius vinum pro speciebus vini, siue accidentibus sumi. Sicut doctores, *inquit*, scribunt, per columbam, hoc est species columbæ, Spiritum Sanctum ostensum fuisse: Cyprianum vero in calice vino ostendi sanguinem tanquam præsentem, non tanquam absentem intelligere, probat *pag.969.* ex miraculis quibusdam ab ipso Cypriano narratis, *de lapsis*, de quadam quæ in communione indigne biberat sanguinem Christi, & de alia quæ sanctum Domini in arca recluserat; & de quodam, qui accepto sancto Domini indigne, cineres in manu reperit. Tum vero addit locum alium, *de orat. Domin.* in quo ait, Christum esse nostrum panem, & nos tāgere Christi Corpus, &c.] At vero Cyprianum de vero & integro vino hic loqui, & non de speciebus, iam probaui supra ante hanc appendicem *num.46.* & paulo post confirmabo; & quod ait de specie columbæ, non soluit nodum: vel enim illa columba fuit vera, vel apparens duntaxat; si vera, exemplum est pro nobis: si apparens, tunc igitur Deus voluit apparentem columbam esse signum Spiritus Sancti. At in Eucharistia expressum habemus panem verum adhibitum ad Eucharistiam.

V. Miracula illa extense describit Perronius, non quod in illis inueniat, Cyprianum velle in calice sanguinem ostendi, vt præsentem, non vt absentē, quod probandum assumpserat; id enim vix innuit in primo miraculo; sed vt plebem in superstitiosa transubstantiatione illis miraculis, quasi eam confirmantibus, stabiliret. Ego vero suis locis ostendo, miracula similia veritatem Sacramenti confirmare, non falsam præsentiam realem; doceréque in eo Sacramento nos verum Christi corpus sumere spiritualiter, & non nudum panem materialem. Ad rem illa tantum verba Cypriani faciebant, *in lib. de Lapsis.* inter fauces & pectus sanguinem, *nota sanguinem, supple Christi, ait Perronius,*

admittens.] At iā toties audiuit in Patrib.&præsertim in Cypriano, signa nomine rei, &rē nomine signi vocari, & significantia & significata eisdē nominib. censeri: Dabo ei euidentiam, ita vt cogatur velit nolit, in Cypriano nomine sanguinis CHRISTI in Eucharistia ipsum vinum perfectum & integrum intelligi. Et sane in hac eadem epistola de Sacramento Dominici calicis, quod etiam supra obseruaui *numero quadragesimo sexto*, ante hanc appendicem. Ait enim, fortasse aquam solam in calice aliquos consecrare, ne per saporem vini redoleant sanguinem Christi. Videat Perronius an per sanguinem Christi aliud possit hic intelligi quam vinum. Odor enim vini dicitur hic odor sanguinis Christi, & tamen accidentia non transubstantiantur. Idem dico de contactu corporis, id est panis, qui erat signum corporis.

VI. Quid vero dicet de illis cineribus? An corpus Christi est ei versum in cineres? an potius panis? Accidentia dicet panis, versa sunt in cineres; ita accidentia in substantiam, seu potius accidentia panis, in accidentia cinerum: & sic cineres illi non erant cineres, nimirum etiam ipsi iam transubstantiati, in quid? in præcedens profecto corpus Christi: ergo sub speciebus cinerum erat præsens corporaliter corpus Christi. Ad tales nugas nos deducunt, imo ipsi deducuntur.

VII. Quod autem verum vinum substantiale ponat Cyprianus in calice iam consecrato, optime deducebat Plessæus ex ea Cypriani ratione; quia vitæ & vegetationis corporalis ad spiritualem ratio seu proportio minus significatur, si aqua ponatur in calice, & non vinum.] Respondet Perronius *pag.* 971. quasi vero non sint accidentia quæ significant, & non substantia: Annon, inquit, columba quam fuisse tantum apparentem, non veram, probabilius esse asserit Caluinus, nihilo secius exprimebat omnes proprietates columbinas Spiritus Sancti, ac si fuisset vera?] Negatque absolute in toto opere Cypriani quicquam haberi, quod hanc proportionē requirat inter nutritionem corporalem & spiritualem. Asserit vero hoc loco Cyprianum replicare duntaxat, aquam non esse capacem ad exprimendā formam externam sub qua sanguis Christi nobis debeat dari, quia sanguis non inebriat: & prædictum fuerat, sanguinem Christi nobis distribuendum sub forma rei inebriantis: iuxta illud Psalmi 22.5. Calix tuus inebrians quam præclarus est?]

VIII. Hæc vero diluere, facile est. Accidentia posse & solere significare multa, non est negandum. Pulsus cordis significat ægritudinem & valetudinem. Iris matutina significat pluuiam: rubicundum cœlum significat serenitatem *Matthæi decimo sexto, secundo*, & sic multa alia quę naturalem habent significationem, vbi vel effectus significat causam, vel causa effectum, vel quid simile. In voluntarijs vero signis, an debeant esse accidētia, an substantię, aut debeantne includere etiam substantiam, iudicium pendet à re signata. Siquidem emundatio animæ à peccatis, diuina institutione, lotione corporali debuit significari; quis negabit, hic in signo necessario requiri substantiam aquæ, sine qua lotio corporalis fieri non potest? Ita nutritionem animæ spiritualem voluit significare, profecto nutritione corporali; at nutritio sine cibo & potu fieri nequit; eadem ergo necessitate colligitur, quod signum constet substantia communissima ad humana corpora nutrienda, quæ est panis & vinum. Quis ergo audeat ad accidentia nuda se reducere, quæ nutrire nullo modo possunt, vt infra suo loco considerabo? Et aliud est rem re significare, aliud actionem actione: poterat igitur columba, siue vera, siue apparens, obiicere menti proprietates veræ columbæ, vt per eas intelligamus proprietates Spiritus Sancti: At vero mundatio animæ non significatur per lotionem pictam, aut scriptam, aut imaginatam, aut apparenter duntaxat repræsentam, sed per lotionem veram & realem. Sic & nutritio spiritualis debet significari, siquidem ita Christus instituit per realem & veram comestionem, veri & realis panis & vini: quia sine reali cibo & reali potu, non fit realis corporis refectio: at spiritualis refectio corporali refectione, vera profecto & reali, non apparenti significatur, vt etiam superius explicaui.

IX. Negat tamen Perronius, in Cypriano reperiri quicquam de hac nutritione. Male tamen negat, quia licet expresse non ponat Cyprianus hoc loco nutritionem, & vitam ac sustentationem, ponit tamen aliquid æquipollens, vnde argumentum pro necessitate veri vini in calice Sacramentali colligatur, & a Plessæo innuebatur. At enim, si non adsit vinum in calice, sed pura aqua, non potest videri ibi esse sanguis Christi, quod postea repetit, non posse nimirum per aquam Christi sanguinem exprimi, & hoc multis rationibus; sane præcipua videtur peti ex figuris, quæ sine vino adimpleri non possint: sed illam quoque addit: *l. secundo ep. tertia*. Quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epoto sangine Domini & poculo salutari exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ sæcularis; & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur; quod tunc demum potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur Dominicam teneat veritatem.] Hoc est, vt sit vinum aqua mistum. Ecce argumentum nostrum plenum in Cypriano. Per hoc Sacramentum, inter alia bona quæ assequimur, sunt obliuio veteris hominis, animæ corroboratio, interioris hominis per lætitiam spiritualem exhilaratio. Atqui hos effectus aqua non potest significare, sed vinum, quod in sua substantia, & non in nudis accidentibus habet virtutes inebriandi, mentem abducendi, & cor exhilarandi, quæ spiritualiter intellecta recipiuntur in anima per Sacramentum. Hæc porro cum aqua efficere non possit in corpore, possit autem vinum, oportet adsit vinum in Sacramento, non aqua; & consequenter neque nuda accidentia vini; quia illa in corpore hos effectus non efficiunt. In tractatu vero illo de cœna Domini, qui tribuitur Cypriano, hæc habentur expressius, hoc pacto: Panis est esca, sanguis vita, caro substantia, corpus Ecclesia, corpus propter membrorum in vnum conuenientiam; panis propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter viuificationis efficientiam; caro propter assumptæ humanitatis proprietatem, &c.] Pergit enim illas proportiones & analogias explicare, vbi & illa habet; sicut panis communis quem quotidie edimus vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ & sanitas mentis.]

X. Non ergo admitti debet, quod ait Perronius, de aqua inhabili ad exprimendam formam externā, sub qua sanguis Christi datur, quia, *inquit*, sanguis non inebriat. Nihil enim habet Cyprianus de hac forma externa: sed expresse inter alia argumenta posuit hoc de virtutibus vini. Et applicationē de illo Psalmi calice inebriante, Perronius noluit intelligere. Quid enim quærit vt sanguis quoque sit inebrians? Applicatio est, quam ego modo feci cum Cypriano; vt sicut vini virtutes sunt corporaliter inebriare, lætificare, &c.

ita

ita sanguis Christi spiritualiter per vinum reale recepus spiritualiter etiam inebriat, mentem à terrenis & secularibus rebus cogitandis de mouendo, & vires animæ corroborando, spiritumque internum exhilarando. Quæ quia neque aqua facit, neque accidentia sola vini, ideo in calice iam consecrato verum vinum esse debet, quod tunc habeat proprietates illas, quando sanguis Christi recipitur, easdem spiritualiter exercens proprietates: & si non adsit vinum, necaderit, vt vult Cyprianus, huius rei Sacramentum. Certe igitur saltem in Cypriano habemus, verum vinum ex hac proportionalitate, debere esse in calice Sacramentali. Igitur Protocollum Plessæi melius legerat & mel exerat Cyprianum, quam Perronius, qui Plessæum hoc nomine parum apte irridet.

XI. Quartus locus Cypriani, ex sermone de cœna DOMINI, nec placet Perronio, quod Plessæus dubitet sit ne Cypriani: & tamen nemo fere mediocris iudicii est qui id non dubitet. Nonne Pamelius totum tractatum illum de operibus Cardinalibus inter Opera Cypriano ascripta reposuit, hoc est inter illa, quæ certo non constarent esse genuina Cypriani? Sed obiicit Perronius, non debuisse Plessæum citare locum de vnctione Chrismatis, tanquam si esset indubitate Cypriani, nunc vero de tractatu de cœna Domini dubitare, cum sint capita eiusdem opusculi: quasi vero pro opportunitate non possit differri censura, neque enim expresse asseruit particulam illam esse Cypriani, licet eam ex communi vsu citarit absque censura, tanquam Cypriani: nimium delicatum sensum habuit delicatissimus Cardinalis, qui ex hoc loco de cœna Domini erui non posse asserit, nisi argumenta tanquam fila araneæ, ad solas muscas capiendas. Ego tamen puto ipsum Perronium, etiamsi Giganteum corpus habuisset, talibus filis facile capi potuisse. Fila profecto ego *numero quadragesimo octauo*, ante hanc Appendicem, nouem produxi ex hoc de cœna Domini tractatu, plane ferrea; verius catenas, ad capiendos & detinendos etiam Elephantos maxime aptas.

XII. Ex ea porro particula huius tractatus, seu capite de cœna DOMINI, quam primo assumpsit Plessæus, quinque cupiebat idem annotari ipsius observationes. Locus est, *de cœna Domini.* Ante verba illa cibus communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporali subsidium ministrabat, sed ex quo à DOMINO dictum est; *Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus*, quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.] Observationes Plessæi quinque, quas aranearum fila vocat Perronius, sunt, Prima Consecrationem hoc loco non tribui quinque illis vocibus, *hoc est, &c.* sed institutioni DOMINI. Secunda, Neque ipsa Sacramentalia verba esse illa præcise, *hoc est corpus, &c.* Tertia, Fidem omnio requiri. Quarta Panem requiri vt benedicatur & sanctificetur, non transubstantietur. Quinta, Signorum naturam non mutari.] Oppugnat Perronius primam, quod verba ipsa consecratoria sint ex Christi institutione.] Sed institutio CHRISTI est, vt faciat Ecclesia quod ipse fecit. *Hoc facite, &c.* Et de hoc ego satis egi in prima quæstione huius tractatus.

XIII. Oppugnat secundam, Quod illa verba à Cypriano citata; *Hæc est caro*, æquipolleant illis.] Sed Plessæus, vt arbitror, quasi per transennam illa succincte annotat, quia nihil spectant ad controuersiam præcipuam, quæ est de præsentia reali; intendit tamen ex loco Cypriani colligere, in illis verbis, *hoc est corpus meum*, præcise sumptis, non posse consistere conscracrationem, quia omnia illa verba simul iunxit Cyprianus, *hoc facite, &c.* quibus etiam addenda essent illa, *Accipite & comedite.*

XIV. Oppugnat tertiam, Quia fides est necessaria de mente Cypriani, vt Sacramentum prosit, non ad consecrandum & conficiendum corpus Christi.] Sed Plessæus nihil aliud dicit, nisi fidem requirit; quod non potest negare Perronius, qui tamen non vidit quo spectabat hæc fidei requisitio, nimirum ad excludendum opus operatum, non ad consecrandum; sed negare, fidem requiri etiam ad consecrandum, mihi durum videtur: vt nimirum infidelis possit verum Sacramentum Eucharistiæ conficere. Probaui enim ex antiquitate *meo libro secundo, capite quarto, numero quarto, & septimo*, etiam non omnem Sacerdotem legitimum semper consecrare, non modo si desit fides, sed etiam si desint plura alia non tanti momenti quanti est fides. Et certe Cyprianus satis innuit, se fidem requirere etiam ad consecrandam Eucharistiam quotiescunque, inquit, his verbis & hac fide actum est: at certe quæ verbis agitur, est consecratio, non sumptio, ergo etiam fide illud idem agitur, nempe consecratio.

XV. Oppugnat quartam, & declarat per panem supersubstantialē Cyprianū intelligere corpus Christi.] Observatio tamen Plessæi hæc non erat; sed eo loci panem perpetuo dicit esse benedicendum & consecrandum, non transubstantiandum. Benedictio enim ex sua natura, & consecratio rerum materialium non mutat rei substantiam, sed ei additur, vt quoddā accidens; & ad hoc nihil Perronius; voluit euitare filum hoc araneæ & ab eo cauere, ne illo comprehenderetur, quod se effracturum non sperabat. Similī artificio declinauit à filo quoq; proxime præcedenti; quod vero ait Cyprianū per panem supersubstantialē intelligere corpus Christi, ideoque vocari holocaustum ad purganda peccata, quod aliud non est nisi verū Corpus Christi; vera dicit, sed ad præsentiam realem hæc male applicat. Cyprianus enim tunc considerat Sacramentum in suo signato, & re Sacramenti, non in signo, quia cum ipso signo, quod est verus panis, exhibetur spiritualiter verum corpus Christi, verum holocaustum, vt res huius Sacramenti. At vero ipsum signum est, quod benedicitur & consecratur, sed non transubstantiatur. Signatum vero vbi adest per effectus & virtutes spiritualiter, absque vlla transubstantiatione. Ludit etiam Perronius, vt vbi serio nihil potest respondere, simplices lectores fallat ludicris. Dicebat enim Plessæus, perpetuo Autorem in eo discursu de cœna Domini eo modo dicendi vti, vt & panis, & calix benedicatur & consecretur, non transubstantietur. Iocatur igitur super transubstantiatione secundum metallum, quod illi sint Presbyteri, non Chimistæ, & Christus sit qui operetur, non Midas. Per calicem bene sciebat intelligi vinum; nam neque Christus proponebat filiis Zebædei *Matth. 20. versic. vigesimo secundo*, vt biberent calicem, id est ipsum metallum. Sed si intelligit Plessæus per calicem id quod est in calice, inquit Perronius, quodnam erit ipsius argumentum? formatque ipse Perronius quoddam ridiculum argumentum idque supponit, nescio vnde, tanquam ex Plessæo erutum, hoc pacto; Post consecrationem id quod est in calice, est in calice; er-

go non est sanguis Christi] Certe Plessæus ex hoc loco Cypriani quarta sua notatione nihil aliud intendit, nisi calici, id est vino quod est in calice, aduenire benedictionem, & consecrationem, & concludit, Ergo non transubstantiatur ipsum vinum; non autem, Ergo in calice non est sanguis Christi. Quid ergo somniet Perronius ignoro; ad argumentum quidem non respondet.

XVI. Oppugnat nihil fœlicius quintam, seu potius etiam ab ea declinat, dum se ironice rudem fatetur, & acie oculorum illa magna destirurum, quæ ad percipiendam huius argumenti subtilitatem satis esse possit.] Sed ad hoc argumentum percipiendum vel noctuæ oculi sufficere possunt. Si panis post consecrationem adhuc vim habet nutriendi, si eidem pani existenti pani, ex diuina gratia ab extra prouenit, vt alendæ animæ inseruiat; (hæc vero passim docet Autor in præsenti tractatu) annon sequitur panem non transubstantiari? nec ipsum esse materialiter corpus Christi? Rudis vere & non ironice; ac lippiens est qui hoc argumentum non percipit.

XVII. Quintus locus ex Cypriano à Plessæo in confirmatione duntaxat suæ quintæ obseruationis, talis est; Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.] Locum hunc ego consideraui & explicaui *nu.* 50. & à Bellarminianis argutiis, defendi, qd ad eum Perronius? ferme idẽ quod Bellarminus. Hæret primum in verbulo illo, *natura*, sustinetq; nomine naturæ solũmodo significari vel substantiã, vel proprietates, & accidentia ipsam substantiã consequentia. Cũ igitur in pane nulla fiat mutatio in proprietatibus ipsius naturalib. necesse est mutari ipsam substantiã, siquidẽ dicitur natura mutatus. 2. Vrget, naturam & effigiem hoc loco opponi; Ergo sic sumit Cyprianus naturam, vt effigies & forma visibilis panis, non possit vocari natura: ergo non pro conditionibus & proprietatibus naturalibus: nam effigies & forma externa, non excluderetur ab hoc genere naturæ, sed pro vera substantia interna. 3. Antithesis formalis inter panem ordinarium; & Eucharisticum debet adesse, quod vt panis mutatur in carnem & sanguinem ordinarie, ita panis Encharistiæ in carnem Christi, Ergo vtrobique substanrialiter. 4. De ea natura loquitur, ad cuius mutationem requiritur omnipotentia. Ad quid vero omnipotentia ad mutandam rem accidentaliter, & imaginarie; eratne opus omnipotentia, vt panes propositionis, & agnus Paschalis significarent corpus Christi? Musculus & Plessæus ex Aegidio Romano in Eucharistia nullum requirunt miraculum, Ergo mutatio non consistit in sola significatione: cõditio enim mentalis, nõ potest esse natura rei realis.] Hæc ille satis profuse & verbose.

XVIII. Quamuis vero has omnes obiectiones facile quisque ex mea consideratione *n.* 50. posita possit diluere; paucis tamen ad hæc obiecta respondeo. Ad 1. Omnis facultas & proprietas operandi aliquid, quam habet quæcunque res, siue illa fluat ex intima substantia ipsius, seu illam ab extra accipiat, dicitur natura illius rei; ita enim dicimus naturam panis esse, nutrire corpus ad vitam; sicut etiam dicimus naturam panis veneno infecti esse, vitam auferre. Igitur panis natura mutatur, cum ab extra accipit eam proprietatem, vt sacramentaliter comedatur, exhibeat digne comedenti ipsum verum corpus Christi: sicut diceres panem natura mutari, si veneno inficiatur, iam enim potest necare, quod prius non poterat; accipit enim à veneno adiuncto nouam naturam, id est, facultatem, & proprietatem necandi, quam prius non habebat. Sic suo modo in Eucharistia. Panis enim nihil in sua substantia, neque in suis naturalibus proprietatibus mutatus, satis mutatur natura, recipiens per consecrationem, illam diuinitus adiunctam seu concomitantem facultatem exhibendi Christi corpus ad immortalitatem.

XIX. Ad 2. Oppositio inter effigiem & naturam, non est, quam fingit Perronius inter substantiam, & sua propria accidentia naturalia; sed est inter rem cum sua externa forma sumptam, & aduenientes ei ab extra facultates & proprietates. Neque aliud vult Autor dicti quod exeutimus, quam voluit quando in eodem cap. de cœna Domini dicebat, immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciẽ, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiã.] Quod dictũ ego ponderaui *numero quadragesimo octauo*. Idem ergo ei est, retinere speciem suæ substantiæ, & effigie non mutari: hoc est, manere totam rem, etiam cum sua forma extrinseca: & mutari natura, idem quod virtutis diuinæ præsentem habere efficientiam. Quod si putasset, virtute diuina panem mutari in corpus substantialiter, non posuisset pro termino mutationis præsentiam diuinæ virtutis; sed expresse adduxisset ipsius corporis CHRISTI præsentiam realem.

XX. Ad 3. Si ex Antithesi est aliquid colligendum, debet adesse analogia: analogia vero constat quatuor terminis, seu actualibus, seu virtualibus: vt se habent duo ad quatuor, ita se habent vigintiquinque ad quinquaginta, nam bina & bina inter se comparantur in proportione, seu rationum similitudine. Si igit̃ in nostro casu est huiusmodi Antithesis, ea sic erit ordinanda: Vt se habet panis materialis ad comedentem ipsum materialiter, ita corpus Christi spiritualiter cum pane sacro adiunctum, ad comedentem ipsum corp⁹ Christi simul cũ sacro pane, spiritualiter. Et quia quid sit analogia penitus ignorabat Perronius, non enim elementa Euclidis percurrerat, ideo miserabiliter lapsus est in hac sua antithesi formanda, absque vlla penitus proportione, aut rationum similitudine. Comparat enim primum panem cum corpore humano quod nutrit; deinde eundem panem cum corpore Christi, in quod transubstantiatur. Ac si dicat in forma; vt se habet panis ad corpus quod alit, ita se habet idem panis ad corpus Christi, in quod transubstantiatur. Negabitur penitus ei totus hic progressus, qui in Cypriano non est, quia aliud est alere, & aliud transubstantiari; neque est vlla inter hæc similitudo aut proportio, perinde ac si dicat, sicut se habet nutrix ad puerũ quem nutrit, ita se habet eadẽ nutrix ad virum cui nubit. Ridiculæ & exsibilandæ antitheses. Profecto loca duo, ex quibus format Perronius has analogicas antitheses, sunt penitus inter se disparata, & nulla proportionali conuenientia colligata. In vno dicit Autor, panem communem nutriendo corpori, ad vitæ corporalis subsidium cõmodum esse. In altero vero, panem non effigie, sed natura mutatũ, fieri carnẽ Christi. Sũt duo dicta diuersa, & nulla analogia colligata, non enim dicit ita fieri carnẽ Christi ex pane, sicut fit caro nostra item ex pane. Sic enim vtraque mutatio esset ad substantiam: sed hoc neque dicit, neque intendit, & ex disparatis dictis nõ licet ducere proportionem. Vt si dicam panem ordinarium dum comeditur verti in nostram substantiam. Et deinde seorsim etiam dicam, panem tinctum veneno mutare naturam, & iam habere naturam necandi, vbi prius habebat naturam vitam conseruandi; profecto hinc non licet colligere, has mutationes

vtrinque esse ad substantiam; prior enim est ad substantiam, posterior vero ad accidens, vbi panis mutatur ex viuifico in mortiferum, per proprietatem ab extra acceptam.

XXI. Ad 4. Omnipotentia est necessaria ad hoc, vt cum pane sacro exhibeatur ipsum verum corpus Christi, digne panem illum comedenti. Non enim panis in sacramento Eucharistiæ est mera & nuda figura, sed est figura efficax. Efficacia vero est à diuina omnipotentia, vt dicebat idem Autor paulo ante, panem hunc probare, virtutis diuinæ inuisibili efficientia adesse præsentiam. Et in hoc ipso loco de quo disputamus statim in eundem sensum illud addit. Et sicut in persona Christi humanitas apparebat & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.] Quod ego vrsi & explicaui *loco quinquagesimo*, nimirum diuinam vim & efficaciam, non humanitatem Christi corporaliter se pani adiungere, vbi digne recipitur: & ita mutatio hæc non consistit in sola significatione, sed etiam in efficacia illa & virtute, quæ est realis, & non pure mentalis. Sed Perronius *pagina nongentesima septuagesima octaua*, hæc ipsa verba de diuinæ essentiæ infusione, ad realitatem trahit, hoc sensu: Non modo sacramentum visibile Eucharistiæ, per omnipotentiam verbi factum est integre caro, sed etiam pariter diuina essentia inuisibiliter est introducta, & ita residet, quemadmodum prius in persona & carne Christi visibili.] Diuinam itaque hoc loco essentiam intelligit diuinam hypostasim, quod moris esse, ait, in hoc Autore: vt quando dixit, *de bapt. Chris.* Verbum & caro sic sunt vna essentia, vt perfectam & integram sincera coniunctio faciat vnitatem.] Ergo, inquit, cum Deitas nullibi nisi in corpore filii sui resideat, quis dubitet Eucharistiam esse vere & realiter corpus Christi.]

XXII. Essentiæ & subsistentiæ, siue vsiæ & hypostasis nomina olim confundi solita, præsertim ante Concilium Nicænum, non ignoto: & vnam essentiam verbi & carnis intelligebant hypostasim. Sed hoc loco Autoris quem tractamus, essentiam sumi pro persona seu substantia seu subsistentia nō est possibile. Hactenus enim iam ostendimus, Autorem hunc di[...] præsentia abhorrere. Visibile etiam sacramentum [...] Autori panis est, & vinum: diceret ergo diuinitatem esse hypostatice impanatam, & inuinatam. Praeterea [...]it diuinam essentiam infundi sacramento, Ergo [...]c quando fit hoc sacramentum, tunc etiam fit infusio hæc quæ prius non erat! At diuina hypostasis infusa erat humanitati Christi semel tantū, ante ducentos & plures annos, Et quod ait de hac infusione Autor, hodieque verum est. Adhæc similitudo illa analogica diuinam hanc hypostasim non tolerat. Quemadmodum, inquit, in persona Christi [huma]nitas apparebat, & latebat diuinitas, sic profecto debe[...] qui (nisi analogias alogas, similes Perronianis Aut[...] velit proferre) in sacramento Eucharistiæ, Id quod sensibus est manifestum, panis est & vinum: quod vero inuisibile, est diuina essentia, virtus nimirum & efficacia: Vt ipsemet Autor se iam explicarat, dicens; Verborum solennitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis sacerdotum min[i]steriis attributa, visibile celebrant sacramentum: rem vero ipsam Spiritus sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter ma[num] [...]ius bonitatis actor apponit; & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo sanctificationibus offic[i]ibus infundit, & rem sacramenti consummat & perficit.] Visibile sacramentum certe corpus Christi non est, sed panis & vinum, & eorum verbalis consecratio & comestio. His rebus externis & visibilibus infundit se plenitudo gratiæ. Idem igitur ei est, infundi diuinam gratiam, & infundi diuinam essentiam. Illam vero comparationem & similitudinem analogicam quomodo formabit Perronius? Profecto hoc pacto. Sicut in Christo patebat humanitas, latebat diuinitas, sic in Eucharistia introducitur & residet diuina hypostasis in corpore Christi ibi realiter præsenti. O pulchram analogiam! O pulchram comparationem! Si dicit speciebus sacramentalibus (quæ solæ sunt ei visibile sacramentum) infundere se diuinam essentiam, id est, hypostasim, sequetur profecto Autorem velle, panem & vinum esse transubstantiata in ipsam diuinam hypostasim, & non in corpus Christi: quia diuina essentia, seu hypostasis nō est corpus Christi. Vide quo deducant Perronium ipsius vanæ argutiæ, ad manifestam in veteribus Patribus veritatem obnubilandam excogitatæ.

XXIII. In eodem Cypriani, seu alterius Autoris loco, quem ego quintum numerabam, Plessæus in transcursu duntaxat obseruarat ea verba: *Non quod vsque ad substantialitatem hæc vnitas peruenisset.*] Glossamque suam addiderat hanc breuissimam, Vnitas videlicet signi cum re, non identitas.] Falsam monetam spiritualem clamat Perronius, quasi glossulam hanc suam de vnitate signi cum re, voluerit esse partem textus Autoris; contenditque illam vnitatem intelligi ab Autore, de vnitate nostri spiritus cum spiritu Christi per hoc sacramentum: vtraque mihi videtur expositio probabilis & disputabilis. Sed ego ex hoc ipso loco ipsisque verbis simul cum antecedentibus & consequentibus iunctis aliud colligo, tum in sensu Autoris, tum in vafricie Perronii. Prius verba recito. *Cyprianus de cœna Domini.* Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio (*dum visibilia sunt sacramenta*) & ad veritatem, cuius corpus & sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus: non quod vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset. Solus quippe filius Patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partiabilis substantia Trinitatis: nostra vero, & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed effectus consociat, & confœderat voluntates.

XXIV. In his ego verbis, quod sensum Autoris (certe posterioris Nicæno Concilio, & quidem consubstantialitatem Filii ponit expressam, & defensorum Homousii post Arrium, hunc locum ex Cypriano nemo quod sciam citauit,) Obseruo primum, corpus Christi & sanguinem esse sacramenta veritatis, vnde duo colligo: alterum, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia non esse ipsam veritatem, sed sacramenta, id est, symbola & figuras veritatis: alterum, panem & vinum significari nomine corporis & sanguinis Domini: quia panis & vinum sunt sacramenta veritatis: at verum corpus, & verus sanguis Christi non sunt sacramentum veritatis, sed sunt ipsa veritas. Deinde obseruo, per Eucharistiam nobis patere accessum ad participationem spiritus, supple Christi, non ergo ad participationem substantialem ipsius corporis. Demū obseruo, Eucharistiam affectum nostrum consociare Christo, & voluntates confœderare, non ergo consociat nos Christi corpori corporaliter; id enim si esset, nequaquam omisisset, & minores consociationes commemorasset,

set, quæ sola repositione harum particularum, *& sanguinis*, sensum reddit manifestissimum, quem explicaui, quarum defectu locus erat obscurissimus; sed Peronio plus arrisit mendosa lectio cum sua obscuritate, quam correcta, clara quidem illa, sed reali præsentiæ admodum aduersa. Veritati profecto Autor adiunxit Sacramenta, non corpori, vt corpus & sanguis, id est, panis & vinum; sint Sacramenta veritatis: non autem Sacramenta sint corpus veritatis, sic enim sensus redditur obscurissimus, & vix vllam planam admittit explicationem. Sed neque bona fide, vbi locum integrũ produxit Perronius *pagina nongentesima septuagesima nona*, pergere voluit, sed omisit illa verba; *Nostra vero & ipsius coniunctio, &c.*] nolebat enim suos simplices & vulgares lectores in veritatem illam impingere, nos, videlicet, affectu & voluntate, *non corpore* cum CHRISTO in Eucharistia coniungi. Bedam & Ambrosium & Cyrillum eidem sensui de mutatione naturæ suffraganies adduxerat Plessæus. Refragatur ei Perronius *pagina* 979. *à tergo*. Nos vero abunde ostendimus, *naturam* eo loci quem præcipue nunc examinamus, significare vim, facultatem & proprietatem, non putamus operæ pretium ad alios diuertere; erit postea suus his locus.

XXV. Sextus locus, ex eodem tractatu de Cœna Domini à Plessæo realistis obiectus, est talis: Ipse Magister exposuit, *Ioann. sexto, 63*. Verba hæc spiritus & vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat.] Igitur manducare carnem Christi etiam in Eucharistia, intelligit Autor esse in spiritu accipiendum, & sensum carnalem ad eam non peruenire. Respondet Perronius *pag. nongentesima octuagesima prima, à tergo*. hanc vocem, *spiritus*, non subtilitatem intelligentiæ, sed simplicitatem innuere. Idem, inquit, dixit ibidem Autor, inter inuitatos homo animalis non admittitur. Et sic Aristoteles, & si totus spiritus esset, id est, ratio & intellectus; à Cypriano tamen animalis & carnalis fuisset reputatus; & omnes rationes physicæ & metaphysicæ; vt puta, quod corpora se non possint penetrare, quod accidentia non possint esse sine subiecto, &c. appellarentur in Dictionario Dei, caro & sanguis.] Sed hæc simplicitas nõ nisi apud simplices euadit argumentum. Spiritus non potest hoc loco significare simplicitatem intelligentiæ, CHRISTVS enim de suis verbis dixerat, ea esse spiritum & vitam; at verba illa Christi non sunt simplicitas, neque simplicitati proposita, quia simplicitas, hoc est ruditas Capharnaitarum, CHRISTO displicuit, neque eam approbauit. Est igitur spiritus intelligentia spiritualis carnali eleuatior; non quidem subtilitas ingenii & acumen speculationis, sed subtilitas eleuationis à carnali & sensuali sensu ad spiritualem: quo sensu spirituali & eleuato, fide supra naturam, quia caruit Aristoteles, ideo homo animalis merito dictus fuisset: & quicunque res diuinas fidei aut spernit, aut metitur humanis rationibus, homo animalis est. Contra eos igitur, qui CHRISTI verba carnaliter intelligebant, de manducatione corporali Christi carnis, quocunque modo Autor hic insurgit, & monet, non carnaliter neque corporaliter & sensualiter, quod est animalis, sed spiritualiter esse intelligenda.

XXVI. Septimus locus ex eodem tractatu erat. Hoc sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem & sanguinem, aliquando panem Christus appellat.] Hic, vt etiam alias in præcedentibus, deprauatorem facit Plessæum; quia Typographi alio charactere non expresserunt glossulas à Plessæo interpositas, qui defectus tamen non est in posterioribus editionibus: & quia perspicuitatis gratia aliquam, sed nihil immutantem sensum, fecerat transpositionem. Argumentum tamen, contra realem præsentiam optimum hoc loco innuebat Plessæus, videlicet, ipsum sacramentum, nempe signum, vocari à CHRISTO & corpus & carnem, & sanguinem, & panem: corpus ergo reale in Eucharistia non est nisi in signo. Respondet Perronius, has appellationes non haberi nisi apud IOANNEM *capite sexto*, & tamen ibi Christus non de signo, sed de sua vera carne & de suo vero sanguine loquitur.] Nouit tamen Perronius non conuenire inter interpretes, sit ne totus ille Christi sermo *Ioan. 6.* de fide incarnationis, an etiam de sacramento Eucharistiæ. Ac ipsemet cum maxima parte Pontificorum de Eucharistia verba illa maxima ex parte intelligunt. Iuxta priores planum est, Christum loqui immediate & proxime de sua vera carne. Iuxta posteriores, in quorum numero erit Author hic hoc loco reponendus, sermo est de signo primarie & directe; secundario vero & consequenter, de vera carne & vero sanguine. Vult ergo Autor, ipsum sacramentum Eucharistiæ, hoc est signum, vocari modo corpus, modo carnem & sanguinem, modo panem, quod tamen significet verum corpus Christi, veram carnem, verum sanguinem, & verum cœlestem panem. Ipsum autem verum CHRISTI corpus vocari aut esse sacramentum, nec scriptura, nec Patres docent neque ratio aut institutio permittit, res enim sacramenti non est sacramentum. Quod vero opposuit hoc Perronius *pag. nongentesima septuagesima nona, à tergo*, Ambrosium & celeberrimum inter antiquissimos Patres Theologos Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, scilicet Carolum Magnum, Christum sacramento sui corporis dici passum, ita vt corpus Christi vocetur sacramentum, nihileum iuuat. Maxima enim est differentia inter sacramentum corporis in obliquo: & sacramentum corpus in recto. In recto significatur ipsum corpus habere in se rationem sacramenti; at in obliquo significatur actio sacramentalis circa Christi corpus exercita & occupata.

XXVII. Octauus locus adhuc ex eodem tractatu hic est, Panis propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter viuificationis efficientiam, caro propter assumptæ humanitatis proprietatem.] Profecto si hæc ab Autore dicuntur de Eucharistia, panis in ea erit substantialis, siquidem nutritiuus: panis, inquit, propter nutrimenti congruentiam: Ideo conatur hæc verba Perronius omnia CHRISTO applicare, vt dicat Autor, Christum esse panem, vitam, sanguinem, escam Ecclesiæ: locumque integriorem sic legit: *Panis est esca, sanguis, vita, caro, substantia, corpus Ecclesia, &c.* communis vero lectio est per binaria, sic, *Panis est esca, sanguis vita, caro substantia, corpus Ecclesia*.] Quæ profecto lectio Eucharistiam, non Christum respicit. Argutam vero, sed non admittendam esse hanc Perronii correctionẽ patet ex pluribus: Primũ, nullus ei codex fauet. Secũdo, binaria illa sunt optime cõnexa, & Eucharistiæ conuenientia. Tertio, mutat verbum, *Ecclesia* in verbum, *Ecclesiæ*, nullius fide codicis. Quarto, nugabimur si illa omnia singillatim velimus Christo applicare: quomodo Christus est caro Ecclesiæ? & tamen caro dicitur, inquit Autor, propter assumptæ humanitatis proprietatem, num propter a est caro Ecclesiæ Christus, quia Verbum caro factum est? non certe: sed ideo Christus in Eucharistia caro est, quia Verbũ caro factum in ea exhibetur. Quomodo Christus est corpus ecclesiæ: Ecclesia sane est corp' Christi, vt pas-

vt passim habet Apostolus: & ratio Autoris illa videlicet, Corpus, propter membrorum in vnum conuenientiam probat Ecclesiam esse corpus Christi, non Christum corpus Ecclesiæ, vnde & idem Autor paulopost ait, Ita Ecclesia corpus Christi effecta, obsequitur capiti suo.] In Eucharistia vero optime dicimus adesse etiam corpus Christi mysticum, quia celebratur in Ecclesia, & pro Ecclesia, & significat etiam vnitatem Ecclesiæ, vt suo loco in hoc meo tractatu inferius ostendo; quinto, quia nihil præcessit de Christo in sua persona: quomodo ergo ex abrupto inciperet de eo loqui & dicere, *Panis est esca, &c.* Sine violentia magna hæc non possunt Christo applicari: sed quia de sacramento Eucharistiæ perpetuo loquitur, ad eam [illegible] periodos omnes quas contexit in genere ex[illegible]. Sexto demum, quia resumit Autor quatuor tantum illa quæ fuerunt subiecta quatuor propositionum: non ergo illa erant singula attributa Christo applicata & Ecclesiæ donata, sed erant quatuor propositiones quæ in Eucharistia locum habebant. Sic vero ea Autor resumit, incipiens ab vltimo. Corpus propter membrorum in vnum conuenientiam; panis, propter nutrimenti congruentiam; sanguis, propter viuificationis efficientiam; caro, propter assumptæ humanitatis proprietatem.]

XXVIII. Est tamen prima Perronii ratio *pag.* 985. [illegible] sibi suum commentum persuasit: quod non videat Logicam aut Metaphysicam, quæ illas Autoris [illegible]nes & explicationes accommodet aut defendat, [illegible] nugatoriæ. Ego tamen mea Logica facile illas accommodo, & defendo: De corpore non est difficultas, iam illud exposui. Panis vero in Eucharistia est esca spiritualis, & animæ & corpori ad immortalitatem: quia exhibet nutritionem spiritualem, & ideo Eucharistia est panis, hoc est esca spiritualis, propter hanc conuenientiam quæ est inter nutritionem spiritualem & corporalem. Idem dico de sanguine: Est sanguis Christi in Eucharistia vita, quia spiritualiter dat viuificationem. Est demum caro vera Christi in Eucharistia, quia ipsum Verbum incarnatum digne [illegible] exhibetur. Qui vult autem Rhetorica [illegible], ad amussim exactissimam Logicæ & philos[illegible] examinare, inutilem sumit laborem.

XXIX. Secunda eiusdem ratio est, quia paulo post [illegible] Autor ipsi Christo expresse hæc singula applica[illegible] Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem [illegible] & substātia & vita factus est Ecclesię suæ.] Imo [illegible] hæc nunc applicat Christo, ideo nondum [illegible] applicarat. Et quid mirum, vt quæ docuerat fieri [illegible] Eucharistia, tandem omnia accepta ferat Christo, & signa tandem ad signatum referat, & in signato [illegible] ostendat? Et quia Perronius bene aduertit, Christum non posse dici corpus Ecclesiæ, solutionem quandam satis ineptam commentus est *pag.* 986. [illegible], Christum per Eucharistiam tenere locum corporis ipsi Ecclesiæ, Ecclesiam vero tenere locum membri ipsi Christo in eo inserti: conatus est [illegible] se ab hoc nodo liberare, vt tamen huic suæ nouæ [illegible] Autorem hunc ipsum fautorem asciscere[t], [illegible]que eius de Ecclesia verba sumpsit: *quam corpus [illegible] appellat, dans ei participationem.*] ita vt Christus dicatur corpus Ecclesiæ, quia Ecclesia participat, inquit Perronius, de corpore eius, id Autore ipso, qui Cyprianus ab eo vocatur, attestante.] At procul dubio, mēbra, præsertim collectiue sumpta, sunt ipsum corpus, quo sensu Ecclesia est corpus, & semper corpus vocatur, cuius caput Christus, neque vnquam Ecclesia est membrum vllius corporis, siquidem ipsa est totum corpus: sed est corpus capitis Christi: Et quando Ecclesia participat de Christo, tunc participat de eo tanquam de suo capite. Participat quidem Ecclesia, & quodlibet membrum eius de corpore Christi vero in sacramento; sed locus Autoris erat totus de corpore mystico. Christus autem non est corpus mysticum, cui inseratur Ecclesia. Et si Ecclesia est membrum, nō verum, sed mysticum Christi, Ergo per hanc participationem deberet Ecclesia participare de Christo tāquam corpore suo mystico, non vero. Et participatio hæc est in spiritu Christi, non in corpore Christi: vt merito codices Cypriani correctiores, & sane Pamelianus Parisiis anno 1603. expresse habeat, *participationem spiritus*, legit enim, *dans eis participationem spiritus*, quam lectionem non dubito Perronium vidisse, sed ab ea libenter abstinuit, vt ad participationem corporis locum traheret, quod tamen ostendi fieri non posse corporaliter.

XXX. Nonus ex eodem Autore locus est, Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus; ideoq; ex consueto rerum affectu fidei nostræ adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum; & non tam corporali, quam spirituali transitione Christo nos vniri.] Ponderat Plessæus verbum, *effectum*, & ait, Effectum, inquit, & non realiter corpus. Quod ego quoque *num.* 48. paulo fusius ponderaui, & ad id nihil Perronius, sed pro se locum & ipse ponderat, & ait: quomodo potest efficacia vitę æternę visibilibus inesse sacramētis Eucharistiæ, si nihil sunt aliud quam signa alimentorum vitæ æternæ? Ad hoc toties responsum est, esse signa, sed efficacia, & corporis Christi veri, & realis exhibitiua. Verba illa, *Non tam corporali, quam spirituali &c.* sibi nihil nocere contendit contra Plessæum, quia non negatur etiam corporalis vnio, licet præcipua sit spiritualis. Sed his verbis non video peculiari applicatione vsum Plessæum; cur ergo reprehendit? Ego tamen illa quoque verba vrgeo *num.* 48. & puto in sensu negatiuo esse accipiendum illud, *non tam*, scio non semper excludi id quod ponitur sub particulis, *non tam*, per particulam, *quam*, interdum tamen excluditur, prout subiecta materia cogit, vel non cogit. Et sane hoc loco materia postulat absolutam negationem & exclusionem, vt probaui *dicto num.* 48.

XXXI. Decimus locus adhuc ex eodem Autore, de consociatione affectus, & confœderatione voluntatis, est à me supra in hac ipsa Appendice explicatus, neq; Perronius quicquam habet, quo locum nobis eripiat, licet conetur, *pag.* 989.

XXXII. Vndecimus locus ex eodem; *Dixerat sane huius traditionis Magister, &c.*] Eum ad receptionem corporis Christi sacramentalē pertinere voluit Plessæus, ad spiritualem duntaxat Perronius; vtrumque probabile: non est cur de eo decertemus.

XXXIII. Duodecimus & vltimus ex eodem tractatu locus, quem Plessæo Perronius auferre conatur (tametsi duo adhuc alia interseruerat Plessæus, quæ mihi quoque non videntur multum vrgere, neq; enim vt præcipua considerabat ipse Plessæus; sed quasi succenturiata) est, Hæc quoties agimus (*id est, cænā celebramus*) non dentes ad mordēdum acuimus, &c.] quem locum ego quoque produxi *num* 48. & nostro proposito aduersus realem præsentiam applicaui, neque declinatio Perronii *pag.* 990. meam effugit applicationem.

XXXIV. Tertius decimus locus ex eodem Autore rursus *in tractatu de chrismatis vnctione*, talis erat etiam *supra* §. 2. huius appendicis. Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis partici-

pauit conuiuium, propriis manibus panem & vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum. Vt in Apostolis secretius impressa sincera veritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent, & aduersa nomina vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia & significata eisdem vocabulis censerentur.] In cœna panem & vinum, in cruce vero corp', aduersatiua sunt: panis ergo & vinum vera & substantialia in cœna; non corpus corporaliter, vt in cruce. Respondet Perronius, dicta hæc loco improprio posita intelligēda esse ex dictis proprio loco positis.] Verum est, si in vno loco sint obscura, in alio clara. At vbi æque clara sunt effugium non valet. Eundem vero esse perpetuum sensum in hoc autore iam satis claret, quia dicta ipsius in Tractatu de Cœna Domini, realem præsentiam penitus destruunt, vt iam conuicimus, & huic dicto sunt maxime conformia. Quod sane dictum torquet adeo Perronium, vt longo per multas paginas discursu & excursu non possit tamen se extricare. Versat se in omnes partes, quo euadat non inuenit. Declinat primum quod hoc dictum loco proprio non sit prolatum, sed si inexplicatum relinqueret noceret ei nimium; falsa enim neque proprio neque alieno loco sunt proferenda: si ergo dictum verum sit, vbicunque ponatur verum erit & suam vim habebit. Ad expositionem ergo dicti, sicut anguis ad carmen, ægre adducitur.

XXXV. Secundum ergo refugium Perronio sunt glossulæ ipsius, quibus exponit primū, loci clausulam intelligendam esse cum suppletione horum verborum; *secundum formam visibil. m*; & hanc glossam ex tractatu eiusdem Autoris de Cœna Domini emendicat, vbi ille Apostolis ait, Manducauerant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem.] & iterum, Panis quem Dominus porrigebat, non effigie sed natura mutatus.] Sed si nobis liceat tales formulas, & limitationes addere, glossulasq; similes pro libito nostro interponere, quis locus aut Patrum, aut scripturæ immunis manebit à deprauatione? Licebit enim, verbi gratia, Gnosticis illud Ioannis primi *Verbum caro factum est*, addere glossulam hanc, *apparenter*: & sic aliis, nec erit hæresis aut blasphemia quæ non possit ex scripturis, per additas glossulas & limitationes confirmari, & veritas corrumpi, & eue. ti. Glossulæ ergo nisi ex eadem scriptura, siue autore quocunq; colligantur, ad rem esse non possunt, vt mens scriptoris ex ipsomet scriptore eliciatur. Quod igitur affert Perronius posteriori loco modo ab eo pro sua glossula producto, de pane natura mutato, iam est explicatum, adeo vt ei nullo pacto possit inseruire. Priorē vero locum de limitatione illa, *secundum formam visibilem*, contra conscientiam posuit: bene enim sciebat, hæc de forma visibili, ab Autore posita esse, pro pane communi quem Apostoli in vltima cœna ante institutionem Eucharistiæ comederant. Pergit enim, *sed ante verba illa, cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat*. De pane vero Eucharistico nunquam diceret esse panem secundum formam visibilem: sed vocaret ipsam Eucharistiam visibile sacramentum, cui inuisibilis adsit effectus. Fidei, inquit, *Cypr. tract. de cœna Dom.* nostræ adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum.] Item paulo post: *Ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.*] Sed longe aliud est, Eucharistiam esse visibile sacramentum; aliud est, panem secundum formam visibilem duntaxat esse panem; quod nunquam dixit, aut innuit Cyprianus, seu Autor, quicunque ille sit, quem discutimus. Idcirco, etiamsi admitteretur illa glossula, *secundum formam visibilem*, dummodo non suppleatur exclusiua illa, *tantummodo*, seu *duntaxat*, ictum Perronius non effugit. Nam sensus erit, panem sacrum datum fuisse secundum formam visibilem, id est, sacramento visibili &c. Vbicunque autem panem & vinum vocat carnem & sanguinem, iam vidimus id ita fieri, quia signa nomine rei vocantur, sicut & sæpe res nomine signi.

XXXVI. Vrget ille: Cur ergo dicit Autor hoc loco, ideo panem datum Apostolis, vt in ipsis secretius imprimeretur veritas, nisi vt ostendatur, non fuisse panem hunc, & hoc vinum iuxta formam externam visibilem indicandum, sed secundum internam veritatem inuisibilem?] Respōdeo, secretius impressam veritatem, fuisse mysterium inuisibile, quo verū Christi corpus datur fidelibus comedendum, per mysticum panem; quod mysterium ignorauerunt illi, qui *Ioan. 6. 66.* scandalizati in verbis Christi, carnem ipsius manducandam esse asserentibus, ab eo discesserunt. Apostoli vero crediderunt, confitente pro omnibus Petro, & dicente. Verba vitæ æternæ habes, quasi dicat, nos tuis verbis fidem habemus; in qua fide fuerunt postea in vltima Cœna confirmati, & in secreto hoc mysterio instructi, carnem nimirum Christi manducandam consistere in pane sacro Eucharistico de quo Christus aperiens secretum mysterium, dixit eis, *hoc est corpus meum*: videlicet, in hoc pane mystico & typico vobis ego exhibeo meum corpus, spiritualiter tamen, non corporaliter. Et in hac parte verum dicit Perronius, panem illum non fuisse iuxta formam visibilem iudicandum, sed iuxta vim mysterii, quam ego modo explicaui.

XXXVII. Post hæc ad vltimam huius loci clausulam, adeo sibi molestam, & reali præsentiæ contrariam descendit iterum, quam cœperat, vt vidimus §. 1. huius appendicis explicare, ea vero est, *Significata & significantia iisdem nominibus censeri.*] Itaque sicubi panem vocat corpus, & vinum sanguinem, vult intelligi non ideo vocari corpus, & sanguinem, quia conuertantur in verum corpus & in verum sanguinem, sed quia panis, qui est signum & typus corporis, inde etiam accipit nomen corporis, sic de vino; qua ratione etiam Christi corpus solet vocari panis, quia in pane tanquam in suo signo adesse intelligitur. Hoc nimium vrget, & pungit realistas: ideo Perronius circa hoc plurimum, sed frustra, laborat; Recurrit, vt iam cœperat, ad Melchisedecum, & contendit Cyprianum hunc, ex ipso Cypriano, & deinde ex aliis Patribus *pag. 995. & seqq.* applicare. Si eadem occasione, ac in eodem argumento, quod hoc loco tractat, alibi ostenderet se per significantia intelligere figuram Melchisedechi, aut quamcunque aliam veterem; & per significata intelligeret illis respondens mysterium Eucharistiæ, aliquid esset; ne essent Perronio aures apertæ deneganda: Sed intolerabile est, quod ex locis, vt etiam supra monebam, disparatis, & nihil cum præsenti loco conuenientibus aut similibus, velit locum hunc explicare. Profecto nihil aliud facit, nisi colligit centonem, vt plura dicta inter se nihil penitus connexa, & in alio quoque ipsorum sensu prolata, in vnicum sensum à suo proprio longe diuersum coeant. Si id liceat, quæ monstra, quæ portenta ex coniunctione disparatorum dictorum ad vnam sententiam per centonem faciendam, non prodibunt? Ipse locus sibi ipsi ad suum proprium sensum explicandum est sufficientissimus. De figuris & de Melchisedeco in hoc tractatu seu capitulo nihil præcessit. Panem & vinum Eucharistiæ ex vna parte

parte proponebat, corpus & sanguinem Christi ex alia: panem & corpus simul composuit, mysterium in his collocauit; panem datum discipulis ad edendum, & corpus datum militibus ad crucifigendum, ad vnitatem reduxit, hanc vero vnitatem tandem in eo collocauit, quod significantia & significata iisdem nominibus censerentur; quis non videt hæc duo, *significans & significatum*, ad illa duo, *panem & corpus* immediate spectare? In toto hoc capite de chrismatis vnctione; in toto proxime præcedenti de ablutione pedum, nihil de Melchisedeco, nulla prorsus illius figuræ veteris ad Eucharistiam spectans mentio; & iam hic intrudendus est Melchisedech? profecto nimium importune. Pan enim nequit, vt tam antiquo, tantæq; autoritatis scripto, figuralis & non corporalis præsentia corporis Christi in Eucharistia comprobetur.

XXXVIII. Arripit tamen Logicam, arripit metaphysicam, auxiliares copias vndequaq; congregat, vt si fieri potest doceat, hoc loco Autorem per significantia intelligere figuram Melchisedechi, & per significata, Eucharistiam. Acumen ingenii videamus; subtilitates ipsius contemplemur. Quomodo verisimile est, inquit, *pag.* 996. Christum dedisse panem in mensa, ad ostendendum quomodo panis quem dabat erat suum corpus? Fecisset actionem ad resoluendam difficultatem quæ non nisi ex ipsa actione oriebatur? Respondeo, non esse necesse, vt omnis doctrina quæ ab aliquo traditur, ad quæstionem aliquam per modum responsionis tradatur: sunt enim sæpe doctrinæ ostensiuæ, & non responsiuæ. An vero hic locus tradat doctrinam ostensiuam duntaxat, an vero responsiuam, videndum fuisset Perronio, & docendum id quod supponit, doctrinam esse responsiuam. Sed sit responsiua, formanda igitur est quæstio: eam suo modo, & falsam format Perronius, nempe quæstionem esse, quomodo panis quem dabat, esset corpus Christi. Sed si quæstio aliqua formanda est, ea tamen erit *quomodo fieri potest vt caro Christi ab hominibus manducetur, & sanguis bibatur?* id enim necessarium esse similiter prædicauerat Christus. *Ioan.* 6. 45. *Caro mea est cibus, sanguis meus est potus; Nisi manducaueritis, &c.* Hanc quæstionem solutam esse, Autor dicit tunc, quando institutum est primum Eucharistiæ sacramentum. Intentum ergo Autoris est docere, in institutione Eucharistiæ Christum aperuisse magnum illud secretum, & manifestasse mysterium; vt paulo ante innuebam, videlicet modum ineffabilem manducandi carnes Christi & bibendi sanguinem, esse in manducatione sacramentali panis, & potione vini constitutum. Non ergo ex porrectione panis oriebatur quæstio, sed soluebatur: quia Christus dixit, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Itaq; manducare carnẽ Christi, est manducare panem Eucharisticum, & bibere sanguinem, est bibere vinum similiter Eucharisticum: Et quando dixit Christus, *hoc est corpus quod traditur, & frangitur, Et hic est sanguis qui effunditur,* significabat illud corpus suum verum, quod vere & realiter ac corporaliter traditum est militibus ad crucifigendum & vulnerandum, sacramentaliter se collocare in pane, & sanguinem in vino. Et hæc docet hoc loco iste Cypr.

XXXIX. Disputat multa inutiliter Perronius de particula, *vt*, quo referenda sit, ad actionem ne Cœnæ, an ad expositionem? Respondeo, ad neutram esse referendam neque coniunctim, neque separatim; sed referri ad mysterium, propositum quidem à Christo *Ioan.* 6. sed non explicatum, vt est mens huius Autoris. Ait enim, Christum Eucharistiam panis & vini instituisse, vt Apostoli, audita explicatione mysterii, quod panis ille gestaret locum carnis crucifigendæ, & vinũ sanguinis effundendi, iam penetrarent secretum, & scirent, ac deinde docerent, cum pane & vino in sacra Eucharistia carnem & sanguinem Christi exhiberi. Inepta itaque est illa Perronii ratiocinatio *pag.* 997. Quicunque asserit, Christum fecisse aliquam actionem, ad ostendendum cur significantia & significata iisdem nominibus censerentur, obligat se necessario ad præsupponendum aliam aliquam causam huius hominum communicationis, quam simplicem significationem signorum; alioquin esset, inquit, nugatio. Inepta, inquam, est hæc ratiocinatio in hoc loco: Non enim ait Autor, Christum dedisse panem, &c. vt ostenderet cur significata & significantia iisdem nominibus censeantur: Sed ait, ideo Christum dedisse panem & vinum in eo vltimo conuiuio, intellige simul cum illis verbis, *hoc est corpus meum*, &c. vt Apostoli discerent & cognoscerent, significantia & significata, id est panem & corpus, iisdem nominibus merito censeri: & si vis etiam, vt discerent cur id ita fieret, quia videlicet de pane tũc primum audierant dici à Christo; *hoc est corpus meum quod traditur*, & de vino; *hic est sanguis meus qui effunditur*. Erat igitur panis corpus, & corpus panis: sic vinum erat sanguis & sanguis vinum. Et hoc fuit vsque ad illud tempus ignotatum, & absconditũ ab oculis eorum. Ideo discursus hic adest optimus; Causa enim noua; seu medium prius ignotum innotuit illis, cur corpus sit panis, & panis corpus, quia Christus id dixit expresse quod prius non dixerat, vnde colligit Autor, tunc innotuisse signa nomine rei, & rem nomine signi, ex Christi institutione exprimi, siquidem panis erat profecto re ipsa panis, & non corpus Christi: & corpus Christi erat re ipsa caro; & non panis: cum tamen Christus panem illum dixerit esse corpus Autor deducit fuisse corpus significatiue, non realiter, sic è conuerso similiter de vino: Neque adest nugatio, siquidem allegatur aliud pro ratione & explicatione propositionis; quam id quod expressum est in propositione, quod pro regula assignat Perronius, ne adsit nugatio. Propositio enim est, si spectes Euangelium, Panis est corpus Christi, & Christi corpus est panis. Sic de vino & sanguine. Ratio vero & medium cur ita sit, est dictum Christi; de pane, *hoc est corpus, &c.* Et ita Panis est corpus; non quia panis est corpus, sed quia Christus dixit; panem esse corpus. Si autem spectes Cyprianum, seu loci quem discutimus Autorem, ex Eucharistiæ institutione Apostoli didicerunt, significantia & significata in nominibus communicare. Vnde autem id didicerunt, quo medio? quia panem existentem panem audierunt à Christo vocari corpus: & alias audierant sibi manducandas esse Christi carnes. Melchisedecianum vero sacrificium hic nihil penitus ad rem, vt docui.

XL. Audiamus nunc absurdam illam totius loci expositionem, quam elaborat Perronius *pag.* 998. vere peruersionem. Dedit itaque Dominus noster in mensa proprijs manibus panem & vinum:] Hoc est, inquit, panem & vinum communem secundum formam & effigiem visibilem: secundum veritatem tamen, inuisibilem panem & vinum; vt ait idem Cyprianus de Cœna Domini, natura mutatum, & omnipotentia verbi factum carnem, & sanguinem.] Hæc paraphrasis textui non potest in hoc autore accommodari, quia in pane mutationem substantialem nunquam admisit, quia accidentia sine subiecto nunquam agnouit; quia panem substantialem in Eucharistia semper ponit, quæ sunt à me reddita compertissima; quia demum panem & vinũ ponit absolute; at nomine panis, & vini absolute

lute prolato norunt omnes quid significetur. Pergit, *In cruce vero, &c.* Et ad ea verba quomodo vinum & panis caro esset & sanguis; hæc subdit, si velimus absolute grammaticalem sequi constructionem, dicendum est quomodo illa sincera veritas esset & vinum & panis, & caro & sanguis. Haberet enim *esset*, non *essent.*] Sed ista grammatica & falsa est, & loci maxime deprauatiua. Locus enim plane facit propositionem, in qua *vinum & panis* sunt subiectum; *caro* vero *& sanguis* prædicatum: At hæc grammatica subiectum facit nescio quid, *an veritatem, an Eucharistiam*, prædicatum vero illa omnia, *vinum, panem, carnem, sanguinem*, cum maxima in sensu varietate. Sed etiam falsa est: nam necessario sententia postulat verbum, *esset*, in singulari, non in plurali, *essent*; Quia sententia est talis; panis est caro: vinum est sanguis; quam repetitionem bis, est, est, vt fugeret, voluit vt vnicum, est, seruiret vtriq; & pani, & vino, disiunctiue. Quod si dixisset, vinum & panis, caro essent & sanguis, tunc sensum facerent, tam panem quam vinum fore & carnem & sanguinē. Valeat ergo cum sua Grammatica, & eam alios, non Theologos doceat.

XLI. Pergit: Et quibus rationibus causæ effectibus conueniant.] Hoc est, inquit, quibus rationibus Sacramenta Melchisedeci, quæ erant causæ typicæ, & exemplares Sacramentorum Christi, conueniunt & correspondent cū illis, Adimpletio.n. inquit, Sacramenti Melchisedeciani erat causa exemplaris, & finalis propter quam Christus suum corpus & sanguinem dedit sub speciebus panis & vini; vt scripturæ, quæ prædixerant Christum futurum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, adimplerentur.] Autor firmus perpetuo persistit in comparatione panis Eucharistici, cum corpore Christi, & vini cum sanguine; nihil de Melchisedeco, nihil de figuris, earumue expletione. Hui, quam longe euagatus est hac sua paraphrasi, à textu remotissima. Et si quæramus ab eo, cur hæc ad Melchisedecum trahit, respondet statim *pag.* 999. ideo Cyprianum ista ad Melchisedecum dirigere, quia Ambrosius *l.4. de Sacrament.* Melchisedecum vocat Sacramentorum Euāgelicorum autorem. Macte virtute Cardinalis: sed ne sic mactes in suis dictis antiquos Patres. Sententia vera horum verborum est, Eucharistiam institutam, & in ea mysteria aperta, vt disceremus quibus rationibus, id est quo pacto, quo modo causæ effectibus conuenirent, nempe quomodo Sacramentū efficax, tanquā causa instrumentalis, effectus gratiæ operetur: dū discimus nobis cum pane Christi corp⁹ à quo in nos omnia bona fluūt exhiberi.

XLII. Pergit vlterius: & quomodo diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam: & significantia, & significata, &c.] hoc est, inquit, qua de causa Sacramenta Christi, quæ erant res significatæ, fuerant adnumerata in ordine sacrificiorum eorū quæ fuerunt Melchisedeci. Et producit locum similem ex Cypriani epistola de Sacramento calicis.] Inculcat frustra Melchisedecum ad nauseam. An non statim præcesserunt illa verba, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis: quæ nihil ad Melchisedecum, nihil ad figuras veteres, nihil ad nomen sacrificii. De his igitur ipsis, panis caro, vinum sanguis, ait iam constare, quo pacto diuersa nomina, & diuersæ species, hoc est diuersæ res, & substantiæ ad vnam reducerentur essentiam: ita nimirum vt & panis sit corpus, & corpus panis; sic vinum sit sanguis, & sanguis vinum: id enim ita esse, in Eucharistiæ institutione, Christus affirmauit: & quoniam panis & corpus respiciunt se ex interpretatione huius Autoris, seu potius ex communi sensu qui tunc erat in Ecclesia, & necessario esse debebat, sicut signum, efficax tamen, & signatum, ideo connectit statim consequenter ad ea quæ dixit de vnitate essentiæ, significantia & significata: hoc est panem & corpus; vinum & sanguinem eisdem vocabulis censeri, quia panis est corpus, & corpus panis, ergo sub panis nomine & panis venit, & corpus Christi & sub nomine corporis Christi venit & corpus & panis: Ita de vino & sanguine. Et hæc sunt apertissima, & ad verbum pene in Autore expressa. An autem Cyprianus aliis locis significantia, & significata applicet figuris veteribus & earum rebus in Euangelio, nihil ad nos: neque id quicquam facit ad hunc locum, in quo plane significantia sunt panis & vinum: significata vero, corpus & sanguis. Similiter, quod Petro Martyri interdum visus sit Cyprianus durius loqui, ad nostrum negotium non facit. Nos omnia Cypriani loca realem præsentiam abnegare, & à Cypriano ablegare probauimus. Nec est vllus in Cypriani volumine tractatus contra realem præsentiam adeo pugnans, vt tractatus ille de Cœna Domini: vt vidimus. Et nihilominus Perronius eidem sibi plurimum aduersanti hæret; & ex duobus dictis murum sibi aheneum, cui innitatur, construit. Alter est locus ille ei iam deploratus; *Panis non effigie sed natura mutatus.*] Alter vero est; *Integer erogatur; distribuitur non demembratur, incorporatur, & non minuitur; recipitur & non includitur.*]

XLIII. Si ista sunt de corpore Christi vero, & corporaliter in Eucharistia præsente intelligenda, merito potest exultare; Ego tamen ei vice versa murum aheneū meū obiicio, illa: *ex tract. Cypr. de cœna Dom.* Ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniremur.] Item *ibid.* Cruci hæremus, sanguinē sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam; quo interius, exteriusque rubricati à sapientibus huius sæculi iud camuramentes, &c.] Addo tertium & indubitatum veri Cypriani locum (de quo supra in hac appendice §.9.) vbi eos reprehendit qui aquam solam consecrabant: Nisi inquit, *l.2. ep.3.* si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi.] Dicat mihi nunc Perronius, quomodo sanguis Christi in Eucharistia linit exterius ipsum bibētem? & quomodo idem sanguis rubricet labra exterius: quomodo item sanguis Christi habeat vini odorem? Cogitur profecto velit nolit, dicere, in Cypriano sanguinē Christi esse ipsum vinum, & sane rubrum; siquidem color, & humiditas, & odor vini tribuitur sanguini Christi, ita vt vini accidentia sint accidentia etiam sanguinis. Neq; interim hæc dixerim esse contraria illis: omnia enim & illa, & ista vera sunt ex ea regula; quia significantia & significata iisdem vocabulis censentur. Et sic murus ille nobis est aheneus, Perronio vero stramineus. Hactenus in hac Appendice de Cypriano.

LIII. In Actis Conc. Niceni primi nondū publicatis, sed in vaticana bibliotheca latētibus pro reali præsentia producit Bellarminus *de Euch. l.2. c.10.* huiusmodi verba. Item etiam hic in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem, sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mūdi, incruente à Sacerdotibus immolatum, & preciosum ipsius corpus & sanguinem vere nos sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola: propter hoc enim neq; multum accipimus, sed parum, vt sciamus non ad satietatem, sed ad sanctificationē sumi.] Quæ tamen verba egregie doctrinam Patrū ha-

ctenus

ctenus traditam confirmant. Adest in mensa sacra panis & calix; mens attollenda est, vt à pane & vino ibi præsente abducamur, fideq; percipiamus præsentiam Agni quæ possit ibi esse: pane tamen existente pane, vere manducamus corpus & sanguinem Christi, cum panem verum panem manducamus; spiritualiter ergo non realiter corpus manducamus: Panis & vinum quæ sunt typice Christi corpus & sanguis, sunt etiam symbola nostræ resurrectionis. Sed vrget Bellarmin. Agnus hic dicitur situs in mensa materiali; Situs est in suis typis, & figuris: & fides dum Agnum typicum, id est, panem in mensa contemplatur, eleuatur ad figuratum, ... tamen in mensa in suo typo situ. Vrget verbum ...: sed immolatio non est nisi commemoratio, quia sacramenta hæc in memoriam Christi ... dantur: vere autem & proprie, neque panis, neque Christus immolatur, vt infra explicabo. Vrget ... resurrectionis esse corpus & sanguinem Domini. At impossibile est corpus Christi reale esse symbolum nostræ resurrectionis, est enim causa ipsius, mentoria præsertim, non ergo symbolum: sed symbola sunt panis & vinum, quæ quia corpus verũ Christi nobis vniri significant efficaciter; inde nobis etiã nostram resurrectionem significant, quã corpora nostra ex dono spirituali corporis Christi assequentur, ... sacer panis in corpus nostrum trãsit. & ... hæc spiritualiter cum illo ei exhibentur. Verba igitur ... si sunt Concilii Nicæni; vel præsentiam realẽ non tolerant, vel saltem illam nõ asserunt, & ego quidem quantũ ex me, vel nullam vel leuem fidem huic ... adhibeo, facileq; illum contemno: video enim modum illum loquendi esse valde similem modis loquendi temporum longe posteriorum. Veniamus ad Patres.

Appendix Ad Acta Conc. Nicæn.

Vsus est Plessæus contra præsentiam realem, Canone quodam Concilii Nicæni, ex quo aliquot ... argumenta. Ad ea Perronius respondet satis fuse. Sed tamen aliqua quæ me ab vlteriori huius Canonis consideratione omnino abducunt. Primum, quod Canon apud me satis fide nutat, nec Perronius ipse ... protulit, quo mihi Canonis legitimã persuaderet veritatẽ; vix enim nisi domesticos testes produxit, ... Deinde quia Canone hoc ego in meo tractatu præsenti non sum pro me vsus. Tum vero quod vterq; tam Plessæus, quam Perronius, ex probabilibus duntaxat vrgent; ce te Perronius potius videtur Cóciones de *Sursum corda*, quam disputationes texere. Quarto demum, quia si quid Perronius habet in Canone, quod ad realem præsentiam ille trahat id ... etiam à me *num*. 53. dilutum. Ab vlteriori ergo ... locum appendice abstineo.

LIV. Eusebius Cæsariensis *de Demonst. Euang. l.* 1 *c. vlt.* Sacrificium nostrũ fuisse asserit, vbi corpus Christi in cruce pro nobis immolatũ est; & nos, *ait*, huius sacrificii memoriã signis quibusdam in mẽsa celebrandi, corporisq; illius, salutarisq; sanguinis, vt noui Testamenti institutum habet, accipere.] Signa duntaxat ponit in nostra mensa sacra, quæ nobis Christi corpus in ... victimam Patri oblatã referant, & repræsentent. Quæ ... sunt signa corporis, nõ sunt corpus, & signa ... nobis patentia, & visibilia, per quæ ducimur ad ... corpus vero Christi in Eucharistia, neq; patens est, neque visibile, quomodocunque adsit: nõ ergo corpus Christi est signum corporis crucifixi, sed ipse panis, & ipsum vinum sunt mera signa. Ita Eusebius, quem si quis suspectum hæresis Arianæ esse dicat, sciat, hæresim Arianam circa Eucharistiam nullum errorẽ docuisse: qui sane Eusebius illud quoque scripsit, *v id. l.* 5. *c.* 3. Ita sane primus ipse Saluator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundũ Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotii munus obeuntes vino ac pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant.] Ecce signa illa panis & vinũ, corpus & sanguinem significando repræsentantia.

LV. Athanasius Patrum priorum sensum de sola spirituali præsentia, cõtinuate tenet & exprimit, nullo intermedio inter Cyprianum & ipsum Athanasium quicquam in contrarium docente. Ait vero Athanasius *de humanat. suscepta*; Alibi Spiritum S. appellat panem cœlestem: *Matt.* 6. 11. panem nostrum ἐπιούσιον, da nobis hodie. Docuit enim nos vt posceremus in precibus nostris in hoc sæculo panem ἐπιούσιον, h. e. futurum, cuius primitias habemus, quia in communionem corporis Dominici admissi sumus, quemadmodum ipse dixit: Ioan. 6. 51. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita; Spiritus n. viuificans est caro Domini, quoniam ex spiritu viuificante concepta est; quod n. ex spiritu nascitur spiritus est.] Conatus ibi Athanasij est, vt doceat diuinitatẽ filij, & id ꝓbat, quia omnia opera filij (exceptis iis quæ à sola humanitate proficiscerentur) sunt cõmunia & Patri & Spiritui sancto: Exempla singularia multa affert, vt illud, *Ioan.* 5. 21. Pater suscitat multos; & viuificat: sed & filius quos vult viuificat. *Ioan.* 6. 63. Spiritus etiam dicitur viuificare, & carnem nihil prodesse: Vides, *inquit Athanasius*, quod quæ opera sunt Patris, ea quoque scriptura assignat & filio, & Spiritui sancto.] ac pergit alia enumerare, inter quæ posuit exemplum panis modo allatũ: nam filius dicit se esse panem viuum, sed eodẽ modo etiam spiritus est panis, nam quãdo panem supersubstantialem petimus, Spiritum sanctũ, inquit, petimus; cuius spiritus primitias habemus, qui corpori Domini in Eucharistia cõmunicamus. Quomodo vero primitias Spiritus habet qui corpori communicat; quia *Ioan.* 6. 63. caro Christi, inquit, est spiritus viuificans, & merito, quod enim ex spiritu natum est, spiritus est. Non quod Christi corpus non fuerit reale, & materiale corpus; sed in sacramento, inquit, caro Christi illa quæ comedenda promittitur, spiritus est, id ipso attestante Christo spiritus viuificat, caro nõ prodest quicquam.] Intelligit ergo hunc locum Athanasius excludere omnem realitatem corporalem carnis in Eucharistia, & solum spiritum sub nomine carnis cõmedendæ in sacramento promitti, carnẽ vero Christi ad hoc nihil valere, hoc est nihil prodesse, neque esse necessariam, quia sui gratia illa non datur nobis, sed in gratiã spiritus. Realis ergo præsentia carnis Christi ad effectum sacramenti nihil facit. Et re verã nos eam absque vlla necessitate frustra ponimus, adeo enim attenuamus eam; & omni sensibilitate, & corporeitate denudamus in Eucharistia, vt purus & nudus relinquatur spiritus: perinde ergo est carnem Christi spiritualiter ponere, & non se innumerabilibus carnalis præsentiæ difficultatibus implicare.

LVI. Consequenter ad hunc locum, data alia opportunitate Athanasius, *in illud Euangel. Quicunq; dixerit*; *&c.* ad verba Christi Eucharistiæ promissoria explicanda ingreditur hoc pacto. Quot hominibus corpus eius sufficeret ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam (de qua loquutus erat) cibum ẽ supernis cœlestem, & spiritualẽ alimoniam, & ab ipso donandã intelligerent.

Quæ

Quæ enim loquutus sum vobis, inquit, spiritus & vita sunt; quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat singulis rutamen, præseruatioque ad resurrectionem vitæ æternæ.] Quando enim dixit Christus; *Ioan. 6. 51. 53.* Panis quem ego dabo caro mea est. Et nisi manducaueritis carnem, &c. multi scandalizari sunt, & durum esse hunc sermonem dicebant. Tunc Christus vt duritiam emolliret, dixit; Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis vbi erat prius? Hanc ascensionis commemorationem eo spectasse dicit Athanasius, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ne cogitarent de vlla carnis realis reali manducatione, non modo illa absurda Capharnairarum, sed absolute de nulla, sed sensus omnes ad solam & totam spiritualem alimoniam transferrent; corpus enim dabitur in cibum sacramentalem, ita tamen vt non nisi spiritualiter tribuatur. Ista certe sunt in Athanasio satis clara, quæ fuse & sæpius ab Augustino explicari paulo post videbimus, & ab aliis. Sed Bellarminus *de Euch. l. 2. c. 11*, nobis hunc Athanasii locum non cedit; tergiuersatur quantum potest, & se ad spiritualitatem maximam reducit. Ac ita sane, vt vel maxime ex ipso quoque pateat, corporalem illam adeo extenuatam præsentiam nihil penitus in sacramento efficere, & posse sacramentum Eucharistiæ esse plenissimum & perfectissimum sine præsentia corporali. Interim vero Athanasius solam agnoscit spiritualem, & de corporali ne minimum quidem vllum profert indicium. In re autem tanti momenti sancti illi veteres Patres non debuerunt esse tam ieiuni, vt nos à cogitãda præsentia corporali in genere deterrerent, & interim veram præsentiam corporalem non modo non explicarent, sed neque attingerent, imo expresse excluderẽt. Quod vero obiicit Bellarminus ex hoc loco, nobis dari corpus illud quod datum fuit ad mortem, nihil est, illud enim ipsissimum corpus reale datur, sed non corporaliter, spiritualiter duntaxat, vt ipsemet Athanasius se sentire explicat, subdens: vt spiritualiter vnicuique tribuatur.] At apprehensionem, *inquit*, corporalem significant illa verba, vt sit nobis tutamen, & præseruatio ad resurrectionem.] Sed hoc iam non semel est in præcedentibus Patribus explicatum, ex reali, & corporali comestione panis sacri, & adiuncta spirituali corporis præsentia, & exhibitione, corpus quoque digne sumentium consequi donum resurrectionis & immortalitatis, vt passim veteres censent Patres.

LVII. Affert pro se vnum Athanasii locum Bellarminus, *vbi supra c. 11.* qui talis est: *Apud Theodor. Dial. 2.* Corpus est, cui dicit: Sede à dextris meis; cuius etiã fuit inimicus diabolus cum malis potestatibus, & Iudæi, & Græci, per quod corpus Pontifex, & Apostolus fuit, & dictus est, per id quod nobis tradidit mysterium, dicens, *hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; & sanguis noui Testamenti, non veteris, qui pro vobis effunditur.* Diuinitas autem neque corpus habet neque sanguinem.] Veritatem carnis in Christo intendit probare Athanasius: ad hoc duo scripturæ loca hic producit. Vnus est, quia Christus sedet à dextris Patris: sedere vero est corporis: alter quia in sacramento Eucharistiæ ipse dicit, se suum corpus dare. Vbi si non verum, *inquit Bellarminus*, & proprie dictum corpus intelligeret Athanasius hæreticis faueret quos oppugnabat: illi enim fatebantur Christum habuisse corpus quoddam apparens, atque adeo figuram corporis, sed negabant verum corpus humanum habuisse.] Sed nimium infirmum est hoc argumentum: probat Athanasius veritatem corporis in Christo, nõ ex visu nostro, sed ex dicto Christi si enim non haberet verum corpus vera carne & vero sanguine constãs, non diceret se in mysterio suum corpus, & suum sanguinem tradere: cum tamen id ille dicat, profecto & corpus habet & sanguinem, licet in Sacramento nos neque corpus neque sanguinem aut habeamus realiter aut videamus: mysterium enim est, inquit Athanasius, quod tradidit. Si mysterium, non ergo res ipsa. Nunquid vero, tametsi esset in Eucharistia realiter corpus illud, quod nos ponimus adeo transfiguratũ, vt neque figuram habeat vllam, neque apparentiam, neque sensibilitatem, neque vllum penitus accidens quo corpus aut perficitur aut exornatur, hæretici cõuincerentur? Imo egregie confirmarentur, corpus Christi esse adhuc plus phantasticum quam ipsi ponebant: quia illi externam corporis apparentiam saltem admittebant; at corpus Christi transsubstantiatum, aut vbiquitatum ne apparentiam quidem vllam corporis habet. Stet ergo in communi cum superioribus Patribus acie Athanasius.

LVIII. Ecce per trecentos annos nullum penitus vel minimum habemus indicium præsentiæ realis corporis Christi in sacro pane, habemus vero ipsos primos Religionis nostræ sanctos & incorruptos Antistites, & prima Ecclesiæ Catholicæ lumina, si excipias næuum inculpabilem Cypriani, & calum Tertulliani, (qui tamen in materia Sacramenti Eucharistiæ nunquam male in Ecclesia audiit) qui communi consensu & explicata sententia, solam spiritualem, & figuratam & mysticam præsentiam corporis Christi in Eucharistia vniformi consensu sunt professi. Apocryphos illos Andreæ discipulos, Areopagitas, Pios, imo & Ignatios sapiens non tanti faciet, vt de illorum dictis siue pro præsentia reali, siue contra eam sit sollicitus, classici & certi sunt consulendi Autores. Ex quibus mihi certe ego videor posse multo firmius asserere, hanc esse Apostolicam traditionem, in hoc sensu mysticoChristum dixisse, *Hoc est corpus meum*, siquidem ab ipsis Apostolorum temporibus hanc doctrinam video per ipsos Patres vnanimi consensu, absque vlla hæsitatione aut dubitatione esse in Ecclesia primis incorruptis sæculis propagatam, quam nostri ad traditionem multas alias doctrinas reducant, quarum tamen veram traditionem probare non possunt. sed neque hæc doctrina in primis trecentis annis finem habuit: adhuc eam in Ecclesia perseuerasse iã probabo.

Appendix Ad Athanasium.

LOCVM vnicum ex Athanasio pro se produxit P. essæus, qui est in illius commentario in illud Euangelii, *Qui unq. dixerit verbum, &c.* quem ego quoq; consideraui *num. 56.* Opponit tria Plessæo Perronius. Primum, commentarium esse spurium, & nequaquã Athanasii. Deinde interpretationem & intelligentiam Plessæi non esse legitimam, imo ne grammaticalem quidem. Tertio, locum facere pro præsentia reali, & nequaquam illam impugnare Ego inutiles concertationes libenter euito, criticis primam oppositionem relinquo. Alteram non excutio, quia Plessæus voluit comparare dictum hoc Athanasii cum dicto præcedenti Canonis Nicæni, vt ferme Athanasii dictum canonem Nicænum & sequatur, & interpretetur: Hoc vero ita ne sit, necne, non est operæpretium indagare; Sane patet in multis inuicem hæc loca sibi respondere. Quid hoc ad rem nostram? In tertia itaq; opposi-

oppositione aliquid est videndum. Puto enim hunc locum à reali præsentia plurimum abhorrere: vis eius in tribus tota consistit. Primum, in eo quod ait, manducationem Christi non debere sumi carnaliter, quia corpus eius non suffecisset ad cibum, vt fieret alimonia vniuersi mundi. Deinde in eo quod dicit, Carnem Christi esse alimoniam spiritualem, & spiritualiter distribui. Demũ in eo quod ait Christum meminisse *Ioan.6.62.* ascensionis, vbi de carnis suæ mãducatione loquebatur, vt auditores abstraheret à corporali intellectu.

II. De primo nihil Perronius. Sat enim arbitror putauit id quod respondit Bellarminus, *de Euch. l.2.c.11.* illa dici contra Capharnaitas, qui frustatim putabant Christi carnes comedendas: sic enim cito consumeretur.] quasi vero qui quinq; panes multiplicauit, vt satiarent tot millibus hominum, *Ioan.6.* non potuisset eosdem multiplicare, vt toti mundo sufficerent, nec pro vno tantum die, sed pro tota etiam vita. Atq; ita etiam in suo corpore. Sane Athanasius non propterea negauit corpus Christi esse corporaliter comedendũ, quia sine miraculo non posset sufficere; longe.n. maius miraculũ admitteret, si ipsum integrũ comedi putaret à singulis, & vicib. ferme infinitis: sed ideo quia absurdissimũ, imo & impossibile putauit, vt corp⁹ materiale Christi quocunq; modo, siue integrũ, siue discerptum, siue visibile, siue inuisibile corporaliter comedatur.

III. In altero, quoad eam particulam, in qua dicitur corpus Christi alimonia spiritualis, Bellarminus explicabat dici spiritualem, quia datur in cibum spiritus, non corporis, quod, puto, Perronius vidit non sufficere: quia Eucharistia est etiã proficua corpori, & nutrit corpus ad incorruptionem & immortalitatem, vt iam toties in superioribus est explicatum. Et quia Athanasius expresse excludit carnem, vt mox patebit. Perronius vero corpus Christi facit spiritualem alimoniam in Eucharistia, quia in ea corpus ipsum Christi est impassibile, incorruptibile, & indiuisibile. Has ego proprietates non dubito efficere vt corpus humanum dicatur spirituale, quia Paulus ait 1.*Cor.*15.44. *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Sed hoc spirituale nõ opponitur carnali, seu quod idẽ est, corporeo aut materiali, sed opponitur tantum animali, hoc est, nos in hac vita mortali gestare corpus sensibus, & concupiscentiis, quales sunt in animalibus brutis, subiectum: post resurrectionem vero, liberatum iri à malo fomite, ab irregulata sensualitate, & ab omni illicito appetitu: & ex horum carentia perfectaque obedientia ad rationem & spiritum, vocatur spirituale. Qua ratione etiam Christus dicit, *Matt.*22.30. homines iustos post resurrectionem fore sicut Angelos Dei, remotos à cõcupiscentia & nuptiis ac opere maritali: Sed hæc spiritualitas hoc loco ad rẽ non est: loquitur enim Athanasius de spirituali, quod opponatur corporeo & carnali, quodq; excludat corpus & carnem, & res sit dũtaxat diuina & cœlestis, ipseq; diuinus spiritus, vt legenti constat. Sed præterea ineptum est interpretari, corpus Christi in Eucharistia ideo esse spirituale, quia est impassibile & incorruptibile. Athanasius enim cõsiderat illam Eucharistiam quam ipse Christus distribuit, Christus vero semel tantum illam distribuit in vltima Cœna, quando adhuc corpus eius erat passibile, & mortale, ergo etiam in Eucharistia dabatur Apostolis corpus passibile & mortale: & hac ratione nõ fuisset spirituale: nihilominus tunc quoq; datum fuisse corpus spirituale & spiritualiter, asserit Athanasius.

IV. Quoad alteram particulam, de distributione fienda spiritualiter, Bellarminus eam explicauit, quia non diuiditur in partes, sed datur totum simul & indiuisibiliter. Sed sicut hæc interpretatio non saluat Perronio priorem particulam, profecto ob eãdem rationem, neq; Bellarmino secundam saluabit. Et hoc satis aduertit Perronius, eam enim noluit sequi, in alterius particulæ, *spiritualiter*, explicatione; ac merito: aliud enim est miraculose distribui, aliud spiritualiter: nam corporalis etiam distributio potest esse miraculosa, sicut fuit illa quinq; panum, & duorũ piscium, *Matth.*14.17. & non propterea fuit spiritualis. Itaq; Perronius recurrit ad causam efficientem, vt spiritualiter dicatur fieri quod diuina fit virtute, & per agens diuinum, non per carnale. Exempla dat ex Patribus *pag.*1019. & 1025. vt quando Hilarius ait, Christi conceptionẽ fuisse spiritualem; & Theodoretus negat Virginem carnaliter Verbum concepisse. Et Epiphanius ait, Eliam fuisse spiritualiter eleuatum. Mihi vero non videtur verum generaliter, vt quæcunq; actio fiat diuina virtute, dici possit spiritualis, & spiritualiter fieri, nisi aliqua circũstantia extraordinaria concurrat, quę compellat nos carnalitatem abstrahere, sicut in his exemplis merito conceptio illa dicitur spiritualis, quia vere per Spiritum Sanctum, & non per humanum semen facta est, & in hac parte iure negabitur fuisse carnalis, vt propterea merito etiam Virgo negetur carnaliter concepisse: carnalem enim prolem, sed non carnaliter suscepit. Ita Elias fuit spiritualiter eleuat⁹, quia ipsa eleuatio fuit spiritualis, non materialis, facta videlicet modo & instrumentis naturalibus. Dicam vno verbo, in his omnibus particula, *spiritualiter*, non afficit Christum, non Virginem, non Eliam, sed conceptionem, sed eleuationem. In hoc vero loco Athanasij particula, *spiritualiter*, afficit & corpus ipsum quod exhibetur, & ipsam exhibitionem, ac simul etiam mãducationem. Sed non sic est in aliis diuinæ virtutis actionibus: panis enim quem turbę comederunt in deserto, absolute loquendo non erat panis spiritualis, sed materialis, non minus quàm ordinarius panis, qui & ipse diuina virtute producitur, sed longiori tempore. In his tamen non insisto; facile enim concedam, Athanasium hoc loco per spiritum intelligere diuinitatem & virtutem diuinam, siquidem ait expresse, Christum se filium hominis vocasse, vt corporalitatẽ suam declararet: ex spiritu vero spiritualem suam & intellectualem Deitatem demonstraret; & hoc exposito statim ingreditur in similem locum, in quo agitur similiter de carne & spiritu Christi, *Ioan.6.* Huiusmodi charactere, inquit, etiam in Ioannis Euangelio vidi, &c.] Si est istiusmodi character, ergo eodem sensu accipitur caro & spiritus. Hoc igitur cõcesso, videamus an Perronius inde argumentum propositum effugiat.

V. Verba Athanasij, seu alterius, quicunque ille Autor sit, sunt, carnem de qua locutus est Dominus, cibum è supernis cœlestem, & spiritualem alimoniam à Christo donãdam intelligi. Et quod dixit Christus, verba sua esse spiritum & vitam, perinde esse, ac si diceret; Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur.] Hæc profecto respondent dicto superiori, nimirum, Christum daturum corpus suum spiritualiter in Eucharistia, vt sic cibus sit omnium, & omnibus tribuatur, quod corporaliter tribui omnibus non poterat, quia omnibus non suffecisset. Si quæras, quid sit illud spiritualem esse alimoniam, & spiritualiter distribuendam; respondeo idem esse spiritualem, quod diuinam, & idem spiritualiter quod diuinitus, sed penitus exclusa carnis corporali distributione. Vis enim diuina efficit, vt modo quodam miro, & ineffabili corp⁹ Christi in spiritu detur, & exhibeatur diuinitus,

dum panis datur, & comeditur humanitus. Neque enim spiritualem comestionem inde solum spiritualē voco, quod nos spiritu nostro, vt opponit Perronius, id est, fide potissimum id faciamus: sed spiritualem inde maxime voco, quod nobis vi diuina & modo spirituali exhibetur, & ad hoc est consequens, vt nos etiam simul cum corporali panis sacri manducatione nō solum corpore, sed etiam multo magis nostro spiritu, corpus Christi verum, sed spiritualiter, hoc est, in spiritu & diuinitus exhibitum, recipiamus: & sane toto hoc loco, *caro & spiritus, carnaliter, & spiritualiter* penitus opponuntur, vt spiritus intelligatur esse diuinitas, & caro humanitas: spiritualiter vero intelligatur modus diuinus à carne abstractus; nam si à carne abstractus non sit, spiritualiter & carnaliter non opponentur, opponi vero hæc & esse diuersa apud Athanasium, patet, quia spiritum à carne, ait, fuisse à Christo discriminatum, vt discerent eius verba illius nō carnalia esse, sed spiritualia; in manducatione ergo Eucharistiæ ingerd nullo modo debet id quod carnale est: sed totum illud quod manducatur est spirituale, & cœleste, spiritus nempe diuinus in sacramento nobis communicatus.

VI. Excludit itaque carnem absolute, quod immerito negat Perronius: neq; est ad rem agens humanum & corporale, quod ille solum vult excludi, quia de ipsa sua carne comedenda, & non de agente, seu dante, dixerat Christus, *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: & hæc ipsa verba applicat Athanasius suo proposito, & ex ipsis asserit, Christum ostendere corpus suum esse dandum pro alimonia spirituali, & spiritualiter. Et falsum est, excludi debere agens carnale; quia Christus secundum humanitatem etiam dabat discipulis suum corpus dicens, *Accipite comedite hoc est corpus meum*. Et certe respectu agentis dabat ipsum etiam carnaliter: sed tamen in carnali pane spiritualem cibum dabat, id est spiritum suum, atq; hoc virtute sua faciebat, vt est explicatum, vt spirituales sui corporis proprietates cum pane Eucharistico id ipsum digne sumentibus communicaret; & hoc est, spiritualiter tribuere, non ratione tribuentis, sed ratione corporis tributi, & ratione virtutis diuinæ, quæ corpus carnale dabat spiritualiter, id est modo spirituali, & in spiritu, non in carne.

VII. Tertium, in quo consistebat vis loci huius erat, Christum mentionem fecisse ascensionis suæ, vt eos quos docebat à corporali intellectu abstraheret. Bellarmini fere responsionem arripit, & amplificat *pag.* 1023. *à tergo*, & id ita explicat, Athanasium dicere, Christum voluisse diuertere Iudæos, ne cogitarent actum huius distributionis suæ carnis, opera aliqua aut facultate corporali, siue dissectione, ferrive aut similis corporalis instrumenti applicatione faciendam, ideoque ascensionem commemorasse, vt ostenderet eis, se non prętendere dare eis suam carnem ipsiusmet suæ carnis ministerio, quæ nō poterat ex tam alto adeo depresse se præsentem corporaliter facere, si causa efficiens huius distributionis alia non esset, nisi carnalis & corporalis: sed vsurum se operatione suæ omnipotentiæ & diuinitatis.] Sed hæc explicatio stare non potest. Mitto quod hæc in prima communione Apostolorum vera esse nullo modo possunt. Certe Athanasius dicit, Ascensionem commemoratam, vt eos à corporali intellectu abstraheret, corporalis vero intellectus erat, quia illi carnem ipsam carnaliter & corporaliter edendam esse putabant. De modo profecto non cogitabant, num coctam, num crudā, num integram, num dissectā, num cultro, num securi scindendam: quomodo, dicebant, hic potest nobis carnē suam dare ad manducandum? Nō quærunt modum, sed rem; non enim dicunt, quo modo hanc carnem manducabimus, sed quomodo potest hic dare suas carnes? Id est, qui fieri potest vt hic det carnes, &c? In rei possibilitate hærent: carnem enim veram manducandam putant, & hic erat carnalis eorum intellectus. Ad hunc intellectum eis auferendum, ait Athanasius, Christum suam ascensionem commemorasse: nimirū, ideo dixisse se in cœlum ascensurum, vt hinc intelligerent carnem suam non esse comedendam siquidem sit tam procul ab eis abfutura. Doceat vero Perronius, quomodo in sua explicatione ascensio Christi auferat Iudæis intellectum carnalem, qui totus erat circa rem, non circa modum. Si enim ex ascensione sequitur, carnem Christi non esse comedendam dissectam, nec coctam, nec laceratam dentibus, non propterea sequitur, non esse vere comedēdam, & hic erat intellectus carnalis quem profecto ascensio nō tollit. Sed neq; ex ascensione sequitur, vt innotescat carnalibus, carnalem manducationem concipientibus, diuinam omnipotentiam operaturam: nam etiam absque ascēsione plurima per diuinam omnipotentiam Christus operabatur. Neq; si illa innotesceret, sequeretur, eos veram carnem carnaliter non comesturos: & ita carnalem intellectum ascensio nō aufert, si carnalis quæcunq; maneat manducatio. Aufertur vero totus carnalis intellectus per ascensionem, vt ostendi: quia carnalis etiam aufertur manducatio: carnalis inquam, quoad rem etiam, & non solummodo quoad modū, & sic patet, locum hunc, cuiuscunque sit, esse contra præsentiam realem apertissimum.

VIII. Protulit Plessæus, vt ipse citat, ex Athanasio paucula quædam, nō tam vt directe ad suam præcipuam quæstionem iis vteretur, quam, vt conformitatem & similitudinem quandam inter Athanasium & Concilii Nicæni Canonem præcedentem ostēderet; vt propterea circa hunc locum non sit nimium laborandum. Perronius tamen *pag.* 1026. hallucinatum vult Plessæum, atq; in ipsum insultat, quod Theophylacti locum, Autoris longe posterioris, Athanasio tribuerit. In Athanasio neq; ipse locum inuenio, sed puto Plessæum, vel in ipso, vel aliquo alio Patre veteri, quem pro Athanasio citatū ab aliquo viderit, ea verba in eundem locum Pauli legisse à quo etiam Theophylactus potuerit illa desumere. Theophylactum vero horum verborum primum facere Autorem, à quo illa Plessæus immediate habuerit, nunquam mihi permittam persuaderi: video enim verba esse diuersa, tāetsi sensus ferme idem; quæ legit Plessæus sunt; *mystica mensa, cui qui participant, cum Deo ineunt sodalitatem.*] At Theophylactus *in* 1. *Cor.* 10. in ea verba Pauli, *Nolo vos participes fieri Dæmoniorum*, ait, Si enim mysticam mensam participantes Christo cōmunicant eiq; vniūtur, Dæmoniū mēsam participātes dæmonib. haud dubie cōmunicant.] Neq; nouū neq; insolitum est Patrib⁹, mensam Eucharistiæ vocare mensam mysticam, vt indignum sit id primum Theophylacto tribuere.

LIX. Hilarius commode poterat in hoc argumēto quod tractamus omitti, cū enim de corpore Christi quatenus ad Eucharistiæ sacramentum spectat, nihil penitus tractasse vsquam inuenio; quoniam tamē verba eius nonnulla, imo & non pauca trahunt nostri ad præsentiam corporalem, vt *Bellarm. de Euch. l.* 2. *c.* 12. omittendus mihi non fuit. Ostendo igitur ea verba ad Eucharistiā nullo modo esse detorquenda. Disputat Hilarius cōtra Arianos; contra quos ab Orthodoxis pro diuinitate filii, inter plurima loca Euāgelica illeafferebatur, vbi Christus ait, *Ioan.* 10. 30. *Ego & Pater vnū sumus.* Interpretabātur illi hæc verba de vnione

volun-

voluntatis & dilectionis, non de vnitate naturæ esse intelligenda. Et hanc suam interpretationem ex alio simili loco confirmabant, videlicet vbi Dominus pro suis discipulis, & pro iis qui erant per eorum verbum credituri, orat *Ioan.* 17.21. Vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, *inquit*, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] Vt hoc effugium ipsis intercludat Hilarius, contendit hanc quoq; vnitaté non esse in voluntate duntaxat, obsequio, & dilectione, sed etiam in natura. Naturam vero sumit nō pro essentia ipsa substantiali, sed ponit naturam, vt excludat solam voluntaté & dilectionem, quam afferebāt Ariani: vult enim discipulos quoq; & fideles, cum Christo & in Christo vnum, non sola voluntatis conformitate & dilectione, sed etiam suo modo realiter & substantialiter: ita vt & nos simus in ipso, quia ipse nostrā naturam assumpsit ex Virgine, & ipse in nobis, quia nos in mysterio carnem ipsius nostrum cibum factam comedimus: semper vero de illa comestione loquitur, quam Christus toties in 6. Ioannis capitulo commemorauit, quę est per fidem incarnationis.

LX. Antequam igitur verba Hilarii perpēdamus, quæ pro præsentia corporali adducuntur, vt verum Hilarii sensum quem iam innui eliciamus, alia eius verba ex *lib.* 10. *de Trinit.* sumo, postea ab eo in eodem tamen tractatu, de coniunctione humanitatis cū verbo prolata, quæ sic habent. Atq; ita cum & homo est, de cœlis est, hominis huius & partus à Virgine est, & cōceptus ex Spiritu est, & hæc quidem Apostolus ait. Ipse autē Dominus huius natiuitatis suæ mysterium pandens, sic locutus est. *Ioan.* 6.51. Ego sum panis viuus qui de cœlo descēdi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; se panem dicens, ipse enim corporis sui origo est. Ac ne Verbi virtus atq; natura defecisse à se existimaretur in carne, suum rursus panem esse dixit, vt per hoc quod descēdens de cœlis panis est, nō ex humana conceptione origo esse corporis existimaretur, dum cœleste esse corpus ostenditur. At vero cū suus panis est, assumpti per Verbum corporis est professio, subiecit enim, nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & sanguinem eius biberitis non habebitis vitam in vobis. Vt quia id quod Filius hominis est, & panis de cœlis ipse descendit, per panem suum de cœlo descendentem, & per carnem ac sanguinem Filii hominis, & conceptæ ex Spiritu S. & natæ ex Virgine carnis intelligatur assumptio.] Tota ergo ratio panis, & cibi & manducationis, quæ habetur in *Ioan.* 6. ab Hilario intelligitur de ipsa incarnatione.

LXI. Iam igitur expendamus eius verba quæ pro Eucharistia à Bellarmino producuntur, ea sunt huiusmodi. *de Trinit. l.* 8 Eos nunc qui inter Patrem & Filiū voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis cōmunicandæ carnis admiscuit. Ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius, non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, & Christus in nobis vnum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit vnitatis?] Probat Hilarius & nos esse in Christo natura, hoc est, vere, & non per solam voluntatem, quia vere Verbum caro factum est; *Ioan.* 1.14. & vice versa, Christum esse in nobis, quia nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus. hoc est, ratione humanæ naturæ ex Virgine genitæ, nos sumus in ipso, quia sumus in eadem natura, non quidem indiuiduali, sed specifica. At vero ille in nobis est, ea ratione qua ille est panis de cœlo descendens: loco enim superius citato fuse docet, Christum etiam vt hominem esse & terrenum & cœlestem: terrenum ex Virgine, cœlestem quia conceptus de Spiritu Sancto. Quatenus ergo terrenus est, nos in ipso sumus; quatenus vero cœlestis, ipse in nobis est, quia nos ipsius carnem fide comedimus, dum fide ipsius incarnationem amplectimur: dum carnem ipsius, quam ipse dixit esse vere nostrū cibum *Ioan.* 6.55. sumimus. Nos, inquit Hilarius, vere Verbum carnem (*ecce incarnatio*) cibo Dominico sumimus, quia Christus dixit, eā carnem esse vere nostrum cibum: profecto fide & corde, non dentibus & stomacho comedendum. Atque hinc probat, nō sola voluntate, sed naturaliter, hoc est re ipsa quoq; Christum in nobis esse (non amplius distinguit illa duo, nos esse in ipso, & ipsum esse in nobis: Sed hoc alterum pro vnico sumit) & hoc duplici illo nomine; tum quia naturam humanam nostrā ille assumpsit in incarnatione, tum quia naturam, *inquit*, carnis suæ, ad naturam æternitatis sub Sacramēto nobis communicandæ carnis admiscuit.] Quod ergo erat supra, nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumere, hoc nunc est, Christum naturam suæ carnis, ad naturam carnis æternitatis nobis sub Sacramento communicandæ admiscuisse, hoc est, veram suæ carnis realitatem ad verum & realem effectum nobis, perpetuitatem, vt cum illo maneamus, sub illo mysterio, in quo nobis suæ carnis esum promittebat, admiscuisse. Respicit ad illud Christi dictum, *Ioann.* 6.57. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me, & Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, &c. Qui manducat meam carnem habet vitam æternam, & ego suscitabo illum in nouissimo die.* Et ex hoc reali effectu vitæ sub mysterio manducationis promissę probat, vere & realiter esse Christum in nobis, dum realem æternitatem nostram, cum suæ carnis realitate, quæ nobis realiter per fidem vniatur, coniunctam & admistam docet. Nihil ergo hæc ad Eucharistiam, in qua si veram præsentiam corporalem vellet docere, & realē nobiscum vnionem per corporalem ingressum in os nostrum in Sacramento, non dixisset, ideo Christum in nobis esse, quia carni suæ admiscuit nostram æternitatem; nec confugisset ad spiritualem, realem tamen effectum, sed aperte dixisset, suam carnem nostræ carni, vere & corporaliter in Sacramento Eucharistiæ admiscuisse.

LXII. Redit vero iam tertio Hilarius ad eandem rem conclusiue explicandam, dum ait, *Si vere igitur, &c. vt supra*: Hoc est, si vere Christus naturam humanam assumpsit, & nos vere sub mysterio illo manducandi carnem Filij hominis, illius carnem sumimus, id est, fide incarnationem eius edimus; optime sequitur, inter nos & Christum esse longe maiorem vnionem, quam sit voluntatis tantum obsequij & dilectionis. Illud vero in his omnibus Hilarii verbis obseruo, ipsum æque vnionem nostram cum Christo probare ex eo, quod Christus nostram naturam assumpsit, atque ex eo, quod nos illum in mysterio sumimus. Sicut ergo illa ad Eucharistiam nihil faciunt,

ita neque ista; semper enim viget, incarnationem & factam ex parte naturæ realiter assumptæ, & creditam ex parte nostræ fidei, vt sic vtroque nomine ipsa incarnatio nostram cum Christo faceret vnionem, & realem, non solam moralem per solam vniformitatem voluntatis.

LXIII. Sed pergit Hilarius in Arianam illam interpretationem, de vnione voluntatis, ad excludendam vnionem naturæ, excandescens docere ex scripturis suam datam explicationem nostræ realis vnionis cum Christo, & sic loquitur, De naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait; Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus; nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.] Illud semper in hoc argumento contra Arianos vrsit Hilarius, vt ostenderet vnitatem nostram cum Christo esse realem, non solius voluntatis, & hoc ratione corporis assumpti, duplici tamen nomine, tum quod nos sumus in eadem natura humana cum ipso post incarnationem, tum quod ipse in nobis est per Sacramentum; quo caro ipsius data est nobis in escam, in fide videlicet incarnationis: Pro hoc posteriori, si de Eucharistia in eo agebat; profecto nullum scripturæ locum certiorem habebat, quam, *Hoc est corpus meum*, & tamen non hunc sed alium ex Euangelio locum attulit, *Ioan. 6.54. Qui edit carnem meam, &c*, quem locum iam vidimus expresse de fide incarnationis ab Hilario intelligi: & quod addit, de veritate carnis & sanguinis, non ea addit vt necessaria aduersus Arianos, qui veritatem corporis Christi non negabant, sed vt faceret expressam suppositionem, quæ ad vim sui argumenti erat necessaria: hoc pacto; Ostendo vobis ex scripturis, nos esse vere & reipsa in Christo, & Christum in nobis, quia ille dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me est; & ego in eo: esse vero realem hanc vnionem, & non solius voluntatis, ex eo constat, quod hic vt certum & indubitatum suppono, Christum veram carnem, & verum sanguinem habuisse: cum ergo nos per fidem carnem Christi veram, & verum sanguinem, credentes veram incarnationem, spiritualiter sumamus, patet nobis Christum, & nos Christo vere & realiter per veram ipsius carnem nobis in credendo exhibitam, vniri: Verba itaque illa, *non esse ambigendum de veritate carnis*, procul dubio non proferuntur pro Eucharistia, sed pro incarnatione; de illa enim Christus dixerat, *Qui manducat carnem meam, &c.* neque dicit Hilarius, Domini professione, & fide nostra panis vere caro est, &c. sed ait, professione Domini, & fide nostra vere caro est, videlicet ipse Dominus. Nam de pane, cui hæc debeant applicari, nulla ibi mentio facta est. Atq; hæc *inquit*, accepta & hausta id efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit.] prorsus ad ea verba Christi alludit, quæ protulerat, nimirum, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo; accipere enim, & haurire, idem est quod mãducare & bibere; semper ergo Hilarius in verbis Ioan. 6. consistit, quæ iam toties ad fidem incarnationis pertinere explicauit.

LXIV. Obseruemus & illa Hilarii verba: *lib. 8. de Trin.* Quod autem in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur, dicens: *Ioan. 14. 19.* Et hic mundus me iam non videt, vos autẽ me videbitis, quoniam ego viuo & vos viuetis, quoniã ego in Patre meo, & vos in me & ego in vobis.] Hic clarissime videmus, Hilarium de Eucharistia non loqui: probat enim per sacramentum cõmunicatæ nobis Christi carnis, nos esse in eo, & ipsum in nobis; nõ ex eo quod corporaliter Christum in Eucharistia sumamus; ad hoc enim faciebant Christi verba, *Hoc est corpus meum, accipite, manducate*, quorum verborum Hilarius nullam facit hoc loco mentionẽ, sed illa alia pducit verba, quæ ad Eucharistiam spectare nemo vnquam aut dixit, aut cogitauit, sed ad fidẽ in Christum vere verbũ factum carnem: & hoc est, *inquit*, sacramẽtum communicatæ carnis: vbi non est sermo Christi promissorius de futuro; sed de præsenti, quoniam ego in Patre, *inquit*, & vos in me & ego in vobis. Iam ergo sacramẽto communicatæ carnis fruebantur Apostoli, per quam carnem erant iam in Christo, & Christus in ipsis; & tamen Eucharistiam nondum sumpserant, nec Eucharistiæ sacramentum fuerat adhuc institutũ. Et sic verba quoque illa quæ mox addidit Hilarius; *Et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur.*] De alio sacramento intelligi non possunt, nisi de hoc sacramento communicatæ carnis per fidem incarnationis: Addit; neminem posse esse in Christo vere & realiter, nisi ille in se Christum sumpserit, & nullius carnem assumi à Christo ad effectum videlicet realem vitæ & æternitatis, vt supra explicarat, nisi is Christi carnem sumpserit, iuxta illud, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hæc expresse docet Hilarius.

LXV. Obseruemus itaque, obsecro, verba Hilarii, Non enim quis, *inquit*, in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit.] Quis hæc ad Eucharistiam poterit attrahere? In Christo esse nemo potest, nisi in quo sit Christus per sacramentum, certe mysterium, & manducationem carnis ipsius, vt toties repetiuit Hilarius in præcedentibus. Quis vnquam tantam Eucharistiæ sumendæ necessitatem posuit? Sed mittamus hæc, & coniungamus cum his verba sequentia, in quib. negat Hilarius, Christum assumpsisse in se carnẽ, seu naturam humanam illius, qui carnem Dominicã nõ sumpserit. Nonne Christus omnium hominum naturam assumpsit, cum naturam humanam assumpsit, quando Verbum caro factum est? Et tamen Hilarius negat eorum naturam assumpsisse, qui ipsum Christum in se mystica illa comestione non sumpserint; non ergo de reali & corporali assumptione amplius loquebatur Hilarius, sed de tota mystica, & spirituali. Nam sicut verum est, Christum assumpsisse omnium naturam in specie, & omnium nostrum naturam sibi vniuisse in illo conceptu vniuersali speciei, ita vbi de indiuiduis ipsis singillatim agendum est, certe indiuidua natura humana in Christo per verbum indiuiduata, diuersa est ab omnibus aliis humanæ speciei indiuiduis, nec vnius indiuidui natura indiuidua, est eadem cum natura indiuidua alterius indiuidui, sed omnino alia numerice. Vt ergo singuli homines in ipsorum natura indiuidua assumantur à Christo ad vnionem realem cum ipso, debent illi prius sumere in se Christũ; & hæc per realitatem & corporalitatem nullo modo intelligi possunt, vt patet: ergo nos illum per fidem manducare & sumere debemus, & tunc ille nos ad se assumet, communicando nobis realiter, modo tamen spirituali non corporali, suæ carnis diuinas proprietates, vt postea adhuc clarius explicat Hilarius *de Trinitat. libro octauo*, dicens. Sacramentum & concorporationis & diuinitatis suæ Dominus exponit, fidei

dei quoque noſtræ & ſpei doctrinam locutus eſt, vt eſcam non pereuntem, ſed permanentem in æternum operemur, *Ioan.6.27.* vt hanc æternitatis eſcam dari nobis à filio hominis meminiſſemus, vt filium hominis ſignatum à Deo patre ſciremus, vt hoc eſſe opus Dei noſceremus, credere in eum quē miſiſſet; Et quis eſt quem Pater miſit, nempe quem ſignauit Deus: & quis eſt quem ſignauit Deus? Filius vtriq; hominis, eſcam ſcilicet præbens vitæ æternæ. Qui tandem ſunt quibus præbet eam? Illi nanque qui operabuntur eſcā non intereuntem. Atque ita quæ operario eſcæ eſt, eadem operatio Dei eſt, in eum ſcilicet crediciſſe quem miſit.] Ecce tota ratio eſcæ & cibi quo nos Chriſtum ſumimus, vt ille nos ſibi vniat, conſiſtit in credendo, filium hominis eſſe à Deo ſignatum, hoc eſt, Deum de Deo, vt ipſe explicat in ſequentibus. Perpetuus ergo & conſtans Hilarii ſermo eſt de fide incarnationis per cibum & manducationem ſignificata, non de Euchariſtia.

LXVI. Dum vero ait, hanc eſſe nobis eſcam æternitatis, vt credamus in eum quem pater miſit, poſſumus facile hinc explicare ſenſum Hilarij in illis verbis quæ pro ſe vrget Bellarminus, *de Euch. l.2.c.11.* videlicet, Hæc vero vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habeamus, victuris nobis per eum naturam carnis ſuæ adepti, &c.] In nobis qui ſumus carnales, manet Chriſtus per carnem, dum caro eius fit nobis eſca nō interiens, hoc eſt fidei noſtræ obiectum, & pabulum illud de quo ait Chriſtus, *Ioan.6.57. Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, & nos naturam ſuæ carnis adepti ſumus, naturam videlicet æternitatis, reſurrectionis, & immortalitatis, quam noſtræ carni adipiſcitur fides, qua ipſius carnem manducamus; eſcam, vt dixit Hilarius, æternitatis: quia qui manducat hunc panem viuet in æternum, & ego reſuſcitabo eum, &c. Hæc profecto nihil ad Euchariſtiam. Nam & non multo poſt, in eodem tractatu *de Trinit. l.8.* ipſe Hilarius aperte docet, id quod Chriſtus ſub typis obuolute loquebatur Iudæis, quia incapaces erant, dicebatque ſe eſcam vitæ æternæ daturum, hoc à Paulo clarius locuto & expreſſius, dici, Filium formam ſerui accepiſſe. Idem ergo eſt Hilario Dominum dare carnem ſuam in eſcam, & formam ſerui accipere. Tunc enim Dominus, quādo, aſſumpta carne mortali, formā ſerui accepit, ſuam incarnationē fidei noſtræ obiectū eſſe voluit: obiectū vero fidei eſt quædā eſca nobis credētibus ſpiritualis.

LXVII. Miror profecto Bellarminum libere aſſerere, Hilarium infra dicere, Filium Dei carnaliter in nobis manere per Euchariſtiam.] Hoc ego in eo libro nuſquam reperio; Concludit quidem ipſe totum argumentum, quod tractabat contra Arianos, *Ibid.* his verbis; Hęc autem idcirco à nobis cōmemorata ſunt, quia voluntatis tantum inter Patrem & filium vnitatem hæretici mentientes, vnitatis noſtræ ad Deum vtebantur exemplo, tanquam nobis ad filium, & per filium ad patrem, obſequio tantum ac voluntate religionis vnitis, nulla per ſacramētum carnis & ſanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum & per honorem nobis datum Dei filii, & permanentem in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter vnitis, myſterium veræ ac naturalis vnitatis ſit prædicādum.] Sed neq; hic quicquam habemus de Euchariſtia, ſed realem noſtram cum Chriſto coniunctionem epilogo colligit: ſacramentum enim corporis & ſanguinis intelligit ipſum incarnationis myſterium, quo ſecuta eſt noſtra cum Chriſto naturalis, hoc eſt realis coniunctio, ſeu communio, & hoc per honorem quo natura noſtra eſt exaltata in Chriſto ad Dei filiationem, quó factum eſt, vt & ipſe Dei filius incarnatus nobiſcum carnaliter maneat, quia per carnem ſuam ſe nobis realiter communicat, dum carnem ipſius, hoc eſt incarnationem fide amplectimur, & nos in eo ſimus corporaliter, dū ille viceverſa noſtram naturam etiam indiuiduale ſibi vnit, ſuam nobis communicando æternitatem & incorruptibilitatem inſeparabiliter (loquitur enim de electis.) Neque nos turbet particula illa, *corporaliter*, quos enim dicit corporaliter & inſeparabiliter Chriſto vniri, eos mox ait illos eſſe, pro quibus Dominus orauit, vt vnū eſſent cum eo & Patre: Vnitatem, *inquit ibid.* noſtram ad Deum Dominus pro nobis precatus eſt.] At certe quando Chriſtus orabat pro ſuis, vt vnū eſſent cum illo; non orabat vt eis daretur Euchariſtia, & in Euchariſtia ipſe Chriſtus corporaliter: ſed vt fide incarnatum Verbum amplecterentur, & ſic ei inſeparabiliter adhærerent. Fallitur ergo Bellarminus dum verba illa, *carnaliter & corporaliter*, reducit ad Euchariſtiam.

LXVIII. Si quis tamen vult vel inuitum trahere Hilarium ad Euchariſtiam, trahat vt liber, tandē non repugno. Certe omnia hæc Hilarii dicta, & ab eo citata ſcriptura, licet per cibum Dominicum & eſcam carnis, & noſtram manducationem, ſeu ſumptionē Chriſti in nos, &c. intelligeret ipſum Euchariſtiæ ſacramētum, corporalem tamen præſentiam nullam ponit, ſed duntaxat carnis veræ Chriſti & realis ac naturalis exhibitionem, ſacramentaliter tamen, myſtice, & ſpiritualiter, & per ſolos ſpirituales effectus: vt loca ipſa, & noſtras explicationes conſideranti clare patet. Hilarius igitur vel nihil loquitur de Euchariſtia, vel ſi loquitur, ſolam agnouit præſentiam ſpiritualem, & manducationem ſpiritualem, non corporalem. Dabis veniam, lector, quod diutius in Hilarii explicatione ſim moratus. Is enim primus pater eſt, & ſane maximæ autoritatis in Eccleſia, qui primo aſpectu videbatur corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia aſſecutiſſe: fuit igitur exactius cōſiderandus & explicandus.

Appendix Ad Hilarium.

PRimum locum Hilarii protulerat Pleſſæus ex collectione Gratiani, *de Conſecr. diſt.2.c.27.* quem tamē ipſemet ſuſpicatur eſſe potius Hilarii Papæ, Hilario Pictauiēſi ſatis iunioris. Corpus, inquit, Chriſti quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus, & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur.] Locum Perronius *pag. 769.* ſibi proficuum eſſe aſſerit; nam & figura eſt, inquit, & veritas; figura in eo quod extra apparet; veritas in eo, quod nos intus latere credimus.] Sed nos iā in præcedentibus oſtendimus, mera & nuda accidentia non poſſe eſſe corporalis ſubſtantiæ figuram; & Patres per figuram corporis Chriſti in Euchariſtia omnes ſemper intellexiſſe panem: & de nudis accidentibus per ſe ſine ſubiecto exiſtentibus neminem eorum vnquam cogitaſſe, multo minus quicquam vel minimum expreſſiſſe. Senſus igitur huius loci eſt, panem eſſe figuram, veritatem vero eſſe corpus Chriſti verum, quod ſpiritualiter in hoc Sacramento exhibetur. Sed ſi etiam expreſſe diceret, quod vult Perronius, parum me moueret, niſi viderem locum in vero & authentico ac integro alterutrius Hilarii tractatu. Solet enim libenter & ſæpe Gratianus dicta Patrum veterūque ſcriptorū corrumpere, & ad Papiſmum vel inuita trahere, ex ſe additis vel ademptis ipſi textui verbis.

II. Tractantur postea à Plessæo aliquot dicta ex libris Hilarii de Trinitate, ex quibus conatur ipse figuram duntaxat in Eucharistia & mysterium agnoscere. Contra vero in eum insurgit Perronius, & mysterium nihil aliud vult esse, nisi rem occultam. Ego vero in Hilario explicando sat prolixus fui, & conatus sum ostendere, Hilarij dicta illa omnia ad fidem & mysterium incarnationis, nihil ad Eucharistiam pertinere. Et quamuis possent aliquo modo etiam ad Eucharistiam duci, & proinde ab obiectionibus & solutionibus Perronii vindicari, mihi tamē tractatio hæc, quia non nimium arridet, non est ineunda. Quicquid enim potuit ex his & similibus Hilarii dictis, in libris de Trinitate positis, pro reali præsentia in Eucharistia colligi, id totum plene iam in explicatione Hilarij ante hanc appendicem sum demolitus.

III. Addit ex Hilario *in Mat. can.* 30. Plessæus ista; Sine Iuda Pascha, accepto calice & fracto pane, conficitur. Neq; sane bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum vniuersos tum bibentes ex vitis istius fructu bibituros secū postea polliceretur.] Obseruat Plessæus ex vitis fructu fuisse vinum, non accidentia: & efficaciter neminem bibere, nisi Christo coniunctus sit, consors futurus regni.] Respondet Perronius *pag.* 772. *à tergo*, eum instar filiorum Zebedæi nescire quid petat; nam præterquam quod, inquit, Matthæus vinum in sanguinem conuersum fructum vitis vocat; sicut in Cana Galileæ *Ioan.* 2. 9. aqua post sui in vinum cōuersionem, vocatur adhuc aqua; Hilarius expresse mutauit Euangelistæ constructionem, ad reprimendos spiritus litigiosos; ne habeant quod apprehendant; & vbi ait Euangelista, *de hoc fructu vitis*, substituit Hilarius, *de vitis istius fructu*; at tunc nulla alia vitis erat præsens, nisi illa de qua Christus, *Ego sum vitis vera*. Non erat ergo alius potus, nisi huius vitis, qui erat sanguis Christi. Et si ad repellendum Iudam à potu sanguinis Christi necesse fuit illum à Sacramentorum communione excludere, annon euidenter sequitur, inquit, impios in Sacramento Christi sanguinem sumere? Est igitur ibi realiter, & non per simplicem fidei apprehensionem.] Mihi videtur hic Perronius nescire quid respondeat. Optime vero sciuisse Plessæus quid peteret; realistarum enim attētionem per hoc Hilarii dictum, quod fuit prius etiā Cypriani *l.* 2. *ep.* 13. petebat, vt in appendice ad Cyprianū ostendi. Matthæus nominē vini non potuit sanguinē verum significare, quia in regno Patris *Matth.* 26. 29. neque Christus, neque Apostoli, neque quisquam alius bibent sanguinem: & tamen de eiusmodi fructu vitis se bibiturum Christus cum suis Apostolis significat. Aqua vero in Cana Galileę post conuersionem in vinum non vocatur amplius simpliciter aqua, sed aqua vinum facta, *Ioan.* 2. 9. Hic autem non dicitur vinum sanguis factum.

IV. Sed mirabilis dignaque magno Perronio est illa obseruatio conuersæ constructionis apud Hilarium, qui non dixerit vt Euangelium, *de hoc fructu vitis*, sed *de fructu vitis huius*: & ideo Christum suum sanguinem descripsisse. Quod ergo nesciuit Euāgelista, hoc sciuit Hilarius. Quam parum sapide ista, Non bibam, ait Christus, de fructu huius vitis, donec bibam illum vobiscum nouum in regno Patris mei. Sensus non Christi, non Matthæi, non Hilarii, sed Perronii est. Non bibam de meo sanguine vero donec fuerim vobiscum in regno Patris mei. Ergo Christus nūc in cœlo cum Apostolis bibit suum proprium sanguinē verum; in Sacramento Eucharistiæ, Ergo ibi quoq; frequentes missæ celebrantur & communio Sacramentalis perseuerat. Quid absurdius? Hilarius igitur dum dicit, *huius vitis fructus*, non significat mysticam vitem Christum, sed vitem huius mundi terrenam, veram & propriam, quæ verum vinum producit, quale erat illud in calice, iam consecratum.

V. Quod etiam infert Perronius ex Iudę absentia, nihil sapidius est, nihil validius: Primūm quia Hilarius, non dicit repulsum Iudam, neque necessario fuisse repellendum, sed abfuisse; putat enim mysteria sacra à Christo post discessum Iudæ celebrata. Alii etiam Iudam communicatum asserunt, vt vidimus paulo ante in Chrysostomo; quia ergo absens erat, id merito factum considerat Hilarius, quia dignus non erat qui Sacramentis vteretur, & idem est, *non poterat bibere*, atque, *non licebat ei bibere*. Deinde quia nunc etiam merito repellimus à baptismo ficte accedentes, quando scimus ficte accedere; & ab absolutione repulisset Perronius peccatorem non contritum, neque attritum; sed ex hoc non sequitur, sub speciebus aquæ latere corpus Christi, & aquam esse in Christum transsubstantiatam, aut sub speciebus confessarii latere Christum, in quem sit ille transsubstantiatus. Repulsus igitur fuisset merito Iudas, non quia corpus Christi in Sacramento sit realiter, quod etiam impii sumāt; sed quia indigni ab omni re sacra merito repelluntur. Nos repellimus laicos à contactu calicis, & corporalium & sacri olei, &c. sed non propterea ista sunt in Christum transsubstantiata.

VI. Alium etiam locum considerauit Plessæus ex Hilario, *in Psal.* 137. vbi ait: Tollit stultissimam eorum temeritatem, qui frustrato falsoque corpore Dominum in carne visum esse contendunt. Non recordantes post resurrectionem corporis Spiritum se videre credentibus Apostolis, dictum esse, videte manus & pedes meos, &c.] Obiicit Perronius *pag.* 784. primū, dialectice si valet hoc argumentum, Christus ostendens se palpabilem probabat se habere verū corpus: Ergo cum in Eucharistia non sit palpabilis, non habet verum corpus: Valebit & hoc: Christus post resurrectionem comedens, probauit se habere verum corpus, vt ait Hieronym. in *Ioan. l.* 2. Ergo quia nunc in cœlo non comedit, non habet verum corpus. Deinde soluere vellet argumentum ex ipsomet Hilario, quod tamen Hilarius non soluit. Proponit tantum vti rem, cuius rationem nos assignare, vt putat ipse, non possumus. Nam difficultates humanas circa natiuitatem Christi, ait, non debere fidem derogare ipsi natiuitati, siquidem etiam de factis sensibilibus Christi ratio reddi non potest quomodo facta sint, & affert exemplum Christi ingressus ad discipulos ianuis clausis; corpora enim sibi inuicem resistunt, sed non propterea factum est negandum. Perronius vero suppleт pro Hilario, & libere admittit ingressum per corporum penetrationem, quam Hilarius tamen non admittit, sed neque reiicit.

VII. Dialectica porro illa oppositio omni penitus caret dialectica: à negatione enim accidentis essentialis quod ex ipsa interna fluat rei essentia, merito negatur etiam essentia; sed à negatione accidentis communis quod possit adesse & abesse præter subiecti corruptionem, non potest negari essentia. Palpabilitas est accidens essentiale corporis; & conuertuntur tam negatiue, quam affirmatiue; est corpus, ergo est palpabile. Est palpabile, ergo est corpus. Ita negatiue; comedere vero & bibere, seu nutriri est merum accidens corporis viuentis, omnino non necessarium, si actio caloris naturalis suspendatur, aut cesset consumere. Et de hoc argumento plura dico infra, in hoc meo tractatu *nu.* 172. Hinc etiam posterior solutio Perronii claudicat: nā implicat cōtradictionem,

esse corpus, & non esse palpabile, esset enim corpus & non esset corpus. Et de hoc argumento ego fusius, *num.* 190. *& seqq.*

VIII. Præterea ex Hilario *in Psal.* 124. illud quoq; dictum pro se posuit Plessæus. Adest enim, & cùm fideliter inuocatur, per naturam suam præsens est; spiritus namque est omnia penetrans, & continens. Non enim secundum nos, corporalis est, (*pure*) vt cùm alicubi adsit, absit aliunde, sed virtute præsenti, & se quacunque est porrigenti, cum replente omnia eius spiritu, in omnibus sit, tamen ei qui in eum credit assistit.] Mihi locus videtur valde opportunus ad materiã de præsentia reali. Eo enim docemur, corporis conditionem esse, vt cũ alicubi adsit, absit aliunde; Ac propterea si Christus esset purus homo, quales nos sumus, nõ posset omnib. adesse; nunc vero adest virtute & diuino suo spiritu, quia quantum ex parte corporis, loco perinde alligatur, & obligatur, ac nos. Quod si aut vbiquitatem corporis Christi poneret, aut in locis infinitis replicationem per transubstantiationem panis vbicunque conficitur Eucharistia, non se reduceret ad solam diuinitatem. Et hæc consideratio profectò tota conuenit ad locum purum & incorruptum, qualis in ipso Hilario ad literam iacet. Nescio igitur quibusnam corruptionibus loci se Perronius defendat. Sed, ait, dictum Hilarii est de præsentia ordinaria, & perpetua; qua Christus suæ assistit per suum spiritum Ecclesiæ. Atqui hoc non soluit à Plessæo propositum, & à me modo explicatum argumentum, de necessitate loci pro quocunque corpore, etiam Christi.

IX. Adhuc vnum quendam locum ex Hilarii *lib.* 8. *de Trinit.* tanquam à Plessæo productum, exagitat Perronius *pagina* 787. *à tergo*. Sed ego apud Plessæum nihil tale inuenio, & iam dixi, me in libris de Trinitate nihil legere quod spectet ad Eucharistiam. Et sic iam de Hilario satis.

LXIX. Cyrillum Hierosolymitanum Catecheses scripsisse indubitatum esse asserit Bellarminus, *de Euch. lib.* 2. *cap.* 13. Non tamen omnes eas quæ nunc Cyrilli nomine circunferuntur veras Cyrilli Hierosolymitani Catecheses esse indubitate consentiunt; & mihi sane valde sunt suspectæ, nam & longe posteriora tempora olent: ordo enim ille liturgiæ quem Cyrillus hic noster *Catech. quinta mystag.* refert, totus est in liturgia, quæ fide tamen nutans, dicitur Iacobi fratris Domini, primi Hierosolymorum Episcopi; in ea vero liturgia nihil habetur de lotione manuum, nihil de osculo, nihil de illis verbis, *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro*; quæ videntur ex nostra Latina missa desumpta; At lotionis manuum, & horum verborum ante nostræ Missæ præfationem nulla extat memoria antiqua; oportet ergo hæc à scholastico illo, qui Gregorium non multo tempore præcesserit *de quo Gregori. libro septimo, Epistola sexagesima tertia*, esse composita. Si tamen has ipsas vt veri Cyrilli veras velimus admittere Catecheses, non est tamen cur illis admodum fidamus, quia Hieronymus *de script. Ecclesi. in Cyrillo.* testatur, Cyrillum Hierosolymitanum Catecheses in adolescentia scripsisse, vt mirum non sit, si literam interdum secutus, præsentiam corporis Christi in Eucharistia videatur asserere corporalem; sed certum est, illam eum simul cum panea dmittere, ita vt potius consubstantiationi Lutheranæ, quam nostræ faueat transubstantiationi. Nihilominus tamen typicam & figuralem ac spiritualem præsentiam illum agnoscere facile ex ipsis Catechesibus est colligere.

LXX. Eodẽ profectò modo se rẽ habere ille censet in cõsecratione chrismatis, atq; se habet in panis Eucharistica consecratione: Verba Cyrilli sunt. *cat.* 3. *myst.* Quemadmodũ enim panis Eucharistiæ post S. Spiritus inuocationẽ nõ amplius est panis cõmunis, sed est corpus Christi, sic & sanctũ hoc vnguentũ non amplius est vnguentũ nudum, neq;, si quis ita appellare malit, commune, postquam iam con[illegible]tum est, sed est charisma, quod Christi & Spiritus [illegible] est, diuinitatis eius præsentiam efficit.] A[illegible] transmutatur in spiritum Christi substanti[illegible] ergo neque panis in corpus Christi. Sed sicut vnguentũ manens oleũ seu vnguentũ, post consecrationẽ præsentiam assequitur spiritus Christi; absq; transmutatione seu trãsubstantiatione in substantiã spiritus Christi: ita panis manens panis post consecrationẽ acquirit præsentiã corporis Christi, absq; transmutatione vlla substantiali: & sicut vnguentum post consecrationem propter solam spiritualem præsentiam spiritus Christi, dicitur non esse amplius vnguentum commune; ita panis propter solam præsentiam spiritualem corporis Christi, quod spiritualiter cum pane exhibetur digne sumenti, dicitur non esse panis communis, sed corpus Christi: licet substantialiter panis vere sit panis, sicut vnguentum vere & substantialiter est vnguẽtum, licet post consecrationem Cyrillus dicat id non esse vnguentum commune, sed chrisma, &c. Sic enim idem Cyrillus in suis prioribus catechesibus *Catech.* 3. *Illuminat.* aquam quoque baptismalem negat esse aquam simplicem: Non tanquam aquæ simplici, inquit, studeas huic lauacro, sed vt spirituali gratiæ quæ cum aqua datur: Aqua simplex per sancti Spiritus Christi, & Patris inuocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur.] Sicut ergo aqua in baptismo, & oleum in confirmatione ex consecratione accipiunt quandam sanctitatem, per quam iam dicuntur non esse aqua, vel oleum; sic panis ex consecratione similis est aquæ baptismali, & oleo chrismali, in sententia huius Cyrilli.

LXXI. Habet præterea illud Cyrillus, *catech.* 4. *mystag.* In lege noua panis cœlestis, poculumq; salutis animam & corpus sanctificant; sicut enim panis corpori, sic & verbum animæ conuenit: Ne ergo consideres tanquam panem nudum, & vinum nudũ, corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba:] Si præsentiam corporalem in Eucharistia agnouisset, debuisset dicere, *sicut panis corpori, sic corpus Christi animæ*; at hoc non dixit, sed ita, *verbum, &c.* anima ergo in Eucharistia non ex corpore Christi materiali corporaliter sumpto, sed ex verbo accipit nutrimentum: Verbum vero in anima per fidem sumitur, non per corporalem comestionem, & dum ait; *Nec consideres tanquam panem nudum*, supponit expresse esse panem, non tamen nudum, sed vestitum typo & figura efficaci, quatenus cum pane exhibetur verum & reale corpus Christi, spiritualiter tamen. Vnde & paulo post subdit, Parasti in conspectu meo mensam, *Psal.* 22.5. quid aliud significat, nisi mysticam illam, & spirituale mensam? Manduca in lætitia panẽ tuum; *Eccl.* 7.9 videlicet panem spirituale, & bibe vinum in corde bono, spirituale scilicet vinum. Panis cor hominis confirmat *Psal.* 103.15. Confirma cor tuũ participans de hoc pane, vt spirituali:] Hæc Cyrillus. Semper autem velle spirituale hoc in Patrib. interpretari, ad excludendum errorem Capharnaitarum, qui esum humanæ carnis per sectionem, & assationẽ, aliamue cõctionem à Christo promitti, & iuberi putabant, est coactum quippiam, nimisque violentum, ac sæpe dictis Patrum inapplicabile, vt in his præsertim Cyrilli dictis, in quib. non explicat verba illa Christi, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis*. Sed solas explicat figuras

& prophetias, quæ non de carnis, sed de panis esu loquuntur, & de mensa in genere.

LXXII. Notanda vero sunt illa quoque Cyrilli verba, *Catech. 5. mystag.* vbi ait; Gustantes enim nō panis aut vini vt gustum sumant iubentur, sed anti-typi corporis & sanguinis Christi.] Sicut enim in superiorib. vt mox videbimus, panē vocat typum corporis, & vinum typum sanguis, sic hoc loco ipsum corpus vocat anti-typum panis, & sanguinem anti-typum vini, hoc est correspondentia suo typo. Corpus ergo & sanguis adest in pane & in vino, vt anti-typū in typo, vt figuratū in figura. Quæ cū in se sint clarissima, ex his interpretanda sunt in bono & his consequenti sensu alia verba Cyrilli, quæ corporalem præsentiam videntur asserere, & vrgentur à Bellarmino.

LXXIII. Adducit itaque Bellarminus *vbi supr. c. 13.* primum hæc Cyrilli verba *ex catech. 4. mystag.* Cum Christus ipse sic affirmet atq; dicat de pane, *hoc est corpus meū*, quis deinceps audeat dubitare? ac eodē quoque confirmante & dicente, *hic est sanguis meus*, quis, inquam, dubitet & dicat non esse illius sanguinem?] Audio tamen panem esse de quo ait Christus, *Hoc est corpus meum.* Panem vero vocari id quod solam externam figuram habet panis, idque ab iis, qui sciant vere & realiter non esse panem, est maxima improprietas, & sane periculosa quæ errorem instillet. Catechista instruit Catechumenos, iisque dicit, de pane Dominum asserere eum esse corpus; certe panis est nomen substantiuum, & directe significat substantiam, non accidentia, nisi indirecte, erudiendus ergo catechumenus sub nomine panis aliud intelligere non potest, nisi panem materialē: si autē panis materialis ibi non est, cur id nō præmonet catechista? Siquidē in hoc consistit tota explicatio Eucharistiæ. Deinde nō ait Cyrillus, dubitari non posse illū panem transmutatum esse substantialiter in corpus, & vinum in sanguinē: sed ait, quis dubitet esse corpus, & esse sanguinem, hoc est, quis dubitet adesse corpus, & adesse sanguinem ibi, vbi ait Christus, *hoc est corpus meum*? Vere enim imo verissime in Eucharistia exhibetur ipsum verum & reale corpus Christi, sed spiritualiter, non corporaliter, sed vt anti-typum, dixit postea, id est, figuratum & repræsentatum efficaciter tamen per panem, &c.

LXXIV. Alter locus quem profert Bellarminus *ex Cyrill. ibid.* talis est: Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquū, in Cana Galileæ sola voluntate, & non erit dignus cui redamus, quod vinum in sanguinem trāsmutauit? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus, nā sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. Hæc sunt tam perspicua, *inquit Bellarminus*, vt omnino nesciam quid fingi possit ad eorum peruersionem.] Quasi vero transmutatio significet transsubstantiationem, aut substantialem mutationem per generationem & corruptionem. Annon verba sunt eiusdem Cyrilli. *Catech 5. mystag.* Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur?] Aquam vero baptismalem iam monuerat post sanctificationem per inuocationem Trinitatis, non esse aquam simplicem. Hanc enim transmutationem sanctificationis in ea considerauit, quæ certe substantialis non est, vt omnes fatemur. Sic *Idem catech. 3. illuminat.* oleum dixit post benedictionē non esse oleum: ob eandem nimirum sanctificationis transmutationem. Sic panem dixit non esse nudum panem, panem tamen vt paulo ante consideraui; Eodem pacto hoc loco sumit transmutationem per solā rei sanctificationem, per quam Spiritus sanctus in nobis spiritualia operetur, re tamen sacramentali in sua substantia permanente. At demum versio illa Latina: *Sub specie panis datur corpus*, captiosa nec bona fide reddita; vt sit conformis locutioni iam nobis familiari, qui transsubstantiationem mordicus tenemus, dum species panis vocamus externam figuram & apparentiam, ac ipsa nuda accidentia: cum tamen species antiquis significet rem ipsam, seu figuram, hoc est typū & signum. Certe hoc loco Cyrillus vtitur nomine typi, & ait; *in typo enim panis datur tibi corpus, & in typo vini datur tibi sanguis.* Et hoc est verissimum, quia in receptione panis, qui typice tantum est corpus Christi, nos vere & realiter sumimus ipsum Christi corpus, modo tamen spirituali, & vt antitypum, id est quatenus figuratum per panem, vt ipse Cyrillus explicabat.

LXXV. Pergit Cyrillus: Sic Christophori erimus, id est Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinē in membra nostra receperimus; atque vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur.] Hæc quoq; verba pro se ponderat Bellarminus: sed iam ex nostris allatis explicationibus clara sunt, neque corporali præsentiæ quicquam prosunt. Christophorus enim est qui Christum verum in se spiritualiter receptum, secum spiritualiter gestat, quod Petri etiam illa probat autoritas: *diuinæ naturæ consortes.* Christophorus ergo est quicunque diuinæ Christi naturæ fit consors. Hoc autem fieri potissimum per fidem incarnationis explicuimus cum Hilario.

LXXVI. Sed in illis quoque Cyrilli verbis *Catech. mystag. 4.* exultat Bellarminus, quæ sic habent: Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum; corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices.] Et infra. Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem (*nudum videlicet, vt paulo ante dixerat*) etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.] Frustra tamen exultat; nā panis nudus, hoc est sine sanctificatione, & panis vestitus sanctificatione substātialiter non differunt, vt iā consideraui. Et hic panis sanctificatione vestitus, est typice corpus Christi. Et quāuis sensus panem illum non iudicat nisi panem nudū, fides tamen nobis confirmat, non esse nudū, sed post sanctificationem fieri typum corporis, & sane typum efficacem, cum quo nobis reale Christi corpus exhibetur, sed spiritualiter, & vt antitypum. Ita licet gustus nudum panem sentiat, & nobis manifestet, fides docet non esse panem; id est non esse nobis sistendum in pane, sed altius ascendendum vsque ad corpus Christi: non enim negare absolute potuit esse panem, qui toties panem esse asseruit, & supposuit. Sensus igitur fallit, non quia sensus iudicare possit ipsam sanctificationem panis, eiusque effectus positiue: eam tamen iudicat abesse negatiue, quia panem nudum esse iudicat, qui tamen nudus non est, & in hoc sensus decipitur: non decipitur autem ex eo, quod, vt vult Bellarminus, sensus iudicat esse panem, cum non sit: sed quia iudicat esse panem nudum, cum non sit nudus. Quod autem idem Cyrillus ad finem vltimæ Catechesis mystagogicæ monet cum reuerentia esse tractandum panem illum, ne quid excidat, est reuerentia laudabilis, quæ etiam nudo pani sit exhibenda ne conculcetur vt supra *n. 43.* consideraui. Sed si vinum factum esset substantialiter ipse Christi sanguis verus, an decens cuiquam videatur, vt eo oculi, frons, & alia sensoria inungantur? Et tamen ibidem ait Cyrillus;

Et

Et cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra.] Si est datus verus sanguis materialiter, certe non est datus nisi ad potum: cur vero liceat frontem, oculos, & alios sensus eo madefacere? nisi quia vinum est, & vinum Sacramentale, & quod sanguinem non exhibet nisi potanti. In tangendis ergo oculis tali vino, non exhibetur sanguis, sed vinum iam nudum adhibetur, cum aliqua fortasse sanctificatione, sed ex opere operantis, non ex opere operato. Ponderat etiam Bellarminus ea verba Cyrilli dum ibidem ait, *Tu vero post communionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis dicens, Amen.*] Quasi hic adoratio illi sacro calici exhibenda praecipiatur, quod verum non est, nam, inquit, *pronus in modum adorationis, & venerationis*, corporis inclinationem requirit, talem qualis esse solet in adoratione religiosa seu in veneratione ciuili, non ipsam adorationem: aut si etiam ipsam adorationem religiosam cupiat, ea ea erit erga Deum, per verbum illud, *Amen*, non erga calicem: calici enim non dicitur AMEN. Sic igitur ne Cyrillus quidem à superioribus Patribus dissentit.

Appendix ad Cyrillum Hierosolymitanum.

I. Minuit huius Patris autoritatem Perronius, regula sua quadam generali, quod in catechesibus mysteria alta non essent aperienda. Quid sit de hac regula sentiendum, dixi in Appendice ad Clementem Alexandrinum, ad eam quaeso Lector recurrat. Quod si morosus nimium nolit inde acquiescere Perronius, omninoque cedendum ei sit, disputationes hasce catecheticas exactas non esse, sed in mysteriis sublimibus coram rudibus catechumenis pertractari & obscuriores, & depressiores. id nobis potius prodeat, qui non tam hoc opere vtimur ad impugnandam praesentiam realem, quam nos ab eo tuemur, ne nos etiam compellat; sicubi igitur videtur corpus Christi vt corporaliter praesens asserere, excusandus erit, quod cum Catechumenis ei non licebat ad modum quo Christi corpus adsit in Eucharistia, (qui ineffabilis est, & prorsus imperceptibilis) descendere; satisque ei erat id quod Christus affirmauerat affirmare, nempe indubitanter in Eucharistiae Sacramento adesse corpus Christi, quod est verissimum. Quamuis modum quoque, sed in genere, saepius innuerit esse spiritualem, non corporalem, vt ego iam pluribus disserui in hoc ipso Autore explicando.

II. Proposuerat aliquot ex Cyrillo dicta Plessaeus, partim vt ea solueret, ne sibi obessent; partim vt iis praesentiam realem oppugnaret. Perronius vero fraudi adscribit, quod in prima impressione Plessaeus sua verba pro verbis Cyrilli haberi voluerit, quia nimirum diuerso characterum genere non fuerant expressa; vlteriusque eum mordet, quod in posteriori quoque editione à se recognita & approbata, in eadem fraude perseueret. Ego tamen in Latina editione nihil tale obseruo, clare enim patet quae sint verba Cyrilli, quae glossa Plessaei. Deinde ad ipsa loca à Plessaeo tractata accedit. Primus locus quem Perronius *pag. 684. à tergo*, exagitat, est vbi Cyrillus *Catech. mystag. 4.* ait, Iudaeos scandalizatos retro abiisse, non audientes ea secundum spiritum, sed existimantib. se ad esum carnium inuitari. Videbat Perronius vim in eo consistere, quod secundum spiritum dicat Cyrillus intelligi debere esum illum carnium. Respondet ergo, Iudaeos non intellexisse vim spiritus, in inueniendo modo miraculoso dandi corpus Christi per organum, & sub velo Sacramenti. Verba tamen Cyrilli esum ipsum carnis Christi, secundum spiritum fieri significant, ibi nihil de modo.

III. Secundus locus est, vbi ait Cyrillus, *Catech. mystag. 5.* Panem dici supersubstantialem, quia substantiam animae confirmat, nec in ventrem descendit, & in secessum emittitur, sed per totum hominem ad corporis & animae vtilitatem distribuitur.] Colligebat Plessaeus, per os corporis non ingredi, sed ore animae accipi. Respondet Perronius, imo contrarium asseri à Cyrillo, qui ait per totam hominis massam distribui, id est Graece per totam consistentiam, quam Perronius vertit constitutionem σύστασιν; at tota hominis consistentia non est ex sola anima, sed complectitur etiam omnia membra.] Si ita; cur ergo negat Cyrillus, corpus Christi in ventrem descendere? Et quomodo potest Christi corpus corporaliter peruadere omnia membra? quomodo peruenit ad cerebrum, quomodo ad extremos manuum, pedumque digitos? Certe omnes realistae fatentur, corpus Christi non perseuerare in Eucharistia, nisi tandiu, quandiu integrae perseuerant species; at species Sacramentales ad nullam corporis partem integrae peruehiuntur, nisi ad os, ad oesophagum, & ad stomachum. Annon stomachus est venter, aut saltem ventriculus? Non, inquit, nisi superior; & quando à Cyrillo negatur in ventrem descendere, sermo est, inquit, de ventre inferiori, vt sunt intestina; κοιλία, aluus &c. Bene, non igitur aluus membrum est hominis, neque tota aluus ad consistentiam hominis spectabit; nam totam hominis consistentiam corpus Christi corporaliter peruadit. Et mirum quod corpus Christi non horret stomachum; & horrebit intestina: & tamen ad cor non potest peruenire nisi per intestina. Miror ista à tanto viro effutiri. Sensus ergo Cyrilli est, corpus Christi non per os, neque per ventriculum in hominem ingredi corporaliter, sed spiritualiter, & animam, & corpus ad immortalitatem nutrire, & sic totam hominis consistentiam refocillare.

IV. Tertius locus, quo vsum esse Plessaeum aduersus realem praesentiam dicit Perronius, est talis *ex Catech. mystag. 4.* Manduca in laetitia panem tuum, videlicet panem spiritualem, & bibe vinum in corde bono, spirituale scilicet vinum.] His subdit Plessaeus, Panem igitur & vinum mere spiritualia, quib. ora etiam spiritualia parentur, corda nostra, animae verius nostrae.] Hic iam nihil est quod de corde bono reprehendatur, sed Perronius libenter nodum in scirpo quaerit. Respondeat ad id quod hoc loco vrgetur, panem esse spiritualem, & vinum spirituale, id est, corpus & sanguinem Christi spiritualiter, non corporaliter sumi. Respondet panem & vinum in Eucharistia esse sacra & spiritualia, non communia, nec prophana.] Quaero, additio illa; *videlicet spiritualem*: & alia *spirituale scilicet*, vel sunt monitoriae, & praeceptoriae, vel explicatoriae: si monitoriae, sensus erit, comede panem tuum, non tamen alium nisi consecratum. Sic de vino. Stulta profecto monitio, vt non sit comedendum, nec bibendum, nisi de pane & vino consecratis. Si explicatoriae, sensus erit, sume in Sacramento panem, & non illum materialem solum, sed etiam, & maxime spiritualem, corpus nimirum Christi, sed spiritualiter: sic de vino & sanguine. Nouumque omnino & valde violentum est, quod spirituale significet rem corpoream, benedictam & consecratam.

V. Solutis tribus argumentis ex tribus Cyrilli locis à Ples-

à Plessæo propositis ipse Perronius sua tela contorquet, & dicta Cyrilli recitat plura, in quibus realem ille præsentiam videtur expresse asserere, quæ ego fere omnia consideraui ante hanc appendicem in Cyrillo & solui. Vim facit, quod Catechista non debuit fallere simplices tyrunculos, si ici nouella gemina. Atq; in hoc ipso ego quoque insisto, vt & supra *n.* 73. Non debet ergo panem eis commendare, & panem nominare quod panis non est, sed solum spectrum & phantasma veri panis. Cur, ne illi deciperentur, non præmonuit, substantiam panis ibi nullam esse, sed nuda accidentia? Quod vero dicat, panē esse corpus, & de pane dici, ipsum esse corpus, verū dicit: nam vtrumq; est panis, & panis nimirum substantialiter, & corpus Christi sacramentaliter, typice, virtualiter, & suo modo efficienter. Nam panem esse absolute corpus Christi, Theologia etiā scholastica, in sensu Catholico nō admittit, vt optime obseruarat Plessæus etiā ex ipso Aquinate. 3. *p. q.* 75. *ar.* 8. Sed obiicit Perronius, Aquinatē ibidē admittere has phrases, *Panis est corp⁹ Christi*; seu, *Panis erit corp⁹ Christi*; seu, *ex pane fit corp⁹ Christi.* Nouerit tamen se fraudem obiecisse Plessæo, quia in Areopagitę verbis citandis omiserat duo verbula *se excusans*: cur ipsi igitur non erit fraudi vertendum, quod omiserit in Aquinate ea verba, *secundum quandam similitudinem?* Certe Aquinas absolute negat, posse Catholice dici, *Panis est corpus Christi*, &c. sed secundum quandam similitudinem eas admittet phrases, cum hac explicatione, vt nomine panis non intelligatur substantia panis sed in vniuersali hoc quod sub speciebus panis cōtinetur.] Et hoc est miserorum refugium vt si quis dicat, vestis est homo: hoc est, id quod veste tegitur est homo, Stulta profecto propositio, quę ne per similitudinem quidem continet veritatem.

VI. Sed & illud est miserorum refugium, quod addit Perronius, familiare esse & Patribus & scripturis, vt res appelletur nomine formæ suæ externæ: vt Angeli illi qui apparuerunt Abrahamo in valle Mambre, appellantur homines ex forma externa humana. Aliud enim est aliquid mere apparens, per simplicem nominationem vocari nomine rei, quam forma illa externa præ se fert: aliud enunciare, hoc esse illud. Primum potest, & solet tolerari in omnibus æquiuocis: alterum nequaquā. Ita illi tres vocantur prius homines, deinde Angeli, & inde colligimus, non fuisse veros homines, sed apparentes: at vero scriptura nunquam enunciat, dicens, Hi tres homines sunt tres Angeli: falsa enim fuisset propositio in sensu absoluto: vera tantum fuisset si quis dixisset, id quod sub illis humanis effigiebus latet, sunt tres Angeli. Sic falsum est dicere, Panis est corpus Christi, licet verum esset, id quod sub pane latet est corpus Christi: sicut verissimum est si dicamus; id quod cum pane exhibetur spiritualiter, est verum & reale corpus Christi. Et sancti Patres, vt vidimus in Appendice ad Cyprianum, has propositiones vt veras admittunt Panis est corpus, & corpus est panis; non ratione formæ extrinsecæ, ad quam nunquam recurrunt, vt monui etiam supra *nu.* 73. Sed quia significantia & significata iisdem nominibus censentur.

VII. Sed negat tandem Perronius Cyrillum asserere, panem esse corpus Christi. Miror profecto. Cyrilli verba in *Catech. mystag. quarta*, sunt: Cum Christus de pane dicat, *hoc est corpus meum.* Item, *Ibidem*: Ne consideres tanquam panem nudum, corpus enim est, &c. Item *Catech. mystag. tertia*, Panis Eucharistiæ non est panis communis, sed est corpus Christi. Et sæpius similiter. Quoniam tamen Cyrillus semel hoc etiam pacto loquitur *Catech. mystag. quarta*, Hoc sciens & pro certissimo habens, panē hunc qui videtur, φαινόμενον, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi, &c.] Ex hoc loco de apparentia illa per eum intellecto, quæ veritatem rei excludat, reliqua omnia loca, vbi nude & expresse, atque assertiue & absolute à Cyrillo ponitur, panem esse corpus Christi, sic vult intelligi, vt non panis verus, sed panis apparens, qui apparenter tantum sit panis, sit corpus Christi. Atque hoc sane parum apte. Potius enim vnus locus ex pluribus est interpretandus, quam plures ex vno: de pane profecto vero & reali, multa sæpissime reperiuntur à Cyrillo, & nunquam quicquam attigit de hac panis apparentia, aut explicauit panem ex consecratione amittere suam substantiam, & ipsius manere nuda accidentia; quomodo ergo ex abrupto & semel tantum vocabit panem apparentem, qui ibidem & sæpius verum panem sub nomine panis intellexit? Sicut porro negandum non est, φαινόμενον interdum significare id quod nudam habet apparentiam, sed re vera id quod apparet & non est, id tamen rarum est; & à Perronio in Aristotele vix inuentū: in subsidiū etiā Theophylactū aduocauit, sed in Theophylacto res clara nō est, potest enim habere bonum sensum. Igitur consulendi sunt Patres, ac ipse præsertim Cyrillus, in quo sensu solear apparentias istas, & verbum *apparendi*, vsurpare, neq; dubiū est ordinariā significationē eam esse, vt apparere dicatur id, quod est & plane cernitur, atq; perspicitur. & sane Cyrillus ita in eadē materia sic loquitur, *Catech. mystag* 3. Quemadmodū & panis Eucharistiæ post inuocationē sancti Spiritus, non amplius panis nudus, sed corpus est Christi; sic sanctū illud vnguentū non amplius nudū, &c. quo symbolice frons, & alii tui sensus inunguntur, & vnguento quidem φαινομένῳ, visibili, corpus inungitur, anima vero sancto viuificoq; spiritu sanctificatur.] Et alibi: *Catech.* 4. *illuminat.* Christus duplex erat; Homo quidē, τὸ φαινόμενον, id quod videbatur; Deus autē, τὸ μὴ φαινόμενον, quod non apparebat. In omnibus aliis Patrib. innumera talia cuiq; occurrent exempla. Sat mihi sit, Cyrillū hunc ipsum clare docere, quid per illud suum φαινόμενον intelligat. An Christus non erat verus homo, sed apparens? Inter Gnosticos esset Cyrillus reponendus; & vnguentū chrismatis, est ne vnguentum tantū apparens, non verū sed imaginariū? aut potius transubstantiatum in Spiritū sanctū, qui sub speciebus olei, & balsami realiter, & substantialiter contineatur? Panis ergo φαινόμενος Cyrillo est panis qui patet visui, qui videtur, qui prostat. Sic Cometes qui his diebus nobis fulget, est vnum ex phænomenis Astronomicis, ex iis quæ phęnomena vera sunt, non phantastica, & oculum fallentia, & tamen res est vera & realis, exhalatio nempe accensa, & ardens. Male ergo negauit Perronius, Cyrillum absolute asserere Panem verum, esse corpus Christi.

VIII. Male quoque negat idem Perronius Cyrilli esse verba illa de baptismo; *Catech.* 3. *illuminat.* Non tanquam aquæ simplici studens huic lauacro, sed vt spiritali gratiæ quæ cum aqua datur.] Oblitus nimirū erat, præter catecheses quinque mystagogicas, adhuc esse plures alias, quæ dicuntur illuminatorum. Quæsiuit in tota mystagogica tertia illud dictum nec inuenit: quod si quæsiisset & legisset tertiam illuminatorū, nunquam tam audacter negasset dictum illud esse Cyrilli catechistæ: Cui Nyssenum quoque suffragari optime notauit Plessæus, & Chrysostomum: quoniam tamen irridet commentarios illos in Psalmos, qui Chrysostomo tribuuntur, ego suspendam iudicium de loco illo, dum adhuc sub Criticis ealis est, & Cyrilli, ac Nysseni dictum libenter obiicio realistis

Sicut

Sicut aqua non ideo eſt tranſubſtantiata, quia dicitur ab iſtis non eſſe aqua communis; ſic neque panem tranſubſtantiatum eſſe cenſuerunt, quando dixerunt non eſſe panem nudum ſeu communem, ſed corpus Chriſti: hoc eſt, ſacrum panem eſſe realiter panem, corpus vero typice, & ſacramentaliter. Cyrillus itaque hic noſter eſt.

LXXVII. Ambroſius ſimiles habet loquēdi modos de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia, iis quos vidimus in Cyrillo, & eaſdē penitus ferentes interpretationes ac expoſitiones. Cum præſertim & ipſe in Euchariſtia expreſſe ponat typum, & figuram corporis Chriſti & corporis eiuſdem præſentiā ſpiritualem. Ait enim, *de iis qui myſt. init. c. 9.* In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti, non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt; vnde & Apoſtolus de typo eius ait, *1. Cor. 10. 3.* Quia Patres noſtri eſcam ſpiritualem manducauerunt, & potum ſpiritalem biberunt. Corpus enim Dei corpus eſt ſpiritale.] Si in ſacramento corp⁹ Chriſti eſt ſpirituale, certe ipſum corpus materiale non erit. Ait quoque *Ambr. lib 6. de ſacram. c. 1.* Ne igitur veluti quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis, ideo in ſimilitudinem quidem accipis Sacramentū, ſed veræ naturæ gratiā, virtutemque conſequeris. Ego ſum, inquit, panis viuus q̃ de cœlo deſcendi. Sed caro nō deſcendit è cœlo, hoc eſt, carnem in terris aſſumpſit ex Virgine. Quomodo ergo deſcendit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſors eſt & diuinitatis & corporis. Et tu quia accipis panem, diuinæ eius ſubſtantiæ in illo participans alimento.] Quid clarius dici poteſt, quam panem ſumi, & dum panem ſumimus nos diuinæ ſubſtantiæ in pane participare alimentum. Participare vero alimentum diuinæ ſubſtantiæ, non eſt participare corpus Chriſti materiale, ſed Spiritum & diuinitatem Chriſti. In ſimilitudinem quoque ait nos ſumere Sacramentum, hoc eſt, panem, in quo eſt per ſimilitudinem duntaxat typus, & figura corporis Chriſti: non ergo vere & realiter & ſubſtantialiter eſt factus corpus, ſed veræ, inquit, naturæ gratiam virtutemque conſequeris; non ergo veram naturam corporis, ipſam videlicet materialem, & ſubſtantialem conſequimur, ſed illius duntaxat gratiam & virtutem. His ergo ſtantibus, ex ipſis eſt verus Ambroſii ſenſus declarandus, ſicubi contrarium videatur aſſerere.

LXXVIII. Dicta Ambroſii *de iis qui myſt. init. c. 9.* pro præſentia corporali ſunt. 1. Māna & aqua de Petra Iudæis in vmbra fuerunt, nobis caro & ſanguis Chriſti in veritate. Potior eſt lux quā vmbra; veritas quā figura; corpus Autoris, quam Manna 2. Non hoc eſt ꝙ natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit. 3. Benedictione etiam ipſa natura mutatur. *Idem de Sacram. l. 4. c. 4. & 5.* Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio de pane fit caro Chriſti: hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti cōſecratione: didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. 4. Didiciſti ergo, quia quod accipis corpus eſt Chriſti. 5. Ante verba Chriſti, calix eſt vini & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redemit. 6 Ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem; nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti, & tu dicis, Amen, hoc eſt verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. Sicut eſt verus Dei Filius, ex ſubſtantia Patris, ita vera caro, ſicut ipſe dicit quam accipimus, *ibid. l. 6. c. 1.*] Hæc fere omnia dicta vrget Bellarminus. *vt ſupr. l. 2 c. 14.*

LXXIX. Ad 1. Manna figurabat duntaxat corpus Chriſti, non exhibebat: at panis noſter & figurat, & exhibet, ideo eſt veritas, quia eſt figura illa efficax, quā figurabat vetus figura inefficax, & eſt corpus, quia exhibet ipſum reale corpus ſpiritualiter.

Ad 2. Non negat ibi Ambroſius naturam panis, nam etiam accidentia panis ſunt opus naturæ, & quis negabit in Euchariſtia adeſſe ſaltem vera & realia panis accidentia quæ natura formauit? Negat ergo eſſe ibi purum & nudum panem, cum ſolis ſuis naturalibus proprietatibus, quia præterea adeſt corpus Chriſti ſpiritualiter.

LXXX. Ad 3. Mutatio in Ambroſio nullo modo poteſt intelligi realis & ſubſtantialis. Ait enim *de Sacram. l. 4. c. 4.* Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur?] Panis ergo in Euchariſtia eſt quod erat, & tamen in aliud commutatur, profecto non ſubſtantialiter, quia implicat cōtradictionem eſſe id quod erat, & ſubſtantialiter in aliud mutari. Sed accidentaliter duntaxat, quia accepit in ſe vt ſit figura, & figura efficax modis toties explicatis. Nō enim minus eſt, *inquit idem de iis qui myſt. init. c. 9.* nouas rebus dare quam mutare naturas. Sentit ergo in Euchariſtia rebus dari nouas naturas, ſed non mutari ipſorum proprias, & hoc eſt addere pani cum ſua natura exiſtenti nouam naturam, hoc eſt nouam proprietatē, figuræ nimirum illius efficacis. Sed & probationes quas affert vtrobique Ambroſius; id eſt, *in libro de iis qui myſt init. c. 9. & de Sacram. lib. 4. c. 4.* ad ſuam illam mutationē panis in corpus, &c. corroborandum, inter alia exempla adducit Chriſti conceptionem ex Virgine opera Spiritus Sancti; Maris rubri diuiſionem; Amaræ aquæ per lignum ſanationē; ferri ſupernatationē; Virgæ ſerpentinæ; Aquæ in ſanguinem verſionem: Iordanis retroceſſionem; Aquæ ex petra eruptionem. At non in his omnibus facta eſt ſubſtantialis mutatio, imo vix in vllo: ſed eo exempla duntaxat tendunt, vt probent, Deo eſſe facile efficere in rebus naturalibus id quod natura efficere non poteſt, vt ſic mirum nemini videatur, ſi per diuinam omnipotentiam panis acquirat, vt corpus Chriſti ita repræſentet, vt ſimul etiā cū ipſo pane ipſum verū corpus Chriſti digne ſumenti ſpiritualiter cum omnib. ſuis donis exhibeatur. Et ita mutare panem, eſt idem, quod mutare petram, vt ex arida fiat aquiflua. Sic panis ex cibo nudo corporali, fiat typice & efficaciter corpus Chriſti, id eſt exhibeat corpus Chriſti verum ſpiritualiter, ſicut petra exhibuit aquā veram corporaliter. Sic de aliis allatis exemplis quibus illud præmittit Ambroſius. Accipe ergo quemadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare cōſueuerit; & mutat, quando vult, inſtituta naturæ.] In Baptiſmo quoque ait mutari hominem: Tu ipſe eras inquit, ſed eras vetus creatura; poſtea quam conſecratus es, noua creatura eſſe cœpiſti.] Mutatur ne igitur ſubſtantialiter homo poſt baptiſmum? Eſtne mutata ſubſtantialiter aqua Iordanis quando refluebat; aut maris rubri quando iter ſiccum præbebat, aut virgo Maria, quando ſine ſemine virili concipiebat, aut aqua Marath quando dulceſcebat, aut ferrum quando natabat, aut petra quando aquas porrigebat? Sane nulla eſt in his mutatio ſubſtantialis. Non ergo quicquam de mutatione ſubſtantiali panis in corpus, & vini in ſanguinem Ambroſius cogitabat, ſed ſolam diuinam omnipotentiam quæ hæc omnia facile poſſit, nobis conſiderandam proponebat. Ex pane itaq; per con-

consecrationem fit corpus, quia ex puro, simplici, nudo & ordinario pane fit corpus typice, & efficaciter, & sic panis cessat esse nudus & ordinarius ac vsualis, fitque panis Sacramentalis.

LXXXI. Ad 4. Accipimus cum pane verum corpus Christi spiritualiter.

Ad 5. In calice etiam accipimus cum vino sacro verum illum Christi sanguinem quo redempti sumus, sed spiritualiter.

Ad 6. Fide indubitata credimus & tenemus, nobis in Eucharistia exhiberi ipsissimum Christi corpus, veramq; eius carnē, sed spirituali modo, non corporali.

LXXXII. Vellet nihilominus adhuc Bellarmin' Ambrosium transsubstantiationis pugilem facere, sed frustra, loca vlterius ex Ambrosio adducta sunt ista; *ex l.1. in c.1. Luc.* Non dubites assistere Angelum quando Christus assistit, Christus immolatur.]Item; Adorate scabellum pedum eius. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.] Angelos Christo semper assistere non est dubitandum: & Christū suo spiritu Sacramentis nostris assistere, est certissimū: & sic consequenter etiam Angelos, cum præsertim sint ministratorii spiritus: sed quod assistant pani sacro tāquam reali corpori Christi, neque dixit, neq; somniauit Ambrosius, licet sacræ mensæ eos assistere, vbi spiritum Christi speciali modo adesse cernunt, nō sit improbabile. Apostolos vero carnem Christi in Christo hypostatice Verbo vnitā adorasse, & certum est & debitum fuit. Nos quoque, dum Eucharistiam suscipimus, debere non panem Eucharisticum quē sumimus (id enim Ambrosius non dicit) sed ipsum Christi corpus, quod spiritualiter nobis in Eucharistia exhiberi certa fide tenemus, adorare, & æquum & necessarium est, ac proinde propter hanc Christo debitam adorationem, cum omni etiam corporis externa humilitate, & genibus flexis Sacrosanctam debemus sumere Eucharistiam, non vt panem illum sacrum, vt dixi, sed vt Christum nobis realiter, sed spiritualiter cum pane exhibitum adoremus.

Appendix Ad Ambrosium.

I. Plura sunt loca ex Ambrosio quæ Plessæus, siue contra se producta pro se explicarat, siue realistis obiecerat. Ea resumit Perronius, siue à se remouet, siue ad se trahit, & pro se vrget. Ego eorum pleraque iam discussi & explicaui, nunc Perronii commenta sunt examinanda. Primus itaque locus, quem Perronius exagitat, est, vbi ait Ambrosius *de iis qui myst. init. c. 9.* Vera vtique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est, vere ergo carnis illius Sacramentū est.] Ante omnia reprehendit nescio quam mutationē, tum additione verbi, *est*, tum subiectione genitiui, *veræ*, pro aduerbio *vere*. Vtraque reprehensio est otiosa, nihil enim tale aut legitur, aut ponderatur à Plessæo in suis posterioribus editionibus: in quibus genuinus Ambrosii locus legitur, talis qualem Perronius cupit legi, Respondeat ergo ad locū, in quo Ambrosius asserit, Eucharistiam esse vere Sacramentum illius veræ carnis quæ crucifixa est, si est Sacramentum carnis, nū est ergo ipsa caro. Quid ad hæc ille? Expiscatus est sua solita grāmatica nescio quā acceptionem Sacramenti, vt significet nō signum sacrum, sed rem sacram, seu conditionem sacram; & hanc acceptionem exemplis variis hinc inde deductis probat: quæ tamē exēpla eatenus duntaxat illam acceptionem secum ferunt, quatenus per solius Perronii, *hoc est*, illam accipiunt.

II. Sed ne tot lites multiplicemus, admittamus Sacramentum interdum apud Patres rem aliquam in se sacram significare, sed num in tali acceptione hoc loco Sacramentum accipiatur, an potius in sua ordinaria, pro signo sacro: videndum ei erat. Ait, id omnino ita esse: quia Ambrosius intendit probare, extra naturæ ordinem Christi corpus ex Virgine esse factum: & hanc esse sacram ipsius conditionē, ideoq; Sacramentum appellari ipsam carnē Christi, propter hanc sacrā conditionem, quod extra naturæ ordinē sit facta. Mira subtilitas. Res interdū sacra in se, etiamsi non sit signum sacrum rei sacræ, vocari ait Sacramentum: Esto: quorsum conditionē sacram obtrudit? Obtrudat tamen, sed cur conditionem miraculosam vocat sacrā & sacramentum? Muscæ ergo, ranæ, & cyniphes, quia miraculose in Aegypto per diuinā omnipotentiam & extra ordinē naturæ ebullierunt, ideone res sacræ fuerunt? Et quia conditione miraculosa factæ sunt, ideo ne sacramenta sunt dicendæ? Et neq; verum est Ambrosii scopum esse ibi, probare vnam ex sacris conditionib. corporis Christi esse, vt factum sit extra naturæ ordinē. Non enim tractatus ille totus est de corpore Christi secundum se, & secundū ipsius miraculosas conditiones; sed tractatus est de rebus sacris ad quas Catechumeni instruuntur; quæ sunt potissimū sacramenta baptismi & Eucharistiæ: & titulus capitis est; De virtute sacramenti corporis Christi, & quod corpus Christi quod accipimus, sit caro ex Virgine nata, crucifixa, &c.]Et intus: Probemus, nō hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit.] Ecce scopus; In Eucharistia nimirū, quod potissimum est, esse corpus Christi, & non panē; & rationē habendam esse effectus consecrationis, & nō naturæ panis. Deinde totus est in ea probatione, vt ostendat in Eucharistia nos accipere veram Christi carnē, sed sacramentaliter. Nam sicut verum est, Christum veram carnem habuisse, quia nata, quia passa, quia crucifixa, ita sacramentum carnis debet esse sacramentum illius veræ carnis, quæ nata, quæ crucifixa est. Est que argumentum simile argumento quod & Irenæus & Tertullianus tractarunt contra Gnosticos: probabant enim Christum verām carnem habuisse, quia dedit Eucharistiam sacramentum carnis: sacramentum vero & signum alicuius rei, est rei quæ vere sit, non rei quæ non sit nisi apparenter.

III. Quod autem commemorat Ambrosius, Christum extra naturæ ordinem esse genitum: non est conclusio, sed assumptio: ex hoc enim probat, non esse deiiciendam cogitationem, dum nudum panem cernimus in Sacramento. Sed fidem subleuandam: siquidem omnipotentia Dei talia mirabilia soleat operari, vt incredibile non sit, nos in panis manducatione ipsum verū, & reale corpus Christi, modo tamen ineffabili, sed spirituali, māducare; & hæc alia miracula profert, quia sibi obiecerat id quod nouellæ illæ fideliū plantæ obiicere possent, videlicet; Forte dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Huic obiectioni danda erat responsio: quod si diceret cum Perronio; Christi caro extra ordinem naturæ facta est, & sic sacra conditione sacramētum fuit, quid hoc ad dubiū propositum? non causa, pro causā. Responsio vera est, Panē quidem nudū vides: sed ille qui potuit extra ordinē naturę nasci ex virgine, potuit etiam extra ordinē naturæ efficere, vt panis nobis verū Christi corpus exhibeat, non corporaliter, sed alia via spirituali miraculosa; nō quidē ex natura ipsa panis, sed ex benedictione, & diuina cōsecratione. Sermo ergo manifestus est de ipso vero & ꝓprie dicto sacramento Eucharistiæ; in qua habemus, vt

aic

ait Ambrosius, sacramentum carnis Christi, non carnem Christi, nisi sacramentaliter.

4. Alter locus, imo idem, apud Plessæum erat ille; *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur.*] Respondet Perronius *pag.696. à tergo*, idem esse, *significatur*, quod *vocatur*, siue *appellatur*, siue *nominatur*. Quoniam igitur vox est ambigua, eam omitto. Aliquid de hoc loco dixi in prima quæstione supr. *num.*13. Non omitteram tamen monere falsa quædam hoc loco Perronium proferre, vt inde probet, panem post consecrationem fuisse à veteribus pro corpore Christi habitum, in sensu, vt ipse putat, corporali. Ait enim, sacerdotem olim in exhibendo sacramento populo solitum dicere; *hoc est corpus Christi*: populum vero respondisse, *Amen*. Hoc, inquam, falsum est. Non enim faciebat vllam enunciationem, sub verbo, *est*, sed hæc *duo* tantum verba proferebat: *Corpus Christi*, respondebatur, *Amen*. Erat igitur illa, seu inuocatio, seu ad summum, fidei protestatio, non quidem panem illum esse corpus substantialiter, sed corpus Christi in sacramento illo exhiberi, & à digne communicante recipi. Neque aliud asserunt Ambrosius, Eusebius, Augustinus, & alij quos citat Perronius. Timuit semper Ecclesia, ne fideles scandalum in Eucharistia paterentur, & cum videant nudum panem, nudumque vinum, nihil aliud arbitrarentur se sumere in Ecclesia, nisi quod etiam in suis quotidianis domesticis mensis sumunt. Ideo vt ex Theodoreto videbimus, in appendice ad Chrysostomum §.2. Sancti prisci Patres plurimum cauerunt, ne panem vocarent: & toties inculcabant, post consecrationem non esse amplius panem, videlicet communem, sed corpus Christi; Figuratiue videlicet & exhibitiue; ideo in porrigendo sacro pane singulis communicantibus dicebat Sacerdos, *corpus Christi*, & communicantem volebant respondere, *Amen*: id est, confirmare se recipere corpus Christi spiritualiter, in illa corporali sacri panis receptione: atque hoc ne fideles mente in solo pane, sicut sensus circa solum panem occupabatur. Sed hæc cautela versa est nobis in ruinam, & ad crassam cogitationem, non modo rudis plebis, sed etiam Doctorum, & Magistrorum mentes conuertit, imo subuertit: vt iam ipsum panem esse corpus Christi vere & substantialiter putemus, cum tamen non sit, nisi significatiue, & suo modo effectiue. Inde exclamat Perronius; Cur Ambrosius adeo exaggerat diuinam omnipotentiam, & opera tot producit diuinæ omnipotentiæ, *nisi dignus vindice nodus*? quid opus, ait, omnipotentia, ad faciendum vt vna res significet aliam, quod solus noster intellectus facere potest, & solet? atque in nostram sententiam iacit illud,

——— Et hæc oculis Deus aspicit æquis?

Ego vero in ipsum hæc ipsa retorqueo: Mihi enim Deum blasphemare illi videtur, qui intellectui humano dat potestatem signa sacramentalia instituendi; negatque solius diuinæ esse omnipotentiæ efficere vt res creatæ sint signa, & signa efficacia effectus increati & prorsus admirabilis. Possumus nos nobis ipsis signa aliqua instituere ad solam memoriam rerum sacrarum & diuinarum excitandam: sed instituere signa efficacia & proprie sacramentalia est solius diuinæ omnipotentiæ. Itaque possemus nos nobis instituere, vt panis semper significet corpus Christi, ita vt quoties comedimus panem, toties in memoriam reuocemus Christum pro nobis factum esse carnem. Sed efficere vt panis ita sit nobis signum corporis Christi, vt in ipsius comestione ipsum verum & reale Christi corpus intra nos, per diuini spiritus operationem recipiamus, quis adeo impius sit, qui in humani intellectus id ponat potestate?

5. Tertius locus est, *Ambros. de Sacrament. lib.*4 *cap.*4. Si tanta vis est in sermone Domini, vt ea incipiant esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?] Quæ ego pauceis explicaui supra *num* 80. Respondet Perronius cum Bellarmino *de Euchar. lib.*2.*cap.*14. primum ex Lanfranco olim legi solitum hunc locum absque illis verbis; *vt sint quæ erant*: quoniam tamen omnes codices ea habent, non est cur ad Lanfrancum, vnum ex primis transsubstantiationis assertoribus, confugiamus. Deinde, quia *in libro de iis qui mysteriis initiantur*, apud Ambrosium idem dictum ponitur sine illis verbis; quasi vero non soleant boni Autores, quod prius vna occasione non adeo plene dixerunt, alia occasione postea plenius & planius explicare. Tum vero Perronius corruptionis huius loci insimulat Plessæum, propter nescio quam transpositionem, quam ego in Latino codice non video: construat illa verba vt placet, vrgent illum perpetuo. Nescio enim quid discriminis sit, si ita construas; vt res sint id quod erant, & in aliud commutentur: vel ita; vt res quæ erant, sint, & in aliud commutentur; illud enim, *sint*, secum necessario fert permanentiam essentiæ seu substantiæ. Et in hac persistentia, seu permanentia tota vis argumenti consistit. Sensus porro dicti Ambrosiani non est ille absurdus, quem sua paraphrasi format Perronius *pag.*705. sed huiusmodi: si tam facile fuit Deo efficere, vt res essent quæ prius nullæ erant, quando mundum creauit, quanto facilius erit Deo assumere res quæ iam sunt, & ipsis in suo esse manentibus, eas secundum virtutem & facultatem in aliud commutare; vt nimirum miraculose pro alia re à se diuersa suppleant, & illius effectus virtute diuina producant? Omisit Perronius effugium aliud Lanfranci, tanquam inutile, quod Bellarminus tamen admisit: videlicet; vt sint quæ erant: hoc est, quoad speciem exteriorem. Igitur cadauer recens hominis posset adhuc dici esse homo qui erat antequam moreretur, ineptiæ. Ipse vero Bellarminus aliam subtilitatem excogitauit; vt esse id quod erat, sit non annihilari, sed in aliud melius commutari. Certe si substantia panis non manet amplius, siue illa annihiletur, siue non, panis non est amplius id quod erat, etiam in omni rerum transmutatione substantiali, vt quando ex aqua fit aër, aqua absolute non annihilatur, & tamen non est amplius aqua, sed aër.

6. Perronius addit, Ambrosium *de iis qui myst. init. cap.*9. se ipsum explicare, vbi ait, Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.] Cuius dicti sensum facit Perronius talem: si tanta est omnipotentia diuina, vt faciat res transire à non esse ad esse, vbi sunt termini inter se infinite distantes, & improportionati, ac incommensurabiles, quanto plus poterit conseruando res iam factas intra latitudinem vniuersalem entis, eas transferre ab esse vnius speciei, ad esse alterius? Panis enim Eucharistiæ, *inquit*, non exit ex generali conditione entis, sed transit ab vno esse speciali ad aliud speciale, cum successione contigua & vnitate accidentium, sub quibus vnus terminus succedit alteri.] Hæc est eadem vana subtilitas, cum posterema, quam modo §. *proxime præcedenti* excogitarat Bellarminus; sed aliis verbis paulo plenius explicata. Idem ergo etiam ei obiicio. Si enim in naturalibus transmutationibus, in quibus saltem materia semper manet, & sæpe multæ dispositiones & accidentia, nunquam tamen potest dici res esse post transmutationem quæ erat

 ante;

ante; aliquid enim esse, quod sit à parte rei, est semper esse specificum, imo & indiuiduale, quanto minus dici potest, res esse quæ erat, vbi nihil penitus substantiæ rei manet: solus vero conceptus entis in vniuersali, cum non sit aliquid commune vniuocum, sed analogum, nullo pacto omnino potest sufficere, vt res dicatur esse quæ erat, nam etiam inter se disparatissima conueniunt in ente, etiam entia rationis quæ à parte rei nunquam sunt, sed in sola hominum cogitatione. Si quis habeat in suo viuario equos, boues, ceruos, damas, capras, oues, hircos, & talia animalia, quæ omnia tandem mactet, & consumat, indeq; in sua cogitatione & phantasia, ex iis omnibus vnicum animal componat, quod Chymæram vocamus, illisque succedat, potestne merito dici adhuc omnia illa animalia esse quod erant, quia manet chymera, cum qua illa in communi ac generali conceptu entis conueniunt? Si quis id assereret, profecto admodum esset ridiculus.

7. Quartus locus est: *ex Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 4.* Tu ipse eras, sed eras vetus creatura, posteaquam consecratus es *(per Baptismum)* noua creatura esse cœpisti: Vis scire quam noua creatura? Omnis, inquit, in Christo noua creatura.] Comparat Ambrosius effectum Sacramenti Eucharistiæ, cum effectu Sacramenti baptismi, vt sicut per baptismum noua fit creatura homo regeneratus, & certe non transsubstantiatus; sic in Eucharistia nouitas quædam accedat pani, vt corpus Christi exhibeat, & non vt transsubstantietur. Hic iam Perronius suam acuit metaphysicam: Ac primum distinctionem ponit, è suo cerebello tunc primum eductam, de Sacramentis qualitatis, & sacramentis substantiæ. Tum vero inter hæc duo Sacramenta analogiam ponit, & excludit vniuocationem. Tota tamen schola perpetuo clamat, Sacramenta nouæ legis omnia vniuoce in substantia Sacramenti conuenire, ideoq; vt vidimus *cap. 5. huius libri*, vnicam definitionem Sacramenti in genere conabantur conficere. Et Ambrosius totus in eo est hoc capite, vt persuadeat suis tyronibus, Creaturas posse ad mirabilia quædam diuina omnipotentia immutari: vt sic credant, posse panem adeo per Spiritum sanctum immutari, vt iam possit secum adiunctum habere corpus Christi, modo tamen aliquo miraculoso, & ineffabili, sed certe non nisi spirituali. Hanc igitur panis miraculosam immutationem vt faciat credibilem, protulit exempla à baptismo, in quo homo spiritualiter in nouam creaturam immutatur: mox pergit ad alia exempla. Accipe, *inquit*, quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit, & mutat quando vult instituta naturæ: quomodo, requiris? Accipe, & primo omnium de generatione eius sumamus exemplum.] Itaq; affert generationem Christi sine humano semine ex Virgine. Accipe aliud, ait, & producit maris rubri diuisionem, *Exod. 13. 14.* Accipe aliud, ait, & profert amaræ aquæ per lignum sanationem, *Exod. 15. 15.* Accipe, inquit, & quartum, & narrat securis supernatationem, *4. Reg. 6. vers. 6.* Tum addit: ex his igitur omnibus non intelligis, quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus est in aliis rebus, non operatur in cœlestibus Sacramentis? Ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi.] Et tandem concludit: Didicisti ergo, quia quod accipis corpus est Christi.] Si exempla allata essent de aliqua mutatione rerum substantiali, aliquid colligeretur pro transsubstantiatione; sed quia omnes illæ miraculosæ mutationes fuerunt in qualitatibus & proprietatibus, & tamen vocantur mutationes, hinc nos colligimus, non posse nobis obiici Ambrosium, si alicubi dicat panem mutari: siquidem & hominem dixit in baptismo mutari, & Virginem dum conciperet sine semine humano mutatam posuit: & mare mutatum, dum præbuit siccum iter: & aquam amaram mutatam, dum dulcedinem acquisiuit: & ferrum mutatum, dum ex graui leue factum est, & ad hoc solum locus est productus, ne vrgeant panis mutationem: cum nulla alia mutatio miraculosa ponatur ab Ambrosio quæ sit substantialis, & in omnibus res immutatæ salua substantia ponuntur immutatæ. An vero quoad effectus, Baptismus sit ad qualitatem, Eucharistia vero ad substantiam, non est nobis nimium cum Perronio luctandum. Sit Eucharistia ad substantiam, nil moror, id est, ad corpus Christi. Scio enim & admitto, cum pane manente pane, nobis verum & reale Christi corpus exhiberi, non tamen corporaliter. In re consentio, in modo dissentio. Itaq; etiamsi terminus vltimus mutationis aquæ in baptismo, sit gratia in anima, & dona spiritualia; vltimus vero terminus mutationis panis, sit secum adducere in animam digne communicantium ipsum verum corpus Christi, quod est substantia, non tamen sequitur, ipsum panem amittere suam substantiam, & induere substantiam corporis Christi, cum satis sit, vt substantia corporis Christi in Eucharistia cum pane exhibeatur: & si in baptismo aqua nihil sui amittit, licet acquirat aliquid nouum, vt ea abluente corpus, Spiritus abluat animam: & similiter homo ablutus nihil sui amittit quod habet à natura, licet ei addantur multa dona cœlestia in regeneratione; cur panis quicquã sui quod habet à natura, amittit, etiamsi acquirat, vt eo pascente corpus hominis, corpus Christi spirituali modo pascat animam. & etiam corpus ad immortalitatem? Et hoc tantum intendit Ambrosius.

8. Quintus locus: *ex Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 4.* Sed forte dicis, speciem sanguinis non video, sed habet similitudinem: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti *(in Baptismo)* ita etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit, & precium tamen operetur redemptionis.] Item alibi modo simili, *ibid. lib. 6. c. 1.* Forte dicas; quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. In similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemq; consequeris.] Similitudo igitur non realitas sanguinis in calice, sicut in baptismo similitudo mortis, non mors. Respondet Perronius, *pag. 711.* quasi vero nos in baptismo solam similitudinem, & non etiam verum effectum mortis Christi recipiamus.] Ne quærat diuerticula, togo: effectus mortis Christi ad rem nunc non est; sermo est de ipsa morte, non de effectu, & fructu mortis: in baptismo homo moritur, & sepelitur vitæ veteri; nam & Apostolus nos in baptismo consepultos asserit, *Coloss. 2. 11. 5.* igitur nostra mors est baptismus, non vera & realis, sed figurata & similitudinaria. Immergi enim aquis, est quasi sepeliri; emergere ex aquis, est quasi resurgere. & hic similitudo sepulturæ innuit, nos vitæ veteri debere mori, & ad nouam resurgere. Illa itaq; in aqua hominis immersio, vera mors non est, neq; vera sepultura, sed similitudinaria, & mysterium habet, vt sicut Christus pro nobis mortuus est & sepultus; ita nos spiritualiter vitiis commoriamur, eaq; sepeliamus per baptismum. Explicat optime hæc mysteria Nyssenus *orat. de S. Baptism.*

9. Addidit Perronius *pag. 711.* quasi vero Ambrosius quoque, dum obiicit nos non videre in calice sanguinis effigiem, non supponat ibi esse substantiam sanguinis? Quomodo enim quærat quis, qui fieri possit, vt sanguinis effigies non videatur in calice nihil aliud sit nisi signum sanguinis? Vt, si quis conaretur rationem reddere, cur Israëlitæ non viderent propriam sanguinis Christi speciem in aqua deserti: iste, ait, cerebrum haberet læsum.] At certe sanum

num cerebrum non posset ita ratiocinari, vt iam loc loco ratiocinatur Peronius. Speciem sumit pro effigie. Effigies porro & similitudo idem sunt. Ambrosius vero proponit primum neophytorum obiectionem: asserenti enim Ambrosio, sanguinem Christi eos in calice sacro bibere, vel bibituros, obiiciunt: sanguinis speciem non video. Respondet ille: At vides similitudinem. Aliud ergo est Ambrosio species, aliud similitudo: species enim est forma tota externa rei, cum natura tamen, & substantia rei: at similitudo hoc loco significat typum, figuram, signum: non autem similitudinem, id est nudam & solam figuram rei externam, sine realitate. In hoc sensu Peronius sumpsit, sed perperam, vocem illam, *similitudo*: & vinum dixit habere aliquam similitudinem cum sanguine; supponit ergo vinum esse rubrum, & mysteria non celebrari nisi in vino rubro. Quod si vinum rubrum habet similitudinem sanguinis, cur illi obiiciunt se non videre effigiem sanguinis? Itaq; falsum est, supponi ab Ambrosio in calice esse realiter sanguinem; & obiectio seu quæstio illa supponit duntaxat, obiicientem iam audisse asseri in calice esse sanguinem Christi. Hoc supposito rudiores merito quærent, & obiicient, Quomodo tu dicis in calice esse sanguinem, si species sanguinis ibi non perspicitur, hoc est, si sensui nihil tale pateat, nec quicquam ibi adsit vnde cognosci possit ibi adesse sanguinem? Responsio vera est, tametsi sensus non iudicet, neque possit vlla ratione aduertere ibi esse sanguinem, est tamen ibi similitudo, hoc est figura & typus sanguinis, qui nobis loco sanguinis propinatur, & verum nihilominus sanguinem illum quem significat secum exhibet. Quod si quis Israëlita tunc in deserto audisset Moysen dicentem, hæc aqua huius petræ est sanguis nostri Messiæ, poterat merito obiicere: at ego nihil video quod sanguinem præ se ferat: tunc Moyses non habuisset læsum cerebrum, si explicasset quid sit aquam esse sanguinem, & aquam illam esse typum & similitudinem sanguinis.

10. A scopo igitur Ambrosij, plurimum Peronius aberrat *pag. 711. à tergo*, vbi illum sic explicat. Non mens est Ambrosius comparare Eucharistiam & baptismum formaliter, sed analogice: vt quemadmodum in baptismo, quod est sacramentum virtutis, nos non accipimus effectum virtutis mortis Christi sub propria forma, & visibili effigie mortis, sed sub forma, & actione quadam quæ aliquid contineat similitudinis mortis, ita in Eucharistia quæ est sacramentum substantiæ, nos non recipimus substantiam sanguinis Christi, sub propria specie & effigie visibili sanguinis, vt vitaretur horror communicantium, sed sub quadam specie externa, quæ aliquid cum sanguine habeat similitudinis.] Similem modum loquendi affert ex Cyrillo, & Theophylacto. Necesse vero est, vt speciem & similitudinem sumat, tanquam opposita & contradistincta, & in eodem sensu sumat similitudinem, tam in priori quam in posteriori parte huius analogicæ comparationis: necesse etiam est, vt sumat similitudinem pro typo & figura significante, & non pro externo colore & imagine ac effigie, vt iam probaui: præterea necesse est, vt sumat mortem ipsam, tam in specie, quam in similitudine, non effectus mortis Christi: de morte enim Christi nihil penitus Ambrosius in hac comparatione. His seruatis satis per se patet eum ab Ambrosio pro multum deflexisse, qui sane verus talis est: sicut in baptismo nemo vere & proprie moritur, sub vera specie mortis, sed similitudine quadam & typo ex immersione in aqua, discit sibi moriendum esse mundo & vitiis ac vitæ veteri. Ita in Eucharistia, nemo verum sanguinem ibi sub vera specie sanguinis substantialiter præsentem bibit; sanguinis tamen similitudinem, hoc est vinum, quod typus sit & figura sanguinis & efficax, bibit corporaliter: & discit sibi etiam spiritualiter à Christo ipsius verum sanguinem cum suis effectibus propinari. Hic omnia sunt salua ad literam quæcunque asserit Ambrosius: At vero in Peronij paraphrasi, & voces sunt peruersæ, & comparatio distorta, & sensus corruptus, vt nostram censuram hanc consideranti patet. Quid vero sentit Cyrillus, quando veritatem carnis ponit in Eucharistia; si tamen ponit, explicaui in Cyrillo, & in Appendice ad ipsum: Theophylacti autoritas tanquam modernioris scriptoris, non multi facienda, vt obseruo suo loco.

11. Logicam Plessæi, ad finem considerationis huius loci, insectatur Peronius *pag. 712.* Quomodo, inquit, potest præsentiam sanguinis in calice inde impugnare, quod inuisibilis sit, nec videatur: nam lac etiam est sanguis, & tamen non cernitur, sed natura prouidit, &c.] Certum est, neque negari potest, Christum voluisse nos ipsius sanguinem bibere & carnem edere, ac ne esset horror, in eo siue frustulatim manducando, siue integro & viuo degluttiendo, modum ineffabilem inuenisse, vt in panis comestione caro eius, & vini potatione sanguis eius nobis miraculose exhiberetur, & similitudo illa lactis nihil est ad rem. Esto enim, lac sit verus sanguis, quod non credo, ipsamet præbetur substantia cum suis omnibus proprietatibus, excepto solo colore, & sapore. At nos & colorem, & saporem, & omnia accidentia panis & vini sumimus, & nihil penitus sanguinis quod sensui pateat, & ideo, qui nobis adhuc rudioribus dicit, vinum esse sanguinem, merito obiicimus inuisibilitatem, & Logica est optima. Nam Plessæus non reuocat in dubium præsentiam sanguinis in sacramento ex inuisibilitate; sic enim fortasse Logica ipsius nutaret; sed refert dubium quod neophytos in mysteriis nostris adhuc rudes possit vexare ex inuisibilitate. Sanguinem enim in calice esse eis dicitur; at illi nihil vllo sensu percipiunt, quod sanguinem indicet, & hoc dubium illis euellendum fuit, quod præstitit Ambrosius suis dictis à me explicatis.

12. Coniunxit simul duo loca Peronius, & integra recitauit, *pag. 714.* quæ sunt ferme à nobis iam per partes explicata, vrget tamen ea verba Ambrosij: *de Sacrament. libr. 6. cap 1.* Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, ita vera caro, sicut ipse dicit, quam accipimus, & verus eius sanguis est potus.] Sed vt ex his suum firmet argumentum, ex se addit quæ non sunt in Ambrosio, perinde ac si essent verba Ambrosij. Si, inquit, caro, & sanguis quæ nos accipimus in Eucharistia sunt ita vere realiter, & substantialiter vera caro, & verus sanguis Christi, sicut Christus est verus, & substantialis filius Dei, quis non videat, &c. At Ambrosius non dicit vere, realiter, & substantialiter, carnem & sanguinem Christi esse in Eucharistia. Dicit quidem, & id verum est, veram carnem, & verum sanguinem nos sumere in Eucharistia, de aduerbiis illis, *vere, realiter, substantialiter*, in quibus est tota difficultas & controuersia, altum est silentium in Ambrosio, & in omnibus Patribus. Similitudo ergo illa, inquit, quam dicit Ambrosius nos sumere, intelligenda est de perceptione visibili & detecta. Et hoc verum est: Similitudinem enim duntaxat sanguinis bibimus, id est typum & signum, dum vinum sacrum bibimus; si solam similitudinem, non ergo realitatem, intellige per bibitionem illam corporalem: inuisibiliter tamen, & bibitione spirituali verum etiam & realem Christi sanguinem sumimus: qui cum illa corporali vini bibitione semper

vbi digne bibitur, exhibetur, & ad hoc diuina omnipotentia est necessaria: vt præter signa sanguinis, quæ visibiliter bibimus, verus etiam sanguis miraculose nobis per spiritum Christi exhibeatur; & fatemur nullam esse repugnantiam, vt visibiliter signa sola bibamus, nec quicquam sanguinis videamus, & tamen verum Christi sanguinem spiritualiter in nos recipiamus.

13. Sextus locus est; *ex Ambros. de Sacrament. lib. 6. c. 1.* Ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi, sed caro non descendit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine.] Hęc verba simul citata sunt à Plessæo cum præcedentibus, quia connexa; ex quibus peculiare argumentum nullum colligit Plessæus; & certe ab Ambrosio eo afferuntur, vt ostendat nos in Eucharistia participes fieri diuinitatis Christi: dixerat enim; Ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris.] Et statim subdit; Ego sum, inquit, &c.] Cum igitur Christus dicat, se esse panem qui de cœlo descendit, & panis significet carnem, caro vero è terris tantum desumpta sit, planum est, ideo carnem etiam dici de cœlo descendisse, quia, inquit, idem Dominus noster Iesus Christus consors est, & diuinitatis, & corporis.] quasi dicat: quicunque corpus Christi sumit, etiam diuinitatis Christi fit particeps: ita vt totus effectus recepti panis corporaliter, & carnis spiritualiter, sit gratia & virtus diuina; nam & concludit Ambrosius: Et tu quia accipis panem, diuinæ eius substantiæ in illo participaris (*alias* participas *De consecrat. d. st. 2. cap. 84. in margine.*) alimento.] Panem vocat alimentum, profecto corporale: ergo verus panis substantialiter in Eucharistia, & in hoc alimento panis, seu simul cum hoc alimento, participamus diuinæ substantiæ, profecto spiritualiter. Nec dicit, nos in pane recipere carnem substantialiter: sed totum effectum, & rem huius sacramenti ponit in participatione diuinæ substantiæ. Sed loco, *panis*, ait Perronius *Ibid.* in prioribus exemplaribus Decreti, legi *carnis*, quoniam tamen mendum erat, quod adhuc habetur in quibusdam Ambrosij editionibus, ideo Gregoriana reuisio correxit, & expunxit, *carnis*, posuitq; *panis*. Neque tamen adhuc verbum, *carnis*, multum variat sensum; quia receptio illa est corporalis, caro significabit panem, quia significantia & significata, vt est in Cypriano, iisdem vocibus censentur: si vero illa receptio est spiritualis, ad præsentiam realem nihil conducet. Sed re vera & de pane loquitur Ambrosius, & de corporali receptione; nam in illo, *inquit*, alimento, id est pane, qui illud digne sumit, particeps fit diuinæ substantiæ. Et ita locus totus noster est.

14. Septimus locus est primus apud Plessæum: *ex Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 5.* Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.] Duplici vtitur effugio Perronius: Alterum est, Eucharistiam non posse esse sine figura, non enim esset mysterium & arcanum secretum, secreta & occulta veritas, si corpus Christi totum in hoc sacramento detectum, & apertum se proderet, absque velamine, & figura. Non est tamen, *inquit*, figura vacua, & essentia veritateque rei destituta. Dicimusq; Patres nunquam dedisse titulum figuræ, signi & anti-typi simpliciter, nisi vlterius processerint, addideri ntque aut in eodem, aut in alio loco expressionem veritatis, nisi tunc vereantur à Catechumenis vel infidelibus detegi.] Et tamen toties expresse inculcauit, & fusioribus disputationibus nisus est probare & persuadere, in Eucharistia verum corpus Christi & verum sanguinem sumi: Cur iam vereatur ad finem totius opusculi detegi & plane intelligi, etiam à Catechumenis & neophytis? Cur omnia quæ cum tanto labore hactenus explicauit, iam obumbrat recitatione precum liturgiæ, in quibus tota tunc Ecclesia Occidentalis fatebatur, oblationem Eucharisticam esse figuram corporis, & sanguinis Christi? Et si verebatur Catechumenos, debuisset à reuelatione secretorum canonis abstinere. Et siquidem in antecedentibus protulit veritatem, in Eucharistia nos verum Christi Corpus & sanguinem sumere, affertatque post illa id quod in consecrationis Canone continetur, ipsam nempe Eucharisticam oblationem esse figuram, hæc potius sunt priorum explicatiua, quam priora posteriorum. Fallitur quoq; in eo Perronius, imo nos nititur fallere, quod omnis figura rerum diuinarum continet in se aliquod secretum: non tamen omne secretũ est figura: & quidem figura, vt res est, ipsa in se est clara, patens, & manifesta: licet id quod figurat secretius sit, & occultius: figura itaque erit panis & vinum, & non veritas: sed veritatis typus & signum. Debuitq; Perronius ostendere, quænam sit illa res nota & manifesta, quæ figuraliter secreta illa & occulta innueret: nam id quod occultum est, & secretum, quodq; in Eucharistia adesse negari non potest, figura non est, sed figuratum. Non ergo sustulit difficultatem. At Bellarminus corpus Christi in Eucharistia latens, explicat esse figuram sui ipsius, vt in cruce pependit.] Figura tamen, vt dixi, ipsa per se est res patens, per quam vt nobis notam, ducimur ad mysteria ignota; & contra ipsum etiam superius in hoc disputaui.

15. Alterum Perronii effugium est, panem tunc, quando in canone dicitur esse figura corporis, nondum esse consecratum: & sic merito dici potest figura. Idem subterfugium quod in Basilii liturgia arripiebat: sed eadem etiam ei assignatur à me impugnatio. Ibi quæratur. Est tamen hoc loco aliquid peculiare, quod ei hoc effugium præstruit, nimirum, panem & vinum non esse adscriptum, rationabile & acceptabile, antequam consecratum sit. Ex consecratione enim accipit, vt sit ista quæ petuntur: & idem est, *petere vt fiat adscriptum, rationabile & acceptabile*, quod, *vt consecretur in Sacramentum*: & postquam petiuit hoc, addit Sacerdos in eodem Canone statim, *quod est figura, &c.* Igitur sensus est, consecra Domine hoc, vt sit figura, &c. non enim panis est figura corporis; nisi post consecrationem. Nescio vero an Perronius aduerrit quantas mutationes passum sit nostrum Missale, postquam introducta est transsubstantiatio: Ecce nobis insigne exemplum. Tempore Ambrosii, preces consecratoriæ sic orabant. Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem; quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui pridie quam pateretur, &c.] Nunc vero; quam oblationem quæsumus adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filii tui D. N. Iesu Christi, qui pridie, &c.] Figuram abstulerunt; petuntque vt panis fiat corpus: Bene est quod dicimus, *nobis*, & miror quod non abstulerint verbum hoc, *nobis*, plurimum enim derogat transsubstantiationi: eo enim petimus, vt in Sacramento nobis detur res Sacramenti: & non, vt in Sacramento absolute fiat corpus Christi, quod etiam in superioribus obseruaui.

16. Octauus locus est: *ex Ambros. de Sacram. lib. 5. c. 4.* Non iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.] Hæc profecto dicuntur de pane post consecrationem, imo post sumptionem Sacramenti: Panis ergo adhuc est is qui vadit in corpus, quod non facit panis vitæ, hic enim fulcit animam, &c.] Quid dicis Perroni? Hic

tibi acumine ingenij opus eſt: & ſi quid tu non po-teris, recurre ad Plinium, ille enim erit tibi Chriſtiano-rum Patrum optimus interpres. Dat tibi Pleſſæus li-berè: & legit tecum, *vadit*, non, *intrat*: ſed neque con-tentus eſt Perronius verbo, *vadit*, pungit eum nimirum, pillula eſt nimium amara, non poteſt eam deuorare; aliud verbum non tam amarum vellet ſubſtituere, ni-mirum, *abit*, pro vadit. Hoc tamen non damus, reti-neamus verba Ambroſij, æquum non eſt ea ad no-ſtrum arbitrium mutare. Sed ille ad hoc vult nos coge-re: quia Beza teſtatur verbum, *vadit*, ſumi pro verbo, *abit*, ſi hoc ei concedit Beza, nos profectò id concedere non tenemur: oſtendat nobis & Beza & ipſe, vel in Scriptura, vel in Patribus, præſertim in Ambroſio, hæc duo verba ſibi inuicem famulari, & alterum alteri ſub diuerſitate ſenſus commodare ſignificatio-nem, & tunc aſſentiemur. Atqui ſcripturæ nulla pars latinè ſcripta eſt, A Græcis nullam opem habebit pro verbis latinis, à latino ſcriptore vſurpatis. Putaſne ve-rò interim Bezam Perronio opitulari? Minimè ſanè; vafricies eſt Perronij, in hoc Bezam ſibi velle aſciſcere; quid ergo Beza? Editionem vulgatam latinam in duo-bus verbulis dimiſit, & alia ſynonyma pro illis in ſua verſione ſuppoſuit. Vulgata ait de beſtia, *Apoc.17.v.11.* & in interitum vadit: Beza vertit; & in exitium abit, eodem penitus ſenſu; idem enim prorſus eſt, & interi-tum vadere, hoc eſt ire; & in exitium abire. Chriſtus quoque vbi refertur latine, dixiſſe, Vado ad eum qui miſit me; commode etiam referri latine poterat dixiſ-ſe, Abeo ad eum qui miſit me. Neque hic vllum eſt myſterium in verbo *abeundi*, diuerſum à verbo *vaden-di*, & Bezæ idem penitus ſonat, *in exitium abit*, quod, *in interitum vadit*: voluit tantummodo nitidius loqui. Vbi quæſo Beza ait, *abire* eſſe diuerſum à verbo, *vado*? Vbinam comparat inter ſe hæc duo verba, vt ſenſu di-uerſa? Aut potius vbinam ille docet verbum, *vadit*, ſumendum eſſe pro verbo, *abit*, in quadam diuerſa ſi-gnificatione?

17. Iam vero ſubſtituto præter rem, & præter vl-lam occaſionem aut autoritatem, in locum verbi Am-broſiani, *vadit*, hoc alio verbo *abit*, ſuper hac nubecula imaginaria ingens ſtruit ædificium, oratoria ne, an ve-teratoria arte? Hic iam Plinio duce, Panem non ab-ire in corpus, interpretatur, Panem Chriſtum ingre-di quidem in corpus, ſed in ipſum noſtrum corpus materiale per concoctionem naturalem non reſolui. Neque puduit tantum virum tam inania promere. Nam ſi etiam concederemus ei, Ambroſium poſuiſſe verbum, *vadit*, pro verbo, *abit*, quod eſt falſiſſimum, & ab eo ſophiſtice excogitatum, adhuc tamen ver-bum, *abit*, idem prius ſignificaret in Ambroſio, quod verbum, *vadit*, & poſtea conſequenter donabo etiam ſenſum Plinianum. Profectò Ambroſius eo loci duos panes inter ſe oppoſitos commemorat & conſiderat, priorem panem ante conſecrationem, poſteriorem poſt conſecrationem: Dixi vobis, *inquit*, quod ante ver-ba Chriſti, quod offertur, panis dicatur; vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.] Et ſtatim ſibi obiicit: quare ergo in oratione Dominica, quæ poſtea (*poſt conſecrationem*) ſequitur, ait Sacerdos, *panem noſtrum*?] Reſpondet; Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον, dixit, hoc eſt ſuper-ſubſtantialem.] Et nunc ſubdit illa verba. Non iſte pa-nis eſt, qui vadit in corpus, id eſt, hic panis ἐπιούσιος non eſt ille panis qui vadit in corpus, ille enim prior, eſt panis ſimpliciter idem poſt conſecrationem, qui ante & vadit in corpus, panis vero hic ſuperſubſtantia-lis qui poſt conſecrationem adeſt Sacramento, non vadit in corpus, & conſequenter neque abit in corpus, ſenſu Pliniano, & Perroniano: id enim facit panis ille: qui non eſt ſuperſubſtantialis, nam ille & vadit in cor-pus, & abit in corpus. Tenebatur igitur Perronius duos panes inter ſe oppoſitos cum Ambroſio in Eu-chariſtia aſſignare, alterum qui vadit in corpus, alte-rum qui non vadit, & deinde poterat quærere, quinam abeat in corpus, qui non abeat.

18. Nec tamen ille quoque panis Euchariſticus qui vadit & abit in corpus, propterea eſt ſimplex & nudus panis; eſt enim ſignum & figura, & ſane figura efficax, vt ſæpius iam explicaui, & hoc ibidem fer-me ſtatim addit Ambroſius, dicens: Ergo tu audis, quod quotieſcunque offertur ſacrificium, mors Do-mini, reſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignifice-tur, & remiſſio peccatorum.] En rurſus figura & ſigni-ficatio: dum panis materialis Euchariſticus frangitur & comeditur, paſſio Domini & mors ſignificatur. Et quia ille qui pro nobis mortuus eſt reſurrexit, & in cœlum eleuatus eſt, ideo tota actio Sacramentalis cir-ca panem Sacramentalem, illud potiſſimum habet, non vt corpus Chriſti nobis corporaliter præſens red-dat & ſignificet, ſed vt memoriam refricet Chriſti paſ-ſionis, mortis & reſurrectionis, & glorificationis, ſi-mul quoque vt fructum nobis tribuat Chriſti; id eſt, remiſſionem peccatorum per eum qui nobis in Sacra-mento exhibetur.

19. Nonus locus eſt, *Ambroſius in 1. Corinth. cap. 11.* Quia enim morte Domini liberati ſumus, huius rei memores, in edendo & potando carnem & ſangui-nem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.] In-terpunctione ſe iuuat Perronius *pag. 710.* & vult pro-pter vnicum punctum Pleſſæum cauſa cadere. Sic e-nim legi, vult, in edendo & potando carnem & ſan-guinem, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus: id eſt, ait, *declaramus*. Et hanc interpunctionem ſecutus eſt Typographus in Latina editione Pleſſæi. Satis mi-hi nunc ſit obiicere ſummam violentiam, quæ dicto Ambroſii, alteriuſve autoris, alioquin valde facili & plano, adhibetur: & verbum *ſignificandi*, contra totius huius loci & dicti naturam, trahi ad ſenſum abſtruſum & alienum, & hoc pacto nobis in edendo carnem & ſanguinem Chriſti, declaramus carnem & ſanguinem Chriſti oblata pro nobis.

20. Decimus denique locus eſt; *Ibid.* Teſtamen-tum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficii di-uini ſanguis teſtis eſt; in cuius typum nos calicem my-ſticum ſanguinis, ad tuitionem corporis & animi no-ſtri percipimus.] in typum ſanguinis effuſi calicem myſticum percipimus. Reſpondet Perronius, ver-bum, *cuius*, ad beneficium referri, non ad ſanguinem, tali ſenſu; Sanguis eſt teſtis beneficii diuini, in cu-ius repræſentationem, nos percipimus myſticum ca-licem ſanguinis, id eſt, *inquit*, calicem qui occultam detinet ſanguinis ſubſtantiam. Hic etiam queror, vio-lenter & nimium coacte agi; quid enim in Patribus magis vſitatum, quam vt calix ſit typus ſanguinis? quam vero & coactum & illud, ſanguinem verum Chriſti bibimus occultum, in repræſentationem bene-ficii ſanguinis? quomodo repræſentatio occulta? quo-modo typus occultus? quomodo ſanguis ſeipſum re-præſentat? omnia inania.

21. Hactenus dicta directe; poſtea etiam ſecure conatur Pleſſæum transfigere, & duobus; alterum, quod negauerit accidentia vocari ſpecies ante excogitatam tranſſubſtantiationem: alterum, quod aſſe-ruerit, Thomam non concedere has propoſitiones: *Panis eſt corpus*; ſeu *ex pane fit corpus, &c.* Contra pri-mum obiicit, quod Spiritus ſanctus dicatur in ſpecie columbæ apparuiſſe, & ſpeciem latine apud Calepi-

num significare imaginem, effigiem, &c. Ego vero ei obiicio, ita quidem speciem in genere substantiæ significare sæpe imaginem & effigiem, vt tamen semper supponat subiectum aliquod substantiale, nunquam autem significasse nuda accidentia ab omni subiecto re ipsa separata. Certe Ambrosius *de iis qui myst. init. c. 9.* de pane ante consecrationem dixit. *Alia species nominatur*, ibi tamen adhuc erat substantia panis; & hinc optime colligebat Plessæus, speciem antiquis non significare nuda accidentia à substantia realiter separata, & ad hoc nihil Perronius; qui reprehendit dictum, tenetur respondere ad rationem dicti à qua dictum pendeat; sed his legibus Perronius, quippe Cardinalis Amplissimus, non arctatur. Columba vero illa, si non fuit vera, sed apparens; erat fabricata ex aëre, ad figuram externam columbæ compacto, & nuda accidentia, ab omni subiecto separata ibi non erant. Contra secundum obiicit, Thomam admittere illas propositiones. Ego vero satis de hoc dixi in appendice ad Cyrillum Hierosolymitanum, §. 5.

LXXXIII. BAsilius in sua liturgia panem, & vinum vocat anti-typa corporis & sanguinis Domini. Si sūt antitypa corporis & sanguinis post consecrationem, ergo non sunt corpus & sanguis: Ita vero vocari ea post consecrationem negare non possunt, qui verba consecratoria volunt esse illa, *Hoc est corpus meum*: hæc enim præcedūnt, & postea adhuc vocantur anti-typa. Sed ego iam probaui, *num.* 10. consecrationem in his liturgiis fieri precibus, & sane panis & vinum vocantur in hac Basilio ascripta liturgia anti-typa ante preces consecratorias: Cum tamen panis communis non sit typus, neque anti-typon corporis Christi, sensus profecto erit, panem illum & vinum, assumpta ad hoc vt consecratione fiant anti-typa corporis & sanguinis, in mensa ad benedictionem proponi. Itaque perinde est ac si post plenam consecrationem vocarentur anti-typa. Sudat sane Bellarminus *de Euchar. lib. 2. c. 15.* dum se ab hoc Basilij dicto liberare nititur, Fatetur post consecrationem ibi illa vocari anti-typa, & huius appellationis duplicem reddit causam: tum quia species panis & vini sunt signa corporis & sanguinis præsentis: tum quia corpus & sanguis vt sunt sub speciebus, sunt signa eiusdem corporis, & sanguinis, vt fuerunt in cruce. Nuda tamen accidentia panis esse anti-typa corporis, nouum, insolitum & inauditum, nec nisi post mille à Christo annos excogitatum: quam similitudinem aut proportionem habent nuda accidentia cum substantia corporis Christi? quomodo accidentia signa esse possunt, non propriæ sed alienæ substantiæ? Certe Basilius hæc anti-typa, vocat dona proposita, vocat oblationes. Sed suo loco de nudis accidentibus inferius plura. Corpus vero idem esse anti-typum sui ipsius, est penitus intolerabile: siquidem anti-typum, & res ei respondens, opponuntur. Idem vero vno modo non opponitur, sibi ipsi sub alio modo, ita vt figura, & figuratum opponuntur. Et si Christus velamine panis tectus est signum sui ipsius in cruce existentis, pari ratione Christus suis vestimentis tectus erit signum & figura sui ipsius nudi & expoliati: & idem in præsepio reclinatus, erit signū sui ipsius in monte Tabor transfigurati, &c. Quæ sunt meræ vanitates.

LXXXIV. Mihi itaque anti-typon videtur esse id quod correspondet suo typo & figuræ, vt supra *num.* 72. in Cyrillo obseruaui: Seu quod correspondet rei alicui, in cuius locum sub significatione ponitur; quia ergo Christus dixit, *Ego sum panis qui de cœlo descendi: Et Pater dat vobis panem de cœlo verum*, vt pluribus supra *num.* 30. explicaui, ideo panis dicitur merito à Basilio anti-typon corporis, id videlicet in quod suam carnem nostri gratia vertere volebat, vt nos loco ipsius carnis panem comederemus, & sic ipse ex suo corpore nobis panem conficeret. Atque ita panis correspondet corpori, estque id quod Christus voluit suo corpori respondere, & sui corporis typice vices supplere, vt qui non possumus neque debemus corpus eius materialiter comedere, ipsum cum pane sacro spiritualiter comederemus, & hoc est esse vere anti-typon, quod manifeste corporalem præsentiam ab Eucharistia excludit. Et ita Basilius in eadem est acie cum Patribus qui ipsum præcesserunt.

LXXXV. Duo tamen ex Basilio testimonia pro se adducit Bellarminus: In horum altero Basilius *de Baptism. lib. 1. cap. 2.* asserit, Tanto grauius peccare qui corpus Christi temere contingit, quam qui indigne immolata Deo comedebant in templo, quanto Christus maior est non solum tauris & arietibus, sed etiam ipso templo, *Matth. 12. vers. 6.*] At si panis Eucharistiæ non est verum corpus Christi, Basilij dictum esset parum aptum, vt contendit Bellarminus: nam inter panem sacramentalem, & illos arietes admodum exigua est differentia.] Respondeo vt supra *num.* 51. peccatum non consistere in solo contactu Eucharistiæ, sed in contactu manducationis sacramentalis, in qua includitur quantum est ex parte Christi, simul cum pane sensibili etiam corpus Christi verum, quod insensibiliter & spiritualiter in Eucharistia exhibendum digne accipienti adest. Qui ergo indigne sumit, iniuriam facit illa corporali sumptione panis sacramentalis Christi corpori vero, quod paratum erat vt simul cum pane sumeretur, nisi ille sua indignitate obstitisset, qua indignitate ille quasi repulit Christum, ne se spiritualiter pani Eucharistico adiungeret, & hoc est sacrilege sacramenta illa tractare. Cum vero nihil tale esset in comestione sacrificiorum, in quibus re ipsa Christus non exhibebatur, nisi sola remota significatione, ideo maxima est differentia; Et falsum est, Basilium dicere, corpus ipsum Christi sumi ab indignis: eos enim dicit temerarios esse in tale ac tantum mysterium, & temere eos Christi corpus contingere: temerarij vero sunt in tantum mysterium, quia sine necessaria dispositione ad illud accedunt, & non celebrant id vt par est: temere vero contingunt corpus Christi typicum, id est, panem cum iniuria veri corporis Christi, quod à pane, vt dixi, repellunt. Panis ergo noster Eucharisticus longe excedit sacrificia vetera, quatenus est signum corporis Christi, & efficax; illa vero iuxta communem nostrorum scholasticorum doctrinam, penitus inefficacia.

LXXXVI. In altero loco ait Basilius, *de Spiritu sancto, cap.* 27. Verba inuocationis, cum ostenditur panis Eucharistiæ, quis sanctorum in scripto nobis reliquit?] Videtur ergo Eucharistia fuisse ostendi solita populo in liturgia statim post consecrationem ad adorandum, vt nunc fit in nostris Missis: & sane cum inuocatione ipsius Eucharistiæ, ad quam videlicet populus conuersus diceret, vt autumat Bellarminus, *Kyrie eleison*, vel aliquid tale. Additque Basilius, non fuisse fas hæc intueri nondum initiatis.] Respondeo, ex his velle colligere præsentiam corporalem, esse vndequaque argumenta pro tali præsentia mendicare. Ex ipsa porro Basilij liturgia satis clare habetur horum Basilij verborum explicatio. Nam ante consecrationem ponitur inuocatio sancti Spiritus. En vero est oratio ipsa consecratoria; in qua etiam illud habetur, *Et qui proposuimus typum*, seu vt Græce, *antitypon corporis & sanguinis Christi tui, &c.*] quæ verba indicant, populo inspectante & approbante, & ad consecrationem

cum

cum ministro conspirante, panem in mensa eatenus mappis tectum, detegi; vt est apud Areopagitam *de Eccles. Hierar. vbi de Synaxi.* & hoc puto esse illud ostendi. Inuocatio vero illa non est Eucharistiæ, sed Spiritus sancti, vt in ipsa liturgia est manifestissimum. Non fuisse autem fas intueri ipsa mysteria, id est, totam actionem sacræ communionis, gentilibus & Catechumenis, iam est notissimum; & argumentum de inspectione panis iam facti corporis, est leuissimum, quia nihil plus, nihil minus oculis cernitur post consecrationem, atque cernitur ante consecrationem: & corpus Christi, etiam data transsubstantiatione, tam inuisibile est post consecrationem, quam ante.

Appendix Ad Basilium.

HAbet ex Basilio locũ Plessæus satis opportunũ contra Realistas: vbi ait Basilius; *Quid vtilitatis habent hæc verba? vt edentes ac bibentes perpetuo memores simus eius qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit. Reus fit corporis ac sanguinis Domini, otiose & inutiliter edens ac bibens in eo, quod non per memoriam eius, qui pro nobis est mortuus, custodit illud Apostoli, &c.*] Locum hunc tantummodo recitauit Plessæus, applicationem lectori reliquit. Quid Perronius? Inprimis verbis illis interrogatorijs, finxit vim ponere Plessæum. In ijs igitur explicandis aliquot consumit paginas. Sane frustra & otiose; non enim in illis vis argumenti consistit; sed vt integer sensus percipiatur recensita sunt: & responsio ipsa Basilii interrogationi statim annexa, satis explicat, de qua vtilitate loquatur: & clarissimum est, ibi nihil proponi, aut tractari de verbis consecrationis, sed de autoritatibus scripturæ, quas Basilius adduxerat. Vis igitur argumenti in eo stat, quod ait Basilius, in celebratione Eucharistiæ nos edere & bibere, vt memoriam refricemus eius qui pro nobis mortuus est: Cur non dixit id quod erat præcipuum, si præsentiam crederet realem, vt corpus ipsum reale substantialiter, illius qui pro nobis mortuus est, in nos recipiamus, sed maximam vtilitatem quam ex Eucharistia capiamus, memoriam esse dixit: Ergo in Eucharistia solum memoriale agnouit. Et hoc adhuc melius vrgetur ex sequentibus verbis, vbi ait, *otiose manducantem reum esse, quia non custodit præceptum Apostoli de charitate per memoriam eius, qui mortuus est:*] vbi omnino dicendum fuisset, per memoriam eius quem intra se corporaliter reciperet, si corporalem putasset fieri receptionem. Hæc noluit videre neque considerate Perronius. Et his merito annexuit Plessæus in posterioribus editionibus illa quoque Basilii verba in eodem cap. adhuc clariora, videlicet, *vt ei qui pro nobis est mortuus & surrexit Christo Iesu Domino nostro edamus & bibamus.*] Non ait, vt eum qui pro nobis mortuus est edamus & bibamus, sed ei, hoc est in gratiam ipsius & memoriam. Item. Oportet accedentem ad corpus, & sanguinem Domini, ad rememorationem eius qui pro nobis mortuus est, &c.] Vt est in fine eiusdem capitis perpetuo enim cauet, ne dicat nos edere Christum, sed explicat nostram maximam vtilitatem esse memoriam, &c.

2. Alter locus Basilii, est ex ipsius liturgia: cum ego quoque paucis perstrinxi num. 83. 84. Et quoniam vis argumenti ab hac autoritate tota consistit in eo, quod panis & vinum, etiam post consecrationem vocantur antitypa, Perronius *pag.* 1042. dat primam solutionem illam eandem; quæ erat prima etiam apud Bellarminum, *de Euch. l.* 2. *c.* 15. quod antitypon significet non semper figuram mere repræsentatiuam, sed etiam sæpe essentialem, quæ tantundem contineat rei, quantum res ipsa. Reprobat hanc solutionem Bellarminus, quod nunquam antitypon sumatur pro exemplari, sed pro imagine quæ è regione respondeat, exemplari. Perronius tamen non cedit: & pro se adducit magni Eutychii dictum, *Apud Nicet. in Alex. l.* 3. quod tale est: Quemadmodum idem sigillum transmittit suos omnes characteres suasque formas in res quæ id participant; & vnica eademque vox tota integra manet in eo qui illam profert, & tota ingreditur in aures audientium, &c. ita corpus, & sanguis Christi introducta per hierurgias mysticas in antitypa, nil minus imprimunt suas proprias facultates, imo totum in totis inuenitur.] Nomine vero *facultatis* interpretatur Perronius, essentiam, & conatur ex Athenæo, Galeno, Nysseno, Cyrillo, & Theophylacto, probare *facultatem*, sumi pro essentia.

3. Hic etiam ludit cum suo lectore Perronius, eumque excludit. Probandum ei erat, antitypa apud Basilium sumi pro ipsa essentia, ita vt antitypa corporis & sanguinis sint, & intelligantur ipsamet essentia corporis & sanguinis. Quomodo id probat? Quia Eutychius in eo sensu sumpsit antitypa. Num quia Eutychius longe posterior Basilio ita sumpsit antitypa, Basilius quoque ita ea sumere debuit? Et quis est sensus communis & ordinarius antitypi? Certe, vt significet figuram repræsentantem; fert enim secum etiam vi vocis oppositionem. Cur ergo in Basilio rarum & abusiuum sensum hæc vox habebit, vbi proprium & planum potest habere? Sed ne Eutychius quidem ille, ex quocunque abstruso angulo sit eductus, ait antitypa esse essentiam ipsam rei cuius sunt antitypa. Sed ait, in ipsa antitypa induci facultates corporis & sanguinis Domini; facultates autem non sunt essentia. Sed probat apud Galenum & Athenæum facultates sumi pro essentia. Ab Anna ad Caipham; à Caipha ad Herodē, ab Herode ad Pilatum nos ducit, vt sensum grammaticalem abstrusarum vocum discamus, à communicatum sensu & significatione longe diuersum. Scio si quis cicutam ostendat, eum posse de illa dicere, Hæc est facultas occidendi, sed non propterea significabit, herbam illam esse essentiam occisionis, sed significabit in breuiloquio illam herbam habere facultatem occidēdi. Sic Nyssenus alimentum vocat virtutem, seu facultatem, non quod facultas hoc loco, seu vis aut virtus, δύναμις, significet essentiam, sed quia alimentum in se continet vim restaurandi corpus. Sic si Cyrillus ait, facultatem vitæ in oblata influi à Deo, certe non potest significare essentiam aliquam substantialem: sed ad summum, concessa etiam reali corporis introductione in oblata, tunc illa facultatem habebunt vitalem, & proprie in genere facultatis, nec facultas erit ipsa essentia cuius est facultas. Hic demum Theophylactus, admittens quandam transmutationem panis in facultatem corporis, secundum vsum, & non abusum vocũ, significat panem accipere virtutes, & proprietates corporis Christi. Sic igitur quia facultas non significat essentiam, sed virtutem & proprietatem, iccirco neque antitypa possunt significare essentiam, licet corpus Christi dicatur imprimere eis suas facultates,

4. Sed donemus tantisper, facultatem significare essentiam, quomodo obsecro ex dicto Eutychii sequitur, antitypa significare essentiam, aut ipsa esse figuras essentiales? Dicat Eutychius corpus Christi in antitypa inducere suam essentiam, an propterea sequitur antitypa ipsa esse corporis Christi essentiam? Profecto antitypa erunt diuersa à re cuius sunt antitypa. Et inducere corpus in antitypa, erit aut consubstātiatio, & sic simul erunt & substantia panis, & corpus

Christi: & consequenter, antitypa in essentia erunt diuersa à corpore Christi: vel transsubstantiatio, & sic antitypa erunt species panis & vini, quorum essentia est diuersa à corpore Christi: & sic igitur etiam antitypa non significabunt suam propriam essentiam, sed alienam. Omnibus ergo modis, antitypa sunt à re cuius sunt antitypa essentialiter diuersa. Basilius itaq; ponens antitypa post consecrationem, ponit rem essentialiter diuersam à corpore Christi: & sane non nuda accidentia panis, vt probaui. Ergo panem substantialiter, & sic transsubstantiationem non agnouit. Caueat ergo Petronius, ne per hanc suam antityporum defensionem, ex Romanensi fiat Lutheranus, & consubstantiationem cogatur admittere. De exemplis Eutychij videbimus infra in postrema appendice.

5. Vidit hanc solutionem, de identitate essentiæ plurimum claudicare, ideirco ea omissa, aliam molitus est *pag.* 1044. repe cum Damasceno & Niceno secundo; antitypa à Basilio poni, & ita vocati ante consecrationem: & in hoc probando diu versatur; laborat autem multum, quia ipsi, neq; re totum, neq; integrum erat negare ea poni & vocari antitypa post verba consecrationis; miris tamen nouis subtilitatibus, & historicis & grammaticis, conatur ea trahere ad tempus oblationis seu propositionis, quæ fiebat in separato ac diuerso altari ab altari consecrationis. Violentissima tamen sunt, quæ ad hoc affert; quorsum enim dicat Liturgia, post peractam iam, vt nostri volunt, per verba Christi, *hoc est corpus meum*, consecrationem; qui proposuimus (scilicet ad initium Liturgiæ in altari propositionis) antitypa corporis & sanguinis, adoramus ac supplices rogamus.—veniat sanctus tuus Spiritus super nos, & super hæc quæ proposuimus dona, ac sanctificet ipsa.] Hoc est. vt vult Petronius; hæc dona, quæ tibi initio proposuimus, antequam ea consecraremus. Cur non rogat, vt ea dona, quæ erant iam ibi in altari consecrationis præsentia, & proposita, sanctificet, &c.? Vim facit in præterito *proposuimus*; quid mirum, certe tunc erant iam, secundum illos, consecrata, cur non etiã proposita? Hæc dixerim, non quod verum non putem, antitypa vocari ante consecrationem; hoc enim plane concedo, & video, quia statim orat minister vt Spiritus sanctus efficiat panem istum corpus gloriosum Domini nostri, &c. Sed quia subtilitates illæ non sunt necessariæ, ad probandũ, cum tanta violentia, quæ apertissime in ipsa liturgia, & aliis patet.

6. Sed non propterea locus vim non habet aduersus realistas, præsertim transsubstantiantes, quia antitypa vocata sunt ante consecrationem; illa enim est anticipata appellatio, & dicuntur panis & vinum antitypa corporis, quia ad hoc consecrabantur vt fierent antitypa: panis enim ante consecrationem panis communis est: at panis communis non est antitypon corporis Christi: vt dixi in superioribus, antitypon est tunc, quando panis & corpus Sacramentaliter sunt sibi inuicem correspondentia. Et sic argumentum ex hoc loco, prout à me agitatur num. 83. 84. manet firmum & inconcussum.

7. Nolo omittere quod de verbis consecratoriis hoc loco disseruit Petronius, mihi enim aduersantur, qui initio huius tractatus docui in his liturgiis consecrationem precibus fieri, post verba illa Euangelica recitata; *hoc est corpus meum, &c.* & hoc in hac ipsa liturgia Basilij est manifestissimum. Sed Petronius respondet cum Bessarione *pag.* 1051. preces illas, vt fiat corpus, &c. non esse distinctas à verbis consecratoriis, nisi ex necessitate temporis: quia nos non possumus vno instanti omnia verba precatoria proferre: & ita has preces cũ illis verbis coniungi & fieri vnicam precem. Itane, est illa vnica oratio? At post prononciata verba Christi, *hoc est corpus meum*, populus respondet, *Amen*. Et multa interseruntur, quæ ad consecrationem proxime nihil spectant. Deinde minister incipit nouam precem, pro initio solenni facto. Deinde non potest negare ipse, statim post verba consecrationis *hoc est corpus meum*, iam panem esse totum plene transsubstantiatum: quid ergo facit hæc vnitas, & continuatio precis? Cur petit minister, vt fiat corpus, si iam factum est corpus? Sed petit, *inquit*, pro eo tempore quo fiebat corpus; at ego quæro, operaturne hæc petitio quicquam, tunc quando fit? Respondebit, puto, nihil operari tunc, sed operatam esse tanquam futuram, ex præuisione nempe Dei. Quid si omitteretur? Verba consecratoria fecissentne corpus? procul dubio fecissent Perronio. Ergo ne tunc quidem operata sunt vt futura, quicquid is istas ferat? Satis ego de precibus consecratoriis egi in prima huius cap. quæstione.

8. Tertius locus ex Basilio, *ex libro de Spiritu sancto*, non obiiciebatur contra transsubstantiationem à Plessæo, sed explicabatur tanquam adductus à realistis pro transsubstantiatione: quod ego similiter feci *nu.* 86. & sane optime à Plessæo explicatur. Sed Perronius recordatus est, quod aliquando Plessæus ex Erasmi sententia, in dubium reuocauerit, an liber ille sit genuinus Basilij, inuehitur in ignorantiam Erasmi, & librum illum integræ restituere conatur fidei *pag.* 1055. *a tergo*. Mitto ego hasce criticas digressiones, & ad fugiendas lites librum admitto, neq; nimium, puto, repugnabit Plessæus; veniamus ad rem: Verba Basilij *de Spir. sanct.* *c.* 27. sunt, Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?] Perronius ea interpretatur ex Græco, sermonem esse de precibus canonis, quando consecratur panis, &c. Interpretationem & explicationem libenter admittimus, modo ne velit Eucharistiam inuocari, & populo ad adorandam ostendi: hoc enim nos etiam repellebamus; Sic igitur ipse quoq; aufert locum hunc realistis; sed quia obiiciebatur ei, panem vocari post consecrationem, ideoq; locũ potius transsubstantiationis oppugnare, Respondet *pag.* 1064. panem vocari ex quadruplici causa, primum propter formam externam panis, sicut Angeli illi Abrahæ vocantur homines, quia sub forma externa humana apparebant. 2. Quia facta est ex pane, & successit substantiæ panis, sicut virga Moysis, virga vocatur, etiam post conuersionem in serpentem, & aqua in Cana Galileæ. 3. Quia nomen panis in scriptura, significat omne genus alimenti: pulcis panis scipenus: *Isa.* 65. 25. qui dat escam omni carni, *Psal.* 135. 25. Hebræus habet, panem. 4. Demum, quia Christus est panis supersubstantialis, qui dat vim nutriendi corpus pani terrestri, & ipse est panis Angelorum, & panis qui de cœlo descendit.] Mera effugia: accidentia nuda panis absq; substãtia panis non sunt panis, neq; possunt vocari panis. In transmutatione elementorũ quæ sunt symbola, manent aliqua accidentia transmutati, in eo in quod illud transmutatur; verbi gratia, aquæ humiditas manet in aere, & terræ siccitas in igne, & frigus terræ in aqua, &c. nec propterea tunc aqua est terra, neque aer aqua, neque ignis terra, &c. Sic imago rei externa non est illa res, nisi æquiuoce, vt homo pictus non est homo, & si vocetur homo, vocabitur homo æquiuoce. Quod autem scriptura vocet homines, illos Angelos qui in humana forma externa apparebant, non est ad rem, quia illi nunquam fuerunt veri homines, & paulo post ipsamet scriptura declarat, eos fuisse Angelos, vt inde sciremus ideo vocatos fuisse homines, quia in effigie humana apparebant, alioquin nunquam

quam dixisset absolute, eos fuisse homines: ideo non licuit Basilio, nec licebit cuiquam seria scribenti, panem vocare, id quod panis verus substantialiter non est, nisi explicet panem verum non esse, nisi secundum apparentiam: & tanto minus id licebit, vbi panis ille apparens fuit paulo ante verus & realis panis, quod in illis Angelis non contigit.

9. Sed neque panis iure, & sine deceptione ac falsitate, potest vocari id quod ex pane factum est, paniq; successit. Vt si arca quæ erat pane plena, extracto pane toto, vacua maneat; ibiq; odor panis aliquandiu subsistat, quis stultus odorem illum vocabit panem? Quis dicet in arca esse panem? Aut, si loco panis arca impleatur panno, nunquid pannus merito vocabitur panis, quia successit in arca illa pani? Et vnde didicit Perronius accidentia illa ex pane esse facta? Quis hoc libenter asseret? Quomodo ex pane fiunt accidentia? multo minus quisquam affirmabit, nisi desipiat, accidentia illa pani succedere: nonne erant in pane ante transsubstantiationem? Quæ isthæc successio? Virga porro illa *Exod.* 7.12. non amiserat suum esse virgæ, nisi secundum apparentiam, & ex colubro rediit in virgam, & perseuerauit esse virga. Ideo vocatur virga etiam tūc quando videbatur esse coluber. In Cana vero Galilææ, aqua illa, postquam facta est vinum, non est amplius vocata aqua absolute: sed Architriclinus dicitur gustasse aquam vinum factam, quod profecto non est gustare aquam, sed vinum, ex aqua tamen factum. Si dixisset etiam Basilius, hic est panis factum corpus Christi, locus esset similis, frustra ergo adducitur. Quod autem in scriptura nomen panis significet omne alimentum, non propterea dat effugio locum. Profecto etiam manna dicitur panis de cœlo, *Psalm.* 77.24 quia supplebat pro pane. At hoc loco id quod erat verus panis, etiam post transsubstantiationem, si illa admittatur, vocatur panis, & tamen iam nullum est alimentū, neque ei successit vllum alimentum corporeum: si offerretur nobis aliquod alimentum corporeum sine vero pane non renuerem illud vocare panem, id est, escam, vel cibum; sed nunquam id vocarem panem, sumpto vocabulo panis in sua propria, & speciali significatione. Cum autem ante consecrationem esset, & vocaretur panis in speciali, sua & propria significatione, cur mox vocabitur panis in alia generica, pro cibo, seu esca?

10. Demum quod ait, Christum esse panem, hoc verum est: sed Basilius bene sciebat verum panem fuisse ante consecrationem, denuoq; illum eundem vocat panem post consecrationem, cur æquiuocat? nonne vt decipiat? eandem rem quæ certo erat panis proprie, mox vocabit panem mystice? Verba inuocationis, id est, precum quibus consecratur (Perronio interprete) panis, quid erant, quid petunt? Legantur liturgiæ, ea præsertim quæ dicitur Basilij; petunt profecto, vt Spiritus sanctus consecret panem illum: petunt ergo vt consecret Christum, siquidem panis ille Christus est, vt vult Perronius. At Christus vnctus & plenissime cōsecratus est, in ipso primo instanti suæ conceptionis, quando verbum caro factum est. Atq; ita locus Basilij non astruit, sed destruit transsubstantiationem. Est vero etiam merito considerabilis illa Plessæi in hoc loco *de sacrif. Missæ*, *l.* 4.*c.* 5. obseruatio, in posteriori editione addita, quam intactam reliquit Perronius. Viderat enim posteriores editiones, vt monui in Appendice ad Iustinum, multis annis antequā ille suas ederet responsiones. Obseruatio vero talis est. Adde, hanc ipsam inuocationem inter complures alias obseruationes recenseri à *Basilio*, quæ in Ecclesia, & olim ἀδιάφοροι, & pridem obsoletæ, quales, ter immergi hominem in baptismo, spectantes ad Orientem precari, & similes.]

11. Vltimus locus Basilij *de Baptis. lib.* 2.*c.* 3. apud Plessæum itidem non est productus ab eo ad hoc, vt illo suos aduersarios feriat, sed explicatus ne ipsum feriat. Locus est idē quem primum ex Basilio in aciē produxit Bellarminus *de Euch. l.* 2.*c.* 15. & à me consideratus est supra *nu.* 85. & explicatus. Duas fraudes prætendit Perronius easq; appingit Plessæo, sed fraus nulla est vbi variæ sunt lectiones, & probabiles afferuntur explicationes. Ego autem admitto Perronij lectionem. ideo videlicet multo grauius peccare eos qui temerarie, in animæ impuritate tractant, attingunt & sumunt sacramenta, indigne accedentes, quam qui indigne olim tractarent victimas animalium in Templo Dei; siquidem hic adsit is qui maior Templo est. Et fateor sermonem contra eos esse, qui corporaliter, cum peccato tamen, sumunt Eucharistiam, vel etiam tractant, nam de ministris hæc mysteria conficientibus in peccato, eodem argumento penitus vsus est Basilius in capite 2. præcedenti. Sed hæc Basilij dicta præsentiam corporalem nego supponere, qui præsentiam corporalem nunquam cogitauit; argumentum vero ipsius optime procedit ex sola præsentia corporis Christi spirituali, vt iam ego *num.* 85. declaraui.

LXXXVII. Gregorius Nyssenus Basilii frater *de vita Moys.* historiam mannæ sua allegoria explicat & illustrat, quatenus figura fuit corporis Christi. Sumit vero corpus Christi, nō in Eucharistia, sed in se, & extra Eucharistiam, & ait. Hoc corpus Christi per mannam significatum, panem esse, sicut manna panis dicitur Angelorum: panem vero non semine, non aratro, non opere humano paratum, sed esse panem qui de cœlo descendit, quique verus cibus est, nimirum alens animam, respectu cuius alimoniæ cibus corporalis potest dici non esse verus cibus. Et hunc cibum, nempe spiritualem animæ, ait per mannā illam ænigmatice figuratum, verum corpus tamē: quo enim pacto, *inquit*, res incorporea corpori cibus fiet? Res vero quæ incorporea non est corpus omnino est.] Ne quis putaret Christi corpus esse aliquid spirituale, & non proprie materiale, ac verum reale corpus, inde sumit Nyssenus argumentum, quod si Christus non haberet verum corpus, non faceret ipsum in pane sacro verum cibum corporeum. Cur enim panem corporeum loco sui corporis nobis suggerit, si ipse verum corpus non habet? panis enim qui corpus est, & cibus corporis, non potest repræsentare spiritum, qui neque corpus est, neque potest etiam in suo genere fieri cibus corporis. At vero Christi corpus & Christi caro, quia est in genere comestibilium, optime per cibum corporeum potest repræsentari. Neq; est possibile, meo iudicio, hæc aliter ad Eucharistiam trahere, aliumq; sensum præter hunc habere. Nam corpus Christi verum nulla ratione est cibus corporis. Additq; hoc corpus Christi quod manna ænigmatice significabat, ex intacta terra virginis productum, sine vllo opere agricolarum, quo, *inquit*, famescentes mysterium virginis perdocti, facile saturantur.] Ecce loquitur de fide incarnationis, de comestione mysterij per fidem.

LXXXVIII. Cum itaque corpus Christi, secundum Nyssenum, sit panis, & sane panis spiritualis secūdum se non materialis, qui panem materialem sui loco in nostrum cibum mystice substituit (quod obiter & incidenter Gregorius attigit) planum est, corpus ipsum verum & reale, ac materiale, non nisi spiritualiter esse panem. Si ergo est à nobis comedendus, siue extra Eucharistiam siue in Eucharistia, semper spiritualiter tantum comedetur. Neque audiendus est Bellarminus, *de Euch. l.* 2.*cap.* 16. dum ait, Eundem

panem,

panem, id est illum qui neque oratione, neque opere humano est præparatus, iuxta dictum Nysseni, à nobis corpore manducari. Hoc enim Nyssenus nunquam dixit, & est falsissimum. Dixit enim duntaxat, ideo corpus Christi esse corpus verum, & non quippiam incorporeum, quia res incorporea non potest fieri cibus corpori. Sed neque corpus Christi, licet verum corpus sit, vllo pacto fit cibus corpori: est enim corpus Christi cibus mentis, non cibus ventris, nisi in suo antitypo, qui est panis corporeus. Nyssenus ergo & ipse suis adhæret prædecessoribus.

LXXXIX. Alia quædam loca eiusdem Patris, vt putat & asserit Bellarminus, sed non ex ipsius Nysseni operibus eruta, aliunde verò emendicata, pro se producit idem; sed in ijs tanquam incertæ fidei non videtur operæ precium laborare. Cum præsertim ex ijs quæ hactenus sunt à me in præcedentium Patrum explicationibus tradita, facile sit soluere quæ pro reali præsentia in his locis à Bellarmino ponderantur. Illud igitur quod dicitur Nyssenus protulisse, nimirum corpus Christi immortale in corpus nostrum ingredi, intelligendum est, vel corporaliter in suo typo, vel in se ipso spiritualiter: sic reliqua facile de coniunctione veri Christi corporis nobiscum, spiritualiter possunt intelligi & explicari, & de pane qui typice est corpus Christi.

Appendix Ad Gregorium Nyssenum.

1. Primum locum ex Nysseno; *de vita Mosis*. considerat Plessæus defensiue, vt se ab eo tueatur. Ego quoq; illum exposui hic in immediate præcedentibus *num*. 87. 88. Quod igitur obijcit Perronius *pag.* 723. si ideo oportet Christi corpus esse verum corpus, vt sit cibus corpori nostro, annon sequitur, illud nos corpore nostro etiam accipere & manducare?] Solutum est à me modo in præcedentibus. Non enim argumentum Nysseni ita est formandum, vt à Perronio proponitur, sed hoc pacto: Si corpus Christi in vero corporeo cibo, id est pane, tanquam in suo typo edendum proponitur, necesse est ipsum Christi corpus esse in genere cibi, & comestibilis corporalis: Igitur est verum corpus, & vera caro: Simile argumentum vidimus in Irenæo, & Tertulliano contra Gnosticos.

2. Alter locus *de S. Baptism*. iam vt offendimus tractatur à Plessæo, & sic habet, Compositus est homo & non simplex, vt certo scimus, atque idcirco duplici coniunctoque cognata similiaque medicamenta ad curationem destinata atq; attributa sunt: corpori quidem quod apparet, aqua quæ sub sensum cadit, animæ vero quæ visum effugit, spiritus qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit. Spiritus enim vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quo vadat. Aqua quoque quæ baptismati adhibetur, corpori quod baptizatur benedictionem addit. Quare ne contemnamus diuinum lauacrum, neq; id tanquam commune propter vsum aquæ parui facias, & leui momento ducas; nam id quod operatur magnum est, & ab illo mirabiles existunt effectus. Nam & altare hoc sanctum cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur & pauimenta exornantur: sed Dei cultui consecratum atq; dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta altare immaculatum est, quod non amplius ab hominibus, sed à solis Sacerdotibus, iisq; venerantibus contrectatur. Panis item panis est initio communis, sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur & est, eodem modo vinum: quum sint res exigui pretij ante benedictionem; post sanctificationem, quæ à Spiritu procedit, vtrunq; eorum excellenter operatur. Eadem item vis etiam Sacerdotem augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Quum enim heri ac tempore superiori vnus è multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, Doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul, eaq; contingunt ei, quum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadam vi ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens. Atq; ita ad multas res animaduertens, contemnenda quidē videbis ea quæ apparent; magna vero quæ ab illis efficiuntur.] Ex his argumentum tale colligitur. Aquæ datur sua mutatio in baptismo, altari lapideo, in consecratione, sua: homini in sacro ordine, sua, &c. & tamen nulla harum rerum in his mutationibus transsubstantiatur, cur ergo panis mutatio in Eucharistia, quæ inter illas alias connumeratur, erit transsubstantiatio?

3. Respondet Perronius *pag.* 724. *à tergo*. Nyssenum velle lectoribus ostendere, non esse res æstimandas iuxta conditionem naturalem, quia à Deo solent eleuari res creatæ supra precium & dignitatem propriæ naturæ, eoque omnia afferre exempla talis eleuationis per gratiam, & sane in aliquibus mutationem fieri substantiæ, in alijs qualitatis, in aliis solius vsus, & ideo non sequi, si in vno exemplo sit mutatio ad qualitatem eandem esse in alijs quoque. Ego vero dico, ab illis exemplis optime negatiuam probari, videlicet, Non propterea posse dici aliquam rem esse transsubstantiatam, quia dicatur ab aliquo Patre esse immutata, & à statu & conditione naturali eleuata. Sic enim lapides altaris transsubstantiarentur, &c. Sed præterea illa exempla noui testamenti, quia nullum est cum immutatione substantiali, probabile formant argumentum, ne in Eucharistia quidem esse mutationem substantialem. In alijs exemplis veteris testamenti sola virga Aaron aliquid dubii habet de mutatione substantiali, quam tamen nihil fortasse cogit, quia potuerat ille serpens esse duntaxat apparens, sicut certe non nisi apparentes erant illi, quos Magi illi faciebant, Et deuoratio illa potuit esse tota apparens. Sed fuerit verus serpens, certe non fuit virga in eum transsubstantiata, nam substantia virgæ fuit post ea substantia serpentis: & vice versa.

4. Sed, vt totum Nysseni locum melius percipiamus, videamus verum ipsius scopum, & totum progressum. Scopus profecto ipsius est vim Sacramentalem supernaturalem explicare: & id sane suo proprio loco, & non, vt ait Perronius *pagina* 725. *à tergo*, per transennam, & aliud propositum illustrandum: Agit enim toto hoc libro de Baptismate, in quo thesis est vis Sacramentalis in communi; proponit enim initio hypothesim de effectu Baptismi: Baptisma, inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis & regenerationis causa.] Et mox; Hoc autem beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimius) sed Dei præceptum, & Spiritus, qui mystice ad nostram libertatem venit accessus.] Paulò post, adhuc in sua hypothesi de aqua Baptismi versans, addit ea quæ initio huius Appendicis legimus. Paulatim verò ab hypothesi ad thesim ascendit, vt ostenderet, aquam non sua natura, sed cœli benedictione animam mundare, & hominem regenerare; & ita vim benedictionis & consecrationis in varijs rebus creatis recenset, & tria affert exempla, ad hanc consecrationis vim ostendendam: vnum altaris lapidei; alterum

terum panis Eucharistiæ, tertium consecrationis hominum in sacros ministros. Inde vero thesim adhuc facit ampliorem, & ex veteri testamento colligit exempla in quibus creatura quoquo modo eleuata fuit à Deo ad patranda mirabilia: vt fuit Virga Aaron *Exod. 7. vers. 9.* Indumentum Helisæi, item ossa eiusdem; rubus Mosis; inde rursus ad suam de aqua baptismali hypothesim descendit.

5. Planum itaque est, Nyssenam thesim ad benedictiones sacras restrictam, eam esse vt ostendat, res creatas consecratione in nouo testamento vim acquirere, vt aliquo modo concurrant, siue instrumentaliter, siue alio ad effectus vim naturæ excedentes, tametsi effectus talium benedictionum, non omnes sint inter se æquales: lapidem enim altaris, benedictio immutat ad solum vsum sacrum. Aquam vero, vlnseius Sacramentalis, & benedictio per inuocationem Trinitatis, immutat ad facultatem & virtutem producendi diuinas in homine qualitates. Hominem, in ministerium consecratio immutat, & ad vsum, & ad aliquas facultates spirituales, prædicandi legitime, & Sacramenta conficiendi & administrandi. Panem demum consecratio immutat in ipsius receptione cuiusdam relationis typi & similitudinis, per quam typice & similitudinarie dicatur & fiat, seu sit corpus Christi; & ex qua relatione & similitudine habet præterea vim & facultatem secum corporis Christi digne sumenti spiritualiter exhibendi. Et sane Nyssenum, ad similitudinarium & typicum dici & esse seu fieri respexisse; non ad verum & substantiale esse, fieri, & dici, satis constat; quia de vino ait, Eodem modo ipsum quoq; quo panis sanctificatione immutari: & addit, vtriusque effectũ, id est panis & vini, in energia consistere: hoc est, vt est versio Basileensis, in excellenti operatione: Excellens vero operatio est, quod ineffabili quodam modo vtrumque exhibet secum, alterum corpus, alterum sanguinem διαφόρως Christi. Obscure dixit ista, fateor, quia negare non poterat, Panem in Eucharistia nobis esse corpus Christi, & vinum sanguinem: sed & certo sciebat, panem adhuc esse panem, & vinum, vinum. Ac propterea veritates has tenere voluit, modum vero quo ista vtraque vera sint, & quo corpus panis possit esse verum corpus Christi, & vinum sanguis, plane confessus est esse ineffabilem & inuestigabilem. Quæstionem enim fecit de operatione supernaturali aquæ Baptismatis, sed quæ profecto communis sit omni vero sacramento, in quo effectus sint magni & diuini. Cum enim ostendisset factum per varia exempla noui & veteris Testamenti; Simili consequentia rationum, *inquit*, etiam aqua, cum nihil aliud sit quam aqua, superna gratia benedicente ei, in eam quæ mente percipitur, hominem renouat generationem.] Et statim quæstionem sibi proponit: quod si quis mihi rursus dubitando & ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans & sciscitans, qua ratione aqua, eaque quæ per illam peragitur initiatio regeneret, dicam optimo iure ad eum; Ostende mihi modum natiuitatis, quæ fit secundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam— quod si mihi rursus subiicias, quomodo? Clamabo contra te vehementius,—vbiq; diuina vis & efficacitas incomprehensibilis est (*ecce thesim generalem*) nullaque vel ratione, vel arte explorari potest; creans quidem, atque producens facile quæcunque vult, subtilem vero cognitionem efficientiæ nos celans.—Omittentes igitur inquirere atque scrutari ea quæ vires superant humanas, illud potius quæramus, &c.]

6. Sic Patres sanctissimi & sapientissimi summa cum sobrietate & reuerẽtia, diuina tractauerunt; Rem & veritatem in scripturis apertam, & explicatam tenuerunt; modum quem Deus celauit, curiose non indagarunt. Ex quo audaculi Scholastici sacram & venerandam Theologiam ad Philosophiam & Dialecticam reduxerunt; & diuinam Scripturam in Academias inuexerunt, omnia in dubium & disceptationem reuocantes; Humilitas & charitas quæ ædificabat, euanuit, & scientia inflans, ac Ecclesiam & turbans, & deturpans & diuidens subintrauit. Antiqua sobrietas circa sacramenta ac præsertim circa sanctissimam Eucharistiam veritatem docuit; modum quo illa operentur non inquisiuit, & consequenter in Eucharistia corpus Christi verum & reale nos, si digne accedamus, sumere agnouit; à perquirendo modo quo corpus Christi sit in Eucharistia, penitus abstinuit: & sic in pace ex hoc capite diutissime Ecclesia perseuerauit. Aliqui enim Patres, vt nunc Nyssenus; & postea Epiphanius, vt paulo inferius ego obseruaui; & postea Cyrillus Alexãdrinus, illud *quomodo* omnino sunt detestati. Alij vero modum in genere duntaxat vel attigerunt, vel pertractarunt; & hi omnes in eo perpetuo conuenerunt, vt panis esset corpus Christi, & vinum sanguis, figuraliter & similitudinarie; ita tamen, vt simul cum pane & vino, modo ineffabili & inexplicabili, sed tamen spirituali, non corporali, nobis ipsissimum Christi corpus exhiberetur; particularem vero modum quo hæc spiritus Christi efficiat, sub velo fidei cum maxima humilitate sunt reueriti; & maluerunt eum ignorare, quam circa diuinæ sapientiæ actus nobis non reuelatos cum periculo balburire. Sic Dauid (inquit hoc eodem loco Nyssenus) cum aliquando animum & mentem adhibuisset ad magnificentiam creaturæ, animiq; perplexitate ob inscrutabilia miracula repletus esset, illud quod ab omnibus canitur notabile dictum pronũciauit; *Psal.* 103. 24. quam magnificata sunt opera tua, Domine: omnia in sapientia fecisti. Nam sapientiam quidem animo concepit, artem vero sapientiæ non inuenit.] Hæc Nyssenus. Vtinam omnes diuinarum rerum in Christi Ecclesia tractatores, ab hac diuinæ sapientiæ arte inquiréda circa hosce tam periculosos modos hodieq; abstinerent, profecto circa sanctissimum Eucharistiæ sacramentum tam horrenda schismata Ecclesiam Christi non lacerarent. Adsit nobis diuina gratia, vt à nostris antiquis Magistris non recedamus. Concludo aduersus Petronium; ab eo non apte reprehendi Plessæum, quod neget in Eucharistia esse corpus Christi, quod Nyssenus affirmabat esse. Nam Plessæus quoq; affirmat cum Nysseno, esse typice & similitudinarie, ac etiam realiter, sed spiritualiter, modo aliquo ineffabili & inscrutabili. Negat vero esse corporaliter, quod nunquam dixit Nyssenus, & à quo asserendo vehementissime abhorruit ipse Nyssenus.

7. Tertium ex Nysseno locum vrget contra nos pro reali præsentia Perronius, *pag.* 726. quem ego vt fide nutantem contempsi, licet à Bellarmino *de Euch. l.* 2. *c.* 16. obiiceretur; contempsit & Plessæus, quo pacto acer Molossus catellum se allatrantem, non timore, sed contemptu solet effugere. Orationem Catecheticam, seu librum scripsisse Gregorium Nyssæ Episcopum, non ignoramus; eum enim citat, & aliquã etiam ex eo describit Theodoretus. An vero liber qui hoc nomine circumfertur sit ille ipse genuinus quem scripsit Gregorius, plurimum dubitarũt, & dubitãt multi. Certe in editionibus etiã per Catholicos Romanos elaboratis omissus ille fuit, tanquam spurius, arbitror, aut saltem tanquam vehementer corruptus & deprauatus; ita enim à sua editione Basiliensi Anno Domini 1571. Sifanius illũ abiecit, quod nouẽnio ante fecerãt Basileenses. Autor vero præfationis in editione Parisiensi

siensi Anni 1573. monet, illud quod *in cap.* 37. *&* 38. de Eucharistia tractatur (sunt autem hæc ipsa omnia quæ à Perronio proferuntur) non ita frequens esse in Exemplaribus quæ vulgo feruntur. Ac sane si illa fuissent Nysseni genuina in ea oratione quam Theodoretus legebat, egregie inseruissent ipsi Theodoreto in eo tractatu de carne & diuinitate Christi *dial.* 2. *&* 3. *ex cap.* 10. 16. *&* 32. & tamen alia citat ex illa oratione minoris momenti. Ex his vero de corpore Christi in Eucharistia ne verbum quidem: imo si conferas lector ea quæ scribit Theodoretus de figurali & typica præsentia corporis Christi in Eucharistia à me interius adducta *num.* 153. *& seqq.* videbis penitus & ex diametro cõtraria esse his quę de Eucharistia modo proferuntur. Monet similiter eadē præfatio, huic Catechetico libro ab hæreticis ingesta esse dogmata Origenis, Nicephoro teste, & probat ex eo, quod in Catechetico *cap.* 35. circa finem hæc sententia Origenis reperitur longis post seculis, Deo puram conseruandam naturam. Cui errori contraria sunt quæ habet Nyssenus *in Orat. Natiuit. Dom.* vbi scribit, Iustos post resurrectionem ad cœlestem quietem accessuros; peccatores vero in gehennæ ignem detrudendos, &c.] Neq; sentiendum est, tantum virum pugnantia docuisse. Quid? quod in fine eiusdem libri mentio fiat Seueri Eutychiani, profecto Acephalorum ducis, qui sub Iustiniano fuit, vltra centum annos Nysseno posterior? Ex his ergo potissimum causis editio vtraque Basileensis merito hunc librum omisit, & amplificatio Perronii, qua omnes citat Bibliothecas Orientis & Occidentis, redditur inanis.

8. Obseruet etiam tractatum ipsum prudens lector, & plane perspiciet duo illa capita, 37. *&* 38. esse plane assutitia cum digressione penitus à præcedentibus & subsequentibus diuulsa, nihilq; cohærentre: sed *cap.* 39. cum *cap.* 36. continuato sensu optime conjungi; de fide nimirum & aqua baptismi: sigat etiam obrutum in ea quæ *cap.* 38. dicuntur, nempe illum qui ista de Eucharistia composuerat, in aliis suis operibus perfectiores rationes eiusdem materiæ exposuisse: Ostendant vero nobis vbinam exactius Nyssenus de transmutatione panis in corpus Christi, & de participatione corporis Christi per manducationem tractauerit? Totum plenum & proprium locum, in quo Nyssenus de Eucharistia per se, & primario disputauit, Petronius hunc solum esse affirmauit *pag.* 725. *à tergo.* Quod autem Euthymius hoc caput 37. Nysseno tribuat, non plurimi faciendum; scripsit enim Euthymius post Berengarianas disputationes vltra 50. annos, & ad realistas ille inclinauit, apocryphumque fortasse illius temporis scriptum pro legitimo libenter suscepit.

9. Porro scriptum hoc de Eucharistia *cap. illo* 37. contentum non potest Nysseno signe graui ipsius iniuria tribui; non modo quia Nyssenus inter arcana diuinæ sapientiæ, vt vidimus, nobis celata, & à nobis nequaquam indaganda posuit modum quo sacramenta diuina operentur: hoc vero scriptum ad hæc secreta rimanda totum impenditur; sed etiam multo magis, quia hoc ipsum argumentum hoc loco adeo confuse; adeo leuiter, adeoque ieiune & insipide tractatur, vt tanti Patris ingenium, grauitatem & soliditatem, ne ex longinquis quidem imitetur: & cum plura dicat, nihil tamen quod alterutri Parti prodesse possit in mediū affert. Percurramus aliqua, & sub aspectum duntaxat cum breuissimis notulis, ponamus vt qui potest capere capiat, & hæc dicta inter se componat, & ad vnam aliquam integram sententiam reducat.

1. Sicut parum fermenti totam massam sibi assimilat, 1. *Cor.* 5. 6. ita corpus à Deo morte affectum (alias immortale factum) cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & confert.] Nota hanc transmutationem nostri corporis in corpus Christi, nescio an per transsubstantiationem.

2. Corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumpsit, vniuersum quoque transmutat in suam naturam.] id est, puto, in proprietatem immortalitatis, transmutatio ergo ad qualitatem.

3. Fieri non potest vt aliquid sit intra corpus, nisi per esum & potum misceatur visceribus, — Neque fieri potest. vt nostrū corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali.] Corpus igitur Christi in se & substantialiter ingredi debet in viscera, & per venas per totum corpus nostrum diffundi. O stultam Philosophiam.

4. Corpus nostrum ex se vitam non habet, sed ab alimento extrinsecus adueniente: quod homini est panis & aqua cum vino, que cum in nobis fuerint, fiunt sanguis, & corpus, per vim nutritiuam.] Bene, sed quorsum? Mox patebit, soluenda enim est quæstio quæ sequitur.

5. Quomodo corpus Christi viuificat omnem hominum naturam in quibus est fides, omnibus distributum, & ipsum minime diminuitur?] Huius quæsiti probabilem se assignaturum rationem asserit.

6. Christi corpus dum mortale esset pane nutriebatur, & hic panis transibat in diuinam virtutem; nam corpus Dei verbi inhabitatione ad diuinam transmutatum est dignitatem.] Mirabiles & tam variæ transmutationes, & consequenter transsubstantiationes, si huic scriptori transmutatio est transsubstantiatio; iam enim corpus Christi in diuinitatem transmutatur, si diuina dignitas sit diuinitas; aut si aliud, diuinandum. Contra hanc transmutationem, tanquam contra hæresim, pugnat serio Theodoretus *in Dialogis.* Aut si intelligit vnionem hypostaticam, tunc Christus assumit panem ad vnionem secum hypostaticam.

7. Ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credo transmutari.] At necessarium esse dixeras, vt intra viscera esu & potu alimentum accipiatur, si in corpus debet transmutari. Nunc vero panem non comedit Christus, quomodo ergo in corpus Christi transmutatur? Et quo genere transmutationis, nam plures protulisti. Et hactenus loquebaris de transmutatione physica per vim nutritiuam.

8. Igitur vnde in illo corpore transmutatus panis transit in diuinam virtutem (*paulo ante dignitatem*) per idem nunc fit similiter.] Si per idem, ergo per nutritionem propriam physicam.

9. Non nego quidem, quod per cibum & potum in corpus verbi euadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est, à verbo; *hoc est corpus meum.*] Sit statim; nullo interposito tempore, quo eget calor naturalis ad conuertendum cibum in corpus aliti, diuina enim vis non alligatur tempori, sed tamen fiet substantia corporis Christi, & vertetur in eius alimentum, non tamen eo eget in cœlo. Aut transmutatio hæc non erit illa, qua panis comestus transit in corpus. Panis potest dici potentia corpus, qui fit corpus si manducetur, concoquatur, digeratur, &c. At extra viscera ante manducationem non est corpus nisi potentia: tu vero illum iam facis actu corpus post benedictionem.

10. Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, *in incarnatione*, vt communione diuinitatis simul etiam deificetur humanitas.] Modus hic loquendi sonat hæresim Manichæorum, qui humanitatem dicunt absorptā à diuinitate; *apud Theodoreth. Dial.* 2. fortasse intelligit hypostaticam vnionem. Stet ergo in ea. At pergit.

11. Ea

11. Eadecausa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus & contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane & vino, vt vnione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis.] Qua vnione igitur humanitas vnita est Verbo, eadem nostra corpora vniuntur Christo per Eucharistiam, & ita vnimur Christo hypostatice.

12. Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementata eorum quæ apparent natura.] Hoc est iam nouum genus transmutationis à superioribus diuersum; qua ex pane fiat corpus, absque esu & actione caloris naturalis, facultatisque nutritiuæ, vt ex aqua fit aer, eadem manente materia, sed mutata forma, quæ est proprie generatio & corruptio, per agens tamen miraculosum, & non naturale. Annon stultitiæ hæ omnes? Quis duodecim hæc dicta in vnum sensum compingat? Audaculum profecto aliquod ingeniolum voluit experiri an sub nomine tanti Patris posset sua leuissima commenta in materia tam graui mundo promere. Possem equidem ad verum antiquum Patrum sensum hæc omnia reducere, vt loquatur semper de pane, qui esset corpus typice figuraliter & virtualiter; sed hoc labore scriptum illud dignum non censeo.

XC. Optatus Mileuitanus nihil habet, nisi quo vel typicam, vel spiritualem duntaxat præsentiam in Eucharistia dicendus sit posuisse: certe realem non posuit, licet pro se eum producat Bellarminus *ib. c.* 17. Omnia enim Optati verba per solam typicam & figuratam præsentiam commode explicantur, vbi nomine corporis Christi ipsum panem intelligit, qui typice & efficaciter sit corpus Christi. Quærit Bellarminus, cur dicit Optatus inuocari Spiritum sanctum super altare? Quorsum, *inquit*, inuocatio, omnipotentis, si nihil mirabile & supernaturale fieri deberet?] Respondeo; Omnis effectus spiritualis respectu nostri est supernaturalis, ideo quoties effectum spiritualem cupimus, ad omnipotentem est confugiendum. An non mirabile & supernaturale est, vt ad comestionem sacrati panis nobis verum Christi corpus spiritualiter exhibeatur? quod licet possit nobis etiam extra Sacramentum exhiberi, & sæpe exhibeatur Sacramentaliter tamen non nisi in Eucharistia, ad modum alimoniæ spiritualis exhibetur.

XCI. Nazianzenus similiter nihil habet, quantũ hactenus viderim, quo alterutra pars possit inniti, quæ enim pro se profert Bellarminus *ibid. cap.* 18. ad rem non sunt: Duo vero loca protulit, Prior *ex orat.* 2. *de Pasch.* nihil habet de Eucharistia; nam de sola fide loquitur, qua nos firmare debemus, & Christum veram carnem habuisse, & vere esse passum pro nobis, ac mortuum. & sic fide manducandum id esse, iuxta doctrinam à Christo traditam. *Ioan.* 6. 54. Posterior locus *ex orat. de obitu Gorg.* habet, Gorgoniam ipsius sororem ad altare cum fide aliquando procubuisse, eumque qui super illud colitur, magno cum clamore obtestatam, &c.] At panis & vinum super altare non colitur. Quando super altare panis & vinum in vsum Sacramenti sanctificatur ad sacram communionem peragendam, profecto Deum coli non est ambigendum, hæc enim super altare fiunt ad Deum colendum, & sic illa Deum obtestabatur ante altare prostrata, in cuius cultum & venerationem mysteria super altare illud solerent peragi. Certe Christiani in quotidiana mensa, dum Deo gratias agunt illiusq; inuocant benedictionem, Deum super ipsorum mensa colunt.

APPENDIX AD NAZIANZENVM.

1. Dvo loca in priori editione ex Nazianzeno protulerat Plessæus, alterũq; vt ab eo sibi caueret, quem primum Bellarminus obiecerat, quem ego de Eucharistia non putaui esse accipiendum, modo *num.* 91. Quod si quis velit ad Euchatistiam spectare illa, *apud Nazian. orat.* 2. *in S. Pascha. comede, bibe*; Respondet Plessæus, in re non esse controuersiam, sed in modo; & hoc profecto verum est: nam vere carnem Christi edimus & sanguinem Christi bibimus, non tamen modo corporali sed spirituali, eoque ineffabili, sub figura & typo panis & vini. Quid si vrgeat Bellarminus, vt videtur vrgere, Nazianzenum baculum fidei poscere, vt credamus fide præsentiam realem, quam oculi non cernunt: reponemus ei, à Nazianzeno fidem requiri vt edatur corpus Christi, siquidem re ipsa edi non potest corporaliter. Confirmat tamen Plessæus, Nazianzenum ibidem de figurata comestione loqui, quia habet Pascha vetus fuisse figuram Paschatis nostri, & sane figuram figuræ. Hæc tamen probabiliter, & ferme obiter: quia, vt fatetur ipsemet Perronius *pag.* 1068. ea profert Plessæus potius vt se defendat, quam vt aduersarios aggrediatur. Et hoc verum est de toto loco, etiam quoad hæc de figura figuræ. Callide tamen Perronius, vt videatur ad omnia respondisse, cum duo loca proponat in priori editione Plessæus, primusque sit bipartitus, ad posteriorem partem primi loci pluribus confutandam se accinxit, & illam dicit esse alterum locum, quod non est verum. Calliditas vero in eo consistit, quod priorem partem examinatione dignam, propter difficultates quas continet voluit dissimulare, & ideo, vt ipse ait, omittere, quia Plessæus eam ad se defendendum considerabat, non ad offendendum. Sed hoc idem etiam de posteriori parte est verum, quam propterea debuit omittere; & vere alterum locum maximi momenti de antitypis debuit à se amoliri.

2. Quemadmodum igitur mihi probabile videtur, Eucharistiam nostram dici figuram cœlestis conuiuij in gloria, ita etiam probabile puto, Nazianzenum respexisse etiam ad panem & vinum, quod sint figuræ corporis Christi; vt hac ratione figura agni sit figura huius figuræ. In hoc tamen nolo insistere; abundet Perronius in sensu suo. Quid dicit de altero loco ex Nazianzeno *in suo Gorgonia* etiam in prima editione citato. Sicubi, *inquit*, quidpiam τῶν ἀντιτύπων, signorum preciosi corporis aut sanguinis manus cõdiderat, &c.] Hæc profecto dicuntur clarissime de pane Eucharistico post consecrationem, & adhuc est ἀντίτυπον; Hic subtilitates de altari propositionis, & altari sacrificij Perronio nihil prosunt. Qui igitur noluit admittere antitypa, nisi ante consecrationem, cogitur velit nolit ea nunc admittere post consecrationem, apud Gregorium per antonomasiam Theologum dictum. Sed hęc antitypa nimium & Bellarminum & Perronium anxios habuerunt: quid nimirum igitur si Perronius de his nihil? Et si locus ei non sufficit, accipiat alium quem ex eodem Nazianzeno *ex Apolog.* 1. Plessæus produxit in posteriori editione, neque dubito à Perronio visum. Quo tandem modo, *inquit*, externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypon, præsidenti animo ipsi offerrem &c.] In sacris profecto peragendis ad Eucharistiæ mysteria celebranda, Gregorius ipsam Eucharistiam vocat sacri-

ficium, & anti-typon magnorum mysteriorum. Si panis sacer & vinum, sunt anti typa corporis & sanguinis Christi, quæ sunt illa magna mysteria, profectò corpus & sanguis non sunt.

3. Hic sistit Petronius (qui tamen iam Cyrillum vtrunque, Nyssenum, Chrysostomum, Hilarium, & Ambrosium seorsim fusius discusserat ante omnes) & absque vllo fine finem imponit suo operi imperfecto. Satis negotij supererat ei, si reliquos Patres, sed potissimum Augustinum voluisset ad suum examen reuocare. Satius sibi esse censuit scriptionem intertumpere, quam se pluribus Labyrinthis implicare. Omnes cauillos, omnes subtilitates, omnia commenta quæ ei ex ingenij acumine non ex ipsa rerum veritate occurrere potuerant, iam exhauserat, & effuderat, quod amplius excogitaret non suppetebat; quam igitur ex necessitate ob defensionum inopiam præcidere coactus est scriptionem, eam se, quasi grauioribus præpeditum (& quod grauius potest esse digniusque Episcopo & Cardinali in quo occupetur negotium, quam fidei explicatio, & defensio?) præcidere compulsum esse nobis libenter persuasum esse vellet; & bis nonum pressa in annum tandem publicauit, nauem nobis preciosis mercibus sui ingenij oneratam è suo portu, sed puppi proraq; mutilam emisit, parum feliciter hic nauis truncus nauicabit.

XCII. Ephrem quoque *Apud Bellar. ibid c. 19.* illis nihil fauet. Hortatur duntaxat ne quis temere scrutetur mysteria diuina in Eucharistia, id est, quomodo nobis vniatur corpus Christi, quomodo suas exerceat operationes, quomodo corpus materiale operetur in anima immateriali, & similia ineffabilia, quæ etiam ipse initio asserebam non esse curiose peruestiganda, sed satis esse, si credamus in genere nobis Christi corpus spiritualiter, modis omnino ineffabilibus coniungi, & tota comestio de qua loquitur Ephrem est, quoad Christi corpus spiritualis. Et nescio certe quis sit iste Ephrem.

XCIII. Epiphanium corporalis præsentiæ assertorem facit Bellarminus, *ibid. c. 20.* quem vtinam & nostri maiores, qui curiosiores quam par est fuerunt, secuti fuissent, & nos ipsi, qui hodie de hoc sacro mysterio scribimus & disputamus sequeremur, profectò omnes cessarent digladiationes & pugnæ verborum. Epiphanius etenim longe aliud docere intendit, quam quod ei appingit Bellarminus. In eo enim eo loci *in Ancorato circa med.* totus est Epiphanius, vt doceat locum illum scripturæ, vbi homo dicitur ad imaginem Dei formatus, fide firma & simplici tenendum, quia verbum Dei est, sed à nobis non esse curiose indagandum quomodo id verum sit, hoc enim censet esse nobis inexplicabile. Ne autem curiosius perscruteris dona Dei, *inquit*, per gratiam homini data, non negamus omnes homines esse secundum imaginem Dei, quomodo vero, non sumus curiosi, &c.] Ac probat, neq; corpori conuenire imaginem Dei, neque animæ, neque menti, neque virtuti: quia in his omnibus sint plurimæ dissimilitudines cum Deo, & tamen credendum esse, quia scriptura id dicit. Est igitur, *inquit*, in homine id quod est secundum imaginem. Deus autem ipse nouit quomodo est, — Nos autem citra curiositatem, & absque malignitate credimus Deo, vera in omnibus dicenti. Quomodo vero subtilitas hæc intelligatur, soli Deo cognitum est.] Et nos quidem etiam incluso corpore, id est totum hominem, ad imaginem esse Dei, non est dubitandum: in anima vero seorsim, & in mente, & in virtute, & in baptismo, Dei imaginem ex aliqua particula elucere ostendit, cum tamen interim in plurimis plurimum à Deo discrepemus, quod ostendit ibidem Epiphanius: & concludit secundum gratiam nobis aliqua à Deo donari, in quibus Deo similes ex particula aliqua sumus. Habent igitur, *inquit*, omnes id quod est secundum imaginem, sed non secundum naturam: non enim secundum æqualitatem Dei habent homines id quod est secundum imaginem, &c. — quæ vero ipse decreuit ijs non caremus. Verus enim est, qui cum gratia id quod est secundum imaginem homini largitus est.

XCIV. Atque vt confirmet exemplis Epiphanius, nobis ex gratia aliqua donari diuina secundum imaginem, sed non secundum naturam, quæ videlicet non sint id re ipsa quod esse dicuntur, sed tantum secundũ imaginem, & quia ita esse scriptura dicit, fide tantum credenda, sed non curiose quoad modum inquirenda aut explicanda, cum solus Deus modum sciat quo vera sint quæ dicit, sumit exemplum Eucharistiæ. Et quot sunt, *inquit*, *ibid.* quæ similia sunt? Videmus enim quod accepit Saluator in manus suas, veluti Euangelium habet, quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset dixit, Hoc meum est. hoc & hoc. Et videmus quod non æquale est neque simile, non imagini in carne, non inuisibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute.] Hoc exemplo suum probat interum, nobis videlicet secundum gratiam donari id quod verissimum est, licet modum nesciamus, neq; nos applicare possimus similitudinem & imaginem secundum quam id quod datur appareat esse id in natura quod esse dicitur. Sicut igitur in Eucharistia ex verbo Christi habemus nobis dari panem qui sit corpus Christi, licet in pane nihil penitus habeamus in quo panis præ se ferat veram naturam corporis Christi aut externam aut internam, & tamen fide certa credimus verum esse quod ait Christus, licet modum quo id verum sit ignoremus, solique Deo sit notus: Ita quando dicit scriptura, nos esse factos ad imaginem Dei & similitudinem, licet à natura Dei plurimum dissideamus, & consequenter nihil pene videamus vnde nos diuinæ naturæ similes esse comprehendamus, id tamen credere debemus fide simplici, & compescere curiositatem. Hic est verus Epiphanij sensus, non ille quem explicat Bellarminus, *ibid. c. 20.* dicens Epiphanium docere multa esse eiusmodi quæ aliud sunt, aliud videntur esse; vt in Eucharistia quæ vere est corpus Christi, & tamen nihil minus esse videtur.] Nam non dicit Epiphanius, neque supponit, Eucharistiam esse vere, hoc est realiter & corporaliter corpus Christi, licet non appareat: sed in Eucharistia verissimum esse dari corpus verum Christi, quando panem illum sacrum digne comedimus: Sed quomodo sit corpus Christi, Deum solum scire, cum profecto nos corporis humani nihil cernamus in pane, neque natura corporis ibi appareat. Credendum itaque esse, nos cum pane verum corpus Christi manducare, sed quomodo id verum sit nos penitus ignorare, & apertissime supponit in Eucharistia verum panem.

XCV. Victor Antiochenus *in Marc. c. 14* symbolice duntaxat panē esse corpus in Eucharistia docet: . it enim, Cum autem ad Apostolos dicit: *hoc est corpus meũ.* Item: *hic est sanguis meus*, certe apud se statuant vult posteaquam benedictio & gratiarum actio ad panem, vel calicem propositum accesserit, per panis quidem symbolum, corporis Christi; per calicem vero, eiusdem

sangui,

sanguinis participes se fieri. Nam circa corpus & sanguinem, in communem mortalium omnium salutem, & peccatorum remissionem, passionis Christi sacramentum præcipue transactum est. Porro autem fides hisce de rebus animo concepta, vt illorum quæ expleta sunt confessionem deposcat: ita credentibus indulgentiam & peccatorũ veniam repēdit.] Panis itaq; nō est corpus sed symbolum, & nos symbolo panis, id est, pane ipso, tanquā anti-typo corporis, de corpore participamus: profectò spiritualiter, non corporaliter, quatenus fide in Christi passionem nostri redemptoriam ferimur. Ita Victor quarti seculi & ipse scriptor.

XCVI. Macarius senior Ægyptius, & ipse eiusdem quartæ ætatis scriptor, *homil. 27.* ea Pauli verba. 1. Cor. 2. 9. perpendens: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, ait. Illo tempore Magnates, iusti, Reges, & Prophetæ nouerant venturum esse Redemptorem: at passurum esse, crucifigendum, ac sanguinem in cruce fusurum nō norant, nec audierant, neq; in animum eorum ascenderat Baptisma futurum ignis, ac Spiritus sancti. Item offerendum esse in Ecclesia panem & vinum anti-typon exhibens carnis ipsius & sanguinis; sumentesque de pane visibili spiritualiter carnem Domini edere.] Quid clarius? Ecce iam quadringenti anni à Christo elapsi sunt, & de præsentia corporali Christi in pane sacro nullum indicium habemus, solam typicam & spiritualem expressam inuenimus. Traditionem igitur Apostolicam hic optimo iure possumus præsumere. Sed & subsequentes ætates percurramus.

XCVII. Gaudentius Brixiensis Episcopus, quinti sæculi aciem ordiatur. Is mysteria agni Paschalis explicans, inter multa hæc habet, *in Exo. tract. 2.* Ex quo enim venit, cuius vmbra fuerat ista ouis, *Agnus Paschalis*, verus ille Agnus Dei Dominus Iesus qui tollit peccata mundi, & dixit, *Ioan. 6. 53.* Nisi manducaueritis carnem meam, &c. frustra iam Iudæi carnaliter exercent: quod nisi nobiscum spiritualiter fecerint, habere in se vitam non potuerunt. Lex enim spiritualis est, vt ait Apostolus, *Rom. 7. 14.* & Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. *Cor. 5. 7.*] Dum ergo nos carnes Christi manducamus, spiritualiter eas manducamus. Mox eam addit differentiam inter Agnum figuram, & agnum figuratum: quod in lege non vnus agnus mactabatur, sed singuli in singulas familias: At vero Christus vnus & idem in omnibus Ecclesiis offertur. Ergo in hac veritate, *inquit, Gaud. ibid* qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est: & idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc agni caro, hic sanguis est; Panis enim qui de cœlo descendit; ait, *Ioan 6. vers. 51.* Panis quem ego dabo caro mea est pro sæculi vita.] Pane ergo ac vino in mysterio nos Christus reficit, & ita panis & vinum mysticè sunt Dei Agnus. Et sicut in celebranda Eucharistia non est vera agni immolatio, sed repræsentatiua rerum, vt inferius probabo, sic nec verus adest agnus corporaliter, sed repræsentatiue: & viuificat nos, non quia ore materiali illum edimus, sed quia corde in eum credimus. Hæc exprimit Gaudentius. Sed obiicit Bellarminus, *de Euchar, l. 2. c. 21.* Nisi Gaudentius ponat Christum in re corporaliter in Eucharistia, & non in nudo Symbolo, nulla erit differentia inter agnum Iudæorum & nostrum; nam illi omnes Agni vnicum Christum significabant. Respondeo, adhuc est magna differentia, illi enim erant vere multi re, & non vnus, licet omnes vnum Christum significarent, sed significatio illa erat imperfecta, si omnes simul sumantur; significabant enim vt singuli, non vt vniuersi: & quia in facto multi erant, ideo omnes simul figura non erant; sed singuli singillarim. At in veritate nostra tollitur hæc imperfectio illius figuræ, quia vnus & idem numero agnus offertur vbique, vt certum sit, nos ab vnico Christo omnes redemptos. Præterea agni illi Christum significabant duntaxat, non exhibebant: noster vero in veritate sed spiritualiter exhibetur. Hæc tamen mysteria Gaudentius dedita opera obscurat, & non clare explicat: quia, *inquit*, præsentibus Catechumenis explanari non possunt. Quid mirum igitur, si ea quoque Gaudentius verba protulerit. *vbi supra.* Ipse igitur naturam creator & Dominus, qui producit de terra panem; de pane rursus (quia & potest & promisit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum.] Neque tamen ea explanauit; quæ profectò ille non nisi in sensu spirituali intelligere potuit, quatenus de nudo pane facit Christus panem sacrum, qui suum corpus & mystice repræsentet, & efficaciter exhibeat, dum spiritualiter esum panis huius comitetur cum digne editur etiam ipsum reale corpus Christi. Sed hæc præsentibus catechumenis non erant explicanda.

XCVIII. Habet præterea Gaudentius illa verba: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; Pascha est Domini: ne terrenum putes quod cœleste effectum est per eum qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem.] Ideo scriptura historiam de agno Paschali concludit his verbis: Pascha est enim Domini; vt intelligamus carnalem illam illius agni comestionem esse figuratam, & transitum Domini continere, qui in illud Pascha, id est in illum agnum transiit & fecit illud Pascha, seu illum Agnum suum corpus & sanguinem. Sicut itaque hoc loco ipsum agnum Paschalem Iudæorum, propter figuram pronunciat Gaudentius esse cœleste aliquid, non terrenum, & carnem & sanguinem Domini, & Dominum in illum transijsse, non certe corporaliter, sed figuraliter duntaxat; sic supra de pane dixit fieri corpus, & de vino sanguinem, certe figuraliter & spirituali modo, etiam effectiue, vt toties explicaui, quod non erat in illo Agno, vt nostri sentiunt.

XCIX. Pergit paulo post Gaudentius; Neque crudam carnem, neque crudum sanguinem putes, commune illud ac terrenum esse existimans. Sed vt per ignem diuini spiritus id effectum, quod annunciatum est, credas, quia quod accipis corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Credamus, quæso cui credidimus. Nescit mendacium veritas. Ideo cum de corpore suo manducando, & sanguine suo bibendo turbis loqueretur stupentibus, ac mussitantibus durus est hic sermo, & quis potest eum audire? vt abstergeret per ignem cœlestem eas cogitationes, quas vitandas esse prædixi, sic adiecit: Spiritus est qui viuificat, nam caro nihil prodest. Verba quę ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt.] Hic nihil aliud habemus, nisi cum Sacramento nobis reale corpus Christi, sed spiritualiter exhiberi, fideque id credendum, videlicet cum pane sacro, profectò existente pane, dari corpus Christi, & sane corpus non carneum, sed ex ipsa Christi attestatione spirituale, & non per carnalem, sed per spiritualem manducationem.

C. Addit quoque; Non infringentes os ipsius illud solidissimum: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus:* si quid autem superfuit etiā nunc in vniuscuiusq; sen-

su, quod expositione ista non cepetit, ardore fidei concremetur.] Veritatem fide teneamus, in Eucharistia nobis dari corpus Christi verum. Sed quomodo id fiat, fieriue possit, nemo inquirat: & si dubium in mente exurgat id fieri non posse, igne Spiritus sancti & ardore fidei totum dubium extinguatur. Ac pergit tamen; Vnde dicebat Dominus, *Nisi manducaueritis, &c.* Voluit enim beneficia sua permanere, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari, per imaginem propriæ passionis.] Cur non dicit, per corporalem sumptionem sui corporis & sanguinis, sed per imaginem passionis? quia in Eucharistia est tantum imago corporis & sanguinis, & memoriæ passionis; Vt exemplar, *inquit*, ante oculos Christi passionis habeamus. Eucharistia igitur imago est & exemplar, non veritas corporis materialis, subdit etiam; quod autem Sacramenta corporis sui & sanguinis in specie panis & vini offerenda cõstituit, duplex ratio est, &c.] Non dicit corpus & sanguinem ipsum corporaliter sub specie panis & vini offerri: sed Sacramenta corporis & sanguinis, hoc est mysteria & typos ac significationes, non veritatem ipsam realem & corporalem. Sunt & illa Gaudentij verba, *ibid. tract. 5.* Huius *Agni* carnem tam fideles in mysterio, quam simul vniuersi credentes in fide ita debemus edere, &c.] Ita agnum vult edi à fidelibus Eucharistiam sumentibus, atque editur ab vniuersis credentibus etiam extra vsum Sacramenti Eucharistiæ, igitur fide & spiritualiter, non ore & corporaliter. Ac demum Gaudentius & illud habet. *serm. 19.* Nos labores passionis Christi, in figura corporis eius ac sanguinis, pro salubritate vitæ communis afferimus.] Eucharistiam figuram vocat corporis ac sanguinis verbis conceptissimis.

CI. Chrysostomus nequaquam discessit à Patribus qui ipsum antecesserunt. Improbat eos discipulos, qui verba Christi de ipsius carne comedenda carnaliter accepta, scandalizati sunt, & laudat Apostolos, quod ea spiritualiter acceperint. *in Ioan. hom. 46.* Verba vitæ æternæ habes, quæ illi, *inquit*, carnaliter & secundum humanam rationem, hi secundum spiritum, & fidem intellexerunt; idcirco dicebat; *Ioan. 6. vers. 63.* Verba quæ locutus sum vobis spiritus sunt.] Quis ergo putet Chrysostomum & aduersus verba Christi, & aduersus Apostolicam intelligentiam vnquam insurrecturum, & carnalem præsentiam asserturum? Neque mihi quis Chrysostomum interpretur de spirituali mãducatione, ad excludendam solam Caphernaitarũ crassam opinionem, qui putabant carnem Christi in frusta concidendam, & more aliarum carnium edendam. Nam & hunc errorem reiicit Chrysostomus, & omnem alium de quacunque reali & corporali carnis Christi manducatione, quæcunque illa sit: ait enim, carnaliter, & secundum humanam rationem non esse accipienda illa Christi verba; carnaliter, hoc est, secundum sensum materialem, qualis erat sensus Caphernaitarum; secundum rationem vero humanam, hoc est, per quamcunque rationis moderationem, dummodo ipsam carnem corporaliter, realiter, & carnaliter edi quis censeat, & ideo ait, Apostolos secundum spiritum & fidem ea cepisse; spiritus excludit corpus, fides excludit corporalem manducationem, quare & paulo antè ibidem dixerat, Carnale est dubitare quomodo de cœlo descendit, & Ioseph filium arbitrari; & quomodo possit nobis carnem suam dare ad mãducandum: Hæc, inquam, omnia carnalia, quæ mystice, & spiritualiter intelligenda sunt—verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt: Spiritus, hoc est spiritualia, nihil carnale, nullam naturalem consequentiam habentia—quid autem est carnaliter intelligere? simpliciter vt res dicuntur, neque aliud quidpiam excogitare. Non enim ita iudicanda sunt quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritualiter.] Hæc omnia Chrysostomus, quia alibi quoque hæc habet: *serm. de prodit. Iuda.* Nemo sit Iudas in mensa: Hoc sacrificium cibus spiritualis est, —Ita iste spiritualis cibus, &c.] Spiritualis profecto non solum ratione finis, quia non ad corpus, sed ad animam pascendam sumitur, sed etiam ratione modi, id enim quod sumitur cum pane materiali est corpus ipsum reale Christi, sed modo spirituali, vt clarius patebit in ipso Chrysostomo ex sequentibus.

CII. Explicans idem Chrysostomus illa Apostoli verba *1. Cor. 10. 17.* Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus sic loquitur, *in 1. Cor. hom. 24.* Quid enim, *inquit*, dico communicationem? Sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi, quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi, non corpora multa, sed vnum corpus.] Quis tam rudis hæc dicta intelligat de Christi corpore corporaliter; An nos communicantes simus ipsum Christi corpus corporaliter? An nos etiam sumentes Eucharistiam in corpus Christi transsubstantiamur? Et tamen eo modo quo panis est corpus Christi, nos quoque dicit fieri corpus Christi. Id vero statim explicat in sensu mystico, nos esse vnum corpus cum Christo, & inter nos, quia sumus membra eiusdem capitis, cui mystice per panem vnimur; vt sicut panis ex multis granis, &c. ita, &c. & infra hæc ibidem habet: Nam sicut temere & citra discrimen accedere est periculum, ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames, & mors.] Id ergo quod in cœna ad vitam & robur animæ participatur, mystice participatur, non ergo realiter & corporaliter. & alibi: *in serm. in dictum Pau. oportet hæreses esse.* Nam si etiam spiritualis, *inquit*, illa tremendaq; mensa ex æquo omnibus proponitur, - donec omnes communicent, & participes fiant spiritualis illius cibi, &c.] cibus ergo ille non est Chrysostomo corpus materiale Christi, sed corpus spirituale. Sunt etiam Chrysostomi verba illa: *in ep. ad Heb. hom. 7.* Nemo inconsiderate nec temere ad hunc fontem accedat spiritualem.]

CIII. Iam igitur sicut negandum non est, sæpius Chrysostomũ videri ipsum Christi corpus proprie realiter, materialiter, ac corporaliter in Eucharistia collocare, ita id semper intelligendus erit facere oratorie, non Theologice, populariter & iuxta populi capacitatẽ, non scholastice. Perinde enim est spiritualẽ præsentiam Christi corporis singulari quodã modo in sacramento existentem colere, & venerari fide, & interna deuotione, atq; si corporaliter adesset, ideoq; Chrysostomus literæ libẽter inseruit in popularibus declamationibus, eam prout sonat accipiens: *Hoc est corpus meũ: Caro mea est cibus, &c.* qui tamen etiam non defuit quin vbi necessarium videbat, submoneret, vt supra vidimus, verba illa Christi esse spiritualiter accipienda, & excogitandum aliquid, non vero simplici literæ inhærendum. Atq; in illis ipsis locis, in quibus vel maxime amplificat corporalẽ Christi præsentiã, eiusmodi vtitur modis loquẽdi, vt omnib. manifestũ sit, ipsum sub carnalibus & materialibus locutionibus nõ nisi spiritualia intelligere, & solã spirituale corporis Christi præsentiã contemplari. Audiamus Aliquid tale ex ipso: Os, inquit, *in 1. Cor. hom. 24.* eius non conteretur: sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat.] At quomodo possibile est iam verum corpus Christi frangi? & vt aliis locis loquitur, diuidi, tangi, dentibus teri, &c.

Esto

Esto quod ad contactum specierum, vt nostris placet, per quandam consequentiam possit dici etiam corpus Christi sub illis latens tangi, at vero ad diuisionem specierū diuidi corpus nullo modo est asserendū in sensu corporali. Cum ergo panis vere diuidatur, frangatur, tangatur, dentibus teratur, &c. figurata est Chrysostomi locutio, vt panis mystice & figuraliter sit ipsum corpus Christi: & sic corpus Christi non realiter, sed in suo typo, qui est panis, frangatur, diuidatur, &c.

CIV. Sed ipsa loca quæ ex Chrysostomo pro se exultans profert Bellarminus, *de Euch. l. 2. c. 22.* breuissime percurramus. Credamus *inquit in Matth. hom.* 83. vbiq; Deo, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit. &c.] Hic Chrysostomus Epiphanio conformatur, vt rem certa fide teneamus, & verba Christi vera esse non dubitemus: modum tamen nostro sensui ignotum, & vt apparet durum, non inuestigemus. Quod si quis velit vlterius etiam circa modum procedere, tunc ei suadebit vt supra *num.* 101. vt literam non sequatur nudam, sed spiritum, & excogitet aliquid quo literæ duritiles emolliatur. Rursum; *Idem ibid. hom.* 51. Qui maius, *inquit*, id est, animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus—carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit.] Hæc verissima sunt, sed spiritualiter. Item *Ibid.* Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.] Certe in sensu corporali hæc de vero Christi corpore sunt falsa, neque vllo modo tali sensu in Chrysostomo accipienda: Nam etiam posita transsubstantiatione, corpus Christi, prout est sub speciebus, neque videtur neque tangitur, neque comeditur, videri & tangi solis conuenit speciebus: at comedi, ne illis quidem, accidentia enim cum non possint esse cibus, neq; comedi sunt dicenda, at quod cibus non est non comeditur. Corpus vero Christi reale, vt est sub speciebus, nullo modo, neq; per se, neq; per accidens, neq; in propria, neque in aliena specie, aut est visibile, aut tangibile, aut comestibile, ita enim attenuatur à nobis corpus in transsubstantiatione, vt nullius penitus sensus obiectū esse queat, & sensus nostri circa species solas omnino & totaliter occupantur, ad vlteriora non procedunt. Deus profecto, & per potentiam, & per præsentiam etiam suam realem, & substantialem adest omnibus rebus creatis, & consequenter in omni cibo materiali: nunquid vero possumus dicere, nos in omni cibo Deum comedere? Nunquid anima potest dici oculis corporeis videri & tangi, dum corpus viuū cernitur & tangitur? Imo vero Chrysostomus addidit supra, corpus Christi etiam frangi & diuidi. Omnia ergo hæc intelligēda sunt typice & figuraliter in ipso pane, & ita figuraliter, vt etiam effectiue verum Christi corpus sumatur in Eucharistia sed spiritualiter, & sic multo plus habeamus in hoc sacramēto quam si ipsius vestimenta materialia haberemus, videremus, tractaremus, & verè carne sua nos alit realiter, sed spiritualiter, non tantū symbolice. Ideoq; nos magis habemus quam Magi habuerunt: [*Vt inquid idem Chrysost. in 1. ad Cor. hom.* 14.] quia nos idem corpus tractamus realiter, spiritualiter tamē quod illi tractarūt corporaliter; & nos cum effectibus & donis spiritualibus, secus illi.

CV. Item habet: *in Matt. hom.* 51. qui fimbriam tetigerunt conualuerunt; quanto magis corroborabimus si totum in nobis habebimus?] Item; *in ep. ad Ephes. hom.* 3. Recolito quia illius corpus & sanguis est, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur.] Item, *hom.* 3. *de incompr. nat. Dei.* Communis omnium Magister & Dominus in sactis mysteriis se ostensurus est.] Priora duo loca de sola præsentiā spirituali, & cum realibus effectibus in anima, sed spiritualibus, intelliguntur. Tertius locus significat Christum se virtute & donis spiritualibus in Eucharistia ostendere, nam corporalis ostensio nulla est, nisi in typo & figura sed efficaci. Item, *hom.* 60. *ad pop. &* 83. *in Matt.* Nos secum in vnam massam reducit, neq; id fide solum, sed re ipsa nos suū corpus efficit.] Eo videlicet modo quo explicuit supra *nu* 102. corpus nimirum mysticum. Nō dicit autem, nos in pane non solum fide, sed reipsa corporaliter suum corpus sumere, & ita hic locus nihil ad rem. Item, *de sacerd. l.* 3. Qui cum Patre sursum sedet—omnium manibus pertractatur.] In suo typo pane; aliter falsum est Christi corpus in Eucharistia vt supra monui attrectari. Item, *ad pop. Antioch. hom.* 2. Ascendens suam carnem dimisit,—& ipsam habens ascendit.] Dimisit in typo & virtute ac efficacia spirituali. Itē, *Idem in 1. Cor. hom.* 24. Ascende ad cœli portas—&c. in cœlis Regium corpus quod nunc in terra videndum tibi proponitur: neque enim Angelos neq; Archangelos, neque cœlos sed ipsum horum omnium Dominū tibi ostendo.] Hæc & similia sunt, quæ amplificatiōnem oratoriam & popularem vt dixi, continent, & nihilominus tamen in vero corporali sensu sunt prorsus inexplicabilia: nam neque corpus Christi videtur, neque Dominus ostenditur, nisi in pane figura ac typo corporis, typo tamen efficaci, cum reali exhibitione veri corporis Christi, modo tamen spirituali. Idem dico de reliquis omnibus locis quæ plura à Bellarmino congeruntur, quæ profecto si de corporali præsentia sunt accipienda, cum passim panem verum in Eucharistia ponat, aut supponat Chrysostomus, Lutherana potius ex ipso colligetur consubstantiatio, quam Romana transsubstantiatio. Sed sicut rudissimus, & nimium materialis esset Chrysostomus si cū pane simul poneret ipsum corpus corporaliter, cum præsertim dicat, ipsum videri tangi, frangi, diuidi, &c. sic ruditate non caret, velle quacunque ratione, certe impossibili, corporaliter Christum in Eucharistia collocare, siue manente, siue transmutato substantialiter pane. De Chrysostomo satis. Opus imperfectum in Matthæum, *hom.* 11. & 17. & 19. non vrgeo: possem tamen: facile enim est illud ab obiectionibus vindicare.

Appendix Ad Chrysostomvm.

1. Hyperbolas apud Chrysostomum occurrere fassus est Plessæus. Egò quoque in superioribus obseruaui: Generalis ad hasce hyperbolas responsio Plessæi erat, in posterioribus saltē editionibus clarior, *de Missa l.* 4. *c.* 5: Patres propter vnionem quę inter signū & rem signatam intercedit, inter sacramentum & rem sacramenti, talibus solere vti dictis hyperbolicis, & regulam nostrorum scriptorum Pontificiorum pulcherrimam adduxit, interpretationi potissimum Chrysostomi inseruientem. Eam vero Sixtus Senensis *Biblioth. l.* 6. *annot* 152. tradit huiusmodi. Sæpe monuimus non esse concionatorū verba semper eo rigore accipienda quo primū ad aures auditorū perueniūt. Multa enim declamatores per hyperbolas crebro enuñciant, & inculcant, vel occasiōne locorū, personarū, temporū adducti, vel affectionum impetu, vel orationis cursu rapti. Hoc interdum Chrysostomo cōtingit.] Hæc ille.

2. Ad responsionem hanc generalem, pro solutione multarum hyperbolarū Chrysostomi, melius corroborandam, præter ea quę in precedentibus meis circa Chrysostomum considerationibus *nu.* 101. *& seqq.* posui, moneo, veteres Patres vehementer cauisse, ne

sacramentum Eucharistiæ panem vocarent, præsertim coram nondũ bene instructis fidelibus: erat enim periculum, ne illi crederent se purum, & nudum panem in Eucharistia sumere: & ad corpus Christi, quod spiritualiter in ea miro, & ineffabili modo exhibetur, fidẽ non eleuarent. Corpus Christi vocabant, panẽ passim vocare non audebant: Patet id ex Theodoreto *dial.* 2. cuius orthodoxus interrogatus ab Eranilte: quid appellas donũ quod affertur ante inuocationẽ sacerdotis? Respondet: Non oportet aperte dicere; est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos: Ille vero: Respondeatur, *inquit*, ænigmatice vtiurq; periphrasi panis, & panẽ absolute non audet nominare; id quod fit, ait, ex huiusmodi seminibus, *tritici videlicet*, nutrimentum; sic de vino. Et Augustinus in concione quadã ad populũ, vbi certe etiam catechumeni intererant, noluit panem nominare, sed periphrasi quasi vtitur, dicens, *in Ps.33.concione* 2. Quia cum cõmendaret ipsum corpus suum, accepit in manus suas quod norũt fideles, & ipse se portabat quodammodo cum diceret, *hoc est corpus meum*. Mirum ergo non est si Patres in suis scriptis ad Catechumenos & neophytos; sic etiam in Concionibus popularibus ipsum panẽ Sacramentalẽ, siue iam consecratum, siue etiam mox consecrandum, & ad vsum Eucharistiæ præparatũ, vocant libere & aperte Corpus Christi, & hoc corpus Christi dicunt in nos intrare, & nos ipsum comedere, & nostra corpora eo nutriri; imo plus, ob eandẽ causam negant sæpe esse panem; intelligentes tamen non esse panem nudũ, panemq; solum communem, sed Sacramentalẽ, hoc est figurariuum, & simul inductiuum corporis Christi. regulamq; illam iam plures eorum repetiuerunt, significata & significantia iisdem vocibus censeri. Iam igitur videamus, quid Perronius vrgeat in Chrysostomo, quod non facile ex hac generali regula dissoluatur.

3. Carpit ille quædam ante omnia, vt Plessæum reprehendat, sed certe otiose & inutiliter, quia antequã has suas reprehensiones ederet, viderat posteriores Plessæi editiones, in quibus nulla hæc carpendi occasio aderat, nullus hisce reprehensionibus locus, imo vix ne in priore quidem editione. Voluit tamen suorum trophæorum memoriam perpetuam conseruare, quibus acceptum ferret suum rubrum galerum, cuius adipiscendi magis flagrabat desiderio, quãdo ista, quæ nunc euulgauit, meditabatur, quã veritatis propugnãdæ. Decerpsit itaq; ex infimo angulo locum quendam post plura alia longe grauiora ex Chrysostomo à Plessæo prolata, atq; vt habeat quod facile impugnet, fingit hunc locum adduci à Plessæo, tanquã inde erutum, ad alia loca eiusdem sibi contraria explicanda, vbi ex professo rem tractet Chrysostomus; quod tamen verũ non est; Hyperbolicas enim Chrysostomi de Eucharistia locutiones ad generalẽ illam reuocarat, & ex ipsomet Chrysostomo confirmarat, illũ non absolute, sed hyperbolice loqui, & vti illis particulis, *tanquam, quasi, quodammodo*, &c. Postea Plessæus aliquot loca ex Chrysostomo colligit, in quibus Eucharistia perpetuo vocatur memoria, recordatio, exemplar, symbolum, similitudo; inter hæc est locus ille, quem primo exagitat Perronius; de mensa præparata à Domino, tũ *Prouerb.* 9. tum *Ps.*22. in quo quippe habetur; *Vt quotidie in similitudinem corporis & sanguinis, &c.*] Hic Perronius loci venatur expositiones *pag.*730. *à tergo*, quæ nihil faciunt contra Plessæum, & illud de similitudine intactum relinquit; mox triplicem fraudem in Plessæo comminiscitur. Prima & secunda, quod Plessæus in materia de Eucharistia recuset loca Chrysostomi, nisi sint in tractatibus de Eucharistia propriis; & tamen hunc primũ locum quem obiicit, tribuat tractatui proprio de Eucharistia hoc est *homilia* 83. *in Matth.* In hac prima obiectione duo peccat Perronius: alterum quod supponit eum locum afferri à Plessæo vt maxime propriũ, quod falsum est: locus enim maxime proprius vnde Plessæus mẽtem Chrysostomi indagat est *homilia* 46. *in Ioannem*; postea vero alia loca in subsidium sunt allata. Alterum vero quod errorẽ typographi in margine tribuit Plessæo; qui error in posterioribus editionibus non adest; citatur enim verus locus *in Ps.*22. & non 83. *in Matt.* nec pudet eum ista minutula cõsectari. Tertia fraus, quam obiicit Perronius Plessæo est, quod locum illum tanquam Chrysostomi protulerit, qui tamẽ Chrysostomi non sit; viderint id Critici: Certe locus est etiam apud Plessæum non maximi momenti, vnus inter multos.

4. Secundus locus quem decerpit Perronius *pag.*731. *à tergo*, est, [*Chrys. in Matt. hom.* 83.] Quemadmodum Moses, hoc æternum erit vobis memoriale, dicebat, sic & ipse, in meam, ait, cõmemorationem, donec veniã.] Hæc pauca cursim etiã inter alia loca posuit Plessæus, propter verba illa, *memoriale, & memoria*; memoriale in agni sanguine, non realitas: memoriale proinde non realitas in calice Eucharistiæ, ait Plessæus. Ad hæc de memoriali nihil nunc Perronius, sed adiungit alia verba ex eodem loco à Plessæo postea omissa, eaq; contra nos retorquet, vt ostendat, ibi Chrysostomum realem præsentiam asserere, dum ait, Hac de causa desiderio desideraui, *inquit*, hoc Pascha vobiscum comedere hoc est, tradere vobis res nouas, & Pascha dare, quo vos spirituales faciam; Ipse quoque bibit ex eo, ne audiris verbis illis dicerent: quid igitur sanguinẽ bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quãdo prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandala passi sunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, prius ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Propterea suum ipsius sanguinem ipse bibit.] Apostoli igitur, infert Perronius, iuxta Chrysostomum, illa verba Christi, *Hic est sanguis meus*, non intellexerant significatiue, & sic tremefacit Sacramentarios.]

5. Non est profecto quod insultet Plessæo, quasi his Chrysostomi dictis vsus sit pro se, quę contra ipsum faciant. His enim Plessæus non est vsus, nisi in ea particula, in qua memoria & memoriale ponderatur. Sed neq; est cur adeo iactabundus exultet. Admodum sane rudis est, si adeo rudes putet fuisse Apostolos, vt ex pane & vino terrorẽ conciperent, perinde ac si esset caro humanaq; sanguis. At certe tametsi vera caro visibiliter, verusq; sanguis fuisset, non propterea terrorem illi abiecissent, etiamsi Christum carnem edere, & sanguinem bibere vidissent. Et quomodo poterant horrere in esu carnis & sanguinis, si audiebant esse carnem & sanguinem Christi; quem tamen viuum & integrũ, non laniatum, non sauciatum ante oculos cernebant? quis non videt hic, oratoriam cum hyperbole amplificationem in verbis, quæ tamen in sensu non contineat falsitatẽ; erat enim vinum illud sanguis typice & virtualiter, non vere & formaliter, & illa de horrore ad ornamentum spectant oratorium: pro concione, non pro Cathedra; tremefaciat ergo puerulos, non viros.

6. Formato hoc suo argumento Perronius, resumit ex hoc loco id quod contra realem præsentiam faciebat, idq; conatur soluere; videlicet Eucharistiam esse memoriale, quia fit in commemorationẽ Christi, donec veniat. Respondet, commemorationem non esse incompatibilẽ nisi cum re sensibiliter præsente: at vero memoriam esse etiam rerum præsentium, sed quæ sub sensum non cadant; vt quando dicimus Dei memoriã facere, qui tamen vbique essentialiter præsens est; & illud, *donec veniat*, intelligit, *donec veniat sensibiliter*.] Præsentia

sentia tamen quæcunque realis, vbi res ipsa secundum suum esse adest, non stat cum memoria, seu memoriali ipsius, siue adsit sensibiliter, siue etiam insensibiliter, dummodo sub certam notitiam illa præsentia cadat; sic enim merito dicitur sensibile præsens, quia licet sensui externo non pateat, patet tamen interno. Et Chrysostomus ait ibidem, hanc memoriam esse passionis, non ergo erat Eucharistia memoriale rei præsentis insensibiliter. Non est autem, cur immensitatem Dei huc afferat, quam tamen Iacob non plene percipiebat, quando dicebat; *Gen.28.v.16.* Vere Deus est in loco isto, & ego nesciebam; & nostra memoria Dei, non est vnquam vt præsentis; quæ enim sunt præsentia, dummodo apprehendantur vt præsentia, sunt obiectum intuitionis, non memoriæ quæ est rerum absentium. Memoriam ergo Dei exercemus quando ipsius beneficia, siue iam præterita, siue futura & promissa recolimus. Christus igitur, cum nobis memoriale dederit, quo ipsum commemoremus, absens est perpetuo, quousq; venerit; & quia scriptura dicit absolute, *quousq; veneris*, hoc est vere, realiter, & corporaliter, non licet cuiquam addere limitationes, vt est hæc Peronij de sensibilitate, quia sic facile est corrumpere totam scripturam, vt alias monui. Vt si quis negare vellet Christum in cœlos ascendisse, & ibi esse corporaliter, idq; probaret ex illis Christi verbis; Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi; & adderet, hæc verba intelligi sensibiliter, seu corporaliter. Glossulæ istæ sunt nimium audaces & periculosæ; præterquam quod sunt etiam violentæ & coactæ.

7. Tertius locus est; *Chrysost. in Matth. hom.* 83. Quoniam ergo ille dixit, *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id percipiamus; nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus; omnia vero quæ tradidit insensibilia sunt. Sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile quiddam est, &c.] Similem locum citauit etiam Plessæus ex eodem Chrysostomo, *in Matth. homil.* 51. vbi ait, Nam quemadmodum in baptismo non à Sacerdote baptizaris, sed à Deo caput tuum virtute inuisibili tenetur—ita etiam nunc.] Par est ratio vtriusque, baptismatis, & Eucharistiæ, vt cum visibilibus dentur inuisibilia, & cum sensibilibus spiritualia. Respondet Perronius vt alias; baptismum esse Sacramentum qualitatis, Eucharistiam substantiæ.] Hoc iam impugnaui in superioribus appendicibus. Vis argumenti potissima mihi videtur hæc, quod sensibili, manente sensibili, fiat effectus intelligibilis & non sensibilis: & in hoc baptismus & Eucharistia paria; at in baptismo aqua manet aqua, nec transsubstātiatur. Igitur panis in Eucharistia manebit panis, & habebit effectum suum spiritualem, siue effectus ille sit accidens, siue substantia, nihil nunc moramur, dummodo in sensibili conueniant; manente autem pane sensibili, transsubstantiatio nulla est, & dari intelligibilia in sensibilibus, est sensibilia manere id quod sunt, effectum vero non esse corpus vllum; corpus enim sensibile est, sed dona spiritualia quæ sub sensum non cadunt. Sed Perronius, *intelligibile*, interiecta sua glossula pag. 734. à tergo, idem vult esse, quod sensu imperceptibile, quod sensu agnosci non possit: Si mens ipsius est, intelligibile esse quicquid, cum res sit vera & in suo esse completa, suapte tamen natura & per se sub sensum cadere non potest, admittimus; ac propterea corpus Christi non est res intelligibilis, quia per se est sensibile. Si autem vult intelligibile esse etiam id, quod per accidens est insensibile, puta quia absconditum, quia in tenebris, quia remotum extra sphæram actiuitatis sensuum, &c. tunc fallitur. Sic enim, exempli gratia, Enoch & Elias sunt intelligibiles duntaxat, quod est falsum, quamuis nullus sensus hominum in terris possit eos percipere.

8. Mox recitat Perronius aliquot paginas ex *eadem homilia* 83. plenas illis hyperbolis & amplificationibus, & concludit, Quid iam dicent Caluinistæ & Zuingliani?] Dicent esse hyperbolas, quas ne ipse quidem Perronius sit omnes in sensu literali libenter admissurus; vt cum ait Chrysostomus, Nos fieri corpus Christi, non solum fide, sed re ipsa, permittet ne Perronius, nos ex hoc dicto concludere, homines fideles per vsum Eucharistiæ transsubstantiari in corpus Christi? Ne igitur ipse quoque vrgeat alias tales hyperbolas, & mysticas locutiones in sensu literali, prout stant & iacent; & meminerint nostrarum quas hactenus pro Chrysostomi interpretatione præscripsimus regularum, generaliumque responsionum: & præterea illud quoque diligenter obseruet, eodem loco Chrysostomum paulo post subdere, Eucharistiæ sacrificium esse symbolum ac signum mortis Iesu. Et postea etiam ibidem eum asserere, vinum fuisse id quod iam consecratum biberat; siquidem probat, vt supra Cyprianus, Christum vinum bibisse, quia vinum etiam bibit post resurrectionem, iuxta ea Christi verba, *Matt.* 26.*v.*29. Non bibam amodo de genimine vitis huius, vsquequo bibam illud in regno Patris, quod intelligit Chrysostomus post resurrectionem ante ascensionem.

9. Quartus locus, quo vsus est Plessæus ad confirmandum dicta hyperbolica Chrysostomi in sensu spirituali esse accipienda, est talis, *in Matt. hom* 51. Quando sacerdotem corp' tibi præbere videris, noli sacerdotis, sed Christi manũ ad te porrigi, arbitrari.] Huic loco similem annexuit, aliunde tamen sumptũ, *ex hom. in encæniis*. Ne putetis quod accipiatis diuinũ corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphin forcipe ignem.-] Ex his ita suũ argumentum colligit Plessæus. Recte sane, sed corpus hoc, hunc sanguinem eodem modo, quo qui ea porrigit aut Seraphin, aut Christus ipse, nempe spiritualiter. Perronius exemplum affert Regis, qui per nuncii sui manus torque aliquem donet. At torques non est ipse Rex, sed aliud à Rege, licet cum torque Rex se ipsum, hoc est amorem & affectum suum, suamque beneuolentiam & gratiam simul donet. Ita Christus per nuncium donat signa quæ in re à Christo sunt diuersa, in effectu autem simul Christum ipsum spiritualiter, per effectus gratiæ & beneuolentiæ suæ, secum ferunt. Exemplum vero Regis cum Seraphin nihil habet conuenientiæ. Saltem igitur in eo verum erit, hæc non reali, sed mystico & spirituali modo peragi. Et illa amplificatio de manu Christi optime seruit ad mouendos fideles, vt hoc sacramentum in tanto maiori precio habeant, siquidem manus Christi in eo totum operatur effectum spiritualem, & non manus sacerdotis. Quod autem id dicatur fieri mystice & spiritualiter, non corporaliter, non minuit, sed explicat veritatem, auferendo realitatem, hoc est actionem corporalem, quæ ad magnitudinem effectus nihil confert, neque cum veritate potest asseri. Hic rursum integras paginas recitat Perronius ex *homil.* 51. modo citata, nec aliud continent nisi easdem hyperbolas & mysticas locutiones; cum oratoriis amplificationibus.

10. Artificiolum tamen aliquod Perronii non est hoc loco silentio obuoluendum: Solet ille callide, vbi Græcus textus magis ei fauet quam versio Latina, ipsum Græcum textum totum in marginib' describere; vbi vero contra latina versio magis ei videtur propitia,

etiamsi ad fidem Græci textus non accedat, abstinet à græco, & ex sola latina suam gallicam desumit interpretationem. Hoc ei insigniter nunc contigit, in referendo integro hoc loco homiliæ 51. vbi inter alia latine sic habetur: Cum fide autem accedere, non est, vt tantummodo propositum corpus recipias, verum multo magis vt mundo corde tangas, &c.] Placuit Perronio id quod ait (*propositum corpus recipias*) sed bene sciebat Græce sic haberi; non est tantummodo vt id quod propositum est accipiamus, sed etiam vt mundo corde tangamus, &c.] vbi corpus non nominauit Chrysostomus, quia sciebat panem non esse corpus realiter: sed neque ausus est dicere, panem, ob ea quæ ego consideraui §.2.*huius Appendicis*, sed periphrasi vsus est, & dixit, id quod propositum est.

11. Mox accedit Perronius ad alterum locum ex homilia in Encæniis. Et quia typographus fortasse omisit citationem loci in margine, mordet Plessæum; quasi ex eadem homilia 51. vtrumq; locum se producere ille profiteatur; nam per solam copulam, *&*, alterum alteri annexuerat. Et quia productis verbis, in quibus vis sui argumenti consistebat, cætera non recitauit, fideliter locum non fuisse productum queritur. Vt per tales minutias Theologo indignas eius liber excrescat. Ac ne à multiloquij peccatis sit immunis, satis insulse sales aspergit, sed sales infatuatos, de influentiis Alberti, vt confusionis vitium impingat Plessæo in citandis permiste & confuse locis, nec tamen suo quo illa conueniant loco ponderandis. Hæc sane immerito. Duo enim hæc loca, & valde similia, idemque penitus asserentia, nimirum manum sacerdotis non esse inspiciendam, quæ nobis sacra exhibet, sed aliam altiorem, semper tamen mysticam, & spiritualem, satis docent, corporaliter ipsum Christi corpus per manum sacerdotis neq; tractari, neq; porrigi. Has profecto influentias direxerat Plessæus contra realistas, & ipsos realistas illæ attigerunt.

12. Locum porro hunc posteriorem (qui quintus sit) vt sibi fauentem, integrum profert Perronius. *pag. 738. ex Chrys. serm. in encæniis Græce de pœnit. serm. 5. tom. 6. Sauil. pag.* 791. qui sic habet, Num vides panem, num vinum, num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit: ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Propter quod & accedentes, ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, quem scilicet Isaias vidit, vos accipere. Reputate salutarem sanguinem quasi è diuino, & impolluto latere affluere: & ita approximantes labiis puris accipite.] Græce tamen non parum aliter habetur; Μὴ ὅτι ἄρτος ἐστὶν ἴδῃς, μηδ᾽ ὅτι οἶνός ἐστι νομίσῃς. οὐ γάρ, ὡς αἱ λοιπαὶ βρώσεις, εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ. ἄπαγε, μὴ τοῦτο νόει. ἀλλ᾽ ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας οὐδὲν ἀπουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει. οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ. διὸ καὶ προσερχόμενοι μή, ὡς ἐξ ἀνθρώπου νομίσητε μεταλαμβάνειν τοῦ θείου σώματος, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ αὐτῶν τῶν Σεραφὶμ τῇ λαβίδι τοῦ πυρός, ὅνπερ Ἠσαΐας εἶδε. τοῦ θείου σώματος νομίζετε, καὶ ὡς τῆς θείας καὶ ἀχράντου πλευρᾶς ἐφαπτόμενοι τοῖς χείλεσιν, οὕτω τοῦ σωτηρίου αἵματος μεταλάβωμεν. Latine ad verbum sic: non quod panis sit respicias, neque quod vinum sit reputes; non enim sicut cæteri cibi in secessum vadit; apage, ne hoc putes. Sed sicut cera igni applicata nihil suæ substantiæ amittit, nihil superfluit, sic etiam hic puta coabsumi mysteria simul cum corporis substantia. Ideo etiam accidentes, ne tanquam ab homine putetis accipere diuinum corpus; sed tanquam ab ipsis Seraphim ignem forcipe quem vidit Isaias, diuinum corpus putate; & tanquam diuinum & impollutum latus labiis attingentes, sic salutarem sanguinem accipiamus.]

13. Nullus est in Chrysostomo locus qui magis reali præsentiæ faueat quam iste. Eum perpetuo in ore habet Perronius, & millies repetit ac inculcat, & tamen in eo vix vmbra aliqua apparet realitatis. In primis non negat panem esse panem, sic neq; vinum; imo asserit, sed non vult fidelem sistere suam cogitationem in pane & vino. Deinde neque negat panem & vinum in secessum emitti, contrarium enim innuit, & experimenta facile possunt docere: ideoq; non dicit, *vadunt*, quod de pane & vino dicere deberet in plurali, sed ait, *vadit*, in singulari, supple corpus Christi, de quo est sermo: Tertio similitudo ceræ quorsum afferatur, & quo sensu illa à Chrysostomo vsurpetur, est valde obscurum: neq; illa potest ad transsubstantiationem trahi. Videtur enim ceram sumere ad ignem liquefactam, & feruentem, ea enim licet in substantia maneat, in qualitatibus tamen immutata & calefacere potest, & vrere, &c; sic panis applicatus per sacramentum corpori Christi, exhibet digne communicanti spiritualiter proprietates corporis Christi, &c. Et sicut ex cera nihil deest; sic panis nihil sui amittit, sed tamen secundum suam naturam quæ mysterij sunt, non operatur. Quarto, quid sit coabsumi mysteria cum corporis substantia, est diuinandum: neque constat loquatur ne de corpore Christi, an de nostro. Quinto, *tanquam & quasi & puta*, non realitatem, sed similitudinem præ se ferũt. Sexto, non diuinum corpus, ait, puta te accipere, sed ignem; id est, non tam ipsum materiale corpus, quam ipsius virtutes, & calefacientes proprietates. Septimo, demum, Accedendum est ad bibendum vinum sacramentale impollutis labiis, non vt bibamus sanguinem verum lateris Christi; sed quasi sit sanguis lateris. Et hæc iam non de re ipsa, sed de modo duntaxat à Chrysostomo proferuntur. Interim vides hic communem vsum calicis.

14. Sextus locus, quem perperam à Plessæo *Ex Chrys. in Matth. homil.* 83. adductum esse asserit Perronius, est, apud Perronium talis: Iudæi acerbissime sacrosanctum corpus trucidarunt, tu post tot, tantaque beneficia, sordida suscipis anima.] At ego neq; hunc, neq; similem locum à Plessæo in posterioribus editionibus latius consideratum video, vt propterea otiose ei Perronius improperet. Argumentum tamen pro reali præsentia ex hoc loco sic colligit Perronius: Si illi qui pollutam habent animam, recipiunt, non ergo solius est animæ recipere.] Recipiunt illi corpus, hoc est id quod post consecrationem vocatur corpus, nam signa & signata iisdem vocibus nuncupantur; corpus tamen verum non recipiunt; hoc enim anima potissimum recipit spiritualiter, cum digna Sacramentorum receptione, quod ibidem expressit Chrysostomus dicens: Ad huius calicis spiritualem accedamus pupillã.] Imo etiam corpus carnem Christi recipit, cui spiritualiter per hoc Sacramentum communicatur Christi corporis incorruptio pro suo tempore, & immortalitas; & ita aliud est recipere corpus Christi vt est Sacramentum, aliud vt res Sacramenti, priori modo non est ipsum verum corpus Christi, nisi typice & virtualiter; posteriori vero modo, est ipsummet reale corpus Christi, quod spiritualiter est res huius Sacramenti. Indigne ergo accedentes recipiunt solo corpore typum & signa, sed sine re Sacramenti, hoc est, sine signato. Et quod de receptione quæ fiat corde, *ibid. homil.* 51. agitat Perronius ad rem non est aduersus Plessæum, quia ne illud quidem ille vrget in posterioribus editionibus. Ipse tamen Perronius in sua calliditate persistens eam partem

tem

tem versionis Latinæ pro se adducit, quam in d x.mus in Græco aliter haberi, neq; ei propitiam.

15. Vt tamen probaret Plessæus, Chrysostomum suas hyperbolas spiritualiter & sub mysterio intelligẽdas proponere, inter alia duo Chrysostomi dicta protulit: alterum est; *Serm. de S. Philog. Si cum fide accesserimus:* alterũ, *qui imbuti sunt mysteriis norunt quod dicitur:* vtrunq; ex eodem sermone, & sit septimus locus; in quo vere est, vt citatur in margine, citra typographi errorem: ob quem iterum obloquitur Perronius *pag.* 739. Ex his probat Plessæus, fide & non corpore Christi corpus in Eucharistia sumi, & ideo id vt notum proponitur iis qui mysteriis sunt initiati, hoc est fide iam imbuti. Ad id quod ait Chrysostomus, *fide accedendum*, nihil respondit Perronius, sed quid de præsepe dicatur indagat; & tamen in præsepe illo nullam vim faciebat Plessæus. Quod autem dicat Chrysostomus, ea esse nota iis qui mysteriis sunt initiati, Glossat Perronius ideo illis nota, quia iam secretum illud incomprehensibile ipsis innotuerit, videlicet per diuinorum verborum omnipotentiam, in Eucharistia panem esse factum corpus Christi. Glossa tamen est inepta: quia non hoc dicit illis innotuisse Chrysostomus, sed Christum in sacra mensa esse, non vt in præsepi fasciis obuolutum, sed Spiritu sancto vndequaq; circumuestitum. Edocti enim fuerant, per Spiritus sancti operationem in Eucharistia corpus Christi spiritualiter exhiberi: Cur non dixit, in sacra mensa loco fasciarum præsepis esse accidentia panis & vini, quibus Christi corpus manet obuolutum? spiritualem porro duntaxat præsentiam etiam hoc loco Chrysostomum asserere bene sciebat Perronius: legerat enim illa quoq; verba: *Scio quod complures irruant ad victimam hanc spiritualem, &c.*] Item, *Cum autem Rex ingreditur animam (non igitur corpus) oportet magnam esse tranquillitatem.*]

16. Octauus locus est vbi Chrysostomus ait, *Hom. 45. in Ioan. & ad pop. Antioch. homil. 61.* Carni dentes infigis.] Dentes fidei, inquit Plessæus, qui similem locutionem affert ex Augustino *in Psalm. 30. concio. 2.* apud quem est, Osculum infigi Sacramentis Dei. etsi in priori editione omissa est citatio loci Chrysostomi, vt videatur esse sub citatione sermonis de B. Philogonio, in aliis tamen editionibus verus locus est assignatus. Perronius optimus fuisset typographorum corrector: nec enim citationes locorum omitti passus fuisset, qui adeo exacte omnes tales omissiones in libro Plessæi annotauit, & maluit annotare hunc citationis defectum, quam respondere argumento, de infigendis dentibus in corpus Christi. Nam profecto vel dentes sunt spirituales fidei, vt ponit Plessæus; vel si sunt corporales, infiguntur pani, qui tamen vocatur corpus Christi; quia signum & typus. Ideoque corpus Christi dicitur etiam frangi, quia panis in communione frangitur, verum autem corpus iam non frangitur; & eiusdem Chrysostomi dictum est; *in 1. Cor. homil. 24.* Sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat.] Annon mira est hęc communicatio, quam faciunt Patres inter panem & corpus Christi, vt quæ sunt propria alterius, alteri quoq; tribuantur? & sic modus hic loquendi de dentibus apud Chrysostomum non patitur præsentiam corporalem, sicut nec cætera loca præcedentia; quæ currum Perronij triumphalem, vitreis gemmis adulterinis præsentiæ realis ornatum *pag.* 740. ne vnguem quidem latum promouebunt.

17. Nonus locus est *in 1. Corinth. homil. 24.* Ad alta eum oportet contendere, qui ad hoc corpus accedit, ad superiora semper volare; in solem iustitiæ, aquilarum instar intueri, mentis oculum acutissimum habere.] Hunc locum Plessæus adduxit in confirmationem eorum quæ dixerat, fidem requirere Chrysostomum in suis illis hyperbolicis locutionibus. Hic profecto locus, cum sit totus ferme allegoricus, commode poterat præteriri; quoniam tamen serio à Perronio exagitatur, aduersum enim sibi non parum, quod non putaram, ille censuit, ideo est defendendus. Locum trahit Perronius ad finem mundi, post resurrectionem, *pag.* 740. *à tergo.*] Sed allegoria aquilarum, quam hoc loco tractat Chrysostomus, duplicem habet applicationem, vnam post aliam, simul colligatas vtramque ad effectum sacræ Eucharistiæ digne susceptæ, pertinentem; De priori hæc habet; vt cum concordia ad ipsum accedamus, & ardenti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum cœlum euolemus.] Non occupat nos in terris Chrysostomus, vt sub speciebus panis Christum corporaliter existentem aquilinis oculis rimemur & intueamur, quo frustra confugit Perronius; sed vult beneficio susceptæ Eucharistiæ, nos tanquam Aquilas in cœlum euolare, vt ibi Christi corpus inueniamus, & ad ipsum mente & cogitatione euolemus. Nam vbi cadauer, inquit, *Matth. 24. v. 28.* & aquilæ; & ita applicat nobis aquilarum exemplum, vt terrenis rebus discamus non inhærere, sed ad Christum in cœlis positum anhelare, quo fiet (& hæc est posterior applicatio) vt qui iam didicimus ad alta volare, in fine mundi occurramus in altum Christo venienti. Interposuit vero illam parenthesim (aquilarum enim non graculorum hæc est mensa) vt doceat fructum huius mensæ esse aquilas, non graculos efficere: id est, ad alta volantes; & non circa terrena volitantes; & sic neq; in visu, neque in rapacitate auri consistit hæc allegoria, sed tota in affectu vel rebus cœlestibus, id est, Christo ibi regnanti, vel terrenis inhianti; nam graculi nunquam in altum eleuantur, vermiculos terræ, & arborum perpetuo venantur. Sed in allegoriis, vbi de dogmatibus agendum, ægre detineor.

18. Quid vero Perronius? Magnas partes ex homilia illa descripsit, & gallice & nonnihil græce; nec tamen veretur ex se verba addere quę non sunt in textu: vt vbi ait Chrysostomũ docere, id quod est in calice, esse illud idem quod fluxit è latere; cum textus dicat tantummodo, esse id quod fluxit è latere. In ea enim homilia sunt solitę illę hyperbolę, quas ad literam vellet suis simplicibus lectorib' Perronius imprimere; iis enim recitatis, de more suo concludit per epiphonemata & exclamationes. Quinam, inquit, oculi Caluiniani non perstringentur? Quæ aures Zuinglianæ ad hæc fulgura & fulmina non obstupeant?] Sed ipse, qui adeo cortici sermonis oratorij adhæret, vt tropos non agnoscat, & hyperbolas pro veritate vt voces sonant accipiat, iam deuoret hic quoque dicta ad literam, in eadem homilia contenta, & ab illo prætermissa; Christus quod non est passus in cruce hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat. Item, Sumus ipsum illud corpus, quid enim est panis? Corpus Christi; quid autem fiunt qui sumunt? Corp' Christi. Item, Christus nobis dedit, vt impleremur eius carnibus. Item, mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames, mors. Item, Christũ vides in terra, neq; solũ vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis.--Abstерge & munda animam & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem.] Atq; his verbis concludit ferme totam homiliã, vt intelligamus, totũ quod de corpore Christi dixit, & de mensa & de manducatione ad mysterium pertinere, & ad mentalem susceptionem. Audiant Perronij aures & obstupescant. Sed hoc ei neque nouum neque ignotum erat, voluit tantummodo ingenij acumen, sed contra Deum, & cõtra veritatem pro terrenis dignita-

dignitatibus comparandis acuere, Iam est coram terribili tribunali, quod nos omnes expectat.

19. Decimus locus, aliquot Chrysostomi dicta continet quæ ego quoque in ipso Chrysostomo ante hanc appendicem consideraui, & sunt hæc; *Chrysost. in Ioan. hom.* 46. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam; Hoc est, secundum spiritum verba mea audienda sunt.—Hæc omnia carnalia, quæ mystice & spiritualiter intelligenda sunt. — Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt, spiritus, hoc est spiritualia, nihil carnale, nullam rationalem consequentiam habentia. - Quid autem est, carnaliter intelligere? Simpliciter vt res dicuntur, neq; aliud quippiam excogitare. Non enim ita iudicanda sunt quæ videntur, sed mysteria omnia, interioribus oculis consideranda, hoc est, spiritualiter. — Verba vitæ æternæ habes; quæ illi *(discipuli qui scandalizati retro abierunt)* carnaliter, & secundum humanam rationem, illi; *Apostoli*, secundum spiritum & fidem intellexerunt.—Doctrinam meam rerum consequentiæ, & necessitati subiacere ne arbitremini; spiritualia terrenis legibus seruire non patiuntur, &c.] Perronius sententiam Chrysostomi esse ait *pag.* 746. *à tergo*, promissiones factas à Christo, de suo corpore tradendo ad manducandum, nullam pati debere contradictionem, ex obstaculis & repugnantiis quas naturalis sensus & ratio obiicere potest, tanquam sint absurdæ & impossibiles, siquidem diuinus spiritus sua omnipotentia eas facile potest adimplere: neque enim, *inquit*, ea intelligenda sunt de solis verbis illis Christi, *Nisi manducaueritis carnem, &c.* ea mystice & spiritualiter dici, sed etiam; *Ego descendi de cælo.* Itaq; apud Chrysostomum accipere Christi verba mystice, est veritatem propositionum Christi non sola externa rerum apparentia metiri. Hoc est; non propterea non est credendum Christum de cœlo descendisse, quia descensus ille mysticus fuit, hoc est secretus, occultus, & inuisibilis hominibus. Apprehendere vero spiritualiter, est, *inquit*, iudicare dicta Christi, non per sensum & humanam rationem, sed ex persuasione diuini spiritus; & per fidei reuelationem. Nam spirituale est Chrysostomo, quod Christus descenderit in Abyssum *Rom.* 10. *v.* 7. & inde resurrexerit, & in cœlum ascenderit: hoc est, spiritu & fide comprehensibile; & nihilominus hoc nihil detrahit veritati corporis Christi, quod vere, realiter & corporaliter sit in cœlo.] Ita Perronius; sed tamen Chrysostomi sensum plene non assequitur, nec satis explicat.

20. In primis vero maxime obseruandum est, Chrysostomum verba omnia Christi, quæ narrantur, Ioh. 6. de carne ipsius, & de eius manducatione, & de sanguine, censere, æque applicari posse sacramentali manducationi in Eucharistia, atque etiam mysticæ manducationi extra sacramentum, per fidem incarnationis. Panem vero, *inquit, in hom.* 45. *in Ioh præcedenti*, siue doctrinam hoc in loco, & salutem & fidem in se, siue corpus suum dicit.] & *in sequenti homil.* 46. verba illa, *Caro mea vere est cibus, &c.* sic interpretatur. Aut quod is est verus cibus, qui saluat animam *(per fidem in eum incarnatum)* aut vt eos in prædictis confirmet, —scirentq; necessarium esse, vt corpus comederent.] Ideoque explicationes ipsius, dum per modum commentarij scribit super caput Ioannis sextum, adeo genericæ sunt, vt cui parti magis, sacramentone Eucharistiæ, an incarnationi ea applicet, non videas. Vbi tamen descendit ad sua de more moralia, excurrit ad vsum mensæ Eucharisticæ expresse, vt fecit *in homilia* 45. de qua inferius erit aliquid dicendum. Explicationes igitur Chrysostomi debent æque conuenire Eucharistiæ, atque incarnationi, nec licebit nobis eas arctare ad sola in Eucharistiam, si ipse voluit eas esse etiam fidei incarnationis communes. vtrobiq; ergo vult Chrysostomus, verba Christi non esse, vt litera sonat accipienda, sed in sensu mystico & spirituali.

21. Non est igitur Chrysostomi sensus, Christi verba non debere in dubium reuocari, etiamsi sensus & humana ratio aliter doceat; in hoc enim sensu admitteret Christi verba in suo sensu literali, & ad pedem literæ, quod tamen Chrysostomus neque admittit, nec docet esse admittendum. Sed sensus ipsius est, verba vt sonant non esse accipienda, nec secundum naturales consequentias intelligenda: Vt quando Christus dicebat, *Ioan.* 6. *v.* 42. se de cœlo descendisse, sensus literalis est, se totum hominem in anima, & in corpore, corporali descensu è cœlis in terram venisse; & naturalis ad hoc consequentia erat, illum genitum & natum in cœlo non in terris; quod tamen falsum esse illi dicebant, qui se ipsius Patrem Iosephum, & Mariam Matrem cognoscere profitebantur. Hunc descensum corporalem, ait Chrysostomus, non asseri à Christo, neq; valere consequentiam Iudæorum illam, *Si Patrem & Matrem habet in terris, non ergo genitus & natus in cœlo.*

22. Ipsas itaq; actiones considerat Chrysostomus, quæ in verbis Christi proferuntur, & eas ait non esse literaliter & carnaliter accipiendas, sed mystice & spiritualiter, qualis est descendere de cœlo: generari à Iosepho Patre terreno, comedere carnes ipsius, & similes. Carnale est, *inquit Chrysostomus*, dubitare quomodo de cœlo descendit, & Ioseph filium arbitrari; & quomodo possit nobis carnem suam dare ad manducandum: Hæc, inquam, omnia carnalia, quæ mystice & spiritualiter intelligenda sunt.] Descensus ergo ille corporalis non est, sed mysticus totus & spiritualis: nam ne Verbum quidem vero descensu descendit; & illi qui descensum sumebant in sensu literali, pro vero descensu corporali, & corporaliter, carnaliter descensum intelligebant; & dum huic descensui opponebant generationem ex Ioseph, carnalem generationem carnaliter intelligebant; quæ vera non erat, vera enim generatio Verbi ab æterno fuit sola diuina, carnis vero generatio & in tempore, fuit per Spiritum sanctum, & non per semen viri. Sic ergo etiam manducatio; cum pari modo dicatur spiritualis & spiritualiter facta; non erat vera manducatio corporalis, quæ ore fiat, & traiectione in stomachum; sed erat mystica, per fidem & spiritum. Non ergo verum est quod ait Perronius, verba Christi mystice accipere, apud Chrysostomum esse, veritatem propositionum Christi, non sola externa rerum apparentia metiri; nam descensus è cœlo Christi nullam habuit externam apparentiam, qua potuisset eum humana ratio male metiri; & tamen descendere Christi dicitur à Chrysostomo mysticum & spirituale: quia descensus non fuit verus & corporalis: Ideoque omnino credendum est, Christi descensum è cœlo non fuisse verum & realem, vt supra exposui, quia Christus est homo Deus: at Christus nec homo, nec Deus descendit vero descensu, sed Verbum quod implet omnia, nec cœlo, nec vlli loco materiali alligatur, in terris carnem humanam assumpsit & sibi vniuit hypostatice; quod nullo modo est verum descendere positiue; & Christus vtebatur hac voce descendendi negatiue, vt significaret; se secundum personam & diuinitatem ortum non habere in terris: & secundum humanitatem etiam quoad Patrem generantem; pariter in terris non habere Patrem, quia de Spiritu sancto conceptus est. Neq; enim quod occulte fit & inuisibiliter, mystice dicitur & spiritualiter debere intelligi, sicut panis in pascendis turbis secreto & inuisibiliter multi-

multiplicatus, non est intelligendus panis mysticus & spiritualis: quia panis erat verus & realis, ac corporalis, non spiritualis: Sic & manducatio.

23. Illa porro Pauli verba, *Rom.* 10.*v.*6. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum: id est, Christum deducere: aut quis descendet in Abyssum, hoc est Christum à mortuis reuocare.*] Adducit Chrysostomus, vt ex ipsis confirmet, Paulum etiam monuisse, non esse ea quæ de Christo legimus & audimus, tanquam canonica, ita curiose perquirenda, vt quæ literaliter dicuntur, literaliter etiam facta putentur, vnde mox dubium impossibilitatis exoriatur. Fidē enim, ait Paulus, non permittere, vt quis audiens Christum ascendisse in cœlum ibiq; cum Patre regnare in æternum, dicat, *Quis ascendet in cœlum?* Lege enim ordinaria, & cursu naturæ impossibile est, vt homo corporeus ascendat in cœlum, qui neq; machinas habeat sufficientes, aut scalas, neq; alas ad volandum; sed neq; habere, aut sibi parare possit ad tantam altitudinem. Itaque qui ascensum accipiat secundum modum naturæ, & secundum terrenas vires, iste cogetur Christum de cœlis deducere, hoc est negare ipsum ascendisse in cœlum, ibiq; esse. Quid vero sibi velit Paulus in altera illa parte, de descensu in Abyssum, & quomodo eam Chrysostomus intellexerit, ac suo proposito voluerit hoc loco applicare, dicat qui scit, & potest: Ego enim ingenue fateor, me illam non intelligere, nec à quoquam sufficiēter explicatam vidisse. Et quod Perronius ait, spirituale esse Chrysostomo, Christum resurrexisse à mortuis & in cœlum ascendisse, cum tamen Christus realiter sit in cœlo; ideoq; illud spirituale idem esse, quod solo spiritu & fide comprehensibile, non est admittendum: quia sermo est de actione, non de subiecto actionis. Actio est spiritualis, & non corporalis, vt sonat verbum *ascendendi*; subiectum vero est corporale, reale & materiale, & in cœlo realiter, & corporaliter: ipsa vero ascensio facta est & intelligenda, modo quodam spirituali, & diuino, non scansione, non volatu, non portatione, non tractione, & ita vt ascensio fuerit quidem corporis, sed non corporea: ideo neque vera ascensio quales sunt omnes corporeæ ascensiones: sed alia spiritualis à spiritu, & modo spirituali facta.

24. Annon ipse Chrysostomus clare explicat, quidnam sit carnaliter, quidnam spiritualiter aliquid intelligere? Ait sane, etiam ad verbum ex Græco, vt cupit Perronius, *p.*648. Quid autem est carnaliter intelligere? simpliciter in proposita inspicere, & nihil plus imaginari; hoc est carnaliter. Non oportet autem res iudicare sicut videntur, sed omnia mysteria interioribus oculis intueri: hoc enim est spiritualiter.] Tametsi hæc explicatio videatur ad sola visibilia applicari, tamen planum est verba illa, *videre, intueri, perspicere, proposita, visibilia, oculi, &c.* ad omnem sensum traduci, sed præsertim ad auditum: tota enim disputatio erat de verbis Domini, in quo sensu essent accipienda: & immediate ante hanc explicationem habet ista; sed de iis, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.] Accipere ergo carnaliter verba Christi, quando ait, verbi gratia, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* est accipere ea simpliciter in sensu literali, in quo proferuntur: qui sensus continet anthropophagiam. Ea vero spiritualiter accipere, est in mysterio, non in sensu quem verba sonant & menti offerunt, sed in alio spirituali ea capere: puta, vt manducare carnem Christi, sit credere in Verbum incarnatum; seu per manducationem panis sacramentalis, de corpore Christi spiritualiter, & in anima, & in corpore participare. At, si quis putet se sub speciebus panis ipsum Christi corpus corporaliter comesturum, hic profecto carnaliter verba illa intelligit; quia illa ad literam vult verificare & simpliciter prout proponuntur, absq; vlla alia cogitatione ea moderante.

25. Scutum sibi præparauit Perronius ex initio eiusdem homiliæ, vbi ait Chrysostomus, Quod autem signat, vere cibus & vere potus. Aut, quod is est verus cibus, qui saluat animam: Aut, vt eos in prædictis confirmaret, ne quod loquebatur ænigma esse, & parabolam arbitrarentur, sed scirent omnino necessarium esse vt corpus comederent.] Infert Perronius, Igitur apprehendere, spiritualiter corpus Christi esse comedendum, non est intelligere ænigmatice, & parabolice id fieri, sed fideliter, absolute, indubitanter, absq; hæsitatione, absq; interrogatione, absq; incredulitate, spiritu Dei & fidei concoquendo, si quid infirmitas carnis & humana prudentia non possit concipere.] Conglobet quot potest huiusmodi synonyma, nunquam tamen efficiet, vt illa æquipolleant hisce verbis, *spiritualiter, & mystice,* quatenus contradistinguuntur, à verbis *carnaliter,* & *literaliter.* Omnis profecto actus fidei, est actus spiritualis; & ita semper, quæcunq; percipimus spiritualiter percipimus: sed fides non habet, vt possit & carnaliter & spiritualiter credere aut intelligere. Hanc veritatem verba quæ proponuntur possunt pati, non fides: & stulte moneretur ille qui fide credit, vt caueat ne carnaliter credat. Qui tamen audit verba fidei, merito monetur ne ea carnaliter accipiat, sed vt fides postulat spiritualiter; vbi verba vtroq; modo possunt accipi, quod fit in mysticis locutionibus. Nam si nobis proponatur, Deum non esse nisi vnum, hæc propositio non fert secum nisi vnicum sensu, qui & literalis est, & simul spiritualis. At si proponatur, carnē Christi esse manducandam, iam adest & sensus carnalis, à quo cauendum est, & spiritualis seu mysticus, qui solus verus est. Et hæc in Chrysostomo sunt satis clara & aperta. Quando igitur ait, non esse ænigma, neq; parabolam, vbi Christus ait, necessarium esse vt ipsius carnem edamus & bibamus sanguinem, non est sibi contrarius, dum docet mystice tantum & spiritualiter carnem Christi esse edendam. Aliud enim est mystice & spiritualiter, aliud ænigmatice, & parabolice loqui: parabolice qui loquuntur, nolunt intelligi, & veritatem promunt tectam, & verbis obnubilatam. Vt videntes non videant, dicebat Christus *Matt.*13.13. & audientes non intelligant; tametsi parabola interdū etiam inseruiat ad maiorem explicationem, & faciliorem intellectum, & tunc parabola nō accedit ad ænigma; quia tamen sæpe adhibetur ad occultandum id quod dicitur, ideo tunc parabola est ænigmatica, quia adeo obscure, & remotissimis tropis rem proponit, vt qui audiūt facile nō intelligant. Mystica autem seu allegorica & spiritualis locutio, nō ad occultandam, sed ad rem explicādam assumpta, viam aperit intellectui, vt sub allegoriis veritatem in verbis latentem ipse eruat, & sic clariorem habeat, & melius conseruet, obscurius enim dictum inquit Chrysostomus, *in Ioan. homil.* 45. semper auditorem erigit, & attentiorem reddit.] & fatetur, Christum his locis sub mysteriis loqui, qui postea negauit eum ænygmatice & parabolice locutum. Quando ergo Christus dicebat manducandam esse ipsius carnem, non id ænygmatice & parabolice, ne intelligeretur, dicebat, quia volebat intelligi, allegorice tamen id dicebat, vt verba eius mysterium continere sciret; nam & exprimebat eis, verba eius esse Spiritum & vitam.

26. Post hæc, vt de more aliquid gloriose proferat Perronius, quo simplices alliciat & deliniat, bonam partem homiliæ præcedentis describit *pag.*749. *& seqq.* quia hyperbolis illis scatet, quarum in genere solutiones iam posuimus: in quibus Chrysostomus vel sumit signa pro re significata, vel spiritualiter, & mystice intelli-

intelligenda carnali literæ cortice tegit, qualia sunt illa. *Idem ibid.* Miraculum de quinque panibus præcessit, vt per illud non essent amplius increduli iis quæ postmodum diceret. Omnino enim credendum est, Christum in Sacramento suum corpus verum & reale, nobis exhibere, sed spiritualiter. *Item:* vt autem non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam commisceamur carnem; per cibum hoc fit, quem gratificatus est; volens nobis indicare suum circa nos desiderium: propterea commiscuit se nobis, & corpus suum nobiscum permiscuit, vt vnum efficeremus, sicut corpus capiti connexum. Non affectu solo cordis Christo vnimur per dilectionem, sed re ipsa in Sacramento ipsius corpus sumimus spiritualiter. Non corpus nostrum corpori Christi corporaliter commiscetur, ita vt vnicum sit corpus materialiter & substantialiter, neque nos corporaliter vnimur Christo, tanquam membra capiti, sed mystice. *Item:* Ego mea carne alo.] At quis dicat nos corporaliter Christi carne ali? Item; Per quæ vobis coniunctus sum, carnem & sanguinem, ea rursus vobis exhibeo.] Non carnaliter, sed typice, & spiritualiter. Sanguinis vero longum encomium, certe ad verum Christi sanguinem spectat, & vinum Eucharisticum hunc sanguinem vocat Chrysostomus; quia significans sumit pro significato, & Sacramentum pro re Sacramenti, quam per Sacramentum assequimur, sed spiritualiter.

27. Debuit vero Perronius etiam illa considerare quæ in eadem homilia legebat. Cum vero spiritualem cibum & vitam æternam edocti, &c. Item: Ideo spiritualis cibi meminit. Item, permisit se tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi. Item, qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura.] Si illum in hac vita corporaliter ederemus, multo magis esset, quam erit in futura, in qua se corporaliter comedendum non exhibet. Item, Hic mysticus sanguis dæmones pellit.] Mysticus, id est occultus, ait Perronius, sed mysticus Christus erat agnus Paschalis, & tamen non erat occultus. mysticum enim est in signo, non in signato; quia signa sunt mystica, quatenus in se mysterium continent; & profecto mysticus sanguis non est verus sanguis; nam mysticum distinguitur à vero, & non ab aperto. Et quando Ioannes dicebat, *Ecce agnus Dei*, certe de agno mystico loquebatur, & tamen tunc Christus non erat occultus, sed manifestus, & ita mystice signum dicitur esse id quod signat; puta, agnus est mystice Christus; sicut & è contra signatum dicitur esse mystice id quod est signum, puta Christus est mystice agnus. Sic hoc loco Chrysostomus sanguinem Christi vocat mysterium in vino. Item de sanguine hoc mystico ait Chrysostomus; Hic nostrarum animarum salus est, hoc lauatur anima - admiranda sane Ecclesiæ mysteria.] Et de Angelis Sacramento præsentibus: Manifestius quam nos illi propositorum virtutem & fulgorem inaccessibilem intuentur. — hæc nobis proposita animam auream reddunt.] Proposita sunt panis & vinum quæ in sacra mensa proponuntur. Non dicit, Angelos corpus Christi ibi præsens cernere, sed virtutem propositorum cognoscere, quatenus panis & vinum exhibent nobis dona & proprietates corporis diuini. Nihil ergo est cur Perronius in hac homilia pro reali præsentia glorietur.

28. Vndecimus locus est; *apud Chrysost. in epist. ad Hebr. homil.* 17. Quid vero nos non quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam, — hoc est figura illius, & ipsa illius: *hoc est, eadem cum illa.* eundem enim semper offerimus.] Hunc locum simul cum pluribus aliis in vnum congesserat Plessæus, vt pateret, Eucharistiam à Chrysostomo perpetuo vocari memoriam, recordationem, exemplar, symbolum, similitudinem, &c. quæ repugnant præsentiæ corporali. Respondet Perronius, sacrificium Eucharistiæ sine dubio esse exemplar illius, quod in cruce factum est; non enim nos prætendimus Christum vere & realiter, vt fecerunt Iudæi, crucifigere. Duo vero, *inquit*, sunt in nostro sacrificio, subiectum oblatum, & modus oblationis. Quoad modum, nostrum sacrificium est figura illius quod in cruce gestum est. Historia tamen est eadem. Ideo addit Chrysostomus; Eundem enim semper offerimus, non nunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem vnum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine Christi? Nequaquam, sed vnus vbique Christus; qui & hic est plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus vnum est corpus, & non multa corpora, ita etiam vnum est sacrificium.] De sacrificio non est hic locus disputandi. Nobis satis est nunc, apud Chrysostomum Eucharistiam in se continere sacrificium quoddam commemoratiuum; ac consequenter in ea non fieri verum sacrificium, sed memoriam duntaxat celebrari sacrificij semel in cruce peracti, & ipsam Eucharistiam esse figuram illius, non quidem quod futurum significet, sed quod iam præteritum repræsentat. Distinctio illa de subiecto oblato, & de modo oblationis, ad locum Chrysostomi nihil facit, quia absolute negat nos proprie offerre, seu sacrificare; ait enim. Quo modo medicamentum, cum fuerit validum, & efficiens sanitatis, & valens omnem morbum propulsare, semel impositum efficit vniuersum — & hoc est eius opus, quod non amplius imponatur; & si sæpius imponatur, signum est, quod nullam vim habuerit, est enim virtus medicamenti semel imponi, & non sæpe, &c.] Hinc ostendit, sæpius repetitis hostiis opus fuisse in lege, quia illæ non sanabant; & in illis erat accusatio infirmitatis, non ostensio virtutis. In Christo autem, *inquit*, contra; semel est oblatus. Sed, nonne, inquit, etiam nos quotidie offerimus? Respondet; offerimus quidem, sed eius mortem reuocamus in memoriam. Hoc est figura illius; *hoc est, simplex repræsentatio, & commemoratio.* Pontifex noster ille est qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi; Hoc fit in recordationem eius, quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hostiam, sicut Pontifex *non est alius*, sed eandem semper facimus; vel potius hostiæ seu sacrificij facimus recordationem.] Igitur neque vera est nostra oblatio, neque Christus est subiectum nostræ oblationis tanquam diuersæ ab ea quæ fuit in cruce. Sed est illius, & hostiæ, & sacrificii recordatio, & quædam sensibilis repræsentatio. Vt quoties Eucharistia celebratur, toties memoria repetamus quæ in cruce facta est oblationem; & sic non est nisi vna & eadem numero & indiuidualis oblatio in cruce facta, quam nos toties memoria, & sacramentali repræsentatione repetimus, & totum nostrum sacrificare, tandem concludit Chrysostomus, nihil aliud esse, nisi facere recordationem, in ipsa videlicet panis mystici mystica comestione. De sacrificio nos plura infra suo loco.

29. Duodecimus locus, est, *apud Chrysost. homil* 61. *ad pop. Antioch.* Nos per Eucharistiam Christum sursum sedentem degustare.] Ad hoc nihil Perronius *pag.* 757. nisi Plessæum loca inter se nihil colligata extra rem conglobare, sed certe hoc, de Christo sursum posito, & non in pane, non est extra rem. Mox ex eadem homilia plura pro se recitat cum solitis hyperbolis, & amplificationibus oratoriis, in quibus Chrysostomus panem sumit

sumit pro corpore, signum pro signato, quem panem per hyperbolem vocat ipsummet corpus: quod tangi asserit, & in manibus teneri; & tamen Christi corpus, vt est in Eucharistia, non est tangibile, neque palpabile: figurate ergo loquitur.

XXX. Tertius decimus locus, est de cœli portis *apud Chrysost. in 1. Cor. hom. 24.* Video locum à Plesseo allegari, sed non applicari; cum tamen non vno solo modo possit applicari, mihi applicatio illa esse videtur; sicut in terra ponit cœlum, non profecto realiter, sed mystice & similitudinarie, sic etiam mystice & similitudinarie in terra ponet corpus Christi: nam & ait: Hic enim terram tibi cœlum facit hoc mysterium.] Quod ergo Perronius impugnat, *pag. 752. à tergo*, frustra est.

XXXI. Quartus decimus locus est, *apud Chrys. in Ioan. hom. 45. & ex varijs in Mat. locis hom. 9.* Mentem hic, non ventrem, animam non corpus pasci; verba Chrysostomi sunt; Nolite corporis cibum curare, sed spiritus: qui non corpus, sed animam pascat.] Hæc probabiliter possunt Eucharistiæ applicari. Inanis igitur labor Perronii, *pag. 753.* dum se ad commentarios *in Psa. 144.* reducit, quo Plessæus nequaquam aspexit.

XXXII. Quintus decimus est: *in Matth. hom. 7.* Sancta sanctis.] nec huius dicti applicationem aut percepit, aut impugnauit Perronius. Si enim sanctis tantum hæc sancta dantur; mali ergo non accipiunt corpus Christi, Ergo sub speciebus panis & vini non est realiter corpus Christi.

XXXIII. Sextus decimus est; tangitur Christus in hac vita & comprehenditur, sed pura conscientia, & mente super cœlos erecta.] Locum plene non inuenio, neque vbi ponitur à Plessæo, videlicet *ex var. in Matt. locis hom. 9* neque vbi ponitur à Perronio, *in Mat. hom. 90.* Propterea iudicium ferre non possum. Sed neque tanti momenti est, vt operæ precium sit in eo laborare.

XXXIV. Decimus septimus ex epistola ad Cæsarium. Panis dignus appellatione Dominici corporis, & in natura panis in ipso permansit.] Obiicit primum Perronius, *pag. 755.* contrarium ex *sermone in encæniis*: vbi ait, sicut cera in igne, ita nihil substantiæ remanere, sed mysteria consumi corporis substantia. Ego vero in hac ipsa Appendice §. 15. ostendi horum verborum alium sensum, longe diuersum ab hoc quẽ dat ei loco Perronius. Deinde dicit, naturam permanere, esse, proprietates & conditiones naturales permanere. Ac demum pluribus reiicit hanc ad Cæsarium epistolam. Videant ergo Critici, nos interim eam relinquamus.

XXXV. Decimus octauus & vltimus locus, ex iis quos Plesseus discussit, aut commemorauit, est ex Opere imperfecto. Et quoniam hoc etiam opus reiicit Perronius, nec ab ipso Plessæo admittatur, licet vt abundaret in hac parte, eo vsus sit, pro illa quam posset habere autoritate, ei nos etiam valedicamus, cum præsertim eiusmodi dicta apud alios Patres non defuerint. His non contentus Perronius adhuc insistit in Chrysostomo, suumque illum facit pro reali præsentia aduersus nos celeberrimum antagonistam, & adhuc decem ex eodem Patre loca nobis obiicit.

XXXVI. Decimus nonus itaque locus, 20. & 21. tres priores ex Perronianis, *pag in. 760. à tergo & seqq.* sunt, *ex Chrys. in 1. Cor. hom. 41.* Non sunt temere excogitata, neque frustra, eorum qui excesserunt in diuinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes agnum iacentem, qui mundi peccatum tulit; sed vt inde eis aliqua sit consolatio: neque abs te is qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, & iis qui pro ipsis celebrant memorias. Item, *in ep. ad Philip. hom. 3.* Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, vt in venerandis, inquam, atq; horrificis mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt: Nouerant hinc multum ad illos lucri accedere, multum vtilitatis. Eo. n. tempore, quo vniuersus populus stat manibus passis, cœtus sacerdotalis, & illa ante nos iacet hostia; Quomodo Deum non placabimus pro istis orantes.] Item *in Acta Apost. hom. 21.* Non simpliciter Diaconus clamat, pro iis qui defuncti sunt, in Christo: In manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata; adsunt Angeli, adsunt Archangeli, i. filius Dei. quid putas pro martyribus afferri, quid vocantur in illa hora licet martyres sint, & pro martyrib. magnus honor nominari Dño præsente, dũ mors illa perficit.] Quid vtilitatis, (subdit Perronius) quid beneficii capient mortui, quid honoris martyres, quod nos frustulo panis pro illis appropinquemus, cumque pro illis precemur, & ante buccellam panis nominentur?

XXXVII. De precibus & oblationibus Eucharistiæ pro mortuis, dissero suo loco in sequentibus. Nunc satis sit totam vtilitatem, totumque beneficiũ, quod à nobis impendi possit mortuis, Chrysostomũ in publicis Ecclesiæ precibus his duobus præsertim locis, collocare. Accessum nostrum intelligit ad sacrã synaxim, & tunc nostras preces vires maximas habere quando simul ad sacram communionem conuenimus. Rogare agnum iacentem, est rogare Christũ in pane nobis repræsentatum: non enim signum sed signatum; nec hostiam iacentem, i. hostiam mysticam, panem videlicet, rogamus: sed Christum ad dexteram Patris sedentem, & non iacentem in altari; cur. n. iaceat si viuus est? nisi tempore mysteriorum sopore aliquo in somnum resolui putetur. Martyribus honor est nominari in sacra Liturgia, quia dum commemoratur solenni ritu in Ecclesia mors Domini, eorum quoq; digna mors commemoratur, & cum memoria Ducis, militum quoq; ipsius memoria celebratur, vt vnio inter Ecclesiam militantem & triumphãtem celebretur. Præsentiam Domini per spiritũ suum in mysteriis, & sane peculiarem ac extraordinariam agnoscere debemus, sed tamẽ totam illam actionem sacram in memoria & repræsentatione consistere, sicut alibi sæpius, ita etiam hoc postremo loco expressit Chrysostomus, qui præsentem ait esse Dominum, dũ mors illa perficitur: Ergo qualis mors in Eucharistia, talis etiam præsentia; mors certe non est realis, sed commemoratiua tantum, Ergo similiter præsentia commemoratiua erit & spiritualis. Nec sine arte Perronius omisit illa verba, *dum mors illa perficitur*; & sane subdole. Sicut & illa libenter siluit quæ sequuntur, & soluunt eius obiectionem, qui honor sit martyribus coram frustulo panis nominari. Ita & nunc, *inquit*, quandiu proposita fuerint mysteria omnibus honor maximus, in memoria haberi.] Nõ ait honorem esse astare Christi corpori sub speciebus illis corporaliter latenti quod vellet Perronius; sed tantum in memoria publica haberi: non ergo inuocari, nec cultu religioso coli. Notauit omnino puto apud se Perronius, in his locis Chrysostomi, Missam ex opere operato nihil prodesse mortuis, neque sacrificuli actionem; Diaconus enim in Missa clamabat, vt omnes orarent pro iis qui in Christo obdormissent, & Ecclesiæ congregatæ ad sacra, preces vtiles mortuis dixit esse Chrysostomus; non autem panis oblationem. De hoc argumento nos postea.

XXXVIII. Vigesimus secundus: *ex Chrys. ad pop. Antioch. hom 2* Helias melotem discipulo reliquit; filius autem Dei ascendens, suam nobis carnē dimisit; sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.] Hæc est vera hyperbole oratoria, sumens signum pro signato, & Sacramentum pro re Sacramenti. Carnem veram Christus secum in cœlum corporaliter portauit, carnem mysticam spiritualiter in Sacramento reliquit.

XXXIX. Vigesimus tertius; *ex ep. 1 ad Tim. hom. 15 ad pop. Antioc. hom. 55.* Te mihimet vniui & copulaui, dixi, me comede, me bibe, & in cœlo te habeo, & tibi in terra connector. Non tibi satis quod primitias tui in cœlo habeo? non istius consolatur affectum? rursus ad inferiora descendi, non vtcunque commisceor tibi, sed cōnector, comedor & minutatim comminuor, vt summa coniunctio, & commistio, atque vnio fiat.] Miror Perronium hunc locum qui maxime ei aduersatur pro se tamen protulisse, & ex homiliis ad pop. Antioch. citasse, rigidum cum aliis censorem, secum verò laxum indultorem. Quid hic habet pro reali præsentia? An quod Christus nos sibi vniat? vnit certe per gratiam & spiritum suum. An quod iubeat vt illum edamus & bibamus? Edimus & bibimus spiritualiter Christum, corporaliter eius signa. Verum enim corpus Christi, nec vere editur, vt toties monui, nec vere bibitur, nisi in suo typo, & mystice. An quia dicit, se nobis in terra connecti? At idē prius dicit, se nos in cœlo habere, quo modo ergo ille nos habet in cœlo, eodem n[os] illum habemus in terris. At quis mortaliū di[cit] se esse in cœlo cum Christo corporaliter? An quia dicit, se rursum descendere de cœlo vt nobis commisceatur? At qualis descensio, talis comestio: descensionem certe corporalem in Eucharistiam nemo admittit. An quia dicit se comedi? At idem dicit se minutatim comminui, videlicet dentibus: quis hoc de vero corpore credat, aut asserat? Quis non videt hic quæ sunt signi ad signatum transferri? Ego tibi, *inquit & idem statim*, contexor, nihil iam esse medii volo, vtraque vnum esse decerno.] An, quæso, corporaliter? nihil minus.

XL. Vigesimus quartus, & vigesimus quintus, *ex hom. 3 de incompr. he [?] s. nat. Dei* sunt huiusmodi: Tempore illo, mi frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, *orationum publicarum*, sed etiam Angeli Deo genu flectunt, & Archangeli supplicant, habent etiam sibi tempus fauorabile, oblationem auxiliantem. Itaque vt homines ramos oliuarum exscindentes mouere Reges consueuerunt, ea planta misericordiam commemorant, sic etiam Angeli tunc pro ramis oliuarum ipsum corpus Dominicum protendentes Dominum precantur pro genere humano: tantummodo dicentes, Pro iis rogamus quos adeo dilexisti, vt animam propriam traderis. Pro illis effundimus supplicationes, pro quibus ipse sanguinem effudisti. Pro illis intercedimus, pro quibus corpus hoc immolasti.] Item, *ib. d. hom. 4.* vt tempore instante quo iudex prodire, & in alto tribunali sedere solitus est, custodes carceris carceratos educunt, & pro cancellis septisq; collocantsq[ue] [squ]alentes, sordidos, crinitos, & pannosos; Sic Patres statuerunt, vt cum Christus veluti in excelso tribunali sessurus est, & in ipsis appariturus mysteriis, dæmoniacos, vti captiuos introduci, non ad subeundam pœnam perpetratorum, vt illi, sed vt communes pro iis fundantur preces.]

XLI. Angelorum præsentiam & ministeria in sacris Ecclesiæ publicis, iussu Dei assistentium, Patres libenter admittunt; non quia corpus Christi corporaliter adsit, sed quia etiam Christus suo spiritu adest, & corpus suum ineffabili modo, sed spirituali, communicat. Oblatio sancta dicitur auxiliatrix, quia à Christo iussa, quia repræsentat crucem & mortem Christi, quia exhibet spiritualiter corpus Christi, & quia dat occasionem & opportunitatem vt fideles tanto feruentius Deo preces offerant. Angeli dicuntur loco ramorum pacificorum protendere corpus Dominicum Domino, & ei supplicare pro nobis: nō e[r]go illud corpus Dominicum est Dominus, quia ipsi corpori Dominico supplica[r]ent; at vero illud p[r]otēdunt, vt supplices Regis protendunt ramos oliuarum tanquam signa misericordiæ: Sic Angeli oblata nostra, panem & vinum, protendunt, vt signa & memoriam passionis Christi, quæ est nostra pax, pro quibus hoc corpus est immolatum, hoc in typo, non in realitate: panis enim est typus ve[r]i & realis corporis vere & realiter immolati. Christum in Eucharistia tanquam in tribunali sedentem spiritualiter, vult nos contemplari Chrysostomus. Similitudines profecto illæ ramorum, Regis, carceratorum, tribunalis, satis per se docent hæc omnia oratorie per suas hyperbolas amplificari.

XLII. Vigesimus sextus locus, *de prodit. Iud.* vt à Perronio ponitur, talis est: Et præsens Iudas erat, ista Christo dicente, iste est sanguis Iuda, quem triginta denariis vendidisti. iste est sanguis de quo ante cum Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia, ô Iudæ dementia! Ille eum 30. denariis paciscebatur, vt venderet; & Christus non dedignatur quin ei sanguinem quē vendiderat offerret, vt haberet si vellet remissionem peccatorum. Non homo est qui de propositis facit corpus, & sanguinem Christi, sed ipse qui crucifixus est pro nobis, Christus. Sacerdos ceremonias celebrat & preces fed [?] [gratia] virtus est, & gratia quæ omnia operatur. Hoc est, ait, corpus meum. Hæc verba transmutant proposita. Græce autem hæc oratio tota duplicem habet lectionem, etiam cum non exigua diuersitate. Ponam locum citatum ex vtraque ad verbum. Altera est huiusmodi.

XLIII. Et aderat Iudas Christo illa dicente, Hoc est corpus, quod vendidisti Iuda, triginta argenteis: Hic est sanguis de quo paulo ante impia pacta fecisti cum insanis Pharisæis, O Christi misericordiam, O Iudæ impudentiam, ô dementiam! Hic enim vendidit quidem ipsum 30. denariis, Christus vero etiam post illud non dedignatus est, ipsum sanguinem venditum dare in remissionem peccatorum vendenti, si quidem voluisset. Non homo est qui facit proposita fieri corpus & sanguinem Christi, sed ipse crucifixus pro nobis Christus. Figuram implens stat Sacerdos, illa proferens verba; virtus autem & gratia Dei est. Hoc est meum corpus, inquit, Hoc verbum transmutat proposita.]

XLIV. Altera sic habet Aderat enim Iudas, illud dicente Domino; Hic est sanguis, ô Iuda quem vendidisti triginta argenteis: hic est sanguis pro quo paulo ante illa impia pacta contraxisti cum insanis Pharisæis, O quanta Christi misericordia, ô Iudæ dementiam. Dominus nutriebat & seruus vendebat; hic quidem vendebat ipsum, accipiens triginta argenteos, Christus autem lauacrum pro nobis proprium sanguinem effudit, & vendenti dedit, siquidem voluisset. Non enim homo est qui facit vt proposita fiāt corpus & sanguis Christi; solum figuram implens stat Sacerdos, & supplicationem offert; Gratia autem & virtus est Dei, quæ cuncta operatur. Hoc est, inquit, meum corpus: hoc verbum proposita transmutat.]

XLV

XLV. Si qua alia Chrysostomi oratio scatet hyperbolis & amplificationibus Rhetorumq; flosculis, hæc certe non infima est; sumpto enim signo pro signato, id est pane pro corpore, & vino pro sanguine, occasionem habet rhetoricandi, super ambiguo harum vocum, *corpus & sanguis*. Non fuisse autem in calice verum sanguinem substantialiter, de mēte Chrysostomi, patet, quia non sanguis vt est in Sacramento, sed sanguis vt est ex corpore Christi in cruce effusus, est sanguis quo remittuntur peccata. Christum autem & non Sacerdotem ministrum, efficere suum corpus ex oblatis, nihil aliud est, nisi typice & repræsentatiue id efficere, ita tamen vt ipsum etiam reale corpus in Sacramento spiritualiter exhibeatur; hoc totum efficit diuina virtus cum transmutatione, quā toties in præcedentibus explicauimus. Quod vero dicitur, Sacerdotem figuram implere, puto significari Sacerdotem adimplere tantum id quod Dominus mandauit, vt figuras tractet, panem & vinum, easque proponat, & precibus instet ad consecrationem. Nihil igitur noui in hoc loco quod in aliis non fuerit & dictum & explicatum absque vlla realis præsentiæ assertione.

XLVI. Vigesimus septimus: *ex Chrys. de Sacerd. l. 3.* O miraculum, ò Dei benignitatem; qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. Nam si quis consideret quantum id sit mysterium, vt is videlicet qui ipse homo sit, carne & sanguine etiamnum constans, iisque inuolutus, beatæ atque immortali naturæ illi fieri propior queat, tum probe intelligit quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus S. gratia dignata fuerit. Nam si non potest quis in regnum cœlorum ingredi, nisi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit; & qui carnem Domini non manducat, & non bibit sanguinem, æterna vita priuatur; omnia autem hæc per alium fieri non possint, nisi per has solas sacras manus Sacerdotum.] Ille qui sedet cum Patre, in suo typo humanis manibus pertractatur; nam corpus verum, etiamsi esset in Eucharistia, esset tamen intractabile. Et ipse se ipsum tradit volentibus, sed spiritualiter. Beatæ & immortali naturæ homo mortalis fit propior, dum mysteria peragit, per quæ immortalis & beata natura Christi corporis mirabiliter, sed spiritualiter cum typo exhibetur, & hæc est maxima dignitas sacrorum Christi ministrorum. Sed cur quæso Perronius locum hunc non cœpit ab illis verbis, & referre & considerare, quæ sic habent? Nam dum conspicis Dominum immolatum, & illic situm, Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem; tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes?] Itane quæso sanguis Christi in Eucharistia sumptus, verus ille & substantialis rubore suo tingit labia bibentium? An vero rubor ille est rubor vini rubri, accidentia enim vini manent? Et tamen Chrysostomus ruborem, verissime & proprissime vini, ruborem, dicit esse pretiosi sanguinis, sicut Cyprianus dicebat *libro secundo, epistola tertia*, sanguinem Christi redolere illum qui vinum sacrum epotum redolet. His ergo Patribus sanguis pretiosus Christi, est vinum ipsum, typice nimirum, figuraliter & virtualiter. Videat ergo Perronius quid sibi velint Chrysostomianæ hyperbolæ.

XLVII. Vltimus locus quem pro se adducit ex Chrysostomo *de Sacerdotib. lib. sexto*, Perronius *pagina* 765. hic est: Cum autem ille, *Sacerdos*, & Spiritum sanctum inuocauerit, & sacrificium perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quęro ex te, quo tandem in ordine illum collocabimus? per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo, clamores excitat, & locus altari vicinus, in honorem ibi iacentis Angelorum choris plenus est.] Visionemque cuiusdam senis, quam ibi narrat Chrysostomus, de præsentia Angelorum circa altare, tempore mysteriorum, plurimum ponderat Perronius, & saltem in his historicam, non hyperbolicam obiicit Chrysostomi orationem, exaltat, & merito, tanti Patris autoritatem, encomia texit, ac præsertim opus de sacerdotio extollit vt omnino ei credendum esse sciamus. Credimus profecto, & ipsius dicta digna veneratione accipimus, sed verum ipsius sensum scire cupimus, & eum ex ipsomet conamur colligere. Quapropter etiam hoc postremo loco præsentiam realem ipsum asserere negamus, qui toties non nisi figuralem ponit, & mysticam. Quale sacrificium, talis erit hoc loco etiam hostia: sacrificium alibi docuit non esse nisi commemoratiuum, vt vidimus, & repræsentatiuum, igitur Dominus ille qui pertractatur manibus sacerdotum, erit Dominus figuraliter & repræsentatiue in suo typo, & ita est Dominus qui tractatur manibus, sicut est pretiosus sanguis eius qui rubescit in ore, & tingit labia bibentium. Et non est hyperbole, vniuersum ordinem cœlestium potestatum ibi circa altare clamores excitare? Quis his vnquam audiuit clamores? nullíne amplius Angeli in cœlo, tempore nostræ Missæ supersunt? Et si sunt omnes circa quodcunque altare in quo sacra celebrantur, cum eadem hora innumerabiles in tot diuersis locis & altaribus Missæ celebrentur, quomodo adesunt omnes in singulis? Est & hyperbole D. Perronii, Angelos hominium facere corpori Christi, hoc neque dixit Chrysostomus, neque narrauit ille bonus senex; hoc ex sua Rhetorica addidit ipse. Angelorum ego præsentiam in publicis Ecclesiæ precibus, & Sacramentis probabilem puto, neque negandam censeo, Angelum enim sacrificanti Abrahamo astitisse lego, & sæpe à Deo ad suam Ecclesiam missos. Adsunt ergo quando adsunt, non vt corpori Christi corporaliter præsenti assistant, sed vt nobis sacra operantibus inuisibili modo opitulentur, & corpori Christi spiritualiter, ac ineffabiliter in Sacramento exhiberi solito, sua præstent ministeria. Et si Deus aperuit seni illi oculos vt videret Angelos suapte natura inuisibiles, longe facilius, quantum ex parte rei, & vtilius miraculum fuisset, si corpus ipsum suum materiale ibi corporaliter præsens cerni ab eo Christus voluisset; quod tamen non fecit. Non ergo Angelorum visio illa seruiebat ad confirmandum senem, & per eum reliquos in fide realis præsentiæ, quo eam trahit Perronius, sed ad stabiliendam veritatem, ipsum verum & reale corpus Christi, modo ineffabili & inexplicabili, spirituali tamen non corporali, in Sacramento, digne suscipientibus, exhiberi. Chrysostomus igitur nihil à prioribus discordat Patribus.

CVI. Hieronymus ait, *in Mat. c. 26.* Christum explentem figuram oblationis Melchisedechi, veritatē sui corporis, & sanguinis repræsentasse.] Si repræsentare sumitur figuratiue, planum est, Eucharistiam esse corporis Christi figuratiuam: si vero repræsentare est actu exhibere, verum est, in Eucharistia corpus Christi in veritate actu digne sumenti exhiberi, sed spiritualiter. Reliqua omnia Hieronymi loca quæ producit pro se Bellarminus *vbi sup. c. 23.* nihil aliud continent nisi præsentiam realem & verā

veri corporis, modo tamen spirituali & virtuali. Omisit Bellarminus dictum illud Hieronymi *ep. 1. & 85. & in Sophon. c. 3* Sacerdotes nostri suo proprio ore cõficiunt corpus Christi.] Hoc est efficiunt sua consecratione panem Sacramentalem, qui typice & repræsentatiue, efficaciter tamen, & virtualiter est corpus Christi, modo sæpius explicato. Hieronymum tamen præsentiam corporalem in Eucharistia non agnouisse patet, quia ait *in Hieron. c. 22.* Hæreticos non manducare neque bibere corpus & sanguinem Saluatoris. Quod si panis esset corpus, certe cum negandum non sit, hæreticos & consecrare & sumere Eucharistiam, corpus & sanguinem sumerent, hoc est Sacramentum; sed non fructum & rem Sacramenti. Respondet Bellarminus, hæreticos dici non manducare corpus, quia vtiliter & fructuose non manducant. Accipio responsionem, & tunc infero, si non manducare corpus Christi, est non percipere fructum spiritualem, quem spiritualiter operatur corpus Christi; Ergo manducare corpus Christi, est percipere hunc fructum spiritualem: ergo Christi corpus non manducatur nisi spiritualiter. Atque hoc ipsum plene sensisse Hieronymum fateamur necesse est, dum illum sic loquentem audimus *in ep. ad Ephes. c. 1.* Dupliciter vero sanguis Christi, & caro intelligitur: spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dixit, caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, &, Nisi manducaueritis carnem meam & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam. Vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea.] Hunc locum Hieronymi adduxit Bellarminus *de Eucharist. lib. 2. cap. 24 obiectio: ex comment. in Ps.* vt ostenderet, aliam esse carnem Christi in Eucharistia, aliam in cruce, & illam esse figuram huius; sed perperam: nam Hieronymus non dicit esse aliam, & aliam, sed eandem dupliciter intellectam, videlicet realiter ac substantialiter, seu corporaliter; & spiritualiter, & vult à nobis comedi carnem Christi spiritualiter, & non corporaliter sumptam. Grauiora, & meo iudicio clariora sunt quæ idem Pater, & laudauit in quodam opere Theophili Alexandrini, quod in Latinum ipse verterat, & approbauit, ita scribens *ad Theophilum. tom. 9. serie 2. & in Biblioth SS. PP. tom. 3.* Mirati sumus in opere tuo vtilitatem omnium Ecclesiarum vt discant qui ignorant eruditi testimoniis scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosque calices, & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania, & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex cõsortio corporis & sanguinis Domini, eadem, qua corpus eius & sanguis, maiestate, veneranda.] Sic ferme etiam Autor operis imperfecti *in Matt. hom. 11.* Planum est, Hieronymum ipsum panem & vinum iam consecrata, vocare corpus & sanguinem Domini, à re ipsa Sacramenti quam Sacramentum ipsum significat, & suo modo exhibet, sed tamen panem nouit adhuc esse panem substantialiter, & vinum, vinum, sacrum tamen & Sacramentale, & inde suo modo venerabile, & cum reuerentia tractandum. At vero eandem venerationem, quæ debetur huic pani & vino Sacramentali, tribuit ipse Hieronymus cum Theophilo, etiam calicibus, velaminibus, & aliis vasis ac instrumentis, quorum vsus esset in Eucharistia administranda, ob contactum & consortium cum ipso corpore & sanguine, id est, cum Sacramento ac figura corporis & sanguinis. Annõ esset hæc turpis blasphemia, si id de vero corpore veroque sanguine Christi proferretur? Nonne corpus verum Christi, verusque sanguis latria sunt adoranda? At calices & velamina quis dicat latriæ adoratione esse veneranda? Cum ergo Eucharistia eadem veneratione tractanda sit, qua ipsius vasa & velamina: profecto Eucharistia non est verum & substantiale corpus Christi, secundũ Theophilum, & Hieronymum.

CVII. Augustinus omnium suorum prædecessorum diligentissime materiam hanc de præsentia corporis Christi in Eucharistia & sæpius considerauit, & pertractauit. Regulam quandam inprimis quam ille tradit, ipsiusque applicationem considerare debemus, in nostro enim præsenti negotio magnã vim habet: Ea vero est huiusmodi, *lib. 3. de doctr. Christ. c. 5.* Cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias: ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, *2. Cor. 3. 6.* litera occidit, spiritus autem viuificat; Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Si Sabbatum Iudæus audierit, verbi gratia, non intelligit nisi vnum diem de septem qui continuo volumine repetuntur; Et cũ audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum, terrenisq; fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere: & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse, *Aug. ibid. c. 7.* Signum vtiliter institutũ pro ipsa re sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est seruitus. *Ibid. c. 9.* sub signo seruit, qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet? qui vero aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt. Hoc tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ iam intelligimus operatione graui oneramur sumus. Sed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & ob eruatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina: Sicuti est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ vnusquisq; cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus quæ iis significantur accipere seruilis infirmitatis est. ita inutiliter signa interpretari male vagantis erroris est. Qui autem non intelligit, quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quam inutiliter ea interpretando à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere.] Hæc omnia Augustinus, & ad rem nostram plurimum faciunt.

CVIII. Cauendum est igitur, ne figurata locutio ad literam sumatur: tales n. locutiones literam habẽt occidentem, si in litera hæreamus. Ita erant literales Iudæi circa suum Sabbatum & sua sacrificia; & ideo carnales erant & sub litera seruiebant: & seruitus est carnalis & miserabilis signa pro rebus accipere. Post Christi vero resurrectionem signa sunt pauca nobis à Christo data & commendata; ipsa videlicet Sacramenta; vt puta duo insignia, Baptismus & Eucharistia. Ipsa ergo sunt signa, & quod in ipsis dicitur, figurate est accipiendum, non literaliter; quando ergo Christus dicit, *Comedite hoc meum corpus, & bibite hunc meum sanguinem*, de signo sic loquitur: & ad literam non est hoc intelligendum, sed spiritualiter, & in his non est venerandum id quod videtur & transit,

transit, puta panis dum comeditur, sed illud quo talia referuntur, id est corpus Christi, quod à pane significatur, & ita tamen significatur, vt etiam ipsum corpus Christi reale, interne tamen & spiritualiter cum pane Sacramentali exhibeatur. Panis ergo, qui videtur & transit, non est venerandus, sed effectus, quem per talis panis comestionem consequimur, & quo hæc comestio refertur, spirituali libertate, non carnali seruitute est venerandus. Quod si quis signū ipsum corporis Christi, hoc est panem sacrum, pro re ipsa, id est pro corpore Christi reali accipiat, iste seruili premitur infirmitate. Velle autem inutiliter interpretari signum, quod ipsum sit ipsa res, hoc est, quod panis seu species panis, in corpus Christi materialiter transmutetur, male vagantis erroris est, & melius est nos premi quasi seruitute, in venerando signo, tanquam religionis nostræ mysterio, nobis à Christo commendato, etiamsi mysterium nobis lateret occultum, q̄ inutilibus interpretationibus transsubstantiationis, vel consubstantiationis à iugo seruitutis, qua deuote mysterium, ignotum quoad modum, venerabamur, liberatam ceruicem laqueis erroris inserere. Tota profecto hæc Augustini regula eo tendit, vt in nostris quoque Sacramentis, signum ipsum seu Sacramentum, puta panem & vinum, dum Sacramentaliter sumuntur, pro re ipsa, seu effectu Sacramenti, quem ex tali sumptione assequimur, non accipiatur. Igitur secundum Augustinum, panis sacer non est corpus Christi, sed Sacramentum corporis Christi, res vero huius Sacramenti est effectus spiritualis, quo Christi corpus spiritualiter, digne comedenti panem hunc applicatur. Quod si in Eucharistia panis substantialiter verteretur in Christi corpus substantiale, tunc signum in se contineret rem ipsam, & pro ipsa re in ipso realiter existente sumi deberet, & verba Christi, *Hoc est corpus meum*, literaliter essent intelligenda, non figuraliter: cum tamen regula Augustini contrarium doceat, & talem literam literaliter sumptam in his signis occidere asserat, non viuificare.

CIX. Distinguit vero passim Augustinus, et in Eucharistia, rem Sacramenti à Sacramento ipso, vt ex pluribus locis à me postea afferendis clare apparebit, & rem Sacramenti aliam non agnoscit, nisi corpus Christi & sanguinem, quatenus spiritualiter iis qui digne communicant exhibetur; non enim in consecratione panis & vini, ponit Sacramentum, sed in sumptione & comestione ac potatione; quod si rem Sacramenti consecrationis faceret corpus substantiale, & sanguinem ipsum realem sub speciebus panis & vini existentia, tunc profecto quiuis, etiam indigne communicans, reciperet in se verum & reale corpus Christi, & verum sanguinem, licet indignus inutiliter & absque spirituali fructu ea sumeret. At vero Augustinus *tractat. 26. in Ioann.* negat expresse, ab indigno corpus Christi sumi: Qui non manet in Christo, *inquit*, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, n si carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Res igitur Sacramenti comestionis Eucharistiæ est corpus Christi & sanguis, spiritualiter secundum effectus spirituales in anima recepta; Sacramentum vero & non res Sacramenti, est panis & vinum, manducata, quæ quia sunt Sacramentum duntaxat, id est figurā & signum, & nō res ipsa quam secum ferunt si digne sumantur, ideo indigni accipiunt ipsum panem Sacramētalem, dentibusque eum terunt, & vinum similiter, sed corpus & sanguinem nequaquam. Discipuli, *inquit idem Augustinus, in Ioan. tract. 59.* manducabant panem Dominum, Iudas autem panem Domini.] Si panis consecratus esset Dominus ipse corporaliter, omnes panem Dominum comederent, boni vtiliter, mali inutiliter: at vero, quia panis non est Dominus, nisi figuraliter, efficaciter tamen quoad effectus spirituales, ideo boni panem Dominum comedunt, mali vero non nisi panem Domini. At panis qui non sit Dominus, sed Domini, est substantia iter panis, & non corpus, etiam post consecrationem. Alia loca inferius adducam & contraria soluam: hæc vero feruiant pro confirmatione regulæ Augustinianæ à me modo allatæ & explicatæ.

CX. Aliam regulam ex eodem Augustino *de doctrin. Christ. lib. 3. cap. 16.* iam profero eandem doctrinam continentem, & talis est, Si præceptiua locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videatur iubere, aut vtilitatē aut beneficentiā vetare, figurata est. Nisi mãducaueritis, inquit Christus *Ioan. 6. 53* carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur iubere: Figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.] Figuram poni hoc loco ab Augustino Bellarminus *de Euchar. lib. 1. cap. 7.* explicat, ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei.] At certe si substantia corporis Christi in Eucharistia substantialiter sumitur, quocunque illa modo sumatur, seu crasso illo carnali, quem Capharnaitæ perperam intelligebant, siue alio extraordinario, & miraculoso, absque scissione, dilaceratione, dimembratione, coctione, &c. Sed integraliter, absque vlla corporis ipsius læsione, locutio semper literalis erit, & non figurata. Figurata enim est, quando & quoties sensus literalis est absurdus; at absurdum nullum est, quod corpus Christi modo miraculoso vere, & realiter comedatur, & ore sumptum in stomachum deiiciatur; non enim modus, sed res ipsa inspicitur, quam locutio ex vi verborum exprimat, abstrahendo à modo: comedere corpus humanum est nefas, & absurdum in se, quocunque modo comedatur. Et ipsamet Augustini explicatio aufert hoc subterfugium: nam nullum modum addidit, nullumq; sensum, quo literaliter possit caro Christi comedi, & sanguis potari, nisi mere typicum & figuratum, de communicatione in passione, & memoria crucifixionis. Quod si agnouisset Christi corpus modo quodam spirituali, corporaliter tamen & substantialiter comedi, tunc explicasset etiam literaliter, comedi corpus Christi sub hoc modo, licet non sub illo alio Capharnaitarum: cum tamen absolute loquendo, non sit alius apud Augustinum modus comedendi carnem Christi, nisi figuralis & typicus; certe Augustinus corporalem comestionem carnis Christi nullam & sub nullo modo agnouit.

CXI. Firmissime crede, *inquit idem August nus de fide ad Petrum Diaconum, cap. decimo nono.* & nullatenus dubites, Verbum carnem factum se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo cui tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc sacrificium panis & vini in fide & charitate, S. Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit

carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio, atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. In illis sacrificiis quid nobis esset donandum figurate significabatur, in hoc autem sacrificio quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur: In illis sacrificiis prænunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus, in hoc autem pro impiis annunciatur occisus.] Ex huiusmodi locis dogmaticis, dogmatice & Theologice tractatis, colligenda est Augustini sententia, vbi articulos fidei Catholicæ proponit, & explicat firma fide tenendos. Nihil dico nunc de sacrificio Eucharistico, dicam postea: certe ipsa hostia panis & vini, figura tantum est Augustino carnis Christi iam crucifixæ, sicut hostiæ animalium sacrificatorum erant figuræ eiusdem Christi carnis, sed crucifigendæ. Ibi erat figura de futuro, hic vero figura etiam, sed de præterito. Hic nulla adest præsentia realis corporis Christi substantialiter, sed solum repræsentatiue & commemoratiue; Hic ostenditur quid factum fuerit, & annunciatur Christum iam fuisse pro impiis occisum. Non ait, veteres hostias fuisse figuras, nostram vero hostiam esse ipsam rem illis hostiis figuratam. Non ait, sacrificari incruentre ipsummet corpus Christi substantialiter in altari positum, in pane & vino eandem figuram ponit, quæ olim præcessit in sacrificiis, solum discrimen addit futuri & præteriti.

CXII. Explicat alicubi quæstionem illam Augustinus, *epist. vigesima tertia*, quomodo infantes baptizati dici possint habere fidem: aitque ideo eos dici fidem habere, quia habent Baptismum, qui est fidei Sacramentum.] Exemplificat in Eucharistia: Semel, *inquit*, immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento, non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec vtique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.]

Hæc ille. Obseruo verba illa. *Semel in se ipso immolatus est*. Colligo iam, ergo nunquam amplius in se ipso immolatur; Et tamen adhuc quotidie immolatur: sed non in seipso: & in tantum verum est in Augustino, Christum in Eucharistia immolari, in quantum Sacramenta non sunt quidem ipsa res quam significant, sed in quantum similitudinem aliquam illius rei, seu figuram gerunt, & illius sæpe etiam nomen accipiunt, ex vi solius figuræ seu similitudinis. Sicut, *inquit*, secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; Ita Sacramentum fidei, fides est.] Hunc locum dicit Bellarminus *de Euchar. lib. 2. cap. 24. obiecti n. 1.* fuisse à Berengario productum, & Doctores, Berengarii Confutatores, locum Augustini iam habuisse, affertque eorum solutiones & interpretationes, imo distorsiones. Et cum in solutione oēs varient, signum est satis vehemens, locum esse insolubilem, & vere mihi videtur insolubilis. Vt enim Augustinus confirmet, Sacramenta ex sola similitudine, seu figura, aut typo, sæpe nomine quoque rei quam significant efferri, licet ipsa Sacramenta res sua non sint, nisi pure similitudinarie, hoc est typice, & figuraliter, assumit rursus Eucharistiam, Ergo Eucharistia vnum ex illis Sacramentis est, in quibus Sacramentum ipsum nomine suæ rei solet exprimi, ex sola similitudine ad suam rem, non ex re. Quando igitur Eucharistia, hoc est panis sacer; dicitur corpus Christi, ideo sic vocatur, quia corpus Christi est res illa quam ipse panis significat, & cum qua habet similitudinem, non realitatem. Ita etiam, *inquit*, Baptismus est Sacramentum fidei, & huius Sacramenti res, quam ipsum Sacramentum significat, est fides, donum Dei, effectus Baptismi: & à tali re, etiam qui habet Baptismum, fidem habere dicitur: non quod Baptismus sit fides, sed quod fides sit res Baptismi; sicut panis dicitur corpus Christi, non quod sit corpus Christi, sed quia corpus Christi, vt spiritualiter animæ communicatum, est res Sacramenti Eucharistiæ; ideo optime addidit Augustinus, verbum illud, *secundum quendam modum*, id est, non realiter, sed similitudinarie. Sic etiam ibidem habet Augustinus Baptismum à Paulo vocari sepulturam, & non figuram sepulturæ Christi. Non ait, *inquit* sepulturam significamus, sed prorsus ait Paulus, *Roman. 6. 4.* Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit.] Sicut ergo Baptismi Sacramentum non est vere, & realiter Christi sepultura, sed typice duntaxat, & repræsentatiue, licet in Baptismo dicamur à Paulo simpliciter consepulti: ita prorsus explicat Augustinus Eucharistiam, licet dicatur corpus Christi, vere tamen, & realiter non esse corpus Christi, sed mystice duntaxat, & repræsentatiue: cum effectu tamen reali, sed spiritualiter. In Baptismo enim vere & realiter, sed spiritualiter consepelimur Christo, & ab hoc effectu reali, sed spirituali, baptismus vocatur sepultura, quia est Sacramentum sepulturæ: sic ab effectu reali, sed spirituali receptionis corporis Christi, Eucharistia vocatur corpus Christi, cum tamen non sit ipsa nisi Sacramentum corporis Christi. Expositiones itaque seu torsiones Paschasii, Lanfranci, Guitmundi, & Algeri, quibus nititur Bellarminus, non moror, quia meas has breues obseruationes in loco clarissimo Augustini labefactare non possunt.

CXIII. Opponebant aliquando Manichæi, Euangelium contraria docere iis, quæ sunt in veteri testamento, ac inter alia illud afferebant, *ex Deut. 12. 23.* Non esse edendum sanguinem, quia carnis anima sanguis sit: At Christus ait, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero nocere non possunt. Si sanguis, dicebant, anima est, certe in animam habent potestatem qui sanguinem fundere possunt. Respondet Augustinus, *cont. Adimant. cap. 12.* Præter id quod supra dixi, non ad me pertinere, quod agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præceptum illud (*de non comedendo sanguine*) in signo esse positum. Non enim Dominus dubitauit dicere, *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui.] Sententia igitur Augustini est, ita dici sanguinem esse animam animalis, sicut à Christo dicitur panem esse corpus ipsius, quia nimirum sanguis non sit anima re ipsa, sed significatiue tantum: sicut panis non est corpus Christi re ipsa, sed signum tantum ipsius. Vanum est ergo eorum subterfugium qui hoc loco Augustinum secundum sententiam Manichæorum loqui comminiscũtur. *Bellarminus de Eucharistia lib. secundo, cap. 24.* Nulla erat hic occasio tractandi de vero siue apparenti corpore Christi: sed soluenda erat illa quæstio de sanguine, & Augustinus expresse profitetur, se illam soluere ex

re ex se, ait enim, Possum etiam interpretari, &c. Alias duas solutiones addit Bellarminus: secunda est, Eucharistiam esse signum quidem corporis, sed non nudum signum, nec signum corporis absentis, sed præsentis, & sub speciebus panis contenti, sicut sanguis est signum animæ præsentis, quam ipse in se continet. Sed solutio hæc non sufficit: nam sanguis non continet animam, neque secundum multos Philosophos est animatus, & Philosophia ponit, animam potius residere radicaliter in corde, seu epate, seu cerebro, & sanguis est signum animæ, quia per sanguinem animal viuum & animarum conseruatur, & sanguine effuso animal moritur. Deinde Augustinus ait, illud quod dabat Christus discipulis dicens, *Hoc est corpus meum*, fuisse signum corporis, ergo illud non erat corpus. Non enim illud, *hoc*, significat, hæ solæ species; sed, hoc totum, quod vobis porrigo, est corpus meum, & de illo toto, inquit Augustinus, fuisse signum corporis, prout signum excludit corpus reale, & solam retinet significationem; ita sanguis, præsertim fusus (de tali enim loquitur præceptum, vt non comedatur) non est anima, neque signum animæ præsentis, nam si esset in sanguine anima præsens, tunc obiectio Manichæorum non fuisset ab Augustino soluta; sic enim Tyranni Christianos persequentes, etiam in animam haberent potestatem, siquidem in sanguinem habent potestatem. Tertia solutio est, Augustinum loqui de Eucharistia, prout est signum corporis in cruce immolati. Sed hoc non est ad rem, ibi enim nihil de cruce, nec de immolatione, sed ex ipsa Eucharistia, tanquam à simili exemplo, soluitur quæstio Manichæorum de sanguine. Quod si admittat Augustinus in Eucharistia realem & corporalem præsentiam corporis Christi, exemplum non est ad rem Debet enim ostendere, Tyrannos nullam habere potestatem in animam, tametsi habeant multam in sanguine, quia sanguis non est anima realiter, sed significatiue duntaxat, sicut Eucharistia non est corpus Christi realiter, sed tantum signum. Quod si Eucharistia esset tantum signũ corporis cruci affixi, esset tamen absolute corpus Christi iam gloriosum, exemplum non esset ad rem: quia sicut Eucharistia est verum corpus Christi gloriosum, ita Manichæi dicent, sanguinem esse veram animam humanam: & sic tyrannos in veram animam humanam habere potestatem.

CXIV Explicans illa Christi verba Augustinus idem, *Ioan 6.54. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*, ponit differentiam inter cibum corporalem, & inter hunc cibum carnis & sanguinis Domini: quod vita æterna haberi non possit sine cibo hoc corporis & sanguinis Christi: at vero temporalis possit haberi ex solo cibo corporali, absque hoc spirituali; quis vero sit iste cibus corporis & sanguinis Domini, quo vita æterna habetur; explicat esse societatem, & vnionem ac incorporationem cum sancta Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum; quod licet per fidem fiat, & de Eucharistia non videatur intelligendum, tamen statim ipsam Eucharistiam assumit considerandam, & subdit; *tract. 26. in Ioan* Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitã, quibusdam ad exitium.

Res vero ipsa cuius sacramentum est omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.] Ipsum ergo altaris sacramentum, pro sua re, non habet ipsum corpus materiale, & reale Christi, sed mysticum duntaxat; ait enim, *Huius rei sacramentum*, hoc est, incorporationis in Ecclesia sancta, quæ est corpus Christi per prædestinationem, vt ipse explicat ibidem, vocationem & iustificationem; sumitur à fidelibus in participatione Eucharistiæ, quæ Eucharistia quatenus est sacramentum, hoc est signum, typus, vel figura, à bonis sumitur ad vitam æternam, quia cum sacramento etiam rem ipsam sacramenti sumunt; à malis vero ad exitium, quia rem sacramenti non sumunt, quia res sacramenti huius nunquam ad exitium, semper ad vitam æternam sumitur. At si corpus Christi materiale & reale, esset res huius sacramenti, tunc mali quoque sumerent ipsum reale Christi corpus, sed inutiliter, & ad exitium, boni vero vtiliter & ad vitam. Negat vero expresse Augustinus, rem sacramenti Eucharistiæ posse à malis, & ad exitium sumi, quæ semper quoties sumitur, ad vitam sumitur: est enim ipsa incorporatio in vera sancta inuisibili Ecclesia, quam significat Eucharistiæ sacramentum, quæq; est res ipsius, secundum Augustinum: res profecto tota mystica & spiritualis, & ipsum Christi corpus mysticum & spirituale non reale, nec substantiale: quod adhuc clarius ibidem exprimit Augustinus, vt cibus & potus, quem in sacramento spiritualiter manducamus & bibimus, sit ipsum manere in Christo, eique mystice incorporari: qui, *inquit*, non manet in Christo, &c. vt supra *num.* 109. Et postea: *Ibid. tract.* 27. Diximus, *inquit*, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ, & potione sanguinis sui, vt in illo maneamus, & ipse in nobis. Manemus autem in illo cum sumus membra eius, &c.]

CXV. Insignis ille quoque est Augustini locus *Ibid. tract. 26 & in Psal. 77.* vbi ait; Hunc panem (*qui de cœlo à Christo dicitur descendisse*) significauit manna, hũc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerũt, in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur paria sunt; Apostolum audi, *1. Cor 10.3.* Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Spiritualem vtique eandem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, spiritualem vero quam nos.] Non est cur hoc loco differamus de vero Pauli sensu, & num eum Augustinus hoc loco sit assecutus; satis est vt ipsum Augustini sensum percipiamus, siue is fuerit Pauli, siue non fuerit, nihil refert. Augustini sane sensus est, Nostrum Eucharistiæ sacramentum par esse mannæ, & sacrificijs, in eo quod sit eiusdem Christi significatiua sicut & manna, & sacrificia Christum ipsum pro sua re significata habebant; licet res ipsæ sensibiles quæ ad significandum assumebantur olim, & nunc assumuntur, sint diuersæ. Ibi enim erat manna, & pecus; hic vero panis & vinum. Quod si sub speciebus nostri panis, nostrique vini adesset corpus ipsum Christi substantialiter, nostra Eucharistia non esset par Sacramentum Sacramento manna & sacrificiorum, sed longe præstantius; nostra enim Eucharistia esset ipsa res significata per mannam & sacrificia, & per petram etiam, ex qua aqua effluxit. At Augustinus dicit, etiam nostram Eucharistiam esse Sacramentum, vt illa Sacramenta, & habere eundem significatum, quem manna, &c. Sicut ergo manna non erat Christus, neque Christum in se continebat substantialiter, sed tantum typice, & figuratiue, distinctaq; erant Sacramentum, & res Sacramentalis, & res Sacramenti: Ita Eucharistia non est Christus substantialiter, sed tantum significatiue & figuraliter, & distincta sunt, panis, & vinum iam facta res Sacramentales, ab ipsa re Sacramenti, quæ est corpus Christi, spiritualiter dũtaxat in Sacramẽto bonis & dignis exhibi-

hibitum. Respondet Bellarminus *de Euch. l. 1. c. vlt.* hoc pacto: Dicit Augustinus, eandem nobiscum escam manducasse Hebræos; sed explicat, quomodo eandē, nimirum significatione; quia idem significant Sacramenta illa, & nostra --- & præterea eadem sunt significatione, quia nostra cōtinent quod illa significant, vt aperte Augustinus ait *in Ps. 77.* Idem, *inquit*, in mysterio cibus & potus illorum, & noster, sed significatione idem, non specie; quia idem ipse Christus illis in Petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Vbi vides Iudæis tribui Christum in Petra, nobis in carne: quam nimirum petra illa figurabat. Affert & aliud exemplum ex Augustino *cont. lit. Petil. l. 2. c. 37.* videlicet; Aliud est Pascha quod Iudæi de oue celebrant, aliud quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus. Vbi vides, *inquit Bellarminus*, pro oue quam habebant Iudæi nobis non tribui panem, sed corpus & sanguinem Domini, quæ oue illa significabātur. Non igitur apud Augustinum eadem erit esca Iudæorum & Christianorum quoad rem ipsam, sed solum quoad significationem: quo modo dicuntur idem esse figura & figuratum, quia vnum est vere quod alterum est typice.] Ita Bellarminus.

CXVI. Is tamen adeo paulatim distrahit locum præcipuum ex Augustino propositum, vt tandem clarum Augustini dictum, in aliud penitus contrariū dictum conuerterit, an subuerterit? In Augustino Sacramenta vetera & nostra, re discrepant, id est re ipsa sensibili ad significandum assumpta: significatione vero, hoc est ipsa re significata penitus conueniunt: hæc vero res significata est ipsemet & idem Christus. In signis, *inquit*, diuersa sunt: hoc est in ipso materiali, quod pro signo significante sumitur. Nam ibi manna est, vel pecus vel petra, &c. hic vero panis, & vinum, & in his est diuersitas. In re vero quæ significatur, inquit, paria sunt. Identitas igitur est in sola re per vtraque Sacramenta significata. Esca ergo nostra, & esca Hebræorum, eadem est significatione, id est, in re significata, quia & illi & nos comedimus Christum, & Christus est vtrisque esca significata seu figurata. At vero ipsa esca materialis & significans duntaxat, est valde diuersa: ibi manna & caro pecorum, hic vero panis & vinum. Et ita non comparantur ab Augustino ex aduerso inter se Sacramenta vetera cum nouis relatiue, vt figurans & figuratum, signum & signatum, relatiuum, & correlatiuum, sed comparantur, vt duo diuersa relatiua ad suum correlatiuum, puta manna & panis, duæ res diuersæ, relatiuæ tamen, tanquam signa ad correlatiuum, & rem ab vtroque signatam. Vt relatiua ergo sunt diuersa inter se, in correlatiuo tamen, quia vtriusque huius relatiui vnicum & idem est correlatiuum, vnum sunt & vnum dicuntur esse significatiue. Quod si manna significat nostrum panem, comparabuntur inter se opposite, vt relatiuum vnum cum suo correlatiuo, qui sensus est ab Augustini loco remotissimus. Falsum ergo est quod ait Bellarminus, Augustinum dicere, nostra Sacramenta continere quod vetera significant, sed ait, & nostra & vetera, licet rebus ipsis significantibus diuersa sint, & plurimum distincta, in re significata tamen conuenire. Et locus ex enarratione *Psalmi 77.* eundem penitus habet sensum, rem significatam eandem esse ipsis & nobis, cum sola differentia præteriti, & futuri. Nam re ipsa significata, cibus noster est Christus, qui fuit etiam cibus ipsorum, & potus. Specie tamen, *inquit*, non sunt idem: id est re ipsa sensibili, significante; illorum enim petra, vera petra materialis significabat Christum: nobis panis vere materialis, significat eundem Christum, cum hoc tamen discrimine, quod illa petra futurum Christum vmbratice, & sub sola spe nec clara significabat: noster panis eundem quoque nobis significat, sed iam in carne manifestatum, & re ipsa exhibitum, & hoc non est tribui Christum Iudæis in petra, nobis in carne: sed petram Iudæis Christum speratum & futurum significasse, nobis panem, eundem iam incarnatum significare, & exhibere.

CXVII. Et quod de Pascha & oue asserit, nihil huc spectat. Nam eo loci disputat cum Donatistis, qui rebaptizationem inducebant, etiam illo argumento quod Paulus iam baptizatos à Ioanne Baptista, Iterum baptizandos esse censuerit *Act. 19. 5.* Respondet Augustinus, *cont. lit. Petil. l. 2. c. 37.* Baptismum Ioannis, & Baptismum Christi fuisse diuersos, & ideo non fuisse illam rebaptizationem. Diuersitatem autem in eo ponit, quod Baptismus Ioannis adhuc ad prænunciationem Christi pertineret, sed plane nouissimam: Baptismus vero Christi, iam Christum exhibitum, & in carne manifestatum denotet. Considerat itaque hoc loco Augustinus differentias etiam in re ipsa significata Sacramentorum veterum & nouorum: respectu Christi sub spe, & tanquam venturi, vel sub re & iam habiti. Lex enim & prophetæ, *inquit*, vsque ad Ioannem Baptistam. Sacramenta habebant prænunciantia rem futuram, nostri vero temporis Sacramēta venisse contestantur, quod illa venturum esse prædicabant. --- Sed sicut aliud est carnis circuncisio Iudæorum, aliud autem, quod octauo die baptizatorum nos celebramus: & aliud est Pascha, quod adhuc illi de oue celebrant: aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus; sic alius fuit baptismus Ioannis, alius est baptismus Christi: illis n. ventura ista prænunciabantur, istis completa illa prędicantur.] Itaq; non opponit Augustinus Pascha ouis Eucharistiæ, vt relatiuum & correlatiuum, vt contendit Bellarminus: sed comparat inter se Sacramenta vetera & Sacramenta noua, in suo significato diuersa: quia illa prænunciabant futurum, hæc annunciant iā factum. Comestio Paschatis agnini erat figura, vt ibidem ait Augustinus, passionis Christi, & transitionis de hoc mundo ad Patrem: Eucharistia vero nostra eandem passionem & transitionem Christi nobis commemorat, & annunciat vt iam completas, & hanc ponit differentiam Augustinus inter Pascha Hebræorum & nostram Eucharistiam, quam vocat corpus & sanguinem Domini, quia iam explicuit, Sacramenta nomen rei quam significant solere assumere. Atq; ita manifeste apparet, escam nostram & escā Iudæorum esse in re sensibili diuersas, in re significata secundum se esse eandem: At vero in re significata, sub spe & venturo, aut sub re & iam exhibito, similiter esse valde diuersa: Neque comparari Sacramenta vetera cum nouis, sicut comparantur figura & figuratum: quo se frustra receperat Bellarminus. Imo miror quomodo vir tanti ingenij, non viderit comparationem inter figuram & suum figuratum, identitatem præ se ferre, & non diuersitatem: ex figura enim & figurato, seu ex signo & significatione fit vnum quid per se. At Augustinus inter Pascha Iudæorum & inter nostram Eucharistiam ponit diuersitatem, vt ex tali exemplo explicet melius inter Baptismum Ioannis & Baptismum Christi diuersitatem. Quod si inter hos duos Baptismos esset illa sola differentia, quæ est inter signum & signatum, figuram & figuratum, debuisset Augustinus respondere Donatistis, Paulum non repetiuisse illum Baptismum, sed adimplesse: & tamen tota solutio Augustini est rebaptiza-

priuationem illam non fuisse, quia Baptismus Christi esset à Baptismo Ioannis alius & diuersus.

CXVIII. In suis enarrationibus in Psalmos, habet Augustinus plura loca, in quibus incidenter attingit eandem suam hactenus explicatam de Eucharistia sententiam, eam non nisi figuraliter, & typice dici corpus Christi, vnico nunc simus contenti, inferius in obiectionibus alia ponderabo. *in Ps. 3.* Christus, *inquit*, adhibuit Iudam ad conuiuiũ, in quo corporis sui figuram discipulis commendauit. & tradidit. Hic figuram nescio quam crucifixi imaginatur Bellarminus *de Euch. l. 2. c. 24.* in Eucharistia, sed illud mirabile est, quod cum toties Augustinus Eucharistiam aperte vocarit figuram, similitudinem, mysterium, Sacramentum corporis Christi, nunquam tamen occurrere voluerit lectorum periculo, & monere se figuram in eo sensu sumere in quo non præiudicetur veritati, & realitati corporis Christi in Eucharistia substantialiter præsentis. Et quomodo quæso corpus Christi reale, viuum, & gloriosum, potest dici figura corporis Christi, in cruce pendentis. Sic igitur Christus ipse quando vulnera sua Thomæ tentanda exhibebat, erat figura sui corporis crucifixi. Quis hoc dicat? Quæ locutio peregrina istæc erit? Eucharistia est quidem memoria passionis, & panis consecratus est figura corporis Christi iam impassibilis, immortalis & gloriosi, non in cruce pendentis.

CXIX In alium Psalmum 98 ait, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent; sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.] Negat Augustinus in Eucharistia comesturos fuisse Apostolos illud corpus Christi, quod ipsi videbant in ipsa cœna, quando eos primum Christus erat communicaturus, Et sub illis verbis *Hoc est corpus meũ,* innuit Augustinus, non veritatem literalem, sed sacramentalem contineri. Neq; valet effugium Lanfranci & Bellarmini, nempe dicere, Augustinum non idem corpus manducandum, id est, inquiunt, non eodem modo: videlicet passibile & mortale. At Augustinus substantialiter hoc loco sumit corpus, non accidentaliter; ei enim corpori, quod negat comedendum, non opponit idem corpus sub alio modo, sed opponit sacramentum, hoc est, locutionem non esse literalem, sed figuratam, & vt supra monebam, si in Eucharistia esset corpus Christi reale substantialiter, nimis periculose loqueretur Augustinus verbis de se præsentiæ realis destructiuis, & nimis violentum est interpretari verba, *Non comedetis hoc corpus*; vt significent non comederis hoc corpus sub eo modo sub quo nunc sum, id est, passibile, & mortale. Certe hoc corpus directe significat ipsam substantiam corporis, non qualitates. Et si panis ille in prima illa cœna transubstantiabatur, certe in tale corpus transmutabatur, quale tunc erat corpus Christi actualiter, hoc est, in corpus passibile, & mortale, licet non passibiliter, neq; cum læsione ex dentibus, aut ex concoctione, & consequenter illi comesturi erant corpus passibile, sed impassibiliter: Non ergo negat Augustinus, comestionem corporis passibilis, sed absolute negat comestionem illius corporis substantialiter, vt relinquat solum mysterium & sacramentum siue signum & figuram.

CXX. Ad Augustini autoritatem reducimus etiã sententias Prosperi quasdam in hoc argumento, quas simul in vnum caput collegit Gratianus, *De consec. dist. 2. c. 48.* quæ sic habent. Caro eius est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus: & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis: carne & sanguine vtroque inuisibili, intelligibili, spirituali significatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina Maiestate.] Ecce sub forma panis, id est in ipso vero & reali pane, accipimus carnem Christi sacramentaliter, & in pane ac vino latet caro, & sanguis Christi inuisibilis, id est, spiritualis: atq; hæc ipsa caro & sanguis quæ in pane & vino latent inuisibiliter, non sunt ipsum corpus Christi, sed inuisibiliter intelligibiliter, spiritualiter, significant ipsum verum & palpabile Christi corpus. Sunt ergo signa tantum. Quod si substantialiter in pane esset corpus, hoc corpus non posset dici significare verum corpus palpabile, sed esse ipsum corpus quod in se est palpabile, sed in sacramento adesse absque palpabilitate.

CXXI. Addatur demum locus quidam Augustini à Beda in epist. 1. Cor. 10. citatus, *Apud Bel vbi sup. c. 24.* Quod vidistis, inquit, panis est, & calix, quod nobis etiam oculi renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, & calix est sanguis -- quomodo est panis corpus eius? & calix, vel quod habet calix quomodo est sanguis eius? -- Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in illis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem; quod intelligitur fructum habet spiritualem Corpus ergo Christi, si vis intelligere, audi Apostolum dicentem. Vos estis corpus Christi, &c.] Hæc sunt clarissima: Panis Eucharistiæ est vere talis panis qualem oculi, & sensus ipsi declarant: fide tamen credimus in eo Christi corpus exhiberi, non corporaliter, sed intellectualiter, & per fructum spiritualem. Si præsentiam realem teneret Augustinus, diceret, quod videtur speciem haber corporalem panis; quod intelligitur, est ipsum corpus Christi sub accidentibus panis substantialiter latens; & non hoc dicit, sed absolute ibi speciem corporalem esse panis, & quod intelligitur ac significatur, esse fructum spiritualem. Itaque corpus Christi in Eucharistia est fructus spiritualis corporis Christi, non ipsum corpus substantiale.

CXXII. Obijcit Bellarminus, *vbi sup. c. 24. ad fin.* Si Augustinus vellet dicere, in altari esse panem, etiam quoad substantiam, & id probaret testimonio oculorũ, vt verba eius prima fronte sonare videntur, repugnaret apertissime Cyrillo, Ambrosio, Nysseno, Epiphanio, Gaudentio, Chrysostomo, qui disertis verbis dicunt sensus falli, &c.] At nulla est certior, & euidentior cognitio in natura quam sensata, vbi & sensorium sit bene dispositum, & obiectum rite applicatum; Neque venit vnquam in mentem cuiquam ex nunc nominatis aut alijs Patribus, extra Philosophis, adesse accidentia omnia propria etiam quarto modo alicuius substantiæ, & non adesse ipsam substantiam; sicut neq; imaginati sunt vnquam, corpus adesse posse absque palpabilitate, & omni alia sensibilitate. Et Patres nominati sunt iam à me explicati, nec illi ab Augustino, nec Augustinus ab illis dissentit, omnes panem verum in Eucharistia agnoscunt, & corpus Christi non nisi figuraliter & spiritualiter.

CXXIII. Quod etiam ait Bellarminus, Augustinũ non respondere hoc loco ad quæstionem, quomodo panis sit corpus Christi, non est admittendum: plene enim respondet, non esse corpus Christi realiter & corporaliter, sed sacramẽtaliter & spiritualiter ratione fructus spiritualis, quẽ recipiũt digne sumẽtes Eucharistiam: & hunc fructum præcipue in eo consistere, quod

quod per Eucharistiam, quisque se incorporatum corpori Christi mystico, quod est Ecclesia, intelligit, & percipit, & sic vult Eucharistiam esse corpus Christi, quia per eam mystico Christi corpori & coniungimur & vnimur.

CXXIV. Præsentiæ tamen realis in Eucharistia corporis Christi, Augustinum assertorem conatur facere Bellarminus *eodem c.14.init.* loca quæ producit ex singulis ferme tomis Augustini operum, sunt huiusmodi: Ex primo, *Aug.conf.l.9.c.13.* Monica mater Augusti ni dicitur desiderasse memoriam sui fieri ad altare, vnde sciret victimam sanctam dispensari, ligasseque animam suam fidei vinculo ad nostri precij sacramentum.] Respondeo cum Eucharistia digne sumentib. dispensari victimam sanctam, ipsum Christum, sed spiritualiter, tanquam rem & fructum sacramenti: & illa ligauit animam suam vinculo fidei ad precij nostri sacramentum, id est, ad crucem & passionem Christi, in qua cruce & passione constat nostræ redemptionis sacramentum, hoc est mysterium.

CXXV. Ex secundo, *Aug.ep.86.* Reprehendit Augustinus Vrbicum, quod dixerit, cessisse pani pecus, & sanguinem poculo, id est, vetera sacramenta nouis: potius debuisse dicere, panem pani & sanguinem sanguini cessisse, &c. Videtur ergo sentire Augustinus, panem Eucharisticum esse supra panes propositionis, & vinum supra sanguinem hostiarum, cum sit sanguis Domini. Figuratiue vero non cederent, si etiam nostra essent nudæ figuræ, sicut & illa fuerunt. Respondeo, neq; Vrbicum, neq; Augustinum agere de dignitate seu disparitate inter vetera & noua sacramenta: Sed de solo rerum vsu in mysterijs. Vrbicus enim Sabbati ieiunium reprehendebat, quod videretur quædam Sabbati antiqui obseruatio: contendebatq; vetera omnia transijsse, & in Christo facta esse noua; & ita transijsse, vt res illæ quæ fuerunt olim Iudæis in mysterijs, nulli sint amplius mysterioso vsui in Euangelio, sed in alias res mutatæ sint, cesserintque ara altari, gladius ieiunio, precib. ignis, pani pecus poculo sanguis: Augustinus illum reprehendit, & docet easdem res in mysterijs nostris nos adhuc habere, & illos habuisse nostras. Nam & illi altaris nomen sæpissime habent, & nos aræ, nam sub ara Dei sancti clamare dicuntur. *Apoc.8.9.* & nos gladium habemus ex vtroque testamento bis acutum, hoc est verbum Dei Illi quoque preces offerebant in templo, & ad nos ignem Christus detulit in terram. *Luc.12.49.* Illi panib. quoque vtebantur in mensa propositionis; *Exo.25.30.* & nos agnum Christum spiritualiter comedimus, & in poculo sanguinem quoque Christi spiritualiter bibimus. Cesserunt igitur illæ eædem res veteres quoad materialia, non alijs & diuersis, sed illis ijsdem rebus, nouis tamen, & nouo modo nunc operantibus. Sic Sabbatum vno modo colebatur in lege. alio modo per ieiunium colitur, inquit Augustinus, in illis Ecclesijs in quibus Sabbato ieiunatur. In eo autem secundum Augustinum male dicebat Vrbicus, cessisse pecus pani, quia & nos adhuc vsum habemus agni, & illi vsum mysticum habuerunt panis; nam cedere pecus pani, significabat in sensu Vrbici, iam cessasse vsum agni quemcunque, & subintrasse ad mysteria panem, cuius vsus non esset in veteribus mysterijs, & in hoc reprehenditur Vrbicus ab Augustino; quia & olim fuit panis adhibitus in mysterijs, & nunc agnus spiritualiter tantum adhibetur. Bellarminus ergo male intelligit, cedere pecus pani esse, panem plus in se continere mysterij quam contineret agnus, cum tamen significatione paria sint; ideo panem vult esse ipsum corpus Christi, quod agnus duntaxat significabat. Sed hic locus hanc non habet comparationem, vt ostendi. Quod si etiam illam haberet, adhuc posita sola significatione corporis Christi, in pane, & non realitate, pani cederet agnus: quia ille significabat tantum corpus Christi, sed non exhibebat, at panis noster, & significat & simul exhibet, sed spiritualiter modis iam explicatis: sic etiam pro pane propositionum significatiuo, sed non exhibitiuo, nos habemus panem Eucharisticum significatiuum & exhibitiuum corporis Christi. Loco agni materialis nos spiritualiter sumimus agnum Dei Christi corpus: loco sanguinis pecorum nobis prodest, nosque lauat & mundat sanguis ipse Christi, in cruce effusus, quem etiam spiritualiter in vino bibimus.

CXXVI. Ex eodem secundo tomo, affert alium locum, in quo Augustinus superbos homines ait accipere de mensa Domini corpus Domini, & adorare, sed non saturari: at panis simplex non adoratur.] Respondeo, per adorationem intelligi actum deuotionis, & venerationis illius, quæ sacris rebus debetur, non latriam Sed & possumus latria Christum adorare in cœlis existentem, dum sumimus eius corporis Sacramenta. Ita vt de altari corpus Christi, id est, figuram corporis Christi sumamus, & tamen ipsum Christum sub hac figura figuratū, & nobis spiritualiter exhibitum adoremus, figuram vero ipsam non adoremus.

CXXVII. Ex tertio tomo profert aliquot dicta Augustini. Primum est. Non verba quibus prædicatur Christus, non scripturas quibus idem annuntiatur vocari corpus Christi, sed panem consecratum: quod si panis non est corpus nisi figuratiue, cur etiam verba & scriptura eadem ratione non possunt vocari corpus. siquidem & ipsa non minus sint signa corporis.] Respondeo, hæc nihil facere ad præsentiam realem in sententia Augustini: nam nec directe, nec indirecte quicquam habet hoc loco Augustinus, quod præsentiam realem astruat, quam potius destruit. Cū enim æque signum cognoscat in pane, atque in lingua vel scriptura, non nisi figuram corporis agnoscit in pane; Additque id quod vsus fert, non quod ratio dictat, panem nihilominus vocari corpus, non ita voces aut scripturas. Et hic vsus verus est. Cur autem ita fiat, nihil dicit Augustinus, neq; innuit. Cur vero nos diuinare volumus, id inde esse ex Augustini sententia, quia panis est verum corpus Christi, & non nudum signum, sicut illa; cum tamen passim Augustinus nudum signum agnoscat & expresse fateatur. Sed vt hūc etiam scrupulum eximamus, dicimus panem esse signum voluntarium ex diuina institutione, & efficax, cum vera exhibitione realis corporis Christi, sed spiritualiter; at illa sunt signa sine exhibitione, & iam potius ferme naturalia, mereq; humana; & significant corpus Christi directe & immediate, non vt est in se, sed vt est in mente loquentis & scribentis: Voces n. sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ, inquit Philosophus; *Arist.l.1.de interp.c.1.* at panis significat imediate ipsum corpus Christi reale, vt in se est.

CXXVIII. Addit Bellarminus verba sequentia Augustini, Non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. At si tantum significatiue Eucharistia est corpus Christi, quid opus Spiritus Sancti operatione? inquit Bellarminus: & miraculum in Eucharistia adesse colligit ex Augustini loco eodem, ibi enim de miraculis agit, inquit.] Nihil habet in Augustino Bellarminus quo veritatem corporis probet, ideo deductiones solas valde remotas emendicat. An nescit Sacramenti institutionem, ad diuinam solam spectare omnipotentiā?

Scit,

Scit, sed respondet, Sacramenti institutionem, & etiam confectionem, si nihil sit nisi signum, nullam requirere inuisibilem operationem Spiritus Sancti.] Profecto hæc audacter. Signa ergo diuinitus instituta, etiam nuda signa, sine diuina inuisibili actione instituti poterunt? Igitur sine diuina inuisibili actione potuit Noe, vel alius purus homo, instituere vt arcus Iridis in nubib. sit signum fœderis inter Deũ & terrã? *Gen. 9. 13.* Sed prĕterea toties monui, Sacramenta non esse nuda signa, sed efficacia, & re ipsa exhibere ipsam rem Sacramenti, & esto, id faciant sola excitatione, non in mentibus nostris efficientia hæc erit, sed in Sacramento: in mentibus vero nostris effectus recipietur, vt passio immanens, non vt actio transiens, quæ actio est in Sacramento, non in mente, modis iam explicatis. Miraculum quoque an exiguum est, quod panis materialis consecratus & manducatus, exhibeat actu animę fructus spirituales corporis Christi veri & realis? Sed & falsum est Augustinum ibi *ep. 120 c. 5.* agere de solis miraculis: agit enim de omni externa operatione, in qua se Deus manifestat, siue mediante natura, siue etiam per immediatam omnipotentiam. Quod enim miraculum est, quod sæpe pluat, quamuis miraculosa fuerit Eliæ pluuia *3. Reg. 18. 45.* & tamen in vtroque pluuiæ genere, diuinam agnoscit Augustinus operationem. Quod miraculum est, quod humor terræ à vite attractus in botrum se reducat, & vinum faciat? & tamen hoc ipsum vinum diuinam omnipotentiam non minus prædicare ait ibidem Augustinus, quam vinum repente ex aqua factum in Cana Galileæ ad nuptias: & sic de alijs. Nihil ergo pro veritate corporis hinc habet ex Augustino Bellarminus: ego vero aliquid habeo contra corporis veritatem. Ait enim Augustinus; *ibid. c. 4. & c. 11.* Facit Deus quæ vult sensibilia atque visibilia, ad seipsum in eis sicut oportere ipse nouit significandum & demonstrandum, non ipsa sua qua est apparente substantia, quæ omnino incommutabilis est, &c.] Quando ergo Deus siue Pater, siue Filius, siue Spiritus Sanctus, siue tota Trinitas simul, in rebus visibilibus apparent, tunc per substantiam suam non apparent, Ergo neque Christus in Eucharistia.

CXXIX. Transitum facit ad alium locum eiusdem libri Bellarminus, vbi Augustinus ait, Nos nescire quomodo Angeli fecerint, vel assumpserint aliqua corpora in veteri testamento, nos tamen credere in illis Deum apparuisse. Sicut infantes nostri nesciũt quomodo fiat Eucharistia, licet fide credant in illa forma apparuisse Dominum, & in calice sanguinem Domini esse, quia eis autoritate grauissima dicit, panem illum & vinum esse corpus & sanguinem Domini.] Instat Bellarminus, *de Euch. l. 2. c. 24.* Sed infantes, quib. dicitur illud autoritate grauissima, non credũt illa esse corpus & sanguinem significatiue, sed vere, & proprie: non n. valent illi intelligere ex se istos tropos, sed credunt simpliciter, id quod eis dicitur Neq; falso credunt, alioquin docendi, & instruendi fuissent. Præterea Angeli vere & proprie aderant in illis formis, ergo similiter vere & proprie corpus Christi in pane. Alioquin nihil valet Augustini comparatio, & tota eius disputatio corruit.] Hæc Bellarminus. Pergit ille in suis diuinationibus, & locum profecto multo magis veritatem corporis negantem, quam asserentem, pro se nihilominus torquet, & distorquet. Tota profecto illa Augustini disputatio, est de Dei manifestationib. factis in reb. sensibilibus: contẽditque nunquam Deum per suam substantiam in talib. affuisse, ita vt immediate ipse Deus talia corpora assumeret, & per ea vel loqueretur, vel aliud quid quo se manifestaret hominibus operaretur; sed semper in ijs Angelorum ministerio esse vsum: & ipsos Angelos vel in propria persona locutos, vt quando dicebant, Dicit Dominus, &c. vel etiam in persona ipsa diuina. Aitque Augustinus nobis quidem esse ignotum qua ratione illa corpora Angeli assumerent, iisq; vterentur, fide tamen nobis esse certum, quod Dominus per illas formas se manifestabat. Sicut, inquit nostri pueri mysterijs præsentes & participantes, nihil sciunt quomodo Eucharistia conficiatur, & vnde illa in vsum religionis assumatur: Credunt tamen Dominum se sub forma panis & vini nobis manifestare. Nec putet Bellarminus illos pueros, qui tempore Augustini sacra mysteria frequentabant, fuisse pueros Ecclesiæ Romanæ post inductam transubstantiationem alumnos: quib. ab ipsa prima infantia opplentur aures à matrib. & nutricib. hostiolam illam missæ esse Deum, adorandum, metuendũ, tremendum. Sed erant pueri in ea Ecclesia, in qua à tenera infantia audiebant, sub forma panis Dominũ se per suos effectus spirituales manifestare: Neq; errabant; nam etiam docti, & ipse Augustinus idem sentiunt de præsentia Christi in Eucharistia, quod de præsentia Spiritus Sancti in columba, vel in igne, & de præsentia Dei in nube, &c. non per substantiam, sed per effectus diuinos: & hoc ordinarie, quando effectus essent sensibiles, per ministerium Angelorum. Non igitur formæ illæ assumebantur, vt Angelum manifestarent, sed Dominum, Angeli ministerio & famulatu. Erat ergo realiter Angelus præsens in illis formis, sed non realiter, neq; substantialiter erat Dominus, nisi ostensiue, & nisi negetur in Eucharistia veritas corporis, Augustini exemplum & disputatio penitus corruunt. Debet enim quoad virtutem & effectus, non quoad substantiam in illis formis sensibilibus ponere Dei manifestationem.

CXXX. Nos vero notemus obsecro verba illa Augustini *ibid. cap. 10.* Quod in altari ponitur & peracta pietatis celebratione consumitur? Et illa, *ibid.* Aliquãdo ad hoc fit eadem species, vel aliquantulũ mansura sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in heremo; *Num. 21. 9.* sicut possunt & literæ: vel peracto mysterio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.] Panis ergo est ille, nõ corpus Christi substantialiter: quia in accipiendo Sacramento consumitur, corpus tamen Christi non consumitur. Consumitur quoad substantiã, inquit Bellarminus *vbi sup. c. 24.* peracta consecratione, quia transubstantiatur: & quoad accidentia consumitur dum manducatur. Atqui Augustinus in sola mãducatione totã ponit panis consumptionẽ. In accipiendo, *inquit*, Sacramento cõsumitur: at nuda accidentia per se nõ consumuntur, nã vera consumptio est substantiæ. Sed neq; illud omittam notare, ex hoc loco Augustini Bellarminũ asserere, non potuisse Augustinum negare, Christum videri in Sacramento altaris: ait n. Augustinus Pueros credere in specie panis & vini Dominũ oculis apparuisse mortalium.] Ergo etiam Spiritus sanctus in columba videtur: & Deus ipse oculis corporeis in columba nubis & ignis videbatur. Nam in his omnib, & alijs talib. formis Dominum apparuisse mortalib. affirmat eodem loco Augustinus. Apparebat ergo, hoc est, ostendebatur per suos effectus & manifestabatur: ita etiam in Sacramento altaris apparet oculis mortalium, id est exhibet aliquam speciem visibilem, per quam inuisibiliter spirituales effectus promissi producuntur.

CXXXI. Ex tomo 4. accipit Bellarm. dictũ Augustini

stini in *Leuitic.l.3.qq.57.* vbi ipse Augustinus ait, Sanguinem sacrificiorum, qui pro peccatis offerebatur, prohibitum fuisse ne comederetur; sanguinem vero Christi, iuberi vt bibatur.] Hoc ipsum tamen dictum allatum supra à nobis est *nu.51.* tanquam dictum Cypriani. Responsio itaque illa huc quoque quadrabit.

CXXXII. Ex tomo quinto illud adducit, *ex lib. de Ciuit. Dei l.17.c.20.* Mensam à Christo exhiberi de corpore & sanguine. Id enim, *inquit*, sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri, -- Quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.] Respondeo, In mensa sacra nobis porrigitur panis, qui mystice & figuraliter est corpus Christi; & hoc sacramentum habet pro sua re, quam exhibet spiritualiter, ipsum verum & reale corp' Christi. Et hoc verum ac reale corpus Christi fuit victima illa, per vetera sacrificia figurata. Neque est intelligendum, hoc sacrificium commemoratiuum, quod nos in sumptione sacramenti celebramus, esse figuratum illorum sacrificiorum, nisi in eo, quod nos per sacramentum repræsentamus, & in memoriam duntaxat celebramus. Et sic pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus, corpus Christi in figura panis à nobis offertur, & participantibus ministratur, cum memoria & repræsentatione illius veri sacrificij, quod vetera omnia adimpleuit. Itaque & commemoratiue & repræsentatiue, non realiter Christi corpus verum in sacramento Eucharistiæ offertur, & spiritualiter non corporaliter, sub typo panis participantibus ministratur.

CXXXIII. Et sexto profert Augustinum *cont. Faust. l.12.c.10.* dicentem, Fideles eum sanguinem ore percipere quo redempti sunt. Et *lib. d. c.20.* Nunc bibi qd' ex latere Christi manauit. Et *l. ii. cont. aduer. leg. & proph. l.2.c.9.* Nos Iesum Christum mediatorem carnem suam nobis manducandam, bibendumq; sanguinẽ dantem fideli corde atque ore suscipere. Quamuis, *inquit*, horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere & humanum sanguinem potare, quam fundere.] Hæc tamen omnia & similia loca de re sacramenti, quę spiritualiter in ipso sacramẽto exhibetur & percipitur, intelliguntur: & cuius nomine etiam sacramentum ipsum vocari solere iam monuit Augustinus. Itaque ore percipitur sanguis ipse verus & realis, dum sacramentum ipsum sanguinis, id est, vinum figurans sanguinem, vere ore sumitur: ipse vero verus sanguis, corde, fide, & spiritualiter, sed cum sacramento & per sacramentum. Non sunt igitur hic separanda sacramentum & res sacramenti, quia de solis digne recipientibus loquitur Augustinus; sed sunt simul coniungẽda, licet ipsa inter se sint valde distincta. Ita ad sacramentum spectat, vt ore percipiatur, ad rem vero sacramenti, quæ est corpus & sanguis, vt corde.

Ex septimo affert oppositionem inter agnum Paschalem & Eucharistiam. Eam nos supra *nu.116.* considerauimus, & contra veritatem præsentiæ corporis adduximus.

CXXXIV. Ex octauo, plurimum vrget Bellarminus dictum illud Augustini, *in Ps.33* quo ait, Christum in manibus suis fuisse; quando commendans ipsum corpus suum discipulis, dicebat, *Hoc est corpus meum.*] Respondeo, Augustinum in illis suis enarrationibus in Psalmos, concionatorie plurimum, parum scholastice agere. & tam violentas sæpe adducere mysticas suas explicationes, vt vix illas litera possit sustinere; nam & literæ nullam fermè curam suscepit in eo opere Augustinus. Sensus tamen Augustini est; Christum in suis manibus fuisse portatum, dum sacramenta sui corporis figuratiua & etiam exhibitiua portaret. Illud vero oratorie dum addit, Quomodo posset fieri in homine, quis hoc intelligit? -- Manibus aliorum portari potest homo, manibus suis nemo portatur. At nulla, inquit Bellarminus, difficultas est propriam figuram portare, vt quando Princeps in suo sacculo monetam ponat sua imagine signatam.] Sed ænigmata omnia in cortice literæ, impossibilia quædam aspectui obiiciunt, quæ solent à proponente etiam exaggerari, vt facit hoc loco ipse Augustinus; mox soluta, omni penitus carent difficultate. Tale fuit ænigma Samsonis, *Iudic.14.14.* de comedente exiisse cibum. Aenigmatice proinde etiam Christus se ipsum ferebat in suis manibus, dum figuram sui corporis panem ferebat. Sed ne hoc quidem tam facile est, vt si suam imaginem depictam vel impressam aut sculptam ferret, vel nomen suum literis exaratum. Panis enim aliquid plus est, quam nuda imago, vel nudum signum, quia est signum efficax, & actualiter exhibens verum Christi corpus, modis toties iam explicatis.

CXXXV. Deinde plurimum vrget adorationem quandam, quam ponit Augustinus in Eucharistia. Nemo, *inquit*, illam carnem manducat nisi prius adorauerit. Et inde soluit Augustinus, quomodo scabellum pedum adoretur: scabellum enim pedum Domini facit terram, terram deinde facit corpus Christi, & mox panem Eucharisticum facit hoc corpus, cui pani videtur asserere à sumentibus exhiberi adorationem.] Ecce, quod modo dicebam, violentas Augustini tropologias: ex quibus profecto, æquum non est, alia clarissima Augustini loca labefactare. Seruet suam regulam Bellarminus, & ea seruata locus hic Augustini, nihil ei pro veritate corporis seruiet. Regulam, inquam, illam seruet, in qua sic habet, *Bellarm. de Euch. l.2.c.37.* Oportet ex verbis apertis & perspicuis sanctorum Patrum exponere ea quæ videntur obscura & dubia in alijs Patribus, cum constet eos omnes idem sensisse.] Regula est optima, & mihi dubium non est, omnes Patres hactenus recensitos, etiam ipsum Augustinum, & in sacro pane præsentiam realem & corporalem Christi corporis non agnouisse, sed mysticam, figuralem & virtualem. Ex illis ergo omnibus, ac potissimum ex ipso met Augustino hic etiam Augustini locus declaretur, obscurius nimirum ex claris. Sensus itaque Augustini est, Neminem Eucharistiam sumere, qui non Christum, quem spiritualiter se sumere confidit, spiritu adoret. Adorat profecto quisque non sacramentum hoc, sed rem huius sacramenti quæ est ipsum verum Christi corpus, spiritualiter in sacramento communicatum: & in ipso vero Christi corpore, non in pane figura, sed in pane figurato, adoratur secundum Augustinum, terra, quæ est scabellum pedum Dei. Hanc tamen expositionem non admittit Bellarminus, sed ex sua regula obscurum locum, ex alio explicat, vt ipse putat, clariore in *Ps. 21.* Manducauerunt, *inquit Augustinus de diuitibus terræ* *, et adorauerunt.* corpus humilitatis Domini sui, etiam diuites non sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt.] Item *ep.120.c.27.* Et ipsi adducti sunt ad mensam Domini, & accipiunt de corpore & sanguine eius: sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur.] Infert ex his Bellarminus *de Euch.l.2.c.24.* sic, Vides igitur secundum Augustinum impios adorare & manducare carnem Domini.]

CXXXVI. Hic tamen locus priorem vix potest explicare: & prior videtur clarior posteriori: ibi enim

expresse habetur sermo de adoratione latriæ, hic verò non est clarum adeo, de qua adoratione loquatur Augustinus: quod si non loqueretur de adoratione latriæ, locus hic nihil esset ad rem pro prioris explicatione. Sed præterea supponit ex se Bellarminus, diuites illos esse impios; quod non dicit Augustinus: solum defectum in illis ponit negatiuum, non imitationis, nullum positiuum impietatis: at non semper impius est qui non imitatur plene Christum, modò credat in Christum & à sceleribus abstineat. Quod potest fieri etiam sine plena imitatione Christi; si exempli gratia, animam non ponat pro amicis, imo pro inimicis suis; si non ieiunet continuos 40. dies & noctes, si non paupertatem voluntariam amplectitur, si vxorem ducat; si liberos procreet, &c. Poterant ergo etiam diuites illi, & digne comedere Sacramentum, & in se spiritualiter cum Sacramento Christi carnem recipere aliquo fructu, sed non cum saturatione, i. nō cum pleno fructu vt illi comedūt, qui imitātur plene. Sed esto, fuerint impii, & consequenter carnem Christi in se spiritualiter tales non recipiunt, recipiunt tamen Sacramentum, id est panem sacrum comedunt sub externa religiosa comestione; sed sine vlla saturatione, & tunc sensus Augustini erit, eos adorare, sed non saturari, quia venerantur Sacramentum, & credunt eo si digne recipiatur exhiberi Christi corpus, non tamen Christi corpus recipiunt, quia indigne accedunt, cum fide quidem, sed mortua, & malis moribus & peccatis, absque debita pœnitentia inquinati.

CXXXVII. Hanc vero adorationem non esse latriæ sed solam quandam piam venerationem, de qua supra Hieronymus cum Theophilo Alexandrino fecit mentionem *num.* 106. colligo ego ex claro alio loco Augustini, *de doctr. Christ. lib. 3. c. 9.* quem etiam supra *num.* 107. produxi, vbi ait; Qui operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemq; intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quo talia referuntur.] Et de Baptismo atque Eucharistia simul loquēs ibidem ait, Quæ vnusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneretur.] Venerantur ergo fideles omnes Sacramenta quadam veneratione quæ non est latria: nam effectus quos in nobis Deus operatur per Sacramenta, & quo ait Augustinus nostram referri venerationem, quando Sacramenta veneramur, non sunt Deus, sed dona Dei, gratia, charitas, fides, fiducia, &c. Sic igitur etiam impii venerantur Sacramentum vt rem sacram, inutiliter tamen sibi, quia in ipsis illa veneratio non progreditur vlterius ad id, quo Sacramenta referuntur hoc est ad effectus spirituales, & dona Dei quæ nulla ipsi recipiunt. Cum autem veneratio hæc non sit latria, locus hic nihil prodest Bellarmino: mali enim adorant panem Sacramentalem, hoc est, in Sacramentali comestione venerantur, sed non saturantur, quia carnem Domini quæ est res Sacramenti non manducant, licet signum & Sacramentum carnis accipiant.

CXXXVIII. Vrget vlterius Bellarminus *vbi sup.* nec acquiescit, sed Præterea, *inquit*, si tantum vellet Augustinus dicere, terram sine impietate adorari, quia caro Christi vt est in cœlo adoratur, sine causa dixisset, eam carnem nobis manducandam datam esse. Quorsum enim Eucharistiæ meminit, si non in ipsa Eucharistia carnem Domini præsentem adoramus? Voluit igitur Augustinus ostendere, carnem ipsam Domini adorari, & quia non habemus aliud argumentum illustrius, quam ex quotidiano vsu adorandæ Eucharistiæ, ideo illius meminit: nam præter istam adorationem non facile potest discerni, an quis adoret carnem Domini, an solam diuinitatem.] Respondeo, Adoratio nostra mortalium, qua Christi corpus in cœlo existens adoremus nulla externe apparet, nullus est vsus in Ecclesia, vt Christi corpus absens, & à nobis plurimum remotum adoremus, sed celebris est in Ecclesia adoratio qua corpus Christi in cœlis existens, per suum signum, dum Eucharistiam sumimus, adoremus. Ideo Augustinus meminit Eucharistiæ; illius enim sumendæ occasione, Christi corpus in cœlis existens adoramus, quod spiritualiter nobis in Eucharistia exhibetur & communicatur, nec aliud illustrius argumentum habemus, Christi corpus in cœlis existens à nobis in terris positis adorari, quam adorationem eiusdem quam exhibemus dum communicamus.

CXXXIX. Ex nono ponderat dictum Augustini, *in Ioan tract.* 11. quo asserit, Christum non se credere Catechumenis, dum non se eis præbet in Eucharistia.] Hinc arguit Bellarminus, primo, quod spectat ad symbola & signa, & per fidem, iam se credidit eis: ergo in Eucharistia credit se plus quam per fidem & symbola, nimirum corporaliter. Secundo, Nulla esset ratio cur non daretur Catechumenis Eucharistia, cū dentur illis alia signa clariora, verbi Dei scripti. Tertio; etiam panis quidam benedictus, non Eucharisticus, dabatur Catechumenis, qui tamen sanctificaret, potuissetque hic panis vocari corpus Christi symbolice. & tamen hoc negat Augustinus, *de pecc. mer. & remiss. l. 2. c. 6.* quia nimirum in Eucharistia adest verum corpus realiter & corporaliter.] Respondeo, Ad primum, Augustinum moralitatem suam fundare in vsu Ecclesiæ, qui erat, vt Catechumeni non nisi post actu susceptum Baptismum, vt par est, Eucharistia reficerentur. De mysterio igitur Eucharistiæ nihil audiebant, neque illis id mysterium notificabatur, nisi suscepto Baptismo: Sunt igitur varii modi quibus se Iesus credit hominibus, aut non credit. Inter hos vnus est in Eucharistia, & quoad hunc modum Iesus se non credit Catechumenis, licet quoad fidem, & forte aliis modis se credat. Ad secundum, dabantur eis alia signa Christum significantia, sed non quæ essent vere & proprie Sacramenta, quorum primum est, & esse debet Baptismus. Ego etiam quæro ex Bellarmino, supposita veritate corporis Christi in Eucharistia, cur propterea negatur Eucharistia Catechumenis, quia in ea adest corpus Christi substantialiter, cum tamen idem corpus Christi, ipsis fide & spiritualiter iam sit concessum? An non plus est recipere corpus Christi fide & corde, quam ore & stomacho? Ad tertium, Nihil ibi habet Augustinus de pane, sed tantum contendit, non omnem sanctificationem vere animam sanctificare, cum sint multæ sanctificationes in Scriptura, etiam rerum insensibilium, vt cum cibum ait Paulus 1. *Tim.* 4. 5. per verbum Dei & orationem sanctificari: & 1. *Cor.* 7. 14. vir infidelis sanctificari dicitur per mulierem fidelem, sic ait filios fidelium nasci sanctos, quadam sanctificatione, quæ sine Baptismo tamen nihil efficiat. Sic etiam, *inquit*, Catechumenos sanctificari quadam sanctificatione per impressionem signi crucis, & per manus impositionis orationem, quę sanctior sit, quam sint cibi corporales: cum sit quoddam Sacramentum, licet hoc non sit Sacramentum corporis Christi, quod non est sine propria sanctificatione. Hic de pane alio benedicto ne verbum quidem. Et si poneret etiam panem hunc benedictum, corpus tamen Christi neque

esse, neq; dici posset, eo modo quo Eucharistia, quia ille non esset sicut hæc, ex diuina institutione: neque corpus Christi verum exhiberet, sicut ipsum simul cum Eucharistia exhibetur.

CXL. Ex decimo tomo, locum exaggerat Bellarminus talem, *ex Aug. de verb. Apost. serm. 2.* Audiuimus veracem Magistrum, diuinum Redemptorem, humanum Saluatorem commendantem nobis precium nostrum sanguinem suum: loquutus est enim de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, & sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles.] Precium vero nostrum non est figura sanguinis, sed verus sanguis, & hic sanguis dicitur ab Augustino potus; & in hoc ponitur magnum fidelium arcanum, ipsis solis notum: arcanum vero, non est solis fidelibus notum, quod Christus fide percipiatur, id enim etiam Catechumeni optime norant.] Sic vrget Bellarminus. Respondeo tamen, nobis à Christo in Eucharistia commendari sanguinē suum precium nostrum, quia in Eucharistiæ Sacramento res ipsius est corpus & sanguis Christi verus & realis spiritualiter In ea exhibitus, & ita non figura sanguinis, puta vinum, est sanguis, sed id quod figura ipsa significat, & simul exhibet spiritualiter, & sic sanguis verus & realis In suo typo est noster potus. & corpus esca, & hoc notum non est nisi fidelibus, ab infidelibus vero irridetur, Catechumenis autem, tametsi ipsi quoque sint fideles, & non infideles, hoc tamen mysterium celatur, donec ad Baptismum peruenerint, ne scandalizentur: sed paulatim post alias Catecheses, iam propinqui baptismo, etiam in hoc mysterio instruuntur. Et alia quidem mysteria fidei eis statim traduntur: hoc tamen arcanum de comestione corporis Christi, non sola fide, sed etiam Sacramentaliter, cum multa egeat declaratione, ad suum tempus differetur, quando iam ad sacram mensam sunt admittendi. Reliqua ex eodem tomo decimo vel aliunde collecta Augustini dicta, quæ Bellarminus summarie attingit, nihil aliud in se continent, nisi rem Sacramenti Eucharistiæ, esse ipsum corpus reale Christi, & eius sanguinem, non tamen corporaliter, sed spiritualiter in Eucharistia exhibitum: respectu cuius panis sacer dicitur panis Angelorum, non in se, sed in suo significato. Atque ita iam de Augustino satis.

CXLI. Philonem Carpathiorum Episcopū eiusdē tēporis Patrem subiicio Augustino: qui & ipse In Eucharistia & panem ponit, & mysticam tantum præsentiam corporis Christi, ait enim, *in Cant. c. 8. in ea verba. Sub arbore mali, &c. In Biblioth. SS. PP. tom. 1.* Cœleste, & salutare malum corpus est Iesu Christi salutariter nobis ab eo datū, in escam scilicet & potum sub mystico pane & vino: ex quo quidem Christianos sanctissime pascit ac beat.]

CXLII. Cyrillus Alexandrinus quid de corpore Christi in Eucharistia sentiat ex sequentibus ipsius dictis colligemus. *in Ioan. l. 3. c. 34.* Non enim verum manna, & verus panis cœlestis fuit, *manna Iudæorum*, sed ipse vnigenitus Filius verus panis est, qui cum sit ex substantia Patris, naturaliter vita est cuncta viuificans. Vt enim panis hic terrestris facit imbecillitatem carnis nostræ sustinens, atque conseruans, ita & ipse per Spiritum sanctum, spiritum nostrum viuificat, & corpus Ipsum à corruptione liberat.] Typo mannæ antitypum correspondens non facit Eucharistiam nostram, sed ipsummet corpus Christi, extra Eucharistiam in se consideratum. Et effectum nostri spiritualis alimenti, ac corporis nostri incorruptionis Spiritui sancto tribuit: spiritualem igitur nostram Intelligit esse manducationem, quando Eucharistiam sumimus. Ad Eucharistiam enim oportet eum respicere, vbi de corporis nostri liberatione à corruptione mentionem facit.

CXLIII. Habet idem Pater pulcherrimam contemplationem de corpore Christi, cui ex hypostatica Verbi coniunctione tribuit ineffabilem quandam vim viuificandi, & incorruptionem tribuendi: vt nimirum corpus, seu caro Christi, non quatenus est corpus & caro In communi, sed quatenus est Christi propria, hoc est vnita Verbo, mirabilis virtutis sit & efficaciæ, præsertim In hominibus digne de ea participantibus viuificandis, & ad vitam æternam deducendis. Ait igitur *Ibid. lib. 4. cap. 14.* Non est eiusdem substantiæ Verbo Dei, homo assumptus; vnus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo Dei quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti quæ vita effecta est. Hac de causa in exsuscitandis mortuis, non solumodo verbo atq; imperio vt Deus vtebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse: atque fideles doceret, suum non alterius corpus esse.] Hoc est Verbum non assumpsisse corpus à se disiunctum & alienum, quomodo Angeli solent assumere corpora non sua, sed sibi coniunctum hypostatice & vnitum, factumque Verbi proprium, nam si proprium non esset, vim non haberet viuificandi, iuxta illud Christi, *Ioan. 6. 63.* Caro non prodest quicquam. Subdit deinde exempla tum filiæ Archisynagogi, *Mat. 9. 25* tum filii viduæ: *Luc. 7. 14.* in quibus ad vitam excitandis Christus & imperio, & contactu corporeo sit vsus. Quod si quis quæreret quomodo vis hæc viuificatiua, quæ est proprii diuini Spiritus communicari potuerit corpori & carni Christi, id dicit esse inexplicabile, & sola fide credendum. Nam propter se ipsum, *inquit Cyrill. in Ioan. lib. 4. cap. 24.* Spiritus viuificat; ad cuius virtutem per coniunctionem caro conscendit: quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atque firma fide id suscipimus.]

CXLIV. Cum igitur iam plane & posuerit & exposuerit virtutem viuificam, & proprietatem tradendi vitam æternam aliis, inesse ipsi corpori & carni ac sanguini Iesu Christi ex Verbi diuini coniunctione, indagandum superetat, quomodo nos de corpore hoc Christi participare possimus, vt vitam æternam & animæ & corpori ab eo habeamus. Hanc Cyrillus indaginem reprehendit, Epiphanii profecto secutus documenta; vult enim rem hanc fide esse credendam, modum vero non esse indagandum. Et qui modum indagant similes esse Iudæis, qui increduli dicebant, *Ioan. 6 52* Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? Quia enim cum incredulitate hoc quærebant, digni non fuerant audire à Christo modum, cuius intelligendi capacitate carebant, vt optime obseruat idem Cyrillus *ibid. l. 4. c. 14.* Oportebat igitur, *inquit*, fidei primum radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi vero antequam crederent, importune quærebant. Hac igitur de causa Dominus, quomodo id fieri possit non enodauit, sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c. Perspicis quia sine fide quærentibus mysterii modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentibus exposuit.]

posuit.] Sed hoc non fuit exprimere modum in specie, sed in genere. Hoc est Christum inuenisse modum dandi fidelibus suam carnem ad comedendum, & suum sanguinem ad bibendum, per Sacramentum benedictionis panis & vini. Quomodo vero ipse panis & ipsum vinum dent nobis ipsam Christi carnem & ipsum Christi sanguinem, hoc tanquam mysterium non indagandum, sed fide credendum relinquit. Et passim vbicunque Cyrillus iam loquitur de comestione corporis Christi, eiusque participatione, semper supponit, nos in manducatione panis Eucharistici, veri tamen panis, ipsum corpus reale & verum manducare, & hoc fide esse credendum: atque ita in ipso pane & vino agnoscit mysterium, sed modum nunquam attigit, putauit enim inexplicabilem. Corporalem tamen comestionem in Eucharistia ne innuit quidem, spiritualem vero & innuit, & in genere etiam ponit, nec semel expresse.

CXLV. Non literali, *inquit, Cyr. l. in Ioan. lib. 3. c. 36.* amplius legis sensu, sed cœlesti pane, id est Christo ad vitam æternam nutrimur, & morte destructa Dei participes, gratia sancti Spiritus, & communicatione corporis Domini, efficimur.] Communicationem corporis intelligit in Sacramento: effectum vero participationis Spiritui sancto tribuit. Item *ibid. cap. 37.* Sciant baptizati homines & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spacio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere, &c.] Simulatam religionem appellat eorum, qui sub prætextu reuerentiæ, à communione abstinent, communicationem tamen Christi corporis in ipsa Eucharistia ponit mysticam, hoc est typicam & figuralem. Item *ibid. lib. 4 cap. 16.* Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterii, ipsum filium Dei suscipimus.] Ipsam Eucharistiam mysterium vocat, & non dicit illam esse corpus Christi, sed per illam nos corpus Christi suscipere: Cum dicit, *per illam*, certe diuersam agnoscit à corpore Christi: quia nimirum medium quiddam est, seu instrumentum quo nobis Christi corpus exhibetur, vt iam toties explicatum à nobis est, & Patres omnes præcedentes tradiderunt. Et Cyrillus passim ipsam Eucharistiam vocat, vel panem, vel benedictionem, & nunquam eam vocat corpus Christi, sed per eam nos corpori Christi vniri asserit. Nos vero, *inquit, ibid. c. p 17.* si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, Sedat enim, cum in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.] At certe Eucharistia non manet in nobis, dum hi effectus per eam fiunt: sed manet Christus, quia spiritualiter per Eucharistiam ipsum Christi corpus sumimus, & ipse iam manet in nobis, & hos effectus operatur.

CXLVI. Fatetur vero Cyrillus id nos assequi per gustum, per cibum, per tactum, hoc est per ipsam mystici panis manducationem: & hunc esse modum quem Christus excogitauit, vt corpus ipsius nobis communicaretur, sed in particulari quomodo id fiat nunquam attigit Cyrillus, sed semper effugit, mysterio & fide contentus, & si quid innuit, id totum ad spiritualem spectat corporis Christi manducationem. Quomodo, *inquit, ibi l. cap. 14.* non viuemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? *nimirum in suo typo & figura efficaci*, reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui.] Et statim subdit insignem præmonitionem: Nec velis, *inquit*, Iudaice quo modo quærere.] Subiicit vero exemplum aquæ frigidæ, ex apposito igne mox æstuantis. Sic nos natura corruptibiles, participatione carnis Christi, quæ est vita & viuificans, ex Verbi vnione ad immortalitatem reformamur. Oportuit enim certe, *inquit*, vt non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum etiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur.] Pergit mox in suis præmonitionibus & addit. Nec putet ex tarditate mentis suæ Iudæus inaudita nobis excogitata esse mysteria.] Atque docet id nobis in hoc Sacramento contingere ad vitam immortalem & æternam etiam corporis; quod ipsis aliquando in simili mysterio contigit pro sola vita corporali & mortali, quando ex sola agni comestione, & postium sanguine eiusdem agni tinctione à morte liberabantur. *Exod. 12. 23.* Cur igitur, *inquit*, ò Iudæe turbaris, præfiguratam veritatem iam videns? Cur, inquam, turbaris, si Christus dicit, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* cum oporteret Mosaycis te legibus institutum, & priscis vmbris ad credendum perdoctum, ad intelligenda hæc mysteria paratissimum esse.] Innuit quidem aliquid, sed ab explicando spiritali modo quo Christus in Eucharistia sumitur refugit, mysterium fatetur & agnoscit: & figuræ carnis & sanguinis agni Iudaici opponit veritatem, non panis & vini, sed ipsius Christi, quem per panem & vinum ineffabili modo recipimus, & non ad Sacramentum ipsum, sed ad rem Sacramenti, id est, manducationis Sacramentalis se reducit.

CXLVII. Nostri tamen qui præsentiam corporalem volunt omnino tueri, Cyrillum quoque, sed certe immerito, suum faciunt, *vt Bellarm. de Eucharist. lib. 2. cap. 25.* Afferunt enim locum ipsius ex Symbolo, quod occasione primæ Nestorianæ perfidiæ in Alexandrino Concilio formatum ad Nestorium missum est, & postea in Concilio Oecumenico Ephesino laudatum & admissum, in quo hæc verba ponit Cyrillus *in epist. ad Nest.* cum suo Concilio, Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati sed ipsius Verbi propriam factam.] Autoritatem hanc Cyrilli tanto plus vrget Bellarminus, quod epistola illa cum symbolo & Anathematismis, fuerit in tribus Conciliis Oecumenicis tertio, quarto, & quinto approbata. Propterea ego quoque illam plurimum veneror & admitto: Admittat vero interim Bellarminus tanquam totius Ecclesiæ vniuersalis sensum & tribus magnis Conciliis approbatum, cui refragari nefas sit, & à Catholico viro alienum, dictum illud in eodem symbolo contentum, videlicet; Petrus & Ioannes æqualis sunt ad alterutrum dignitatis, propter quod Apostoli & sancti discipuli esse monstrantur.] Ne ergo nobis obtrudat Bellarminus, si vult esse Catholicus, in suis libris de Romano Pontifice, Petri dignitatem vllam maiorem quam discipulatus & Apostolatus, nec eum faciat aliis Apostolis superiorem, aut dignitate Ioanne & aliis maiorem, aut pastorem ordinarium vniuersalem, & reliquos Apostolos quasi delegatos. Hæc obiter. Hoc vero loco quod ait Cyrillus de corpore Christi, idem est quod in præcedentibus locis ego quoque ex eodem produxi, & nihil aliud vult hoc loco Cyrillus, quam in superioribus, nimirum Christum verificare per Sacramentum Eucharistiæ id quod pollicitus

O 2 fuerat,

fuerat, se carnem suam nobis daturum ad manducandum: quia per hoc Sacramentum participes nos facit, modo tamen ineffabili, at certe spirituali, suæ ipsius carnis, & sui sanguinis: & sane non carnis ordinariæ hominis cuiusque puri, etiam si sanctissimi, sed carnis factæ propriæ Verbi diuini, eique hypostatice vnitæ, vnde iam docuit carnem illam esse viuificatricem.

CXLVIII. Sed corroborat Bellarminus hunc locum alio. *in Ioan. l. 4. c. 13.* vbi Cyrillus explicans ea Iudæorum verba, *Ioan. 6. 52. Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* ait Firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud, *quomodo* aut cogitemus, aut proferamus.] Quid hoc ad rem? Nunquid præcessit dubium, quomodo ex pane fiat corpus Christi; ita vt substantia panis transeat in substantiam corporis Christi? certe si hoc ipsum tractasset Cyrillus & de hoc monuisset non esse quærendum, quomodo? quasi quis dubitet de omnipotentia diuina, aliquid haberet Bellarminus: Sed Cyrillus tractat ea verba, *Panis quem ego dabo caro mea est,* & ad hæc verba Iudæi dicebant, quomodo? Cum oporteret, *inquit Cyrillus*, eos qui diuinam virtutem Saluatoris, ac potestatem signorum miraculo perceperunt sermonem eius libenter suscipere. De Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit nihil esse impossibile apud Deum.] Poterat ergo Christus inuenire modũ, quo citra immanitatem, & anthropophagiam eius carnibus vesceremur. Id vero in dubium reuocare per *quomodo?* impium est, & infidelitatis plenum. Sed nũ hinc sequitur, panem fieri substantialiter corpus Christi? nihil minus. Sequitur duntaxat, per Sacramentalem panis comestionem, nobis Christum via aliqua & modo spirituali corpus suum communicare, quod nemo fidelis negabit. Nam etiam fatendum est cum ipso Cyrillo, vt iam vidimus, & animam nostram, & corpus vitam acquirere, per contactum corporis typici, id est panis sacri eiusque gustum, quatenus per illum spiritualiter viuificans Christi caro nobis communicatur.

CXLIX. Similitudinem quandam Cyrilli ponderat Bellarminus, quæ talis est: Sicut scintilla ignis in fœnum aut paleam immissa, totum inflammat, sic Verbum Dei per Eucharistiam naturæ nostræ corruptibili coniunctum, totam resurgere facit immortalem & gloriosam.] Hic ego in primis bonam fidem desidero: verba enim illa *per Eucharistiam* ex se bonus addidit Bellarminus, quæ Cyrillus, saltem in meis codicibus, non habet, Sed neque puto in aliis haberi: nã Cyrillus manifeste eo capite considerat Verbi incarnationem & comestionem per fidem, non Eucharistiam, quia Filius Dei, *inquit*, homo factus est, omnes profecto resurgemus: non enim potest natura nostra vitæ coniuncta non viuificari. Sicut enim scintilla, &c.] Ex incarnatione ergo Verbi, natura humana assecuta est pro suo tempore immortalitatem, vt ibi contendit Cyrillus. Sed loquatur, si velis, etiam de Eucharistia, sensus erit, per esum Eucharistiæ nos modo spirituali nos de carne Christi viuifica participare, & ipsum Filium Dei incarnatum nos suscipere, quod est verissimum. Et sicubi Cyrillus difficultatem ostendit, & arduum mysterium agnoscit, nunquam ille difficultatem considerat quomodo panis possit esse corpus Christi, sed semper in eam difficultatẽ aciẽ mẽtis dirigit, quomodo per comestionẽ panis corpus Christi nobis communicetur; aut quomodo corpus Christi donet nostro corpori incorruptionem. Et semper supponit nos panem verum, mystice tamen & Sacramentaliter corpus Christi comedere.

CL. Profert alium quoque pro se Cyrilli locum *ex lib. 10. in Ioan. c. 13.* Bellarminus, vbi ille ait; Non negamus recta nos fide, charitateque sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse id profecto pernegamus, idque à scripturis diuinis alienum omnino dicimus, An fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis sit, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Vnde considerandum est, non habitudine solum quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali, Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.] Hæc dicta simul iuncta corporalem Christi cum nobis, & corporaliter factam vnionem, non sola incarnatione, sed etiam in ipsa Eucharistia videntur asserere. Attamen re vera præcipue Cyrillus considerat incarnationem, & per modum tantum Confirmationis etiam considerat Eucharistiam. Disputat enim cum quodam hæretico, quem non nominat: qui dictum Christi, quo se vitem vocat, & nos palmites, & Patrem agricolam, ad hæresim trahebat, & nos vnum cum Christo per fidem Deitatis, non per coniunctionem carnis, faciebat. Vt hoc refellat conatur Cyrillus ostendere, nos etiam carne carni Christi esse coniunctos, & non sola fide qua filium Dei credimus, & charitate qua Christum amamus, & spiritualiter amplectimur: ac proinde Christum non ratione solius Deitatis esse vitem nostram, & nos ipsius palmites, sed etiam ratione corporis. An non, *inquit*, conuenienter dici potest, vitem humanitatem eius esse, & nos palmites, propter identitatem naturæ?] Ecce incarnatio. Pro rei tamen confirmatione etiam Eucharistiæ assumit considerationem, per quod Sacramentum nobis non solius Deitatis dona & effectus tribuuntur, sed etiam ipsummet Christi corpus verum, & reale communicatur, modo tamen Cyrillo ineffabili & inscrutabili, ac sola fide tenendo. Sed transmutationem substantialem panis in corpus ne innuit quidem. Dicit profecto, Sacramentum hoc efficere, vt corporaliter Christus in nobis habitet, per carnis ipsius communicationem, sed illud, *corporaliter*, & postea, *naturaliter*, seu *naturali participatione*, nihil aliud significat, nisi ipsum verum & reale Christi corpus, quod iam naturaliter vita est, & ob vnionem Verbi viuificatiuum, nobis vniri & coniungi, quod certe negari non potest: sed de modo quo fiat hæc vnio Cyrillus non vult quicquam statuere certum, & specificatum, sed certe nonnisi mysticum in genere ponit, & consequenter spiritualem, vnde & paulo post ibidem sic concludit, Ita & spiritualiter, & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est.] Hoc est & ratione spiritus, ac Deitatis Christi, ac nostræ fidei, & dilectionis: & ratione corporis quod & incarnatione naturæ nostræ est vnitum, & Sacramento singulis nobis communicatur. At certe sicut corpora nostra non sunt corporaliter intus in corpus Christi, (monstrum enim esset satis horrendum) sed mystice & spiritualiter: ita corpus Christi nostro corpori adiungitur mystice & spiritualiter: & nihilominus vtrunque id fieri corporaliter asserit Cyrillus. Non ergo illud *corporaliter* aliud significat, nisi ratione corporis, seu per corpus.

CLI. Itaque cum diceret, Naturalis vitæ corpus Christi nobis coniungi, id est illud corpus quod

ex vnione Verbi vita esset essentialis, addidit, Non credis mihi hæc dicenti? Christo, obsecro te, fidem præbe.] Num vero dictum Christi adduxit, *Hoc est corpus meum*? minime vero: non enim ei probandum erat, panem esse corpus illud vitæ naturalis, sed corpus Christi essentialiter viuificum, & Verbo iam factum connaturale ob hypostaticam vnionem, nobis communicari: & ea loca ex Euangelio protulit, *Ioan. 6.53 Nisi manducaueritis carnem*, &c. *Qui manducat carnem meam*, &c. quæ nihil faciunt ad probandum panem Eucharisticum esse substantialiter corpus Christi, solum enim vrget Cyrillus, nobis non spiritum solum Christi, sed etiam corpus cum suis virtutibus & efficaciis, præsertim viuificandi, modo tamen ineffabili, per Sacramentum vniri: Vnde & rursum ait: *in Ioan. lib. 11. cap. 26.* Origo igitur & via, qua Spiritui sancto participamus, & Deo vniti sumus, Christi mysterium est. Omnes enim in illo sanctificamur. Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quamuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit, consilio patris & sapientiæ suæ congruentem, suo enim corpore credentes, per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos, vnum nos corpus efficit.] Coniunctio nostra etiam corporalis cum corpore Christi erat nobis summopere proficua; ea tamen in se videbatur impossibilis; sed cum Deo nihil sit impossibile, ipsius sapientia inuenit modum, vt Sacramentaliter & mystice per cibum & potum corporalem nobis corpus & sanguis Christi vniretur. Sed adhuc occultum manet Cyrillo, nec id vult indagari, quomodo per cibum & potum Sacramentalem Christi vera & realis caro & sanguis communicetur, id tamen mystice fieri toties profitetur, dum semper mysticam appellat illam benedictionem. Iam de Cyrillo Alexandrino satis. De epistola eius ad Calosyrium à Bellarmino & aliis citata, nihil dico, quia illam non vidi, neque scio cuius fidei sit, mei Codices illam non habent.

APPENDIX AD CYRILLVM Alexandrinum.

Primus locus à Plessæo adductus, & à Perronio exagitatus, est vbi Cyrillus *ad Euopt. Anath. 11.* Nestorio obiicit, nostram nō esse anthropophagiam in Sacramento. Literas Vriæ vocat hunc locum Perronius *pag. 789.* quo mortem propriam Plessæus ferat. At nostri Vriæ literæ prauam Dauidis, id est, Perronii intentionem eluserunt, quod primi Vriæ literæ non fecerunt. Non puto ego Plessæum per ea verba Cyrilli negare voluisse, corpus ipsum verum Christi in Sacramento Eucharistiæ non edi absolute, sed non edi corporaliter, & hoc merito negari debet: quia Cyrillus statim ea verba subdit, *& irreligiose ad crassas cogitationes vrges eorum qui crediderunt mentem, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inexquisita fide accipiuntur.*] Et quod his subnectit Plessæus, nos per hæc à carne ad spiritum, ab ore ad fidem reuocari; nō excludit veram carnem, non excludit os, sed ab his ad altiora vult nos per verba Cyrilli erigi & attolli, vt dum ore typum sumimus, sciamus nos modo quodam diuino spirituali, soli Deo cognito, veram carnem Christi; & sane non carnem puri hominis quam faciebat Nestorius, sed carnem diuini Verbi ei hypostatice vnitam sumere; crassam vero esse cogitationem, si quis putet nos ore corporaliter Christum comedere; id enim nobis ignotum esse voluit Christus, & sola fide credimus, Christum suum verum corpus diuinum nobis in Sacramento exhibere, per panis sacri corporalem comestionem. Aliud non puto Plessæum intendere. Et his contraria non sunt ea, quę fusius à Perronio pro Cyrilli mente indaganda explicantur; vera enim sunt, & à me in Cyrillo exacte discussa, & plene declarata; nimirum Christi carnem non fuisse puri hominis à Verbo distincti carnem, sed carnem propriam Verbi à Verbo ad hypostaticam vnionem assumptam; ex qua vnione caro illa sit nobis viuifica.

II. Sed dum Perronius ex his colligit realem præsentiam, à Cyrillo recedit longissime, qui perpetuo, vt iam probaui, veram Christi carnem nobis in Sacramento cum pane exhiberi fatetur; sed quomodo id fiat, perpetuo protestatur, esse id penitus irrequisibile, inindagabile & inexplicabile, sola fide credendum; quomodo ergo potuit asserere, aut supponere, nos corporaliter sub speciebus panis & vini Christum edere? Non igitur pura & nuda fide nos putauit Cyrillus (vbi de Eucharistia ei occurrit sermo) Christum edere, quo modo illum extra Sacramentum edimus, dum incarnationem eius fide amplectimur, sed fide quidem, attamen arctiori etiam & peculiari quodam modo spirituali, soli Deo cognito, dum facit, vt nos per carnis comestionem etiam corpus eius verum, sed interne comedamus. Et manducatio nostra est realis & corporalis quoad panem; & Christi corpus est reale & verum, quod in hac manducatione nobis exhibetur, sed non corporali comestione; & ita manducatio corporalis panis, fit nobis spiritualiter diuina virtute & sapientia manducatio veri & realis corporis Christi, & hoc tantum, nihil præterea intendit Cyrillus, vt ego in superioribus demonstraui. Frustra igitur contendit Perronius, *pag. septingentesima nonagesima prima.* hic esse necessariam oralem, id est per os factam corporis Christi corporalem manducationem, quam nullo modo potest ex Cyrillo deducere.

III. Sed conueniunt, ait, inter se Cyrillus & Nestorius, in Sacramento carnem Christi manducari, licet in eo tantum discrepent, quod Nestorius puram puri hominis carnem intelligat, Cyrillus vero carnem diuinam Verbo vnitam & propriam iam factam Verbi. Quod si vera caro non comedatur corporaliter, quorsum hæc dissensio, & hæc disputatio?] Respondeo, Nestorium sentire, nos per panis sacri externam comestionem, comedere interne carnem Christi, sed puri hominis. At Cyrillus carnem Christi Dei & hominis, & ita in comestione certe spirituali conueniūt, & in cibo, quod sit caro, non tamen in vera proprietate carnis. Sed dicet; at illa comestio spiritualis non facit anthropophagiam corporalem: facit tamen spiritualem sed adiunctam comestioni corporali panis, qui panis miraculose supplet pro corpore Christi, & idem est comedere panem in Sacramēto, quod comedere modo spirituali vere corpus Christi. Sicut quia manna supplebat pro pane vero & triticeo, & etiam pro carnibus pecorum, merito Iudæi dici possunt, tunc fuisse & artophagi & creophagi; nam in manna virtualiter comedebant, & panem, & carnem. Et hoc exemplum tanto plus nostro proposito quadraret, si veras carnes, verumque triticeum panem realem, aliquo miraculo nobis ignoto per illud manna Deus illis exhibuisset.

IV. Affert Perronius Anathematismum Cyrilli vndecimum, in Concilio Alexandrino factum, & in Oecumenico Ephesino laudatum & approbatum. In quo tamen nihil plus habet Perronius, nec habere

potest quam ei hactenus à me est concessum. Habeat hic illum lector, & iudicet. Si quis, *inquit Cyril. epist. ad Nestor.* carnem Domini non confitetur esse viuificam, & ipsius Verbi, quod ex Deo Patre est propriam, sed tanquam alterius cuiuspiam præter ipsum secundum dignitatem quidem, aut tanquam qui diuinam duntaxat inhabitationem sit adeptus, cum ipso coniuncti, & non magis viuificam, sicut diximus, propterea quod propria facta est Verbi, quod omnia viuificare potest, anathema sit.] Quid hic quæso de transubstantiatione? quid de Eucharistia? Ex consequenti duntaxat sequitur, vt qui in Sacramento carnem Christi recipit, quocunque modo eam recipiat (non recipit autem per os corporaliter) carnem Christi viuificam, & Verbi propriam recipiat, non carnem puri hominis, à Deo penitus distincti.

V. Bene viderat Petronius, sibi parum subsidii ex hoc anathematismo conferri, declarationem quandam expticatus est, quam nobis pro decreto Concilii Ephesini nititur supponere, & obtrudere *pag. 792. & 795. & 853. à tergo.* Declarationes plures scripsit Cyrillus, vt suos tueretur anathematismos, quia non pauci et, perperam tamen, aduersabantur. Nam pro illis apologeticum scripsit ad Episcopos Orientales. Aliud ad Euoptium aduersus Theodoreti obiectiones, & præterea à Synodo Ephesina, vt videtur, requisitus, eorundem breues quasdam dedit declarationes. Omnia sunt in actis Concilii Ephesini. In his declarationibus vndecimi anathematismi explicationem eam habet, quam Petronius *pag. 791. à tergo* ponit, & est talis. Sanctum & viuificum incruentumq; in Ecclesia celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis & communis; corpus consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes, sed magis tanquam proprium viuificantis Verbi corpus & sanguinem accipimus. Communis enim caro viuificare non potest. Et hoc ipse Seruator testatur, dicens *Ioan. 6. 63. Caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui viuificat.* Quoniam enim verbi facta est propria, ob eam causam intelligitur, & est viuifica, sicut Seruator dicit *Ioan. 6. 57.* Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, etiam ille viuet propter me. Quia vero Nestorius, & qui cum illo sentiunt: mysterii huius virtutem temere dissoluunt, propterea, idque valde merito, constitutus est hic Anathematismus.

VI. Hanc doctrinam veram & Catholicam esse non dubito; est tamen doctrina priuata Cyrilli. In ea nihil sui habet Concilium; in inscriptione duntaxat dicitur esse declaratio à Cyrillo Ephesi dicta, sacra Synodo latiorem explicationem petente.] Sed neque in Actis dicti Concilii, id est, vbi actitata in ipso Concilio describuntur, quicquam constat; neque in præfatione harum declarationum Autor Concilium nominat; sed ait: Oportet nos qui pro veritatis certamus dogmatibus è medio submouere offendicula anathematismos construximus, Moleste vero nonnulli forsan quæ a nobis dicta sunt ferunt: quoniam autem verisimile est, futuros quosdam qui non intelligant, necesse existimaui, vt breuiter singulos exponam.] Hæc est igitur priuata scriptura, quam vix puto iussu Concilii factam, non enim id tacuisset Cyrillus; aut si Concilio iubente facta est, nihil penitus in Actis constat, eam vel oblatam, vel lectam, vel approbatam in Concilio, imo neque apud Cyrillum, neque apud quencunque alium Autorem, præter Petronium, leget quispiam eam fuisse in Concilio approbatam. Nimium ergo audacter Petronius in ea asserit contineri sententiam Cyrilli, & sacri Concilii Oecumenici Ephesini. Imo vero addo, etiamsi Concilium approbasset eam doctrinam vt Catholicam, nõ propterea illa dici posset definitio Concilii, neque ex ea vrgeri possit; ita decernere Concilium. Approbatio enim librorum per Ecclesiam non facit, vt omnia quæ sunt in libris approbatis, sint de fide.

VII. In eo vero maxime excessit Petronius, quod realem præsentiam in Eucharistia dixerit hoc loco, imo hoc Conciliari decreto stabiliri, & tamen, vt dixi, nihil in eo habet sui Concilium; nec illud anathema est anathema Concilii Ephesini; nec profertur in negantes realem præsentiam in Eucharistia, quibus valde imperite tribuit vsum Nestorianum illius dicti Christi, *spiritus est qui viuificat.* Nestorius enim eo vtebatur ad separandam carnem Christi à spiritu, id est à Verbo; ego vero nego præsentiam realem, & tamen carnem Christi confiteor esse vnitam Verbo hypostatice, & verba *spiritum qui viuificat*, non inepte, nec abusiue seruiunt nobis, dum asserimus, in Eucharistia per spiritum viuificantem vniri corpus Christi digne sumenti Sacramentum, licet quomodo id fiat ignoremus. Sic enim etiam Cyrillus egregie nos docet, cuius sensus in ea declaratione idem constanter est qui fuit in præcedentibus à me prius consideratis dictis, tum in hac appendice, tum in meo eam antecedente de Cyrillo tractatu, videlicet in Eucharistia id quod proponitur, panem scilicet & vinum esse nobis, verè spiritualiter corpus verum Christi non puri hominis, sed Dei hominis; illud enim nobis exhibet Sacramentum. Quid hæc ad corporalem manducationem?

VIII. Dum vero dico *spiritualiter*, non dico nos solo intellectu ac pura fide recipere in nos corpus Christi; sic enim nihil differt Sacramentalis receptio à fide incarnationis, differt tamen plurimum, non in effectu; quia, vt vidimus in Hilario, per fidem incarnationis assequimur & animæ salutem, & corpori immortalitatem; & in Eucharistia idem: sed in modo operandi; in Eucharistia enim, præter fidem quæ est necessaria, & qua per solum intellectum vnimur carni Christi, quæ est obiectum nostræ fidei, ponimus communicationem quandam spiritualem veræ & realis carnis Christi cum anima, & corpore etiam nostro, quam melius vocare non possumus, quam Sacramentalem, hoc est, quæ per viam comestionis fiat, vt dum panem sacrum comedimus simul cum pane non via corporali, sed alia soli Deo nota, quam spiritualem vocamus; quia certum est non posse esse corporalem; eam vero fatemur cum Patribus esse ineffabilem, inexplicabilem, inexquisitam, hoc est, non inquirendam, nec indagandam, sed sola fide credendam. Hoc enim illud est quod Cyrillus vocabat inexquisitum, videlicet quomodo per comestionem corporalem panis nobis nobis exhibeatur ipsum verum corpus Christi; vt iam probaui obseruaui; non quomodo panis in corpus transformetur, hoc enim nulli vnquam venit in mentem inquirere. Et hac vnio realis Sacramentalis, in modo longè diuersa à sola vnione fidei, omnes machinas, omnia argumenta, omnia commenta Petronii demolitur, & vera Patrum sensa de reali præsentia, hoc est corporali remota, reddit compertissima.

IX. Commentum est Petronii *pag. 793* non posse à Cyrillo redargui Nestorium, nisi caro Christi corporaliter in Eucharistia comedatur, mentalis enim, *inquit*, perceptio per intellectum & fidem non sufficit, quia intellectus pôt res vnitas diuidere, & diuisas vnire. At Cyrilli argumētū est; Si diuinitas & humanitas in Christo

in Christo sunt separata, necesse est nos in Eucharistia *esse anthropophagos* id est, putæ humanæ carnis cõ*munis comestores*. Cur vero? si fide & intellectu edimus, potest intellectus ea vnire, & simul apprehendere. Sic ille satis friuole. Ponamus veritatem esse *ex parte* Nestorij, carnem Christi non esse carnem *Verbi.* Si proponatur soli fidei id credendum, cur quæso intellectus coniungat separata, & credat carnem Christi esse vnitam Verbo. Potest quidem intellectus ex simplici apprehensione aliquid complecti, & affirmando, vel negando, disiuncta coniungere, vel coniuncta separare: sed hæc non potest facere pro libito citra errorem & falsitatem, nisi se conformet rei. Si igitur verbum non est vnitum carni hypostatice, non potest sine falsitate intellectus id vnire: & si in re ipsa est vnitum, vt vere est, non potest similiter sine falsitate in secunda operatione id disiungere. Quare si intellectu comedatur caro Christi vt disiuncta a verbo, erit intellectualis mera anthropophagia: si autem comedatur vt vnita verbo, erit Theanthropophagia. Itaque perinde in sola intellectuali metaphorica comestione potest esse, siue anthropophagia, siue Theanthropophagia, atque in reali. Sed fateor in hac sua declaratione Cyrillum loqui de reali, & non de pura intellectuali, de illa videlicet quam iam explicaui, in qua Christi humanitas realiter & non relatiue duntaxat diuinitati coniuncta mirabiliter editur, & realiter, modo tamen aliquo spirituali, non corporali. Instabit tamen Perronius: *Diuinitas non potest edi; & hinc Nestorius negabat vnionem verbi cum carne, quia caro sola potest edi; & de sola carne edenda Christus loquitur: Ergo de vera corporali comestione erat disputatio; nã diuinitas fide & intellectu optime potest, imo & debet edi.* Respondeo, ipsos quoque Realistas negare diuinitatem esse quæ oraliter edatur. Sed eam dicent consequenter edi oraliter, quia caro Christi editur oraliter, cui coniunctum est hypostatice verbum diuinum, & consequenter diuinitas. Sic ego respondeo, sermonem iam esse de orali comestione typorum, cui annexa sit comestio quædam alia mirabilis carnis Christi, & consequenter etiam diuinitatis, & non de pura & simplici metaphorica intellectuali comestione.

X. Sciat quoque lector Perronium suis lectoribus fucum facere, dum *pag. 795. à tergo* refert, vndecimum Cyrilli anathematismum factum esse contra Nestorium, negantem nos in Eucharistia solam carnem Christi comedere, & non diuinitatem. Nestorius n. negabat in Christo vnionem hypostaticam carnis & Verbi; & carnem humanæ personæ esse dicebat, non Verbi. Cyrillus vero, vt hoc refelleret, adducit argumentum ex Eucharistia; nimirum inde sequi nudam anthropophagiam in esu Eucharistiæ, quia puram humanam carnem in ea comederemus (intellige eo modo quo diuina sapientia voluit nos in comestione panis, simul comedere per diuinum Spiritum corpus Christi.) Sicut igitur hæresis Nestorij non fuit directe, sed indirecte & consequenter contra Eucharistiam, sic anathematismus ei contrarius directe ad Eucharistiam non pertinebat, sed indirecte & consequenter. Sicut & ille fucus est quem habet Perronius *pag. 796. à tergo*: *Nestorij argumentum fuisse huiusmodi: Siquidem humanitas sumi potest, sine diuinitate, igitur in Christo diuinitas & humanitas sunt personaliter separatæ*: quod argumentum neque Nestorius, neque quisquam alius vnquam somniauit. Sed illud erat argumentum Nestorij, Christus carnẽ suam dat ad manducandum, sed manducari non potest diuinitas, Ergo Christi caro erat mere humana caro, & non diuina. Hoc argumentum dissoluitur à Cyrillo, diuinitatem non posse comedi, sed carnem diuinam, & iam propriam factam verbi, & quæ non sit caro communis; nec vllius personæ creatæ; sed personæ increatæ, posse comedi; & eam de facto comedi in Eucharistia; modo tamen quodam occulto, spirituali & ineffabili semper est intelligendum.

XI. De qua igitur manducatione, interrogat Perronius *pag. 797.* vterque loquitur, Nestorius videlicet & Cyrillus? fidei, an oris? Si fidei, ergo Nestorius non credebat in diuinitatem, nam diuinitatem dicebat non comedi, & hoc non est asserendum; fuisset enim Atheus; igitur vterque loquitur de orali comestione. Fateor; sed ita orali, vt cum comestione typorũ orali, verũ Christi corpus aliquo secreto, & inexplicabili modo non tamẽ corporali, exhibeatur. Et fallitur Perronius *pag. 767.* dum in sola corporali manducatione ponit anthropophagiam: ad hãc enim satis est, quod per manducationem oralem alicuius cibi ordinarie comestibilis, humana caro miraculosè, modo aliquo non corporali, in comestione recipiatur. Sed contactum corporalem requirit Perronius *pag. 997. à tergo*. Frustra tamen, quia etiam data illa transsubstantiatione, Christi corpus non attingitur, neq; attingit, quia vt est in Eucharistia, impalpabile penitus est, intangibile, & ab omni sensatione actiua & passiua alienum. Vt ergo caro Christi viuifica nostræ carni quoque tribuat incorruptionem, ratione diuinitatis adiunctæ, satis est quod simul cum panis sacri digna comestione, caro Christi vera, & realis suo modo exhibeatur; quo enim pertingit panis & vinum, quæ totum corpus naturali concoctione peruadunt, eo etiam viuificæ carnis Christi vis & effectus, diuini Spiritus miraculo extenduntur. Quod enim miraculum Realistæ inepte ponunt in conuersione panis & vini in corpus & sanguinem, hoc miraculum tota antiquitas ponit in exhibitione corporis Christi veri & reali Verbi vniti simul cum sumptione, & concoctione panis & vini Sacramentalis, vbi digne sumitur. Et si verus contactus est necessarius, certe in homine Eucharistia digne vtente, nulla alia corporis pars viuificabitur nisi os, guttur, & stomachus; suum n. illum quemcunq; contactũ Realistæ non possunt tribuere nisi ori, gutturi, & stomacho, vt ẽt in præcedentib. obseruaui. Species n. illæ in stomacho statim corrumpuntur, & consequenter ibi cessat corpus Christi esse sub eis, nec vltra cum illis progreditur; quod omnes nostri Scholastici sponte fatentur. Locus vero Cyrilli, quem pro suo contactu profert Perronius *pag. 799.* à me est sufficienter aduersus Bellarminum *supra nu. 150.* explicatus; quæ vero de deprauationibus obijcit, in Plessæo non inueniuntur, & posteriores debuit editiones impugnare Perronius, vt toties monui, non priores.

XII. Secundus & tertius locus à Plessæo consideratus, est *ex Cyrill. in Ioan. lib. 9. c. 47.* Christus ingreditur in nos per fidem, in nobis per Spiritum habitat.] Cum alio quodam incerto: ego hæc verba præcise eo loco quo in latina editione citatur, & ponitur à me hic, non inuenio: *Perronius ait, ea sumpta esse ex lib. 11 in Ioan. cap. 26.* & partim *lib. 4. cap. 14* Sed neque ibi ea potui reperire, Typographo defectum tribuo. Vbicunque tandem illa sint, si de Eucharistia ibi agitur, maximi ponderis verba sunt; quæ vero considerat Perronius *pag. 800.* neque à Plessæo sunt producta, neque ad realem præsentiam quicquam faciunt, vt in mea eorum expositione *supra num. 151.* facile est videre. Sed de hoc infra aliquid §. 37. *huius Appendicis.*

XIII. Quartus loc⁹ est hoc dictum *Cyrilli l.7. in Lev. Nisi manducaueritis carnem Filii hominis*, &c. Si secundum literam sumatur, esse literam quæ occidit. Sed quia commentarij illi sunt Origenis, ideo Perronius differt solutionem ad suas considerationes in Origenem. Ibi vero *pag.963.* vix innuit solutionem Bellarmini de sensu Capharnaitarum, quam ego satis impugnaui *n.40.*

XIV. Quintus locus est; *ex Cyrill. in Io. l.3.c.34.* Ipse vnigenitus Filius verus panis est, qui cum sit ex substantia Patris naturaliter, vita est cuncta viuificans. Vt enim panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens ac conseruans, ita & ipse per Spiritum Sanctum spiritum nostrum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.] Hunc locum ego quoque consideraui superius *n.142.* Priorem partem huius loci de pane materiali & communi, non de Eucharistico loqui conatur persuadere Perroni⁹ *p.803.* quis hoc nescit, quis contrarium dixit, aut intellexit? cur laborat in vanum? In posteriore parte consistit vis argumenti, ad quod ille nihil respondet. Vt enim panis communis nutrit corpus, ita panis Christus in Eucharistia suo spiritu & spiritum nostrum viuificat, & carni etiam dat incorruptionem, & non per corpus suum materialiter. Si ergo locus hic est de Eucharistia, argumentum est optimum. Et sane videtur, vt dixi *n.142.* quamuis probabile quoque mihi nunc videatur, locum ad Eucharistiam non pertinere.

XV. Sextus locus est collectio aliquot dictorum Cyrilli in *suo quarto in Ioann. in libro*: quæ ego quoque fusius expendi *num.153. & seqq.* eorumque vim contra præsentiam realem pluribus declaraui, quam paucissimis Plessæus perstrinxerat. Perronius vero fusissime, si paginarum in ipsius libro repletarum numerum consideres, de ijsdem locis locutus est; imo falso; non locutus est, sed plura Cyrilli capita eiusdem libri quarti transcripsit, & nobis Græce Galliceque retulit; ipse vero ferme nihil ex illis, siue vt ei prosint, siue ne noceant, applicuit. Has duntaxat propositiones summatim colligit. 1. Nostrum corpus reparatur ad resurrectionem per manducationem corporalem obiecti corporalis, & suæ naturæ conformis. Ita *p.815.* 2. Ibidem, Corpus Christi vere, & realiter ingreditur in nostrum corpus, sicut cera in ceram cum qua misceatur, & scintillæ in paleis. 3 *pag. ead. à tergo.* Verba Christi, *Hoc est corpus meum*, proprie, & literaliter sunt accipienda. Vix inuenias alias, nisi aliquam fortasse obiectionem, post longam tamen tedioque plenissimam tractatuum Cyrilli recitationem, sic concludit *pag.821.* Si omnes Episcopi Catholici, qui nunc in toto orbe viuunt simul conuenissent ad insculpendum in cor, non dico carneum, sed lapideum, realitatem Eucharistiæ, & ad tollendas à vero sensu verborum Christi omnes falsas acceptiones, quibus adhærent Sacramentarij, potuissentne maiori cum energia id efficere? sed lectores id ex sese iudicabunt, neque necesse est me meis monitionibus, vt id aduertant, efficere.] De quibus loquatur lectoribus, nescio; si de doctis, sat fuisset illis loca annotare, cum nuda proponat, nec ea obseruatione vlla suffulciat ipse: si de simplicioribus & indoctis, quid illi ex altissimis Cyrilli contemplationib. colligent, quas ne ipse quidem Perronius est assecutus; nam si eas assecutus fuisset, nunquam eas pro reali præsentia adduxisset.

XVI. Veram horum locorum intelligentiam in meo tractatu plene explicatam diligens videbit lector *num.143. & seqq.* Propositiones vero illæ tres, quas annotauit Perronius, nobis nihil obsunt. Primam colligit ex illis verbis, vt habetur in versione latina; oportuit enim certe, vt non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum etiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur. Græce vero, vt est apud Perronium (Cyrillum enim Græce in Ioannem habere non potui) Sic oportuit non solum animas nostras regenerari per spiritum ad nouam vitam, sed corpus etiam hoc rude & terrestre sanctificari, & vocari ad incorruptionem per participationem rei crassioris, & congeneræ.] Sensus est, Christum inuenisse sua sapientia modum, quo nos per comestionem panis & vini recipiamus simul interne, receptione spirituali, corpus eius diuinum, à quo corpus nostrum nancisceretur incorruptionem. Atque hæ profecto sunt literæ Vrix; quomodo enim res nostro corpore crassior, est corpus Christi, sub speciebus præsertim adeo attenuatum, vt sit totum spiritus, insensibile, impalpabile, indiuisibile, & inuisibile? Quis ita dicet esse rem nostro corpore crassiorem? Præterea res corporea à Cyrillo intelligitur cibus ordinarius, nostræ naturæ conueniens, per cuius participationem naturalem, facilem, & suauem, fructus ille admirabilis incorruptibilitatis nostri corporis nobis diuinitus tribuatur. At cibus corporeus nobis ordinarius, & naturalis, non sunt carnes humanæ, & multo minus caro Christi singularis, nō enim sumus naturaliter anthropophagi, igitur res illa corporea est panis, noster cibus maxime ordinarius, & maxime naturalis. Ex cuius participatione miraculo diuino fit, vt simul Christi corpori vero & reali communicemus, & ab eo corpore etiam nostro incorruptibilitas proueniat.

XVII. Secundam propositionem, ex pluribus Cyrilli locis sibi visus est Perronius posse colligere; vbi videlicet ait Cyrillus *in Ioan. c.15.* iuxta textum Græcum, quem ipse profert Perronius; Ego igitur per meam carnem in eum qui me comederit introductus, eum resuscitabo in nouissimo die. Item *ibid.* Nihilominus quoniam Christus ingreditur in nos per suam propriam carnem, nos integre resurgemus. Item, *ibid.* Sicut qui scintillam ignis in paleam occultauerit, ad semen ignis fouendum, sic Christus inserit, & abscondit in nobis vitam per suam propriam carnem, & tanquam semen aliquod immortalitatis immittit. Item, *ibid. c.7.* Sicut quis ceram alteri ceræ coniungit, & vnit, vt perfecte altera in alteram ingrediatur, ita qui recipit carnem Christi, ipse est in Christo, & Christus in eo.] His tamen locis nihil Cyrillus habet de corporali Christi corporis in nos ingressu, quem tamen Perronius libenter colligeret si posset, ipsius enim proposito, si corporalem corporaliter factum ingressum non contineat, reali præsentiæ nihil conducet. Certe meus codex Latinus ita ingressum illum Christi in nos vertit & intelligit, vt ad incarnationem & non ad Eucharistiam pertineat: sitque ingressus Verbi diuini in naturam humanam per incarnationem. Ego vero nunc concedam in Cyrillo Christi corpus vere & realiter in nos ingredi, etiam per sacramentum Eucharistiæ, non tamen corporaliter: non enim ficte & imaginarie, sed vere & realiter ipsum verum & reale corpus Christi nobis exhibetur, & ipsum etiam nos nostro corpore vere & realiter recipimus, non tamen corporaliter, sed ineffabili quodam modo spirituali, hoc est, non corporali, soli Deo cognito, nobis vero prorsus ignoto, & nunquam reuelato, & per hunc occultum ingressum, cum permistione panis & vini sacri, facta in nostram substantiam naturaliter, permiscetur nobis supernaturaliter,

liter, sed non corporaliter caro & sanguis Christi. Ex qua permistione assequimur, vt & Christus sit in nobis, & nos in Christo. Et hanc permistionem Christi *nobiscum*, & nostri cum Christo, de mente Cyrilli, *non esse corporalem*, sed aliam à corporali diuersam & *nobis ignotam* patet, quia neque Christi corpus conuertitur in nostrum, neque nostrum in corpus Christi. Et tamen hoc Cyrillus asserit, & suis illis exemplis ceræ & ignis confirmat: quæ exempla solam spiritualem comestionem, realem tamen & veram, non imaginariam, nobis proponunt.

XVIII. Tertia propositio vera est, & à Cyrillo ac Patribus sæpe inculcatur, Christum dicere, Panem esse corpus: & hoc ad literam esse credendum, non tamen modum indagandum. Et cum sit impossibile & inintelligibile panem esse panem, & simul esse corpus Christi verum & reale, fide omnino credendum est, cum pane Christi corpus verum & reale digne communicantibus, verissime exhiberi, modo quodam nobis penitus occulto, ad quem noster intellectus non possit peruenire; qui vero descendunt ad modum explicandum, siue transubstantiationis, siue consubstantiationis, illi & nimium crasse, & nimium audacter in profundum mysterium se immergunt, vnde emergere nulla ratione possunt. Nos humiliter, vt decet, altissimum mysterium veneramur, nullum certum modum statuimus, cum tota sanctorum Patrum caterua fide simplici credimus, ipsum Christi corpus verum & reale in sacramento nobis exhiberi, spiritualem quandam & non corporalem debere esse hanc exhibitionem plane agnoscimus, si corporalem esse diceremus, tunc ad modum particularem, quem Deus voluit nobis esse ignotum, descenderemus, & nimiæ arrogantiæ ac temeritatis merito argueremur, si omnes in hoc fidem nostram cum sanctis Patribus stabiliremus, & ab inquirendo explicandoque modo abstineremus, tot scandalis, torque scissionibus fœdissimis vias omnes præcluderemus.

XIX. Obiectionem considerabilem vnicam video in Perronio, in illa sua longa Cyrilli referenda disputatione, nimirum *pag.* 816. per ea verba Christi, *Caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat*, non esse Christi intentionem docere quomodo nos Christi carnem manducemus; sed quomodo Christi caro à nobis manducata imprimat carni nostri virtutem seminalem resurrectionis.] Si vellet hinc colligere Perronius, vt videtur velle, difficultatem penes Cyrillum nullam esse circa modum, quo nobis Christi corpus detur ad comedendum, quasi id certum sit id fieri per transmutationem panis in corpus Christi, fallitur plurimum. Ego sane inuenio Cyrillum tres grauissimas agnoscere difficultates circa sacramentum Eucharistiæ. Primam, quomodo Christus det nobis carnem suam in cibum, & sanguinem in potũ. Secunda, quomodo caro Christi à Verbo, cui vnita est hypostatice, viuificam virtutem accipiat. Tertia, quomodo caro Christi ex Verbi vnione viuifica, in nos per sacramentum recepta, nostra corpora viuificet ad immortalitatem. Hæc tria agnoscit vt verissima, & fide firma tenenda, sed modum in his tribus quomodo fiant, ait esse penitus inscrutabilem & inexplicabilem, sola humili & deuota fide obuoluendum. Primam difficultatem habet in Cyrillo *in Ioan. l. 4. cap.* 14. ipsemet Perronius, *pag.* 806. *à tergo &* 807. quam tamen Cyrillus dicit fuisse Apostolis clarissime explicatam, quando dictum fuit ipsis: *Hoc est corpus meum*. Non quod modum in particulari eis explicarit, sed in genere tantum; fuerat enim durissimus ille sermo; *Ioan.* 6. 53. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* Vnde & dicebant Iudæi; *quomodo, &c.* Iam vero, vbi Christus dedit Apostolis panem vt manducarent, & dixit; *Hoc est corpus meum*, magna ex parte ænigma explicatum est, ita vt comedere carnes Christi iam agnouerint Apostoli esse, comedere panem sacrum; cum quo non dubitabant sibi ipsum verum corpus Christi exhiberi. Sed quomodo iam per panẽ, Christi corpus exhibeatur, neque aperuit, neque Ecclesiæ vnquam innotuit.

XX. De secunda difficultate Cyrillus, *in Ioan. l. 4. c.* 14. postquam docuit Christi carnem esse viuificam, non ex natura carnis, sed ex Verbi vnione; quia iam caro Verbi, ad cuius, inquit, virtutem per coniunctionem caro conscendit; statim addit; Quomodo autẽ id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atque firma fide id suscepimus. Tertia difficultas, licet quoquo modo explicetur à Cyrillo exemplo ceræ, ignis, fermenti; nihilominus illa quoque recidit in primam: si n. inexplicabile est & occultum, quomodo nos intra nos Christi corpus recipiamus, sed sola humili fide id credimus, profecto inexplicabile etiam erit, quomodo Christi corp⁹ nostro corpori permisceatur, eique suam communicet incorruptibilitatem. Contactum nostri imaginãtur, sed quem & qualem nescio. Vt iam alias monui in superioribus *n.* 52. *&* 85. *& in Appendice ad Iren.* §. 27. Sed ad alia Cyrilli loca pergamus.

XXI. Septimus Cyrilli locus continet verba & oracula, ait Perronius, *pag.* 822. *à tergo*, digna quæ in cœlo & in terra manibus hominum & Angelorum incidantur. Ea vero sunt huiusmodi; *in Ioan. l.* 11. *c.* 27. Corporaliter enim filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur, spiritualiter autem vt Deus, sui spiritus gratia nostrum ad nouam vitam & diuinæ naturæ participationem spiritum redintegrans. Nexus igitur vnionis nostræ ad Deum Patrem Christus est: nobis quidem vt homo, Deo autem Patri vt Deus naturaliter vnitus: Non est enim possibile, corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis, atque incommutabilis ad eam descendat, ac communione participationeque sui à mortalitatis nostræ terminis, ad suum bonum reformatos eleuaret. Consummati ergo sumus reductique ad vnionem Dei Patris mediatione Saluatoris, id est, Christi. Filium enim Dei natura Patri vnitum, corporaliter substantialiterque (vt dictum est) accipientes, clarificamur glorificamurque supremæ facti naturæ participes.] In his verbis auream Homeri catenam inuenit Perronius, *pag.* 823. *à tergo*, in qua tres ponit annulos seu nodos sibi inuicem insertos, quos recenseat Cyrillus, vnus est residentiæ substantialis & essentialis diuinitatis Patris in Filio, per æternam generationem; alter residentiæ substantialis, & personalis diuinitatis Christi in sua humanitate, per incarnationem; tertius residentiæ, *inquit*, substantialis & corporalis corporis Christi in nostris corporibus per Eucharistiam: Et Arianos, *inquit*, conatos fuisse perfringere primum nodum huius catenæ, Nestorianos alterum, tertium Sacramentarios.

XXII. Plessæus inutilem hunc locum Realistis esse dicit, siquidem ad Verbi incarnationem potissimũ spectet, & non nisi quodammodo incidenter & occasionaliter in rei confirmationem Eucharistiam adduci. Sed Perronius Eulogias opponebat, quas eodem loco ponit Cyrillus, quæque Patrib, ac præsertim

tim Cyrillo, semper Eucharistiam significent. Ego vero hunc locum video esse integrum fermeex libri præcedentis *cap.13.* repetitum; ibi vero iam ego ostendi in superioribus, ante hanc Appendicem *num.* 150. Cyrillum loqui de incarnatione, & pro dictorum suorum maiori explicatione afferre etiam exemplum Eucharistiæ, in qua incarnationis mysterium maxime relucear: & impertinenter sane Perronius obijcit *pag.* 825. Plessæo, ipsum non vidisse nec legisse locum; vbi pro eius explicatione Plessæus afferebat dicta Cyrilli de vite & palmitibus; quin, *inquit Perronius,* quæ de vite dicuntur, ab his quæ dicuntur de corporali præsentia in Eucharistia, distant per quinquaginta capita inter hæc & illa interposita. Quienim bene explicat dicta Cyrilli *in libro* 10. *capit.* 13. is optime explicabit etiam præsentem locum in *libro* 11 *capit.* 27. Est enim repetitio illius, vt patet legenti. Priori vero loco agi potissimum, & directe de incarnatione, ostendi ego loco supra citato *num.* 150.

XXIII. Insultat in Plessæum Perronius *pag.* 825. 826. 828. *& seqq.* negatque ea quæ affert Plessæus dici à Cyrillo. Sed Plessæus suis proprijs, & non Cyrilli verbis mentem Cyrilli aperit, colligitque sensum ipsius: non est ergo, cur Perronius verba quærat in Cyrillo: quærat sententiam, & eam plane inueniet illam eandem, quam summatie & succincte exposuit Plessæus. Sed eam neque in Cyrillo, neque in Plessæo assecutus est Perronius, quid mirum igitur si reprehensionum occasiones se habere putauit? Sciat tamen & Cyrillum & Plessæum, etiam corporalem illam nostri cum Christo coniunctionem duplicem ponere: alteram per incarnationem in communione humanæ naturæ; alteram per Eucharistiam in reali coniunctione Christi corporis cum nostro, cum ipsum verum & reale Christi corpus intra nos, si Sacramentum digne accipimus, sumamus, ita vt ipsum reale Christi corpus nostro corpori miro quodam & inexplicabili modo vere, sed inconfuse, misceatur: sed hanc ipsam coniunctionem, & Cyrillus, & Plessæus volunt fieri spiritualiter, non corporaliter: hoc est: modo quodam nobis occultissimo, non tamen corporali; sola fide à nobis credito, sed nequaquam noto in particulari, nec intellecto. Et hoc iam sæpius explicaui; in quo totus difficultatis nodus consistit. Quod si Perronius voluisset intelligere, nihil habuisset quod reprehenderet. Neque enim aut Cyrillus, aut Plessæus negauerunt duas esse inter nos & Christum coniunctiones, vnam spiritualem & per solam fidem, alteram corporalem per Sacramentum, cum reali in nos corporis veri receptione, non tamen modo corporali, sed alio occulto, sola fide nobis certo, sed penitus ignoto. Et hanc receptionem realem, substantialem, & corporalem cum Cyrillo admittimus, non tamen ingressum in nos dicimus esse corporalem, & corporaliter; sed corporalem quidem, incorporaliter tamen factum. Nam quod ait Cyrillus, nos corpori Christi corporaliter vniri; significat certe, vbi de Eucharistia est sermo obiectiue, quia corpus ipsum verum nobis exhibetur, & corpore ipso nostro nos verum Christi corpus recipere, non sola & pura fide per intellectum solum, ita vt Christus nobis vniatur tanquam obiectum fidei nostræ potentiæ intellectiuæ, sed vere & proprie etiam corpore ipsum corpus Christi recipiamus, non tamen per os & traiectionem in stomachum, sed alio modo nobis ignoto & penitus miraculoso atque abdito, quo in comestione ipsa & concoctione panis & vini, verum Christi corpus nostro etiam corpori communicetur. Et in hoc fatebatur Cyrillus, corpus nostrũ, & non nudam fidem Christi corpus apprehendere, modum tamen quo id fiat, nos non comprehendere, & fidem quidem nostram solam id ita esse comprehendere, sed quomodo in particulari id fiat, ne fidei quidem nostræ esse reuelatum. Itaq; nos corporaliter Christi corpori in Eucharistiæ sumptione vniri, potest habere duplicem sensum: alter est, corpus ipsum Christi materiale per os nostrum in stomachũ nostrum traijci; alter vero, nos nostro corpore etiam, & non solo intellectu & spiritu, si digne accedamus, verum Christi corpus recipere, non per os, & stomachum, sed alia via soli Deo nota, quam ideo spiritualem vocamus. Primum illud *corporaliter* non est admittendum, quia iam non esset modus occultus & soli Deo cognitus. Alterum vero, *corporaliter*, omnino est in Cyrillo admittendum, quia & obiectiue, & etiam subiectiue illud intelligit: ita vt corpus Christi sit receptionis obiectum, & corpus nostrum eiusdem receptionis subiectum, & non solus spiritus aut intellectus, sed modus huius receptionis sit penitus, etiam fidei nostræ, vt dixi, occultus, vt Christi corpus sit in nobis non solum obiectiue, sed etiam subiectiue, modo tamen quodam diuino spirituali & ineffabili. Vbi ergo ait Cyrillus, nostrum corpus corporaliter corpori Christi coniungi per Eucharistiam, non dicit nos corporaliter Christi corpus substantiale comedere, sed intelligit nos corpore nostro Christi corpus verum substantiale in Eucharistiæ receptione sumere, sed spiritualiter, vt cum Bernardo fer me admittere coactus fuit etiam Bellarminus; posui id ego inferius, *n.* 16.

XXIIII. Optimum erat argumentum Plessæi, quod ex Cyrillo dicente, per Eucharistiam nos in Christo & Christum in nobis esse, colligebat, videlicet Christum Sacramentaliter non sumi, nisi vbi is qui sumit, vniatur Christo & Christus ei. Igitur impios Christi corpus non sumere, licet Sacramenta sumant. Perronius *pag.* 827. hæc reprobat, & asserit duntaxat, non tamen probat, Christi corpus etiam in impios ingredi, & tantisper residere, sicut in domo Caiphæ vel Pilati. Sed nõ hæc mens Cyrilli, qui ait, per Sacramentũ nos cum Christo & Christum nobiscum fieri vnũ: at Christus cum domo Caiphæ, & domus Caiphæ cum Christo non erat vnum; sic etiã dicent Christi corpus ingredi in ventrem muris, & cuiuscunq; bestiæ quæ mysticas eulogias comederet, ibique residere, quo quid absurdius? & de hoc alias. Reprobat etiam Perronius *pag.* 831. id quod dixerat Plessæus, aduersarios quoque ipsius Pontificios velle verba Christi *Ioan.* 6. esse de manducatione spirituali intelligenda, non de corporali. Sed Plessæus non intellexit omnes Pontificios ita sentire, sed ex ipsis Pontificijs esse qui ita sentiant, neque id negarim, & merito sane; ita enim senserunt *apud Bellar. de Eu.* *b.l.* 1 *c.* 5. Biel, Cusanus, Caietanus, Tapperus, H. ffelius, & Iansenius.

XXV. Iam igitur locum principalem resumo, & aio, nihil in eo esse quod non sit in priori loco *libro* 10. *cap.* 13. explicatum. Corporaliter, *inquit*, *Cyrill. in Ioan. l.* 11. *c.* 27. filius per Eulogiam mysticam nobis vt homo vnitur; spiritualiter autem vt Deus, &c.] Hoc est dum digne sumimus Eucharistiam corporaliter, in ipso videlicet nostro corpore Christi corpus recipimus, non tamen ore neque stomacho, sed modo quodam ineffabili, nobis penitus occulto, quo nobis verum & reale corpus simul cum pane exhibetur, idq; & animæ, & corpori modo spirituali, hoc est, non

non carnali, non corporali communicatur. Atq; hoc ipsum vult, vbi statim repetit, nos Filium corporaliter, substantialiterque accipere: id est, non obiectiue tantum & pura fide, sed etiam subiectiue, quatenus ipsum corpus reale Christi nostro etiam corpori, modo illo ineffabili, sed non orali comestione, cum Eulogijs mysticis exhibetur. Atque in his tota consistit Cyrilli sententia.

XXVI. Octauus locus à Plessæo ne sibi obsit, non vt prosit, tractatur. Vbi Cyrillus ait; Ita ad mysticas accedimus benedictiones, ac sanctificamur participes facti sanctæ carnis, &c.] Locum hunc ipse quoque paucis discussi *numer.* 147. eodemque modo video Plessæum totum hoc Cyrilli dictum libenter admittere. Non enim hic quæritur, *inquit*, de communionis nostræ obiecto, carne & sanguine Christi, sed de communionis modo. Perronius ante omnia digredi *pag* 837. in legationem Cyrilli, quod fuerit Vicarius Papæ Cœlestini in Concilio Ephesino. Hoc ego postea suo loco in *meo* 7. *libro* examinabo, & ostendam, Cyrillum in Concilio illo propria sua Patriarchali autoritate præsedisse, non ex Romani Pontificis legatione, quam tamen ei non negabo, & inde patebit, non exigua antiquitatis ignoratione Perronium in hoc, & non Plæsseum laborasse. Deinde quia responsio Plessæi de obiecto & de modo, crus vtrunque ei præciderat ne posset vlterius progredi, lignea crura, imo harundinea sibi adaptat & claudicando hac illac repit longissima oratione, vt prorsus quo se vertat non inueniat, sed multiloquio conatur simplicem lectorem fallere, vt putetur aliquid respondisse, cum nihil responderit.

XXVII. In verbis illis Cyrilli ait vtrunque contineri, & obiectum & modum. Mirum profecto quod Cyrillus, vt hactenus visum est, toties monuerit & protestatus sit, ablegandum esse à mente Catholica verbum illud, *quomodo*, & modum soli Deo esse notum, & nos simplici fide rem credere debere, modum vero ignorare, cum sit ineffabilis & inscrutabilis; nunc vero voluerit & obiectum proponere, & modum definire. Videamus tamen quo pacto, secundũ Perronium, Cyrillus modum explicarit, vni oque ictu, vt ait ille, fundamentalem controuersiam de Eucharistia deciderit. Concedam ei libenter quod hactenus toties concessi, in Cyrillo, nostram carnem ex carne Christi, quæ nobis vere & realiter per Eucharistiam exhibita est, accipere physice & effectiue, non tantum moraliter, obiectiue, & meritorie, viuificum illud donum immortalitatis; quanquam fortasse Hilarius hoc non concederet, qui sola fide incarnationis hoc donum incorruptionis corporis nobis tribui censuit, vt vidimus in Hilario. Non laboret tamen in hoc, mittat longum illum suum toties repetitum discursum. Sed quomodo quęso ex his concessis colligit Cyrillum circa modum, quo Christi corpus verum & reale sumimus, quicquam definiuisse? Quomodo hinc sequitur, nos oraliter Christi corpus intra nos sumere, & corporaliter? Carnem viuificam Christi nos in sacramento sumere non dubitamus, sed quomodo eam sumamus, prorsus ignoramus. Carnem Christi immediate nostram carnem attingere, si digne communicemus, est certissimum, sed qualis sit iste contactus nobis est occultissimum; corporalem esse certo scimus, sed qua ratione, quoue modo fiat, arcanum est nobis abditissimum. Corporalis profecto est iste contactus, quo caro Christi viuifica nostræ carni vitam & incorruptionem communicat, physice & efficienter, sed modus non est corporalis, neque fit corporaliter, sed via aliqua spirituali, quam Deus nunquam voluit reuelare. Ad contactum physicum & ingressum in nos panis & vini, si digne sacramenta hæc sumamus, sequitur & ingressus veri corporis Christi in nos, & contactus, modo tamen spirituali soli Deo noto, & nequaquam corporali. Fide id ita esse nobis est certissimum, sed quomodo id fiat, vel ipsam fidem latet. Definiunt igitur & determinant Patres, præsertim Cyrillus, nos in communione digne facta intra nostrum corpus, corpus Christi recipere quando sactum panem recipimus; non propterea definiunt, neque determinant quomodo id fiat, multo minus definiunt aut determinant panem fieri corpus Christi substantialiter, aut corpus Christi substantiale pani annecti & sub pane, vel in pane, vel cum pane latens dari. Satis ipsis est, & nobis esse debet, ad panis manducationem verum Christi corpus corpori nostro, spiritualiter tamen, hoc est, non corporaliter exhiberi, & sine alio ac diuerso nobisque propinquiori modo, licet occulto, quam per solam fidem.

XXVIII. Non tamen admitto, id quod contendit Perronius, *pag*. 844. organum vnum, quo accipimus Christum obiectiue & intellectualiter, esse fidẽ; altero vero quo Christum realiter sumimus, esse os & mãducationem cum vero contactu corporali, &c. quia hoc est diuinæ sapientiæ velle nos modum iuxta nostram insipientiam præscribere; quasi Deo desit modus quo filij sui verum corpus donet, etiam per contactum aliquem, nisi ipsum corpus per os nostrum corporaliter ingrediatur. Sed ait Perronius, datur per modum cibi; *Caro mea vere est cibus: Ioan.* 6. 55. Respondeo, Christum de cibo tunc locutum esse figuraliter & metaphorice, quia loquebatur de fide incarnationis, & ibi *edere* est *credere*, & cibus ille est pabulum mentis, non ventris. In sacramento autem similiter concedendum est, carnem Christi realem alio modo nobis communicari, & per modum cibi, quia ad manducationem cibi materialis, sed sacramentalis, fit nobis realis exhibitio corporis Christi spiritualiter, vt toties explicaui, ita vt ad similitudinẽ cibi materialis nutriat & animam, & corpus etiam ad vitam æternam.

XXIX. Non admitto similiter, quod ait Perronius, *pag*. 846. & sæpe repetit, Patres dicere Anathema ijs qui negent in Eucharistia fieri nobis carnem viuificam, eo sensu quo videlicet ipse vellet per oralem corporalem sumptionem. Anathematismus enim Cyrilli nihil directe continet de Eucharistia, vt iam ostendi, sed solam definit veram vnionem hypostaticam carnis cum Verbo, vnde caro sit viuifica. Ex quo tamen sequitur, in Eucharistia, siquidem caro Christi vera nobis communicatur, carnem vere viuificam nobis communicari. Sed hinc circa modum quo id fiat nihil habemus.

XXX. Collectio illa Perronij, *p*. 852. *à tergo*, ex prolixo ipsius sermone præcedenti, bimembris insufficiens est & imperfecta: vbi necesse esse ait, vel carnem Christi in Eucharistia nos non viuificare tanquam veram causam realem & efficientem vitæ productiuam, sed tanquam causam moralem, obiectiuam, & meritoriam, quæ nihil reale in nos ipsa transmittat; sed Deus ex merito Christi nos viuificet, &c. quod est, *inquit*, blasphemum & anathematizatum. Vel ipsummet corpus Christi vere, realiter, substantialiter, corporaliter, & immediate præsens esse in Eucharistia. Eo enim tandem deueniendum est, *inquit*, Corpus Christi aut nos contingere alicuius subiecti in nos intromissione, cui virtus eius actiua sit communicata, quod est contra Conciliũ: aut per virtutem

tem transmissam in nos absque vlla substantia, sed per aliquod accidens per se subsistens, quod sacramentarios ait non admissuros, quia accidentia à subiecto separata non agnoscunt. Aut demum corpus Christi nos immediate per suam substantiam cōtingere, & id, *inquit*, est quod nos sustinemus. Non sufficit, inquam, hęc bimembris, trimembrisue collectio, partiumue enumeratio. Cyrillus enim primam illam viuificationem solam non ponit, per solam fidem, sed aliam propiorem iam à me explicatam, id est, per ver & realis corporis Christi corpori nostro factam communicationem, modo aliquo spirituali, & inexplicabili, ex quo non sequitur præsentia realis in Eucharistia, id est, in sacramento, sed præsentia realis per Eucharistiam in re sacramenti, modo tamen spirituali, non corporali. Et quod spectat ad contactum, iam admisi, contactum immediatum quo substantia ipsa corporis Christi corpus nostrum spirituali contactu contingit, & viuificam tribuit digne communicantib. facultatem. Totus ergo nodus perpetuo in modo quo hęc fiant, non in re ipsa, consistit. Habeat igitur Perronius; Christi corpus nos per substantiam propriam immediate contingere, non tamen habebit id quod ipse sustinet & contendit, ac pręcipue controuertitur, panem esse vel fieri corpus, & nos oraliter ac corporaliter Christi corpus substantiale dum Eucharistiam sumimus, comedere. Absq; hoc enim diuina sapientia inuenit modum, quem nos nefas est inquirere, cum sit, vt ait Cyrillus, inexquisitus: quo ipsum Christi corpus reale nostro corpori, in sumptione corporali panis & vini spirituali ter communicetur, per contactum realem, corporalem, & immediatum, non ordinarium materialiter & corporaliter factum, sed extraordinarium, ab omni materialitate eleuatum, & spiritualiter, hoc est incorporaliter factum. Nec aliud voluit Cyrillus, neq; aliud Concilium Ephesinum admisit aut confirmauit. Rem fieri docet; quomodo fiat nunquam docuit. Declaratio quoque illa Cyrilli, non Concilij Ephesini, vt impertinenter ponit Perronius *pag.* 854. nihil aliud habet.

XXXI. Frustra igitur Perronius denuo in vnum cogit varias Cyrilli propositiones, quas vocat maximas. *pag.* 855. ex illis enim præsentiam realem nullo modo potest habere. Fatemur cum Cyrillo, circa modum quo nobis Christi caro vniatur in sacramento, nihil esse inquirendum, cum sit ille inter maxima miracula reponendus, perperam vero hæc trahit Perronius ad transubstantiationem panis in corpus Christi: ad quam verba Cyrilli ne remote quidem trahi possunt. Fatemur in institutione sacramenti clarissime se exposuisse, eos videlicet carnes ipsius comedere, qui panem Eucharisticum digne comederent, quod tamen non fuit modum in particulari & proximum, sed remotum explicare. Carnem videlicet Christi per panem esse comedendam; quomodo vero cum pane exhibeatur corpus, hoc adhuc mansit inexplicatum & inexquisibile. Fatemur, quia caro Christi est viuifica ex vnione Verbi, nos, dum eam per sacramentum modo illo ineffabili digne sumimus, etiam corpori nostro vitam immortalem ex ea acquirere. Fatemur proinde, corpus nostrum crassum & terrestre per panem corpus adhuc crassius, nobis tamen congeneum, id est, nutrimento carnali aptissimum, veri Christi corporis fieri participes. Fatemur denique similitudine quadam proportionali non totali, corpus Christi corpori nostro spiritualiter, hoc est incorporaliter misceri, sicut cera cum cera, sicut fermētum in massa. Et rem ita se habere certo scimus, sed quomodo id fiat, penitus ignoramus. Quid habet igitur de pro orali & corporali corporaliter facta Christi corporis comestione? nihil omnino: sicut neque de præsentia reali in altari.

XXXII. Nonus locus, in pręcedentium subsidium à Plessæo allatus est, vbi Cyrillus ait, sola fide accipi carnem Christi, non vt communem, sed vt carnem Verbi.] Repellit hæc iterum Perronius, quod *accipi* ibidem sit quod *e m...ndi*, & vlterius quædam alia verba vt deprauata & falsificata produci à Plessæo asserit, quæ in Plessæo Latino ego non inuenio. Incorruptum ex Cyrillo *ad Euopt. anath.* 11. Perronius locum talem profert. Nam sub prætextu, quod diuina natura non comeditur, non propterea concludendum est, sanctum Christi corpus esse corpus commune. Sciendum enim est, ipsum esse corpus proprium Verbi quod viuificat omnia; & cum sit corpus vitæ, ideo etiam viuificans est, nam per ipsum donat vitam mortalibus nostris corporibus ad imperium mortis destruendum. Hæc verba ait *pag.* 858. debuisse exsiccare totum atramentum in calamo Plessæi, tametsi in toto Cyrilli opere nulla alia essent. Quomodo enim, *inquit*, corpus Christi mortalibus corporibus vitam confert, si actio corporis Christi recepta non est nisi in anima, neque in nos ingreditur, nisi per fidem? Et quomodo diuinitas *apud Cyril. ep. ad Theod. Imp.* & Verbum comedi non potest, si comestio fit per fidem duntaxat? Concludit itaque, loqui Cyrillum de manducatione per corpus, non per spiritum, ore, non sola fide facta.] Sed hæc est cantilena ipsius iam millies ad nauseam repetita. Manducatio de qua hic & alijs similibus locis loquitur Cyrillus, est corporalis, non pure & nude spiritualis, non tamen corporaliter, neque per os facta. Corpori enim nostro Christi corpus, & non soli intellectui per fidem exhibetur, coniungitur, permiscetur, non tamen per os, neque corporaliter, sed spiritualiter, hoc est incorporaliter, ita vt ad receptionem dignam per os, stomachum, & venas, panis & vini, quod est dicere, ad veram oralem & corporalem comestionem corporaliter factam, etiam corpus Christi modo quodam ineffabili simul exhibeatur, & corpori etiam nostro, non soli animæ communicetur.

XXXIII. Decimus locus quo vsus est Plessæus *ex Cyrill. in Ioh.* 12. *c.* 58. sic habet. Participatio mysterij vera quædam confessio, & commemoratio est, quod Dominus -- mortuus sit & reuixerit.] Perronius, *pag.* 858. *à tergo* ait, hoc loco, referente Nicetа, olim fuisse vsos Orthodoxos ad probandum, in Eucharistia Christi corpus sumi gloriosum, & impassibile, non autem mortale & passibile. Et sententiam Cyrilli explicat esse, quod quemadmodum Thomas tacto Christi corpore, ipsum resurrexisse confessus est; ita nos ex contactu eiusdem corporis confiteri pariter Christum resurrexisse; quia si in morte mansisset, quo modo nos illud hodieque comederemus. Sic *pag.* 861 *à tergo*. Addit vero huic alia similia loca quæ pro reali præsentia faciant. Videlicet *ex eod. Cyrill in d. s.* 50. Catechumeni à sacra mensa prohibentur: baptizati vero, quia Spiritus Sanctus habitare in illis creditur, à tactu & communione salutaris Christi corporis nō prohibentur -- Ministri clamant, *Sancta Sanctis*: S. lis sanctificatis spiritu tactum & sanctificationem corporis Christi congruere significantes.] Item, *ibid. c.* 32. In quatuor partes vestimenta diuisa sunt. - Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum Verbi, id est carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt; In singulos enim partibiliter transiens vnigenitus, & animam atque corpus eorum per carnem

suam

suam sanctificans, impartibiliter atq; integre in omnibus est.]

XXXIV. Locus tamen à Plessæo productus realem præsentiam non admittit: & ea quæ addit Perronius, reali præsentiæ nihil fauent. In illo enim primo loco Cyrillus factum illud Christi, quo ianuis clausis ingressus est ad discipulos, seque resurrexisse, etiam tactu Thomæ probauit, simili commemoratiua actione adhuc in Ecclesia repræsentari significat, quando ianuis Sacrorum templorum clausis, & non communicantibus exclusis, mysteria sacræ cœnæ celebrantur; tunc enim carnem suam Christus corporaliter in typo, spiritualiter in veritate tangendam exhibet, & tunc Christum pro nobis mortuum fuisse & resurrexisse commemoramus. Probat vero Cyrillus, nos Christi resurrectionem etiam eo Sacramento commemorare, non ex tactu simili Thomæ tactui, sed ex verbis Christi; *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur in remissionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem.* His subdit Cyrillus, Participatio igitur mysterij vera quædam confessio & commemoratio est, quod propter nos & pro nobis Dominus & mortuus sit & reuixerit, & eulogia diuina propter hoc nos replet.] Præmiserat vero ista. *Quod autem mysticæ eulogiæ communio resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis suis probatur; fractum enim panem distribuebat dicēs, Hoc est corpus, &c.*] Non probat ergo ex contactu eulogiæ Christum resurrexisse, sed ex verbis Christi in institutione Sacramenti dictis; & ex illis etiam probat, communionem eulogiæ esse commemorationem mortis & resurrectionis Christi. In contactu ergo nostro, tum corporali sacri panis, qui sit typus corporis Christi, tum spirituali veri corporis Christi, repræsentationem agnoscit illius Christi actionis octauo die post resurrectionem, cum similitudine actionis: sed interim fatetur Cyrillus & probat, sacram communionem esse memoriam & repræsentationem mortis & resurrectionis Christi, & sic in ipsius eulogijs, non verum corpus Christi corporaliter in ijs latens agnoscit, sed solam & puram memoriam ac repræsentationem. Panemque fractum vocat ipsas eulogias *lib. 4. c. 14. in Ioan.* tum quando iam consecratæ Apostolis à Domino distribuebantur, alias fragmenta panis; si erat panis fractus, non ergo erant corpus Christi verum, quod certe fractum & in frusta dissectum non distribuebatur. Locus ergo contra realem præsentiam in pane plurimum facit. Realis autem præsentia interna spiritualis indigne sumenti, nō est illa de qua præsens controuersia agitatur: quæ etiam affert Perronius ex *c. 50. & 51.* intelligenda sunt de contactu similiter, vel corporali signi, vel spirituali signati: nam *vt ad vnct. Chrism.* significantia & significata ijsdem nominibus censentur: & sanctificatio illa per carnem Christi, est interna, & per internum spiritualem contactum carnis Christi, quæ vera & realis, vt toties dictum est, incorporaliter tamen exhibetur in Sacramento modo ineffabili, & soli Deo agnito.

XXXV. Vndecimus locus est imaginarius apud Perronium *p. 862.* qui verba propria Plessæi, quibus ille aliquid ex præcedentibus & consequentibus colligebat, putauit à Plessæo ac si essent Cyrilli adduci, & contra illa obijcit ea quæ iam bis terue ex Cyrillo ipse Perronius pro se vsurpârat; & sunt à nobis in præcedentibus explicata.

XXXVI. Duodecimus *ex Cyrill in Leu. l. 5.* talis est: Dominus de pane quem discipulis dabat & dicebat eis, Accipite & manducate, non distulit nec reseruari iussit in crastinum.] Non ergo asseruanda Eucharistia. Commentarium vero illum in Leuiticum modo net Plessæus ab alijs tribui Origeni. Perronius tripliciter contra hunc locum insurgit *p. 863.* Primum enim probare nititur, commentarium esse Origenis, & inde illum vilipendit. Secundo, locum interpretatur, eum videlicet esse allegoricum, & pro Sacerdotali, non pro laicali communione. Tertio, probationes affert pro asseruatione Eucharistiæ. De primo nō est cur disputemus. De secundo dico, id esse vanum subterfugium; nam licet locum, siue Cyrillus, siue Origenes per allegorias tractet, quæ tamen assumuntur sunt historica: vt est illud, Dominum non iussisse Apostolis vt reseruarent in crastinum. Et Apostoli tunc ad modum laicorum, non Presbyterorum acceperunt communionem; non enim ipsi Sacramentum illud conficiebant; neque quicquam ad rem facit, quod qui Sacerdos liturgiam peragit, omnino communicet; neque Toletanum Concilium Christum celebrantem, & Apostolos communicantes suo decreto inclusit. De tertio, quantum satis est differo infra *num. 25.* Epistolam vero ad Calosyrium, dum Authentica comparuerit, iam contempsimus: & tamen Plessæus eam quoque adhuc optime pro se vrget.

XXXVII. Vltimus locus est, *ex Cyrill. in Ioh. 9. c. 47.* Christus in nobis est per spiritum.] Perronius insurgit *p. 868.* à ergo, Cyrillum nusquam asserere, effectū Sacramenti esse, Christum in nobis per spiritum habitare, & per fidem ingredi.] Sed neque Plessæus id ei in editione Latina appingit; sola hæc pauca verba, quæ ego modo proposui, ille produxit, & suis verbis id fide fieri addidit. Obijcit Perronius id quod iā sæpius ex Cyrillo commemoratum est, Christum in nos ingredi per suam carnem, corporalem esse nostram vnionem cum Christo, & alia quæ iam toties explicata sunt. Soluere tamen prius debuit argumentum, quod ex illis paucis verbis Cyrilli deducitur, nimirum Christum etiam in Sacramento Eucharistiæ nobis per spiritum vniri, seu in nobis esse; & postea aduersantia huic dicto loca vrgere, alioquin Cyrillus sibi ipsi contrarius esset. Non est tamen; quia licet sæpius dixerit, corporalem esse vnionem inter carnem nostram & carnem Christi in Eucharistiæ sumptione, corporalem tamen illam vnionem quoad modum hic docet esse per spiritum, hoc est modo quodam ineffabili, quo spiritus Christi facit, vt corpus ipsius verum & reale, & tamen non corporaliter nobis cōmunicetur, quod itaque alias dixerat Cyrillus, ex ingressu carnis Christi viuificæ in nos per Eucharistiam, carnem nostram viuificari, idem nunc ait fieri per Spiritum Christi. Christus enim, *inquit*, in nobis per spiritum est, corruptibilitatem nostram ad incorruptibilitatem permutans.] Ecce, qui effectus tribuebatur carni Christi, expresse iam tribuitur spiritui Christi; vtrunque enim verum est, & carnem Christi veram & realem nobis per Sacramentum communicari, & id fieri non corporaliter, sed per spiritum Christi, qui efficit interne & spiritualiter, vt in sumptione digna panis & vini Sacramentalis, corpus verum Christi nobis exhibeatur.

XXXVIII. Eat nunc Perronius, & coucrepantibus buccis victoriam victus canat, vt facit *pag. 870. & sequentibus.* Patres omnes hactenus producti à nobis, & à Perronianis cauillis & commentis vindicati, vniformi spiritu, vniformi doctrina mysteria nostra in Eucharistiæ Sacramento, non corporaliter, sed mystice, figuratiue & spiritualiter intellexerunt & expresserunt. Nihil minus etiam subsequentes, Augustinus præsertim, quem Perronius in toto illo octodecim annorum spacio attingere non est ausus. Encomia quæ celebrat illorum sex, quos huius argumenti præcipuos

cipuos tractatores facit Patrum, in ipsius, Realistarumq; omnium caput collimant: qui nuper à crassa, materiali, contra totius veteris Ecclesiæ sensum, contra veram & probatam ac confirmatam Apostolicam traditionem, corporali corporaliter facta manducatione, absurda, inepta, impossibilia, inutilia, in mentes fidelium inuehere conantur, vnde superstitiones intolerabiles, ipsaque creaturæ diuina adoratio, cum ingenti animarum periculo & Ecclesiæ schismate inualuerunt.

XXXIX. IN hac mea postrema appendice iuuat Lectorem monere, me à Iustino Patres in aciem ducere cœpisse. Ex Clementis Apostolicis constitutionibus nihil produxi, nihil ex Areopagita Dionysio, nihil ex Ignatio; non enim mihi videbantur illa opera plena fide roborata. Quoniam tamen vel ea quoque impugnat Perronius, vel ijs vtitur, operæpretium esse duxi, nunc tandem aliquid de his quoque annotare.

XL. In constitutionibus Apostolicis, quæ tamen non adeo sunt abiectæ fidei, in nostris præsertim Ecclesijs sub Romana, quin ex antiquitate saltem aliquid fidei & autoritatis habere mereantur. Vbi igitur in illis panis & vinum Eucharisticum vocantur antitypa, etiam post cõsecrationem, merito adiungendæ sunt etiam Basilij Liturgiæ Nazianzeno; vt simul omnes ab Ecclesia repellant vanissimam transubstantiationem. Bis vero saltem in ipsis constitutionibus hæc antitypa inuenimus: & loca protulit Plessæus *de Missa sui; posit. l. 4. c. 4.* videlicet, in mystica gratiarum actione quæ consecrationem subsequitur, *Const. Apost. l. 7 c. 16* Gratias, *inquit*, agimus tibi Pater noster, pro precioso sanguine Iesu Christi, qui effusus est pro nobis, & pro precioso corpore, cuius hæc antitypa perfecimus, ipso nobis ordinante, vt annunciaremus eius mortem.] Et Petrus prius dixerat, *ibid. l. 5. c. 13.* Cum antitypa mysteria preciosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset, &c.] Est tertius locus, in quo ex liturgia post consecrationem habetur, *ibid. l. 8. c. 17.* panem & calicem Deo offerri. Quartum breuitati consulens omitto, cum præsertim probabilibus quibusdam interpretationibus possit eludi.

XLI. Ad vtrunque locum de antitypis respondet primum Perronius generali quadam responsione *p.* 873. In Sacramento altaris duas esse naturas, vnam externam, accidentalem & visibilem; alteram internam, essentialem & inuisibilem: itaq; secundum priorem est signum, figura, seu antitypon; secundum posteriorem est plenitudo, veritas, & realitas.] Sed ergo dicat mihi vtrum ex his duobus sit præcipuum, figurane, an figuratum? Et sitne illud prius, quod nimirum figura tantum est & signum corpus Christi, an non sit. Scio responsurum Perronium & eos qui cum ipso sentiunt, præcipuum esse posterius, & illud prius non esse corpus Christi, sed signum duntaxat corporis Christi: optime. Mirum igitur quod Petrus *Marc.* 14. 37. (nisi Simon dormiens inducatur, aut rursus nesciens quid dicat) *Luc. 9. 33.* asserat, Christum ipsum ipsis dedisse antitypa corporis sui: cur statim non dicat, Christum ipsis dedisse in pane corpus suum? Apposite ne loqueretur qui vellet dicere, Sponsum suũ corpus suæ sponsæ dedisse; diceret tamen, Sponsum suæ sponsæ clamydem sui corporis dedisse. Et quis hic corpus ipsum donatum intelligeret? Annon potius dicendum esset, sponsum suum corpus clamyde inuolutum suæ sponsæ dedisse? Quod si clamydem tantum sui corporis donauit, certe ex vi loquendi corpus non donauit. Hæc ergo prima generalis responsio loco non satisfacit; cum præsertim signa illa & antitypa ponantur in nudis accidentibus panis & vini; quod impugnaui in Appendice ad Basilium. Sed ne ipse quidem Perronius sibi ipsi satisfecit hac prima responsione, ad Grammaticam satis longam confugit, & varias huius vocis, *antitypon*, vsurpationes recenset, easque vt sibi faueant efficere quantum potest enititur.

XLII. Nouem huius vocis *antitypon* acceptiones colligit. Prima est, vt idem sit quod typus seu figura & imago. Et hæc prima acceptio est maxime communis & ordinaria, nobisque penitus fauet. Secunda est, vt antitypon sit oppositum typo, id quod respondet figuræ quasi contra figuræ, & sic corpus Christi est antitypon panis. Tertia est, vt sit id quod sit loco alterius, & supplet pro alio, vt sicut ἀντιβασιλεὺς significat protoregem, ita antitypon significet pro figuram, id est aliquid quod sit loco figuræ: Sic vult Perronius *p.* 874. Sacramentum altaris posse dici antitypon corporis Christi, hoc est, *inquit*, mysterium quoddam quod teneat locum figuræ corporis Christi. Bene admittam, si ita placet, panem non esse figuram corporis apud Clementem, sed profiguram: sed profecto si figura non est res, multo minus profigura erit res: & erit semper realis distinctio, tam inter figuram corporis & corpus, quam inter profiguram corporis & corpus, & secundum hanc acceptionem nos dicemus panem esse antitypon corporis Christi, quia Christus loco sui corporis corporaliter edendi substituit nobis panem, vt explicaui *num.* 84. Quarta, vt sit figura rei contrariæ, sicut si serpens sit figura non Christi, sed Diaboli. Sed in nostro casu, hæc non est. Quinta, vt sit idem quod par, æquale, assimilatum, sed tamen certe diuersum, & sic neque hæc nobis obest, sed fauet. Sexta, vt sit durum & solidum, hæc nihil ad nos. Septima, vt sit verum & essentiale, opponaturque vano, ideali & imaginario: vt cum corpus solidum & materiale dicitur antitypon corpori mathematico. Et in hac acceptione ait Sacramentum altaris posse dici antitypon corporis Christi, ita vt adiectiue sumatur antitypon, & tacite subintelligatur mysterium: sicut expresse positum est in altero loco citato ex *lib.* 5. *c.* 13.

Sed hic nihil potest habere nisi cauillum: Esto acceptio hæc vera sit; eam igitur suo proposito applicet; profecto hoc antitypon est relatiuum, cui respondere debet, id quod verum & solidum non est: quidnam id erit in Eucharistia? num mysterium? Ita sane, quia antitypon vult esse adiectiuum mysterij: est ergo mysterium aliquod imaginarium, cui opponitur hoc mysteriũ solidũ. At quid est hoc mysterium imaginariũ? An nõ omnia mysteria, vt mysteria, sunt imaginaria? Hoc est, annon cõsistunt in sola cogitatione? Si dicat, in Eucharistia opponi corpus antitypõ corpori imaginario; & ita corpus Christi esse antitypon, panem vero esse corpus Christi imaginarium & figuratitium, deflectit satis; non enim deberet dici antitypon corporis, sed antitypon corpus. Petrus vero non dicit, Dominum eis dedisse corpus suum antitypon, sed antitypon corporis, & sic antitypon non est adiectiuum corporis, ergo non significat corpus solidum ad distinctionem imaginarij. 8. Vel sit idem literarum duplicatum seu exemplum replicatum. Et quia tale duplicatum, seu exemplum, aut transcriptorum id continet quod exemplar primum, estque res ipsa & eadem, ideo, *inquit*, Patres, vt elegantius Sacramentum corporis Christi vocarent, vsi sunt metaphora ex talibus transcriptis, siue replicatis, idque

vocarunt antitypon, quasi transcriptum & exemplū, & duplicatum corporis Christi, quod idem est ac si dicerent Sacramentum continens tantundem essentiæ corporis Christi, quantum continet ipsummet corpus Christi naturale, palpabile & visibile.] In his tamen est magna deceptio, & fallit nos in pluribus; scriptura & characteres scriptionis, sunt omnes in genere duntaxat signi; voces enim repræsentant. Rursus etiam voces sunt notæ, & signa eorum quæ mente concipimus; quoties itaque replicantur hæc signa, toties suum significatū repræsentāt. Est tamen ordo, vt prima scriptio, sicut & prima locutio, sit tanquam prototypum alicuius mentalis conceptionis; repetitio vero siue locutionis, siue scriptionis sint antitypa: quia sunt correspondentes similitudines suo prototypo, quod est prima similitudo rerum mente conceptarum. Falsum vero est, idem prorsus esse primum exemplar primo scriptum, & ipsius duplicatum, seu transcriptum; sunt enim duæ Scripturæ inter se penitus numero diuersæ, sed tamen vnam & eandem rem mente conceptam significantes, quia tam prima, quam posteriores, sunt signa eiusdem rei replicata; signa tamen numero diuersa: quomodo igitur potest hæc Sacramento applicare, nisi faciat duo corpora Christi numero distincta, alterum typum, alterum antitypum? Siquidem typus & antitypon sunt numero distincta in hoc ipso exemplo Scripturæ quod affert. Præterea vanum est quod ait, corpus Christi in Sacramēto esse quasi duplicatum, hoc est, rem ipsam cum corpore Christi naturali, visibili, & essentiali: ita vt corpus Christi in Eucharistia sit antitypon corporis naturalis. Idem enim sibi ipsi non potest esse typus & antitypon, nisi etiam dicat aliquis, hominem vestitum esse sibi ipsi nudo antitypon. Etsi oppositio est in modo inter nudum & vestitum, in corpore tamen nulla est oppositio, aut cōtrapositio, & tamē inter exemplar & copiam est realis distinctio & contrapositio: copia enim non est ipsum exemplar, sed est aliud simile transumptum, licet & primum exemplar, & copia eandem rem à seipsis diuersam significent, puta mentis conceptus. Sed & ridiculas facit has Patrum *locutiones*, per metaphoras tam longe petitas, vt dicant, Christum dedisse Apostolis ad manducandum copiam seu transcriptum sui corporis: hiccine est elegantia? Est sane, sed mimica, vix digna scenis.

XLIII. Nona demum, vt antitypon significet impressionem rei quæ sigillo vel typis fiat, vt quando cuduntur monetæ, & libri excuduntur ac imprimuntur: character enim imprimens, inquit *pag.* 876. vocatur typus, character vero impressus vocatur antitypon. Atque in hoc sensu, *inquit*, Patres dant Sacramento altaris titulum antitypi corporis Christi. Nam quemadmodum character imprimens communicat totam suam essentiam, quæ neque est aurum, neque argentum, neque ferrum, vbi est sculptum, sed forma lineamentorum, quæ sistat in charactere impresso; Ita, *inquit*, corpus Christi imprimit & communicat totam suam essentiam in Sacramento. Sicut in Trinitate prisci declarant, Patrem communicare impressiue suam propriam substantiam filio, & affirmant, filium esse characterem substantiæ Patris. Ita in Eucharistia dicunt, Sacramentum esse characterem impressum, seu antitypum corporis Christi, volentes sic ostendere, corpus Christi hostiæ Sacramentali se communicare, non per formam diffusionis, sicut aqua communicat suam essentiam herbis, sed per formam impressionis, & sine decisione ac deductione suæ essentiæ, vt facit sigillum; & sicut vox eadem vna & indiuisibilis in se, imprimitur in multorum auribus; & ignis imprimit characterem substantialem suæ essentiæ, hoc est propriæ substantiæ, omni materiæ combustibili quam illuminat; & nihilominus totam integram retinet in se ipso; Sic ait, aliqua ratione siquidem exempla hæc rem attingere plene non possunt, vt fit etiam in explicatione Trinitatis, dicendum est, quando Patres Græci Sacramentum altaris vocant antitypum corporis, eos intelligere antitypum essentiale, & impressionem substantialem in qua imprimitur, inseritur & residet ipsamet rei essentia.] Et ad hoc confirmandum assumit Eutychij dictum, qui in re ipsa Eucharistica vtitur exemplo illo vocis, & sigilli ac impressionis, ponitque antitypa in ipso Eucharistiæ Sacramento. Locum integrum Gallice & Græce recitat *p.* 878. profert similiter Damascenum, & alios.

XLIV. Inanis tamen totus est iste labor admissa enim hac noua acceptione, ea tamen nihil illum adiuuat, vt per eam possit de antitypis post cōsecrationem, soluere difficultatem. Fatetur enim ipsemet Perronius, *p.* 877. exempla illa rem non attingere, & merito, quia forma quę est in sigillo, ipsamet se ipsam non communicat, dum in aliqua materia fit sigillatis impressio; Character enim impressus, est totaliter alius & diuersus à charactere imprimente, & non est nisi illius similitudo: & hoc nos volumus, in pane esse similitudinem figuralem corporis Christi, & non ipsum corpus Christi. Sic vox non communicat se ipsam secundum suam essentiam auribus multis audientium, nisi obiectiue, alioquin auditio esset essentialiter vox, quod est falsum; & licet vnica sit vox in se, ipsius tamen auditiones sunt multæ, non vna; & inter se numero distinctæ. Sicut & vnum & idem visibile terminat obiectiue multas multorum videntium visiones, non tamen propterea ipsum visibile idem secundum substantiam ingreditur in oculos videntium: sed multiplicatur per species, & non per se ipsum. Idem fit in audibili, seu voce, siue illa per fractionem aeris, siue etiā per species intentionales perueniat ad auditum, & sic auditio est vocis, non vox, sicut visio est coloris, non color.

XLV. Illud etiam est inexplicabile, quomodo corpus Christi imprimat se ipsum essentialiter pani, ita vt panis sit antitypon, id est, character impressus corporis Christi, & ita impressus, vt impressio illa sit substantialis cum communicatione propriæ essentiæ. Quæro, an Eucharistia sit opus diuinum ad extra, an ad intra? non puto adeo insanire quempiam vt hoc faciat opus ad intra, opera enim ad intra sunt coæterna Deo: at Eucharistia non est Deo coæterna, nec fuit ante Christum; nam & corpus Christi, quod dicitur imprimens, est opus ad extra, & in tempore productum, imo ne nunc quidem Eucharistia est opus perpetuum, & perseuerans, sed semper fit de nouo, quoties illa celebratur & consecratur. Cum igitur non sit opus ad intra, profecto non potest in ea fieri illa impressio substantialis, quæ non nisi in diuinis ad intra locum habet. Expecto ergo, vt in corporeis etiam faciamus nouam aliquam Trinitatem æqualem penitus Trinitati incorporeæ. Sed neque hæc ipsa communicatio ad extra impossibilis, potest rei propositæ applicari: quia Pater communicat suam essentiam totam filio, personæ à se realiter distinctæ. Quomodo vero Christus communicat suum corpus alteri personæ distinctæ? Et aliud est, collocare seipsum sub Sacramento, aliud communicare suam essentiam, aut imprimere: itaque nullo modo, etiam admissa transubstantiatione, quadrat hæc impressio.

XLVI. Exempla porro ab Eutychio data, à communi sententia de figurata præsentia non abhorrent. Ad spiritualem enim communicationem corporis Christi referuntur, per quandam analogiam etiam remotam, ac similitudinem, vt sicut vox eadem, manens eadem, sine sui detrimento communicatur plurimis audientibus, sic corpus Christi Sacramentaliter, hoc est modo spirituali exhibetur omnibus digne communicantibus, absque vlla ipsius diminutione. Et sicut sigillum absque sui destructione communicat suam formam innumeris repetitis impressionibus, sic pariter corpus Christi, spiritualiter communicatur absque sui detrimento, innumerabilibus digne communicantibus. Et sicut ignis aut candela ardens, sine sui detrimento innumeras accendit candelas; Sic corpus Christi, &c. Semper ista in ea tantum parte comparantur, in qua res eædem faciût aliquales sui multiplicationes, sine ipsarum diminutione, aut detrimento. Modus autem, quo hæc fiunt, est penitus diuersus, & nihil omnino conueniens. Ignis enim multiplicat alios ignes, non suæ indiuiduæ essentiæ communicatione, sed nouorum ignium à se numero distinctorum, & specie tantum conuenientium productione, educit enim de potentia materiæ combustibilis in quam agit, nouos ignes: Et de voce ac sigillo iam dixi, & de antitypo Eutychij disserui aliquid in Appendice ad Basilium §. 2. 3. 4. Illis addo, dici ab Eutychio totum corpus & sanguinem in totis antitypis inueniri, quia corpus & sanguis Christi simul cum antitypis pane & vino, totum spiritualiter digne sumentibus exhibetur: & non per partes, nec vnus plus accipit, alius minus: quod verum est, sed non nisi spiritualiter, vt iam ostendi; nec exempla Eutychij vt vidimus aliud probant.

XLVII. Tertius locus ex Clemente, erat de pane, etiam post consecrationem; Ad eum respondet Petronius, panem vocari, quia Christus est verus panis. hoc nos satis impugnauimus in Appendice ad Basilium §. 8. 9. 10. Ex hoc tamen loco ait Petronius *pag.* 880 Patres Græcos realem præsentiam probasse, Proclum Côstantinopolitanum, Nicolaum Methonensem, Marcum Ephesinum, eorumque dicta profert. Proclum ego explico *infra num.* 152. Methonensem, & Ephesinum neotericos non moramur: quamuis etiam ipsorum dicta possint ad bonum sensum trahi; sed eorum tempore penultimo sæculo virus transubstantiationis in aliquos etiam Orientalium penetrarat. Sed neque dubium est Petronium, neque Methonensi, neque Ephesino in multis eorum assertionibus consensurum; sed eas penitus abiecturum.

XLVIII. In opere de Hierarchia Ecclesiastica Dionysio Areopagitæ tributo, pulcherrima sane dicta contra realistas obseruarat Plessæus. Ea vero sunt huiusmodi ex ipso Dionysio Areop. *de Eccl. hierar.* Hinc Dei Pontifex in Dei altari laudat sancta, postea vero quam & venerationem eorum ornauit laudib. & spiritualem contemplationem mentis oculis aspexit, ad eorum symbolicam hierurgiam venit, atque id quod à Deo proditum sit, facit de hierurgia quæ supra ipsum est, se excusat, dum primo ad eum clamat, Tu dixisti, *hoc facite in meam commemorationem* perficitque ea quæ maxime diuina sunt, laudataque oculis subijcit, per symbola sanctè proposita. Pane enim qui opertus erat & integer, aperto, atque in multas partes fracto, & vnico calice diuiso inter omnes symbolice vnitatem multiplicat & distribuit, atque in his sanctissimam hierurgiam perficit. Describit enim in illis sensibiliter, oculis exponens Iesum Christum intelligibilem, nostram tanquam in imaginibus vitam genus hominum vocantem ad sui, bonorumque suorum communionem, si modo diuinæ eius vitæ coniungamur illius quam præstare possimus, imitatione; atque hoc modo vere in Dei, diuinorumque bonorum societatem communionemque accedit, mysticamque distributionem, mysteriorum perceptio vt primum Pontifex participet.] Sed hæc omnia illa quoque præcesserunt. Hoc etiam considera, positis in diuino altari venerabilibus symbolis, per quæ Christus & significatur, & percipitur.] Placuit hæc omnia plenius referre.

XLIX. Ex his dictis tria visus est Plessæus *de Missa l. 4. c. 5,* colligere argumenta his verbis: Breuiter ergo obseruemus, Dionysio sacram cœnam ex instituto Domini, & in eius commemorationem celebrari, redemptionis generis humani symbolicam, id est figuratam, & significatiuam hierurgiam eam esse, quæ per symbola panis & vini præsentetur corporis fracti, sanguinis effusi pro nobis signa. 2. Hanc institutionem non à quinque illis verbis pendere, &c. 3. Hæc porro signa Christum ita nobis significare, vt nihilominus exhibeant; id est, eius gratiam ita exhibere vt nihilominus in cœlo quærendus sit, non in terra: propterea, vt sacram Eucharistiæ actionem, *ἱερουργίαν συμβολικὴν*, mysterium seu sacrificium figuratiuum appellat: ita etiam panem & calicem perpetuo, etiam post consecrationem *σύμβολα, εἰκόνας, ἀντίτυπα, ἀγάλματα*, signa, imagines, figuras, simulachra: item sensibilia pro spiritualibus capienda, *αἰνικτὰ, καὶ ἐξ αἰτίων* causata, vt ita loquar, non causantia, quorum causa aliunde pendeat, visibiliter celebranda, & ad inuisibilia nihilominus referenda. Quæ omnia, *inquit*, ad carnalem manducationem quid faciunt?] Addit etiam Plessæus autoritatem Maximi, qui Areopagitæ interpres, & hæc habet; Symbolum, sensibile quid, quod pro intellectuali accipitur; sicuti pro immateriali, & diuina esca, & ... panis & vinum, & quæ similia.]

L. Ad hæc quid Petronius? Præmittit *pagina* 1032. aliquid criticismi supra ipso opere Dionysij: Ego in criticis nunc non immoror. Aliquid autoritatis operi tribuo, tanquam ante tempora Gregorij Magni scripto, sed Areopagitam autorem nunquam admitiam. Post corroboratam libri autoritatem, primum quod ipse format tanquam Plessæi argumentum, impugnat; idque vult esse sanctam cœnam institutione Domini celebrari, quæ quinque illis verbis astringatur. Et hoc erat, vt vidimus, alterum, non primum Plessæi argumentum, in quo falsitatis reum agit, illa vero Plessæus non nisi obiter, & incidenter attigit, neque enim ad præsentem quæstionem de reali præsentia, quicquam faciunt. Et quamuis prima quæstio de verbis agit consecrationis, non est cur hic in his immorer. Alterum argumentum dicit *pagina* 1035. esse, cœnam celebrari in Domini commemorationem. Et ideo corpus Christi non esse realiter præsens: hoc argumentum ego in Plessæo non video. Et licet commode vrgeri posset, non tamen est in eo tempus terendum. Tertium argumentum ponit in eo, quod Dionysius tam sæpe vtatur voce symboli. Et hoc est primum Plessæi argumentum. Ad hoc respondet Petronius ex sua ordinaria Grammatica, multas esse acceptiones huius vocis, *symboli*, & tandem concludit, species sacramentales esse symbola rei præsentis, non absentis. Nouũ tamen & inauditũ olim est hoc inuentũ, vt species sacramẽtales sint

ipsa

ipsi panis & vini accidentia nuda, sine substantia vlla, quę nunc obtrudere non est nostris difficile, siquidem id commenti est ab ipsis toties agitatum, expressè positum, & vtcunque declaratum. Quod autem *Dionysius* panem ipsum vocet symbolum, & intelligat nuda panis accidentia, est summæ impertinentiæ, cum nunquam aut ipse, aut quicunque alius ante ipsum, siue fidelis, siue infidelis, siue orthodoxus, siue cacodoxus, accidentia talia nuda sit vel imaginatus. Certe Dionysius panem ipsum, & vinum non minus vocat symbola post consecrationem, quam ante; & si ante symbolum sumitur pro pane substantiali, cur statim sumatur pro nudis panis accidentibus? Sed quid sibi vult symbolica hierurgia, & sacrificium symbolicum? nisi quia tota actio illa sacra in cœna Domini symbolice peragitur, non ergo realitas nisi in signis: & sane tertium Plessæi argumentum satis probat, symbola esse panem & vinum, quæ significent corpus Christi absens corporaliter, & non nisi spiritualiter præsens: quia totus effectus est, vt cum symbolis, non corpus Christi corporaliter præsens, sed dona & gratias cœlestes percipiamus. Et de hoc argumento Perronius plane nihil. Sed vrget potius pro se dictum Dionysij; *Areop. de E. cl. hierarchia.* quod etiam vrget Bellarminus, *De Eucha. lib. 2. c. 3.* videlicet. ô diuinissimum, & sacrosanctum sacramentum, obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicue nobis fac appareas; nostrosque spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.] Stulte & impie, ait Bellarminus, panis inuocaretur, nisi esset panis viuus cœlestis. Neque rogaret autor, ait Perronius, exui vela, si symbola nihil aliud sunt, nisi signa significantia & nequaquam continentia. Et mox ad alium locum Plessæi diuertit, *pag.* 1037. ad Pachimerem Areopagitæ interpretem. Huic loco penitus alienam inuocationem ego hanc nihil fauere Realistis plane video. Non enim inuocatur panis, sed sacramentum: at vero sacramentum accipitur pro toto aggregato, inclusa etiam re sacramenti. Et quia corpus Christi verum est res huius sacramenti, quod nobis cum symbolis realiter, sed non corporaliter exhibetur, ideo orat autor, vt Christus dignetur aperire nobis oculos spirituales, quibus interne perspiciamus tantum effectum, & rem huius sacramenti, quæ symbolis panis & vini obtegitur. Hæc igitur inuocatio supponit, fateor, Christi præsentiam, non tamen corporalem, sed spiritualem: vt ea explicant ex quibus Plessæus tertium suum formabat argumentum.

LI. Ignatius superest ex his quos ego omisi, & à Plessæo positus fuit; à Perronio vero pro se explicatus, & retortus. Et sane oppositio illa inter carnem, & panem: sanguinem & calicem; *apud Ignat. ad Philad. eph.* dat argumentum probabile absentiæ corporis substantialis: sed quia potest tolerare alias quoque interpretationes, non magnifaciendus est locus ille viriliter parte. Interim tamen dubium non est, illam oppositionem nonnihil negotij facessiuisse Bellarmino; *de Euch. l. 2. c. 2.* siquidem eo adactus, distinguendum putauit carnem vt in cruce passam, & sanguinem vt in cruce fusum, à sacramento Eucharistiæ: quod merito profecto acrius reprehendit Plessæus, *de Miss. l. 4. c. 4.* cuius reprehensionem vt legitimam, non repulit Perronius: Apostoli enim Christo crucifixo in cœna participarunt: & passum corpus anticipate prægustarunt: & nos in sacramento Eucharistiæ illud idem corpus spiritualiter sumimus, quod in cruce extensum fuit: quare distinctio illa videtur intolerabilis. Locus etiam alter *Ignatii ad Polycarpum* de tāgibilitate & palpabilitate corporis Christi, quæ sit perpetua conditio illius; licet optime præsentiam realem excludat, quia tamen etiam ille potest probabiliter aliqua interpretatione leniri, & de hac conditione palpabilitatis nos infra suo loco disputamus, nobis omittendus est.

LII. Dictum tamen quoddam Ignatij indubitatū à Theodoreto relatum, Perronius totus factus militaris, Thraso vere scenicus cum ingenti gloria obijcit, quod Bellarminus quoque obiecerat & tractarat; huius dicti explicationem optimam viderat Perronius & Plessæi & aliorum; ipse vero nudum dictum profert, & totus iactabundus frustra exultat. Ignatius igitur *apud Theod. r. dial. 3.* de hæreticis quibusdam scripserat ad Smyrnenses. Eucharistias & oblationes eos non admittere, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris &c.] Repudiabant illi Eucharistiam, ne cogerentur admittere Christum veram carnem habuisse, cuius Sacramentum esset Eucharistia. Eucharistiam autem esse carnem Saluatoris, significat esse carnem Sacramentaliter. Vidimus etiam in Irenæo, & Tertulliano, ex Eucharistia hæresim illam confutari, qui in Christo carnis veritatem negabant. Quod enim carnis signum est, veræ carnis signū est; & vbi vera caro non est, neque signum sui potest habere, cum profecto signa sint rei quæ est & non rei quæ non est. Instat tamen Bellarminus & ait, Corpora quoque humana apparentia depingi posse & figuris exprimi, licet vere humana nō sint, vt patet, *inquit*, de imaginibus Angelorum. Sed tunc pictura illa referet non verum hominem, sed apparentiam & phantasma hominis. Et si nullus homo verus esset, imago illa nihil in re sibi respondens haberet; sic Eucharistia si nulla esset vera caro in Christo, significans esset absque significato. Quod quia esse non potest, necesse est vt vera sit Christi caro, siquidem in Eucharistia Christi caro significatur: ad hoc ne cogerentur illi hæretici, negabant Eucharistiam esse carnis Christi significatricem, aut in Eucharistia carnem Christi exhiberi. Et ita ipsam Eucharistiam negabant. Hoc vero Ignatius sciebat esse errorem, quia sciebat Eucharistiam Christi carnem veram significare & exhibere. Iam de appendicibus satis. Prosequamur alios Patres nostro ordine resumpto.

CLII. PRocli Constantinopolitani Cyrillo contemporanei dictum profert Bellarminus pro se, quod tale est. Per has preces Spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificio panem, & vinum aqua permistum, ipsum illud corpus, & sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi efficeret.] Hoc ait *de Euch. l. 2. c. 26.* Bellarminus esse breuissimum, sed robustissimum testimonium. Si tamen Proclus iste, nescio ex quo latibulo eductus alicuius fidei sit, vel autoritatis, nihil plus ex eo haberi potest, quam ex Hieronymo nostro habuimus, qui ore Sacerdotum nostrorum dicebat corpus Christi confici, *supra n.106.* hoc est per consecrationē panem fieri Sacramentalem, & consequenter typice & figuraliter, sed efficaciter corpus Christi, quia exhibet ipsum corpus Christi, vt est iam toties explicatum.

Theodoretus Cyrensis, cum sit sane vir doctissimus, & ex Patribus Græcis, meo iudicio, ingenij acumine & rerum sacrarum intelligentia maxime insignis, quid de corpore Christi in Eucharistia sentiat, operæpretium est exactius indagare. Is vbi in ea disputatione versatur, vt doceat Verbum carnem factum esse, per veram veræ carnis assumptionem ad hypostaticam vnionem, inter alia agitat argumentum illud,

quod Gregorius Nyssenus *supra num.* 78. agitabat, nimirum, si verbum incarnatum non habuisset corpus suum proprium, sibi vere & proprie vnitum, nunquã sub typo & figura panis illud se discipulis tradere dixisset: atque his Theodoretus vtitur verbis. *in dial. 1.* *ORTHOD.* Scis quod Deus suum corpus panem appellauit? *ERAN.* Scio. *ORTH.* Porro etiam alibi carnem triticum nominauit. *Ioan. 12. 24.* *ERAN.* Hoc etiam scio. *ORTH.* In mysteriorum autem traditione corpus panem appellauit, & sanguinem id quod in calice infusum, & commixtum est. *ERAN.* Ita nominauit. *ORTH.* Atqui & quod est secundum naturam corpus corpus iure vocabitur & idem sanguis. *ERAN.* In confesso est. *ORTH.* Seruator quidem certe noster nomina commutauit, & corpori quidem id quod erat symboli ac signi nomen imposuit: symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se vitem nominauisset, sanguinem, id quod erat symbolum appellauit. *ERAN.* Hoc quidem vere dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum. *ORTHOD.* Manifestum est institutum ijs, qui sunt diuinis mysterijs initiati. Volebat enim eos qui sunt diuinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia credere. Qui enim quod natura corpus est, triticum & panem appellauit, & vitem rursus seipsum nominauit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjciens. Dic per veritatem. Cuius symbolum & figuram esse existimas alimentum sanctissimum, Diuinitatisne Domini Christi, an corporis & sanguinis? *ERAN.* Clarum quod illorum, quorum etiam appellationem susceperunt. *ORTH.* Corporis & sanguinis dicis? *ERAN.* Ita dico. *ORTH.* Vt decet amicum veritatis dixisti: Etenim Dominus cum accepisset symbolum, seu signum, non dixit. *Hoc est Deitas mea,* sed, *Hoc est corpus meum,* & rursus. *Hic est sanguis meus.* & alibi, *Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita?* *ERAN.* Vera sunt hæc, sunt enim diuina eloquia. *ORTH.* Si ergo vera, corpus vtique habuit Dominus.]

CLIV. Proculdubio clarissime Theodoretus solum symbolum, solamque figuram corporis Christi agnoscit in sacro pane. Aitenim, corpori suo Christum nomen panis & tritici (quod idem est) dedisse *Ioan. 6. 51.* Ego sum panis, &c. *& Ioan. 12. 24.* Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c. Ita etiam sanguini suo nomen tribuisse vini, vbi se vitem vinum producentem nominauit; & in prophetia eidem suo sanguini nomen dedit vini. *Genes. 11 49 & Isa. 63. 6.* Et rursus vice versa pani nomen corporis sui dedisse, & vino sanguinis. Panem vero & vinum semper vocat Theodoretus symbola corporis & sanguinis: & ita nomen symbolorum dari dixit rebus, quarum illa symbola sunt, & symbolis, facta permutatione, rerum per ipsa significatarum nomina adaptari. Huius communicationis nominum per istas commutationes rationem assignat, vt nimirum nos non inspiceremus naturas, hoc est res ipsas quæ obijciuntur sensibus, sed mentem referremus ad ea quæ facit diuina gratia. Nam quando audimus nobis corpus Christi esse comedendum, non debemus corporalem Christi corporis manducationem cogitare, sed eam quæ nobis à diuina gratia conceditur, qui est panis quidam corporaliter & symbolice, Christi vero corpus spiritualiter & ex gratia. Ita quando nobis porrigitur panis sacer edendus, non debemus sistere in natura panis; sed fide apprehendere nos in illo pane materialiter sumpto, spiritualiter & ex gratia ipsummet Christi corpus sumere: nam & corpus est panis, & panis est corpus. Sed natura non mutatur, inquit Theodoretus, nam panis manet panis, & exhibet corpus: & corpus manet corpus, sed exhibet panem; gratia vero facit vt corpus exhibeatur cum pane, & panis exhibeat corpus. Panis enim in manibus Domini erat symbolum & signum inquit Theodoretus, quando Dominus dicebat, *Hoc est corpus meum.* Et ita spirituale alimentum quo per Eucharistiam fruimur non est sola diuinitas, sed etiam est ipsa caro Christi, res nimirum Sacramenti & effectus, quam spiritualiter in Sacramento recipimus: vt Patres præcedentes, & præsertim Augustinus, explicabant. Frustra ergo locum hunc Theodoreti ad se trahit Bellarminus, *ibid. c. 27.* ex quo vel maxime realis præsentia oppugnatur. Neque scio vnde is se potuerit asserere, sensum Theodoreti esse, ex nominis mutatione, rei etiam mutationem esse intelligendam. Quod ne somniauit quidem Theodoretus, imo contrarium expresse docuit, naturas mutatarum non mutari, sed naturæ gratiam adjci. Alioqui si panis natura mutatur in corpus, quia vocatur corpus, sic etiam natura corporis dicenda est mutari in panem, quia corpus vice versa, vocatur panis.

CLV. Rursus Theodoretus *dial. 2.* hæc habet; *ORTH.* Dic ergo, mystica symbola quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorum nam dicis esse symbola? *ERAN.* Corporis & sanguinis Domini. *ORTH.* Corporis quod vere est, vel vere nõ est? *ERAN.* Quod vere est. *ORTH.* Optime, oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur depingunt imagines. *ERAN.* Verum. *ORTH.* Si ergo diuina mysteria corpus quod vere est repræsentant: ergo corpus etiam nunc Domini quoque corpus est, non in naturam diuinitatis mutatum, sed impletum diuina gloria. *ERAN.* Opportune accidit vt verba faceres de diuinis mysterijs. Nam vel ex eo ipso tibi ostendam, corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde ergo ad mea interrogata. *ORTH.* Respondebo. *ERAN.* Quid appellas donum quod affertur ante inuocationem sacerdotis. *ORTH.* Non oportet aperte dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysterijs non initiatos. *ERAN.* Respondeatur ænigmatice. *ORTH.* Id quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum. *ERAN.* Aliud autem signum quomodo nominamus? *ORTH.* Commune etiam hoc nomen, quod potus speciem significat. *ERAN.* Post sanctificationem autem quomodo ea appellas? Corpus Christi & sanguinem Christi: Et credis te fieri participem Christi corporis & sanguinis? *ORTH.* Ita credo. *ERAN.* Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante inuocationem Sacerdotis, sed post inuocationem mutantur & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatum in diuinam substantiã. *ORTH.* Quæ ipse texuisti retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri & tangi possunt sicut & prius intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt & creduntur, adorantur, vt quæ illa sint quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, & videbis similitudinem.

CLVI. Si quis vnquã ex Patrib. clarissime asseruit & explicauit, in Eucharistia manere panẽ cum sua natura & substantia, ipsumq; esse Symbolum duntaxat,

im. gi-

imaginem, figuram & similitudinem corporis Christi, per quam tamen de ipso corpore reali participamus, tamquam de Archetypo, is sane Theodoretus est, vt patet, qui hoc loco non potest vlla ratione de solis speciebus, seu nudis accidentibus panis & vini intelligi. Nam licet propter infideles aut Catechumenos cuitet libenter verba panis & vini, quia scandalum pati solebant incapaces mysteriorum, si panis & vinũ corpus Christi esse diceretur, periphrasi tamen vtitur, & ipsum verum panem, verumque vinum sumit, quæ symbola appellat, signa & similitudines, tam post cõsecrationem, quam etiam ante: eaque ait à sua natura non recedere, signa vero & symbola iam descripsit esse panem & vinum, atque hæc contendit eadem manere, quæ erant ante sanctificationem, in eadem natura & substantia, sicut & prius, quæ nullo modo possunt intelligi de essentia accidentium, quo effugit Bellarminus; certe à Metaphysicis hac in parte ridendus; quod *οὐσία*, seu substantia sit ipsa accidentium essentia, vbi totus sermo est de substantiis panis & vini, non de accidentibus. Sed neque hoc effugium est ei tutum in bona metaphysica, in qua bene discere potuit dictum celebre; Accidentium esse est inesse: videlicet in substantia, cum autem hisce suis accidentibus panis & vini per transubstantiationem auferat omne subiectum, iam ergo salua non est accidentium essentia, sed penitus destructa. Et illud ridiculum, quod ad sui effugii confirmationem, cum nullum Autorem classicum habeat, solum Petrum quendam Cluniacensem, non ex scholis Academiis ue vllis, sed ex abdito aliquo pœnitentium monasterio ad opem sibi ferendam implorarit, imo per summam vim attraxerit. Sed in hoc magis ridiculus Baronius *tom. 6. an. 496. n. 14.* qui in Gelasio substantiam panis dixit esse accidentia panis. Sutor vtique vltra crepidam. Et dum ait Theodoretus, intelliguntur ea esse quæ facta sunt, & creduntur, &c. Monet non re ipsa neque substantialiter panem & vinum esse aut fieri corpus & sanguinem, sed intellectu tantum & fide, ex qua etiam adorantur, non quidem in se, sed in suo archetypo, vt supra etiam dicebat Augustinus *nu. 155.* quod significat illis verbis Theodoretus, *vt quæ illa sint quæ creduntur.*] Hoc est, eatenus adorantur quatenus creduntur: Creduntur vero esse corpus Christi, non in eo quod sunt, sed in eo quod repræsentant, & actu exhibent.

CLVII. Falsum porro est quod ait Bellarminus, Theodoretum exemplo Eucharistiæ velle ibi probare duas naturas in Christo. Ibi enim contendit probare, naturam humanam in Christo non absorberi à diuina et post resurrectionem: & ad hoc ei optime inseruit Eucharistiæ exemplũ: sicut enim panis post sanctificationem manet panis, licet mystice dicatur corpus Christi, ita corpus Christi manet corpus etiam post resurrectionem, licet ex resurrectione assecutum sit gloriosas qualitates, sicut panis post consecrationem assecutus est, vt corporis Christi diuinas qualitates dignis sumentibus exhibeat. Quod si panis cum tota sua substantia in corpus Christi transeat, tunc aduersarii Theodoreti aduersus ipsum merito exultassent, ita enim etiam corpus Christi desinere esse corpus, & in diuinitatem transire, quod illi contendebant: quibus satis fuisset, si corporis substantia à diuinitate vt dicebant absorberetur, & corporis sola figura ex ea remaneret, & apparentia. Ad quam hæresim stabiliendam supra quam egregie inseruiret ipsis exemplum transubstantiationis. Quod vero ait Bellarminus, Theodoretum non potuisse ab Ambrosio, Chrysostomo, Cyrillo dissentire, id admitto, non admitto tamen illos negare panem manere in Eucharistia: omnes enim Patres hactenus ostendi panem in Eucharistia pro substantiali pane agnoscere, & corpus Christi non nisi typice, & virtualiter.

CLVIII. Leonem Papam primum huius nominis ad se trahit Bellarminus, *de Euch. l. 4. c. 28.* sed nihil ab eo potest habere. Duo prima loca per rem Sacramenti Eucharistiæ, quæ est corpus Christi, sunt explicanda. Tertius similiter. Sed difficultatem videntur continere illa Leonis verba *serm. 7. de ieiun. sept. mens.* Hoc enim ore sumitur quod fide creditur.] Sed hæc difficultas nulla est, fide enim credimus, panem sacrum typum esse corporis Christi ex ipsa Christi institutione, & ipsum Christi corpus nec digne panem illum Sacramentaliter comedentibus suo modo exhibere. Hoc ergo quod fide credimus, ore sumimus. Quartus veritatem corporis ponit in Sacramento; quia verum Christi corpus est res huius Sacramenti.

CLIX. Hilarii, Emisseni, Fausti, Cæsarii, & Remigii dicta nolo discutere, quia incerta sunt, neque scire possumus certo cuius autoris sint, neque quando sint scripta, quamuis ne illa quidem adeo clare de præsentia reali loquantur, cum interpretationes nostras tolerent & admittant. Et sane Remigius *in 1. Corinth. cap. 10.* ex pane & carne facit vnum corpus; diuinitatis enim, *inquit*, plenitudo, quæ fuit in illa *carne*, replet & istum panem. Primasius vero, *apud Bellarmin. de Eucharist. lib. 2. cap. 31.* quid sibi velit, dum ait, vnum corpus Christi à nobis immolari, illud quod de ventre virginali suscepit, constabit inferius, vbi docebo, nostrum sacrificium esse commemoratiuum tantum & repræsentatiuum corporis Christi semel in cruce immolati.

CLX. Gelasius, *de duabus naturis in Biblioth. SS. PP. tom. 4.* Certa, *inquit*, Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. Et certe imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum; quod in eius imagine profitemur, celebramus & sumus; vt sicut in hanc, scilicet in diuinam transeant, sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanente tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant. Ex quibus constat proprie permanentibus, vnum Christum, quia integrum verumque, permanere demonstrant.] Panem manere cum sua substantia & natura expresse dicit, & ipsam Eucharistiam vocat imaginem & similitudinem corporis & sanguinis Christi, eaque repræsentare docet. Atque exemplo Eucharistiæ probat, sicut & Theodoretus, in Christo manere integram naturam humanam, simul cum diuina. Quod si substantia panis transiret in substantiam corporis Christi, contra se ipsum hoc Eucharistiæ exemplum adduxisset, vt patet; ideo licet dicat, Eucharistiam esse rem diuinam, & perficiente Spiritu S. in diuinam transire substantiam, hoc est opera ejus in nobis vt diuinæ participes simus substantię, tamen statim subdit illa verba, permanente tamen *pane* in suæ proprietate naturæ; & sic in Eucharistia duas ponit naturas integras, vnã panis realiter, alterã corporis &

ris & sanguinis repræsentatiue & virtualiter, seu efficaciter; In Christo vero duas integras, humanam & diuinam, vtramque realiter. Hunc non esse Gelasium Romanum Pontificem contendit Bellarminus *de Euchar. lib. 2. cap. 27.* & Baronius, *tom. 6. anno 496. nu. 2. & seqq.* admittit tamen Bellarminus illum esse vnũ ex antiquioribus Catholicis Patribus, cuius non respuit autoritatem, sed coactè nimium, & insufficienter interpretatur. Quicunque vero ille sit, certe antiquus & Catholicus est, & satis clare præsentiam corporalem excludit: Esse tamen Gelasium Papam Catholici insignes scriptores admittunt, Castro, *lib. 4. verbo Christus*, Massonius in Gelasio, & Margarinus *in sua Bibliotheca, tomoque 10*, qui saltem epitomen esse maioris operis Gelasii Papæ opusculum hoc quod citamus, concedit, ac ferme probat in sua postrema editione.

CLXI. Gregorius magnus nihil habere mihi videtur in hoc genere, quod ad vtramlibet partem duci possit. Nam quod ait; *in euang. hom. 22.* Quid sit sanguis agni, non iam audiendo sed bibendo didicistis, qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.] cum sit moralitas quædã, & sensus mysticus, parum ad rem facit. Voluit enim allegoricè duos postes inuenire in nobis Eucharistiam sumentibus, os, & cor: ore enim ipsum sanguinis Sacramentum, id est, vinum sacrum percipitur, corde vero fructus ipsius, seu res Sacramenti, & antitypum. Alterum locum ex Dialogis profert Bellarminus *de Eucharist. lib. 2. cap. 32.* Sed in eo libro Gregorius nimium popularibus indulgens auribus libenter multa fabulosa, & Gregoriano calamo indigna, ex sua simplicitate credulus congessit: qualis etiam est hæc, quæ producitur de apertione cœli, imaginatio, in hora nostræ immolationis. Cur aperiatur cœlum? An vt Christus descendat? At hoc nostri scholastici non requirunt, quia sine motu locali corporis Christi omnia peragi volunt. An vt chori Angelorum descendant? At Angeli cum corporei non sint apertione cœli non indigent, neque motu locali mouentur. Nimis crassa & popularia sunt ista. Addidit Bellarminus miraculum Eucharistiæ quo Gregorius probarit transsubstantiationem, & dixerit panem & vinum, manente propria specie, in carnem & sanguinem conuerti.] At miracula (demptis confictis) si quæ sunt vera, probant panem Eucharisticum non esse panem nudum & communem, sed vere Sacramentalem, & veri corporis Christi exhibitiuum, & ad hanc fidem confirmandam vera miracula spectabunt. Verba vero illa Gregorii communem potius superiorum Patrum continent sententiam, nimirum panis speciem, id est, ipsius naturam & essentiam manere, in carnem vero & sanguinem typice & figuraliter conuerti, cum efficacia carnis & sanguinis spiritualiter exhibendi.

CLXII. Isichius pariter *apud Bellar. ibid.* de veritate corporis Christi, quod sit res Sacramenti, & spiritualiter exhibeatur, agit: & verum est, omnem sensum excedere, quod panis exhibeat verum Christi corpus manducanti, cum donis ipsius spiritualibus. Sed addit Isichius, hoc Eucharistiæ mysterium simul & panem & carnem esse. Atque ex his obscuris & amphibologicis verbis horum Autorum nihil certi possumus colligere, cum in vtramque partem æque possint duci.

CLXIII. Demum Amalarius Fortunatus Treuerensis Episcopus, *de Eccles. offic. in Præfatione*, ex doctrina Ecclesiæ Romanæ, ait: Sacramenta debent habere similitudinem aliquam earum rerum quarum similitudines sunt. Quapropter similis sit sacerdos Christo, sicut panis & liquor similia sunt corpori Christi.] Eodem ergo modo quo Sacerdos repræsentat Christum offerentem, sic panis & vinum repræsentant corpus Christi oblatum in cruce, & sanguinem effundens. Cum vero Sacerdos non sit ipse Christus realiter, neque panis & vinum erunt Christi corpus, & sanguis realiter: sed erunt Sacramentum, cum similitudine.

CLXIV. Peruenimus igitur vsque ad octauum sæculum, ita sane vt per octingentos & vltra annos realis & corporalis præsentia corporis Christi à nemine, aut cogitata, aut posita fuerit in Ecclesia Catholica: insigniores vero quique Patres solam figuralem, typicam & spiritualem expresse asseruerunt. Pauci fide sola corpus Christi cum pane sacro exhiberi credi voluerunt, modum indagari vetuerunt, oẽs tamen panem substantialem in Eucharistia, etiam post sanctificationem, agnouerunt. Iam vero octauo ipso post Christum sæculo, cœperunt aliqui nimis materialiter Eucharistiam & corpus Christi considerare. Primus, vt videtur, Ioannes Damascenus, vir mediocris ingenii, neq; magnæ autoritatis in Ecclesia, *de fide l. 4. c. 14.* transmutationem quandam realem, & nõ figuralem posuit. Sed nouum tunc fuit negare in Eucharistia figuram; Carolus.n. Magnus eodem sæculo in veteri perseuerans doctrina, scribit hæc verba ad Albinum: *In Biblioth. SS. PP. to. 3.* In ipsa (*de cœna Domini*) Redemptor omnium cœnando cum discipulis, panem fregit, & calicem pariter dedit eis, in figuram corporis, & sanguinis sui, nobisq; profuturũ magnum exhibuit Sacramentum.] Sed & Damascenus, qui negauit figuram, panem admittit in Eucharistia: pani.n. asserit infundi diuinitatem.] Negauerat eodem sæculo nono figuram ei Theophylactus. *Matt. c. 26.* Atq; hoc pacto semina hæc leuia in apertas disputationes circa eadem tempora eruperũt. Dum quidam fidelium (*inquit Bertramus Presbyter Monachus Corbeiensis*) *de corp. & sang. Christ.* corporis sanguiniq; Christi, quod in Ecclesia quotidie celebratur mysterium, dicerent quod nulla sub figura, nulla sub obuelatione fiat, sed ipsum veritatis nuda manifestatione peragatur; quidam vero testarentur, quod hæc sub mysterii figura contineãtur, &c.] Ipse vero Bertramus cõtra eos insurgit, & iussus à Carolo Caluo Rege, scribit hac de re circa annum Domini 850. Cuius dicta aliquot non grauabor hic referre. Ait igitur; Quid enim aliud, quam substantia vini (*certe post consecrationem*) conspicitur? claret, quia panis ille, vinumque figurate Christi corpus, & sanguis existit.] *Item*, Nihil absurdius quam panem carnem accipere, & vinum sanguinem dicere. Nec iam mysterium erit, in quo nihil secreti, nihil abditi continebitur; & quomodo iam corpus Christi & sanguis dicitur, in quo nulla permutatio facta esse cognoscitur? Et si nihil permutationis pertulerunt, nihil aliud existunt quam quod prius fuerunt. Neque ista commutatio corporaliter, sed spiritualiter facta sit necesse est, vt iam figurate facta esse dicatur; quoniam sub velamento corporei panis, corporeiq; vini spirituale corpus Christi, spiritualisque sanguis existit.] Item; Nam secundum creaturarum substantiam, quod fuerunt ante cõsecrationem, hoc & postea consistunt quicquid in ea (*Eucharistia*) vitæ præbet substantiam, spiritualis est potentiæ, & inuisibilis efficientiæ, diuinæq; virtutis. *Item*; Quapropter corpus & sanguis, quod in Ecclesia geritur, differt ab illo corpore & sanguine quod in Christi corpore per resurrectionem iam glorificatum cognoscitur; & hoc corpus pignus est & species, illud vero ipsa veritas.]

Item;

lum; Hoc autem quod in Ecclesia celebratur temporale est, non æternum; corruptibile est, non incorruptum. Modus iste in figura est, & in imagine.] & confirmat hoc ex quadam post communionem Collecta missalis, quæ tunc sic habebat. Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, vt quod imagine contingimus Sacramenti, manifesta participatione sumamus.] Nunc vero in nostro Missali Romano illa non habetur: expungendam ergo, non sine dolo, curarunt. Addit & aliam, quæ talis est. *sabb. 4. temp. septem.* Perficiant in nobis Domine quæsumus tua Sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.] Nunc vero loco Verbi *specie*, habemus Verbum, *spe*; quæ tamen vafra verbi immutatio Realistis nihil prodest: nam spes etiam cũ opponatur rei veritati, fatemur nos corpus Christi spe, nõ rei veritate sumere: at vero species multo melius opponitur rei veritati, quam spes; Et olim legebatur *specie*, non *spe*. Atque hæ ipsæ precum mutationes ab ista antiquitate, in prius inauditas nouitates, certe malam fidem arguunt. Sed & passim, ac ferme perpetuo, adhuc in Missali Romano communio Eucharistiæ vocatur Sacramentum & in plurali, Sacramenta; vocatur, mysteria sancta, sanctificatio, pignus, &c. & vix tres aut quatuor tales collectæ recitantur toto anno, in quib. cõmunio corporis Christi esse dicatur.

CLXV. Quod igitur veteres Patres Encomiastę in laudem, & exaltationem Sacramenti corporis, & sanguinis Christi dixerunt, licet non nisi figuram in eo agnoscerent, sed efficacem; id aliqui postea octauo sęculo ampliarunt, negantes esse meram figuram; quia videbant in Sacramento hoc efficaciam quoque; ad discrimen ergo veterum figurarum quæ corpus Christi significarent, sed non exhiberent, iuxta communem tunc Doctorum sensum, nostrum Sacramentũ, quia & est exhibitiuum corporis, non tantum significatiuum; negarunt esse solam figuram. Atque hinc iã sequenti nono sæculo, ex hac negatione figurę cęperunt aliqui scioli veritatem, & realitatem corporis inducere, & hoc pacto iam disceptari cœptum inter fideles vt ait Bertramus. Initio igitur materia hæc fuit disputabilis, & in vtramq; partem habuit suos patronos. Bertramus vero Patres secutus, & continuatam vsq; ad illa tempora Ecclesiæ vniuersalis doctrinã retinẽs, scripsit aduersus nouellos tunc realistas. Libellus ipsius fuit in Ecclesia admissus, & plurimum laudatus: Thritthemius *ad an. 830.* eum in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Catholicorum recenset, illumq; in diuinis Scripturis valde peritum, & in literis secularium disciplinarum egregie doctum, ingenioq; [illegible] & clarum eloquio, nec minus vita, quã doctrina insignem fuisse testatur, atq; hoc ipsum eius opusculum commendabile, post alterum, de prædestinatione prædicat. Quis ergo non stomachetur siue G[illegible] *de scriptorib. noni sæc. lib. 4. chronol. init.* censuram, [illegible] Bertramum & Fredeuardum equitẽ inter [illegible] Scriptores numerat; siue Margarinum, *[illegible] Biblioth.* dum opusculum Bertrami hoc ex sua bibliotheca extrudendum, vt hæreticorum cen[illegible] Bellarminum quoque, *de Euch. l. 1. c. 1.* qui similiter [illegible] Bertramum reponit, non sine lapsu in Chronologia; cum enim sub Carolo Crasso ponit ad an[illegible] 886. reliqui cum Trithemio, Carolum ad quem scribit Bertramus, agnoscunt Carolum Caluũ, [illegible] fratrem, dum esset Rex Franciæ, post pacem [illegible] inter fratres Ludouici pii filios. Ea vero secuta [illegible] anno Domini 842. vel 843. Peior vero est Bellarmini [illegible] plus, quod *in suo tractatu de scriptoribus Ecclesiasticis*, Paschasium Ratbertum, Abbatem Corbeiensem ponit sub Ludouico pio, ad annum 820. & illum scribit Bertramum consutasse; scripserat ergo Bertramus, si vera est Bellarmini Chronologia, ante annum 820. & tamen priori loco asserit, eum sub Carolo Crasso scripsisse circa annum 886. In hoc ergo dormitauit Illustrissimus Bellarminus, in suis Chronologiis parum fœlix. Ecce itaque post octingentos pene annos pius & Catholicus autor, pro tali perpetuo habitus, à priuatis hominibus vt hæreticus damnatur, & opusculum eius Catholicum quia ipse vanis indicibus, non nisi à Clemente octauo insertus, vt in suo apparatu testatur Possevinus; tanquam hæreticum supprimitur, & tamen neque Autorem, neque librum, seueri librorum expurgatores Belgæ Theologi, cum suo Duce Albano, & Hispaniarum Rege Catholico, totaque inquisitione, ausi sunt reprobare. Sed artificium aperiunt, quo dicta Catholicorum veterũ iam soleant illi eludere, ne nouis ipsorum commentis obsint. Expurgatores audiamus ex ipsamet prima Antuerpiensi, à me visa, editione; cui ea apposita est cautela. Ducis Albæ iussu ac decreto cauetur, ne quis præter Prototypographum Regium hunc indicem imprimat, neue ille, aut quis alius publice, vel priuatim vendat; aut citra ordinariorum facultatem aut permissionem habeat.] Item, Cauetur &, Ne quis hunc indicem parte aliqua augeat, vel minuat; neue ex impressis manuscriptum exprimat, citra Gubernatoris, & Consilii autoritatem.] In hoc igitur Indice *Expurg. Belg. in B.* hæc habentur, Quanquam librum istũ (*Bertrami*) magni non existimemus momenti; itaq; non magnopere laboraturi simus, si vel nusquam sit, vel intercidat; attamen cum iam sæpe recusus sit, & lectus à plurimis & per interdictum non in omnibus innotuerit; hæreticis constet de eius prohibitione per varios catalogos, fuerit Catholicus Presbyter, & Monachus Corbeiensis cœnobii, Carolo, non tam magno, quam Caluo charus, ac venerabilis, iuuet historiã eius ætatis; in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponũtur in disputationibus, aut in conflictionibus cum aduersariis, non videmus cur non eandem æquitatem, & diligentem recognitionem mereatur Bertramus, ne hæretici oggãniant, nos antiquitatem pro ipsis facientem exurere & prohibere: itaq; mirum non esse, pauca pro ipsis videri facere, nobis Catholicis tam inreuerenter antiquitatem vel in speciem à nobis dissentientem, exsibilantibus ac perdentibus. Quin & illud metuimus, ne liber iste nõ solum ab hæreticis, verum immorigeris quoque Catholicis ob interdictum auidius legatur, odiosius allegetur, & plus vetitus, quam permissus noceat.] Hæc illi. At certe hoc non est candide, neque bona fide agere: Veterum scriptorum Catholicorum nulli possunt esse errores, præsertim in fide, quos priores ætates non agnouerint, & reprehenderint. Nunc vero post multa sæcula, vbi nos nouam doctrinam veteri contrariam excogitamus, & euulgamus, velle veterem ipsam doctrinam nostris nouationibus & erroribus aduersam, erroris condẽnare, & libros in Ecclesia per plura secula approbatos nunc tandẽ prohibere, proscribere, est intolerabile; intolerabilius adhuc velle mala fide, dolo malo, astu diabolico veras veterum sententias, dictaque Catholica dedita opera, & ex astuto consilio, contra conscientiam extenuare, excusare, excogitato commento, negare, commodos sensus affingere. Hi vero nostri scilicet Patres, nostri Doctores, nostri magistri artificia sua aperiũt fidis sibi alumnis, eosque iisdem armant, & instruunt; vt melius sit in

sit in nouis commentis futilibus se per dolos etiam stabilire, quam à veteribus discere, & nudam arripere ab eis veritatem.

CLXVI. Non multo post Bertramum eodem sæculo nono scripsit de corpore, & sanguine Domini Paschasius eiusdem Monasterii Corbeiensis Abbas, qui sane in aduersam Bertramo sæpe videtur abire sententiam; & is mihi primus scriptor videtur, qui in realem præsentiam plurimum inclinet; si præsertim opusculum ipsius nullam sit passum corruptionem & imposturam. Iam enim Indices isti expurgatorii suspecta reddunt omnia veterum opuscula, ne, prout iam in Bibliothecis istis nuperis eduntur, vere sint passa corruptiones illas, quas sub titulo correctionis & emendationis frontispicia ipsa Bibliothecæ pollicentur. Emendationes vero ex præscripto Indicum Expurgatoriorum, vt vidimus tales sunt, vt excogitato commento, commodi sensus iuxta modernam doctrinam veterum libris affingantur, & interim multa etiam deleantur. Certe Paschasius in Eucharistia adhuc panem agnoscit. Ait enim *in exposit. cœnæ t. bui illis*. Et ideo idem ipseque sanguis iam erat in calice, qui & in corpore, sicut & caro, vel corpus in pane.] Admittit idem etiam *de corp. & sang. c. 4.* figuram, simul cum veritate. Paschasium secutus est non multo post, Fulbertus Carnotensis, cuius auditor fuit Berengarius: qui Fulbertus ipse quoque reali præsentiæ satis adhæret. Sed vterque, Paschasius nimirum & Fulbertus, obscure, & parum explicate rem tractarũt. Horum igitur quædam dicta transitionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi ferme asserentia, & præsentiam corporalem corporis Christi in Eucharistia innuentia, cum Berengarius, vir sane doctus, & Patrum doctrina optime imbutus, temporibus Nicolai II. & Gregorii VII. post millesimum Christi annum ferre non posset, id quod in controuersiis vltimo tantum præcedenti sæculo agitari cœperat, cum tamen prius summa pace, summoq; consensu Ecclesiæ vniuersalis à Patribus omnibus traditum & doctum, teneretur, panem esse figuram corporis, sed efficacem, optimo zelo ductus propugnare voluit, & præsentiam materialem, nimis materialiter introduci cœptam, oppugnare.

CLXVII. At v. iam Rom. Pontifices, absoluto in Ecclesiã totã arrepto dominio, & iam tẽporalibus nimiũ inhiantes, cũ præsentia illa corporalis & realis corporis Christi in Missa, vt docebo inferius, maxime esset humanis ipsorum consiliis proficua, vt eam firmam stabilirent, enixe laborarunt, & aduersus Berengarium insurrexerunt, palinodiamque non conuictum, sed coactum canere semel compulerunt. *De consec. dist. 2. cap. 42.* Sed postea pro veritate ille pugnare non destitit, licet perperam fuerit in hac parte hæreticus declaratus, totius Ecclesiæ Senatu, vt in tanta re par erat, non congregato. Accessit aliquorum Episcoporum, & Doctorum, nescio indiscretane quædam pietas & deuotio, an superstitio, an in Papas adulatio, vt ex pane corpus Christi materiale facerent: & aduersus Berengarii vehementissimas rationes scribere aliquid conati sunt, Anselmus, Lanfrancus, Guitmundus, Adelmannus, Algerus, Stephanus Eduensis, & similes: qui profecto neque rationibus, neque autoritatibus sanctorum Patrum à Berengario productis, vnquam, nisi me meum fallit iudicium, satisfecerunt. De Patribus planum est: eos enim plene iam vindicauimus ab horum distortis interpretationibus, quas si quæ opportune visæ fuerunt Bellarmino, eas in medium ipse protulit. De rationibus v. debimus infra. Hos deinde secuti sunt magna ex parte scholastici, postquam Romani Pontifices fidei articulum hunc nouum sunt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. fabricati; Postea in Viennensi, in Florentino, & vltimo Tridentino, eum confirmarũt. Sed de Conciliorum autoritate agam ipse *lib. 7.* Interim dico, errare omnia Concilia, quæ contra communem fidem priscæ sanctæ Ecclesiæ, & traditionem ipsam Apostolicam, in dogmatibus quicquam statuunt, temere præsertim, & præcipitanter, neque re discussa, neque aduersariis auditis, neque veritate debitis modis & viis indagata. Græci tamen non ita facile Latinis iam in hac parte non parum corruptis sunt assensi. Moses enim Barcepha scripsit post tempora Berengarii, & ait; *de parad. par. 1. cap. 19. in Biblioth. SS. PP. tom. 1.* Nobis in pane dari corpus, in vino vero sanguinem.] Qui est modus antiquus Patrum loquendi, nos in comestione sacri panis participes fieri spiritualiter corporis Christi; licet iam Græci tenebris miserabilis ignorantiæ, ex nimia paupertate, & Turcarum oppressione inuoluti, circa Sacramenta, Latinorum modernorum errores multos imbiberint, & imbibant in dies magis.

CLXVIII. Sed neque omnes nostri scholastici tam facile præsentiæ huic corporali sunt assensi. Certe Scotus acerrimi vir ingenii, & sectæ vnius magnæ Catholicæ dux & Coryphæus, quem Cardinalis sequitur Cameracensis, dicit *in 4. dist. 11. q. 3.* nullum extare in scriptura locum tam expressum, vt euidenter cogat transubstantiationem admittere, sine Ecclesiæ declaratione. Hæc additio, *sine Ecclesiæ declaratione*, seruit Scoto, monacho Franciscano, vt tutus sit à sancto, vtinam non profano, inquisitionis Officio; sed reuera additio stulta est: nam si quid ex sacra scriptura non potest ita deduci, vt cogat nos credere, declaratio Ecclesiæ erit friuola; nam vel id nobis credendum proponet Ecclesia quod ex scriptura necessario credendum colligit, & erit contra suppositionem: vel ex se id proponet, & suis somniatis traditionibus, tametsi scriptura non cogat, & tunc Ecclesia ex se cudet talem articulum, & non erit declaratio, sed articuli noui excogitatio, quæ non licet neque obligat. Igitur si Concilium Lateranense, cui se Scotus ad speciem submittit, nihil habuit in scriptura quod cogeret asserere transubstantiationem, inepte illam statuit: aut si habuit, inepte Scotus affirmauit, nihil esse in scriptura quod cogat. Ac propterea Bellarminus, *de Eucharist. lib. 3. cap. 23.* vt articulum hunc fidei corroboret, non contentus Concilii definitione, addit communem Patrum consensum: quem ego etiam pluris facio in articulo fidei admittendo, etiam sine Concilio; quam definitionem Concilii, etiam vniuersalis, vbi consensus Patrum sit contrarius. Ille enim consensus Patrum est ex scripturis bene intellectis. At Conciliorum definitio modernorum sine scripturis, sine examine, sine Patrum consensu, imo contra eum, ex sola vnius hominis voluntate, ne dicam libidine, & assectatorum, aut inscitia, aut assentatione tota procedit. Pergit vero Scotus & ait. Ante Lateranense Concilium non fuisse dogma fidei transubstantiationem: Et verissimum dicit; imo dicere debuit. dogma fidei fuisse, panem manere & esse figuram duntaxat, sed efficacem, corporis Christi. Hic enim fuit communis Ecclesiæ & omnium Patrum, vt vidimus, consensus. Ac propterea neq; post Lateranense Concilium transubstantiatio est de fide, imo est de errore. Itaq; Scotus tã realem hanc & corporalem præsentiam, præsertim per transubstãtiationem, ex animo consequi non potuit, neq; Cardinalis Cameracensis. Alii quoque ex nostris Scholasticis

circa transubstantiationẽ non parum nutauerunt, vt Durandus, Rupertus & Ioannes Parisiensis, de quibus infra. Mihi contra præsentiam corporalem pro antiqua in Ecclesia firmata veritate, testimonium apertissimum adhuc nostris diebus, reddit ipsum Missale Romanum, quod priscas retinuit collectas plurimas, quæ post communionem dicuntur, licet aliquas abraserint, alias immutatione verborum vitiauerint nostri Missalium reformatores, vt *supra num.* 162. Inter has vna *Fer. 6. 4. temp. Septembr. post conf.* sic habet. Quæsumus omnipotens Deus, vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus.] Percepta munera certe sunt ibi panis & vini Sacramenta, iam in communione sumpta; In his gratias agit Ecclesia, & orat vt potiora sibi beneficia per hæc tribuantur, at quæ sunt beneficia potiora corpore Christi reali? In alia *In Missa vol. pro quacunque necessit.* orat, Vt terrenis affectibus expiati ad superni plenitudinem Sacramenti, cuius libauimus sancta, tendamus.] Libauimus autem Eucharistiam; Eucharistia igitur panis & vini, sunt quædam sancta, per quæ ad plenitudinem superni Sacramenti tenditur; in Eucharistia igitur non est plenitudo superni Sacramenti, ergo neque corpus Christi.

CLXIX. In secunda difficultate, ex iis quas initio huius capitis in eo tractãdas posuimus, quam in præsentiarum tractamus, duo dubia proposuimus, alterum de præsentia corporis Christi in Eucharistia, alterum si præsentia esset corporalis, num simul sit cum pane, an per conuersionem panis in corpus Christi substantiale. Primum dubium absoluimus, & ita absoluimus, vt posterius etiam pene maneat absolutũ. Cum enim abundanter docuerimus, præsentiam corporalem non esse in Eucharistia, ex communi totius sanctæ priscæ Ecclesiæ consensu, superuacaneum est quærere, num corpus Christi adsit per consubstantiationẽ, an per transubstantiationem. Iam ergo non laboro, vt probem neutram esse, quia doctrina vniuersalis Patrum & totius Ecclesiæ per octingentos saltem annos consensus, proculdubio ex Apostolica traditione, plane conuincunt, panem non esse corpus Christi, nisi mystice; & spiritualiter corpus Christi in Eucharistia fidelibus exhiberi: ergo neque consubstantialiter, neque transubstantialiter modo corporali adest Christus in Eucharistia. Discant igitur vtriusque partis Doctores ex Catholicæ Ecclesiæ incorruptæ incorruptis Magistris, vanissimas abiicere controuersias, & pacem priscam sanctæ Ecclesiæ oẽs simul sectemur, neque tam fœda schismata, ob nouam incredibilem, inintelligibilem, puræ Ecclesiæ ignotam doctrinam inter nos nutriamus, cum fundamentum vnionis, quoad huius Sacramenti controuersiam, habeamus amplissimum & tutissimum, antiquæ Ecclesiæ sensum & vsum. Constat itaque Christum corporaliter non adesse in Sacramento. Fatetur quodãmodo id Bellarminus, *de Euch. l. 1. c. 2. reg. 3.* corporaliter non esse Christum in Eucharistia, id est, eo modo quo suapte natura existunt corpora, nec sensibiliter, mobiliter, &c.]. Et addit: Imo contra potest, esse spiritualiter, vt Bernardus dicit in *Serm. de S. Martino*; vbi affirmat, in Sacramento exhiberi nobis veram carnis substantiam, sed spiritualiter, non carnaliter.] Hic siste optime Bellarmine, hoc tam firmet, & tuam, & nostram omnium fidem: veram & realem Christi carnem substantialem nobis in Eucharistia exhiberi, sed spiritualiter, non carnaliter, Nil quæras vlterius, *Prouerb. 25. 27.* Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Respuit tamen hunc loquendi modum optimum, nam timet periculum, ne trahatur ab Aduersariis, non tam ad modũ, quam ad ipsam naturam significandam. Ecquod quæso periculum? ipsam veram naturam Christi carnis realem & substantialem in sacra communione nos recipere, omnes Euangelio credentes fatebuntur, non dubito: sola circa modum addita explicatione hac ipsa, quã ex Bernardo sumpsit Bellarminus, videlicet, non carnaliter, sed spiritualiter: hoc est, modo quodam ineffabili per viam spiritus, qui soli Deo notus sit. Cur igitur admittit modum esse spiritualem, non carnalem, deinde carnalem præsentiam requirit etiam quo ad modum? Dicamus omnes, in Eucharistia carnalem & corporalem Christi præsentiam adesse, quo ad rem & naturam: negemus etiam pariter omnes cum Bernardo, & omnibus Patribus, quoad modum, carnaliter & corporaliter Christum non adesse, sed spiritualiter; & sic iam nulla erit controuersia, sed summa consensio: frustraque iam quæretur, num præsentia hæc vera & realis, sit per consubstantiationem, an per transubstantiationem? In quibus tamen iam mihi est immorandum: siquidem voluit ingredi in modum imperscrutabilem.

CLXX. Qui viderunt negari non posse in Eucharistia manere panem cum substantia, & nihilominus corporalem præsentiam in illis verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, putarunt contineri, vt simul saluarent vtrunque, in varias abierunt imaginationes; alii dixerunt panem ad vnionem hypostaticam Verbi assumi, ita Rupertus *in Ioan. l. 6.* Alii formam panis conuertũt in corpus Christi, non materiam; ita Durandus. *in 4. dist. 11 q. 3.* Alii contra, *apud Thom. 3. p. q. 75. art. 6.* materiam non formam: Alii *Apud Valden. to. 2. Sacram. c. 65.* corpus Christi vt est pars hominis, non homo totus, hypostatice vnire sibi panem. Alii *vt Innoc. 3. de myst. missæ. l. 4. cap. 7.* dixerunt, Non solum accidentales, sed etiam naturales proprietates (*panis*) videri remanere, paneitatem, quæ saturando famem expellit, & vineitatem, quæ satiando sitim extinguit.] Alii demum ponunt simul cum pane etiam corpus Christi per vbiquitatem. Atque hæc vltima sola iam manet apud Lutheri sequaces opinio: reliquæ obsoleuerunt: omnes tamen indicium sunt magnum falsitatis, simul cum pane adesse corporaliter corpus Christi. Contra hanc positionem, ac præsertim contra vbiquitatem, non est cur disputem seorsim, multi enim egregie eam oppugnarunt. Considerabo tamen eas rationes quæ magna ex parte, siue transubstantiationem, siue etiam consubstantiationem, impossibiles esse conuincunt, aut saltem valde absurdas, & quæ diuinam Maiestatem plurimum dedeceant, nihilq; penitus ad diuina mysteria conferant, quæ cum tenera absque corporali præsentia perfectissime absolui possint, imo de facto, vt probatum est, absoluantur, vanum prorsus, ociosum, imo & stultum est in eas ingredi disputationes quæ totam destruant Philosophiam, & assertiones eas inducant, quæ nostram Theologiam Gentilibus, imo & nobis ipsis ridiculam reddant, & naturam ad spectra redocant.

CLXXI. Impossibilia & absurda, aliqua sunt ex parte corporis Christi, aliqua ex parte panis: priora, & transubstantiationẽ, & consubstantiationẽ destruũt, posteriora vero transubstantiationem. Quicunque præsentiam realem corporis Christi admittunt, necesse est faciant corpus Christi inuisibile, impalpabile, ac penitus omni ex parte insensibile. Debet, velint nolint, ipsum corpus omni spoliare accidente, & nudã substantiam spiritualẽ indiuisibilem ei relinquere. Debent simul in pluribus locis id collocare, & ita vt nullũ locũ occupet. Ex parte v. panis si transubstan-

tia-

tiatur, accidentia nuda manent sine subiecto, accidentia nutriunt & substantiam generant, fiuntque cibus substantialis. Atque hæc & similia sunt iam à nobis breuiter percurrenda, & ad aliquot propositiones reducenda.

CLXXII. Propositio 1. Corpus humanum viuum per nullam potentiam manere potest viuum, imo ne corpus quidem si ab omni sensibili accidente spolietur, animam enim in corpore esse tanquam formam, & corpus vere & proprie animare, est omnino impossibile, si ei necessariæ subtrahantur dispositiones, & si substantiæ materiali auferatur quantitas, & omnis materialis & sensibilis qualitas, tunc illa penitus erit immaterialis, & spiritus, non corpus; si præsertim loco qualitatum materialium ei addantur qualitates spirituales, substantiarum abstractarum propriæ, vt esse indiuisibile, non habere partes extra partes, non esse in loco nisi definitiue, esse totum in toto aliquo, & totum in quacunque particula, &c. Atque hæc ita sunt impossibilia, vt manifestam implicent contradictionem, vt sit id corpus; & non sit corpus, sed spiritus qui corporis negationem in se necessario cõtinet. Id vero de corpore Christi faciunt & consubstantiantes, & transubstantiantes: omni enim sensibili accidente ipsum spoliant, aut spoliare coguntur in facto, quicquid verbis in contrarium profiteantur, & spiritualibus induunt qualitatibus, *vt Bella. de Euch. l. 3. c. 5.* quæ corpori essentialiter repugnant.

CLXXIII. Certe ante omnia neque negant, neq; negare possunt, corpus Christi in Eucharistia esse inuisibile & impalpabile, ergo neque habet colorem vllum, neque duritiem aut mollitiem, imo neq; corpulentiam vllam, sed erit totum simpliciter aereum, & non carneum, neque osseum. Et tamen Christus, vt ex mentibus suorum discipulorum erueret, non esse spiritum aliquem illum qui eis apparebat, vt illi putabant, dixit eis, *Luc. 24. 39.* Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Certum ergo est argumentum, Christo id quod carne & ossibus constat, non posse esse spiritum, & ita neque spiritum posse habere proprietates corporis. Quod si posset corpus humanum esse sine palpabilitate carnis & ossium, aut si spiritus carnem, & ossa palpabilia posset habere, argumentum Christi nullum esset, & inepte fuisset à Christo adhibitum. Iam igitur quæro ab iis, qui corporalem præsentiam admittunt in Eucharistia, vnde Christi corpus habet vt sit inuisibile? Scio profecto Christum habere potestatem vt se reddat inuisibilem, sicut *Luc. 4. 30.* quando transiens per medium illorum ibat, quando *Ioan. 8. 59.* abscondit se, & exiuit de templo, quando *Luc. 24. 31.* euanuit ex oculis discipulorum. Sed illa inuisibilitas non erat ex parte obiecti, quod Christus auferret à corpore suo omne obiectum visus, seu omnem rationem visibilitatis, sed erat ex parte potentiæ visiuæ hominum qui illum non videbant, quia ne possent illum videre, etiamsi reliqua omnia viderent, miraculo impediebantur: aut si etiam videbant illum, non tamen illum agnoscebant, quia ille in eorum oculis suam effigiem à se diuersam efformabat. Sic *Luc. 24. 16.* tenebantur ab eo oculi illorum duorum discipulorũ, ne eum agnoscerent. Sic *Ioan. 20. 15.* Magdalene hortulanum putabat; sic alii discipuli post resurrectionem sæpe illum videbant, & tamen Dominum esse vel nesciebant, vel dubitabant. Et si hanc solam inuisibilitatem ponimus in Eucharistia, nihil facimus, quia sub nulla effigie vllum corpus humanum videmus. Et si oculi impediuntur ne videant, manus tamen non impediuntur ne palpent, tactus enim non per medium, sed immediate vnitur suo proprio obiecto: non sic visus, qui vtitur medio, idcirco potest impediri ne attingat obiectum, hoc est si in medio species visibiles retineantur ne perueniant ad oculum, nec potentiæ visiuæ vniant obiectum visibile. Vbi vero tactus immediate attingit obiectum, necessario fit sensatio, si potentia & sensorium sint bene disposita, & non corruptã: imo nunquam potest esse adeo indisposita potentia tactiua hominis viuentis, quin si impingat in aliquod corpus humanum, duritiem saltem, & resistentiam non sentiat. Aut ergo debent asserere, corpus Christi in Eucharistia esse sine omni accidente; aut docere, cur accidentia illa non sint sensibilia, ac præsertim quoad sensum tactus. Cum itaque corpus Christi in se sit calidum, quare manus frigida illud tractans non sentit calorem? Et sic de aliis qualitatibus actiuis. An quia Christus suspendit earum actionem ne exeant in actum secundum? Sed & hoc an fieri possit est disputabile, & potius negatiua pars est asserenda, ne adsit contradictio, idem nimirum esse actu calidum, & non esse actu calidum. Et si quis ex *Dan. 3. 25.* fornacem puerorum adducat, satis erit, quod Deus puerorum corpora miraculo præmunierit virtute, qua possent actioni ignis resistere: ignis tamen tunc vel maxime arderet, & esset actu combustiuus. Quod si Deus in manu Sacerdotis ponit stuporem quendam, vt calorem Christi corporis sentire non possit, cur cum tali stupore manus sentiret tamẽ illa omnem alium calorem qui illi manui applicetur? Idem itaque intelligendum est de omni actiua qualitate. Sed inter omnia Christi corporis accidentia, quantitas reddit hanc realem præsentiam impossibilem. Eam vero à Christi corpore separare, neque audent, neque possunt. Adest ergo Christus in Eucharistia cum tota sua quantitate & mole, & cum partium distinctione, ita vt caput distet à pedibus tota eo corporis longitudine: & sic de cæteris totius corporis membris; seruata plene inter omnes partes sua distantiæ debitæ proportione. Iam igitur sit

CLXXIV. Propositio secunda. Nullum corpus materialiter quantum, potest simul per quancunque potentiam in pluribus esse locis, sic enim corpus esset vnum, & non esset vnum: esset hic; & non esset hic. Neque sufficit nostrorum Scholasticorum ordinaria chymera, *apud Bellar. de Euchar. lib. 3. c. 4.* Corpus quodcunque in se esse vnum, sed ratione loci posse multiplicari: & ipsum non habere nisi vnicum esse substantiale ex principiis internis, posse tamen habere plura esse localia, quia locus est externus; & externa multiplicari possunt circa idem corpus, quod ex internis sit vnum. Sed istæ sunt nugæ, & somnia ridicula. Sic enim posset vnicus homo, vno & eodem momento, vno & eodem pugione transuerberare decies centena millia hominum; & multo plures in immensum, si in tot locis ponatur, & in singulis locis vnum perforet eodem suo pugione hominem. Et vnus panis absque suæ magnitudinis, & virtutis nutritiuæ incremẽto aut multiplicatione, poterit similiter satiare eodem tempore centum millia hominum; & in infinitũ plures si in tot locis ponatur, & in singulis locis ab vno homine illius loci proprio, & ab aliis aliorum locorum diuerso comedatur, & tamen hæc est impossibilitas aperta cum implicatione cõtradictionis: vnus n. panis in se non habet nisi virtutem satiandi vnum hominem pro vno die: hic autem per hanc multiplicationem in locis satiat centum millia; & potest adhuc alios satiare in infinitum, si in infinitis locis multiplicetur, habet igitur virtutem finitam & infinitam; seu mauis dicere, habet virtutem limitatam ad vnum.

vnum,& nō habet virtutem limitatam ad vnum. Aut vnum solum in vno loco satiabit,& nullum alium,et iam si ingrediatur in stomachum omnium illorum plurimorum. At quæ erit ratio,cur istum & non alios, aut istum potius,quam alium ex illis innumerabilib. Suntque sunt ista. Omitto innumera similia absurda quæ possem recensere: ad quæ fugienda eo tandem compulsus est Bellarminus, vt corpori Christi sane materiali, & creaturæ vnum ex maxime propriis diuinis attributis,nimirum infinitatem, concesserit, vt eo modo sit præsens in Sacramento,quo Deus per suā præsentiam locis omnib. adest, nec circumscriptiue, nec definitiue,sed diuine,tantū præsentialiter: quod ex infinitate diuinæ naturæ pēdet:quæ infinitas creaturæ est incommunicabilis.

CLXXV. Nec mihi omnipotentiam Dei faciant ridiculam,nec decet nos circa eam ita nugari: Exēpla vero quæ afferunt ex scripturis nulla cogunt nos mūl tiplicare corpus simul in plurib. locis. Christus,inquiunt,*Bellar. ubi.c.3.* erat simul in cœlo,& in aere quando *Act.9.4.& 22.8.* Paulū conuertit,& cum eo loquebatur,& cum Paulus oculis suis cernebat & auribus audiebat. Respondebit fortasse aliquis,omnia per Angelos esse peracta in proximo aere. Sed duo repugnāt: alterum est quod vox illa dicebat *Ego sum Iesus quem tu persequeris* Alterum est, quod Anania Paulo dicit, *Act. 22.8.14 Deus præordinauit te — vt videres iustum.* Et Christus ipse, *Act.26.16. Ad hoc apparui tibi vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti.* Et Paulus ipse, 1. *Cor.9.1. Nonne Dominum nostrum vidi?* Item, 1. *Cor.15. 8. Nouissime tanquam abortiuo visus est & mihi.* At inquiunt,Angelus in persona Christi loquebatur. Sic enim, *Gen.16.10.13.* Angelus Domini apparuit Agar cum filio Ismael fugienti;& ille dixit illi inter cætera, *Multiplicans multiplicabo semen tuum,&c.* Et Agar ad illū. *Tu Deus qui vidisti me,&c.* Ita *Gen.18.17* apparuit Abrahamo Dominus:& tamen erant tres Angeli,qui & dicunt,Nunquid celare potero Abraham quæ gesturus sum? illē, *Descendā & videbo vtrū clamorē qui venit ad me in opere compleuerint,&c.*] Et plurib. probat Augustinus *de Trin.l.* 11.locutiones illas Dei factas Patriarchis & Prophetis,per Angelos factas nomine Dei. Imo homines quoque,hoc est Prophetas sæpe loqui nomine Dei docet idem, *Ibid.c.* 10. Etiam non præmissis illis verbis, *Dicit Dominus*, vt David. *Psal.31.8. Intellectum tibi dabo & instruam te,&c.* Item, *Psal.80.9. Audi populus meus,& loquar.&c.* Et addent, Videre non potuit visu oculorum Paulus Iesum; nam initium illius apparitionis fuit circumfulsio lucis,quæ vehementia splendoris eius aciem oculorum obtudit, vt iam nihil videret,donec per Ananiam fuit ei visus restitutus. Et cum non viderem *inquit ipse, Actor.22.11.* præ claritate luminis illius,ad manum deductus,&c.] Loca ergo illa [illegible] us dicitur 1.*Cor.15.8.* vidisse Dominum, dicent [illegible] ficare, eum sensatam cognitionem de Christo habuisse,per auditum nimirum & per lucem etiam [illegible] am quæ illum statim excæcauit: ac per totum sensibile miraculum suæ vocationis. Sicut Christus dixit discipulis, *Luc.24.39. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, tactui & palpationi tribuens [illegible] nus actionem videndi,hoc est sensate cognoscendi, & omnis sensata cognitio visus solet appellari. Sed hæc omnia violenta sunt;quia Paulus ait, sibi [illegible] m Christum, sicut visus fuit cæteris post resurrectionem. Dicimus ergo, admittendam esse veram oculorum visionem qua Paulus Christum videret,& visum Pauli miraculosè adiutū fuisse,vt Iesum in cœlis videret,& auditum similiter. Et miror id Bellarminum *de Euch. vbi supr.c.3.* respuere,& quasi subsannare,cum Stephanus protomartyr dixerit, *Act. 7.56.* Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.] Vidit autem Paulus Christum,& statim præ fulgore excæcatus est.

CLXXVI. Aliæ quoque apparitiones Christi in terris post ipsius ascensionem,si quę veræ sunt,& non fabulosæ, ministerio Angelorum peractas fuisse necesse est: sicut vidimus olim Angelos loquentes in persona Dei,sic potuerunt loqui in persona Christi. Patres vero posuisse corpus Christi in cœlo,& simul corporaliter in altarib. quod pro argumento affert Bellarminus,pernegamus: quia Patres spiritualem solum præsentiam agnouerunt,non corporalem,vt iam singulos explicauimus. Neque à spiritu & substantia suapte natura abstracta,ad corpus & substantiam materialem valet argumentatio. Spiritus enim cum quantitatem in se non habeat,nec vllam corpulentiam,cū loco nullam habet conuenientiam aut proportionē; potest enim vnus & idē Spiritus in variis & distinctis, etiam inter se non parum dissitis locis,simul operari, etiam contrarias operationes;non ita corpus quod loco indiget,certumq; locum occupat,&c.& spiritus sine sui multiplicatione aut diuisione,aut geminatione,cum loco non ligetur,potest in diuersis locis operari,& virtutē suam exercere;neq; enim possumus assignare substantiæ abstractæ locum certū,& quantitate determinatū intra quem sit,& extra quē non sit,sicut animæ rationali assignatur totū corpus humanū, dum ipsum informat. Non enim puto improbabile, cuiq; Angelo,& cuiq; etiam animæ à corpore separatæ,& beatæ,maxima spacia mundi,& superioris & inferioris,in quib. operari possint,esse assignata,& fortasse cuiq; ipsorū id esse totum mundum sensibile, quod animæ humanæ corpus informanti est ipsius corpus. Infinitas tamen & immensitas Dei solius propria,est talib. substantiis abstractis auferēda; nā & illæ ita sunt in suo loco definitiue,vt extra illum non sint. At vero corpus quodcunq;,extra locū suę magnitudinis adæquatum esse non potest; Deus autē mundo sensibili non arctatur,est enim infinitus,illimitatus,incircumscriptus,&c. Sicut igitur neq; Deus,si mille essent mūdi inter se longo interuallo dissiti,diceretur esse in mille locis,quia est in mille mundis: quia vnus & indiuisibilis sua infinitate replet oēs,ac indiuisibiliter; ita anima eiusdē hominis in capite,& eadē in pede,nō est in duob. locis,quia æque est in toto corpore,indiuisibilis tamē,& indiuisibiliter. Ita Angelus quoq; in suo spacio, quod fortasse vt dixi,totus glob. est Vniuersi corporei,non est in plurib. locis,quia in omnib. est indiuisibilis,& indiuisibiliter. Et hæc est spiritus proprietas,quæ corpori omnino repugnat,quod est molis & quantitatis terminatæ,diuisibile quoque,& diuisibiliter vbique consistit,vbi in sibi adæquato loco reperitur,qui ipsius molem & quantitatem non superat.

CLXXVII. Quod vero alia sint mysteria nostræ fidei æque difficilia,atq; difficile est vnum corpus ponere in plurib. locis,& forte difficiliora,non propterea debemus nos nobis ea confingere,quæ expresse non ponit scriptura,sicut ponit vnam essentiā in trib. personis: duas naturas in vna personā: naturā humanā Christi in se non subsistentē,sed in Verbo; in resurrectione idem indiuiduum redire, & sic bis fieri; in creatione ex nihilo aliquid fieri, &c. Sed ista implicantiam secum non ferunt manifestam,licet difficillima sint ad intelligendum: & circa ea nos potius discimus, quomodo sit loquendum, quā quomodo sint intelligenda. Penetratio porro corporum si posset dari,auferret particulam aliquam difficultati replicandi corpus in pluribus locis: sed obscura per obscuriora

scuriora non sunt explicanda, nec vnum impossibile ex alio impossibili est confirmandum. Penetrationẽ vero esse impossibilem, aut saltem nihil cogere vt illam admittamus, paulo inferius ostendam.

CLXXVIII. Propositio 3. *apud Bellar. de Euchar. l. 3. c. 6.* Per nullam potentiã fieri potest, vt corpus sit corpus, & locum non occupet. Nam esset corpus, & non esset corpus. Et qui corpus faciunt etiã respectu externi sibi loci, indiuisibile, profecto priuant corpus sua quantitate. Quod vero quantum est, cum in se sit diuisibile, non potest vlli externo indiuisibiliter applicari, nam sic esset quantum, & non esset quantum, & sic totus mundus posset in vno grano milii concludi. Sed non est, inquiunt, de essentia magnitudinis, locũ occupare, id enim est aliquid posterius: nam prius est res in se magna & apta replere locum, deinde replet locũ. Et omne posterius potest separari per diuinã omnipotentiam à suo priori. Respondeo, huic cauillo occasionem dedisse philosophiam Aristotelicã, ea enim locum facit semper externũ rei locatę, quia *Arist. lib. 4. phys.* vult, locum esse superficiem corporis ambientis, quę definitio fert secum immensas difficultates: sic enim & saxum in fundo aluei fluminis immobiliter quiescens perpetuo mutat locum, & nunq̃ est in eodem loco, nisi per momentũ indiuisibile, quia superficiẽ aquę se ambientem habet perpetuo diuersam successiue. Sic vniuersum hoc materiale nõ est in loco, quia nullum corpus externum ipsum ambit. Sequuntur & alia incommoda. Melius itaq; illi, qui locum cuiusq; rei corporeæ volunt esse spacium illud, quod quodq; corpus occupat, & quod ablato inde corpore, si ad impediendum vacuum nihil subintraret, vacuum remaneret, certe illud vacuum esset reale, & mensurabile, saltem externe, quia esset realis, & certa distãtia inter extrema corporis tale spacium vacuum ambientis, & illud spacium præcise tantum esset potentialiter & externe quantum fuerat corpus q̃ ipsum replebat actu & interne. Hoc igitur spacium cum sit verus & propri⁹ locus cuiusq; corporis, necessario, & intrinsece, & ex natura quantitatis corporeæ occupat suum locum, id est, tantum spacii, quantum est ipsum corpus: & hoc spacium vere locus est, nam & dicimus in locum corporis discedentis vel ablati, tantum aeris successisse: & vere certa, ac determinata quantitas aeris eo successit, tantæ nimirũ extensionis, quantum erat corpus: q̃ quoties se amouet semper nouũ in mundo occupat spacium, sibi quidem externum, sed tamen ita necessarium, vt nisi semper spacium sibi debitum occuparet, quantum non esset. Profecto corpus quantum q̃ nullibi est in mundo, non est in mũdo: & si est in mũdo, vbicunque sit, in suo spacio est, & si in suo sibi debito spacio non est, simpliciter non est: Spacia locorum, inquit August. *Epist.* 52. tolle corporib. nusquam erunt, & quia nusquã erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora quantitatib. corporũ, nõ erit vbi sint, & ideo necesse est vt non sint. Et qui mensurat corpus quantũ, secundum mensuram qua in se quantum est, ille profecto eo ipso mensurat etiã spacium quod illud corp⁹ occupat, & sic semper corpus cõmensuratur loco, id est, suo spacio, & locus corpori. Sed neq; id negare possunt mihi etiã Peripatetici loci assertores, quib. nihil prodest, quod locus hic sit plane externus corpori: nã si corpus in se sua propria quantitate est extensum, esto externum sit ei corpus ambiens, & ita separabile per diuinam omnipotentiam, quid hinc habent, nisi tale corpus posse per diuinam omnipotentiam in vacuo manere; atqui tunc etiam suum spaciũ illud occupabit. Nũ propterea volunt, corpus Christi extra cœli semper in vacuo esse? Suũ tamen locũ etiã in vacuo occupabit, id est, suum spacium. Quoniam tamen, si corpus Christi est in Eucharistia, certe in pleno est, & quamuis nolimus ipsum obligari loco, id est, ambienti saltẽ locus, id est ambiens, obligabitur illi, quod in se quantum determinate est, & extensum, ita vt corpus Christi vt locatum, nõ habeat quidẽ sibi cõmensuratum locum externum, at vero vt locus, seu locãs, habebit omnino: & ita illa pars ambientis, quæ tangit Christi corpus in se quantum, ex ea parte habebit externe pro suo loco ipsum Christi corpus, ergo ei in ea parte cõmensurabitur. Quod si corp⁹ Christi cõmensurat sibi aerem illum se tangentẽ, cur etiãnon commensurat ipsum Christi corpus? Hæc enim sunt reciproca, vt corpus quod cõmensurat aliud se tanges corpus, etiam cõmensuretur ab illo. Et sic corpus Christi necessario occupat locum quocunq; modo. Quod si occupat locum, quomodo in paruula hostia, imo in quauis ipsius particula totũ integrũ Christi corpus erit? Et quomodo totũ in toto, & totũ in qualibet parte? Et quomodo in tot locis, & tot altaribus? Hoc fieri absolute nõ potest, nisi ei quantitas, & omnia accidẽtia auferãtur, & sic corpus iã nõ sit corpus, sed spiritus. Ita pręsentia corporalis in Eucharistia, manente Christi corpore in cœlis, est omnino impossibilis.

CLXXIX. Sed possibilitatem ex scripturis nituntur nostri confirmare; Primum exemplo dato à Christo, *Mat.* 19. 26. de diuite, & de cameli ingressu in foramen acus. Respondeo, Christũ ex vno impossibili, à simili aliud explicare impossibile: & significat, tam impossibile esse vt diues ingrediatur in regnũ cœleste, quã impossibile est, vt camelus in foramen acus ingrediatur: imo illud esse adhuc magis impossibile; facilius enim idem hoc loco est quod minus impossibile. Deo tamen, non ait Christus esse possibile vt camelum faciat ingredi in foramen acus, stante & angustia foraminis, & magnitudine cameli, sed subdit; Apud Deum omnia possibilia sunt, in gratiam diuitum, non in casu Cameli, hoc est, tametsi impossibile est, diuitem saluari sine speciali diuino adiutorio, at saluare ipsum Deo possibile est: qui ne diuitiæ alicui obsint efficere potest: alioquin illæ semper ad damnationem ducunt. Illud autem de Camelo est penitus impossibile, & implicat, q. sic Camelus, & esset valde magnus, & non esset magnus, sed minimo pulice minor, seu foramen acus esset angustum, & non esset angustum, sed patentissimum.

CLXXX. Alterum exemplum est ex eo, quod Christus ianuis clausis ingressus est ad discipulos: ergo per corporum penetrationẽ, at vbi corpora se penetrant, sunt duo, vel plura in eodem loco, non ergo singula corpora singula loca necessario requirunt. Sed eo, q̃ ab aliis penetratur, suo occupãte loco, illa quæ penetrant nullum locum occupant. Respondeo penetrationẽ me in illo ingressu Christi non reperire. Potuit enim Christus vere aperire sibi ianuas vnico momento, & statim claudere, ac interim tenere oculos discipulorum ne viderent & ianuas aperiri, & ipsum ingredi, donec in medio esset. Dicit ergo Ioannes Christũ ianuis clausis ingressum, quoad illorum visum, quia & ante, & post ingressum clausas viderunt: & ad verificanda verba Euangelistæ satis est, quod Christus inuenerit clausas, & nihilominus, licet nemo ei aperuerit, ipse sibi aditum fecerit, siue eas miraculose aperiendo, siue rimas dilatando, & tabulas condensatione stringẽdo, siue per fenestras, siue aliis modis qui multi esse possunt absq; vlla corporum penetratione. Certe Apostoli *Act.* 5. 19. educti fuerunt è carcere aperto eis per Angelum ostio: & non per penetrationem ianuæ clausæ. Et Petrus *Actor.* 12. 10. liberatus est è

carce-

carcere & extra ciuitatem eductus, neque tunc vſus eſt Chriſtus penetratione, ſed fecit vt Angeli aperirent ei, & portas carceris & portas ciuitatis: Cum tamen ſi miraculo fieri poſſet penetratio, non fuiſſet neceſſe operoſiori miraculo ianuas aperire.

CLXXXI. Tertium exemplum afferunt Chriſti natiuitatis ex virgine. Sed Scriptura de hac re nihil dicit. Matrem Chriſti fuiſſe virginem etiam in partu, & poſt partum, pietas, deuotio, & ſanctorum conſenſus ſuadent. Penetratio tamen nulla eſt neceſſaria, potuit enim dilatare meatus, & ſimul impedire dolores, & ita abſq; fractura clauſtri virginalis egredi. Sed neque ego percipio cur virginitas pereat, ſi abſq; virili coitu, ex aliqua citra peccatum cauſa hymen puellæ aperiretur, puta quia apoſtemati medendo, ſi in ore vuluæ erumperet, via eſſet aperienda, vel ſi ex morbo corroderetur. Ita ſi Chriſtus matris clauſtra naſcendo aperuiſſet, non video cur illa adhuc virgo non eſſet, ſiquidem virilem coitum nunquam ſit paſſa.

CLXXXII. Quartū exemplū dant Chriſti reſurrectionis, quod clauſo ſepulchro ſit egreſſus. At hoc Scriptura non dicit: & ſi id factū fuiſſet, cum ſigillū integrum adhuc manſurum fuiſſet, profecto erat diuinæ prouidentiæ in certum argumentū reſurrectionis, & diuinitatis Chriſti, patefacere tantum miraculum, efficereque, vt mulieres volentes Chriſtum vngere, à cuſtodibus impetrarent amotionem lapidis adhuc ſigillo muniti, vt ſic non inuento corpore de reſurrectione conuincerentur. Dicunt vero Euangeliſtæ, inuentū fuiſſe lapidē amotū. & poſtea Angelos viderūt ſuper lapide ſedentes, quæ ſunt indicia manifeſta, Chriſtum reſurgendo miniſterio Angelorum lapidē primum amoueri voluiſſe. Non enim terræmotus factus eſt, & Angelus deſcendit ac reuoluit lapidem præſentib. mulierib. ſed præſentib. tantum cuſtodib. nam de illis ſolis ait Matthæus *c.* 28. 2. territos fuiſſe & factos velut mortuos. Et poſtea ſequitur, quod dixerit Angelus mulieribus. *Nolite timere vos, &c.* Quod ſi quis velit clauſo ſepulchro Chriſtum reſurrexiſſe, non repugno, ſed penetrationem non admitto, potuit enim Chriſtus condenſato lapide rimas ſibi dilatare, & ſtatim perrare factionem lapis potuit ad ſua redire.

CLXXXIII. Quintum exemplum addunt aſcenſionis Chriſti in cœlum: & conſequenter penetrationis tot, & tantorum corporum. Attamen non deſunt, qui cœlos faciant liquidos & permeabiles vt eſt aer: & quod Iob ait, *c.* 37. 18. eſſe ſolidos quaſi ex ære, ſuam poteſt pati interpretationem. Nos vero admittamus ſoliditatem, adhuc tamen nulla neceſſitas cogit, vt penetrationem ponamus, quia foramina in cœlis, & aperturæ admittunt corpora. Ac ne nos temeritatis arguat in hoc Bellarminus quod ſcriptura id nuſquā [illegible], pſalmum ei 23. 7. proferimus in quo; aſcendente Chriſto, prophetice dicitur Angelis: *Attollite portas Principes veſtras; & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

CLXXXIV. Alia exempla ex igne vrente animas damnatorum; Ex ambulatione Petri ſupra mare, & aliis ſimilibus miraculis, nihil conficiunt. Nam maxime incertum & diſputabile eſt, an ſit ignis materialis, an agat in animam, &c. neque ſunt incerta ex incertioribus firmanda. Petri ambulatio ſuper aquas tam poteſt fieri auferendo corpori Petri grauitationem, quam etiam ſolidando ſub eius veſtigiis aquas. De in [illegible]tate ſupra dixi. Atque ita ex tot exemplis nihil habent: & interim ſine fundamento, ſine exēplo, miraculum penitus impoſſibile ponunt.

CLXXXV. Propoſitio 3. Miracula, præſertim quæ nullam habeant euidentiā, & multo minus quæ nunquam appareant, non ſunt ſine neceſſitate multiplicanda: & propterea neque hæc realis præſentia, cum tot, tam improbabilib. tam incredibilib. miraculis eſt aſſerenda. Cur enim ſub ſpecie panis corpus ſuum poneat corporaliter, ad hoc, vt ipſum corpus eius corporaliter manducemus? profecto non ad nutritionem corporalem, ſed ad ſolam animæ noſtræ ſpiritualem nutritionem. At ſpiritualis nutritio non indiget corporali præſentia, ſatis ergo ſuperque nobis eſt, quod virtutes, qualitates, & proprietates carnis Chriſti ſpirituales quas illa ex vnione Verbi habet, nobis realiter ſub quocunque ſigno exhibeantur. Itaque quoad noſtrum beneficium, perinde eſt, quod in comeſtione panis Sacramentalis Chriſtus haſce ſui corporis virtutes, & qualitates diuinas exhibeat, atque ſi ipſum corpus Chriſti ſubſtantialiter comederemus. Non enim datur nobis Chriſti corpus in gratiam ſubſtantiæ, ſic enim eſſet cibus Ventris, ſed in gratiam virtutum illarum, & qualitatum, quæ nobis realiter, & effectiue in ſumptione illius panis communicantur, modo ſpirituali, quia & illæ ſpirituales ſunt, non ex corpore Chriſti materiali fluentes, ſed corpori Chriſti à diuinitate tributæ: nullo ergo incredibili & inſenſibili miraculo eſt opus. Sicut quando in Cana Galileæ aqua verſa eſt in vinum, perinde fuit bibentibus, ſi in aquam ipſam manentem cum tota ſua integra ſubſtantia & natura aquæ, ingreſſæ fuerunt proprietates naturales vini, ſolaque accidentia coloris, ſaporis, & virtutis nutritiuæ, calefactiuæ, &c. atque ſi corrupta forma aquæ, fuit in eam materiam inducta forma vini, cum omnibus ſuis diſpoſitionibus & proprietatibus. Et vtro horum duorum modorum fuerit factum illud miraculum, Deus nouit: qui æque vtrunque potuit. Sic nobis, vt dixi, ſufficit, vt proprietates corporis Chriſti cum pane accipiamus, ac ſi ipſam etiam ſubſtantiam corporis Chriſti acciperemus. Cum vero hoc fieri aut abſolute non poſſit, aut non niſi cum innumeris ac incredibilibus & inintelligibilib. miraculis, in priori eſt ſiſtendum; vt hæc miracula ſine neceſſitate non multiplicentur. Sed ex contactu, inquiunt realiſtæ; *apud Bellar. de Euchar. lib. 3. cap. 9.* corporis Chriſti multa miracula patrata ſunt per Chriſtum in terris adhuc degentem, quæ ſine contactu patrari quidem æque potuiſſent, tamen patrata non ſunt.] Reſpondeo, quandiu citra miraculum, ne dicam citra impoſſibilitatem, id fieri potuit, optime factum eſt, vt iam vidimus ſuperius, vt carnis Chriſti virtus & efficacia appareret: quando vero iam contactus hic eſt impoſſibilis, exiſtente Chriſti corpore in cœlo, ſupplere voluit Chriſtus miro ac ineffabili modo, vt per Sacramentū fiat, quod corporaliter fieri non poteſt. Et ſic fruimur virtutibus carnis Chriſti ſine contactu ſubſtantiæ carnis Chriſti. Atque ita habemus totum fructum in contactu Sacramentali, quem habere poſſemus ex contactu ſubſtantiali, nunc impoſſibili, manente Chriſto in cœlis.

CLXXXVI. Neque illud duntaxat contendo, potuiſſe hoc fieri commode, vt ſine reali præſentia omnia ſpiritualiter in Sacramento peragerentur, ſed contendo, id ita factum eſſe, nos debere affirmare, quia totum effectum habere poſſumus ſine reali præſentia, quemcumque per realem præſentiam ponunt realiſtæ. Inde vero infero, id ita etiam fieri de facto; quia miracula ſine neceſſitate non ſunt multiplicanda: vbi præſertim miracula & nullam habent apparentiam, & ſecum etiam ferunt impoſſibilitatem, aut ſaltem difficultates inexplicabiles. Male ergo inſtat Bellarminus *ibidem* hoc pacto: Poterat Deus ſine incarnatione filii nos liberare; nec valet inde inferre,

frustra igitur Deus homo factus est, &c.] Nã incarnatio facta est, & est nobis per explicatissimam fidem notoria: ideo frustra non est, licet potuerit nostra liberatio sine ea fieri: constat tamen, per eam Deum voluisse nos liberare. At vero si nostra liberatio esset nobis certa, & modus incertus, imo plene ignotus, modi tamen nostro ingenio duo occurrerent, quorum vterque æque aptus, ac sufficiens: sed alter minores secum ferret difficultates, & maiores haberet probabilitates; alter multo maiores, tunc procul dubio nostrum esset, posteriori postposito, priori adhærere: & frustra poneretur incarnatio, quæ nunquã fuisset expresse reuelata, si modus alius factæ liberationis clarior & planior appareret. Ita fit in nostro casu.

CLXXXVII. Dicent tamen, Christum expresse dixisse, se suum corpus dare ad manducandum Accipite, inquit, & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.] Sciant tamen hic non exprimi panem illum esse corporaliter & substantialiter corpus Christi: Christi dictum, *hoc est corpus meum*, optime verificatur, si cum pane sacramentali exhibeatur spiritualiter corpus Christi, hoc est, si communicentur & animæ vita & vegetatio spiritualis, & corpori æternitas, ac incorruptibilitas, per virtutes carnis Christi à Verbo in ipsam ipsius carnem profectas. Ita commode possumus de aqua baptismali dicere, *Hic est sanguis Christi*, quia per illam lotionem applicatur animæ lotio interna quæ sit effectus sanguinis Christi. Ita ferrum ignitũ possumus vocare ignem, ac de ipso dicere, hic est ignis: quia ferrum proprietates ignis, splendor, calor, ardor, &c. comitantur, ferri natura & substantia integra manente. Ita Ioannes Baptista dicitur à Christo esse Elias; erat enim ille quem Elias olim figurauerat. Ita matri suę dixit de Ioanne Apostolo, Hic est filius tuus; Et Ioanni de Matre Virgine, Hæc est mater tua; nunquid substantialiter? Absit. Sed quia Ioannes debebat præstare Matri Christi, quæ ipse Christus verus eius filius naturalis ei, si viueret, præstitisset. Sic panis dicitur corpus, quia cum pane præstantur nobis ea quæ à corpore Christi præstari possunt, si ipsum corpus substantialiter sumeretur. Ita filius adoptiuus Patrem adoptantem vocat suum Patrem: quia Paternas obligationes ille erga ipsum Induit, & paternos exercet affectus, & effectus. Ita manna *Exod.* 16. 4. *Sap.* 16. 20. *Psal.* 77. 24. *Ioann.* 6. 31. dicebatur esse panis, non quidem substantialiter, sed virtute & effectiue, quia vim & proprietatem panis habebat ad corpus nutriendũ, & in locum panis veri succedebat, siquidem in deserto fruges nullæ erant ex quibus panis posset confici. Nec mihi dicant; Panem vocari omnem cibum: *Bellarm. de Euch lib.* 3. *cap.* 23. Quis enim vocauit, aut vocabit vnquam coturnices eiusdem deserti panem; Certe illæ loco panis non comedebantur sicut manna. Erant pro obsonio, pro carnibus: *Psalm* 77. 25. cibaria misit eis in abundantia; dicitur de coturnicibus, & non dicitur hoc de manna, non illa vocatur cibarium, sed panis. Scriptura plena est talibus tropicis & figuratis locutionibus; Certe Ioannes præcursor Domini ait *cap.* 1. 32. se spiritum Dei vidisse, vbi columbam vidit, & reuelatio ei facta columbam similiter vocat spiritum. *Super quẽ videris spiritum descendentem & manentem, &c.* at vero nõ vidit nisi columbam: quæ profecto non erat substantialiter ipse spiritus, qui visibilis non est, neque descendit, neque ascendit: sed videbat signum externũ præsentiæ spiritualis Spiritus sancti. Eodem modo panis dicitur esse corpus Christi.

CLXXXVIII. Non est insolitum, vt effectus qui sunt mera accidentia, per substantiam, cuius illi sunt effectus, & nominentur, & explicentur, vt dicebam de manna, quæ dicebatur panis, quia supplebat pro pane suis effectibus. Quod si de Eucharistia vellemus loqui per accidentia, quę sunt in eis effectus in sacramento intenti, commode dicere possemus de pane Eucharistico, Hic est animæ refectio ex corpore Christi prodiens: hoc est: Per huius panis comestionem nos corpore Christi reficimur. Et sic in locutione nihil amplius subsisteret difficultatis. Eodem enim modo qui baptizat, posset de sua aqua dicere, Hæc est remissio peccatorum, id est: cum hac ablutione datur remissio peccatorum. Sed venio ad impossibilia ex parte panis, si transubstantiatio asseratur.

CLXXXIX. Propositio 4. Inexplicabile & imperceptibile est quomodo substantia panis transeat, & transmutetur in corpus Christi, hoc est, quomodo ex pane fiat corpus, num adsit generatio, num annihilatio, & quæ sit forma huius transmutationis realis & corporalis: litigant inter se nostri Scholastici, & adhuc sub iudice lis est, etiam post magistralem Concilii Tridentini definitionem. In omnibus transmutationibus realibus & substantialibus, quando vnum fit ex alio, materia semper manet, forma & dispositiones mutantur: At hic tota, inquiunt, substantia panis, hoc est, materia & forma panis, transit in substantiam corporis Christi: sed explicandum est, quod nunquam satis explicabunt, quid fiat tunc de materia & forma panis, num vtraque maneat, num pereat, & si perit vtraque, num annihiletur: & corpus quidem Christi non est generabile de nouo, neque indiget alia materia; materia ergo quæ erat panis, non est in corpore Christi: de forma planum est, nam si forma panis cum materia panis simul manerent, ibi esset panis formaliter. Igitur coguntur & formam panis corrumpere & materiam etiam annihilare, vel in aliquid aliud, quod non sit corpus Christi, conuertere, quia nihil illius materiæ transit ad corpus Christi: & ita hæc non potest esse vllo modo transmutatio, sed erunt duæ actiones distinctæ, vna annihilationis totius substantiæ panis, altera substitutionis in ipsius locum corporis Christi per solam præsentiam, seu adductionem. Eritque illa vera & propria annihilatio, cuius terminus sit nihil, neque eius terminus positiuus potest esse corpus Christi, quando nihil penitus quod erat in pane transit in corpus Christi. Sicut si Deus vxorem Loth (vtar exemplo Bellarmini *de Euch. l.* 3. *c.* 18.) penitus annihilasset, & loco illius immediate statuam salis de nouo creatã vel factam substituisset, tunc certe essent duæ actiones inter se distinctæ, & nihil coniunctæ, nisi per accidens, ratione loci, & contiguitate temporis. Sic necesse est fiat in Eucharistia, destruat tota substãtia panis, & ei substituatur corpus Christi, quod sicut nõ est, ita neq; vocari potest trãsubstantiatio, cũ sint duę distinctę actiones, & inter se; ennius ac totaliter separatæ, non vna.

CXC. Propositio 5. Accidentia panis sine substantia, aut saltem, sine materia panis manere, & subsistere est impossibile, adeo vt implicet contradictionem. Tota profecto clamat philosophia, & merito; Accidentis esse est inesse. Per se vero subsistere non potest vlla ratione, nisi substantiæ conuenire. Loquamur vero de physica rerũ essentia, quaten⁹ sunt in re ipsa, nõ quatenus in nostro intellectu per metaphysicã. Scio enim entitates quasdã partiales in reb. mente distingui, dum res ipsæ inadæquatę considerantur, & singulis entitatib. suas proprias essentias mentaliter assignari, at vero essentia integra & completa cuiusq; rei, actu & physice existentis, substantia tantum est, in qua tamen sua inhærent accidentia, quæ accidentia ꝓpriam essen-

essentiam actu existentem nullam habent, nec habere possunt, quorum tota actualis & realis essentia existere in rerum natura non potest, nisi per inhærentiam, quæ existentia vere non est, sed inexistentia; accidens enim essentialiter physice sumptum, est aliquid alterius, nimirum substantiæ, quia ab ea pendet in esse, in fieri, & in conseruari. Implicat vero cōtradictionem, si per se existeret, nam tunc non esset aliquid alterius, sed sui; esset ergo essentialiter aliquid alterius, & non esset; vt albedo essentialiter est aliquid corporis albi, essentia enim albedinis alia nō est physice nisi albi corporis qualitas. Et sicut punctum est impossibile dari in natura per se existens ab omni quantitate separatū, est enim aliquid alterius in sua essentia physica, hoc est vltimus terminus lineæ, ideo vtcunque possit mente à linea separati, & sine ordine vllo ad lineam definiri, vt definiunt Mathematici dum dicunt, Punctum est, cuius nulla pars est: *Eucl. l.* 1. *Elem.* dari tamen, ne per diuinam quidem potentiam, in rerum natura potest, nisi in extremitate lineæ, quæ sit in aliquo corpore: ita quodcunq; accidens, eo quod intrinsece sit aliquid alterius, per se esse non potest: & cum essentia accidentis sit inesse, iam profecto accidentia illa panis, & sunt, & nō sunt, sunt quia videntur & sensibus substant; & nō sunt, quia non insunt, nec habent suum esse. Est vero merum somnium quantitatē subiicere accidentibus panis, postquam desiit substantia, & in nihilum euanuit. *Bellar. de Euch. l.* 3. *c.* 19. Nam quantitas est quiddā transcendēs analogū, maximā suæ naturæ patiens varietatem, vt inepte Aristoteles vnum peculiare ei assignarit prędicamentū cum sua propria vniuocatione, cum vere vniuocum non sit. Vna enim est quantitas continua, alia discreta toto genere ab illa diuersa. Alia item est quantitas continua substantiæ, seu corporis extensi, & consequenter accidentiū per ipsam substantiā extensam extensorū. Alia est quantitas in gradib. caloris intensioris vel remissioris. Alia in sono, respectu acuminis & grauitatis, in qua fundatur Musica. Alia in radiis visiuis, in qua fundatur pspectiua. Alia in ponderib. mouendis, & in virtute motrice, in qua multę mechanicę consistūt: alia in tēpore: alia in distātia motus ad finē à loco ad locum, &c. Quis ergo albedinē faciet inhærere in quantitate soni? Quis in quātitate ponderis? Quis in quantitate intensiua caloris? Quis ponet dulcedinē in quātitate radiorū visualiū? Omnis porro hæc quantitas etiā accidentiū, cū & ipsa sit accidens, semper erit aliqd substantiæ, vel immediate, vt est illa q extendit substantiā, vel mediate, vt est illa q extendit immediate ipsa accidentia, puta sonū, pondus, calorē, &c. Nā cum hæc ipsa accidentia sint aliquid substantiæ, etiā ipsorum quantitas erit aliquid substantiæ, diuersa tamen à quantitate substantiæ: & sic sonus cum suo acumine suaq; grauitate, erit in aere vsq; ad sensorium auditus: pondus in corpore graui, calor in corpore calido, &c. Cū itaq; in pane sint plures quantitates inter se genere distinctæ, non potest vna quantitas omnia illa accidentia sustentare; & addo omnem quantitatem esse quid posterius suo quāto; prius enim, saltem natura, est res ipsa extensibilis, quā id per quod illa extenditur. Posterius vero non potest esse subiectum sui prioris.

CXCI. Propositio 6. Nutritio vera fieri nullo modo potest, nisi per alimentum quod sit substantia, & sola accidentia per nullam potentiā apta fieri possunt ad nutriendum: cum nutritio sit substantiæ, nō accidentium reparatio: & si nutrirent accidentia, essent substantia, quia nutriunt, & non essent substantia, quia sunt accidentia. Certum porro est, si quis tota sua vita nullum alium cibum, aut potum sumeret nisi Eucharistiam, ex ea plenissimā habiturum nutritionem æq; ac ex puro pane, puroq; vino. Igitur hic quoq; ingentia miracula sunt obtrudenda, vel Deum suspensurū actum caloris naturalis in eo qui sola Eucharistia perpetuo vesceretur, vel deperditam & ad nihilum iam redactam panis & vini substantiā per creationē restituturū; vel nouā & aliam substituturū: vel aerē in stomacho existentem in cibum conuersurum: certe vel ista vel talia sunt fingenda. Profecto iste, qui sic nutriretur, & viueret, & nutriretur absq; vllo cibo vlloque potu, aut certe absque vera comestione, veraque potatione. Nam edere & bibere absque receptione vlla substantiali cibi vel potus, neque est edere neque bibere. Iste vero nullum cibū, nullum potum sumit in substantia. Et tamen substantiā eos comedere patet, si non vis ex nutritione, certe ex humorib. qui in corpore sola Eucharistia pasti generarentur, & appareret, pituitę, bilis, &c. Imo adhuc clarius ex excrementis, sero sanguinis, vrina & aliis, qui procul dubio egererentur. Deū ergo de nouo illa creare ex nihilo dicendū esset: ò fæ.icissima & nobilissima excrementa. Substitutionem duntaxat materiæ à Deo fieri volunt nostri; in quam, præuiis dispositionib. & alterationib. specierum, quæ à natura fiant, ab agente naturali inducatur forma illa quam illæ dispositiones requirant. *Bellar. de Euch. lib.* 3. *cap. vlt.* Sed quam materiam substituit? an nudam primam? an elementarem simplicem? an dissimilarem cum variis mistorum formis? Hic vero in his omnibus multa miracula requiruntur, & variæ debent fieri corruptiones, & generationes. Et species illę ideo alterantur, quia aptę sunt nutrire, ergo quia cum illis est substantia: & accidentia non alterantur, sed substantia, neque ea sunt id quod alteratur, sed id quod substantia in qua inhærent alteratur. Cur ergo per plura miracula fiat id quod melius à Deo fieri potest, et pauciora, vt loco accidentium illorum panis & vini, vel creet & materiam & formam panis id est, panem materialem, & vinum; vel ex aere in stomacho faciat panem miraculosum, qualis erat panis in deserto quo satiauit tot millia hominum. At quorsum hæc vana miracula?

CXCII Et si iam magnis miraculis opus est, posita transubstantiatione, multo cōsultius fuisset, si per cōsecrationē, panis totus & quoad substantiā, & quoad accidentia desineret, ac euanesceret, & in ipsius locū alius cibus comestibilis substitueretur in quo lateret corpus Christi corporaliter, sic de vino. Nā & miraculum esset plane euidens & sensibile, & occasio scādali iis auferretur, qui sub accidentib. omnib. & effectib. panis & vini degustati, non possunt non etiam substantiam panis & vini agnoscere. Itane coram cæcis voluit Christus *Leuit.* 19. 14. offendiculum ponere, nec sufficiens remedium adhibere? Nam licet dixerit, *Hoc est corpus meum*: tamen panem & vinum nobis omnibus pene sensibus sub omni sensibilitate integra & perfecta panis & vini offert; nec monet illud non esse panem & vinum, & tamen nulla necessitas cogit, vt asseramus, nullo modo posse & panem & corpus vtrunque substantialiter simul adesse. Vrgent tamen nostri. An non hæ verba; *Hoc est corpus meum*, necessario mutationem secum ferunt? *Bellar. de Euch. lib.* 3. *cap.* 19. Certe non in corpore Christi, ergo in pane. Respondeo, mutationem esse in pane, sed non substantialem, panis enim per consecrationem, ex cōmuni fit Sacramentalis: illudque maximi momenti acquirit de nouo, quod talis panis comestionem, si digne comedatur, semper comitatur spiritualis ingressus in animam comedentis, sacrosancti corporis Christi, per effectus & proprietates ipsius. Et ita verbū

illud, *Hoc*, supponit pro pane, de quo prædicatur corpus Christi non substantialiter, sed virtualiter, figuraliter, & effectiue, vt toties est explicatum. Nonne nostri Scholastici perpetuo asserunt, accidentia panis vocari panē, non solum quia fuerunt panis accidentia, sed etiam quia fuerunt panis effectus, licet non adsit ibi substantia panis? Ergo demonstrantes illa accidentiā possumus dicere merito, & in vero, suo modo, sensu, *Hoc est panis*; Cur non similiter panem, quem comitantur qualitates, & effectus veri, & realis corporis Christi, possumus vocare corpus Christi, & dicere de ipso pane, *Hoc est corpus Christi*? Valeat igitur hæc transubstantiatio cum suis autoribus, & defensoribus, quorum aliquas obiectiones iam dissoluamus:

CXCIII. Sciat illustrissimus Bellarminus se insufficienter, ac parum apte colligere opinionem hanc, quā ego explicare & tueri conatus sum, hæreticam esse: & eam Berengario Heresiarchæ primum tribuendā. Primum enim regula, quam ex quibusdam hæresis conditionib. confingit, ad cognoscendā hæresim, est fallax; sic igitur Bellarminus *Euch. l. 3. c. 8.* Conditio prima hæresis est nouitas doctrinæ, & veritatis Catholicæ antiquitas. Porro nouitas his coniecturis conuincitur, si notari possint autor, locus, tēpus; si incipiat cū paucis sectatorib. si cū admiratione & perturbatione fidelium appareat, & si ei contradicatur, ad iudiciū & examen adducatur, & tandem à Concilio Episcoporum, & consequenter à populis fidelibus condemnetur.] Fallax admodum regula hæc est, & non minus conditio Catholicæ doctrinæ post longam vel ethnicismi, vel hæresum oppressionem, vel Ecclesiæ dormitionem, caput attollentis, quam hæresis emergentis. Exemplum aliud nolo nunc, nisi Iapponis conuersionem: Christi fides tunc ibi noua fuit, & gentilismus erat antiquissimus. Notari potuit Autor P. Xauerius, locus in quo primum cœpit prędicare in ea regione, puta in Bungo, tali anno penultimi sæculi: paucos initio habuit sectatores, qui in literis Iapponicæ conuersionis nominantur. Aduersarios acerrimos experta est Reges, Dynastas, & gentilitiæ superstitionis ministros. Nihil dico de nouo verbo *ὁμοούσιον*, prius inaudito, in Concilio Nicæno primum posito, anno 325. post Christum natum; cum contradictionib. maximis in Oriente & in Occidente, ac generali Concilio Ariminensi sublato. An vero propterea continet hæresim? Eadem tota regula quadrabit, vbicunque post Arianismum longissimo tempore detentum, orthodoxa fides est tandem postliminio reuocata. Sic igitur sæpe in Ecclesia nouæ & sanæ doctrinæ sunt auditæ, & cum contradictionibus, noto & designato tempore, notis & certis Autoribus promulgatæ; quia nouæ exortæ sunt occasiones, quę rē non prius consideratam nec discussam cōsiderari & discuti persuaserunt, imo coegerunt. Peruia sunt omnibus exempla plurima in Ecclesia.

CXCIV. Admissa tamen regula, & concesso eam conditionem esse propriā hæresis, inepte Berengarius ponitur primus huius doctrinæ, de figurata pręsentia corporis Christi in Sacramento, Autor: immerito noua hæc doctrina appellatur, est enim vetustissima, & ab ipsa Apostolica traditione promanans, vt probaui; nec Berengarius, vt supra vidimus *n. 166.* eam primus vel inuenit, vel exprompsit, sed repetiit; & iam per corporalis præsentiæ aduectionem opprimi cœptam defendit. Conditio hæc si hæresim probat, profecto & transubstantiationem, & generaliter præsentiam corporalem Christi in Eucharistia hæresim esse conuincit. Corporalis etenim hæc præsentia à quibusdam fidelibus credi, & disseminari cœpit sub Rege Carolo Caluo, vt vidimus *sup. num. 164.* inde à Paschasio, iam post octingentesimum à Christo annum; & expressius post millesimum à Fulberto Carnotensi asseri & publicari cœpit: habuit Bertramum primum, deinde Berengarium & alios eiusdem veritatis amatores aduersantes; sed ob nimiam Paparum, quorū humana consilia hæc falsa præsentia realis promouebat potentiā; sicut olim Arianismus; sic tunc transubstantiatio inualuit: viris tamen doctis subinde reclamantibus, & ad veterem Ecclesiæ doctrinam puram prouocantib. quæ doctrina ad liberum examen nunquam est deducta: Illa vero tam multa Concilia & tempore Berengarii, & post Berengarium, quæ profert Bellarminus, fuerunt non Concilia, sed vmbræ Conciliorū, quando iam Papatus Concilia sub pedib. habebat: vbi quæso eorum Acta apparent? Videamus quo ordine sint peracta, an regulę Conciliares sint seruatę: an controuersia, & quomodo sit discussa, quæ argumenta proposita, quomodo ex scripturis confirmata, quomodo Berengarii argumenta soluta: quomodo Patrum autoritatib. sit responsum: quomodo suffragia habita & collecta. Quę nisi omnia proferantur; aut Concilia illa laruæ Conciliorum fuerunt; aut relatores eorum suas nobis venditant imposturas. Num Guitmundus & Lanfrancus transubstantiationis errore labefactati, sunt nobis pro regula veritatis accipiendi? Referunt illi quę volunt & quomodo volunt, & testes nobis afferunt occultos, quorum depositio authentica non apparet. De Lateranensi & sequentibus Conciliis iam dixi *supr. numero 167.* & dicam plura in libris sequentibus. Exultat in numero Autorum transubstantiationem asserentium & tuentium Bellarminus. An nescit quid dicat Sapiens? *Eccles. 1. 15.* Quod si veritas semper staret à parte numeri maioris, quamdiu olim Arianismus in veritatē excelluisset? Relinquit sibi Dominus semper suum manipulū recte sentientium, quorum genua non curuantur ante Baal. *3. Reg. 19. 1.* Nos vero Sciolis scholasticis, Papæ mancipiis, opponimus totam sanctorum Patrum catenam à temporibus Apostolorum per integra octo sæcula; quos iam singulos & recensuimus & exposuimus, qui & doctrina, & sanctitate scholasticis etiam sanctis in Romana Curia Canonizatis, longe excelluerunt. Miracula vero quæ profert priuata, priuatim facta, à priuatis recensita, nescio quam fidem mereantur, & an sint ab omni, vel doli mali, vel præstigiarum suspicione libera. Sed vera miracula cōtra incredulos, qui panem sacramentalem à communi pane nihil distinguunt, veritatē sacramenti confirmare possunt, realitatem autem corporis, & transubstantiationem, aut consubstantiationem non confirmant. Iam de secunda difficultate satis, accedamus ad tertiam.

CXCV. Tertia Difficultas Principalis; An consecratio panis & vini in Eucharistiam, ipsaque liturgia habeat vim propriam sacrificiī quod nos missam appellamus. Magna potestas Ecclesię esset, ipsiusque ministrorum, si verum substantiale Christi corpus possent quoties volunt, in altari proprie sacrificare. Cum tamen iam cōpertum fecerimus panem non transubstantiari, sed manere semper panem in Eucharistia, & absolute præsentiam corporalem Christi nullam esse in hoc sacramento, compertum etiam redditur, sacrificium verum in Eucharistia nullum posse esse, nisi quis panem & vinum sacrificari diceret, sed iste insaniret; quia sacrificia rerum creatarum in proprio sacrificii sensu sumpta, sunt per vnicū sacrificium filii Dei semel duntaxat in cruce oblatum omnia extincta, & abolita: ideoque tantopere iam nos omnes, qui sub Romana sumus Ecclesia, labo-

ramus,

ramus, vt præsentiã realem, & transubstantiationem tueamur, quia Missæ sacrificium alioquin totum à veri sacrificii veri natura decideret, neq; possemus amplius ipsum propitiatorium facere, & immensi valoris: tota enim nostræ Missæ dignitas, tota efficacia, tota nostra Sacerdotum apud vulgus autoritas, à corporali Christi præsentia in altari, & in nostris digitis, petitur & dependet. Hinc nos Missam nostram facimus verum & reale ac proprium sacrificium propitiatorium, satisfactorium, impetratorium, pro viuis, & pro defunctis. Hinc priuatæ nostræ Missæ, & populi ad eas concursus, vt sacrificio duntaxat intersint: Atque hinc, quod caput est, ingens nostrum lucrum, dum falsa & nulla efficacia tanti sacrificij, à simplicibus fidelibus numerata pecunia redimitur. Quotusquisq; enim fidelium est, qui non se peccatis prægrauatum sentiat? Sed ne cum ingenti animi labore, per internum cordis contriti, & humiliati sacrificium, *Psalm. 51. 19.* propitiationem quærere cogantur, soluta pecuniola libenter sacrificia hęc propitiatoria sibi applicari satagunt, in eaque totam suam coniiciunt fiduciam. Sed & noster Dominus Papa, nosque Episcopi cum ipso, vt citra nostræ crumenæ incommoda satellites nostros, & multos Presbyteros subditos habeamus, sacrificulos multiplicamus, qui ipsa sacrificandi arte rudium fidelium loculos exhauriant, sibique & commoda & delicias parent abundanter. Et de hoc plura infra.

CXCVI. Sacrificium autem in Missa verum nullũ esse, nisi commemoratiuum duntaxat, & repræsentatiuum, facile est ostendere: Christus enim sacramentum Eucharistiæ instituit in memoriam, seu commemorationẽ sacrificii sui realis, q̃ semel in cruce peractũ est. Hoc facite, inquit, *Luc. 22 19.* in meã cõmemorationem. Sacramentum profectò quod exhibebat, erat actu & reipsa sacramentum: & quando Christus panẽ sua gratiarum actione sanctificauit, similiter quando discipulos eo sacramento communicauit, se ipsum profectò non sacrificauit, quod est ab aliis iã demonstratum; vnde ad miserã ancoram traditionis fuit nostris cõfugiendum; *Suarez. to. 3 disp 74. se. 2.* cõmemoratione tamen sacrificii mox futuri fecit. Hoc est corpus, inquit, quod pro vobis tradetur: Hic est sanguis q̃ pro vobis effundetur: non ergo erat sacrificiũ, sed memoria futuri sacrificij: ita memoriam sacrificij tunc futuri, nobis postea iã præteriti & semel facti, nobis cõmendauit. Memoria vero seu commemoratio, seu repræsentatio sacrificii peragendi vel peracti, non est sacrificium: neque enim sacrificandi suum corpus dedit potestatem, quam nec ipse tunc exercebat, sed tantum commemorandi, sicut & ipse tunc tantummodo suum sacrificium commemorabat. Et sane Christum in vltima cœna non fecisse vllum sui ipsius sacrificium facile conuincimur: quia vel illud sacrificium propitiatoriũ, vel non: si non fuit, ergo nec Missa potest esse ta'e sacrificiũ, q̃a tunc instituta est: si fuit, ergo tũc Christus in vltima cœna redemit mũdũ: frustra in cruce sacrificatus est. Cũ ergo Christus in vltima cœna non sacrificauerit, cur nos plus audemus & arripimus quam Christus fecerit, dum hæc ipsa instituebat, & mandabat nobis? *Hoc facite?* non sigillatim aliud: at verò sacrificare Christum non est illud facere, vt inferius *numero 229.* apertius demonstrabo. Itaque non potest esse vllus Sacerdos qui Christi corpus sacrificet, nisi ipsemet Christus, qui fuit simul & victima & Sacerdos. Quod si in terris nunc neque Sacerdos adest vllus tantæ autoritatis, & potestatis, neque ipsa hostia, quæ est ipsum reale, & substantiale corpus Christi, quomodo fiet hoc sacrificium? Et si fieret, quomodo hoc sacrificium diceretur esse cõmemoratio sacrificii illius quod semel oblatũ est? Esset enim illud idem, & ipsissimum sacrificiũ repetitũ, non illius commemoratio, aut repræsentatio, & non à sacrificulo mortali, sed ab ipsomet Christo incruente renouatum: atque hæc incruenta renouatio quid aliud est, nisi Christũ Patri æterno sacrificium sui corporis semel oblatum, memoria, & commendatione & applicatione etiam fructus dicti sacrificii repetere? Quod abũde præstat in cœlo; hoc opus est vt actũ corporaliterã quoq; offeratur: nos vero interim vult Sacramento sui corporis frui, cũ memoria & repræsentatione illius cruenti & veri sacrificij: q̃ cõmemoratio sacrificii in Sacramẽti sumptione, nõ in missificatione tota cõsistit. Ait. n. Paulus: *Quotiescunque panẽ hunc mãducabitis, &c. mortẽ Domini annunciabitis.* Non ait; Quotiescunque offeretis, vel consecrabitis. Manducant vero etiam laici; & tamen non sacrificãt; sacrificii tamen memoriam nihil minus celebrãt; quam Sacerdotes. Hic fuit semper sensus, hæc sententia puræ Ecclesiæ; hic consensus sanctorum Patrum; hæc intelligentia, hæc explicatio.

CXCVII. Iustinus Martyr. *dial. cum Triph.* Nullum aliud sacrificium Christianorum agnoscit, nisi precum per quas Eucharistia consecratur, in memoriam Christi passionis. Nos, inquit sumus Pontificium, Sacerdotaleque genus *1. Pet. 2. 5.* ——— Neque verò à quoquam hostias Deus accipit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia sacrificia quæ suo nomine faciendà Iesus Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ in omni loco à Christianis fiunt, præoccupatione vsus Deus sibi grata esse testatur *Malac. 1. 11.* ——— Vos *Iudæi*; dicitis, ea sacrificia quæ Hierosolymis ——— fierent, Deum per Malachiam non approbare: preces autem illius generis hominum, qui tunc dispersi essent, eundem sibi acceptas esse dixisse, eorumque preces sacrificia vocare. Preces quidem & gratiarum actiones bonorum perfectas solas esse, & Deo gratas hostias, ego quoque concedo. &c.] Iustinus profecto sacrificium Eucharistiæ ab omnibus fidelibus offerri asserit; ratione Sacerdotii spiritualis omnibus communis, imo expresse negat aliud esse sacrificium Christianorum, nisi preces communes quibus Eucharistiam sibi confici à Deo postulant, & in Sacramenti panis & vini sumptione memoriam passionis ibidem ait recoli. Habet & hæc Iustinus: *ibidem.* De pane fit mentio, quem nobis Christus noster conficiendum tradidit, vt corpus eum factum recordaremur, eorum causa qui in ipsum credunt, propter quos etiam patibilis extitit. Et de poculo, quod recolendi sanguinis sui causa conficiendum gratias agentibus tradidit.] Cyprianus *libro secundo, Epistola tertia.* Passio est enim Domini, *ait*, sacrificium quod offerimus.] Et quomodo est passio q̃ iam transiit nisi commemoratiue? Sacrificium ergo in Eucharistia aliud non est, nisi passionis Christi commemoratio. Ecce tota Eucharistia ad commemorationem, quod Christus & corpus passibile sumpsit, pro nobis immolatum, & sanguinem fudit.

CXCVIII. Eusebius, *de dem. Euang. libro primo capite ult.* Sacrificium eximium, *inquit de Christo*, Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, eiusque rei memoriam, vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit.] Et infra, Cum ergo huius sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisque item illius, salutarisque sanguinis, vt noui testamenti institutum habet, acceperimus, rursus à Propheta Dauid *Psalm 22. 5.* instruimur ad dicendum. Parasti in conspectu meo mensam, &c. Et postea: Igitur & sacrificamus & incendimus, alias qui-

quidem memoriam magni illius sacrificii, secundum ea quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososque hymnos & orationes sanctas illi offerentes: alias vt ipsos totos ei consecrantes, eiusq; Pontifici, ipsi vtique verbo, corpore animoq; dicantes.] Nostrum ergo sacrificare, secundum Eusebium, nihil aliud est, quã per signa panis ac vini, ex Christi institutione, memoriam sacrificii in cruce peracti repræsentare simul tamẽ nostras preces, laudes, gratiarum actiones ac demum nos ipsos toto animi affectu, & sanctæ vitæ actionib. Deo offerre. Sicut itaque vel in pictura penicillo expressũ sacrificiũ, vel in scena similitudinario actu repræsentatum sacrificiũ quidem vocatur, sed non est verum & reale sacrificiũ, nisi repræsentatiue in imagine, & similitudine; Ita Eusebius optime explicat, nos per memoriam & signa, ex Christi tamen institutione, crucis sacrificium repræsentare, & nostrum sacrificare esse sacrificare quoddam repræsentatiuum, & commemoratiuum rei iam factæ: sicut & quando Christus benedicebat panem & vinum, & Apostolos communicabat, illud nõ erat verum sacrificium, veraq; oblatio, sed repræsentatiua duntaxat & commemoratiua rei faciendæ. *Hic est sanguis qui pro vobis effunditur*; vt est in vulgata. *Matt.* 26.28. *Marc.* 14.24. *Luc.* 22.20.

CXCIX. S. Ioannes Chrysostomus, *in epist. ad Heb. hom.* 17. Quid ergo nos, *ait*, Nõne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationẽ facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multæ. Quomodo vna est non multæ? Quia semel oblata est in Sancto Sanctorum: hoc autem sacrificium exẽplar est illius; idipsum semper offerimus.] Et paulo post: Põtifex noster ille, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidẽ consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in cõmemorationem quidem facimus eius quod factum est: hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed ipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificii operamur.] Offerimus quidẽ, sed similitudinarie, & sacrificium nostrum, inquit, est exemplar sacrificii veri quod in cruce peractum est: non ergo verum, & proprium ipsum sacrificium, quia illud iam transiit, & nostrum non est aliud, sed illud ipsum. Realiter vero illud ipsum esse non potest, quia illud iam præteriit, est ergo illud repræsentatiue & commemoratiue: & est, *inquit*, potius recordatio sacrificii, quam sacrificiũ.

CC. Augustinus *de Trin. l.* 3. *c.* 4. corpus Christi, & sanguinem dicimus illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptũ, & prece mystica cõsecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.] Ecce memoria passionis consistit in sumptione Sacramenti, non in consecratione: & consequenter in hoc stat sacrificium commemoratiuum. Item *cont. Faust. l.* 20. *c.* 18. Christiani, *inquit*, iam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis Christi.] Hic obiter obseruandum notat Bellarminus, *de Missa l.* 1. *c.* 15. quod sicut participatio corporis Domini non desinit esse vera & realis participatio, licet sit commemoratiua, ita etiam oblatio, quæ simul fit cum illa participatione non desinit esse vera & realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemoratiua.] Ego vero obseruo, in scriptura & Patribus oblationem latius patere, quam verum & proprium sacrificium; licet e.n. omne verum sacrificium fiat per oblationem, oblatio tamẽ sacra sæpe fit, quæ sacrificium verum & proprium nõ sit. Profecto quisque ex filiis Israel, de quacunque tribu esset, offerebat victimas Domino, & ponebat manus super caput victimæ, *Leu.* 3.2. non tamen propterea sacrificabat: quia soli sacerdotes de tribu Leui, & de stirpe Aaron sacrificabant: & passim oblationes populi habentur in scriptura, sed populus vere non sacrificabat: nec illæ oblationes, quatenus erant oblationes populi, erant vera sacrificia: vere tamẽ oblationes erant: Concedit hæc Bellarminus *de missa, l.* 1. *c.* 2. Eodẽ modo etiam post Christum oblationes sacræ fiunt à populo, quæ sacrificia vera non sunt. Populus e.n. offerebat panem & vinum sacerdotibus, tum in Eucharistiam consecranda, tum etiã ad Cleri victum: & ille panis ac vinũ dicebatur oblatio illius qui illa offerebat, vt ostendo *lib* 9. *c.* 1. *n.* 4. & 5. Ideoq; Cyprianus *l.* 5. *ep.* 3. reprehendit eos presbyteros, qui cõmunicantes cum lapsis & offerentes oblationes eorum, in prauis erroribus suis frequenter deprehendebantur.] Iam ergo populi oblatio iterum à sacerdote Deo offerebatur, dum consecratione sanctificabatur. Eadem ergo oblatio erat & populi & sacerdotis, nimirum panis & vinum. Oblatio populi quia populus ea offerebat Deo in vsum & Eucharistiæ communis, & alimoniæ sacerdotalis: oblatio vero sacerdotis, quia idem panis & vinum à sacerdote precibus sanctificabatur, & Deo vt fieret Sacramentum offerebatur, id est, vt ex pane & vino communi, fieret panis & vinum Sacramentale, quod admittit etiam Bellarminus, *de missa, l.* 1 *c.* 27. Ac propterea Augustinus sacrosanctam oblationem, h.e. panem & vinum iam in Eucharistiam, & à populo, & denuo à sacerdote Deo similiter ad Eucharistiam vt sanctificentur oblata, memoriam sacrificii peracti vocat. Est ergo vera & realis oblatio tum à populo, tum à ministro facta: sed verum & proprium sacrificium non est nisi repræsentatiue, & commemoratiue. Nisi quis velit panem & vinum in substantia panis & vini Deo sacrificari proprie, quod iam esset otiosum, imo impium, quia Christi sacrificium semel factum omnia impleuit, & extinxit sacrificia.

CCI. Oblationem vero qua Sacerdos panem & vinum Deo offert per preces, vt in Eucharistiam consecrentur & sanctificentur, non esse verum sacrificiũ, nisi quatenus hæc consecratio & Eucharistiæ dispensatio est quædam sacra actio, & veri sacrificii iam trãsacti commemoratio, liquet ex alio etiam loco Augustini, *ep.* 59. vbi vocat Sancti altaris oblationem illam quæ offertur Deo, quando id quod in mensa Domini est benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.] Conatur se quoquomodo Bellarminus ab hoc loco liberare, *de missa, l.* 1, *c.* 15. separatq; hoc Augustini dictum in duo diuersa dicta: cum tamen vnicum re vera dictũ sit, licet videantur separata ea, quæ de benedictione & de oblatione dicuntur. Augustinus e.n. versatur ibi in explicatione dicti illius Pauli, 1. *Tim.* 2.1. Obsecro itaq; primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones: conaturque singula hæc discernere ac separare, vt singulorum sensum seorsim tradat: & vocabula Græca mauult considerare, quam Latina, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. Atque hæc omnia in publicis precibus, adiuncta liturgia, tanquam inter se diuersa explicat, vt primum adsint preces δεήσεις quas facimus, inquit, in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici.] προσευχὰς vocat orationes, Cum benedicitur, *inquit*, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.] Ipsam nimirum liturgiam totam qua & sanctificantur panis & vinum, & frangitur panis, ac distribuitur cum vino, & fit plene communio, idque totum vult esse προσευχὰς, quod tunc ordinarie oratione Dominica concludebatur. Pergitq; explicare vim vocis προσευχὴ, vt pateat

melius

melius per liturgiam prædictam hac voce significari, orationem quæ fiat ad votum; εὐχὴ enim ait votum vt plurimum significare. Merito ergo per προσευχὴν, liturgiam se in Paulo intelligere ait Augustinus, quia vouentur, *inquit*, omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio.] Itaq; secundum Augustinum, vox illa προσευχαὶ, apud Paulum, significat liturgiæ preces votiuas illas quibus benedicitur, & consecratur & cōminuitur & distribuitur Eucharistia: ad quas preces votiuas, oblationem hanc altaris maxime ait, spectare quia hæc oblatio fit per votum, nam Deo offertur, tum à plebe, tum à Sacerdote panis ille & illud vinum, vt ab eo sanctificentur, & fiant Sacramentum. Et hæc oblatio sacrosancta dum recipitur, digne recipienti illam, verum est ei Sacramentum, veri sacrificii in cruce semel peracti commemoratiuum, vt paulo post plenius explicabo. Duas postremas voces intelligit Augustinus, priorem cum populus benedicitur ab Antistite: vltimam cum post communionem gratiæ Deo aguntur.

CCII. Sic profecto Irenæus *l.4.c.32.* quoque panem ipsum & vinum hanc agnoscit esse oblationem, & non verum sacrificium. Eum, *inquit*, qui est ex creatura panem accepit, & gratias egit, dicens *Hoc est corpus meum*, & calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti, nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in vniuerso mundo, ei, qui alimenta præstat, primitias suorum munerum. De quo & Malachias, &c.] Item *l.4.34.* Offerre oportet Deo primitias eius creaturæ, sicut & Moyses ait, *Deut.16 16.* Non apparebis vacuus, &c.] Quibus locis Irenæus oblationes, quæ etiam sacrificia vocat, intelligit ipsas fidelium oblationes, siue panis & vini ad Eucharistiam conficiendam; siue primitiarum, & aliarum rerum in eleemosynam, & ministrorum Ecclesiarumque sustentationem: & expresse vocat creaturas. Nouam vero oblationem hanc noui testamenti Christum docuisse ait, cessantibus veteris legis sacrificiis: quia loco immolationum animalium successit oblatio panis & vini in nomine Christi, & in memoriam sacrificii in cruce peracti: Per Iesum Christum, *inquit*, *Iren.l.4.c.33.* offert Ecclesia.] Et quid offert? Nunquid corpus Christi substantiale? Incensum, *inquit*, ex Malachia; quod significat, ait, Sanctorum orationes, *Apoc 5.8.* & fideles Christiani omnia, *inquit Iren.l.4.c.34.* quæ sunt ipsorum, ad Dominicos decernunt vsus, &c.]

CCIII. Hostiam hanc nostram Eucharistiæ mysticam Gregorius quoq; *in Euang.hom.37.* in commemoratione passionis Christi ponit, Quia, is, *inquit*, qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc hostiam in suo mysterio pro nobis iterum patitur [illegible] quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, [illegible] ad absolutionem nostram passionem illius [illegible] us. Non ait, quoties ei corpus ipsius reale & vi[illegible] offerimus: sed hostiam passionis in mysterio [illegible] non videt Gregorium non nisi mysticum sacrificium commemoratiuum, & repræsentatiuum repetitæ quodammodo passionis in Eucharistiæ, non [illegible] one, sed digna receptione agnoscere? Post [illegible] m enim quoddam factum concludit: colligite, [illegible] nobis hostia sacra quantum in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero soluere vincula corporis.] Et sacrificium hoc non ex opere operato, sed ex opere operantis, id est, ex dignitate sacramentum recipientis efficax esse asserit, dum ibidem ait. Singulariter nanq; ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur.] Lachrymæ & benignitas mentis ad opus operantis spectat. Itaq; hostia seu oblatio est ad summum ipsum Sacramentum Eucharistiæ cum memoria passionis receptum. Merito ergo Magister *in 4.dist.12.* ex Patribus expresse tradit, nostrū nō esse verum sacrificium, sed ita vocari, quia est memoria & repræsentatio sacrificii in cruce exhibiti.

CCIV. Sacrificium porro hoc nostrum non esse verum sacrificium, nisi commemoratiuū duntaxat, & repræsentatiuum ex eo vlterius confirmatur, quod totum in ipsa digna sacramenti Eucharistiæ receptione consistat, vt innuebat modo Gregorius. Christus enim *Luc.22.19.* Hoc facite, inquit, in mei commemorationem, quod Paulus *1.Cor.11.26* explicat dicens: Quotiescunque panem hunc manducabitis, mortem Domini annunciabitis: ergo in manducatione sacramentali adest memoria illa passionis & sacrificii in cruce peracti. Nec Patres aliter senserunt: Chrysostomus, *in 1.Tim.hom. 5.* eandem litari extra tempus Paschale hostiam asserit, idem sacrificium consummari, quod ipsis Paschæ diebus: & id confirmat dicto Pauli: *Quotiescunq; manducabitis, &c.* Ergo litari nostram hostiam, & nostrum sacrificium consummari, est manducare panem & bibere calicem Domini. Cyrillus Alexandrinus *in epist. ad Nestor. in actis Conc. Ephes. tom.1. c. 14. edit. Pelt.* incruentum sacrificium vocat, seu incruentam latriam aut cultum, quando ad sacras benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes facti corporis & sanguinis Domini. Ac propterea *in Bibliot. SS.PP. tom. 6.* in liturgia quæ dicitur Marci, ad finem sacrificium dicitur completum, vbi absoluta est eorum qui adsunt communio.

CCV. Ipse quoque nostræ Missæ Romanus Canon non verum sacrificium, sed memoriam & repræsentationem duntaxat sacrificii iam peracti expresse supponit. Sic enim cōsecratis iam mysteriis precamur. Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c.] Igitur sacrificium hoc nostrum in cœlo peragitur non in terris, quatenus Deo Patri offertur mors & passio ipsius dilecti filii per commemorationem. Respondet Bellarminus, *de Missa, l.4.c. 14.* Orari illis precibus, vt sacrificium quod visibiliter offertur manibus sacerdotis, offeratur in cœlo inuisibiliter per manus Christi.] Optime sane; Atqui in sacrificio Christiano sicut nulla est alia hostia nisi corp⁹ ipsum reale & substantiale Christi, ita nullus est alius verus sacerdos nisi ipse Christus: Igitur hoc sacrificiū semel factum in cruce, & postea iugiter per commemorationem fit in cœlo inuisibiliter, dum Christus Patri pro nobis offert suas præteritas passiones: tunc præsertim quando nos sacris mysteriis vacamus: & hoc est sacrificium incruentum quod in cœlo peragitur. Sacerdos vero purus homo in terris, cum visibiliter offerat creaturas duntaxat, typice tamen & commemoratiue passionem iam præteritam Christi repræsentantes, certe vere & proprie nunquam dicetur sacrificare, nisi typice duntaxat, mystice & commemoratiue: & si sacrificium nostrum est visibile, profecto verū sacrificiū esse non potest post Euangeliū, in quo sacrificio Christus & sacerdos est, & hostia, semel tantum visibiliter, postea vero non nisi inuisibiliter.

CCVI. Quoties vero Patres sacrificium circa Eucharistiam ponūt, in solo explicato iam à nobis sensu id ponunt: vt vel ipsum panē & vinum intelligant offerri Deo, siue à populo, siue à ministro Ecclesiæ, *Opus imperf. in Matth. om. decima nona*, quod est sacrificium improprie, vel ad commemorationem sacrificii in cruce exhibiti, per Eucharistiæ sumptionem respiciant. Sic Iustinus ait, *Dialog. cum Tryph.* De nostris gentium

gentium quæ in omnibus offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ Malachiam prophetasse.] Cyprianus *l.5.ep.2.* habet, Presbyteros apud confessores offerentes: id est sacram Eucharistiam celebrantes, in cuius celebratione fit à presbytero panis & vini oblatio Deo, vt eam consecret. Idem, *l.2.ep.3.* In sacrificiis Dominicis vinum offerri dicit; Et in vltima cœna Christum sacrificium obtulisse, ait, *ibid.* At certe tūc verum sacrificium nullum obtulit, nisi commemoratiuum rei futuræ. Optatus, Episcopos ait offerre pro Ecclesia:] h.e. nomine Ecclesiæ, Eucharisticas oblationes Deo facere. Hieronymus *l.3.aduer. Pelag.* à Christo, ait, Vt in sacrificio corporis illius audeant loqui, *Pater noster, &c.*] Sacrificium corporis Christi vocat, quia panis offertur Deo, vt fiat sacramētaliter corpus. Ambrosius *in L.c.1.l.1.* Vtinam nobis quoque, *inquit*, adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus quando Christus assistit, quando Christus immolatur: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, *1.Cor.5.7.*] Immolatio hæc Christi est per solam memoriam, quia ad solam memoriam spectat, quod nostrum Pascha immolatus sit Christus. Itaque assistentia hæc spiritualis est, & sacrificium commemoratiuum. Chrysostomus *ser. in. de Iuda prodit.* dicit, Iudam communionem sacrificii habuisse in vltima cœna.] At illud sacrificium reale non erat, sed duntaxat commemoratiuum & repræsentatiuum realis sacrificii futuri.

CCVII. Non audit libenter Bellarminus *de Missa l.4.c.24.* negari, Christum in vltima cœna sacrificasse. Nam Euangelistæ, *inquit*, licet id non asserant expresse, tamen neque expresse negant, & ipse conatur id factum fuisse sibi & aliis persuadere: sed frustra. Illud quoque vrget, Euangelistas de comestione agni in vltima cœna Christi, nullam mentionem fecisse, & tamen supponendum esse putat, Christum agnum Paschalem comedisse. Ego vero inferius probabo, Christum in illa cœna agnum Paschalem nequaquam comedisse: ideo merito Euangelistæ de agno illius cœnæ nihil scripserunt. Argumenta vero negatiua, licet de se ordinarie vix vllam vim habeant, ex circumstantiis tamen vim magnam possunt habere, vbi res postulat in narrando ne aliquid omittatur, quo omisso essentialia narrationis corruant, aut vix subsistant. Narrant igitur Euangelistæ actiones aliquas Christi in illa cœna, & addunt præceptum datum à Christo, vt easdem Apostoli quoque & successores eorum similiter facerent *Luc.22.19.* Hoc facite, in meam commemorationem: Quidnam obsecro? Accipite panem benedicite, frangite, & distribuite fidelibus ad comedendū. Quis antē audeat hic addere, etiam meū corpus offerte Deo & sacrificate: vbi de oblatione & sacrificio nihil narrant Euangelistæ? Commemorauit quidem Christus oblationem & sacrificium sui corporis futurum: *hoc est corpus quod pro vobis tradetur: hic est sanguis qui pro vobis effundetur*: sed tum neq; obtulit, neq; sacrificauit: aut saltem non ita obtulit, non ita sacrificauit, vt talē oblationē, taleq; sacrificium Apostolis faciendū mandaret, cōmemorandum dūtaxat præcepit.

CCVIII. His Patribus addo Leonem, Qui *ep.7.* nostri sacrificii oblationem Missam vocat: sed sacrificium offerre ab eo dicuntur ipsi fideles, qui communicant. Sacrificium igitur Leoni est oblatio fidelium, quæ ipsis benedicitur in Eucharistiā. Quod e.g. patet in his paucis Patribus, idem profecto est in omnibus, vbicunq; illi sacrificii oblationisq; Eucharisticæ faciunt mentionem. Ita vt interdum sacrificium sit oblatio populi, qua panem & vinū offerunt in Eucharistiā consecrandum. & tunc Sacerdotes etiam erunt ipsimet fideles, etiam Laici, spiritualiter, vt ex *1.Pet.1.* docet Iustinus supra *num.197.* Interdum vero sacrificium erit ipsa Sacramenti sumptio, propter commemorationem passionis, & mortis Christi. Interdum etiam sacrificium erunt ipsæ preces, tum ministri, tum populi, quæ in liturgiis adhibentur, vt Iustinus ibidem sensit. Interdum etiam sacrificium erit oblatio panis & vini quæ minister Deo offert antequam consecret. Interdum sacrificium erunt ipsæmet ministri preces, quibus fit Sacramenti consecratio. Interdum demum sacrificium erit ipsa distributio Eucharistiæ in memoriam passionis: hoc enim, est & rem sacram facere, & sacrificium Christi commemorare, & repræsentare: & hinc soli Presbyteri dicuntur sacrificiū hoc offerre. Ac propterea inanis hinc redditur Bellarmini labor quo in contrarium frustra nititur *in l.b.de Missa, c.5.* Hinc etiam habemus, merito Patres verum Sacerdotem in terris nullum agnoscere, quia verum sacrificiū in terris iam nullum peragitur: ideoq; Ambrosius *in enar. in Psal.38.* Petrum, Paulum, & alios Apostolos imagines tantum vocat Pontificis Christi, vt dixi *l.b.c.ta.n.14.* & de Sacerdotio inferius erit disserendum.

CCIX. Opponit se nobis Bellarminus *ibid.* & probare conatur, Patres sacrificium Missæ verum & proprium posuisse, non commemoratiuum duntaxat & improprium. Probationes eius sunt; Prima: quia Augustinus, sicut dicit actionem cœnæ esse commemorationem sacrificii crucis iam peracti: ita dicit sacrificia veteris testamenti fuisse commemorationem sacrificii crucis futuri, & tamen negari, *inquit*, non potest, quin sacrificia illa vetera fuerint in se vere & proprie dicta sacrificia.] Respondeo. Erant illa vera sacrificia, quia mactabatur hostia licite, & legitime in honorem Dei. Sed simul etiam erant vmbræ & typi veri & maxime proprii dicti sacrificii in cruce peragendi. Nunc vero quando vmbræ cessarunt vmbratilia sacrificia esse non debent; & magna est differentia adumbrare futurum, & commemorare præteritum. At vero peracto iam verissimo illo, quod futurū figurabatur, sacrificio, alia vera sacrificia locum non habent, quia ipsum figuratum in se iam cernitur vt factum, & non in figura vt fiendum, & verum est, unum sacrificium verum fuisse commemoratiuum passionis & mortis Christi: sed non est verum, omne commemoratiuum dictæ passionis & mortis fuisse, vel esse verū sacrificiū, in quo paralogizat Bellarminus. Sed nos audiamus Augustinum *de fide ad Pet. c.17.* sacrificia vetera cum nouo comparantem, vbi ad Petrum Diaconum scribit, Firmissime tene & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & sacerdotibus tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est tempore noui testamenti, cum Patre & Spiritu Sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quā pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit: de quo beatus Paulus dicit in *Actibus Apost. loquens*. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figurate signifi-

significabatur. In hoc autem sacrificio quid nobis iã donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænunciabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus, testante Apostolo: quia Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est: & quia cum inimici essemus recõciliati sumus Deo per mortem filii eius.] Articulum fidei facit Augustinus credere in nostro sacrificio Eucharistico panem & vinũ ab Ecclesia Deo offerri per gratiarum actionem, & cõmemorationem carnis Christi in cruce oblatæ, & discrimen magnum inter priora sacrificia, & nostrũ clare ostendit. Et cum in nostro sacrificio nunc mactatio rei nulla fiat, nec verum sacrificium esse potest.

CCX. Secunda probatio ipsius est Patres in plurali dicũt, nos offerre Deo in altari victimas, & sacrificare sacrificium commemoratiuum siue repræsentatiuum vnicum repræsentat sacrificium, non potest ergo in plurali efferri.] Respondeo, parũ subsidii ex hac grammatica posse peti: nam possunt multa repræsentatiua, vnicam & eandem rem repræsentare; multæ. n. statuæ Cæsaris vnicum Cæsarẽ repræsentant. Ita multi panes vnicum corpus: & multæ actiones repetitæ in consecranda & sumenda Eucharistia, dicũtur multa sacrificia vnicum repræsentantia; & multæ hostiæ offeruntur in altari, quia sæpius repetitur repositio panis in altari, vt in Eucharistiam consecretur, singulis tamen vicibus non est nisi vnica hostia, etiamsi multi panes: & plures victimæ sunt preces, gratiarum actiones, &c. præter panem, sacrificia laudis.

CCXI. Tertia, Baptism⁹ quoq; repræsentat mortem Christi: & tamen non est sacrificium: Cœna ergo ex eo quod sit repræsentatiua nõ est sacrificium.] Respondeo, Baptismus non repræsentat occisionẽ Christi; sed sepulturam eius, & nostrã in illo, seu cum illo. *Rom.6.4.* At vero Cœna immediate repræsentat ipsũ corpus Christi quatenus fuit crucifixum, h.e. sacrificatum; & vinũ sanguinem in cruce effusum; & iam dixi, non omne repræsentatiuum esse sacrificium, licet omne sacrificium sit repræsentatiuum. Vt autẽ repræsentatiuũ aliquod mortis Christi dici possit sacrificiũ, debet directe & immediate repræsentare corpus Christi pro nobis crucifixum, quod non facit Baptismus; qui sepulturam, nõ crucifixionem repræsentat: sepelire enim mactatum, non est sacrificare. Sunt tamen qui non tement baptismum quoq; vocare sacrificiũ, vt *Canus de loc. l.12.c.13.* ex eo quod Paulus *Heb.10.26.* ait voluntarie peccantibus post acceptam notitiã, nõ relinqui hostiam pro peccatis, hanc enim hostiam Baptismum interpretantur, &c. in hoc consentire videtur etiam Bellarminus *de panit. l.2.c.16.* Licet contrarium alibi *de missa l.1.c.15.* contendat.

CCXII. Quarta, In Eucharistiæ oblatione dicit Patres solere dici Deo à sacerdote, *offero tibi, &c.* At si non esset verã & realis oblatio, sed tantum imago & repræsentatio, id non posset dici.] Respondeo, & plebem & sacerdotem offerre Deo panem illum ad sanctificandum, & sic esse veram oblationem, verum tamen sacrificium non esse, nisi repræsentatiue: cum inter veram oblationem & verum sacrificium multum differt, vt *sup. num.* 200. 201.

CCXIII. Quinto, Patres sæpe addunt epitheta suo sacrificio, vt sit verum, plenum, tremẽdum, summum, verissimum, &c. non ergo solum repræsentatiuum ponebant sacrificium.] Respondeo, Illos ipsos qui hæc addũt epitheta, explicite se de solo repræsentatiuo, vel improprio sacrificio loqui declarare.

CCXIV. Deniq; probat, quia à Patribus in hoc nostro sacrificio cultus latriæ ponitur expresse; at vero commemorare crucem Christi, non est cultus latriæ, sed offerre Deo.] Respondeo, sicut offerre preces Deo est cultus latriæ, & tamen sacrificiũ verum & propriũ non est, nisi in latiori significatione; Ita nostra oblatio siue dum panem fideles offerunt consecrandum, siue dum eũdem minister offert Deo, similiter preces quæ Deo in consecratione Eucharistiæ offeruntur, sunt lato modo sacrificia, & cultum latriæ in se continent: non enim licet offerre Petro, vel Paulo, vel alicui ex sanctis nostrum panẽ vt consecretur, & fiat sacramentalis: Ita dum sacramentum ipsum sumimus, tum in memoriam passionis & mortis Christi, tum vt participes sancti corporis spiritualiter, an nõ exercemus cultum latriæ, qui soli Deo debetur? Sed non propterea sequitur; nostrum esse verum & propriũ sacrificium, quod sane sacrificium laudis à tota Ecclesia per suos ministros oblatum & vocat & explicat non inepte Petrus Damiani, *ad Leonem inclus. c.1.*

CCXV. Nihilominus longa disputatione conatᵉ Bellarminus, *de missa l.1 c.6.* verã sacrificii rationem in nostra Missa inuenire & probare, inani tamen labore, & conatu irrito, vt iam paucas ipsius probationes astringo & perstringo. Eius ꝓbationes sunt ex scriptura, ex Patribus, ex rationibus. Ex scriptura quinq; probationum capita deducit: figuras: prophetias: Euangelia: Acta Apostolorum: & Epistolas Pauli. Primam figuram exagitat Melchisedechi: ex qua tamen figura antequam quicquam pro se efficiat pluribus se tricis implicet necesse est. Primũ enim negari potest, Melchisedecum panem & vinum illud sacrificasse, sed mera humanitatis alimenta Abramo victori exhibuisse. Secundo, probari non posse, Melchisedechi sacrificium aliud non fuisse nisi panis & vini, quasi nõ potuerit & hostias ordinarias animalium sacrificare, & interdum etiam panem & vinum; si enim Melchisedech idem est qui Sem filius Noe, vt iam est ferme communis sententia, & valde probabilis, successit profecto Patri Noe in Sacerdotio tanquam primogenitus, à Patre vero didicit sacrificium Deo de cunctis pecoribus offerre *Gen. 20.* & licet scriptura neq; patrẽ neq; matrem Melchisedechi nominet, non tamẽ propterea caruit patre & matre. Ita licet eadem scriptura non memoret sacrificia quæ faciebat, nisi data occasione, panis & vini, non propterea sequitur, quod etiam alia cruenta sacrificia solitus offerre non fuerit, cum esset Sacerdos. Quod si non constat manifeste in scriptura Melchisedecum alia sacrificia offerre non consueuisse, nisi panis & vini, ad Missæ sacrificium figura hæc aut nihil aut parũ pertinebit. Tertio tametsi panis & vinum Melchisedechi figura fuerit, & typus nostrarum in Euangelio rerum, non propterea sequitur necessario, in pane illo & vino fuisse sacrificium, cui Missæ sacrificium debeat respondere. Nam etiam petra de qua fluxit aqua in deserto, fuit typus Christi, eiusq; sanguinis, non tamen petra illa fuit hostia, aut sacrificium, neque fuit sacrificata; sic manna, sic multa alia. Panis ergo Melchisedech potuit esse panis simplex, & ordinarius, & interim typus etiam rerum futurarum, sicut & panis Eliæ, &c. Quarto, Si fuit etiam sacrificatus à Melchisedeco ille panis, non inde colligitur necessitas Missæ, quia illud sacrificium erat figura corporis Christi in cruce oblati, & sacrificii in cruce vere peracti: vt iam nulla sit necessitas sacrificii Missæ ad hoc, vt figura illa expleatur. Quinto, Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech non explicatur à scriptura in quo consistat, neque panis & vini fit mentio, vbi Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech vocatur; quid ergo necessariæ connexionis habebit Missa cum

Sacerdo-

Sacerdotio Melchisedechiano? Debet, inquit Bellarminus Christus conuenire cum Melchisedecho in ratione Sacerdotii, in eo quod fuerit proprium Melchisedecho, non commune cum Sacerdotio Aaronico.] Concedo. Instat, sed non cõuenit nisi in forma sacrificii.] Nego. Patres conuenientiam ponunt cum Paulo, *Heb.* 7. 8. in perpetuitate sacerdotii, in caetéris successionis, &c. *Epiph. hær.* 55. Quod si velis ad panem & vinum potissimum confugere, conueniet Christus in Sacerdotio Melchisedechi, quia corpus suum quod erat panis viuus, *Ioan.* 6. 51. & sanguinem vino significatum Patri in cruce semel sacrificauerit. Perpetuitas autem in commemoratiuo hoc sacrificio nostro perseuerat, quam tamen perpetuitatem quoq; Epiphanius in Christo in coelis existente agnoscit. Manet, *inquit Epiph. vbi sup.* pro nobis in perpetuum dona offerens.] Sexto, Nisi sacrificiũ Melchisedechi separetur ab Aaronicis, & hoc per ipsam panis & vini oblationem, Missæ necessitatem non arguet? At vero etiam sub Aaronico sacerdotio panis *Leuit.* 24. & 7. 13. & 21. 6. & vinum *Leu.* 23. 17 offerebatur eoq̃ per se & sui ratione. Certe saltem panes propositionis soli, & per se erant oblationes Domino. *Leu.* 24. 7. Cur ergo Missa solius Melchisedechiani sacrificii erit propter panem & vinum adimpletio? Septimo, oblatio nostra panis & vini, cum rationẽ habeat quandam sacrificii, etiãsi verum & perfectum sacrificium non sit, satis illi sacrificio respondebit. Octauo, demum Melchisedechianum sacrificium, si fuit etiam verum sacrificium quãdo panem & vinum Abramo obtulit, erat tantum figura: at ex figuris dogmata non colliguntur, nisi figuræ explicatio clara in scriptura habeatur. Respondet Bellarminus, satis esse quando ex scripturis, iuxta cõmunem consensum Patrum, explicatio pro dogmate colligitur. Et in suam explicationem Patres omnes summo consensu coincidisse, libere affirmat, quod tamen falsum est. Sacerdotium enim Christi, quod secundum ordinem Melchisedech fuisse aperte testatur scriptura, in eo cõsistere præcise, quod Melchisedech panem & vinum sacrificauerit, ex Patribus, quos plures protulit Bellarmin. vix vllus expressè tradit, quos neq; ad hoc adduxit Bellarminus, sed vt probaret dũtaxat, prolationem illam panis & vini à Melchisedecho fuisse cum præcedente sacrificio, seu ad sacrificiũ spectasse. Et ex illis Cyprianus *l.* 2. *ep.* 3 Christum cum Melchisedecho comparat, tum in aliis, tum etiam in panis & vini oblatione, hoc est corporis & sanguinis sui in cruce. Et hæc nihil ad Missam. Comparat etiam *Idem serm. de cœna* Eucharistiam tanquam Sacramentũ non tanquam sacrificium, cum pane & vino Melchisedechi. Eusebius sacrificium Melchisedechi confert cum pane & vino Eucharistico à Christo primum Apostolis exhibito, tum à ministris continuato, sed expresse solam ponit mysticam repræsentationem. Ambrosius in Sacramenti erogatione ponit sacrificium Melchisedechiano respondens, profecto non nisi cõmemoratiuũ. Epiphanius est omnino contrarius Bellarmino, vt supra ostẽdi. Hieronymus Melchisedechi figuram in Christo ipso se sacrificante in cruce adimplet, non in Missa. Chrysostomus nihil aliud dicit, nisi oblatum panem à Melchisedecho Abrahamum accepisse. Sic hospes qui q; ab hospite excepitur conuiuio, ab eo panem oblatum accipit, quæ ad sacrificium nihil pertinent, multo minus ad Missam. Augustinus figuram eandem ad Sacramentum, non ad sacrificium Eucharistiæ reducit; aut ad oblationem panis in Eucharistiam consecrandi; in qua oblatione impropriũ quoddam ponitur sacrificium, etiã laicorum. In quodam vero Sermone asserit quidem Augustinus; quod producit Bellarminus; Dominum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, dum in ara ipse offert hostias: sed sermo ei illi non omnes sunt Augustini: Ac præterea, vbi Dominus dicitur esse Sacerdos qui offert in nostris altaribus hostias, de nostra Missa non est sermo, in qua non Dominus, sed minister offert. Intelligit ergo Augustinus sacrificium spirituale, quo Christus pro nobis intercedit apud Patrem, suam et rememorans passionẽ, tunc quando nos per Sacramentum altaris memoriam recolimus Christi passionis. Atque ita nullius Patris, nedum communem omnium consensum habet Bellarminus, quo illi figuram hanc ad sacrificium Missæ pertinere velint.

CCXVI. Secundam figuram pro Missæ sacrificio producit Bellarminus *vbi sup. c.* 7. & *de Euch. l.* 1. *c.* 3. Agni Paschalis: sed mirum quam in ea applicãda torqueatur, vt ex ipsa colligat, Missæ sacrificium solum esse illius figuræ adimpletiuum: & profecto in vanum laborat: Nam primum communis ei obiectio obest, dogmata ex figuris & allegoriis non posse stabiliri, nisi ex ipsa scriptura constet illam ipsam esse solam figuræ significationem, quæ dogma parit. *Aug. cont. fid. Vinc. l.* 16. Ac profecto agnus Paschalis primo & principaliter significat Christum in cruce immolandum ex Paulo: 1. *Cor.* 5. 7. Pascha nostrum immolatus est Christus quo loco abutitur Bellarminus, dum hanc impletionem figuræ agni Paschalis à Paulo positam trahit ad Eucharistiam, propter illa verba; *Itaq; epulemur in azymis sinceritatis & veritatis*, & mixturam quandam coniusam & violentam ponit vltimæ cœnæ, cum hoc Pauli dicto, quæ debet omnino separari. Inuitatio enim Pauli ad epulum non est inuitatio ad sumendam Eucharistiam, quod perperam ponit Bellarminus. In vltima cœna non est dubium Apostolos comedisse sacramẽtaliter Christi corpus, & agnum verum, per agnũ Paschalem figuratum, non tamen adhuc immolatum, sed mox immolandum. Et in illa Eucharistiæ prima celebratione immolatio non præcessit epulum, sed secuta est, contra quam fit ordinarie: fuit enim actio vnica & singularis cum præuentione vt agnus ante immolationem comederetur, qui post illam singularem comestionem, esset post immolationem perpetuo comedendus. Sicut vnctio corporum ad sepulturam, nunquam fuit solita fieri nisi post mortem hominis vngendi: & tamen Christus voluit viuus vngi à Maria sorore Lazari per præuentionem singularem & extraordinariam. Præuenit vngere corpus meum in sepulturam, ait de illa Christus *Marc.* 14. 8. Paulus vero post immolationem factam in cruce inuitat fideles vt spiritualiter perpetuum agant Pascha, viuantque absque fermento malitiæ, & azymo spiritualiter perpetuo vtantur in tota vita, quæ semper in sinceritate & veritate bonorum motuum sine fermento malitiæ peragatur.

CCXVII. Deinde fallitur Bellarminus, dum requirit, vt figuratum in omnibus figuræ resp ondeat. Sic enim etiam figuratũ ipsum esse deberet rursus figura: nam figura ante omnia est figura, & habet in se vt figuret aliquid: Sic vero progressus esset in infinitũ, si id quod adimplet figuram debeat rursus esse figura. In hac sane agni figura verũ est, quod agni typici immolatio significat veri agni Christi veram immolationem: & sic immolatio esset figura, & alia immolatio esset figuratum: At vero hoc nõ semper contingit. Nam serpens appensus in ligno non immolabatur, & tamen Christum significabat in cruce immolandum, nec ideo ille serpens non erat vera & perfecta figura: sic manna, & alia. Si ergo vult Bellarminus, agnũ Paschalem fuisse figuram Eucharistiæ, nõ renuo, sed non

propterea

propterea requisito vt in Eucharistia adsit Immolatio, & sacrificium proprie, sicut proprie agnus ille sacrificabatur. Nec potest negare, in alijs quoque agnum Paschalem cum Eucharistia non conuenire; puta quod ille cruente immolabatur, Eucharistia vero incruente. Ille initio quidem à quocunque fidelium, praesertim à Patre familias cuiuscunque tribus: Eucharistia vero non nisi à Sacerdotibus: sunt & aliae multae differentiae. Et quas ipse Bellarminus affert, conuenientiae, neque necessario rem concludunt, quia illas verae figurae de se non necessario postulant: quis enim neget transitum maris rubri Exod. 14. 22. fuisse figurã Baptismi, & tamen Baptismus non fit fugiendo non cum curribus & equitibus, non necessario illa ipsa die Mensis, & in vigilia matutina, nec cum infinitis alijs circumstantijs. Neque illae omnes conuenientiae sunt verae. Non enim ipsa quartadecima die primi Mensis celebrata est coena vltima à Domino, sed decima tertia, vt suo loco probabo. Neque Pascha Iudaeorum celebrabatur in memoriam transitus à morte ad vitam, sed in memoriam transitus angeli percutientis primogenita qui pertransibat domus Iudaeorum. Exo. 12. 13.

CCXVIII. Quaerit Bellarminus, quando potissimum adimpleta sit figura agni Paschalis? Respondeo, Adimpleta est perfecte in Christi morte in cruce, quia illa ipsa die (etiamsi hoc non sit necessarium) quartadecima primi Mensis, paulo ante vesperam, hoc est circa meridiẽ Christus immolatus est; & haec immolatio commemorat nobis transitum Domini, vt nos signatos sanguine illius, Angelus percutiens pertransiret, commemorat nostram liberationem à potestate Aegyptiorum, hoc est daemonum. Aliae minutae circumstantiae inepte à Bellarmino requiruntur: quas tamen ne in Eucharistia quidem ille potest omnes inuenire: licet negandum ei non sit, Agnum Paschalem fuisse aliquo modo figuram etiam Eucharistiae, imo potius figuram, cui alia figura ei similis succederet, vt sicut agnus erat figura Christi immolandi, ita Eucharistia esset figura ordinaria Christi iam immolati, prior duraret vsque ad Christi mortem, posterior post Christi mortem ad finem saeculi, prior esset verum sacrificium figuratiuũ rei futurae, posterior esset oblatio quaedam & sacrificium improprium, & lato modo sumptum, figuratiuum tamen & commemoratiuum rei iam praeteritae. Agnus ille quatenus mactabatur & immolabatur erat sacrificium, non quatenus comedebatur, & ideo quatenus mactabatur erat figura Christi immolandi; at vero quatenus etiam comedebatur fuit figura non sacrificij illius, sed Sacramenti Eucharistiae: & comestioni agni, respondet comestio huius Sacramenti. Certe Iustinus *dial. cum Tryph.* ita scribit, Agnus enim qui assus redditur, carnes, dum, vt ita dicam, assantur speciem crucis praeferunt: vnum enim rectum veru ab infimis partibus ad caput peruenit: vnumque rursum quod per dorsum pertinet, cui agni pedes coniunguntur.] Alii quoque Patres adstipulantur.

CCXIX. Tertiam figuram affert *Bellar. de Euchar. l. 1. c. 3. & de Missa l. 1. c. 8* dedicationem & celebrationem veteris testamenti, quae solenni sacrificio, & aspersione sanguinis firmata fuit. *Exod. 24. 8. & Heb. 9* 20. Cui respondit, inquit, institutio Eucharistiae, in qua dixit Christus. *Luc. 22 20. Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, & Matt. 26. 28. Hic est sanguis meus noui testamenti.* Conaturque ostendere Bellarminus in Christi crucifixione non fuisse plene adimpletam hanc figuram.] Sed fallitur. Profecto Christus quando porrigebat Sacramentũ sanguinis suis Apostolis in vltima coena, nihil sacrificabat. Sicut neque qua vetus testamentum firmatum fuit, aspersio sanguinis, fuit sacrificium, sed mystica & Sacramentalis ceremonia, repraesentans tamen effusionem sanguinis in cruce secuturam. sic vinum mysticum porrectum Apostolis erat typice sanguis mox effundendus. *Matt 26. 28. Hic est sanguis qui pro multis effundetur:* Itaque si quam tunc testamenti noui confirmationem faciebat sanguis ille sub typo vini, non eam faciebat vt sacrificiũ praesens, sed vt Sacramentum duntaxat, continens tamen in se sacrificium commemoratiuum. Et sic reuera tota firmatio pacti noui & promissionum Christi facta est, non per adumbratam, sed per realem sanguinis effusionem; quae vero de conditionibus condendi testamenti subtilius rimatur Bellarminus, vt eas in Eucharistia & non in cruce inueniat, sunt satis friuola: non enim agimus, nisi per aliquam similitudinem, de testamentis priuatis bonorum temporalium, quorum testamentorum omnes proprietates indagare in bonis spiritualibus vanum est. Nam testamenta priuata sanguinis aspersione non firmantur: & Paulus ex similitudine priuati testamenti, vt effectum habeat, deducit necessitatem mortis Christi, alias conditiones praetermittit.

CCXX. Adhuc tamen ad subtilitates Bellarmini in particulari respondeo, Christum suum condidisse testamentum in tota sua vita, dum saepius paciscebatur quid ipse facturus fuisset, & fidelibus daturus si illi crederent, amarent, seruirent, obedirent, &c. Euangelia omnia plena sunt; & merito totum Euangelium vocatur nouum testamentum: neque igitur condidit illud in vltima coena, neque in cruce: sed tamen in cruce sanguine suo adhuc viuus obsignauit, quod in vltima coena non fecit, nisi commemoratiue, & typice. Respondeo Christum quando testamentum suũ condebat fuisse plene sui iuris, quia in tota sua vita, antequam caperetur, illud condidit, & tandem iam conditũ sanguine firmauit, & morte confirmauit. Sed praeterea parum apte negat Bellarminus, Christum fuisse sui iuris, etiamsi in cruce ipsa diceremus ab eo conditum & firmatum testamentum. Nam neq; legib. ciuilib. suberat, neq; iure captiuus & damnatus erat, sed de facto tantũ; neq; demũ de bonis temporalib. & mundanis testabatur, sed de spiritualib. ratione quorum nunquam libertas per vlla vincula amittitur. Respondeo, in testando non esse necessarium vt mandata fiant: plenissimum est testamentum si Titius dicat, se Semproniũ ex asse haeredem constituere, etiamsi illi nihil mãdet. Et potius bonorum dispositio spectat ad testamentũ quam Christus fecit in cruce, dum suam matrem discipulo commendauit, quod in coena non fecit. Sed ista sunt minutula indigna quae in re tam graui considerentur. Neq; enim dicimus in cruce conditũ fuisse testamentũ, sed iã conditum in tota vita, sanguine fuisse firmatum, ad explendam figuram propositã; quando igitur condebat testamentum, tunc promissiones faciebat, tunc Ecclesiam & testes conuocabat, &c. Respondeo, In coena nominatũ fuisse testamentũ in ordine ad crucẽ, & cum respectu ad eã, quippe sanguine in cruce roborandum. Respondeo deniq;, instrumentum publicum in coena nullum factum: perperã enim Institutio sacramenti vocatur publicum instrumentum: hoc enim scriptione fit, non manducatione. At vero de cruce sunt illa scripturae loca. *Isa. 49. 16.* Ecce in manibus meis descripsi te.] *Iob. 19. 24.* Stylo nimirũ ferreo clauorum. *Col. 2. 14.* Delens chirographum decreti affigens illud cruci.] Chirographum nostrae condemnationis in cruce affixum audio---Maneat ergo, figuram quoq; hanc in cruce esse perfecte adimpletam, & nihil ad Missae sacrificium eam conferre.

CCXXI. Addit, in genere omnia vera sacrificia veteris legis fuisse typos ac figuras sacrificii Eucharistiæ, ex quo colligi vult, etiam Eucharistiam verum sacrificiũ esse debere. Ego vero respondeo, omnia vetera sacrificia fuisse proxime & immediate figuras sacrificii in cruce peracti, & illud verissimum & propriissimum sacrificium adimplesse figuras oẽs veterum sacrificiorum. Obiicit Bellarminus, Patres multa sacrificia vetera & figuras Eucharistiæ agnoscentes. Respondeo, Tertullianum nequaquam asserere, sacrificium Abel fuisse figuram sacrificii Eucharistiæ, & nescio quomodo Bellarminus potuerit affirmare, Tertullianum id aperte asserere. Asserit vero contrarium *advers. Iud. c.* 1. nimirum sacrificium Caini, significasse sacrificia Iudæorũ carnalia & terrena: sacrificium vero Abelis significasse sacrificia populi Christiani spiritualia, cordis contriti, laudis, &c. Iustinus, *dial. cum Tryph.* similæ sacrificium pro leproso offerri præceptum, *Levi.* 14.10. quasi simulachrum vocat panis Eucharistiæ, quem, *inquit*, mortis suæ recolendæ causa, quam pro iis quorum animi ab omni scelere expiarentur, pertulit Iesus Christus D. N. faciendum tradidit, vt Deo gratias agamus, &c.] Itaque Iustinus in Eucharistia triplex agnoscit sacrificium, & semper improprium; vnum in oblatione panis ad Eucharistiam conficiendam: alterum commemoratiuum passionis: tertium gratiarum actionis: quæ tria respondere vult sacrificio illi illius similæ leprosorum. Chrysostomus *in Ps.* 95. non de Eucharistia directe, sed de sacrificio crucis loquitur: ipsum esse vnum quod complectitur omnia vetera. Nam in ipsa mensa Christi de qua loquebatur, eleuat se ad ipsum Christũ qui in hac mensa repræsentatur: subdit enim, Primum nostrum sacrificium esse spirituale hoc ac mysticum donum, nempe Eucharistiæ: quod tamen donum esse illud ait, de quo Paulus *Eph.* 5.1 sic loquitur. Imitatores estote Dei, tanquam filii carissimi, & ambulate in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, tradiditque semetipsum pro nobis hostiam, &c.] Quis non videt igitur, donum Eucharistiæ esse nobis sacrificium in Chrysostomo, quia commemorat nobis Christum factum nostram hostiam in cruce? Et tamen ibidem Chrysostomus habet decem sacrificia populi Christiani quæ succedant sacrificiis Iudæorum, omnia tamen spiritualia, & impropria, videlicet, Eucharistiã, Martyriũ, Preces, Laudes, Iustitiã, Eleemosynã, Cõpunctionem, Humilitatẽ, Prædicationẽ, Fructificationẽ. Augustinus *de Ciuit. l.* 17. *c.* 20. de mensa, vt est cõmemoratiua passionis loquitur: ita vt sacrificium nouum, quod dicit omnib. successisse veterib. sit illud sacrificium quod in Eucharistia cõmemoramus. Ita enim expresse docet idem Augustinus *cont. Faust. l.* 6. *c.* 5. vbi de sacrificiis veteribus ait, Et ipsa figuræ nostræ fuerunt; & omnia talia multis & variis modis vnum sacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, significauerunt.] Item, *ibid. l.* 20. *c.* 21. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.] Sed neque repugnandum est, si quis velit loco veterum sacrificiorum in Ecclesia Christiana in ea alia successisse hoc ipsum quoque sacrificium improprium, quo in Eucharistia offerimus Deo Patri corpus Filij eius, sub typo panis repræsentatum, in memoriam ipsius passionis. Idem dico de Leone, & aliis. Et addo, seu potius repeto, ex figuris quæ varias patiuntur interpretationes, dogma certum non posse colligi. Etsi enim aliqui, & aliquando Patres, sacrificia vetera, vel nonnulla vel omnia in quodam Eucharistiæ sacrificio adimpleri dicant, alij tamen, vel etiam sæpe idem, vt vidimus nunc Augustinum, in cruce potissimum ea adimplent, vel etiam alio modo. Veniamus ad prophetias.

CCXXII. Prima est 1. *Reg.* 2.35. de Cessatione Sacerdotij Heli, & mutatione in aliud Sacerdotium.] Sed hæc prophetia habet plures explicationes: est ergo præsenti negotio inutilis. 2. *Prov.* 9.2. Sapientia immolat victimas, miscet vinum, ponit mensam. Sapientia tamen est ipse Christus, qui immolauit suum corpus & sanguinem fudit: quod corpus, & qui sanguis significatur per vinum & mensam.] Sed hic locus habet etiam alias interpretationes extra Eucharistiam. Glossa interlinearis sic exponit. Diuinitatis secreta capere non valentibus assumptæ humanitatis Sacramenta patefecit, & scripturæ sacræ pabula nobis aperiendo præparauit.] Alij etiam aliter. 3. *Isa.* 19.21. Aegyptij colent Deum in hostiis & muneribus. Hanc tamen prophetiam intelligit Cyrillus in hunc locum de sacrificiis Christianorum spiritualibus, non de Eucharistia. Ergo etiam altare potest intelligi spirituale: nec est necesse vt ponamus ipsum visibile. 4. *Isa.* 66.21. Assumam ex eis, *gentibus*, Sacerdotes & Leuitas.] Sacerdotium perpetuum deducit hinc Bellarminus pro Christianis, & consequenter sacrificia. At satis est quod ex Gentibus factis Christianis assumat Christus ministros suos, qui sacrificia offerant illa impropria, Deo tamen acceptissima: & prædicent Christum, sacramentaque ministrent. 5. *Dan.* 8.11. & 12.11. Antichristus auferet iuge sacrificium, nempe Missam, ait Bellarminus.] At litera loquitur de Antiocho, & de iugi sacrificio Iudæorum. Quod si Antiochus sit figura Antichristi, sicut iuge sacrificium erat agnorum matutini, & vespertini, ita apud Christianos tali iugi sacrificio respondere debet oratio, & gratiarũ actio facta Deo in initio & in fine diei: *Ps.* 140.2. Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum: Antichristus auferet has preces & orationes, ne Deo fiant, neq; Christo, sed vt ipse tanquam Deus colatur. Et sane allegoriæ debilissima suppeditant pro dogmatibus argumenta.

CCXXIII. Malachiæ prophetiã *Malach.* 1.11. pluribus vrget Bellarminus *de Missa l.* 1. *c.* 10. quæ respuit sacrificia Iudæorũ, & inducit pura sacrificia Christianorũ.] Sed oẽs ipsius subtilitates sunt meræ vanitates: siquidem Patres locũ Malachiæ passim intelligunt de nostris sacrificiis spiritualib. inclusa interim sæpe & nostra panis in Eucharistiam oblatione, & sacrificio per eandẽ Eucharistiã passionis commemoratiuo. Sic Iustinus *cum Tryph.* allata Iudæorũ huius loci interpretatione, quæ erat, Deum in Malachia nõ approbare Israelitarũ quæ essent in Iudæa, quæ tunc fiebant sacrificia; preces autem illorum Iudæorum qui tum dispersi essent, eundẽ sibi acceptas esse dixisse, eorumq; preces sacrificia vocare.] hanc interpretationẽ nõ respuit omnino Iustinus: Preces quidẽ, *inquit*, & gratiarum actiones bonorum, perfectas solas esse, & Deo gratas hostias ego quoque concedo; hæc enim sola facienda acceperunt Christiani, in aridi humidique sui cibi commemoratione, in quo etiam mortis---memoria recolitur.] Admittit igitur, sacrificia illa grata Deo in Malachia esse preces. Sed refellit mox id, qđ illi dicebant, preces hasce intelligi Iudæorum dispersorum, & probat has preces esse Christianorum, iuxta Malachiæ prædictionem. Atque in ipsamet Eucharistiæ ratione sacrificii ponit, & in ipsis precibus, & in commemoratione Christi passionis, vt supra etiam obseruaui: ait enim, ipso cibo nostro arido & humido, id est pane & vino, nos mortis Christi memoriam recolere.

Hoc

Hoc non est causam sacrificii assignare, vt vult Bellarminus, sed ipsummet sacrificium exponere: ait enim, nos in ipsa commemoratione aridi & humidi, hostias illas Malachiæ Deo gratias offerre.

CCXXIV. Irenæus quoque locum Malachiæ ita de oblatione Eucharistiæ intelligit, vt tamen & sacrificium ponat in ipsa nostra panis oblatione, quæ sit creatura Dei, vt supra vidimus *num.* 202. & addat etiam preces esse illa sacrificia à Malachia prædicta. & quicquid nos ad Dei cultũ & in eleemosynas ex nostris rebus offeramus: quod n. ait Malachias, *in omni loco incensum Deo offerendum*, id de orationibus nostris intelligit Irenæus, *l.* 4. *c.* 33. *Ibid. c.* 4. incensa autem, *inquit*, Ioannes in Apocalypsi, orationes esse ait Sanctorum.] & addit: Offerimus autem ei, nõ quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quæ à nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo: Sicut Salomon ait *Prov.* 19.17. Qui miseretur pauperi fœneratur Deo. Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc vt præstet nobis retributionem bonorũ suorum.] Et affert loca ex Euangelio, *Matt.* 25.35. *Esuriui, & dedistis mihi manducare &c.* & tandem sic concludit Malachianæ propheticæ considerationem. Ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter, sine intermissione. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur, & ad templum: quemadmodum Ioãnes in Apocalypsi ait, c. 11.9. & 21.22. *Et apertum est templum Dei, & tabernaculum, &c.*] Quare Irenæus sacrificia nostra à Malachia significata potissimum intelligit spiritualia.

CCXXV. Tertullianum certe immerito trahit Bellarminus, *de Missa l.* 1. *c.* 15. vt locum Malachiæ de sacrificio Missæ velit eum explicare. Tertullianus enim *lib.* 3. *cont. Marcion.* explicat Malachiam de sacrificio spirituali precum, laudis, gratiarum actionis, & signationis, ait enim. Signum, tau, T. speciem crucis, quam prætendebat, *inquit*, futuram in frontibus nostris apud veram, & Catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos *Psal.* 21. canit ex persona ipsius Christi ad Patrem, *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ hymnum dicam tibi.* Quod enim in nomine & Spiritu ipsius hodie fieri habebat, merito à se futurum prædicabat. Et Paulo infra: A te laus mihi in Ecclesia magna: & in 57. In Ecclesiis benedicite Dominum Deũ.] Atque vt confirmaret Tertullianus prædictiones hasce de glorificando & laudando Deo in precibus & hymnis pro tempore Christianorum, statim subdidit, vt pariter concurrat & Malachiæ prophetia: non est voluntas mea, dicit Dominus, & sacrificia vestra non accipiã & in omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum: Gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus & hymni.] Hic sane nihil de Eucharistia, nihil de Missa; neque vlla ratione potest hoc loco Tertullianus Bellarmino inseruire: Vt tamẽ cogat illum sibi aliquo pacto obsequi, producit illa quoque sequentia Tertulliani verba, ad Marcionem directa; Quæ omnia cum in te quoque deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum sacramẽta, & munditiæ sacrificiorum.] Hic addito. *&c.* sistit, non absque arte, Bellarminus: quia vult nobis persuadere, Tertullianum loqui de Sacramento Eucharistiæ, in quo sit mundicies sacrificiorum. Sed non potest nisi simplices, & nimiũ rudes fallere, dum sub suo, *&c.* reticet ista; debes iã erumpere, vt dicas, spiritum creatoris tuo Christo prophetasse.] Et huius obiectionis sensus est: Nos ex prædictionib. sacræ scripturæ colligimus, nostrum Christum esse Dei creatoris filium, quia in eo verificari cernimus quæ Deus creator de suo filio prædici voluit: Et eum etiam tu cum tuis assectis Baptismum sumas, & Baptismi confirmationem, & Sacramentis Ecclesiasticis vtaris, mundiciemque sacrificiorum laudis benedictionis precum, &c. de quibus prophetæ iam citatæ loquuntur, delecteris: iam superest vt dicas de tuo illo Christo, quem creatoris non vis esse filium, Deum creatorem hæc prophetari voluisse. At certe quod Marcionitæ Missæ sacrificium celebrarent nihil constat in Tertulliano.

CCXXVI. Tertulliani profecto illa constans est sententia, sacrificia Christianorum esse spiritualia laudis, precum, benedictionis, &c. Nam alibi quoque eundem Malachiæ locum tractãs, hæc habet: *Tertul. aduer. Iudæos, c.* 5. Inuenimus præscriptum populo Israëli *Leuit.* 7.6. vt sacrificia nullo in loco offerrentur Deo quàm in terra promissionis, Cur itaque postea per prophetas prædicat spiritus, futurum vt in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut ipse per Malachiam dicit, *Non recipiam, &c.* Item in Psalmis Dauid dicit, *Adferte Deo Patriæ gentium, &c.* Namque quod non terrenis sacrificiis sed spiritualibus Deo litandum sit ita legimus vt scriptum est. *Cor contribulatum hostia est Dei,* & alibi. *Sacrificia Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. De spiritualibus sacrificiis addit, dicens, *& in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.*] Hæc Tertullianus: qui clare explicat, quid intelligat nomine sacrificii spiritualis: & tamen, quasi essemus cæci hæc nobis, tanquam de Missæ sacrificio dicta obtrudit Bellarminus, quod spirituale dicatur à Tertulliano, quia à Spiritu sancto est, quod non est Patrum dicta interpretari, sed manifeste subuertere. Iam vero etiam tertio idem Tertullianus *adu. Marcion. l.* 4. locum Malachiæ de spirituali Christianorum interpretatus est sacrificio: his verbis. Et in omni loco sacrificium nomini meo offeretur, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio, de conscientia pura.] Verba ergo illa Malachiæ, *sacrificium mundum*, non ea quæ habet de incẽso (quo se frustra *ad Scap.* recipit Bellarminus) exponit Tertullianus, & de oratione pura interpretatur. Sicut & vbi ait, Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius.] Quomodo sacrificatis? num Missas celebratis? nequaquam. Sed quomodo, *inquit*, præcepit Deus pura prece.] Alii Patres quos pro sua interpretatione producit Bellarminus, vel ab eo cum magna violentia trahuntur ad Missam, vbi illi de ea ne cogitant quidem; aut locum Malachiæ illi accommodant Sacramento Eucharistiæ, quatenus in eo vel est oblatio panis, vel sacrificium commemoratiuum passionis, certe nullus expresse de vero aliquo & proprie dicto sacrificio Christianorum Malachiã est interpretatus, & præcipue illi quos iam explicaui, expresse, omissa Eucharistia siue Missa, locum sunt aliter interpretati. Igitur ex eo nihil dogmaticum potest colligi. Profecto Augustinus *de ciuit. l.* 10. *c.* 5. & 6. in locum veterum sacrificiorum pluribus ostendit, sacrificia nostra spiritualia, pœnitentiæ, beneficentiæ & bonorum operum successisse.

CCXXVII. Accedit ad Euangelium Bellarminus, & ponderat primum ea quæ *Ioan.* 4.21. de adoratione dicta intercesserunt inter Christum & mulierem Samaritanam, ac contendit *de Missa lib.* 1 *cap.* 11. illa

omnia eſſe intelligenda de ſolis ſacrificiis, & à Christo prædicii idem, quod prædictum eſt à Malachia. Mihi vero, ſicut dubium non eſt eo loco ſermonem eſſe de cultu Dei, olim per legem certo loco alligato; ita certum eſt, non ſola vere & proprie dicta ſacrificia fuiſſe lege loco certo alligata: ſed plures etiam alias ceremonias externas. Non modo enim in loco, quem elegiſſet Dominus vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, offerebantur holocauſta & victimæ, ſed etiam decimæ, & primitiæ, vota, donaria, & primogenita, certa cōuinia celebrabantur; *Deut.* 14.23. & 26.2. Phaſe ſimiliter non ſolū immolabatur, ſed etiā cū certis ceremoniis comedebatur, *Deut.* 16.6. & non niſi in certo loco quem Dominus elegiſſet, qui vltimo fuit Hieruſalem. Adorare ergo Dominum in quocunque loco, & non amplius in vno ſolo, eſt proprium Christianorum, vt vbique debitum Deo cultum exhibeant, ſiue ille ſit oblationum, & quorundam improprie dictorū ſacrificiorum, ſiue cuiuſcumq; ritus & ceremoniarum, & erga Deum deuotionis vt optime explicat Ianſenius ex modernis, vbi hunc ipſum locū Samaritanæ cōſiderat *in ſua cō. ord. c.* 23. Porro, *inquit*, adorationis noie totus Dei cultus intelligendus eſt.] Et quando Christus ait, *Venit hora quando neque in monte hoc, neq; in Hieroſolymis adorabitis patrem:— in ſpiritu & veritate*. Significat, abolendam eſſe illam diſtinctionē, vt quidā cultus non niſi certo loco Deo exhibeatur: & omnem diuinū cultum vbiq; locorum Deo fore præſtandum.

CCXXVIII. Alter locus ex Euangelio quem profert Bellarminus, *de Miſſa. l.* 1 *c.* 12. eſt is, vbi Sacramenti Eucharistiæ prima inſtitutio narratur, additis etiam iis quæ à Paulo in hoc genere ſcribūtur, *Matt.* 26 *Marc.* 14. *Luc.* 22. & 1. *Cor.* 11. Ex his conatur ipſe conficere & perſuadere, Christū in vltima cœna ſe ipſum ſub ſpecie panis & vini Patri obtuliſſe, & iuſſiſſe Apoſtolis, vt idem ipſi eorumq; in perpetuum ſucceſſores facerēt: & in hoc verum & proprium fuiſſe contendit ſacrificium. Ac probat præſertim ex Christi verbis: *Hoc eſt corpus quod pro vobis frangitur, & ſanguis qui pro vobis funditur*. Ergo, *inquit*, & corpus Christi ſub ſpecie panis frāgebatur: & ſanguis ſub ſpecie vini fundebatur, & bibebatur. Res tamen tanti momenti vnde dogma ſummopere periculoſum ſtatuatur. non eſt tam debili aſtruenda fundamento, ex mera Grammatica: cum ſenſus Grammaticalis longe melius ferat in præſenti negotio temporis præſentis verba ſub futuro, quam vt de præſenti proprie intelligantur: & quod Bellarminus obiicit Kemnitio, ipſum non probare verba illa intelligenda eſſe de futuro, hoc idem ipſi debet ſimiliter obiici, illum non probare, verba illa neceſſario intelligenda eſſe ſub pſenti: cum libenter fateatur, in Scriptura ſolere verba de pſenti intelligi p futuro. Ac certe optime Caietanus in 1. *Corint.* 11. verba etiam temporis pſentis ad paſſionem Christi iam proxime imminentem extendi docet.

CCXXIX. Sed ego probo etiam neceſſario eſſe de futuro accipienda, & de præſenti non poſſe eſſe vllo modo vera. Corpus enim quod proprie ſacrificatur, proprie etiam in ſe vulneratur, occiditur mactatur, & eius ſanguis vere & proprie venis exit, & extra ipſum corpus funditur; alioquin corpus illud quod eſt vera hoſtia & victima. vere & proprie in ſe non ſacrificatur, licet typice & repræſentatiue in aliquo alio, & non in ſe mactetur ſeu ſacrificetur. Sit ergo verum; quod tamen falſum eſſe oſtendimus; ſub ſpecie panis fuiſſe ſubſtantialiter corpus Christi, & ſub ſpecie vini ſanguinē, quando Christus ſuos Apoſtolos primum communicauit, certe corpus Christi in ſe neque vulnus, neque mactationem, neque mortem accipiebat: neq; ex venis ipſius ſanguis vllus effluebat, & nullo pacto poteſt dici, corpus Christi tunc factum fuiſſe ſub ſpecie panis, licet ipſæ ſpecies panis frangerentur, in typum & ſimilitudinem fractionis, id eſt, occiſionis veræ & realis mox futuræ; ſicut neque vlla ratione dici poteſt, ſanguinem Christi tunc extra venas fluxiſſe, cum ſpecies vini è calice in os & ſtomachum Apoſtolorum fundebantur: ſpecies enim vini tunc effundebantur, & ſi vis, etiam libabantur, ſed ſanguis Christi intra ſui corporis venas manens, ſub illis ſpeciebus aderat quidē ſubſtantialiter ex nunc per me datis, ſed nō conceſſis, non tamen fundebatur: & conſequenter nullum ibi erat aliud, ſed neque eſſe poterat verum corporis Christi ſacrificium, niſi typicum, cōmemoratiuum, & repræſentatiuum: & tale ſolum, non aliud ſacrificium, vt per nos etiam fieret, mandabatur.

CCXXX. Et quia contendit Bellarminus, Christi corpus tunc fuiſſe victimam in cœna illa, & conſequenter præceſſiſſe immolationem.] Reſpondeo, ſi donetur ei præſentia illa per tranſubſtantiationem, tunc corpus Christi non fuiſſe vere & proprie victimam iam factam: fuiſſe vero victimam adhuc viuam, & ſacrificio proximo deſtinatam, nondum actu immolatam, ſed immolationi proximam: ac ſub typis, ſeu ſi vis, ſpeciebus panis & vini, myſtice tantum, & repræſentatiue de futuro latentem. Nunc vero in noſtra Miſſa multo minus dici debet victima ipſum verum Christi corpus, ſi ibi adeſt corporaliter, quia iam Christi corpus non eſt victima morti deſtinata: ſed erit victima noſtra perinde in altari, ac eſt in cœlo, hoc eſt commemoratiue & repræſentatiue de præterito. Oblatio quidem poſſet eſſe corpus Christi in Miſſa, ſi, vt dixi, adeſſet, vt noſtri volunt, per tranſubſtantiationem; ſiue etiam vt aliqui commenti ſunt, per conſubſtantiationem at ſacrificium eſſe non poteſt. Oblatio enim poteſt eſſe re integra tota ſalua; at ſacrificiū eſſe non poteſt ſine hoſtiæ interitu & conſumptione, aut ſaltē mactatione. Corpus vero Christi vbicunq;, & quomodocunque ponatur, extra crucem integrū & illæſum perſeuerat. Itaq; e neque ſacrificabatur vere in vltima cœna, licet offerretur Patri; neque in Euchariſtia ſimiliter amplius ſacrificatur, licet offeratur: & tanto minus, quod ipſe ſolus eſt ſacerdos, qui per ſe ſolum & nunquam per alios, ſe ipſum vere, & proprie ſacrificauit. Neque poteſt à nobis actio vlla aſſignari quæ ſit vera ſacrificatio ſeu immolatio, niſi illa quæ in cruce peracta eſt. Eſt enim imperceptibile, quod ait Bellarminus, actionem illam qua Christi corpus ad Dei honorem ſuper menſam ponitur & cōſummatur, idque ad Christi paſſionem repræſentandam, oblationem & immolationem eſſe dicendam.] Illa enim actio noſtra presbyterorū hominum eſt, nō Christi; at homo purus non poteſt Christi corpus immolare: & præterea in hoc ſacrificio vera hoſtia integra & illæſa manet; poteſt ergo eſſe oblatio. ſed non immolatio. De qua agam etiam inferius. Quia tamen corpus Christi ſubſtantialiter in Euchariſtia non adeſt, vt ſuſe iá probaui, tanto certius eſt, & manifeſtius, verum ſacrificium corporis Christi, præter crucifixionem realem, ſemel factam, nullam eſſe.

CCXXXI. Ex Actis Apoſtolorū, *c* 13.2. vbi de quadam expeditione Pauli agitur q̄ facta eſt miniſtrantib. Domino Eccleſiæ Antiochenæ miniſtris, probat Miſſæ ſacrificium Bellarminus, *ibid. c.* 13. quod miniſtrare Domino non ſit aut concionari, aut Sacramenta miniſtrare. Sed & hoc eſt leuiſſimum argumentum: ſenſus enim eſt, dū illi miniſtri, inter quos erat & Barnabas & Saulus, ieiuniis inſtarent, & in diuinis miniſteriis Verbi & Sacramentorum occuparentur, Spiritum

San-

Sanctum dixisse, *segregate mihi, &c.* Domino enim ministrare est in ministerus à Domino institutis, & ordinem exerceri.

CCXXXII. Ex Apostolo demum 1. *Cor.* 10. 16. Missæ sacrificium probari ait idem Bellarminus, *ibid.* c. 14. *Calix benedictionis, &c.* Vis eius argumenti in eo consistit, quod Paulus comparat per antithesim mensam Eucharistiæ, cum altari idolorum: & vult hinc sequi, sic vt in altari idolorum erant sacrificia, ita in nostra mensa esse sacrificium.] Sed in his frustra laborat. Comparatio enim Pauli talis est: ne participetis de idolothytis, cum participes sitis Eucharistiæ: non enim simul cum fructu potestis participare & de mensa Domini, & de mensa Dæmoniorum: & considerat Paulus ipsos cibos, alterum sacrum, alterum execrandum: execrandos quidem ideo execrandus, quia idolis per sacrificia consecratus: at vero Eucharistia non ideo sacra, quia similiter per sacrificium sit sanctificata, sed quia benedictione sacra facta est, quæ benedictio aliquo modo sacrificium est, sed non proprium: sicut forte nec sacrificia gentilium erant amplius vera sacrificia, nisi externa actione materialiter. Nam neq; hostiæ Iudæorum tempore Pauli erant amplius vera sacrificia, licet vero Deo fierent, quia iure iam cessarant, & Christi sacrificiũ in cruce ea extinxerat, ideoq; sacrilegia erant, & consequenter non nisi æquiuoce sacrificia; ac propterea quoq; participationẽ vetat Paulus ne qui cibum sacrum, per veram & sanctam benedictionem consecratum sumunt, cibo alio profano se polluant, & contaminent; qui cibus profanus non ex vero sacrificio, sed ex sacrilega actione, externe tantũ sacrificio simili, erat impurus: cõtra vero sacer cibus noster purus & sanctus erat ex alia pura & sancta actione, quæ verũ tamen sacrificiũ nõ esset, sicut nec vero sacrificio contrarius cibus erat immolatus, & sic omnib. Bellarmini probationib. ex scriptura ductis, satis vt arbitror, licet cõpendiose, responsum est Sequũtur duæ eius probationes, altera ex Patrib. altera ex ratione. De Patrib. satis multa dixi, eosque omnes ferme, tantum præcipuos, eripui in præcedentibus.

CCXXXIII. Confirmat tamen hæc omnia Bellarminus ib. c. 16. ex eo, quod in Ecclesia antiquus sit vsus & nomen altarium: altare vero & sacrificium sunt correlatiua.] Respondeo, quale sacrificium, tale altare: sacrificium improprie, altare improprie. Et si Patres sæpe altaria nominant, sæpe etiam imo fortasse etiam sæpius Mensas vocant. *Optat. lib. 2. Aug. de verb. Domini serm. 46. &c.* Si nomen altaris arguit sacrificium, nomẽ quoque Mensæ arguit conuiuium. Sic etiam nomen Sacerdotis potest recte tribui cuicunq; qui det sacra, sacraque ministret, *Bellar. ib. c.* 17. etiam quocunq; modo sacrificet, siue proprie, siue improprie. Ideo Petrus 1. *Pet.* 2. 5. fideles omnes Deo sacrificia offerentes vocat Sacerdotes, vbi omnium Christianorum regale ponit Sacerdotium. Sic nostræ liturgiæ non supponunt verum sacrificium, *Bella. ib. c.* 18. sed tantum supponunt oblationes Deo factas, tum creaturarum panis & vini, tum precum & gratiarum actionis: tum corporis etiam Christi per memoriam, typum, repræsentationem. Dicitur etiam à Patribus *ibid. cap.* 19. offerri pro aliquo hoc sacrificium, quatenus occasione sacræ cœnæ publicæ fierent orationes pro Regib. & pro aliis. Veniamus ad rationes.

CCXXXIV. Prima ratio sumitur à Bellarmino *ibid. cap.* 20. ex coniunctione legis & sacrificii. Contendit enim. Religionem omnem secum necessario ferre sacrificia aliqua externa.] Ego vero distinguo de sacrificiis, aliqua sunt magis proprie, secundum vsum Scripturæ, sacrificia, sed minoris precii minorisque valoris apud Deum, & minoris vtilitatis quoad fideles: alia sunt, quoad nominis significationem sacrificia minus proprie sic dicta, quæ tamen longe maioris sunt apud Deum precii, & apud nos vtilitatis. Religio itaque vera necessario debet habere sacrificia secundi generis: primi vero generis sacrificia non sunt necessaria religioni, nisi quatenus ea iubeat Deus præcepto suo positiuo: At vero sacrificia secundi generis mandata, sunt ea, quæ sunt maxime necessaria præcepto diuino naturali. Sacrificiorum prioris generis præcipua bonitas quam illa habent, est mysterium & significatio veri sacrificii futuri; sed illa per se ad iustificandum hominem coram Deo nihil valent, vt dicam in sequentibus. Sacrificia vero secundi generis semper & sub quacunque lege, siue naturæ, siue Mosaica, siue Christi, homini fideli plurimum profuerunt & prosunt. Ideo toties Deus protestatur, se sacrificia illa primi generis penitus contemnere, nisi adsint sacrificia secundi generis *Psalm.* 39. 8. & 49. 13. & 50. 18. *Isa.* 1. 11. *Hierem.* 6. 20. *Malach.* 1. 10 & *alibi*. Ac propterea sacrificia secundi generis, Christianorum propria futura, docebant superius Patres Malachiæ prophetiam declarantes. Quod si obfirmatior verum sacrificium in Christiana religione nostra requirit Bellarminus, sicut verum sacrificium voluit esse in pane & vino Melchisedecianum, ita nos quoque panem & vinum nostro modo Deo offerimus ad Eucharistiam consecrandam. In sua tamen tertia sui argumenti probatione paralogizat Bellarminus, dum ex eo quod sacrificium soli Deo debetur, ratiocinando colligit non esse nostram religionem sine vero externo sacrificio relinquendam, quod non nisi in Missa possit esse. Certe circuncisio soli Deo debebatur: nam in nullius alterius gratiam circũcidi quenquam licebat: An igitur etiam circuncisio non est nobis omittenda quia ad solius Dei cultum olim fiebat? Nostræ porro preces, nostra contritio, nostra fides, nostræ eleemosynę, &c. in solius Dei cultum fieri debent: Exercemus itaque nos etiam plurima quæ ad solius Dei cultum fiunt, tametsi vere & proprie non sacrificemus.

CCXXXV. Altera Bellarmini ratio est. Quia inter Synagogam sub lege, & Ecclesiam sub Euangelio debet esse conuenientia: Cum igitur Synagoga vera habuerit sacrificia, etiam Ecclesia ea debet habere. Non enim Christus legalia sustulit, sed mutauit.] Respondeo hoc esse ex dialectica, non ex Theologia disputare. Sacrificia profecto egena & valde debilia mutata sunt in sacrificia longe ditiora, pretiosiora & perfectiora; carnalia nimirum in spiritualia.

Tertia ratio *ibidem capitulo vigesimo secundo*, adhuc magis friuola, quod ideo Eucharistia sit & Sacramentũ & sacrificium, quia Sacerdos potest etiam se ipsum communicare, at vero se ipsum baptizare nemo potest.] Respondeo, etiam Laicos posse se ipsos communicare, accepta suis manibus Eucharistia, vt olim, de manibus ministri, & sibi in os iniecta, non tamen propterea laici sacrificant. Tota autem ratio cur nemo se ipsum baptizare possit, possit autem communicare, est sola Christi institutio.

CCXXXVI. Postrema & efficacissima quã putat Bellarminus *Ibi. c.* 23. ratio est, consensus, quem ipse asserit, Ecclesiæ, Missam esse verũ sacrificiũ. Sed aliũ consensum ego non video, nisi illũ qui hactenus explicatus est, nimirũ actionẽ illã sacram Ecclesiasticã, in qua Eucharistia præparatur, & cõsecratur ac distribuitur, (& eam missam video iam à longo tempore vocari, à dimittendis puto Catechumenis, qui mysteriis sacræ cœnæ interesse non permittebantur, licet interes-

sent aliis precibus, & sacris exercitiis quæ sacræ liturgiæ præmittebantur, hoc est, vsq; ad offertoriū quod nos vocamus: inde enim iam nostra incipit liturgia) cōtinere in se oblationem, & aliquo modo sacrificiū: sed esse verum sacrificium, nunquam vsq; ad postrema corrupta sæcula, inuenio aut dictum, aut cogitatū, aut traditum, aut practicatum in Ecclesia. Non igitur sequitur, Ecclesiam à mille iam annis periisse, vt arguit Bellarminus, sed bene sequitur, nostræ Missæ, in re ipsa secundum substantiam actioni bonæ & à Christo per Apostolos nobis traditæ, admixta fuisse iam vltimis sæculis multa superstitiosa, inania & impertinentia: & opinionem de illa falsam esse excitatam, illam esse verum, proprium, & propitiatorium sacrificium; in quo verum & substantiale corpus Christi, nescio quo inintelligibili modo sacrificetur: atq; hoc non nisi postquàm falsitas transubstantiationis est introducta: Atque ideo non dicitur periisse Ecclesia, aut idolatria non esse extincta, aut portas inferi præualuisse; aut Ecclesiam non esse columnam veritatis, aut sanctos missificantes fuisse impios vel sacrilegos, aut Deum fuisse parcum in reuelandis erroribus fugiendis, & veritate patefacienda. Nam semper veritas & puritas est in multis Ecclesiis conseruata, contra transubstantiationem & idolatriam reclamatum, Eucharistia legitime consecrata & distributa, & contra errores pro veritate certatum. Et licet Romana Ecclesia multis se erroribus & superstitionibus implicuerit; illa tamen neque est Ecclesia vniuersalis, neque à fundamētis veræ Ecclesiæ adeo abscessit, vt à numero Christi Ecclesiarum sit ipsa quoque penitus abscindenda: in suis profecto erroribus Ecclesia non est, sed Curia; at in fundamentalibus nostræ fidei Ecclesia est, cuius perpurgatio & reformatio desperanda non est. Manet igitur Missam nostram nullo modo esse verum, & proprium sacrificium.

CCXXXVII. Et quoniam argumentum maxime oppugnantis Missæ sacrificium est, quod in tota Missa nihil sit, nullaque ipsius pars in qua vera & propria sacrificii essentia possit ostendi, quid ad hoc argumentū respondeat Bellarminus *de Missa l. 1. c. 27.* videamus, & discutiamus. Statuit ille, huius sacrificii hostiam seu victimam esse corpus & sanguinē Domini: nimirū corpus & sanguinē Domini esse id quod offertur in Missa, sub alienis tamen speciebus, non tanquā duo, sed tanquam vnicum integrum sacrificium. Atque oblationem ipsam panis & vini in Eucharistiam consecrandi, quod est secundum ipsum, in corpus & sanguinem Domini transmutandi, nondum esse ait sacrificium, nisi inchoatiue. Sacramenti consumptionem à sacerdote sacrificante factam partem essentialem sacrificii facit, non tamen in ea consumptione ponit totam essentiam sacrificii. Consecrationem ad essentiā sacrificii spectare asserit: sed qua ratione consecratio verum efficiat sacrificium, non ei satis constat, neque approbat, imo reprobat nostrorum Catholicorum assertiones. At ipse demum ita rem explicat. Primum in vero sacrificio rem profanam fieri sacram ait, id est, panem conuerti in corpus Christi. Secundo rem illam sacram factam, id est corpus Christi, Deo offerri per collocationem ipsius in altari, vel in aliquo alio æquiualenti. Tertio demum, rem quæ offertur, ad veram, realem & externam mutationem & destructionem ordinari. Ita corpus Christi accipit, *inquit*, formam cibi, cibus autem ad comestionem, & sic ad sui consumptionem ordinatur. Sacerdotem huius sacrificii dicit esse Christum, quia minister sacerdos in persona Christi ipsam facit consecrationē, dū dicit, *Hoc est corpus meū.*]

CCXXXVIII. Maxima hæc quā nostri patiuntur difficultas, in inuenienda & stabilienda vera sacrificii ratione in Missa, varietasque explicationum, discordantibus inter se, & decertantibus ipsis Romano-catholicis Doctoribus, destruentibus aliis quod alii astruunt, quot capita, tot sententiæ; hinc manifeste arguit dogmatis, si non falsitatem, saltem incertitudinē, omnes hæ subtilitates quas excogitant facile euanescunt. Nam consecratio quam nos facimus actionem sacrificii nostri, ita vt *consecrare sit sacrificare*, non facit rem sacram, id est panem, nisi per externam denominationem, nulla facta in re reali transmutatione, vt est à me demonstratum: & si panis & vinum sunt hostia & victima, sacrificium hoc nostrum non erit idem quod fuit peractum in cruce. Sed dato adhuc, & non cōcesso, per consecrationē fieri metamorphosim illā nostrāq; vocam' transubstantiationē, inexplicabile nihilosecius erit hoc nostrū verū & proprium sacrificiū: illa enim hostia, quæ sacrificando cōsecratur, eadē Deo offertur, eademque mactatur & occiditur, seu alio modo consumitur: corpus vero Christi, quod hostiam esse supponimus, non est id quod consecratur, neque est subiectum circa quod actio consecratiua occupatur: sed panis & vinum. Quod si ex consecratione panis & vinum acquirunt sui transubstantiationem in corpus & sanguinem, corpus & sanguis erunt id quod ad consecrationem consequitur, non quod consecratur. Præterea hostia illa quæ Deo offertur per sacrificium, sui, & non alterius patitur mortem, seu consumptionem: atque id quod moritur, & quod propriè cōsumitur, est hostia illius sacrificii, non aliud; & id actioni sacrificandi substat, quod in se recipit actionem illam, qua id vel mactatur, vel consumitur: neque tunc hostia sacrificatur quando mactationi, vel consumptioni destinatur & præparatur, sed tunc quando actu mactatur vel consumitur. Igitur consecratio non potest esse sacrificatio, quia per consecrationem ponitur hostia, hoc est corpus Christi in altari: at vero hæc positio, neque est occisio corporis Christi, neque eiusdem commestio & consumptio. Et quando etiam corpus Christi sub specie panis comeditur & cōsumitur, non est ipsum corpus, quod in se recipiat comestionem & consumptionem, sed species tantum illæ præcise substant comestioni, & consumptioni. Ita profecto quando Abraham *Gen. 22. 13.* mactauit arietem illum hærentem cornibus inter vepres, si facta eius occisione, effusoque eius sanguine, dū super struem lignorum ipsum ad comburendū collocabat, aries ille totus, ipsiusque sanguis transubstantiatus fuisset in Isaaci corpus, eidem sacrificio assistentis, profecto non propterea Abrahamus dici potuisset sacrificasse Isaacum, sed sacrificium Abraami fuisset totum in arietis immolatione completum: quanquam solæ species arietis comburerentur, & sub specieb. arietis Isaacus integer & illæsus lateret.

CCXXXIX. Addo, stare non posse vt consecratio sit sacrificium, corpus vero Christi vt ordinatum ad cibum sub specie panis, & consequenter ad consumptionem per māducationem, hostia seu victima: quia sacrificium quodcunque ponitur à Patribus in Eucharistia, dicitur esse idem quod factum fuit in cruce: & non aliud neque diuersum: *Chrys. in Epist. ad Heb. hom. 17.* atqui in cruce Christi corpus, non manducatione, sed occisione fuit consumptum & morti datum. Sacrificium vero, cuius consumptio consistit in manducatione, non potest esse idē numero, imo neque idem specie cum sacrificio quod consumitur mactatione. Ac propterea quando Sacerdotes olim victimas comedebant, in ipsa comestione nō consistebat sacrificium, sed in earum immolatione per macta-

tionem

tionem & sanguinis effusionem. Cum itaque idẽ sit, & illud fuerit cruentum, nõ incruentum, nulla vero incruenti habeat hostiam, proculdubio illud nõ est: & si illud non est, neq; sacrificium absolute erit. Cum tamen à Patribus dicatur in Eucharistia adesse Idem sacrificium quod fuit in cruce, id non potest intelligi nisi repræsentatiue & commemoratiue, vt cogitur fateri Bellarminus, *de Missa l.1.c.25. Ad 3. Caluini.* In Missa igitur, *ait*, offertur quidem Christus, qui est res viuens, & offertur in forma rei viuentis, quantum ad repræsentationem, vbi solum requiritur mors repræsentata, non aũt mors re ipsa: sed vt est sacrificium reale, & proprie dictum, offertur in forma panis & vini iuxta ordinem Melchisedech, & proinde in forma rei inanimæ.] Atq; hoc est genus sacrificii longe diuersum à sacrificio crucis, quod genus diuersum Patres nulli vnquam in nostra missa posuerunt, ut agnouerunt.

CCXL. Quod dicebat et de Sacerdote Bellarmin⁹; ipsum nomine Christi sacrificare, dum induit personam Christi in proferendis verbis consecrationis, iã est à me in superioribus confutatum: Duæ potissimæ contra hoc rationes. Altera est, quod verba illa sunt recitatiua, quando nos dicimus in Missa, *Benedixit, fregit, deditq; discipulis suis dicens, hoc est n. corpus meum.* Nos ergo referimus Christum dixisse, *Hoc est, &c.* At si personam gereremus Christi, diceremus absolute nostris communicaturis. *Accipite, comedite, hoc est enim corpus meum*] Neque possumus ostendere, vnde colligatur, Christum dedisse autoritatem Apostolis & successoribus; vt ipsius personam induerent in conficienda Eucharistia. Dixit. *Hoc facite*, id est, vos ipsi facite. Estque imperceptibile, quomodo posset Rex aliquis dici aliquid facere, quod Legatus ipsius in eius persona facit: moraliter id verum esse solet: physice nullo modo esse potest: nam actio illius est physice à quo illa exit realiter, & formaliter: assentitur tandem etiam Bellarminus. *de Missa l.1.c.4.* Altera ratio est quod in illis verbis præcise non consistit Eucharistiæ consecratio, sed in benedictione, & precib. vt pluribus probaui in præcedentibus, *nu 6. & seqq.*

CCXLI. Ex hacten⁹ à me de sacrificio Missę disputatis duo quasi corollaria deduco: Alterum est. Missam, siquidem sacrificium verum non est; multo minus posse esse sacrificiũ, vel propitiatorium, vel impetratorium ex opere operato; licet contrarium contendat Bellarminus, & iam nobis id pro articulo fidei à Concilio Tridentino, *sess.22.can.3.* & à Paulo quarto in iuramento professionis fidei obtrudatur; vnde tamen vim hanc propitiatoriam Missæ nostri statuant, inspiciamus & discutiamus. Primum argumentum est, quia in lege naturæ & lege scripta fuerunt sacrificia propitiatoria: & quia illa fuerunt typi ac figuræ nostri sacrificii, necessarium vult esse Bellarminus, *de Missa l.2.c.2.* vt nos etiã sacrificium propitiatorium habeamus.] Respondeo, nullum vnquam fuisse, aut esse sacrificium, verum nimirum & externum, quod vere fuerit, siue propitiatoriũ, nisi vnicum illud quod factum semel est in cruce. Et de sacrificiis quidem Mosaicis ostendam postea in sequentibus suo loco, ea nunquam ad veram veri peccati dimissionem quicquam valuisse; sacrificia enim pro peccato, erant ad immunditias quasdam legales & irregularitates purgandas. Quod vero ex lege naturæ affertur de Iob, qui pro peccatis filiorum sacrificabat, nõ est ad rem: offerebat enim holocausta: at holocausta non erant propitiatoria, sed honoraria ad solum Dei cultum. Itaque Iob Deum colebat, & in eo cultu orabat pro peccatis filiorum: orationes vero, & preces ad peccatorum remissionem multum prosunt; sed orationes & preces non sunt proprie sacrificia, atque ita neque propitiatoria, licet preces possint esse aliquo modo, per impetrationem duntaxat, propitiatoriæ. Sed neque est bona illatio illa, vetera sacrificia fuerunt propitiatoria, & typi nostri sacrificii, Ergo nostra Missa est propitiatoria: quia etiamsi fuissent propitiatoria, quatenus typi fuerunt, nostrum sacrificiũ in cruce significarunt; & hoc sacrificium solum illis respondet: nam ex hoc solo sacrificio est omnis hominum propitiatio. Ratio autem figuræ in eo consistit, quod sacrificia vetera pro peccato; expiantia non animam à peccatis, sed hominem externum ab immunditiis legalibus; (quod etiam Apostolus intelligit scribens ad Hebræos *cap.9.* 1.) ex quibus nullum reatum peccati veri anima contrahebat, vt superius ostendi, erant figura futurum sacrificium in cruce, quod expiaret animam à veris peccatis. Et hæc propitiatio applicatur nobis non amplius per vllum verum sacrificium, sed per fidem, & actus internos pœnitentiæ, & alia, quæ vera sacrificia non sunt. Eodem pacto applicabatur etiam sub lege, & scripta, & naturæ: & non per vlla sacrificia externa. In sumptione quoq; Eucharistiæ non dubito peccata digne sumẽti dimitti: non ratione noui sacrificii vllius, sed ex applicatione virtutis crucis Christi, quæ speciali modo cõmemoratur in Eucharistię sumptione: atque hæc propitiatio per Eucharistiam ab ea fit; tanquam à vero & reali sacramento, non tanquam à sacrificio proprio, nisi commemoratitio. Vnd Augustinus, *de verb. Dom. serm.28.* Ergo tu audis, *inquit*, quod quotiescunq; offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorũ.] Item, *idem ad Bonif l.4.c.4.* Hæc reconciliatio, ait, est in lauacro regenerationis, & Christi carne & sanguine, sine quo nec paruuli possunt habere vitam in semetipsis.] Sicut & quando Christus instituit hoc sacramentum, nullum fecit sacrificium pro peccatis Apostolorum; quod frustra contendit Bellarminus, *Ibid.* & nos supra impugnauimus, *nu. 196.* sed is commemorauit duntaxat suum sacrificium in cruce futurum, ad remissionem peccatorum. Quomodo enim dici potest pro peccatis Apostolorum sacrificasse per sanguinis effusionem, si tunc sanguinis effusio nulla erat?

CCXLII. Secundum argumentum sumit ex Patrũ testimoniis; quæ tamen nihil aliud conuincunt, nisi in Sacramento Eucharistiæ haberi etiam peccatorum remissionem: quia Sacramentum, non quia sacrificium, nisi commemoratiuum: ob iam à me explicatã applicationẽ. Sed obiicit Bellarminus, *Ibi. l.2.c.2.* Eucharistia vt Sacramentum nõ est instituta proprie ad peccati remissionem; sed vitæ spiritualis conseruationem. Nam vt Sacramentum non prodest nisi sumenti, sumens autem probare se antea iubetur, nec potest cum conscientia peccati accedere, nisi iudiciũ sibi manducare velit & bibere, *1.Cor.11.* sequitur igitur vt ad remissionem peccati instituta sit Eucharistia, vt sacrificium est.] Respondeo, satis esse si in Eucharistiæ sumptione remittantur etiam peccata, siue ad hoc sit instituta proxime & directe, siue tantũ remote & indirecte. Nonne nos in sumptione cuiuscunq; Sacramenti ponimus infusionem gratiæ & consequenter peccati expulsionem ex opere operato? non tamen in omni Sacramento ponimus sacrificium. Sic exempli gratia, matrimonium institutum est ad prolem sancte generandam, non ad remissionem peccati, & tamen in matrimonii celebratione dicimus peccata etiam remitti contrahentib. nisi adsit obex, & hoc ex opere operato, quia in omni Sacramento in-

funditur gratia gratum faciens, quæ stare non potest cum peccato. Non tamen matrimonium dicemus remittere peccata vt sacrificium, quia remittit vt Sacramentum. Quod vero ait de probatione sui, vt inferat Eucharistiam non remittere peccata, sed prærequirere vt homo accedat iam à peccato mundatus, est friuolum. Sic enim requiritur, vt accedat homo qui se prius probauit, ad Baptismum recipiendum, nisi enim se probauerit, remissionem in Baptismo non habebit: sed ficte accedere dicitur, qui cum animo perseuerandi in peccato accedit; probare vero se, est animum peccandi abiicere, & cum pœnitentia accedere. Num ergo propterea Baptismus non remittit peccata, quia præsupponit vt homo probatus accedat? Num etiam inde sequitur, Baptismum remittere peccata, non vt Sacramentum, sed vt sacrificium? Idem dico, ad homines, de reliquis omnibus sacramentis quæ nos vera Sacramenta esse asserimus. Patres igitur in Sacramento Eucharistiæ agnoscunt peccatorum remissionem, & non ratione proprii sacrificii. An vero Missa sit sacrificium propitiatorium pro defunctis, videbimus postea.

CCXLIII. Impetratorium etiã faciunt sacrificiũ Missam, nostri Theologi. *Bellar. de Missa l. 2. c. 3.* Et profecto negare non possumus in sacris liturgiis, dum Synaxes fiunt, ad Dominicam cœnam celebrandam, orari pro Principibus, & pro multis humanis necessitatibus, etiam pro priuatis personis vt docet Paulus, 1. *Tim.* 2. 1. & offerri solitũ etiam à sanctis antiquis Patrib. sacrificium nostrũ Eucharisticum pro impetratione alicuius boni, seu amotione mali, vt probat Bellarminus, *ibid. l. 2. c.* 3. quod ego intelligo, cœnã Dominicã cum præcedentib. solẽnitatib. psalmodiæ, precũ hymnorum, &c. alicubi celebrari: in his tamen nõ sacrificium impetratorium agnosco proprie dictũ: sed orationes publicas Ecclesię, occasione communionis congregatæ, impetratorias fuisse & esse non dubito, vt supra dicebam de Iob. Atq; hæc impetratio nõ est ex opere operato Missæ, sed ex opere operantis piarũ precum sanctæ Ecclesiæ, id est fidelium ad Synaxes cõuenientium. Et in hoc sensu Missa potest dici remissionem peccati posse alicui obtinere, quia potest publica hæc oratio facile à Deo alicui pœnitentiam impetrare, ad quam suo ordine sequatur remissio.

CCXLIV. Est igitur merum commentum humanum, & auaritiæ Presbyteralis inuentum, facere Missam sacrificium propitiatorium & impetratoriũ ex se, & ex opere operato, vt inde moueantur fideles ad Missas, soluto tamen semper precio, requirendas, vt per illas & remissionem hanc peccatorum, & propitiationem obtineant, & alia bona non modo spiritualia, sed etiam temporalia, siue multorum malorũ spiritualium ac temporalium auersionem impetrent. Si tamen vera esset hęc Missæ efficacia, profecto illam infiniti valoris, & potentię esse oporteret, sicut infiniti valoris & efficaciæ est sacrificium in cruce peractũ, cum quo vnum & idem sacrificium Missam esse, iam & concedimus & asserimus. Cur ergo pro diuersis donis obtinendis diuersas Missas adhibemus, & pro eodẽ etiam plures multiplicamus? Annon vnica Missa sufficit pro omnibus donis impetrandis, nedum pro singulis, quorsum igitur aliæ? Nisi hoc auaritiæ commentum maxime nobis Ecclesiasticis proficuũ, alio vlteriori commento callide adiuueretur, nihil nobis prodesset. Valorem dicimus sacrificii Missæ esse finitum. Cur id quæso? Annon corpus Christi est huius sacrificii hostia? An non Christus ipse est offerens? Cur semel tantum crucifixus est Christus, nisi quia sacrificium illud vnicum fuit valoris infiniti, efficaciæ infinitæ? Et tamen in Missa finitam & limitatam ponit Bellarminus *ibid. cap* 4. efficaciam: Vnde probat? ridiculum: quia, *inquit*, est communis Theologorum sententia; & vsus Ecclesiæ apertissime id probat.] Theologi vero cum causam nullam sufficientẽ assignent, neque difficultatem propositam soluant, certe assertum auaritiæ tueri voluerunt, etiam contra rationem, & contra conscientiam: vsus vero maximi lucri, at usum turpissimum, in Ecclesia prisca puta inauditum, satis confirmat. An res tanti momenti debet sola dicentium autoritate, contra scripturam, cõtra rationem astrui; & vsu, quem constat esse abusum, quia nouus, quia irrationalis, quia lucrosus, confirmari? Theologi, inquit, id est moderni, auaritiæ præsertim Romanæ satellites, & propriorum commodorum temporalium asseclæ, ita sentiunt: non ita Patres. Conatur tamen Bellarminus *ibid. cap.* 4. finitatem hanc, & valoris limitationem, à sacrificio crucis adeo distantem ad aliquas causas reducere. Duæ sunt præcipuæ: Altera quod licet hostia sit eadem, offerens tamen est diuersus. In cruce ipse Christus in sua persona est offerens: in Missa homo purus, sacerdos, in persona Christi; sed hoc ipsum confirmat non esse idem sacrificium crucis, & Missæ, quia non est idem sacerdos: sicut idem non est personaliter Rex, & ipsius legatus. Ac sane valor, & quidem infinitus est ex ipsa hostia: quæ simpliciter & absolute est eadem, secundum nos. Altera ratio, quod ita Christus velit & iubeat. Sed vnde probet id ita Christum velle & ordinare, nihil habet: & remotissimas quasdam ac leuissimas adhibet coniecturas, indignas quæ confutentur, cum ipsemet Bellarminus dicat, Videri id ita esse. Vere igitur nihil aliud finitatem hanc persuasit, nisi auaritia, vt ex multiplicatis Missis multiplicata à rudibus & simplicibus corradantur precia.

CCXLV. Corollarium alterum est, Missas priuatas non posse defendi; Missam priuatam intelligo, vbi illa solam sacrificii rationem dicitur continere, & non celebratur ad hoc tantum, vt Eucharistia pro communione tunc fienda præparetur, & consecretur. Cum enim verum sacrificium non sit, ociose peragitur ad hoc, vt solius sacrificii munera exerceat. Profecto Christus quando instituit hæc mysteria Eucharistica dixit, *Hoc facite Luc.* 22. 19. Quidnam? quod ipse fecit: quid ipse fecit? an sacrificium aliquod solus obtulit? minime vero, sed accepit panem, gratias egit, fregit, deditque discipulis suis vt manducarent. Et hæc fuit prima Missæ celebratio. Igitur Missa nihil aliud est, nisi benedicere panem, frangere, & fidelibus distribuere, quod est Eucharistiæ sacramentum conficere, & populo ministrare. Ac sane in Ecclesia prisca Missæ vsum nullum alium obseruo, nisi ad fidelium, multorum, paucorumue, nihil refert, communionem. Ex multis aliquot testimonia recensebo. Iustinus, *Apol. ad fin.* Die solis, qui est dies Dominicus, scribit conuenire solitos Christianos ad preces, & ad Dominicam cœnam celebrandam, totamque illam actionem describit, cum omnium præsentium communione. Igitur aliis diebus totius hebdomadæ hæc actio, quæ deinde Missa vocata est, non fiebat. Cyprianus *lib. 2. ep. 3.* hæc habet, Cum cœnamus, ad conuiuium nostrum plebem conuocare non possumus, vt Sacramenti veritatem Fraternitate omni præsente celebremus.] Apertum est hoc, & maximum testimonium, mysteria Eucharistiæ non fuisse celebrata, nisi tota Fraternitate præsente. Cur siue Diacono Missas non licuit olim celebrare, *Ambros. de offic. lib. 1. cap.* 41. nisi quia in Missa, Diaconi Eucharistiam saltem calicis distribuebant? Cur catechumeni eiiciebantur

vbi

ubi liturgia incipiebat, nisi quia communioni fidelium astare non debeant, qui communionis participes nondum essent? ac propterea usque ad Offertorium Missa Catechumenorum vocabatur: *Bellarm. de Missa lib. 2. capit.* 16. quod si Missa esset sacrificium; ab eo catechumeni nō videbantur excludendi; sicut à reliquis precibus, reliquoq; cultu diuino non excludebantur. Cur etiam qui communicaturi non essent excedebantur, præcone clamante, Quicunque estis in pœnitentia abite, abite qui non potestis precari; *Chrys. in ep. ad Ephes. hom.* 3.] nisi quia ad solam communionem exercitium illud sacrum, quod Missam appellamus, peragebatur? Certe Canon unus ex illis, qui dicuntur Apostolorum, videlicet nonus sic habet: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet è sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicauerit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur; aut si non dixerit, communione priuetur.] Et alius, *Can.* 10. *& de consec. dist.* 1. *can.* Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari.] Excommunicatione plectebantur qui non communicaturi Missæ interessent. Non ergo Missa dicebatur, nisi pro communicaturis. At si esset sacrificium, profecto interesse potuissent, & debuissent etiam non communicaturi, Soli communicantes, inquit, *Micrologus, cap.* 51. confectioni Sacramentorum antiquitus intererant:] & Valfridus *Walfrid. cap.* 22. ait; Fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt sacerdotes, respondēs, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum euidenti ratione demonstrat.] Innuit collectas illas, quæ post communionem in nostris Missalibus habentur, quæ omnes ferme super populum iam communicatum funduntur; nam omnes communionē populi iam factam commemorant. Imo addit Maximus monachus in sua liturgiæ expositione, *capit.* 16. *in Biblioth. SS. PP. tom.* 6. post egressum Catechumenorum etiam fores Ecclesiæ claudi sollitas, dum secretiora mysteria peragebantur, in quibus Missa essentialis consistit. Priuata ergo Missa nulla fuit per plura secula in Ecclesia, si quidem non nisi ad populi communionem celebraretur, non ad sacrificandum, sed ad communicandum.

CCXLIV. Sed neque negari potest, quod ait Micrologus, *vt supr.* Cum iam populus communicare cessaret, nec tamen à diuinis mysteriis se subtraheret, necessario permissum fuisse ut à Presbytero benediceretur, ne tam benedictione; quam communione priuari videretur, & inde Missæ priuatæ sunt introductæ. Populus enim cepit semel tantum in anno, hoc est in Paschate Eucharistiam sumere. *Chrys. in ep. ad Tim.* 1. *hom.* 5. *& in ep. ad Heb. hom.* 17. *& Amalar. [illegible] lib.* 5. *cap.* 4. Quid ergo? Num propterea cessare debuerunt sacri ministri à tam celebri instituto commemorandi Christi sacrificium, etiam per ipsius manus Eucharistiam mysticam consecrantis cū duobus vel tribus communionem? Certe audio querentes Chrysostomi voces. *in ep. ad Ephes. hom.* 3. Frustra est quotidianum sacrificium: frustra astamus altari, nemo est qui participet.] Ergo liturgias celebrabant, nemine ex populo communicante. Neque video ullam prohibitionem ullumue absurdum, si Episcopus, si Presbyter, cum unum saltem aut alterum secum habeat communicantes, velit sæpius liturgiam sic celebrare, ad percipiendum saltem sibi; cum illis paucis, sacræ communionis fructum: neque iam video necessario esse excludendos, si qui adsint tali liturgiæ, in qua paucissimi communicent; si non ut ipsi participent in sacra Eucharistia, saltem ut cum pietate & deuotione intersint insigni illi mysterio sacrificii Christi insigniter commemoratiuo, & repræsentatiuo. Laudo Ecclesias reformatas quæ Missas priuatas penitus abstulerunt. Laudarem etiam, si sacri ministri sæpius sibi fideles aliquot pios, etiamsi, ut dixi, paucos, etiamsi duos, tres, vel quatuor adiungerent, & ita sacram cœnam celebrarent. Sed neque nostras Ecclesias vellem propterea abhorrerent, si in grauioribus reformationem admitterent, & populo Missarum tenaci; missas hoc eodem modo priuatas permitterent, ipsas tamen correctas, reformatas, & ab omni superstitione, ac vanis gesticulationib. perpurgatas: cum frequenti explicatione, in illis non esse verum sacrificium propitiatorium: sed tantum mortis Christi commemoratiuum. Utinam ipse quoque Missam potius expurgassent, quam aboleuissent, & compatiendum esse citra periculum populis censuissent; tam fortasse plurimas ex nostris Ecclesiis sibi adhærentes haberent.

CCXLVII. Verum quidem est, quod dixi, cessante populi deuotione & frequentia in sacra cœna sæpius celebranda, non propterea cessasse sanctos Episcopos & Presbyteros offerre Deo hostiam illam mortis Christi cōmemoratiuam, in sacro Eucharistiæ Sacramento; tametsi cum paucissimis, duobus, aut tribus communicarent: tum ex priuata eorum deuotione, & fructu spirituali; propter priuatas aliquas necessitates ad diuinum auxilium citius implorandum. Exempla priuatarū Missarum, in quibus solus Sacerdos Missam celebrans communicaret, putauit se aliqua afferre Bellarminus, *de Missa lib.* 2. *c.* 9. sed non nisi per coniecturas: quæ contra institutionem Sacramenti vim non habent: supponere ergo debemus semper aliquos cum Sacerdote communicasse, licet admodū paucos: Sic in Missis funeralibus non dubito semper aliquos, antequam abusus irrepsisset communicasse: Ad has tamen Missas populum non communicaturū conuenisse, non inuenio, nec inuitatum, neque compulsum, etiam postquam refriguit Christianorum pietas & deuotio erga Eucharisticum Sacramentum, ut nunc inuitatur; & præcepto etiam Ecclesiastico à nobis adigitur; sub obligatione peccati mortalis, ut festis diebus Missam audiat. Imo video Chrysostomū acriter eos reprehendentem, qui ad Missas, profecto iam priuatas, audituri eas duntaxat accederent, & nō communicaturi. Postquam enim conquestus est, ut superius vidimus, frustra esse quotidianum sacrificium, frustra ministros sacros altari astare, quoad finem nimirum principalem Missæ, qui est astantium communio, ait, *in ep. ad Eph. hom.* 3. Quicunq; n. est, qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat, & nimis audacter. Dic mihi, si quis ad conuiuiū inuitatus manus lauerit & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, & deinde non fuerit eius particeps, an nō contumelia afficit eū qui inuitauit? Annon esset melius eum ne adfuisse quidē? Ita tu quoq; adfuisti, hymnum cantasti, quomodo mansisti, & mensæ non es particeps?] Hæc & plura alia Chrysostomus contra eos qui non communicaturi liturgiis interessent, per excessum ita locutum Chrysostomum, ait Bellarminus *de Missa l.* 2. *c.* 10. At certe hic excessus, etsi non arceat penitus quemcunq; non cōmunicaturum, ab auditione Missę, non tamē approbat ut rem bonam. Missę interesse, & non communicare: nam si dignus es, inquit, communica; si indignus, ne adsis quidem.] Hoc non diceret Chrysostomus, si quisque se excusare posset, ego adsum sacrificio, licet Sacramentum non

non sim sumpturus. Hisce tamen temporibus rigor hic locum non videtur habere.

CCXLVIII. Nullam pariter inuenio memoriam tot Missas priuatas fuisse vna die in eodem templo, imo & simul, ac eodem tempore in pluribus eiusdem templi altaribus celebratas: sed propter populi communicaturi frequentiam, bis, & ter, in vnico, & eodem altari successiue Missam celebratam, *Leo Epist. 7.* siue ab eodem, siue à diuersis ministris. Alioquin vnica Missa in die ad summum satis fuit, cui clerus totus interesset, *Valfrid. cap. 21.* & puto etiam communicaret. Altarium vero multitudo in eadem Ecclesia est manifestum schismatis signum: & quia altare Christum repræsentat, & Christus vnicus est, ideo vnicum altare in singularum Ecclesiarum consecrationibus consecrari solitum inuenio. *in Pontificale Roman. cap. de consecrat. Eccles.* Et ratio suadet: vnica enim mensa omnes communicantes excipere debet, alioquin diuisio erit & schisma. Quare omnia altaria, præter vnicum & principale, essent à nostris Ecclesiis amouenda; & numerus ingens missificantium sacerdotum plurimum arctandus. Plurium enim altarium in eadem Ecclesia, & plurimorum sacerdotum multiplicatio non habetur, nisi post abusum, & introductum sacrificium propitiatorium fallacissimum.

CCXLIX Quarta Difficultas est, in quo cõsistat ꝓpriatatio ꝓprius[q]; effectus Sacramenti Eucharistiæ in Christiana Missa, si legitime celebretur, & prout institutio ipsius à Christo facta, & ab Apostolis exercita postulat, non verum sacrificium, sed verum sit Sacramentum: inquirendum ergo paucis restat in quo tota essentia, totaq; ratio huius consistat Sacramenti. Nisi reali & corporali præsentia corporis Christi Eucharistiã fulgere nostri realistæ asseruissent, hæc difficultas pene nulla esset. Cum igitur realem hanc præsentiam nos negauerimus, & sufficienter excluserimus, nisi de contrario prius conuincamur, ambigere non poterimus, num Sacramentum Eucharistiæ sit aliquid permanens, puta corpus Christi: an vero transiens, puta manducatio: quia sola actio transiens relinquetur, in qua veram Sacramenti rationem facile sit reperire. Nihilominus tamen ad veritatem melius confirmandam, præsentiam illam realem & corporalem nunc donabo, & illa adhuc data, non tamen cõcessa, veram Sacramenti rationem in actione manducationis consistere, non in ipso corpore Christi permanente, facile ostendi posse arbitror.

CCL. Moneo tamen, quæstionem illam quæ solet inter nostros, & aduersarios eorum tractari, num videlicet corpus Christi adsit in Eucharistia, eo solo tempore quo percipitur à comedentibus Eucharistiam, an vero etiã ante, & post cõmunionem idem corpus Christi sub speciebus panis & vini perseueret, esse aliam & diuersam ab hac, quam in præsenti difficultate tractandam proposuimus. Supposita enim præsentia reali, vt nunc ex donatione nostra supponimus, sicut absoluta cõsecratione panis & vini corpus Christi, per transubstantiationem præsertim, ponitur sub speciebus illis, & tamen in immediato & contiguo momento temporis Eucharistia ipsa à communicantibus non comeditur, sed aliquid vel parum vel plusculum temporis intercedit, quo sane tempore corpus Christi est sub illis speciebus tametsi nondum comedatur, sic non video cur concedi non possit & debeat, idem corpus Christi sub speciebus perseuerare, etiãsi tempus sit longiusculum, puta ad horam pro cõmunicaturo post horam, aut ad medietatem diei pro cõmunicaturo post ipsam diei medietatem: & si hoc, cur non etiam in crastinum, & si in crastinum cur non etiam ad triduum? &c. Cum præsertim habeamus antiquam etiam, & in hac parte saltem, incorruptam Græcam Ecclesiam, in quadragesima præsanctificatis vsam esse: *Synod. quinisex. c. 52.* planeque cõstet, Eucharistiam & ad ægrotos transferri solitam, & domum à fidelibus asportari, vt in domo propria eã sumerent: exempla, cõsuetudines, & historias plures, & authenticas collegit Bellarminus, *de Euch. l. 4. c. 4. & 5.* quæ id sane conuincunt, nimirum sanctificationem, quam benedictio & consecratio inducit in panem, & vinũ Eucharisticum (hanc nostri perperam volũt esse præsentiam corporalem Christi sub speciebus) in pane illo benedicto perseuerare, quandiu saltem moraliter durat conuiuium spirituale communicantium, cuius participes esse possunt etiam ægroti, vel senes & imbecilles, ex causa absentes à synaxi, etiam longiuscule remoti per aliquot milliaria. Itaque si vera esset transubstantiatio, toto hoc saltem tempore quo moraliter durat conuiuium, Christi corpus sub speciebus permanere & perseuerare non videtur dubium: & hoc totum tempus merito vocari potest moraliter comestio, ita vt digne comedentes corpus Christi sumant: indigne vero panem quidem Sacramentalem, & sacramentaliter sumunt, sed corpus Christi non sumũt; nam corpus Christi, siue adsit transubstantiatio, siue non, Sacramentum non est, sed res Sacramenti, nimirum spiritualis participatio corporis Christi: at qui ea pax non est huius participationis, neque in se recipit corpus Christi. De asseruatione Eucharistiæ dicam postea.

CCLI. Iam vero contendo, Sacramentum Eucharistiæ formaliter non consistere in re vlla permanente, quæcunq; illa sit, quæ per consecrationem in ipsa Eucharistiæ materia manere intelligatur, siue sit corpus Christi substãtiale, siue proprietas aliqua spiritualis, siue denominatio quædam extrinseca, siue quid aliud. Sacramentum n. est signum, & sane signum sensibile, vt probaui, etiam cum Bellarmino, *supra c. 5. nu. 5. & 6.* At hic effectus consecrationis, qui manere dicitur in pane, seu sub specie panis, est effectus occultissimus, & sensibus omnino imperceptibilis: & profecto corpus Christi erit potius signatum in Sacramento Eucharistiæ, quam signum: ac propterea Bellarminus *de Euch. l. 4. c. 3.* asserere coactus est. Pani cõsecrato conuenire totam definitionem Sacramenti; nam ille panis, *inquit*, est signum sensibile, & causa interna atque inuisibilis nutritionis spiritualis.] Panis quidem consecratus, est signum & typus corporis Christi, & sic fateor esse Sacramentum lato modo sumptum, qua ratione etiã sacrificia erant Sacramenta, *Aug. de Ciuit. Dei l. 10. c. 5.* quia rem sacram significabant: & multa alia, puta manna, aqua petræ, &c. tamen proprie Sacramenta nemo dixerit. Quod si panis est Eucharistiæ Sacramẽtum, certe ipsum corpus Christi quod lateat in pane, si tamen lateret, non est Eucharistiæ Sacramentum, sed potius ipse panis, siue species panis, si esset transubstantiatio: id enim quod sensibile est, est Sacramentum, non quod est insensibile: ita panis consecratus, vt panis est sensibilis, & non vt consecratus.

CCLII. Sed neque panis ipse, siue vt panis, siue vt consecratus, potest esse Sacramentum Eucharistiæ, vt res permanens: quia id est Sacramentum, cui immediate tanquam instrumento, siue conditioni sine qua non, debetur effectus ille, qui dicitur res Sacramenti. Res porro Sacramenti Eucharistiæ sit, vt vult Bellarminus & ego verum puto, nutritio spiritualis: Sacramentum ergo erit id, quod proxime facit instrumentaliter, seu conditionaliter hanc nutritionem. Ac pro-

profecto neque panis vt panis, neque panis vt consecratus, & vt res permanens, facit nutritionem procedentem, sicut aqua, vt res permanens non abluit animam; sed aqua facta lotio: ita profecto panis sacer non nutrit animam, sed comestio panis sacri: non ergo panis sacer vt res permanens est Sacramentum; neque causa nutritionis spiritualis, nisi remote: Sacramentum vero proxime tangit effectum, seu physice, seu moraliter, seu instrumentaliter, seu tantum conditionaliter vt *cap.* 5. disputaui: vnum inter plura quæ in vero Sacramento requirit etiam Bellarminus, *de Sacram. in gen. l.* 1. *c.* 9. est vt signum non solum significet effectum spiritualem, sed etiã effectum qui tunc actu fit, dũ Sacramentũ adhibetur, atq; hoc vi ipsius Sacramenti. Panis vero sacer & corpus Christi, vt res permanens actu, vi sua non facit Sacramentalem effectum, nisi in comestione, atque ita Sacramentum nõ est, etiam cum corpore Christi, nisi in potentia, sicut aqua est Baptismi Sacramentum tantummodo potentia, & actu non est Sacramentum; nisi ad lotionem adhibeatur. In latiori tamen significatione sacrum panem Eucharisticum posse vocari Sacramentum non negabo, eo modo quo etiam Eulogiæ panis benedicti olim vocatæ sunt Sacramentum *Innoc.* 1. *ep.* 29. quia ad signum vnionis, & non communicantibus distribuebantur, & ab Ecclesia matrice ad alias transmittebantur.

CCLIII. Ponit tamen discrimen Bellarminus *de Euch. l.* 4. *c.* 3. inter Sacramentũ Baptismi, & Sacramentũ Eucharistiæ; & quidẽ Baptismum in actione lotionis consistere fatetur: negat tamen Eucharistiam in actione vlla consistere. Cur autem id neget, nititur primum modo loquendi Patrum, qui panem ipsum consecratum vocant Eucharistiam; vocant corpus Christi, vocant Sacramentum. Sed hinc nihil habet, Sacramenta enim sua nomina specialia sortiuntur, non semper ab illa actione in qua tamen consistit Sacramenti sicut Baptismus significat ipsam lotionem, in qua vere ratio stat huius Sacramenti: At Eucharistia significat gratiarum actionem, quia in celebratione huius Sacramenti maxime gratiarum actiones celebrantur: sed in ipsa gratiarum actione non consistit hoc Sacramentum. Itaq; panis vocatur Eucharistia, non quod panis sit ipsum Sacramentũ, sed quia pane vtimur in hoc Sacramẽto; & in benedictione panis gratiarum actio celebratur: Ab ipsa ergo gratiarum actione Sacramentum hoc nomen accepit, cum tamen ipsa gratiarum actio non sit Sacramentum, sed comestio cum gratiarum actione, in gratiarum actionem. Panis consecratus vocatur etiam corpus Christi, non quia corpus Christi sit Sacramentum, sed quia panis ille comestus exhibet nobis corpus Christi, vt est in præcedentibus explicatum. Inde panis vocatur etiam Sacramentũ, non proprie, sed ignoti significatione, quia est typus & figura corporis Christi. At ratio propria Sacramenti non consistit in hoc, vt aliqd typice aliud repræsentet. Frustra ergo afferuntur loca Patrum in quib. panis consecratus vocatur Eucharistia, corpus Christi, & Sacramentum, nam inde non sequitur, ipsum panem seu eius species, seu corpus Christi sub illis latens, etiamsi lateat, esse sacramentum hoc, de quo iã disputamus.

CCLIV. Obiicit deinde Bellarminus *de Euchar. lib.* 4. *c.* 3. Comestioni, illam non posse esse Sacramentum, quia illa actio solius est suscipientis, non Dei, nec ministri: nec enim Deus, *inquit*, aut minister manducat, sed suscipiens manducat. At Sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra; vnde in Baptismo sacramentum est ablutio, vt à Deo per ministrum datur.] Ego tamen non video cur requirat, vt Deus faciat actionem externam sacramentalem, siue per se, siue per ministrum. Satis est, quod Deus effectum internum efficiat, dum externa actio ab eo ordinata peragitur, quæ externa actio tota est ab homine, vt à causa particulari; neq; necesse est vt sit semper à ministro, id est, à Presbytero, & homine Ecclesiæ ministerijs deputato: Nos enim fatemur, non omnium sacramentorum ministrum esse necessario Episcopum, vel Presbyterum. Et in Sacramento, quod nos facimus esse verum Sacramentum, Matrimonij, ipsimet contrahẽtes sunt sibi ipsis ministri huius sacramenti: Ita in Eucharistia quisq; cõmunicans posset dici esse sibi ipsi minister proxim⁹ Eucharistiæ, quia ipse comedit, & non minister pro eo, & ipse etiã manu propria olim panẽ sacrum sibi de manib. Presbyteri, siue de mensa acceptum in os ingerebat, *Chrys. in ep. ad Ephe. hom.* 3. *Aug. serm.* 252. *de temp. Anastas. Nicæ. in script. quæstio.* 7. *&c.* remote vero Eucharistiæ minister est sacerdos, quia præparat panem sacramentalem, qui nisi sit à ministro Ecclesiastico legitimo legitime consecratus; comestio ipsius sacramentalis non erit, ita Christi institutione poscente. Potest tamen adhuc actio sacramentalis, id est, comestio, etiam ad ministrum quodammodo reduci: vt sicut dicimus in Baptismo, minister baptizat, hoc est abluit corpus; quæ ablutio vt actio sit ministri, vt passio vero sit baptizati: ita cibare, pascere, potare, sacro pane & vino, sit ministri, cibum & potum porrigentis actiue, passiue vero comedens in ipsa sua comestione à ministro, seu per ministrum externe corporaliter, sed sacramentaliter pascatur cibetur, potet. &c. à Deo vero interne, & spiritualiter in anima, &c. Sic ergo cibatio, vt est à ministro porrecta, erit actio hui⁹ Sacramẽti, comẽstio vero, id est, receptio cibationis, quasi passio: actio vero & passio sunt vnica res, cum variis respectibus.

CCLV. Obiicit præterea verba sacramentalia, sine quib. sacramentum non fit, non dici à manducante, neq; ad manducantem, sed à ministro super panem: illa enim verba: *Hoc est corpus*, ad panem pertinent, non ad manducantem. Ex hinc est, quod non dicatur Eucharistiæ sacramentum facere, qui manducat, sed potius illud consumere: & tamen tenera dici posset Sacramentũ facere, si in illa actione consisteret; sicut dicitur baptizare, qui abluit. Idem probari potest de actione frangendi, & distribuendi panem sanctificatum. Illæ enim actiones non sunt sacramenta; nam non significant gratiam inuisibilem: nec dicitur sacramentum facere qui frangit aut distribuit.] Hæc ille. Respõdeo, verba ad Sacramentũ conficiendũ immediate non esse necessaria, vt explicaui, *ca.* 5. *n.* 9. *& seqq.* & si adsunt ex Christi institutione, tenent se ex parte materiæ tantum, & consequenter per illa sacramentum non accipit suum esse completum. Itaque siue illa verba, *Hoc est corpus meum*, faciant panem ex communi sacramentalem, quod ego impugnaui *supra numero* 5. *& seqq.* siue preces, in quibus consecrationem Eucharistiæ consistere docui *ibidem*, nondum ex illis iam prolatis habemus Sacramentum; sed tantum habemus materiam sacramentalem præparatam: qua ratione etiam actus consecrandi neque est, neque facit Sacramentum, sed solum præparat materiã sacramentalem, sine qua præparatione materia non esset apta ad sacramentum.

CCLVI. Neque in alio sensu minister facit Sacramentum per verba quæ proloquitur, nisi, vt dixi, dispositiue, siue præparatiue, etiam in Baptismo, vt cum Hieronymo & Augustino explicaui *cap.* 5. *n.* 4. Facere vero Sacramentũ in sensu formali, & proprio, homo quicun-

quicunque, meo iudicio, neque solet, neque potest dici: ad homines enim spectat, vel ministrare, vel sumere sacramentum: sed Sacramentum solus Deus, nō modo instituit, sed & facit. Qui n. abluit in baptismo non facit sacramentum, sed ministrat: similiter qui abluitur recipit sacramentum, sed non facit. Et si vult Bellarminus, posse baptizantē dici facere Baptismū, dicam ipse quoque manducantem posse dici facere sibi Sacramentum communionis corporis Christi. Nam neq; Baptizans, dicens, *Ego te baptizo*, facit sacramentum, si non abluat: ita neque ministet dicēs, *Hoc est corpus*, siue orans, vt panis fiat corpus, facit Sacramentū cōmunionis & participationis corporis Christi, si nemo manducet. Quod ergo ibi facit lotio, hic facit manducatio. Et eadem ratione, qua Bellarminus merito negabat actionem frangendi, & distribuendi panem sanctificatum esse Sacramentum, quia non significant gratiam inuisibilem, negare etiam tenetur panem consecratum esse Sacramentum; quia neque panis consecratus significat gratiam inuisibilem quæ homini conferatur, animam sanctificans: sed si quam gratiam significat, eam pani, non homini factam significat: imo panis, vt visibilis est, nullam penitus gratiam inuisibilem significat: comestio tamen visibilis panis visibilis, significat gratiam nutritionis spiritualis in comedente; & hanc gratiam etiam efficit eo modo quo Sacramentum verum dicitur efficere gratiam quam significat. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Ioan. 6. 51.* Non panis, sed manducatio panis dat vitā æternam: non n. solus contactus panis sacri dat vitam æternam, sic enim satis esset etiam manib. illū contrectare, sed comestio in ordine ad concoctionem id efficit, *Accipite, & comedite*. Accipere ergo non est satis, sed comedere oportet, vt Sacramentum compleatur, & operetur, & accipere & comedere non est conditio sine qua non, sed est essentia huius Sacramenti, sicut lotio in Baptismo. Si enim aliqua ratione fieri posset, vt in alicuius stomacho reponatur panis sacer, vt ibi duntaxat reperiretur, & consisteret certo tempore, indeq; mox educeretur, non esset ei Sacramentum, neque effectum efficeret Sacramenti: comestio ergo non est conditio tātum: sed essentia.

CCLVII. Statuimus itaq;, essentiam Sacramenti Eucharistiæ cōsistere in comestione panis rite consecrati, ita vt Sacramentum sit talis comestio, res vero Sacramēti sit participatio spiritualis Christi corporis cū animæ nutritione. Iam vero de asseruatione Eucharistiæ non multum laboro: posuit enim vim consecrationis in pane perseuerare, ita vt sit panis Sacramentalis, saltem toto tempore quo spirituale nostrum durat conuiuium, etiam inclusis absentibus à synaxi, ad quos posset Eucharisticus panis deferri: imo etiam præsentes synaxi solebant sacrum panem linteolo mundo inuolutum secum domum asportare, vt in domo propria commodiore loco, precumq; opportunitate illum sacramentaliter sumerēt. *Tertull. supra & Aug. ser. 252. de temp.* An vero panis consecratus suā retineat consecrationem etiam extra illud conuiuium, pro quo directe consecratur, ita vt illum sacramentaliter & digne comedentes vere sumant Eucharistiam & de corpore Christi participent, ab vsu & praxi Ecclesiæ petendum est. Mihi porro dubium non videtur, communiones publicas quæ publica synaxi fiebant, semper factas fuisse, & fieri debere cum speciali liturgia, & consecratione panis tunc peragenda. Sed priuatas etiam communiones non possum negare, vt propter ægrotos moribundos, propter aduenas, aliosue absentes, qui in publica communione adesse non potuerunt, sed die sequenti aliove proximo, quo liturgia non haberetur, communicare vellent. Et horum similiumque euentuum gratia asseruatum fuisse panem sacramentalem mihi videtur ferme certum ex Patribus, & historiis quas recenset Bellarminus *de Euchar. li. 4. c. 4.* Nulla enim ratio persuadet, cur consecratio illa debeat euanescere; nam vnicum moraliter conuiuiū esse merito dici potest, quod perducit ab vna publica communione ad aliam, pro illis qui in ipsa publica communione non participarunt. In hac me sententia confirmat plurimum præter testimonia antiquæ asseruationis, etiam antiquorum templorum structura: vidi enim & obseruaui in plurimis, locum ad asseruationem Eucharistici panis, quasi armariolum quoddam præparatum. Et quia hæc armariola cernuntur in angulis, seu columnis, in partibus templi quasi abditioribus hinc satis euidenter colligo, non fuisse, vt nunc apud nos, asseruatam Eucharistiam ad adorandum, & ad preces coram ea fundendas. Post inuectam enim transubstantiationem, omissis illis armariolis ferme secretis, in præcipuo, aut insigni, & maxime patenti altari tabernacula quę vocamus, eriguntur, & preciosissimo opere, ornatuque fiunt conspicua, quod non nimis omnino est, & idolatriæ propriissimū fomentum, quia panis nudus, latriæ diuinæ cultu adoratur, qui, vt plurimum, ne Sacramentalis quidem sit, quia non ad necessitatem priuatarum illarum communionum iam apud nos asseruatur, sed ad solam adorationem: quę enim nobis nunc necessitas talis asseruationis pro ægrotis, siue aduenis, si quotidie innumerabiles Missæ celebrantur, quibus possit cōmunio quęcunque priuata exhiberi?

CCLVIII. Quæret quispiam, an quicunq; panis sit capax illi⁹ consecrationis, & possit esse materia sufficiens ad sanctū Eucharistiæ Sacramentum, loquor de pane visuali & triticeo, propter dubium adeo inter nos & Græcos agitatum, de azymo & fermentato, atque in azymo posse Eucharistiam consecrari & sumi, iam nullum dubium est, cum passim omnes Theologi concedant, æque esse capacem consecrationis alterum, atque alterum. Potius dubium reducitur, an æque in fermentato atque in azymo iam liceat Eucharistiam celebrare. Nos enim piaculum esse dicimus, si quis in fermentato eam celebret, secus vero Græci. Alii nihil referre aiunt, azymo ne an fermentato vtamur. Regula tamen illa videtur communis & merito admittenda, vt par sit illo nos panis genere in Sacramento Eucharistiæ vti, quo Christus vsus est in ipsa prima huius Sacramenti institutione. Atqui de hoc ipso lis est grauissima inter Sanctorum Euangeliorum interpretes, quam nondum plene quoquā hactenus, vt ipse censeo, diremptam, liceat mihi hoc loco, si fieri possit, dirimere.

CCLIX. Lis porro hæc in eo consistit, num Christus Dominus in vltima illa cœna, in qua institutum est Eucharistiæ Sacramentum, Phase celebrarit Iudaicum, hoc est Agnum Paschalem comederit, & consequenter, an azymo, an vero fermētato pane in illa cœna sit vsus. Est quidē iam cōmunissima omnium sententia, Christum in ea cœna Pascha comedisse, & cōsequenter azymis vsum: sed tamē Græci censent, Christum vno die diem primū azymorum præuenisse, quo die nondū fermentum esset iuxta legem è domibus abiectū: & ita azymis vsum in comestione Agni, in reliqua vero cœna pane fermentato, ac propterea in pane fermentato Eucharistiam dedisse. Sed hęc panis in vna & eadē cœna mutatio, nō habet ꝓbabilitatē: tota enim cœna Agni Paschalis ipsius Agni comestione absol-

absoluebatur, *Exod.* 12. nec alij cibi admiscebantur, & azymo pane vtendum erat. Multò quoque minus probabilitatis habet id, quod aiunt, Christum vno die Pascha præuenisse: erat enim legis obseruantissimus, neque licebat diem aut anticipare, aut postponere: sed ipsa quartadecima die primi Mensis ad vesperam Pascha erat comedendum. Itaque si cœna illa non fuit ipsa quartadecima die, sed decima tertia, Paschalis certè non fuit, sed communis, & ex fermentato: aut si Paschalis fuit, ipsa decimaquarta die ad vesperam facta fuit, quando fermentum è domibus Iudæorum ablatum iam erat.

CCLX. Hac de re dubij ingentis causam dederũt Euangelistarum verba: vt quid pro certo asseramus facile non habeamus, est enim nodus, si quis alius, in Euangelijs ad soluendum difficillimus, *Matth.* 26. 17. *Marc.* 14. 12. *Luc.* 22. 7. Matthæus enim Marcus & Lucas, primum diem dicunt fuisse azymorum, quando Iesus misit discipulos, vt pararent Pascha: & eadem die ad vesperam venit cum discipulis, & fecit illam cœnã, in qua dixit etiam illa verba: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, Luc.* 22. 15. Atq; hinc videtur certum, Christum manducasse Pascha in illa cœna, hoc est Agnum Paschalem, & illum diẽ fuisse primum azymorum, diem legitimum, nimirum decimum quartum primi Mensis. In contrarium tamen habemus Ioannem, qui *cap.* 13. 1. cœnã vltimam Christi dicit fuisse ante diem festum Paschę. At primus dies festus Paschæ incipiebat ad vesperam decimæ quartæ diei primi Mensis, initiumque talis festi erat ipsa cœna Paschalis. Habemus præterea in Iohanne, eo die quo Christus crucifixus est, ad vesperã Iudæos Pascha fuisse comesturos, certè postridie illius diei, quo à Christo vltima cœna facta est: nolebant enim ministri Iudæorum, qui Iesum vinctum ducebant, ingredi in Prętoriũ, *Ioh.* 18. 28. *Ioh.* 19. 14. 31. ne contaminarentur, sed comederent Pascha. Et de eodem die passionis idem Ioannes dicit, ipsum fuisse Parasceue Paschæ, hoc est diem quo præparatio fiebat ad comedendum Pascha ad vesperam, nempe quartus decimus primi Mensis. Igitur aut Christus in vltima sua cœna Paschalem Agnum manducauit, aut Ipse Dominus vno die præuenit verum diem; aut Iudæi vnum diem postposuerunt, & tamen vtrunque est valde improbabile.

CCLXI. Nodum hunc vt soluant aliqui, dixerunt & Christum cum Apostolis, & Iudæos eo Paschate Agnum die debito, hoc est quarto decimo ad vesperam comedisse; solos tamen sacerdotes, in captura & damnatione Christi occupatos, ad sequentem vesperam suam cœnam Paschalem distulisse, non sine legis violatione; tum in cœna Paschali differenda, tum in die festiuo tot actibus illicitis violando. Ita Chrysostomus *in Matth. homil.* 85. & Theophylactus *in cap.* 26. *Matth.* Abbas verò Tuitiensis Rupertus, eodem die quo CHRISTVS, omnes alios etiam Iudæos, & ipsos Sacerdotes censet legitimum Pascha comedisse, sed primi azymorum festi diei festiuitatem, ac celebrationem in alium diem distulisse, nimirum in Sabbatum, ne duos dies festos continuatos feriarent. At Paulus Burgensis, *addit. ad Lyr. in Matth. cap.* 26. ex Rabbinorum traditionibus, & ipse olim Rabbinus dilationem eo anno ponit non solum festiuitatis, sed etiam cœnæ Paschalis, in diem subsequentem, hoc est in quintamdecimam ad vesperam: Christum verò ait, vero legali die, quarto decimo primi Mensis voluisse Pascha celebrare. Hunc sequuntur iam plurimi, & ex nostris Iansenius *in sua Concord. cap.* 128. Maldonatus *in cap.* 26. *Matth.* Græci verò communiter, vt suum defendãt fermentum, Christum anticipasse esum agni asserunt, & die decima tertia ad vesperam Pascha cum suis discipulis comedisse, *Epiph. hæres.* 51. *Euthym. in Matth. cap.* 26. *& Nicephor. histor. lib.* 1. *cap.* 28. Nostri demum Illustrissimi Cardinales Baronius *tom.* 1. *ad ann.* 34. & Bellarminus *de Euchar. lib.* 4. *c.* 8. *&* 9. nodum abrumpunt; liberè asserentes, neque CHRISTVM, neque Iudæos vllos, aut Paschæ celebrationem omnimodam anticipasse, aut postposuisse; sed omnes simul vera & legitima die decima quarta, ad vesperam Agnum comedisse, & CHRISTVM ipso primo die festo azymorum passum & crucifixum.

CCLXII. Nulla tamen ex his quinque sententiis difficultatem soluit, sed omnes eam adhuc magis inuoluunt: & vt retrograde procedam, Postrema sententia modo recensita, sequentes grauissimas patitur difficultates. Primum, ex tribus Ioannis Euangelistæ locis, quorum primus est: cœnam Christi fuisse ante diem festum Paschæ, *Iohan.* 13. 1. quomodo ergo potuit cœna illa esse Paschalis, si ante festum Paschæ factũ est? Primus dies festus Paschalis incipiebat à vespera quartæ decimæ diei, initium verò erat ipsa cœna. Non remanebit, *inquit lex, Deut.* 16. 4. de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo, vsq; mane. Ecce ipsa vespera quartæ decimæ diei, quando agnus comedebatur, vocatur dies primus. Non est ergo bona argumentatio Bellarmini *de Euchar. lib.* 4. *c.* 8. dicentis: Si ipse dies Iouis fuit ante festum Paschæ, ergo dies Veneris, quo passus est Christus, fuit festus primus Azymorum. Nã dies Iouis iam lapsus erat, quando Christus cœnabat; & dies Veneris initium habebat à solis occasu: A vespera enim ad vesperã celebrabitis Sabbatha vestra, inquit scriptura, *Leuit.* 23. 32. atq; hoc pacto totus dies Veneris, in cuius initio cœna fuit, erat dies immediate pręcedens primum diem solennem Azymorum. Sunt qui dictione illa vulgatæ editionis (*diem*) difficultatem velint tollere, eam pro die artificiali, nõ naturali, sumentes, *Baron. tom.* 1. *ann.* 34. *num.* 28. hoc est, CHRISTI cœnam fuisse nocte præcedente diem lucidum primi festi Paschalis: sed hoc nihil est: Primum, quia Euangelistæ tempora in sensu communi & currenti describunt; deinde quia Euangelij Græci verba sunt: *Ante festum Pascha*, ibi nihil de die.

CCLXIII. Alter locus Ioannis est, *cap.* 18. 28. vbi Iudæi dicuntur, noluisse ingredi in Prætorium, ne contaminarentur, sed comederent Pascha: id autem erat die Veneris mane, nondum ergo comederant Pascha, sed ad vesperam eiusdem diei erant id comesturi: ille ergo dies Veneris erat quartus decimus primi Mensis. Ad hunc locum respondent aliqui, *Apud. Maldon. vbi sup.* Comedere Pascha esse comedere panes azymos; qui tota hebdomada illa comedebantur. Alij verò *vt Bellar. vt sup.* intelligunt hoc loco comedere Pascha esse comedere Victimas Paschales, quæ tota illa hebdomada Paschali immolabantur & comedebantur, *Num.* 28. 11. *Deut.* 16. 2. 2. *Paral.* 30. 24. *& cap.* 35. 8. & ad has comedendas requisitam fuisse aiunt munditiam legalem: Sciant tamen hi omnes, in Sacerdotibus quidem requisitam fuisse hanc munditiã, & sanctificationem legalẽ, quoties essent sacrificaturi, & pręsertim in victimis Paschalibus iugulandis, quarum prima erat agnus ipse Paschalis, 2. *Paral.* 30. 15. *&* 1. *Esd.* 6. 20. Et quoniam qui offerebat victimã, manumq; super eius caput ponebat, quasi in solidũ eam simul cum Sacerdote immolãs, mundus esse debebat, *Leuit.* 1. 4. agnum Paschalẽ immundo nemini offerre licebat, sed prius sanctificabatur etiã ipse offerens, isq; sanctificatus suum agnũ Sacerdoti offerebat, expectabatq; vt sanguis sui agni funderetur, adipemq; Sacerdos sumeret pro sacrificio, & tunc offerẽs carnes reliquas domum asportabat, assabat, & comedebat.

debat. Propterea immundi quidam dicebant Moysi, *Num.9.7.* Quare fraudamur, vt non valeamus oblatio-né offerre Domino in tempore suo inter filios Israel.] Cum verò postea multitudo filiorum Israel in immensum excreuisset, ac Hierosolymam ad Phase celebrandum (non enim alibi licebat. *Deut.16.5.*) conuenirent, vt plurimum sub ipsum diem primi Mensis decimumquartum, nec possent omnes sanctificari, ne tamen ea celebratione fraudarentur, expediens visum fuit in Cócilio puto Hierosolymitano, dicto à Græcis Synedrio, *Deut.17.9.* vt agnos immundorū Sacerdotibus offerrēt. Leuitæ ad hoc sanctificati; Sacerdotes agnos iugulabant, Leuitæ pellibus nudabant, *2.Paral.35.11.* interdū etiam iugulabant, *2.Paral.30.17.& cap.35.6.* carnes verò ipsis immundis reddebantur, & sic etiam immundi agnum Paschalem comedebant. Imo inuenio etiā morem, vt pro pauperibus ex populo, & adoenis, Reges, Magnates, diuites, & templi ministri, & agnos, & alias victimas Paschales in celebratione Phase donarēt; Leuitæ verò eas Sacerdotibus offerebant immolandas, *2. Paral.35.11.* carnesq; agnorū assabant pro cœna Paschali, & alias Victimas alijs diebus coquebant, populoq; non sanctificato distribuebant: qui verò manu propria volebāt agnum offerre sacerdotibus iugulandū, aliasque victimas immolandas, opportunius Hierosolymā se conferebant, vt commodum eis tempus suppeteret se ab immunditiis legalibus liberandi, ac proinde se ipsos sanctificandi, *Ioh.11.55.* & ita quidem factitatū Phase legimus post institutū Aaronicum sacerdotium: nam ante ipsius institutionem agnum hunc quisq; Paterfamilias offerebat, & etiam immolabat, *Exod.12.3.*

CCLXIV. Illi igitur Iudæi, Sacerdotum ministri, qui Christum vinctum ducebant, cum neq; diuites essent, neq; idonei ad victimas offerendas, necesse non habebant se in munditia legali conseruare, sed quia erant ciuitatis inquilini, par erat, vt ipsi suum agnū immolandum Sacerdotibus offerrent, & non per Leuitas, atq; ita munditiam conseruarent, & recenter habitam sanctificationem custodirent; ideoq; soliciti erant, ne contaminarentur, sed comederent Agnum eadem ipsa die ad vesperam. Hi profectò Sacerdotes nō erant, sed Sacerdotum ministri, ac satellites: Cum Iuda enim erat turba multa, *Matth. 26. 47.*—missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Vnus ex his erat Malcus, cuius Petrus abscidit auriculam, *Iohan. 18.10.* seruus Principis Sacerdotum. Hi igitur adducunt Iesum à Caipha in Prætorium—& ipsi non introierunt, vt non contaminarentur. Quibusnam, rogo, Sacerdotalibus scrupulis tales angi poterant circa Paschales victimas, si iam Paschalem agnum ad initium noctis præcedentis comedissent? Addo verò in scriptura quidem, facere Pascha, occidere Pascha, immolare Pascha, sacrificare Pascha, etiam ad victimas, præter agnum Paschalem, accommodari; at verò comedere Pascha non inuenio, nisi ad esum agni Paschalis pertinere. Quod verò attinet ad azyma, nullum est indicium, in scriptura, munditiam legalem fuisse necessariam in azymis Paschalibus præcise comedendis; non enim in azymis, sed in agno stabat sacrificium, & consequenter necessitas munditiei.

CCLXV. Tertius Ioannis locus erat, fuisse diem passionis Christi, parasceue Paschæ, *Ioh.19.14.* Respondent illi, Parasceue Paschæ significare illam diem fuisse parasceuen Sabbati intra hebdomadam Paschalem. Sensus tamen hic violentus est, vt parasceue Paschæ significet parasceuen Sabbati occurrentis in hebdomada Paschæ. Si quis nostrum vigiliam Sancti Ioannis Baptistæ, occurrentem intra octauam celebrationis festi corporis CHRISTI, vocaret vigiliam corporis Christi, ille ridiculum se omnibus præstaret. Et verum quidem est, nullum festum propriè suam habuisse parasceuen, nisi Sabbatum, nam nullum aliud festū prærequirebat ciborum præparationem pridie faciendam: sed quia eo anno dies primus solennis Paschæ contigit die Sabbati, ideo consequenter parasceue illius Sabbati, erat etiam parasceue Paschæ. Ob eundem sanè concursum etiā Sabbatum illud vocatum est à Ioanne, *cap. 19.31.* magnus ille dies Sabbati, ob adiectam nimirum Paschalem festiuitatem. Ex his igitur tribus Ioannis locis, vltima illa sententia primā patitur difficultatem.

CCLXVI. Altera etiam grauissima vrgetur difficultate, penitus ei insolubili, ac omnibus qui vltimā Christi cœnam faciunt cœnam legalem agni Paschalis, vero suo die celebratā nimirum decimoquarto die primi Mensis, ad vesperam. Ea verò est, necessario inde sequi, diem Christi passionis & mortis, fuisse diem festum solennem primum Azymorum: Cuius festiuitas nil minus debuit obseruari, quam festiuitas ordinaria Sabbati: & sanè in omnibus, vnica excepta ciborum præparatione: Nihil operis facietis in eis, *ait lex, Exod. 12.16.* exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent. Est tamē nullum est indicium in scriptura, illum diem passionis, festum fuisse, & in contrarium ex multis patet manifeste, illum diem Veneris festum non fuisse, sed profestum. Eo enim die tribunalia Iudaica apud Annam & Caipham aperta erant, testes examinati in causa capitali fuerunt, pecunia Iudæ numerata, Christus captus, & ligatus, ac condemnatus. Ac si in suo consilio Iudæi adeo timuerunt plebem, si in festo caperent Iesum, hoc est diebus illis Paschalibus, & dicebant, *Matth.26.5.* Non in die festo; seu veriùs, non in festo, ne forte tumultus fieret in populo, quanto magis timuissent, si tam impudenter et diem adeo solennem violare satrapas illos populus vidisset? Non adeo impij erant, vt legem apertè violare; quia in ea externè obseruanda erant et maxime superstitiosi, auderēt. Sed quid censebimus de viris iustis, & optimis, Iosepho ab Arimathia, & Nicodemo, legis profectò obseruantissimis? Emunt linteos, & aromata: officinæ talia vendentium apertæ sunt, emitur, venditur, pecunia tractatur: iidem Ioseph & Nicodemus deponunt mortuum de cruce, & sepeliunt: quæ omnia erāt lege prohibita, ne festis diebus fierent: nam & propterea ipsi Iudæi solliciti sunt, vt mors crucifixis, crurium confractione acceleraretur, vespera iam aduentante, vt ante solis occasum deponi possent, & sepeliri: alioquin totum diem Sabbati immediate sequentem oportuisset crucifixos illos in crucibus manere: ideo frangunt eorum crura, *Ioan.19.31.* vt non remanerent in cruce corpora Sabbato. Non ergo potest argumentum hoc effugere Bellarminus, *de Euchar. lib. 4. cap. 9.* ac dicere, non fuisse in diebus festis prohibita opera hæc charitatis, puta vngere, & sepelire mortuos. Nam & sanctæ mulieres eodem die emunt aromata ante noctem, vt transacto Sabbato, statim vngere possent corpus Christi in sepulchro, *Luc. 23.56.* Et Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum: mandatum igitur cogebat eas ab his operibus charitatis in die festo abstinere.

CCLXVII. Tertiam quoque, vltima illa opinio, patitur non leuem difficultatem: quod nimirum, si Christus mortuus est in ipso primo die Paschali, hoc est decimaquinta luna, profectò resurrectio ipsius cadit necessario in lunam decimam septimam. Potest igitur interdum contingere, vt Ecclesia in celebranda memoria Resurrectionis, eo die Paschale festum celebret, quo Christus iacuit in sepulchro. Id verò toties contingeret, quoties Iudaicum Pascha in die Sabbati contingit: nam sequenti die, qui est Dominicus, nos

celebra-

celebramus nostrũ Pascha, profectò luna decimasexta, seu decimosexto die primi mensis, quem tamen totum diem integrum Christi corpus exanime iacuit in sepulchro. Cur verò Ecclesia tantoperè abominata est quartadecimanos, nisi quia Christi resurrectio contigit decimaseptimo die, non decimoquinto, cuius initium erat in fine decimiquarti, neque decimosexto. Et qui cum Iudæis celebrant Pascha die ipsa quintadecima, imò etiam sextadecima, typicum Pascha celebrant, non memoriam veri, quod fuit die decimaseptimo primi Mensis.

CCXLVIII. Quarta opinio, quæ nunc est communis Græcorũ, est planè omnino improbabilis: nunquam enim licuit aut anticipare, aut postponere festiuitatem lege præceptam. Et Christus fuit legis exactissimus obseruator; nec vnquam scandalũ hoc exhibuisset, vt præuaricatorem legis se præstitisset: hostesq; ipsius illum de hac etiam Paschalis cœnę anticipatione, vt legis præuaricatorem, accusassent. Secretò, aiunt aliqui, & cautè id fecisse. Secretum tamen præuaricationem non excusat. Sed neq; secretum id fuit: nam & Dominus illius cœnaculi, & tota eius familia id apertè cernebat: & Iudas saltem secretum reuelasset, & Christi sicut vitam, sic etiam famam prodidisset.

CCLXIX. Tertia opinio, quę Burgensis nititur commento, stare non potest. Solennitas enim Paschalis, si ipsa decimoquarto die ad vesperam celebrationis suæ, initium habere non poterat, lege in quartumdecimum diem sequentis Mensis differri debebat, *Num. 9. 11.* Illius verò translationis à suo die ad diem proximũ, in memoria nulla extat, nullum documentũ, nullum indicium in Scriptura, imò ne in antiquis quidē historiis. Frustra verò translationē hanc ponunt ad vitandũ incommodũ præparationis cibi in duos festos dies concurrentes, nam Paschalis festiuitas ciborũ præparationem non vetabat. Si tñ Rabbini voluerunt concursum illũ vitare, poterāt ita Calendaria sua accommodare, vt decimusquintus dies primi Mensis, neq; in primum, neq; in vltimum hebdomadæ diem incideret, vt optimè infert Bellarminus *de Euchar. l. 4. c. 7. & 8.* Et si aliqua talis constitutio facta fuit à Rabbinis Iudęorum, ea recens est, & diu post Christum, vt idem probat. Quæro ego, si talis institutio translationis fuit iam tempore Christi, vel ea fuit licita, & legitima, vel secus: si legitima, cur ei Christus quoque se non accõmodat? Si illegitima, cur tam discipuli Christi, & sanctę mulieres obseruant; cur differunt celebritatem Paschæ cum Iudæis celebrandam: Hallucinatus ergo est Burgensis, & plurimos grauissimos viros in errorem traxit.

CCLXX. Secunda sententia, quæ est Tuitiensis, multò minus potest subsistere, cum imaginaria sit, & absq; vllo fundamento: separare enim ac diuidere ritum vnius diei festiui, in duos diuersos dies, neq; exemplum habet, neq; documentum in sacris Scripturis: & in Euangelio constat, illa die parasceue, hoc est die Veneris Iudæos ad vesperam agnum Paschalem fuisse comesturos *Ioh. 18. 28.*

CCLXXI. Prima quoq; opinio ex his tota concidit, quam contra quintam iam ostendi, non modo Sacerdotes, sed etiam plebem ad vesperam diei passionis Christi Pascha comesturos fuisse, eundemq; diem nemini, siue impio, siue pio, fuisse festiuum, sed profanũ, tam Christi discipulis, & sanctis mulieribus, vel ipsi Matri Christi, virgini sanctissimæ.

CCLXXII. Ex harum quinq; opinionum confutatione clare apparet, eo anno primũ diem Paschę festiuum incidisse in diem Sabbati: & consequenter pręcedentem diem qui fuit Veneris, & parasceue, & passionis, ac mortis Christi, fuisse quartumdecimum primi mensis, in cuius vespera agni Paschalis cœna legalis fuit celebrata. Atq; ita primus dies festus Azymorum fuit eo anno dies Sabbati, ab occasu solis diei Veneris, ad occasum eiusdē diei Sabbati, *Leuit. 23. 32.* Nec est cur aliæ dierum formæ huc obtrudantur: A vespera enim ad vesperam celebranda erant festa Iudæorum. Quicquid ergo legimus in sacra Scriptura de diebus festorum celebrandorum, id intelligendum est de die naturali, ab occasu ad occasum more nostro in Italia. Et semper fuit commune Hebræorum dictum, Agnũ Paschalem mactandum fuisse inter duas vesperas: hoc est inter vesperam solis iam ad occasum properantis, & vesperam crepusculi post solis occasum: prior vespera ad pręcedentem diem spectat, posterior ad subsequentem: & de hac secunda vespera commode intelligi potest ille Scripturæ modus dicendi, *Genes. 1. 5. Et factum est vespere & mane dies vnus.*

CCLXXIII. Iam verò cum inter Euangelistas aliqua videatur esse contrarietas, profectò ea quæ clara sunt, nec diuersas à litera patiuntur interpretationes manere debent: quæ verò clara non sunt, & aliam patiuntur, aut etiam poscunt à litera diuersam interpretationem, ea omnino sua sunt lenienda interpretatione. Clarissimum porrò est, & indubitatũ, vt probaui, ipsa decimaquarta die primi Mensis Christum passum, crucifixum, & sepultum: & illa vespera post Christi sepulturam, eo anno, prorsus secundum legem, à Iudæis Agni Paschalis cœnam fuisse celebratam. Et consequenter, pridie illius diei, nempe Iouis decimatertia luna ad vesperam, Christi cœnam vltimam non fuisse cœnam Paschalem, sed ordinariam & communem, licet extraordinario modo factam, absque esu Agni Paschalis, & consequenter absq; azymis.

CCLXXIV. Statim tamen obiicient mihi ferme omnes, trium Euangelistarũ dicta, vt aiunt: Prima die Azymorum, Christum misisse discipulos ad parandum Pascha: & innuunt, eadē die venisse ex Betania, & comedisse Pascha cum discipulis, dicente in eadē cœna Christo: *Luc. 22. 15. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ.* Ego verò respõdeo: Verba illa, Prima die Azymorum nullo modo posse intelligi, vt sonant, sed necessariò aliq̃ poscere interpretationem. Primũ, quia probabile nõ est, discipulos expectasse verum primum diem Azymorum vt cogitarent de paranda cœna Paschali; à Betania enim ad Hierusalem erat aliquod spacium, licet non longum, itineris. Deinde nusquam in scriptura reperimus ipsam quartam decimã diem primi Mensis vocari primam azymorum: vera enim prima azymorum erat quintadecima, *Deut. 16. 4.* quæ incipiebat post occasum solis diei quartædecimæ. Tum verò etiam quia initio primæ azymorum fiebat ipsa cœna Paschalis: quomodo ergo erat iam prima Azymorum, quando eunt parare dictam cœnam, si cœna erat initium dictæ diei.

CCLXXV. Nullus profectò Euangelistarum est qui dicat, in illa vltima cœna Christum cum discipulis agnum legalem comedisse, neq; vlla habemus in ipsis Euangelis indicia comestionis dicti agni: valida tamē habemus in contrariũ: Nam in hac cœna: Discumbebat cum duodecim, *Matth. 26. 20.* agnus verò Paschalis à stantibus & baculos in manibus habentib⁹ comedebatur: festinanter erat comedendum, at cœna Christi fuit longissima, sermone Christi longo mixta, pedũ lotione interrupta, & institutione Sacramenti Eucharistiæ insignis, *Ioh. 13. 14. 15. 16. & 17 c.* In hac cœna aderat ius aliquod carniũ, in quo intinctus est panis Iudæ porrectus; at in cœna Paschali nullũ ius esse poterat, quia assus tantum agnus comedebatur, *Exod. 12. 9.* Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua: In hac

cœna dictum est Iudæ. Quod facis fac citius, *Iohan.*13. 27.*&* 29. & Apostoli intellexerunt ijs verbis à Christo significari, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festū: nondum ergo dies erat festus, & adhuc emere licebat, & vendere, iam ad multam noctem.

CCLXXVI. Itaq; Christus die Iouis decimatertia primi Mensis ad vesperam cœnam vltimam, nō tamen Agni legalis, sed communem cum suis discipulis celebrauit. Vbi verò Euangelistæ asserunt, Prima die azymorum paratum fuisse Pascha pro Christo & discipulis, cum prima illa Azymorum non possit esse vera prima, quæ erat festina, necesse est eam fuisse primā præparatiuam hoc est biduo ante verum festum Paschæ: tum videlicet, quando Christus dixit, *Matth.*26.2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, hoc est luna decimatertia pridie ante parasceuen. Primum quidem Pascha, q iussu Dei celebratum est à Iudæis in Ægypto, primum diem præparatorium habuit ipsum decimū diem primi mensis, *Exod.* 12. 3. *Decima die huius Mensis tollat vnusquisque agnum, &c.* Postea tamen subsequentibus temporibus, non quidem decima die, sed decima tertia, hoc est biduo ante Pascha, præparatio incipiebat, vt ex Euangelijs facile colligitur, & ita prima dies Azymorum præparatoria fuit ipsa decimatertia. Eo die perrexerunt discipuli, & præparare cœperunt, non tamen absoluerūt: quia eadem die in cœna aliqui putauerunt dici Iudæ, vt emeret quæ ad diem festum essent necessaria, & illi quidē parabant verum Pascha pro sua propria die decimaquarta Mensis: sed illud non comederunt, nisi ex lactucis tantum amaris, quando sepulto iam Christo hinc inde sparsi latitabant, & prima præparatio fuit inuentio cœnaculi, *Marc.*14.15.*&* *Luc.*22.12 grandis strati, in quo facta est hæc vltima cœna, nondum Paschalis. Quod verò ait Marcus, fuisse primum diem Azymorum in quo immolabant Pascha, non potest intelligi de vera immolatione, quia mactatio agni fiebat die decimaquarta ante solis occasum: & illa non erat prima Azymorum, vt iam ostendi. Sensus ergo Marci est, Prima die præparatoria illius festi Azymorum, in quo festo agnus immolabatur, hæc enim verba: *Quando immolabant Pascha*: referenda sunt ad verbum, *Azymorum*, non ad verbum, *Prima die.* Et quod Lucas ait: Venit dies Azymorum quo oportebat occidi Pascha, intelligendum est tunc appropinquasse diem illum, ἦλθε δὲ, veniebas dies.

CCLXXVII. Quod etiam narrat Lucas, Christum dixisse, *desiderio desideraui hoc Pascha manducare*, non cogit, vt dicamus, Christum verum Pascha manducasse, quia dies illa non erat Paschalis, neque licuit eam anticipare: Christus igitur loquebatur in senso spirituali, & mystico, se Pascha nouum illis daturum sui corporis in Sacramento. Sic intelligit Tertullianus *adu. Marcio. lib.* 4. & ait: Christum non concupisse veruecinam Iudæorū edere, quando dixit, se desiderare Pascha manducare cum illis. Chrysostomus quoq; spiritualem solum admittit horum verborū sensum, dum ita scribit, *Chrys. in Matth. hom.* 83. Hac de caussa desiderio desideraui, *inquit*, hoc Pascha vobiscum comedere; hoc est tradere vobis res nouas, & Pascha dare, quo vos spirituales faciam.] Ac certè Christum non loqui de Pascha Iudaico, sed alio spirituali, satis etiam colligitur ex illis verbis, *Luc.* 22.16. *Dico enim vobis, quia ex eo non comedam amplius vsquequo compleatur in regno Dei.* Et quando, quæso, Christus manducauit verum Pascha agninum in regno Dei, estne illud manducaturus? Sensus igitur horum Christi verborum est, ipsum nō fuisse amplius cibum materialem cum Apostolis comesturum, nisi aut post resurrectionem, quam fortasse intellexit nomine Regni Dei: manducauit enim & bibit cū suis Apostolis, *Luc.*24.43. *Iohan.* 21.13. *Act.*10.41. non tā agnum Paschalem, sed cibum communem: ergo illud Pascha erat cibus communis, ex quo se manducaturū in Regno Dei promisit. Aut regnū Dei intellexit gloriam cœlestem post corporum resurrectionem, quando implendum est illud promissum, *Luc.*22.29. Dispono vobis sicut disposuit mihi pater Regnum, vt edatis & bibatis, &c. & tunc profectò non implebitur figura agni Paschalis, sed figura cuiuscunque cibi materialis, in cibum sempiternæ fruitionis conuertendi. Ita quando subiunxit: *non bibam de genimine vitis huius, donec bibam illud nouum in Regno Patris mei*, non significauit, se non habiturum conuiuium Paschale, sed absolute se non comesturum amplius cibum corruptibilem, nec potū bibiturum, nisi cœlestium consolationum, quando nos quoq; torrente voluptatis potabit, *Psalm.* 35. 9. vt optime explicat Augustinus *lib.* 1. *qq. Euangel. cap.* 43. quæ consolationes respondent cuiq; conuiuio terreno, & non cæremoniali conuiuio agni. Et sane par fuit, vt cum verus agnus erat iam proximus immolationi, figura & typus cederet veritati: nec agnus typicus comederetur, vbi verus agnus in nouo Sacramento esset comedendus. Et sic maneat, nullam esse rationem cur debeamus esse tam solliciti de Eucharistia in azymo consectanda, siquidem Christus eam primum in fermentato consecrarit: ideo Hidelbertus Cœnomonensis Episcopus *epist.* 44. *tom.* 3. *Biblioth.* delictum nullum agnoscit in quodam Sacerdote, qui in communi pane consecrauerat, sed eum puniendum censet, ob scandalum tantummodo, quia contra consuetudinem Ecclesiæ fecerat. Hæc scripturalis quæstio de vltima cœna, sit à me potius dubitatiue, quam definitiue tractata: si propositæ difficultates ab aliquo melius tollantur, in ipsius libenter concedam sententiam.

CCLXXVIII. QVINTA, & vltima DIFFICVLTAS in toto hoc capite de Eucharistiæ Sacramento est, An integritas Sacramenti requirat sumptionem & panis & vini consecrati. Vt paucis agam, Dico primo, Perfectum ac verum Sacramentum consistere in vtriusq; sumptione: ea enim fuit prima Christi institutio, *Matth.* 26.27. *Accipite & comedite: Bibite ex eo omnes: Hoc facite, &c.* non ergo satis fuit Christo concomitantia: deinde, quia Eucharistia & in pane, & in vino fuit vt plurimum saltem à fidelibus etiam laicis celebrata, & frequentata; tum demum quia de essentia Sacramenti est significatio, at vbi vel minuitur, vel tollitur significatio, ibi minuitur vel tollitur essentia Sacramenti. Instituit Christus hoc Sacramentum in forma conuiuij, mensæ, refectionis, ad vnionis augmentum, & ad charitatem significandam & excitandam inter fideles, charitas enim & amicitia inter homines maximè mutuis conuiuijs fouetur, & nutritur: Fatentur id nostræ Ecclesiæ in publicis precibus; dum sic orant; *In Missa ad tollendum schisma. Post com.* Hæc tua Domine sumpta sacra Communio, sicut fidelium in te vnionem præsignat, sic in tua Ecclesia vnitatis quæsumus operetur effectum.] Simul etiam ad ostendendum nobis ipsum esse, qui reficit, & cibat animas nostras. Vbi verò ab humano conuiuio aufertur vinum & potus, & sola esculenta sine poculentis præbentur, conuiuium siccum redditur, & valde imperfectū. Refectio quoq; hominis per cibum sine potu, mala refectio est, valdeque imperfecta. Cum igitur fideles ad sacram mensam simul conueniunt, debent externe & comedere & bibere, vt hinc significetur amicitia inter ipsos in Christo mutua: quod si simul comedunt duntaxat, & non bibunt, integrum significatum spiritualis per charitatem conuiuij non cernunt. Et qui exterius solo cibo reficitur absque potu, nequit intelli-

gere

gere securius à Christo plene refici, quia corpus solo cibo tantum reficitur, quod sufficienter non considerauit Bellarminus *de Euch. lib. 4. cap. 22.*

CCLXXIX. Dico secundo: Non esse adeo sub præcepto, vt Eucharistia & in cibo & in potu semper à fidelibus sumatur, quin ex graui, sed priuata priuatorũ caussa, possit cum fructu, & licitè etiam sub solo pane sumi: licet in tali casu Sacramentum verè & propriè, vt dixi, integrum non sit. Casus verò potest esse, vel vbi vinum non adsit; vel in abstemio, vel commoditatis priuatæ gratia, puta quia aliquis malit domi communicare, quam in Ecclesia, ex legitima caussa: is enim ferre secum panem potest, vinum non solet, vt exempla antiqua, *apud Bellarm. ibid. c. 34.* docent: sed lege vniuersali prohibere laicis omnibus, & auferre etiam inuitis vsum calicis, vbi nulla necessitas cogit, Ecclesia nullo modo potuit, aut potest: quod enim Christus concessit omnibus, perperam ab Ecclesia negatur: & vbi cõmodè exhiberi põt, & debet integrum Sacramentum, cum maxima iniquitate mutilatur & dimidiatur: & hoc merito expresse sub anathemate vetatur à Gelasio, *de Cons. dist. 2. c. Comperimus.* Canone Ecclesiastico.

CCLXXX. Dico tertio: Integritatem illã, quam per concomitantiã sub alterutra specie excogitaut nostri, vanam esse, & nullius momenti, quia supponit realitatem corporis Christi corporaliter præsentis, quæ præsentia cum nulla sit, nulla quoque erit integritas hæc, & concomitantia, & ita reuera sacramentum erit mutilatum.

CCLXXXI. Obiicient nobis vsum antiquum Ecclesiæ Catholicæ, quod in sexta feria maioris hebdomadæ communio fieret ex præsanctificatis, seruato nimirum pridie pane consecrato, non tamen vino. Respondeo, me nescire, quam antiquus, & quam legitimus, & quàm vniuersalis sit iste vsus: Sed profectò neque statim concesserim, communionem feriæ sextæ in Parasceue quam nunc celebrat apud nos pro se ipso sacerdos, esse in solo pane consecrato: nam vinum eo die per immissionem particulæ panis sanctificati, Alcuinus *de diuin. offic. c. 18.* asserit sanctificari. Quod si etiam ex aliquo mysterio Sacramentum eo die nõ integrum sumat Presbyter, id semel tu anno, & ex caussa mysterii fieri, ordinariè tamen fieri non debet.

CCLXXXII. Obiicient maximè periculum irreuerentiæ, si quid sanguinis Christi in terram effluerit: sed hoc periculum non tanti fecit vetus Ecclesia, vt propterea vellet dimidiare sacramentum: periculo enim occurri debet per humanam diligentiam: quod si in terram aliquid effluat, vinum tandem effluet, non sanguis Christi. At vero nos Romani grauiori, & certiori periculo exponimus corpus Christi (quod nos corpus Christi reale esse putamus) dum ipsum sub specie panis in pixidibus & tabernaculis diu includimus, vbi extra vsum sacramenti, panis ille panis tantum est, & forte ne sacramentalis quidem amplius, vt ibi à muribus sæpe, sæpissimè à tineis rodatur & consumatur; quo in casu cogimur asserere; intra viscera muris verũ & reale Christi corpus tantisper condi, dum species illæ perdurant, quæ est maior absurditas & irreuerentia, quàm si casu aliquid sanguinis in terram decideret, vbi potest aut colligi, aut lambi, aut tergi & exsiccari, ne conculcetur: Ac interim non mutiletur Sacramentũ, neque fraudentur fideles vsu calicis adeo proficui. Sacramentorum enim nos dispensatores sumus, & ministri, non Domini, nec tyranni, vt pro nostro arbitrio velimus subtrahere fidelibus id, quod ipsis à Christo Domino est concessum & mandatum: qui bene præuidebat illa pericula effusionis, & nihilominus voluit, vt in pane & vino Sacramentum hoc pro omnibus consisteret. Periculum hoc non emersit de nouo, fuit idem, ac perpetuum ab ipsa prima institutione, & Christo erat notissimum. Velle autem nos plus sapere, quam Christus sapuit, est summopere desipere. Ac iam tandem de potestate Ecclesiæ circa Eucharistiæ Sacramentum, hæc nobis dicta sufficiant.

CAPVT VII.

Pœnitentiam veram peccatoris, etiam externam Ecclesiasticam, vim magnam habere, non tamen propriè Sacramentalem.

SVMMA CAPITIS.

Aliqua magna potestas data est à Christo Ecclesiæ, sub metaphora clauium, num. 1. 2.

Remissio peccatorum non nisi in Ecclesia, primo per Baptismum, num. 3. *Deinde per Pœnitentiam præcipue internam,* num. 4. 5. *quæ fuit semper necessaria: nam lex non delebat verum peccatum per opera legis,* num. 6. 7. 8. 9.

Sola interna pœnitentia nunc etiam sufficit fideli, à num. 10. *ad* num. 20.

Externa pœnitentia Ecclesiastica ad claues proprie pertinet, vt prius Ecclesia liget, deinde soluat, à num. 21. *ad* nu. 30. *ipsa est homologesis,* nu. 31. *quo ritu fieret,* nu. 32. *quàm vtilis,* n. 33. 34. 35. 36. *publica & secreta,* nu. 37. 38. 39. 40. 41.

Pœnitentiæ partes examinantur, & earum abusus recensentur: contritio, n. 42. 43. *Confessio* à nu. 44. *ad* n. 48. *Satisfactio,* à num. 49. *ad* num. 54. *Absolutio, seu Reconciliatio,* num. 55. 56. 57.

Quæstio prima, an pœnitentia sit Sacramentum, num. 58. 59. 60. 61. 62.

Quæstio secunda, an pœnitentia sit necessaria, nu. 63. *Prima propositio de sola interna,* nu. 64. *Secunda propositio de clauium potestate,* nu. 65. *Tertia propositio de necessitate confessionis auricularis, & distinctione mortalium, ac venialiũ,* à n. 66. *ad* nu. 77. *Quarta propositio, de operibus satisfactoriis,* nu. 78. 79. 80.

Quæstio tertia, qui sint admittendi ad pœnitentiam, & qui repellendi, à num. 81. *ad* num. 87. *præsertim de moribundis,* à num. 88. *ad* num. 103.

De sigillo confessionis, num. 104.

I. INTER Ecclesiæ proprias ad interna potestates, merito tanquam insignis illa celebratur, quam Christus Dominus promisit Petro illis verbis, *Matth. 16. 19. Quodcunq; ligaueris super terram, &c.* omnibusque Apostolis dedit, dicens: *Matth. 18. 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Et *Ioh. 20. 23. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic duo potissimum quæri possunt: alterum quænam sit hæc potestas: alterum cui illa tribuatur. Priorem quæstionem *hoc capite,* posteriorem *in cap. 12. & postremo huius libri* absoluam.

II. Potestatem quam CHRISTVS sub clauium & ligandi atque soluendi metaphora suæ tradidit Ecclesiæ, esse illam ipsam quam suis Apostolis dedit post resurrectionem quando eis dixit, *Iohan. 20. 23. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,* satis probaui, *libr. 1. cap. 7. numer. 8. & sequentibus.* Quid verò sit hominem in suo peccato ligare, & quid à peccati vinculo soluere; & quomodo ac quando Ecclesia vtatur his clauibus, ligetq; ac soluat homines, nondum est à me explicatum. Hic igitur iam proprio loco id est præstandum, vt hæc magna Ecclesiæ potestas nobis plene innotescat.

III. Inter preciosissima dona, quæ Christus Dominus suæ impertiuit Ecclesiæ, recensetur Remissio peccatorum; quæ extra Ecclesiam Catholicam, hoc est extra veram illam Ecclesiam, cuius fundamentum & caput est Christus, cuius ædificatores fuerunt Apostoli sancti, ac viri Apostolici, nusquam & nunquam datur. Hæc remissio in Ecclesia variis obtinetur modis. Si ministeria & instrumenta spectes, quibus Deus ordinariè vtitur in donanda remissione peccatorum: prima per Baptismum, quem qui dignè ac rite accipit, is non modo à peccato originali, sed ab omni etiam actuali, si adultus sit qui baptizatur, plenam consequitur emundationē, & perfectam remissionem. Et quia, vt paulò ante monebam, potestas retinendi, & remittendi peccata, quam Christus post suam resurrectionē dedit Apostolis, *Ioh.* 20. 23. erat ipsamet potestas clauium promissa Ecclesiæ in Petro, *Matth.* 16.19. idcirco primam clauem ad remissionem peccatorum veteres Patres intellexerunt esse Baptismum, ac præsertim Cyprianus, qui *lib.* 1 *ep.* 6. hoc loco *: quorum remiseritis, &c.* allato, subdit: Quo in loco ostendit, eum solum posse baptizare, & remissionem peccatorum (*nempe per Baptismum*) dare, qui habent Spiritum Sanctum.] Coniungi profectò alibi, *de vnit. Eccles. sup. lib.* 1 *cap.* 7 *num.* 18 *huius operis.* claues, cum remissione, & vult clauium potestatem Petro promissam, datam esse hoc loco; igitur claues in Baptismo etiam operari sentit.

IV. Quoniam verò procliue est, homini in natura corrupta in peccata post Baptismum prolabi, & Baptismus non est repetendus, qui tamen non remittit peccata futura, ideo remedium peccatorum post Baptismum commissorum ponunt communi consensu ex sacra Scriptura Patres omnes in Pœnitentia, quam optimè Tertullianus *lib. de pœnit.* & Hieronymus *in Isa. cap.* 3. *& in ep. ad Demetriadem.* vocarunt secundam post naufragium tabulam. Valde tamen desiderabile est, vt ex Euangelio aliquid certi colligatur. Pœnitentiā toties, & tam vehemēter commendari in Euangelio, tanquam necessariam ad peccatorum remissionē, est manifestum: sed de peccatis post Baptismum commissis, nihil habemus præter illa verba Christi, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: quæ si quis de solo Baptismo, quia in baptismo, clauiū vsum agnoscebat Cyprianus, intelligat, quid quæso relinquetur, nisi sola pœnitentia generalis, quæ interna virtus est, ad DEVM videlicet mentis conuersio, & interna peccati cum dolore commissorum detestatio? Cum igitur hæc ipsa pœnitentia à Christo plurimum peccatoribus commendetur, & illa fuerit perpetuum & quasi vnicū remedium ad obtinendam à Deo peccatorum remissionem, siue sub lege naturæ, siue sub lege scripta, eiq; Christus in Euangelio, & Apostoli in suis scriptis nihil addiderint pro Christianis (nam de verbis illis *: Quorum remiseritis, &c.* postea agam) optimè mihi videtur sequi, post fidē nullum esse vniuersalius remedium pro peccatis post Baptismum à fideli commissis; quàm hanc ipsam virtutē pœnitentiæ internæ, *Act.* 15.9. Non quod ipsa pœnitentia interna aut mereatur, aut attingat effectiue remissionem, sed quia per pœnitentiam peccator disponitur vt fiat aptus ad consequendam diuinam misericordiā, sine qua ipse sibi esset graui impedimento, ne Deus illi remittat peccata, & quia misericordia diuina fideli bene disposito semper est parata, idcirco dispositio hæc suo modo dici potest caussa remissionis: vt remouens prohibens, quia illa posita ponitur & remissio, qua de re optime Augustinus *in Psal.* 110. Iustitiam, *inquit*, homo non operatur nisi iustificatus: credens autem in eū qui iustificat impium, à fide incipit; vt bona opera nō præcedentia quod meruit, sed consequentia quod acceperit ostendunt. Vnde ergo illa confessio pœnitentialis? Nondum quidem opus est iustitiæ, sed delicti improbatio.]

V. Pœnitentia ergo, cum ipsa non sit opus iustitiæ, non iustificat, neque ex caussa meritoria remissionis, sed improbando & detestando peccatum, amouet, (& hoc non sine diuina gratia) impedimentum remissionis, quæ sanè amotio etsi caussa meritoria non sit remissionis, neq; impulsiua, quæ Deum moueat ad peccata remittenda, est tamen caussa quædam applicatiua, & suo modo remotum efficiens remissionis: eo modo quo Philosophus motum effectiuè esse dicit, non modo à generante, aut impellente, sed etiam à remouente prohibens; vt quando *Iudic.* 16.30. Samson, amotis columnis, ædificium totum Philistinorum dicitur demolitus, non quod ipse ædificiū deiecerit, sed quod omne graue sponte tendat deorsum, cum primū amota ea fuerint quæ grauia in alto detinebant. Ita Deus sponte paratus est iustificare à peccato gratis quemcunque fidelem, modo ille remoueat prohibens, id est, peccatum. Et sicut qui aperit fenestras merito dicitur cubiculum illuminasse, quia lumen erat ex se paratum ingredi, si obstaculum in fenestris positum auferretur, & ille qui id abstulit dicitur caussa aliquo modo illuminationis, licet ille neque lumen produxerit, neque induxerit; sic peccator adiutus diuino auxilio aperit fenestram diuinæ gratiæ, & iustitiæ per detestationem peccati, ipse tamen verè neque gratiam producit, neq; suæ est autor iustitiæ, quam Deus gratis, & ex sesa sponte donat, aperienti tamen fenestras per pœnitentiam, & iustitiam per fidem apprehendenti. Atq; ita pœnitentia est caussa motus diuini ad remittendum peccatum, non vt generans, aut impellens, sed vt remouens prohibens duntaxat, quod est principium motus externum tantummodo, remotum, & per accidens, seu potius caussa sine qua mobile non moueretur, stante impedimento.

VI. Hanc pœnitentiam internam, quæ interdum in actus etiam externos pœnales proruperit, tanquam optimum & singulare remedium ante Christum fuisse dispositiuè, ad diuinam flectendam misericordiam, facile est ostendere. Lumen certè naturæ, cum diuina illustratione agnouit & exercuit hanc pœnitentiam, vt patet in Iob *c.* 21. *&* 24.42. Sub lege nulla sacrificia verum peccatum delere poterant, & hominē iustificare, *Rom.* 3.20. *Gal.* 2.16. Ex operibus enim legis homo non iustificatur, & impossibile id erat legi, *Rom.* 8.3. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata, *Heb.* 10.4. Sanguis enim hircorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, *Heb.* 9.13.] non autem ad emundationem animæ. Ideo *Act.* 13.38. per Christum annunciata est Iudæis remissio peccatorum, ab omnibus quibus nō potuerunt in lege Moysi iustificari. Sacrificia enim illa omnia quæ pro peccato offerebantur, non erant nisi ad emundationem carnis; & hæc sunt inter illa opera legis, per quæ toties Paulus negat potuisse hominem vera iustificatione coram Deo iustificari. Nam verè, si totā legem percurramus, inueniemus peccata illa quæ sacrificiis purgabantur, non fuisse vera peccata coram Deo, sed potius immunditias quasdā legales externas, aut peccata quidem, sed ex iis, quæ à Deo plerumq; nō imputantur. Ita peccatum ex ignorantia verè excusante commissum sacrificio mundatur, *Leuit.* 4. *& Num.* 5. *&* 15. Peccatum similiter contactus rei per legem immundæ, *Leuit.* 5. Peccatum detentionis rei alienæ & post restitutionem, *Leuit.* 6. Peccatum per errorem contra cæremonias, *Leuit.* 5. *& Num.* 15. Peccatum cum ancilla, *Leuit.* 19. & pro talibus peccatis, etiam in genere,

acpro

ac pro defectibus circa obseruationem cæteni onsalium instituta sunt sæpe sacrificia, quibus tales defectus purgarentur, & ignoscerentur *Leuit.* 8. *&* 9. *&* 10. *&* 14. *&* 16. *& Num.* 6. *&* 15. *&* 28. *&* 29. *&* 2. *Paralip.* 29. *&c.*

VII. Vbi tamen agitur in lege de vero grauique aliquo peccato, quale potissimum est Idololatria, *Exo.* 33. & murmuratio *Num.* 14. putasne id sacrificijs legalibus purgari? minime verò, sed fide, & pœnitentia. Audiamus preces Salomonis, 3. *Reg.* 8. 33. *&* 2. *Paral.* 6. 24. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Israel.] Hic non agitur de sacrificio vllo externo pro peccato. Dauid quoque pro adulterio & homicidio obtulitne aliquod sacrificium externum quo mundaretur? Sacrificium ipsi fuit maxima pœnitentia, summaque in DEVM fides, & humillima precatio, *Psal.* 50. 1. *&* 18. *Miserere mei DEVS secundum magnam misericordiam tuam — quoniam si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium DEO spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEVS non despicies.*] Itaque semper etiam sub lege, gratis ex pura misericordia à DEO sunt hominibus peccata remissa, non autem ex vllo opere legali; & hoc toties Paulus inculcat, sanctos fuisse fide justificatos & non vllis operibus legis. Nam quod spectat ad opera legis, vt obseruat Iustinus *in qq. à gent. posit. quæst.* 97. peccata grauia & vera expiabantur lapidibus, igne, gladio, defossione, &c. & non aliena, ac bestiarum, sed proprij sanguinis effusione. Lex enim ceremonialis gratiam & misericordiam nesciebat, remedium dabat pro leuiusculis illis irregularitatibus corporeis & defectibus vix culpabilibus, sine graui conscientiæ macula. At verò qui post pœnitentiam per fidem ac gratiam mundabantur, certe virtute Euangelij, & CHRISTI venturi, non virtute legis mundabantur. An autem & quomodo circumcisio, quæ erat primum & maximum opus legis, mundaret à peccato originali, non est hic locus disputandi. Certe Pauli regula generalis est, ex operibus legis nullum peccatum verum remitti.

VIII. Obseruauit id Iustinus etiam; nam proposita quæstione, Cur gratia legis Euangelicæ videatur inferior legi ipsi Mosaicæ, circa peccatorum remissionem, (siquidem in Euangelio vnicum est lauacrum peccatorum, idque semel in vita duntaxat suscipiendum, in lege verò lauacra ipsa, & aspersiones, & expiationes variæ multiplicentur) sic respondet *in qq. à gent. posit. q.* 97. Lex lauacro & hostijs dat delictorum eiusmodi remissionem, quæ nihil ad Reipublicæ detrimentum, hominumve vitæ pertineant, in quo est genere mortui, elephantici, aliorumq; eiusdem generis tactio. Quæ autem mala & scelera ad hominum consuetudinem, vitamq; detrimentum pertinent, eis lex non dat veniam, nec expiatione, nec bestiarum immolationibus, sed æqua dignaq; præmia dat ijs qui peccarunt, pœna talionis. Vitam, inquit, pro vita, oculum pro oculo, dentem pro dente. Vbi autem par pœna indigna est, ibi scelestos pœna ignis, lapidatione, gladio mulctat. Sacerdotis enim filiam scortantem igne conficit. Eam autem viri de populo, lapidibus obruit, quæ autem viro nupsit, gladio vult interfici, nec vsquam in eo vis legis est, vt humanitatis ratione ducta expiationibus aut hostijs, talium aliquem seruet. At gratiæ magna est quædam in eorum qui peccant humanitatem, vis & potestas. Hæc enim, lege etiam stante, nisi Dauidem Regem, qui duobus sceleribus mortiferis se contaminasset, patefacta ei pœnitentiæ porta, complexa esset, in lege seruatricem non inuenisset humanitatem. Hæc in mundo expertum clarumque peccatorum medicum pœnitentiam statuit, quæ eos etiam qui septem & septuaginta peccatis se inquinant, curare potest, dummodo pœnitentiæ voluntate & instituto vti velint.] Et Ambrosius *in Luc. l.* 6. *in c.* 7. Lex peccatorum nescit remissionem, lex mysterium non habet quo occulta mundantur, & ideo quod in lege minus est, consummatur in Euangelio.] Necessitatem hanc pœnitentiæ internæ etiam sub lege, probant alia plura scripturæ loca, *Leuit.* 21. 1. *Esd.* 10. *Isa.* 1. *Hier.* 8. *&* 18. *&* 31. *Ezech.* 18. *&* 33. *&c.*

IX. Itaque perpetuo ante Christi aduentum homini fideli in DEVM credenti, sed peccanti, pœnitentia hæc interna cordis contriti & humiliati fuit necessaria. Sic verò pœnitentes peccatorum plenam remissionem coram DEO obtinuisse, etiam antequam Christus re ipsa pro peccatis hominum mortuus est, quis dubitet? De remissione peccati post pœnitentiam sæpe fit sermo in veteri scriptura, licet interdum peccatum sumatur pro pœna debita peccato, *Exod.* 10. 17. *Dimittite peccatum mihi*, dicebat induratus Pharao, sed tunc à se plagas deprecabatur, vt Moyses & Aaron eas suis precibus amouerent. *Dominus transtulit peccatum tuum*, dictum est Dauidi 2. *Reg.* 12. 13. sed translatio hæc potuit esse in puerulum vt ipse moreretur. *Tu propitiare peccato* dicebat Salomon 2. *Paral.* 6. 25. qualis autem sit propitiatio, statim subdit, *& reduc eos in terra, &c.* Alias tamen ait scriptura, *Psal.* 31. 1. *Beatos esse quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta peccata.* Erant ergo tunc aliqui tales beati. Ait etiam, *ibid. v.* 5. *Dixi confitebor, &c. tu remisisti impietatem peccati mei*: Item, *Ezech.* 18. 22. *& Hierem.* 31. 34. *Quoties iniquus egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: Item, *Isa.* 1. 18. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur, &c.* Hæc verò omnia de punitione & vindicta intelligi non possunt: Sed de totali abolitione reatus sunt intelligenda. A Dauide eximio pœnitente impetratam fuisse remissionem, non est ambigendum: Propheticum verò est pro remissione Euangelica, vbi confessionem illam suam perfectissimæ pœnitentiæ sic tandem concludit, *Psal.* 50. 30. *Benigne fac Domine in bona voluntate tuâ Syon, vt ædificentur muri Hierusalem, tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.*] De terrena Hierusalem non loquitur, quæ jam erat tota perfectè vnita, & mœnijs integrè circundata. Sed loquitur de Ecclesia CHRISTI, vt postquam fuerit per CHRISTVM fundata, & ædificata, tunc homines fideles sint longe facilius justificationem adepturi, per sacrificium jam actu exhibitum justitiæ CHRISTI. Et tunc sacrificium laudis sit plene reddendum, quando CHRISTI sanguine mundati fideles; & hyssopo eiusdem CHRISTI aspersi super niuem sint dealbandi: Hyssopum Christi humilitatem significare docet Augustinus *in Psal.* 50: *& tract.* 119. *in Ioan.* Refert tamen Irenæus, *l.* 4. *cap.* 45. Presbyterum quendam auditorem eorum, qui ab Apostolis ipsis doctrinam quam docebant hauserant, docere solitum, ipso Irenæo eum audiente, veteribus fidelibus, de ijs quæ sine consilio spiritus egerunt, eam quæ ex scripturis esset correptionem sufficere; & remissionem plenam non habuisse, nisi post CHRISTI mortem; sed Presbyter ille, cum contraria scripturis tradiderit, erat omnino ab Irenæo reijciendus, vt sequenti capite melius considerabo.

X. In noua quoque lege certum est, initium prædicationis Euangelicæ factum esse ab intimatione

pœnitentiæ, *Marc.* 1. *Luc.* 3. *Matth.* 3. & sæpissime pœnitentiæ necessitatem inculcari. *Marc.* 6. *Luc.* 13. & 15. & 17. & 24. *Roman.* 2. 2. *Corinth.* 7. 2. *Timoth.* 2. *Hebr.* 6. *Act.* 2. & 5. & 8. & 20. 2. *Petr.* 3. *Apoc.* 2. & 3. & 9. & passim in Nouo Testamento, in quo hæc, & alia plurima loca internam coram DEO pœnitentiam, ad obtinendam peccatorum remissionem necessariam suadent: quibus etiam instructi sancti Patres pœnitentiam eandem internam vt necessariam, & dispositionem pro remissione obtinenda etiam sub Euangelio agnouerunt. Ne quis putaret fidem in DEVM & CHRISTVM Dominum absque pœnitentia efficere, vt habenti hanc fidem, mortuam scilicet, peccata non imputentur: Audiamus Iustinum Martyrem *dial. cum Tryph. ad finem.* Si omnes, *inquit*, qui misericordiam à DEO consequi volunt, superioris vitæ pœnitent, id præstare possunt, eosque beatos scriptura appellat his verbis, *Beatus est cui Dominus peccatum non imputauit.* Hoc autem significat, eum quem scelerum suorum pœnituerit, peccatorum veniam atque remissionem accepisse à DEO: non vt vosmet ipsos fallitis, aliique nonnulli vobis similes, qui ex hoc concludunt, si peccatores sint, dummodo DEI notionem habeant, Dominum sibi peccata non esse imputaturum. Hoc declarat, vnum peccatum Dauidis quod propter gloriationem & superbiam suam admisit, quod quidem tum denique remissum est, cum ita clamauit, & lamentatus est, vt Scriptura declarat. Quod si tali gratia delicti antefacta non est, quam eum illius pœniteret, sed cum hæc magno clamore pronunciauit, magnus ille Rex & CHRISTVS & Propheta: quid est causæ, cur impurissimi, flagitiosissimiq; & desperati, nisi lamententur, plangant, eosq; pœniteat scelerum, Dominum sibi peccatum non esse deputaturum, sperare possint?]

XI. Neque est vlla ratio, cur pœnitentia hæc interna absque externa exomologesi sufficiens fuerit dispositio ad obtinendam à DEO remissionem peccatorum sub lege naturali, & sub lege scripta, sub Euangelio vero non sit sola sufficiens. Nihil aliud solet in contrarium vrgeri, nisi quod prætenditur, CHRISTI præceptum auricularis confessionis, & Sacerdotalis absolutionis vel in re, vel in voto. Quod sanè præceptum inferius discutere conabor. Interim facilè ostendo, id præceptum Patribus ignotum fuisse, agnouisseq; solam internam pœnitentiam, quæ vocatur à Scholasticis contritio, ad remissionem plene obtinendam posse, & solere esse sufficientissimam. Primum enim passim iisdem locis sacræ Scripturæ vtuntur, ad suadendam pœnitentiam fidelibus Euangelij, quibus fideles legis Mosaicæ ad pœnitentiã instruuntur, & ordinariè nihil noui superaddunt, modumq; eundẽ inculcant agendæ pœnitentiæ, quem veterum exempla monstrant. Iustinus *apol.* 2. ea pœnitentia informari ait Catechumenos, quæ dicuntur, *Isa.* 1. 16.

XII. Ambrosius: *de pœnit. l.* 2. *cap.* 17. Quid vereris apud bonum Dominum tuas iniquitates fateri? Dic, *inquit*, iniquitates tuas, vt justificeris. Adhuc ereo culpæ justificationis præmia proponuntur. Ille enim justificatur, qui proprium crimen sponte agnouerit. Deniq; justus in exordio sermonis accusator est sui. Nouit omnia Dominus, *Prou.* 18. 17. sed expectat vocem tuam: non vt puniat, sed vt ignoscat: non vult vt insultet tibi Diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accusatorem tuum: si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, & si mortuus fueris reuiuisces.] Item Ambrosius: *in Apol.* 1. *Dauid. cap.* 6. Dauid sic dilexit Dominũ, ait, vt nimia charitate peccatum omne tegeret, atque absconderet. Etenim si Apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis abolevit, Domino dicente ei tertiò, *Simon Ioannis amas me, &c.*—Si quia semel Petrus fleuit, veniam reportauit, quanto magis Dauid, qui lauabat per singulas noctes—etenim si eius qui conuersus ingemuerit miseretur Iesus, si Petrum aspexit, & ille fleuit, quanto magis qui diu fleuit Dauid à conspectu Domini non recessit.] Hic profectò nullum discrimen ponitur inter modum pœnitendi Petri & Dauid: & Iesus dicitur ingemiscenti, vt est in Ezechiele *c.* 18. parcere. Cassianus hæc habet *collat.* 20. *c.* 8. Postremo, quis est, qui nõ possit suppliciter dicere; Peccatũ meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non operui, *Ps.* 31. 5. vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur, Et tu remisisti impietatem cordis mei.] Plena sunt omniũ Patrum scripta adhortationibus ad pœnitentiam per ea loca veteris Scripturæ, in quibus commendatur pœnitentia, & eundem effectum promittunt. In his ergo recensendis non immorabor.

XIII. Deinde ostenditur internæ solius pœnitentiæ, seu contritionis sufficientia, ad obtinendã peccatorũ remissionẽ, ex eo quod ipsi Patres illi soli expressè tribuunt ipsam remissionẽ. Chrysost. *in* 1. *Cor. hom.* 28. *in* ea Pauli verba: 1. *Cor.* 11. 31. Quod si nosmet ipsos dijudicaremus, non vtiq; judicaremur ait, Non dicit, Si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solũ, si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos cõdẽnare, si de delictis ferre sententiã, liberatemur ab eo, quod & hic & illic est supplicio. Nã qui se ipsum condẽnauit, duplici ratione Deũ placat, & quod peccata agnouerit, & quod in futurum sit tardior.] Hic soli internæ pœnitentiæ remissionẽ dari asserit Chrysostomus. Ambros. *in Luc. c.* 22. *De Petri negat. & ser.* 46. clarius: Lauãt, *inquit*, lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri: & veniæ fletus consulunt & verecundiæ, lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur.]

XIV. Augustinus peccata saltem cordis, etiam mortifera, quæ committuntur per solum consensum internum, sola interna pœnitentia remitti asserit. *Aug. de verb. D. ferm.* 43. Nam resuscitationem filiæ Archisynagogi in domo factam applicat mortuis spiritualiter per solum internum consensum: Sic ergo, audeo dicere, *inquit*, aliquid decreuisti in corde tuo, si reuocaberis ab actu tuo sanatus eris, antequam perpetres.] Item: *Ibid. serm.* 44. Sunt ergo intus, qui peccatum in corde habeant, in facto nondum habent—consensit in corde, mortuum intus habet—condemnatur consensus—respiratur in salutem: Surgit mortuus in domo, reuiuiscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus, intra latebras conscientiæ, tanquam intra domesticos parietes.] Et de alio peccante etiam opere, ait, *Idem lib.* 50. *hom.* 40. Ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum.] Nihil addit de externa confessione.

XV. Sufficientia hæc solius internæ pœnitentiæ etiam in genere pro quocunq; peccato, adeo dilucidè solet à Patribus poni, vt expresse confessionis cujuscunq; externæ negent necessitatẽ. Chrysostomus *in ep. ad Heb. hom.* 31. Non tibi dico, *ait*, vt ea, *tua peccata* tanquam pompam in publicum proferas, neque vt te accuses, sed vt pareas prophetæ dicenti, *Psal.* 36. 5 Reuela Domino viam tuam. Apud Deum ea confitere, apud judicem confitere peccata tua, orans, si non lingua, saltem memoria: & ita roga, vt tui misereatur.] Item; *Idem homil. de pœnit. & confess.* Neq; necessarium præsentibus testibus confiteri: cogitatione fiat delictorũ exquisitio, absq; teste sit hoc judiciũ. Solus te Deus confitentem videat, — Hic, absque teste judicium, & tu qui peccasti condemnas.] Hæc profectò inepiè trahentur

bentur ad solam cōfessionem publicam: Apud Deum enim, ait, confitere, si non voce, sola memoria: absque teste, at certè sine voce, sola memoria coram secreto etiam confessario non possunt peccata commemorari. Et hoc est quod dicebat supra Ambrosius, lachrymas, & veniæ consulere, & verecundiæ; at certe magna est verecundia etiam secreto confessario propria peccata detegere. Pœnitentia autem interna obtinet remissionem sine læsione verecundiæ, quia illa sola satis esse solet, absq; externa confessione. Sic Basilius *hom. 22. in Ps. 37.* qualis esse debeat nostra pœnitentia ex Dauidis pœnitentia colligens ex illis verbis, *Rugiebam à gemitu cordis mei*, ait, Non vt multis conspicuus fiam labiis confiteor, verū intus in ipso corde oculos claudens tibi soli videnti ea quæ in occulto sunt gemitus meos ostendo, in me ipso rugiens; neq; n. longis sermonibus mihi opus erat ad confessionē, sufficiebant n. gemitus cordis mei ad confessionē, & luctus à profundo animi ad te Deū emissi.] Cassianus Chrysostomū suum Magistrum, quin & Ambrosiū secutus, ita scribit; *coll. 20. c. 8.* Quod si verecundia retrahente, reuelare ea corā hominibus erubescis, illi quē latere non possunt confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere; *Iniquitatem meam ego cognosco, &c.*— qui & absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consueuit.] Neq; hæc ad publicam pœnitentiam pertinent, quia jugi supplicatione corā eo cōfitendum esse ait, quem latere peccata non possunt: At certè is non est secretus confessarius, qui & verecundiæ causa est, & improperare solet, ac ordinariè tenetur, dum corripit pœnitentem.

XVI. Laurentius Nouarriensis Episcopus, quinti seculi Pater, *de pœnit. hom. 1. Biblioth. tom. 2.* Ex illa die, inquit, illaque hora, qua egressus es de lauacro, ipse tibi es fons jugis, & diuturna remissio. Non opus habes Doctore, non dextra sacerdotis. — Exinde te ipsum statuit tibi iudicem & arbitrum, deditque tibi notitiam, vt possis ex te discere bonum & malum. — Et quia non poteras, manens in membris, corporisque compage, liber existere à peccato, immunisque esse à noxa post Baptisma, remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, vt non quæras sacerdotem, cum necessitas flagitauerit (*hoc est quando te peccati grauatum senseris*,) sed ipse iam a esi scitus perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas — Fons nunquā deficit, aqua intus est, ablutio in arbitrio est, sanctificatio in solertia est, remissio in rore est lachrymarum — Noli tu iam quærere, neq; Ioannem, neq; Iordanem, ipse tibi esto Baptista: pollutus es post lauacrum, vitiata sunt viscera tua, contaminata est anima? tingere in aqua pœnitentiæ, ablue te abundantia lachrymarum, exuberet fons compunctionis in extis tuis, exundent aquæ viuæ in fibris tuis: para te venienti Domino, & ipse te baptizabit in Spiritu Sancto, & igni, — & pœnitentiæ quidem fructus, ac si triticum, congerit in tuū profectum; peccata verò tua quasi pestilentiæ paleas comburet igne inextinguibili. Hæc est priuata remissio intimo corde prouocata, & pœnitudine acquisita — videt oculus, concupiuit caro? peccauit anima, fleuit iterum oculus? abluta est caro, absoluta est anima.] Et non loquitur de Baptismo, sed perpetuò de sola interna pœnitentia, cum plena remissione, cum expressa exclusione confessarij, tanquam necessarij.

XVII. Illud præterea notissimum est, Patres veteres sola hac interna pœnitentia sufficienter disponi hominem agnouisse, ad sacram Eucharistiam dignè recipiendam, & confessionis externæ necessitatem communicaturis non imposuisse. Augustini, siue Gennadij dictum est, *de Eccl. dog. c. 53.* Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo, quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfacit lachrymis, & orationibus. Et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni internæ donare cōsueuit, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere — sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus; sed mutato prius sæculari habitu, & confesso religionis studio, per vitæ correctionem, &c.] Hortatur ad externam pœnitentiam, pro grauibus criminibus Augustinus: non obligat: monetque interim etiam secreta satisfactione, nimirum per internos solos actus detestandi illa, & statuendi firmiter intra se, velle vitia corrigere, & talem ad Eucharistiam tuto frequentandam hortatur, nulla profectò præuiæ externæ confessionis facta mentione. Quid verò sibi velit illa habitus sæcularis mutatio, dicam postea.

XVIII. Si olim fuisset necessitas, imo si consuetudo confitēdi sponte præfectis Ecclesiæ propria peccata, antequam ad sacram mensam accederent, non diceret alibi Augustinus *de diuer. serm. 19.* Nonne fit modo in Ecclesia malis hominibus qui volunt perturbare Ecclesiam, vt tolerentur ad necessitatem ipsius pacis, vt admittantur, vt habeant Sacramēta communia? Et aliquādo scitur quia mali sunt, & conuinci forte non possunt vt emendentur, &c.] Passim enim apud Patres, præsertim apud Augustinum *ibid. & l. 50. hom. 50. & 12.* reperimus, pœnitentiam externam iniungi vel sponte confessis, vel sufficiēter conuictis. Quod si quis peccator non conuictus accederet ad sacram cœnam, neq; vellet confiteri, is omnino admittendus erat. Sed huic dicit Augustinus, *vbi sup. serm. 19.* Tibi manducas judicium, tibi bibis judicium.] Non sic ei diceretur, si confessio fuisset in præcepto, vel in vsu. Et Nouatiani objiciebant Catholicis, quare admitterent ad communionem corporis Domini eos quos scirent esse peccatores: Respondebatur eis, *Autor qq. vet. & nou. Test. q. 102.* Non posse esse accusatores eos qui sunt iudices, si autem accusati fuerint, aut manifestati, posse eos abijci.] Non igitur confiteri necessariò solebant communicaturi; quisq; enim suæ sibi conscientiæ erat moderator, & suo priuato judicio se ipsum probabat.

XIX. Chrysostomus quoque verba illa Pauli; *1. Corinth. 11. 28. Probet autem se ipsum, &c.* certè non intellexit de probatione facienda per externam confessionem, sed de sola interna, quæ sola possit sufficere vt peccator tuto accedat ad sacra mysteria sumenda: sic enim scribit, *in 1. Cor. hom. 28.* Probet autē se ipsum vnusquisq;, & tunc accedat: neq; iussit alteri alterū probare, sed sibi seipsum, faciēs judiciū ad quod populo nō pateat aditus, & probationē quæ careat testibus.] Hunc locū nostri de publica pœnitentia intelligendū esse contendunt. Sed frustra: nam verba illa, *alterum alteri*, excludunt etiam Confessarium: & vt melius explicet se de solo judicio interno loqui, quod quisque in seipsum exercet, ait, Sibi seipsum deberē quemque intus probare; ibi, quo populo non patet aditus, imo neque vlli testi, & consequenter neque Confessario; cùi hoc loco non relinquitur officium iudicis; nam ipsemet peccator sibi ipsi fit judex. Explicat seipsum alibi adhuc clarius Chrysostomus *de pœnit. hom. 8.* ista scribens; Propterea Paulus inquit, *Probat autem se homo, &c.* Non reuelauit vlcus, non in commune theatrum accusationem produxit; non deli-

ctorum

ctorum testes statuit; intus in conscientia, adstante nemine, præter eum qui cuncta videt DEVM, qui & scrutatur, & de peccatis judicat, & omnium vitam, quasi lance quadam librat, judicium peccatorum statuens, & vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam.] Profecto dum ait, *intus in conscientia, adstante nemine, in mentis iudicium peccata deducito*, etiam confessarium excludit. Ac si necessaria fuisset olim confessio facta Sacerdoti, peccatori ad Eucharistiam sumendam accedenti, non scriberet idem Chrysostomus *in epist. ad Heb. hom.* 17. per altam illam Diaconi vocem, clamantis, *Sancta sanctis*, excludi solitas oues morbidas à sanis. Nam quoniam, *inquit*, fieri non potest, vt homo norit quæ sunt proximi: quis enim, *inquit*, ex hominibus nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine? 1 *Corinth.* 2. 11. emittit hanc vocem postquam peractum fuit sacrificium, *hoc est, post peractam oblatorum benedictionem*, vt nemo inconsideratè, nec temerè ad hunc fontem accedat spiritualem.] At si jure diuino esset necessaria voluntaria confessio ante communionem, profecto fieri posset, imo necesse esset, vt homo nosceat, quæ sunt proximi. His addere placet actum Nectarij qui sustulit pœnitentiam publicam, eumque omnium ferme Ecclesiarum Præsules imitati sunt, liberumque vnicuique permisit, prout sibi ipse conscius esset, vt scribit Sozomenus *l.* 7. *cap.* 16. & confideret ad mysteriorum communionem accedere.] Quod si confessio esset de jure diuino, id Ecclesiæ non statuissent, ne absque confessione ad Eucharistiam accedere quenquam permisissent. Alibi demum clarissime vel ipse Chrysostomus vel alius ex ipso *in Psal.* 50. *hom.* 2. *in vers. & peccatum meum contra me, &c.* Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animo tuo: non dico vt confitearis ea conseruo tuo, vt tibi exprobret: dicito DEO, &c.] Atque his Chrysostomi dictis libenter in hoc ipso quem ego considero sensu subscribit Cajetanus *in* 1. *Corinth.* 11. *in ea verba, Probet autem.* Objectiones vero à Catarino ei factas, posteà diluemus.

XX. Contritionem solam posse, imo & solere peccata delere nostri Scholastici omnes fatentur. Nec immerito, ait enim Gregorius super illud Psalmi secundi pœnitent. *Et tu remisisti impietatem peccati mei*; Attende, quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ DEI commendatio, vt confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perueniat pœnitentia. Ante remissio ad cor peruenit, quam confessio in vocem erumpat.] Sed votum confessionis includunt, *Magist. in* 4. *dist.* 17. iuxta illud Psalmi, *Dixi confitebor, & tu remisisti.* Sed si in his verbis continetur votum confessionis auricularis, & promissio ipsius peragendæ, profecto Dauid alicui Confessario post illa verba confessus fuisset, quod ridiculum esset asserere. Confessio enim non modo antiqua sub lege, sed etiam noua sub Euangelio passim intelligitur, interna illa vera agnitio peccati, & coram DEO confessio; contraria defensioni proprij peccati, vt ostendam inferius. Hoc sane votum nihil penitus concurrit ad remissionem illam, quæ vi contritionis, ante confessionem obtinetur. Quid enim si ille contritus nihil cogitet, sed habeat se mere negatiue ad volendam, aut desiderandam confessionem? Quid si habeat votum tunc perfectum, sed postea nolit confiteri illa peccata? An redibunt? Fortasse nouum peccatum committet contemptus, sed habitam iam à DEO remissionem non irritam reddit. Remissio ergo illa nihil pendebat à futura confessione, eiusve voto: non enim est data à DEO per operationem clauium Ecclesiasticarum, sed sine ipsis. Non ergo omnis remissio fit per claues, vt clarius ostendam in sequentibus. Ac propterea in hoc genere remissionis peccatorum per internam solam pœnitentiam Ecclesia actiuè nihil habet negotij, siquidem totum inter peccatorem, & DEVM secreto peragitur, sed non nisi in Ecclesia. Et Patres qui supra necessitatem confessionis externæ, præsertim pro peccatis secretis, aperte negauerunt, profecto votum hoc confessionis non agnouerunt.

XXI. Est igitur in Ecclesia alia pœnitentia, externa nimirum & Ecclesiastica, in qua etiam adsit vsus clauium, & consequenter exercitum potestatis à Christo suæ Ecclesiæ in Petro primum promissæ *Matth.* 16. 19. illis verbis, *Tibi dabo claues*: quodcunque ligaueris erit ligatum, quodcunque solueris, erit solutum; deinde etiam traditæ siue ante passionem *Matth.* 18. 18. *quæcunque alligaueritis, &c.* siue post resurrectionem; *Ioan.* 20. 23. *quorum remiseritis peccata remissa sunt; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Atque in iniungenda pœnitentia hac externa pœnali clauium, vsum Cyprianus, non minus quam in Baptismo, agnouit: sic enim de his pœnitentibus, & Ecclesiastica reconciliatione loquitur, *l.* 1. *epist.* 2. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas, & diuina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus & deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, vt de sæculo recedentes, sine communicatione, aut pace Domini dimitterentur, cum promiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent, solui autem possent isthic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur.] Magna profecto potestas, & graue judicium concessa sunt Ecclesiæ, vt quos ligauerit Ecclesia, remissione peccati retenta, coram DEO etiam sine peccati remissione maneant, neque amplius prosit illis negotium priuatum cum DEO, per internam pœnitentiam & contritionem peragendum, quoties ab Ecclesia, claue non errante, inter pœnitentes aut projectos sint adscripti, ante Ecclesiæ reconciliationem: hæc enim est aperta CHRISTI promissio, in cœlis retinendam & suspendendam esse peccati remissionem, vbi quis ab Ecclesia ritè ligetur, quousque ligamen Ecclesiæ justum perseueret, & tunc tandem in cœlo absolui à peccato hunc quem Ecclesia ligauerat, vbi ipsa Ecclesia, claue similiter non errante, eundem soluerit, data ei reconciliatione.

XXII. Et quoniam Ecclesiæ judicium internum non est, sed externum sequitur necessariò, Ecclesiam peccata ligare non posse, nisi externa, publica, manifesta, & vt vulgo appellantur, notoria, ac scandalosa. Vt enim se ipsam Ecclesia purgare possit, & graues delinquentes ipsam Ecclesiam suis sceleribus contaminantes, sicuti morbidas pecudes ab ouili amouere, hæc ei est facultas concessa; At nisi morbidam esse re ipsa ouem plane perspexerit, amouere legitime, & ex ouili abijcere nequaquam potest. Hinc est, quod ligari ab Ecclesia peccata non possunt, nisi quæ ei penitus innotuerint. Plena sunt Ecclesiastica scripta hujus Ecclesiasticæ externæ pœnitentiæ, in qua ligamen illud consistit animarum, non subdi nisi qui de peccato graui sit publicè conuictus, vel sponte confessus, *August. l.* 50. *hom.* 50. *cap.* 12. occulta verò peccata clauibus hîc non subijci. Ac propterea toties inculcant Patres, præsertim Augustinus, *post collat. cap.* 8. & 10. Ecclesiam, externam videlicet, esse sagenam illam in mari, quæ multitudinem piscium habeat conclusam, sed bonorum & malorum, qui dum in mari adhuc rete est non possunt discerni, aut videri, sed discretionem hanc futuram tandem in littore immortalitatis. Esse agrum cum tritico & zizanijs; cum periculo ne si zizania

[..] excellenda esse censeantur, eradicetur simul etiam triticum, quia in hoc agro vitæ præsentis & bonum triticum nobis potest videri esse zizania, & zizania triticum; in messe id periculi non erit. Esse aream, in qua iacent simul & granum & paleæ; sed hæc ab inuicem, nisi post trituram, non separantur. Interim tamen vbi aperte malus piscis appareret, vbi certo zizania innotescerent, vbi palea absq; grano inueniatur, posse & debere ista iam per Ecclesiam separari, vt si malus piscis in bonum vertatur, & zizania in triticum, & palea in granum, in sagenam piscis, in agrum zizania, in aream paleæ reponantur. Merito igitur Stephanus V. consultus ab Vmberto Moguntino super probatione ferri candentis respondit; *Apud Sixt. Senen. in fine l. 2. Biblioth.* Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, siue alia superstitiosa inuentione confessionẽ extorqueri ab aliquo, fieri non concedunt canones; spontanea n. confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare, occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.

XXIII. Quando vero peccata alicuius grauia publica sunt & notoria, tunc merito, semper tamen cum debita prudentia, excommunicatione aliqua sunt percellenda; quod si manifesta non sint, pœnitentiæ Ecclesiasticæ non subjacent: docent hoc Patres: Origenes *in Iosue hom. 21.* ait; Sed sicut dicitur de zizanijs, ne forte eradicantes zizania simul cum illis eradicetur & triticum; ita etiã super ijs dici potest, in quibus vel dubia, vel occulta peccata sunt. Neq; enim dicimus de ijs qui manifestè & euidenter criminosi sunt, vt non de Ecclesia expellantur. —Ergo quia non possumus ejicere istos Iebusæos qui nos conculcant, eos saltẽ quos possumus, quorum peccata manifesta sunt. Vbi enim peccatum non est euidens, ejicere de Ecclesia neminẽ possumus, ne forte eradicantes zizania eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.] Mox explicat qui sint isti Iebusæi, hoc est conculcantes: esse nimirum eos, qui indigne audiunt verbum Dei, & cum audierint, neque vt infideles discedunt, neque permanẽt vt fideles &c.] Augustinus vero *epist. 108.* sic habet: Agunt etiam homines pœnitentiam (*nimirum externam Ecclesiasticam*) si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesijs illi qui propriè pœnitentes appellantur.] Non ergo omnia peccata, sed quædam, puta grauia & manifesta, pœnitẽtia Ecclesiastica expiãtur.

XXIV. Dubium non est, peccatorem se ipsum, dũ peccat, siue palam, siue occultè, coram Deo ligare. *Orig. in Iudic. hom. 2.* Sed hoc ligamen esse non potest illud, ad quod à Christo claues Ecclesiæ datæ sunt, vt possit ligare & soluere: peccata enim propria ligant peccatorem hoc vinculo peccati coram Deo, non Ecclesia. Ligamen ergo Ecclesiæ nouum est vinculum, quo vinculum peccati redditur insolubile, nisi prius hoc ipsum Ecclesiasticum per ipsam Ecclesiam tollatur vinculum, quia CHRISTVS promisit se non soluturum illos quos Ecclesia ligauerit, nisi quando ipsa Ecclesia ligamen, quod ipsa posuit, abstulerit, & à se ligatum peccatorem soluerit, & consequenter soluere Ecclesiæ, est correlatiuum, non vinculi peccati, quo se peccator coram Deo ligauit, sed vinculi alterius, quo illum Ecclesia ligauit, ne amplius sine ipsa illud vinculum possit solui, salua CHRISTI promissione. Itaque Ecclesiæ claues non soluunt, nisi quod Ecclesiæ claues ligarunt. Et si Ecclesia prætendit suam potestatem clauium se posse extendere ad soluendos directè & immediatè peccatores à vinculis peccatorum quibus ipsi peccando se ipsos coram DEO ligarunt, si ipsa prius suum non addidit ligamentum; longe fallitur; quia potestas soluendi Ecclesiastica, est correlatiua ad potestatem ligandi, quam ipsa habeat. Hæc enim simul concessa sunt à CHRISTO, vt Ecclesia possit soluere quos ipsa ligauit, non autem eos quos ipsa non ligauit, nisi mediatè & indirectè, quatenus Christus promisit, se eo ipso à vinculo peccati soluturum peccatorem, quo ipsa Ecclesia à se superadditum peccatori alicui ligamen soluerit, ipsum reconciliando. Cæterum si solo vinculo sui peccati teneatur peccator duntaxat coram Deo, vt ab eo soluatur, potest cum Deo duntaxat suæ solutionis negotium peragere, citra vsum clauium, per internam pœnitentiam, de qua superius egi. Quod si præterea ipsum Ecclesia ritè ligauit per quandam ipsius ab se abjectionem, ille non speret internam à Deo remissionem, nisi sit paratus, & dispositus quærere, & velle externam cum Ecclesia reconciliationem.

XXV. Hoc porrò Ecclesiæ ligamẽ in quadam semper consistit excommunicatione, dum peccatorẽ scandalosum notoriumè cœtu sacro fidelium abijcit Prælatus, *Orig. in Iosue hom. 21.* seu ad tempus cum impositione operum pœnalium in signum & experimentum ipsius pœnitentiæ internæ, ac in humiliationem eiusdem & dispositionem ac resipiscentiam, vbi ille se paratum exhibet, & medicinalem hanc abiectionẽ admittit toleranter; seu cũ totali separatione, & ex numero fideliũ omnimoda expunctione si quis sit incorrigibilis. Prior est excommunicatio pœnitentialis, posterior verò excõmunicatio absolutè, vt infra melius, vbi agã de censuris, explicabo. Et hoc est ligare per claues Ecclesiæ peccatores, hoc est Ecclesiam retinere peccata; hoc est in cœlis esse duplici nodo ligatum, altero proprij peccati corã Deo duntaxat, altero Ecclesiasticæ excõmunicationis, siue absolutè, siue duntaxat pœnitentialis; qui nodus impediat etiã in cœlis ne soluatur vinculũ peccati, nisi Ecclesia suum excõmunicationis nodum soluat. Quodcunq; enim ligat Ecclesia in terris, ligatur simul etiam in cœlis, & remissio retinetur, vt est certa, & infallibilis Christi promissio.

XXVI. Et quia similiter certa & infallibilis est eadem Christi promissio, vt data per Ecclesiam solutione vinculi Ecclesiastici, claue non errante, statim certo, & infallibiliter in cœlis quoque vinculum, quo se peccator coram Deo ligauit, & cui Ecclesia suũ excõmunicationis addiderat vinculum, per certam, & infallibilem peccati illius remissionem dissoluatur, hinc fit, vt Patres vehementer semper hortati sint fideles peccatores, post lauacrum Baptismi criminibus contaminatos, vt tutioris cautelæ ergo, non contenti sibi remedium ex interna pœnitentia sola, licet de se sufficienti, adhibuisse, volũtariè, per propriam peccati grauis, etiamsi occulti, corã ministro saltem Ecclesiæ confessionem, ligari se Ecclesiastica illa pœnitentiali excommunicatione curent, vt inde obtenta ab hoc ligamine per reconciliationẽ solutione, omnino certi sint in cœlis quoq; sibi peccatũ illud esse remissum: sed necessitatẽ ad hoc nullã agnoscunt. Audiamus Augustini suasionẽ, *lib. 50. hom. 50. c. 11.* Iudicet ergo se ipsum homo in istis voluntate dũ potest, & mores conuertat in melius, ne eũ iam non poterit, etiam præter voluntatẽ à Domino judicetur. Et cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiã, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati, deuotus & supplex id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam

dam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Cur vsi peccatum eius non solum in graui eius malo; sed etiam in scandalo est aliorum; atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset; non resistat; non lethali & mortiferæ plagæ, per pudorem addat tumorem. Meminerit tamen semper, quod superbis Devs resistit, humilibus autem dat gratiam.] Item, *Idem de verb. Dom. serm.* 8. Dicit ergo aliquis; Quid prodest Ecclesia si iam confessor voce Dominica resuscitatus prodit?] Et respondet, Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, *Quæ solueritis in terra, &c.*] Item: *Idem in Enchirid. c.* 65. Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis, in S. Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam: secundum modum sui cujusque peccati.] In his & alijs locis pro grauioribus criminibus remedium assignat Augustinus ipsam externam Ecclesiasticam pœnitentiam, per vsum clauium, tanquam remedium certum. Sed hac, inquit, *Idem l.* 50. *hom.* 50 *c.* 16. incertum esse vtrum ignoscat Deus. Quid perdit eum supplicat Deo qui salutem perdere non dubitauerit cum offenderet Deum? Quis enim certus est quod etiam Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, &c.—cum sit dubium quo fine perueniant: & tamen certiores sunt claues Ecclesiæ, quam corda Regia, quibus clauibus quodcunque in terra soluitur, etiam in cœlo solutum esse promittitur.] *Idem de adult. conjug. l.* 2. *c.* 9. Neq; dubitari, ait, In Ecclesia per claues regni cœlorum fieri remissionem peccatorum.]

XXVII. Non ergo solum injunguntur pœnitentiæ ab Ecclesia grauibus peccatoribus, siue conuictis, siue sponte confessis, vt illi ligentur, vt Ecclesiæ satisfaciant, & scandala data extinguant, & terrori sint alijs, ne peccent, quo Ecclesiasticam pœnitentiã spectate asserit Augustinus, tum *supra libr.* 50. *homiliarum, hom.* 50. *cap.* 11. tum etiam alio loco *in Enchirid. cap.* 65. vbi ait, Rectè constituuntur ab ijs qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, &c.], Sed etiam multo magis vt inde possit ligatum ritè & legitimè soluere, & consequenter efficere, vt ille etiam in cœlis per completam remissionem soluatur. Præcipuus enim, & primo intentus effectus Ecclesiasticarum clauium est, remissio peccatorum in cœlo: pœnitentia vero illa externa Ecclesiastica, in qua peccator pœnitentiali substat excommunicationi, & ad pœnalia opera obligatur, eo seruit Ecclesiæ, vt illa ante omnia pœnitentiæ internæ adeò ad remissionem peccati coram Deo necessariæ per externos fructus notitiam colligat, dum peccator dignos fructus facit pœnitentiæ: ex quibus agnoscat illa, quando rectè & legitimè soluendus sit pœnitens, quem ante cognitam ipsius pœnitentiam in suo peccato ligauit. Nam Sacerdos seipsum ligat, cum soluit indebitè, ait Ambrosius *l.* 2. *de pœnit. c.* 9.

XXVIII. Hanc in re judicium Ecclesiæ non erraturus se omnino secuturum Christvs promisit, ita vt in cœlis nolit soluere peccantem qui nodo Ecclesiastico ligatus fuerit, nisi prius Ecclesia suum nodum soluerit; sed Ecclesia, ne abutatur sua potestate, ac ne remissionem impediat peccatori, quem illa vel inuitum, vel volentem ligauit, tenetur, quoad peccati remissionem, soluere, & reconciliare suum ligatum, cum primum humano more cognouerit illum esse verè pœnitentem in corde suo: in actione autem pœnitentiæ, *inquit Augustinus in Enchirid. cap.* 65. vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam considerandà est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Devs non spernit.] Ligat igitur Ecclesia aut certè ligare potest, & debet notorios peccatores criminosos, & scandalosos; per iam dictam excommunicationem, ac per eam inducere eos conatur ad voluntariam externam pœnitentiam, cui si se subdant, manent excommunicati excommunicatione duntaxat pœnitentiali medicinali; sin minus, tunc manent absolute excommunicati, & à corpore Domini, quod est Ecclesia, separati, tanquam si ethnici sint & publicani *Matth.* 18. 17. Qui vero admittunt pœnitentiam, si eis tempus non præscribatur, sed ligati intelliguntur, donec Ecclesia agnoscat in ipsis veram resipiscentiam, procul dubio remissio horũ in cœlo pendet à remissione Ecclesiæ data in terris. Quod si certũ illis tempus præfigatur, vt moris fuit diu in Ecclesia, vt etiam per plures annos agant pro certis peccatis certã pœnitentiã, tunc supponendum est, Ecclesiam iniungere has longas pœnitentias, ad satisfactionem potissimum Ecclesiæ, & ædificationem, scandaliq; dati amotionem, & ad aliorum terrorem: non tamen ad obtinendam à Deo remissionem. Et tales ligatos ab Ecclesia ob dictas causas, nõ puto ligatos manere in cœlo tandiu, quandiu ligati sunt in terra, quia horum peccatum non putatur ligatum in terris, quoad remissionem ipsius, nisi quousq; ille verè resipuerit; at post resipiscentiam etiã sæpe Ecclesia pœnitentiam externam producit ex causis modo dictis, quæ ad remissionem peccati non spectant, sed ad Ecclesiæ ædificationem, & exemplum aliorum. In quo genere pœnitentiæ, potius, vt ita dicam, exemplaris, quam salutaris, videtur injungi solitam etiam sacræ communionis frequẽtationem: ait enim Augustinus, seu Gennadius, *de Eccl. dogm. c.* 53. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, & cõfesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo ita duntaxat, vt contraria pro ijs, qui pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex & submissus vsque ad mortem percipiat.] Hi ergo non sunt verè & propriè ab Ecclesia ligati; siquidem qui erant in pœnitentia verè ligati à communione repellebantur. *Cypr. l.* 1. *ep.* 2. *& Chrys. in ep. ad Eph. hom.* 3.

XXIX. Pœnitentia hæc externa Ecclesiastica cum tali excommunicatione & operum pœnalium injunctione fuit semper ab Ecclesia judicata adeo necessaria, vt sine ipsa remissionem per claues nemo posset obtinere. Soluere enim Ecclesia ad remissionem peccati neminem potest, nisi quem ipsa per pœnitentiæ suæ injunctionem ligauerit, vt ostendi, & ex sequentibus adhuc melius patebit. Et quoniam ad veram contritionem non adeo facile homo per seipsum mouetur, sed ad eam per istas externas pœnitentias facilius attrahitur, idcirco & Christvs dedit hanc potestatem Ecclesiæ retinendi peccata ad pœnitentiam, & merito Ecclesia remissionem peccatorum grauium ad ipsam externam pœnitentiam Ecclesiasticam solet libenter reducere, non tanquam ad vnicum & singulare, sed tanquam ad maximum & ordinarium peccatorum post Baptismum commissorum remedium. Cum præsertim etiam in veteri scriptura Devs ipse ad hanc externam pœnitentiam hortetur, tanquã ad veram compunctionem, & necessariam humiliationem conducentem *Ioel.* 2. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio fletu, & planctu*; quod fecerunt Niniuitæ *Ionæ* 3. Et præcursor Domini, *Luc.* 3. 8. clamabat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

XXX. Hæc porro opera pœnalia, pœnitentialia, in vere contritis solent esse propriè fructus & effe-

ctus

contritionis internæ pœnitentiæ: at verò in nondum contritis possunt & solent esse causa quædam dispositiua seu potius conditio ad veram, & necessariam internam pœnitentiam, seu contritionem; nam DEVS non sine media gratiam peccata detestandi; & deflendi solet in Ecclesia sancta ordinariè concedere, vt non sine causa CHRISTVS voluerit Ecclesiam habere hanc ligandi potestatem, vt per talia vincula disponatur peccator ad contritionem, & obtinendam solutionem, integramque peccati remissionem. Certum est; internam illam pœnitentiam & contritionem esse donum DEI, ex mera gratia proficiscens; ad quod promerendum humana opera non sunt apta: sed certum etiam est, gratiam hanc DEVM immediatè semper non infundere, sed varijs etiam humanis medijs solere vti: vocatio enim diuina, quæ est prima gratia excitans, ordinariè fit per actus humanos externos prædicationis, correptionis, flagellorum, &c. Itaque instituit DEVS, vt Ecclesia ligare posset, & pœnitentias afflictiuas externas injungere, vt per has, quasi per diuinas vocationes & excitationes ad internam pœnitentiam peccatores disponantur; non tanquam humanis operibus, sed tanquam diuinis vocationibus, & excitationibus permoti. Itaque opera hæc pœnalia nullo modo merentur ipsam remissionem, sed deducunt, diuina gratia per Ecclesiæ ministerium operante, ad necessariam compunctionem & humilitatem, sine qua ordinariè non datur remissio. Sic Achabi pœnitentiam in jejunio, sacco, & cilicio admisit quidem DEVS, non tamen vt satisfactoriam & remissionis meritoriam, sed vt signum externum animi humiliati: Nonne vidisti, inquit, *Elie Dominus* *3. Reg. 21. 29.* humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum, &c.] Non ait, quia mihi satisfecit, quia meruit suis jejunijs, cilicijs, sacco: sed quia humiliatus est. Ex hoc etiam est quod ait Dauid *Psal. 50. 12.* Cor contritum & humiliatum DEVS non despicies: Contritum ex vera interna pœnitentia; humiliatum per opera externa pœnalia, quibus peccator ostendit se nolle cum DEO quasi committere & decertare, sed omni deposito tumore, DEI manui, ipsiusque misericordiæ se submittere. Huc spectat antiquissima, & sanè saluberrima quadragesimæ institutio, & olim exactissima obseruatio, in eum nimirum finem, vt fideles peccatis grauati, jejunijs, precibus, alijsque carnis & sensus mortificationibus humiliati, & per Ecclesiæ interdictionem ligati, se aptiores redderent ad reconciliationem ad Pascha, & consequenter ad remissionem in cœlo recipiendam. Huc spectat antiquus ille vsus cinerum super capita initio quadragesimæ, *Concil. Meld. c. 76.* quia erat quasi aditus quidam ad pœnitentiam. An verò opera hæc pœnitentialia possint & soleant interdum esse satisfactoria pro peccatis, videbimus inferius.

XXXI. Hæc externa adeo laudabilis; adeoq; salutaris & sæpe necessaria pœnitentia, est illa in Patribus celebris exomologesis, quæ sanè exomologesis non est, vt iam nostri Romani intelligunt, & volunt, ipsi, quam faciunt sacramentalem, peccatorum confessio, sed est apud Patres *Iren. l. 1. c. 9. & l. 3. c. 4. & l. 4. c. 45. Cypr. l. 3. ep. 14. 15. 16. &c.* ipsa pœnitentiæ externæ peractio, hoc est à sacris officijs, & exercitijs exclusio, cum operum pœnalium exercitatione; qui verò esset modus peragendæ pœnitentiæ hujus Ecclesiasticæ, siue exhomologeseos faciendæ, in pluribus scriptorum Ecclesiasticorum locis describitur, non quidem semper, & vbique penitus idem, sed in diuersis Ecclesijs, ac etiam in ijsdem Ecclesijs, sed diuersis temporibus, diuersus. Pœnitentia hæc externa Ecclesiastica per separationem, & pœnalium operum Injunctionem ponitur in Constitutionibus Apostolicis, *Constit. Apost. l. 2. c. 19.* Eam ex parte describit Tertullianus iam Montanizans, ac ferme irridens, *de pudicit.* qualis tamen fuerit eo tempore ipsius vsus, satis ex ipso apparet; ait enim, Et tu quidem pœnitentiam Mœchi, ad exorandum fraternitatem, in Ecclesiam inducens conciliatum, & concineratum cum dedecore & horrore compositum prosternens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lachrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, &c.] Se enim fratrum precibus commendabant, vt ipsis veniam à DEO impetrarent, vt præclare explicat Ambrosius *de pœnit. l. 1. cap. 16.* Si quis igitur, *inquit*, occulta crimina habēs, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit: quomodo istic recipit, si ei communio non refunditur. Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoscatur, obsecret: & cum secundo & tertio fuerit dilatata eius cōmunio; credat remissius se supplicasse, fletus augeat miserabilior, postea reuertatur, teneat pedes brachijs, osculetur osculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt de ipsa dicat Dominus Iesus, *Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum.* Cognoui quosdam in pœnitentiā sulcasse vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus, ieiuno ore semper & pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.] Et Augustinus: *l. 50. hom. 49.* Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia.] Et his Ecclesiæ orationibus plurimum tribuit Augustinus, *de bapt. l. 3. c. 17.* ad impetrandam peccatori veniam; seu potius necessariam compunctionem, & resipiscentiam; post quam sequatur peccatorum remissio; easque orationes vocat gemitus columbæ.

XXXII. Plena porro sunt Ecclesiastica scripta huiusmodi rituum descriptionibus, qui in Ecclesiastica pœnitentia peragenda seruarentur; quo spectant tot Canones, qui dicuntur pœnitentiales, & alij à Gratiano collecti *dist. 50. cap. 64. dist. 82. cap. 5. 11. q. 2. cap. 17. 15. q. 2. cap. 32. 26. q. 6. cap. 10. 33. q. 2. cap. 8. & 15.* De Ecclesiastica hac pœnitentia, Ambrosius *de pœnit. lib. 2. c. 10.* Leo *epist. 59.* Felix 3. *epist. 6.* & alij; eam tamen exactè describit Sozomenus *l. 7. cap. 17.* his verbis: Solicitè autem in Occidentalibus Ecclesijs, & maxime in Romana seruatur: ibi enim manifestus est pœnitentium locus. Stant autem in eo mœsti, ac veluti lugentes, finito demum Dei sacrificio, participes non facti, quorum participes fieri puros DEI cultores fas erat, cum planctu ac lamentatione semetipsos in terram pronos abijciunt. Tunc ex aduerso lamentabundus Episcopus accurrens consimiliter humi eum ejulatu collabitur; Ac tota denique Ecclesiæ multitudo lachrymis suffunditur. Post hæc Episcopus primus exurgit, ac iacentes erigit, & quantum satis est; pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit. Priuatim deinde sponte sua quisque; vel ieiunijs, vel lotionum ciborumve abstinentia, vel alijs quibus iussus est, semetipsum affligens, tempus expectat, in quantum Episcopus præstituit. Elapso demum præfinito die, pœna iam quasi debito quopiam, exoluta, à peccatis absoluitur, & populo in Ecclesia coniungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipso inde exordio etiam ad nostram vsque memoriam custodiunt.] Varia porro pœnitentium loca, & distincti gradus à Gregorio Thaumaturgo sic recensentur. *Greg. Neocæsar. in epist. can.* Fletus, seu luctus est extra portam oratorij, vbi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco, quē [illegible] vocant, in ferula; vbi oportet eum qui peccauit

stare post catechumenos, vsque ad catechumenos, etiam illinc egredi. Audiens enim, *inquit*, Scripturas & doctrinam, eijciatur, & precatione ne dignus censeatur Subiectio autem, seu substratio est, vt intra templi portam, stans cum catechumenis, ingrediatur. Congregatio, seu Consistentia est, vt cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non ingrediatur. Postremo est participatio Sacramentorum.

XXXIII. Ad externam pœnitentiam peccatoribus grauioribus peragendam præter internam, hortantur Patres frequentissime, imo aut innuunt, aut etiam expresse asserunt, eam esse pro grauioribus criminibus, purgandis, expiandisq; fermè necessariam. Cyprianus *l.3 epist.*14. eos qui post lapsum præpropere reconciliãtur decipi miseros asserit. Vt qui, *inquit*, possunt, agentes pœnitentiam veram, Deo patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur, vt magis pereant, & qui erigere se possent, plus cadant. Nam cũ in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore; & secundum disciplinæ ordinẽ ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri ius communicationis accipiant; nunc crudo tempore; persecutione adhuc perseuerante, nõdum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nõdum manu eis ab Episcopo & Clero imposita Eucharistia illis datur, cum scriptum sit; 1. *Cor.*11.27. Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Sed nunc illi rei non sunt, qui minus Scripturæ legem nouerunt; erunt autem rei, qui præsunt, & hæc fratribus non suggerunt, vt instructi à Præpositis faciant omnia cum DEI timore, & cum data ab eo & præscripta obseruatione.] Rursum in eos inuehitur, *l.* 3. *epist.*15. qui lapsis ante pœnitentiam veniam darent, & ait; Illi contra Euangelij legem contra vestram quoq; honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesin grauissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit: 1. *Cor.* 11.27. Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus viuificari properet? Quis non ad salutem suam venire festinet? Sed Præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ouium pastores esse debent, lanij fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per DEI offensam magis impellitur ad ruinam.] Et de hoc iterum ita scribit; *Cyp. lib.3 epist.*16. Nam cum in minoribus delictis quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita eius qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita, quanto magis in his grauissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini obseruari oportet?] Item, *Idem de lapsis* vis infertur corpori eius & sanguini, & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quã cum Dominum negauerunt. Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, antę purgatam conscientiam sacrificio, & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis: pacem putant esse, quam quidem verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum: nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur.]

XXXIV. Cum tantopere excandescat Cyprianus in eos, qui post lapsum perquam grauem in persecutione, voluerint præpropere reconciliari, & Sacramentorum participes fieri, non peracta prius debita externa pœnitentia, procul dubio non admisisset eorum excusationes, si dixissent, se corde satis contritos esse, & coram DEO internam peregisse pœnitentiam. Quicunque enim in fidei confessione defecisset, & thus idolis obtulisset, statim à fidelium numero excludebatur, & vel inter Ethnicos ac publicanos, *Matth.*18. 17. vel inter pœnitentes excommunicatos per Ecclesiam ligatos, reponebatur. Tales vero sicut externè ligabantur ab Ecclesia, & consequenter in cœlo quoque ligati erant, sic externam pœnitentiam ab eis Ecclesia poscebat, & sine illa eos non soluebat.

XXXV. Necessitatem hanc huius Ecclesiasticæ pœnitentiæ externæ sæpius Augustinus & agnouit, & explicauit; ait enim *epist.* 108. Agunt etiam homines pœnitentiam si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia locutus est Apostolus Paulus 2. *Corinth.*12.21. vbi ait: Ne iterum cum venero humiliet me DEVS apud vos, & lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxuria & fornicatione quam egerunt. Neque enim scribebat ista nisi eis qui iam baptizati fuerant. Habemus etiam in Actibus Apostolorum, *cap.*8.22. Simonem iam baptizatum, cum pecunia vellet emere vt per impositionem manus eius daretur Spiritus Sanctus, admonitum à Petro vt de hoc graui peccato ageret pœnitentiam.] Cum ergo Augustinus ex Scripturis deducat hanc externam pœnitentiam, sequitur procul dubio illam esse necessariam. Habet & illud Augustinus, *lib.*50. *hom.*49. Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud DEVM ago, nouit DEVS qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, *Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo*? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei?] Item, *Ibid. hom.* 50. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cœlo; & audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri?] Laudataque ac præmissa pœnitentia interna, hæc addit. Et cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati, deuotus & supplex id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum, vt sic peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, nõ lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit tamen semper, quod superbis DEVS resistit, humilibus autem dat gratiam. Quid est enim infelicius, quid peruersius, quam de ipso vulnere quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere.]

XXXVI. Ex his igitur liquido constat, remissionem peccatorum per claues Ecclesiæ, virtute illorum

rum CHRISTI verborum; *Ioan.* 20.23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; haberi non posse nisi per Ecclesiasticam reconciliationem; recõciliatio vero semper, & necessario supponit externam Ecclesiasticam pœnitentiam; nisi in moribundis, qui eodem tempore & ligantur, & statim soluuntur; sed nisi suppleat interna pœnitentia, parum consolationis dant eis Patres ex Ecclesiastica illa præpropera reconciliatione, vt ostendam inferius.

XXXVII. Hæc porrò externa Ecclesiastica pœnitentia initio fuit semper publica, non modo vbi quis ad pœnitentiam redigebatur accusatus & conuictus pro crimine publico, & famoso; sed etiam vbi sponte quis pro occultis quoque delictis vellet habere Ecclesiasticam solutionem; publice enim sua crimina particulatim fatebatur. & sic ligabatur ac excommunicabatur excommunicatione illa pœnitentiali, & inter pœnitentes publicos reponebatur; deinde peracta pœnitentia reconciliabatur. Postea verò ita quidem publice pœnitentia hæc & assumebatur, & peragebatur, vt tamen peccatum graue, quod de se non esset publicum & notorium, secreto in Ecclesia Episcopo vel Sacerdoti pœnitentiario aperiretur, & pro qualitate delicti pœnitens quantitatem subibat pœnitentiæ, quam tamen adhuc publicè perageret, & à sacris abstineret, & cum publice pœnitentibus peculiari loco ad hoc in Ecclesia destinato maneret, & actus humilitatis, quos iam recensuimus, exerceret, ac tandem reconciliationem, & consequenter solutionem in terra & in cœlo obtineret. De hoc sic Augustinus: *de Eccl. dog. cap.* 53. Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero volontatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus: & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consueuit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed de hoc illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.] Id verò ità solitum fieri scribit Sozomenus *l.7.cap.16.* etenim; *inquit*; cum prorsus non peccare natura sit humana diuinioris, pœnitentibus autem quãtuis frequenter deliquissent, veniam dare DEVS jusserit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit; odiosum, vt credibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in Theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare: Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem ac sapientem huic officio præfecerunt; cum accedentes qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret interminatus, absoluebat, vt à seipsi commissorum pœnas exigerent.] Absoluebat, hoc est, ab se dimittebat. Nam & paulo post peccati dimissionem petit post peractam pœnitentiam.

XXXVIII. Quoniam verò hoc ipsum quoq; iam grauaretur, refrigescente charitate, suum peccatum occultum, etiam secretò sacerdoti prodere; indulsit Augustinus, aut potius ità indulgeri solitũ fuisse scribit, vt pœnitentia quædam etiam sine peccati manifestatione secreto posset fieri, etiam sine actibus illis humilitatis, submissionis, & prostrationibus. Ait n. [*ibid.*] Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus; sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionẽ, & iugi, imò perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat, vt cõtrária pro ijs quę pœnitet agát, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex & submissus vsq; ad mortem percipiat.] Nam, *vt ait Ambrosius de pœnit. l.2.c.9.* pleriq; futuri supplicij metu, peccatorũ suorum cōscij pœnitẽtiam petebant, & cũ accepissent, publicæ supplicationis reuocabantur pudore.] Itaq; his indulgebatur, vt præter pœnitentiã internam, etiam externa se exercerẽt sua spontè, & secretò; immutationẽ tamen habitus eis addit Augustinus, hoc est, vt omissis interim pompis, & pretiosioribus indumẽtis, modestioribus vterentur: vt suũ pœnitentiæ statũ sponte assumptum, quã maxime fieri posset, sub secreto in humilitate detinerent. Hos tamẽ non puto ego beneficio clauiũ vsos fuisse, & cõsequenter neq; veram Ecclesiasticam pœnitentiã peregisse, sed internæ pœnitentiæ addidisse externam secretam, quæ esset vel fructus internæ, vel dispositio ad illã. Sic Beda in *Luc.* 5. c. 8: ad Ecclesiam mittit eos duntaxat, qui vel hæretica prauitate, vel superstitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, sint inquinati: cætera autem, *inquit*, vitia,—per semetipsum interius in conscientia, & intellectu Dominus sanat & corrigit.]

XXXIX. Chrysostomus verò pœnitentiæ internæ addit actus etiam externos & voluntarios, potissimũ eleemosynæ, vbi non agit de externa Ecclesiastica pœnitentia. Medicamentum enim pœnitentiæ sic describit *in epist. ad Heb. hom.* 9. Primum est ex suorum peccatorum condemnatione, & ex confessione. *Delictum*, inquit, *meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abscondi. Pronunciabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei*, Et iterum: *Esa.* 4.3 *Dic peccata tua prior, vt iustificeris*, & *Prou.* 18. *Iustus est sui accusator in primo sermone.* Secundo, ex multa humilitate. Est enim veluti quædam catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatũ fueris confessus vt oportet confiteri, fit humilis anima; eam enim versans & agitans conscientia, efficit vt sit contracta: Oportet autem alia quoque addere humiliari, si talis sit qualem Dauid habebat, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Nam quod est contritum, non exurgit, non ferit, sed est paratum ad malè patiendum; ipsum autem non exurgit. Talis est cordis contritio, *Psal.* 50.19. etiamsi affecta fuerit contumelia, etiamsi male passa, quiescit, nec concitatur ad vindictam. Post humilitatem vero opus est intensis precibus, multis lachrymis, & interdiu, & noctu. *Lauabo enim*, inquit, *per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo. Laboraui in gemitu meo.* Et iterum: *Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Et post orationem adeo intensam, multa opus est eleemosyna. Hoc enim est quod reddit admodum validum medicamentum pœnitentiæ. Hæc ad internam & priuatam solam spectant pœnitentiam, in quã peccator cum solo DEO agit.

XL. Ecclesiasticam itaque veram pœnitentiam plane constat in tota antiquitate aliam non fuisse, nisi publicam, nullam priuatam, initio quidem cum publica etiam peccati manifestatione, si occultum esset, & peccator vellet clauium beneficio frui; postea verò cum secreta peccati manifestatione, sed publica pœnitentiæ peractione, modis supra explicatis. Et in Oriente quidem, temporibus Theodosij senioris occasione stupratæ per Diaconum mulieris in pœnitentia manẽtis, sublata est publica pœnitentia, *Sozom. l.7.c.16.* & Sacerdos pœnitentiarius exautoratus, & consequenter Ecclesiastica pœnitentia penitus intermissa. Solius internæ & priuatæ pœnitentiæ remedio peccantibus, absque vsu clauium, relicto. Sed experientia docuit remedium hoc extremum fuisse, potuisseque tempe-

tatius scandalis, occasione publicæ pœnitentiæ exorientibus, occurri, vt interim vsus clauium ad remissionem peccatorum relinqueretur. Optime profecto obseruauit Sozomenus *l. 7. cap. 16.* pœnitentiam illam Ecclesiasticam fuisse valde vtilem, & non leue detrimentum fuisse vitæ spirituali fidelium, quando illa sublata est. Quod quidem, *inquit*, ex eo tempore porro in ritum vindicatum fuit, iam rum, vt opinor, ipsa vetustate, & ei coniuncta grauitate, atque seueritate, in promiscuam ac dissolutam vitam paulatim delabi incipiente; siquidem antea, vt ego existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsorum delicta ipsi enunciabant; tum ob seueritatem eorum, qui judices eius rei constituti erant.] Eo igitur tanquam fræno sublato, effrænis natura corrupta in scelus liberius prolabebatur. Fræni vero inuentor fuit CHRISTVS, dum claues suæ tradidit Ecclesiæ, quæ peccatores ad Ecclesiasticam hanc pœnitentiam inuitarent. Idcirco postea factum est, vt publica pœnitentia tota ad secretam reduceretur, non modò quoad peccati manifestationem, sed etiam quoad ipsius pœnitentiæ peractionem, vt peccator se ipsum ministro Ecclesiæ ad hoc deputato accusans, secreto de secretis ab eo ligaretur, & excommunicatione pœnitentiali, à sola nimirum Eucharistiæ participatione plecteretur, & ad externam sibi iniunctam Ecclesiasticam pœnitentiam secreto peragendam obligaretur; ea vero ritè peracta reconciliaretur, & ad sacræ Cœnæ communionem admitteretur. Hac de re ita scribit Leo *epist. 86.* Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter DEI timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum DEO offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

XLI. Hæc itaque est tota introductio secretæ pœnitentiæ occultorum, quæ illa est ipsissima, & non alia, publica pœnitentia, ad secretum duntaxat reducta, modo explicato; vt videlicet qui criminibus secretis, & non publicis ac notorijs grauarentur, cuperentque clauium beneficio remissionem obtinere, secretum peccatum propria confessione ministro Ecclesiæ secretò aperirent, & ita pœnitentiæ Ecclesiasticæ, sed secretò peragendæ subijcerentur & ligarentur, ac demum per ministrum virtute clauium reconciliarentur, & soluerentur. Pro publicis vero, & notorijs criminibus diu pœnitentia illa publica perseuerauit, donec paulatim tandem illa quoque facta est secreta, corrupta tamen; vt paulo post ostendam. Nam de secretis secretò, etiam consilio & iussu Ecclesiæ pœnitere, est tolerabile, nec omnino indecens: At de publicis secretò pœnitere, quoad Ecclesiasticam pœnitentiam, est indecentissimum; nam qui publicè Ecclesiam scandalizauit, debet omnino etiam publicè Ecclesiam ædificare, & scandalum ab ea tollere. Hinc tandem ortum habuit, per summum abusum nostræ auricularis confessionis, vt nunc fit, quod nos vocamus, Sacramentum; in quo imago aliqua veteris Ecclesiasticæ pœnitentiæ seruata videtur; sed ea tota inuersa, totaque peruersa est; à vera enim Ecclesiastica pœnitentia, pœnitentia hæc nostra pluribus nominibus longissime recessit, vt iam ostendo.

XLII. Tres partes nostri Scholastici dicunt esse Sacramenti pœnitentiæ; cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem, quia videlicet in Scriptura & Patribus legunt, hæc peccatoribus post Baptismum lapsis, plurimum commendari, modo contritionem, modo confessionem, modo satisfactionem. Sed in hoc etiam imperitiam non aduertunt suam; Sacramentum enim quod confinxerunt, ex his compleri tanquam partibus integrantibus, putant; partes enim vocant has tres huius sui Sacramenti, non dispositiones; deberet ergo ex his tribus completum esse Sacramentum, & tamen totam vim & complementum Sacramenti ponunt in Sacerdotali absolutione, in qua formam huius Sacramenti volunt consistere; ideo partes materiales aliqui eas esse dixerunt. At in omnibus hisce tribus, imo quatuor partibus errores inuexerunt intolerabiles, vt ex singularum discussione reddam compertissimum.

XLIII. In contritione cordis, verum, & præcipuum contra peccata remedium esse collocatum, non est dubium, vt egregie probat Chrysostomus *in 2. Corinth. hom. 4.* In hanc vero partem tres errores nostri Scholastici inuexerunt: primus est, eam ad remissionem peccati à DEO obtinendam solam non sufficere, nisi adsit & confessio, & absolutio Sacerdotalis, & suo modo etiam satisfactio. Et hæc vel in actu, vel saltem in voto. Hunc errorem arbitror me iam satis in superioribus conuulsisse: vbi docui, pœnitentiam internam per se solam esse sufficientissimam, neque ei confessionem & absolutionem esse, vel in actu, vel in voto, necessariam, vbi quis cum solo DEO vult negotium suum peragere, & ad clauium beneficium non vult recurrere, vt neque tenetur, nisi postquam ab Ecclesia quoque fuerit ligatus. Alter error est, ipsos actus contritionis simul cum alijs, qui dicuntur actus pœnitentis, mereri peccati remissionem. Sed hunc quoque errorem perstrinxi in præcedentibus, vbi ostendi, actus siue internos veræ pœnitentiæ internæ, siue externos pœnitentiæ Ecclesiasticæ non mereri remissionem, sed esse dispositiones ad eam, & remouere duntaxat prohibens & obstacula remissionis. Tertius error est, attritionem solam cum Sacramento satis esse ad remissionem. Ego tamen infra ostendam, in pœnitentia nullum adesse verum Sacramentum; & absolutionem, hoc est reconciliationem sine contritione nihil operari, vnde sequitur huius erroris confutatio à fortiori.

XLIV. De confessione multa dicuntur, & longa disputatione confessionem auricularem defendere conatur Bellarminus *de pœnit. l. 3.* Ego rem paucis perstringam & breuibus obseruationibus longissimos ipsius labores irritos reddam. Confessionem peccatorum ego in Scripturis & Patribus duplicem obseruo. Alteram generalem; particularem alteram; priorem que soli Deo fieri inuenio, posteriorem etiam homini. Maximus vero & cōmunissimus, in Scripturis præsertim, sensus est, vt confiteri sit, non excusare, nō defendere, sed peccatum agnoscere, & culpæ se reum facere. Atque hæc confessio est initium veræ pœnitentiæ internæ coram Deo. De Dauidis confessione, certe non auriculari, ait Cyrillus Hierosolymitanus *Catec. 2.* Respondit,

spondit, *Peccavi Domino.* Cernis humilitatem Regis? Vides confessionem? non enim erat conuictus ab aliquo, non multi illius rei conscij fuerant: celeriter transegerat negotium, & Propheta adest illico accusator, & delinquens facinus confitetur; quod cum ingenuè fassus esset, celeriter percepit medicinam.] Psalmum vero Dauidis quinquagesimum, qui totus pœnitentialis est, vocatur ab Irenæo *l. 4. c. 45.* Psalmus exomologeseos. Exomologesis vero est actio pœnitentiæ, in qua se peccator agnoscit culpabilem; vnde illud Cypriani *l. 1. ep. 3.* Amplector prompta & plena dilectione, cū pœnitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili, & simplici confitentes. Satisfactionem vocat pœnales afflictiones Ecclesiasticæ pœnitentiæ libenter susceptas, & peccatores per illas ait esse confitentes.

XLV. Origenes *in Ps. 36. hom. 1.* Sed etsi malorum, homo, tibi conscius aliquorum fueris, noli occultare, sed per exhomologesin reuela ea Domino & spera in eum, & ipse faciet. Hoc est cum confessus fueris, & reuelaueris ei delicta tua, spera in eum &c.] Hilarius plenissime *in Ps. 135.* Confitemini Domino. Duplicis intelligentiæ significatio defertur; vt aut Deum in confessione laudemus — aut peccata nostra confiteamur, & ab eo indulgenda, quia bonus est, & cuius indeficiens misericordia sit — confiteamur peccata sub agnitione peccati; Non n. est necessaria confessio Deo qui nihil ignoret, vt ea quæ gesseris confitearis. Quia porro confessione ista Deus nō eget, cuius agnitioni nihil occultū est, cuius auditui nihil inuiū est, cuius virtuti nihil reliquū, extra quē locus nullus est. Sed confessio est rei eius quæ ignorabatur professa cognitio, ex alterius iudicij opinione, in alterius intelligentiæ proficiēs sententiā. Vtile n. sibi ac iucundum quisq; eius ante existimauerat, rapere, cædere, furari, superbire, potare, luxuriari. Sed vbi hæc omnia æternæ damnationi obnoxia esse cognouit, cognitis his confitetur errorē. Confessio autē erroris, professio est desinendi. Desinendū ergo à peccato est, ob q; peccati cœpta confessio est. Cæterum extra veniam est, qui peccatū cognouit, nec cognitum confitetur. Confitendum autem semper est, non quod peccandum semper sit; vt semper sit confitendum, sed quia peccati veteris & antiqui vtilis sit indefessa confessio.] Eadem ferme paulo post repetit in alium Psalmum: Confessio, *inquit*, peccati ea est, vt id quod à te gestum est, per cognitionem peccati confitearis esse peccatum.] Et tamen Hilarius Lectorē suum scit esse Christianum, & sub Euangelio, nec ei aliā iniungit confessionem. Ambrosius *de Abel & Cain, l. 2. c. 9.* Confessio, *inquit*, pœnarū compendiū est, — & pœnitentiæ potius crimē fateri, nec deriuare culpā, sed recognoscere.] Augustinus iam docuerat suā plebem, Confitendū esse peccatū proprium agnoscere, & corā Deo id testari. Vsus vero idē erat qui apud nos, vt tunsione pectoris fieret hæc confessio; contingebat autē sæpe vt Augustinus in suis cōcionibus vocibus illis in Psalmis frequentibus, *Cōfitemini Domino*, vteretur: inde statim plebs tunsione pectoris nonnihil eum turbabat; quia interdum confessionē pro diuinarum laudū celebratione sumebat, cogebaturq; , vt supra Hilarius, duplicem sensum confitendi explicare. Inuenimus, *inquit Aug. de verb. Dom. serm. 8. & serm. 48. de temp. & serm. 3. de sanctis*, primitus, non semper cū scripturis legimus cōfessionē debere nos intelligere vocē peccatoris. Maxime autē hoc dicendum fuit, & hinc admonenda charitas vestra, quia mox vt hoc verbum sonuit lectoris, secutus est etiā sonus tunsionis pectoris vestri, audito scil. quod Dominus ait, *Confiteor tibi pater.* In hoc ipso quod sonuit, *Confiteor*, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, *Confiteor tibi Pater?* *Confiteor* audistis, qui cōfitetur non attendistis.] Itaque cōfiteri tunsione pectoris idem est, quod nunc Italice dicimus, *Chiamarsi in colpa*, id est, vocare se in culpam; quod etiam ad altare faciebāt sacri ministri simul cum populo; vt fatetur idem Augustinus *idē l. 50. hom. 50. c. 8.* ait enim: Quod si falsum est *medicamentum quotidianæ pœnitentiæ*, vnde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoq; Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimos.] Qui mos profecto laudabilis est, & ab omni superstitionis periculo prorsus alienus. Sic cōfessio nostra generalis, quæ similiter fit pectoris tunsione, est hæc ipsa confessio quæ Deo fiat, non verbalis peccatorum singularium Cōfessario facta explicatio. Innumerabiles possem locos ex Patribus afferre; in quibus confessio in hoc ipso sensu sumitur, pro culpæ coram Deo agnitione, siue cum aliqua externa attestatione, siue absq; illā. Certe in Augustino id frequentissime quiuis reperiet, vt *in Psal. 31. 39. 50. 58. 68* 74. 75. 93. 94. 95. 99. 103. 105. 110. 140. 145. *De temp. serm. 66. lib. 50. hom. 12. cont. ep. parm. l. 3. c. 2. De vnit. Eccl. c. 15.* Ambrosius etiam sæpe in eodem sensu sumit etiam Christianam confessionem, vt *de parad. c. 14. in Psal. 118. octon. 10. & octon. 15. & lib. 6. in Luc. init. & l. 7. in ea verba; Pater peccaui in cælum. De pœnit. c. 10.* Greg. *l. 8. moral. c. 11. & l. 22. c. 9. & 10. in pastorali par. 3. admonit. 31. In Psal. pœnit. 2. & 6.* Bernard. *de præcep. & dispens. c. 14. &c.*

XLVI. Aliam confessionem inuenio particularem, & ore factam homini: ad effectum itidem remissionis peccati. Sed hanc etiam diuersam inuenio. Vna est, quando quis peccauit in fratrem suum, & ei fatetur culpam, vt impetret veniam. De hac est illa Petri interrogatio; *Matth. 18. 21. Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? — septuagies septies*; si videlicet se peccasse confessus veniam petierit: & illud Iacobi. *Confitemini inuicem peccata.* Hoc est, qui in fratrem peccat, confiteatur ei se peccasse, & sic pœnitens veniam petat, vt infra.

XLVII. Alia confessio est, quando ad medelam propriæ conscientiæ consilium à ministro Ecclesiæ quis postulat, vt sciat an peccet in quibusdam necne, & instrui vult in lege Dei: & si sit in peccato, quo remedio sit ei vtendum: Et hæc confessio medicinam tantum quærit. De hac Origenes *in Psal. 37. hom. 2.* illud habet, Pronunciationem iniquitatis, id est confessionem peccati, frequentius diximus. — Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequatis: si intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuum qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.] De eadem Basilius *in regulis breuior.* Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem quæ curanda sint teneant; eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: consentaneum in modum illi, quod scriptum est, Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum portate. hoc est, tollite diligentia & cura vestra.] non ait, tollite absolutione.

lutione. Apud Areopagitam *epist. ad Demophilum* pœnitens quidam ad genua Sacerdotis pronolutus, se medicinæ peccatorum causa venisse fatebatur.] In Concilio altero Cabilonensi *c.33. & de pœnit. dist.1.c.90.* vnũ canonem lego, qui ante octingentos annos in Concilio hoc, sanè Catholico, editus, satis nos instruit circa confessionem, eam ad quærendam medelam, non ad obtinendam absolutionem sæpe pertinuisse. Canon verò est huiusmodi. Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod vtrumq; non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, vt & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum Dauid dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam nõ abscondi. Dixi, Confitebor aduersum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et secundum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem vt saluemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis autor & largitor; plerunque hanc præbet suæ potentiæ inuisibili administratione, plerunq; Medicorum operatione. Aperiamus tandem oculos, & videamus hic confessionem quæ fit Sacerdoti peccata nõ curare, sed quomodo curanda sint, detegere; quia peritus medicus animarum instruit pœnitentẽ, quo pacto per pœnitentiã sibi possit prospicere.] Gregorius quoque *in Euan. hom. 40.* in confessione peccati medelam ponit: Sic alij.

XLVIII. Alia demum confessio est, per quam peccata subijciuntur clauibus Ecclesiæ, ad obtinendam solutionem eorum in cœlo, per solutionem habitam in terra, & ferme coincidit cum præcedẽti de medicina; peccata enim grauiora subijciuntur Ecclesiæ, sæpe inuito etiam illo qui peccauit, vt dixi supra de peccatis publicis & notorijs; & in his non est necessaria confessio hæc particularis; nam sufficit etiam accusatio, & quod ille tale crimen commisisse sit conuictus; & nisi velit penitus interire quoad animam tenetur tandem se humiliare, fateri crimen, & publicè pœnitentiam agere. Qui verò fuit etiam occulti grauis peccati vult habere per claues remissionem, sponte peccatum secreto confitetur, vt pœnitentiæ Ecclesiasticæ subijciatur, ad quod tamen ille liber est, nec vlla lege diuina, aut humana justa ad id astringitur, cum remedium habeat paratum in pœnitentia interna, quæ sola potest sufficere ad remissionem à Deo obtinendam. Si tamen vult frui Ecclesiastica solutione, debet prius Ecclesiastico vinculo ligari, & ad hoc necesse est vt peccatum, cuius per claues quærit solutionem, Ecclesiæ, id est, ipsius ministro, aperiat. Initio quidem, vt diximus, etiam publicè omnibus audientibus confitebantur; postea secreta fiebat confessio, sed pœnitentia publicè: ac demum & confessio & pœnitẽtia secreta fuerunt. Et profectò pœnitentia ipsa Ecclesiastica semper vna & eadem penitus est in se, in sua virtute, in sua efficacia, & in peragenda tota pœnitentia à principio ad finem: solum variata fuit penes publicum, & secretum. Sed in se etiam secretissima pœnitentia eadem penitus est, quæ erat illa maximè publica, quam nostri moderni solennem vocant. Non enim possumus in antiquitate inuenire alias differentias, nisi has duas, publici, & secreti, modis iam explicatis.

XLIX. De satisfactione multa disputant nostri. Ego satisfactionem in Patribus inuenio sæpissime cõmendatam, & scripturis confirmatam; semper tamen video satisfactionem fieri pro culpa potissimum, & non pro sola pœna, vt perperam nostri volunt; & satisfactionem esse ipsammet externam Ecclesiasticam pœnitentiam, ad quam reducitur peccator per Ecclesiam, dum per claues ligatur, & pœnitentiali excommunicationi subijcitur. Ita vt satisfactio semper necessario præcedat absolutionem, & fiat in gratiam absolutionis obtinendæ; sicut ligamen Ecclesiasticum præcedit Ecclesiasticam solutionem. Ecclesia vero satisfactiones has externas per opera pœnalia requirit, tum ad humilitatem peccatoris, & consequenter ad dispositionem pro obtinenda vera compunctione, tum etiam ad Ecclesiæ ædificationem, vbi scandalum fuit publicum, vt Ecclesiæ etiam satisfiat. Et in hoc sensu accepisse Ecclesiam incorruptam perpetuò satisfactionem, & eam omnino necessariam fuisse illis, qui per claues vellent absolutionem Ecclesiasticam obtinere facile ostendo. Cyprianus illis succensens qui lapsis in pœnitentia Ecclesiastica, tunc publica, constitutis, præponere pacem darent, & ita à debitis satisfactionibus eos liberarent, sic in eos inuehitur *l.1. epist.3.* Intercedunt ne exoretur precibus & satisfactionibus Christvs, qui negantem se negare profitetur — decreuimus vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret — miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat. Datur opera ne satisfactionibus, & lamentationibus iustis delicta redimantur — & deprecationibus, & satisfactionibus justis peccata sanentur — quibus etiam non satis fuit ab Euangelio recessisse, spem lapsis satisfactionibus & pœnitentia sustulisse — cum malè sibi consciorum, & Deum rogare ac satisfacere nolentium caterua conflueret. — Amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili, & simplici confitentes. — Si qui existimant aditum sibi non lamentationibus & satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeant, contra tales stare Ecclesiam Domini — si satisfaciunt quid minantur?]

L. Ambrosius *ad virg. lap. cap. 8.* in illis quoque satisfactionem externorum operum postulat, qui coram Deo tantum pœnitentiam agunt, & ipsos actus pœnitentiæ vocat satisfactiones ad remissionem peccati, & culpæ obtinendam: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu. Sic conuersus magnus ille Dauid justificatus est. Sic Niniue peccatrix illa ciuitas incumbentem sibi euasit interitum. Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas gehennæ præcipuas, in hoc paruo vitæ spacio compensauerit, se ipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.] Item, *de pœnit. c.14.* Confitere, & faciem Dei præueni satisfactionis officio, humilia ante, &c.] Satisfactio igitur præit remissionem, & ad remissionẽ culpæ ordinatur, imo tantam vult esse hanc pœnitentialem satisfactionem, vt non modo æquet, sed etiam excedat criminis quantitatem, in ipso videlicet iudicio Ecclesiastico, quod Christvs *Matth. 16.* in cœlis sequendum & approbandum esse dixit: verba Ambrosij *de virg. lapsa cap. 8.* sunt; Sed quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut excedat?] Et sanè ibi loquitur de pœnitentia, per quam culpa deleatur, & non per quam post deletam culpam pœnæ satisfiat. Est quidem pœnitentia hæc seu satisfactio pœna quædam, sed quam spõtaneè subeat delinquens, vt ipse prior in se puniat suum delictum, ne ipsum Deus puniat in æternum. Sic paulo ante Ambrosius monebat.

LI. Sic Augustinus quoque *in Psalm.* 58. nostram punitionem spontaneam valde laudans monet, & ait, Iniquitas omnis parua magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Nam quem pœnitet, punit seipsum. Ergo fratres puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem quasi blandiens peccatis, aut nõ eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu. Nam & illud fecisti quod impunitum esse non possit, sed à te puniatur potius, vt facias quod in Psalmo 94. 2. scriptum est, Præueniamus faciem eius in confessione. Quid est, *Præueniamus faciem eius in confessione*? Antequam ipse attendat, vt puniat, tu præueni confitendo & puni. Ne ille inueniat quod puniat, quia cum tu punis iniquitatem facis æquitatem. Et ideò miserebitur Deus, quia iam te operantem æquitatem inuenit DEVS. Quid est operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti, quod & odit ille, vt incipias placere Deo, dum hoc in te punis, quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est, Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.] Item *in* 84. *Ps.* Iustus debes esse in te, vt punias te; ipsa prima est hominis iustitia vt punias te malum, & faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa fit via Deo, vt veniat ad te Deus: ibi illi fac viam in confessione peccatorum.] Satisfactio ergo punitiua est illa confessio, quæ Deo viam parat ad remissionem. Dicit enim Deus, vt ibidem paulò ante notarat Augustinus. Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; ignoscamus quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum.] Parcere Dei, ignoscere, liberare, ad remissionem spectat peccatorum, non ad solius pœnæ condonationem. Ideo punitiones hæ, & satisfactiones sunt pro culpa simul & pœna, & non pro sola pœna. Igitur præcedunt remissionem peccati, nõ subsequuntur, quanquam possit etiam & soleat punitio hæc esse duntaxat interna, per contritionem, iuxta eundem Augustinum, in Psalm. 140. dicentem: Peccator es? Vindica in te, redi ad conscientiam tuam, & exige de te pœnas, crucia teipsum, &c.] Sed eandem punitionem seu satisfactionem intelligit Augustinus sæpe etiam in pœnitentia externa Ecclesiastica, iniuncta per ministrum Ecclesiæ; nam illa quoque spectat ad contritionem; est enim vel effectus contritionis, vel caussa disponens ad contritionem, & propterea semper prior est remissione. De hac satisfactoria pœnitentia externa Ecclesiastica sic loquitur Augustinus *lib.* 50. *hom.* 50. *c.* 11. Iudicet ergo seipsum homo —& cum in se protulerit internæ seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur—& à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modũ.] Hoc est, subiciat se pœnitentiæ iniunctæ, per quam perueniat ad reconciliationem, & consequenter ad remissionem, & alibi; *Ibid. hom.* 46. Diluat, *inquit*, confitendo, quod peccando infecerat, satisfactione abluat q̃ delictorum maculis sordidauerat.] Satisfactio hæc peccatum ipsum diluit dispositiue, & tanquam conditio qua cum.; cum caussa; & non solius pœnæ soluit debitum; vt & ibi, *serm.* 57. *de temp.* & *serm.* 41. *de diuer.* Cõmoneo, vt si quis ex vobis conscius criminum suorum indignum se communione Ecclesiastica putat, dignũ se esse faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo, nisi vt errores pristinos relinquat, & pœnitentiam petat; vt qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur? Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere nõ possit—Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit—In satisfactione ingentium peccatorũ, non verba tantum, sed opera quæruntur—Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest?] Hoc est, quod iam monui, Sanctos Patres, internam solam pœnitentiam posse satis esse ad remissionem peccati, censuisse, vix tamen ei soli fidere voluisse, & semper consuluisse, ob grauiora præsertim delicta, vt ad claues Ecclesiæ recurreretur: quæ tamen ordinariè non soluerent, nisi post peractam debitam pœnitentialem satisfactionem. Et hanc remissionem longè tutiorem esse & censuerunt, & docuerunt.

LII. Hieronymus quoque *in Ioel. cap.* 1. ad Ecclesiasticam hanc pœnitentiam satisfactoriam spectabat, quando scribebat ista, videlicet: Qui sanctus Sacerdos est, & comedit Pascha Domini, accingatur baltheo castitatis, & audiat cum Apostolis: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Qui autem peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat, vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, & cubet vel dormiat in sacco: vt præteritas delicias per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.

LIII. Innocentius Primus *epist.* 27. aduersus eos, qui ordinationes sacras ab hæreticis datas, vt legitimas admittebant, & vitium ordinatione tolli dicebant, sic instat: Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, &c.—Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id præstare potest ordinatio, quod longa satisfactio præstare consueuit.] In eiusdem rescripto sic etiã legitur, *epist.* 29. Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atq; lachrymas corrigentis; ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.] Satisfactio profectò & præcedit, & obtinet remissionem, vt vult Innocentius, estq; ipsamet pœnitentiæ peractio, ad criminum remissionem. Et Leo de illis, qui iam moribundi petunt pœnitentiã, ait, vnde oportet vnumquemque Christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat: nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum spacium se reseruet incertum: & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inueniat spacium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis.] Longa hæc satisfactio, est ipsa pœnitentia iniuncta, indulgentia verò est ipsa peccatorum remissio.

LIV. Concilium Agathense *cap.* 37. Homicidas & falsos testes excommunicat, nisi, *inquit*, pœnitentiæ satisfactione crimina diluerint.] Satisfactio ergo pœnitentiæ est ad diluendum peccatum. Et Toletanum Tertium, formam antiquam canonicam iniungendi hanc pœnitentiam restituens, ait *cap.* 11. formam esse, vt presbyter prius eum què sui pœnitet facti, à comunione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere: expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni restituat.] Hic quoque satisfactio solutionem præcedit; estq; pœnitentiæ executio. Et concilium Parisiense *lib.* 1. *cap. vlt.* vetat aliquos esse baptizandorũ patronos, nisi suorum criminum per dignam pœnitentiæ satisfactionem, reconciliationem mereantur.] Gregorius quoq; *in lib. Reg. lib.* 6. *c.* 2. satisfactionem pro peccati remissione, &

non pro solius pœnæ relaxatione, requirit, & sanè ante culpæ dimissionem: Signum ergò, *inquit*) veræ confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ: tunc nanq; bene conuersum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nitatur, quod loquendo confitetur.] Confessionem ergo sequitur pœnitentia externa, seu satisfactio, satisfactionem reconciliatio & peccati remissio. Habet & illud *Greg. lib. 9 moral. c. 17.* Delinquenti ergo Dominus nequaquàm parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus eum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccatum parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.] Quod sumpsit ex Augustino. Loca Patrum multa de hac satisfactione colligit etiam Bellarminus, *de pœnit. lib. 4. cap. 9.*

LV. Post peractam pœnitentiam Ecclesiasticam, sequitur reconciliatio, publica ... dem in publico, secreta verò in secreto pœnitentibus. Ac sicut imponere pœnitentiam est ligare, vt expressum est in Nomocanone Nestuteræ, *in Biblioth. SS. PP. tom. 6.* ita reconciliare est soluere, vterque actus clauium. Idem verò est reconciliare, quod pacem dare, ad communionem restituere, Ecclesiam aperire, veniam, indulgentiã concedere, recipere, &c. *Cypr. lib. 1. ep. 2. & l. 3. ep. 23.* Neq; Ecclesia soluere potest, nisi quod ipsa ligauit, neque ligare posset, nisi haberet etiam soluendi potestatem, vt supra explicaui, & Ambrosius *de pœnit. lib. 1. cap. 2.* docuit contra Nouatianos, ita scribens: Dominus parius, & soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrunque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet; nec ligandi habet. Sicut enim secundum Dominicam sententiam qui ligandi ius habet, & soluendi habet, ita istorum assertio se ipsam strangulat, &c.] Lapsos enim Nouatiani Ecclesiastico etiam vinculo ligandos esse, hoc est à communione in perpetuum amouendos censebant, eorum verò reconciliandorum potestatem Ecclesiæ datam esse negabant. Sic profectò Nicolaus quoq; primus, *ep. 9.* ligare & soluere in Ecclesia correlatiua esse intellexit. Quia igitur Nouatiani & Montanistæ negabant posse Ecclesiam peccatores reconciliare, *Tertul. de pudicitia,* nisi pro leuioribus, hinc consequenter negabant, Ecclesiam posse dare peccatorum remissionem: non enim negabant absolutè Deum remittere peccata lapsis, pœnitentiam internam peccatori non auferebant, & negotium cum Deo, à quo postulare deberent remissionem, relinquebant, sed externam pœnitentiam posse vtiliter Ecclesiasticam obtinere remissionem pernegabant, *Ibid.* salua illa pœnitentiç specie post fidem, *ait Tertullianus Montanizans,* quæ aut leuioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut maioribus & irremissibilibus à Deo solo.] Distinctionem hanc grauiorum & leuiorum infra paulò post discutiam. Reconciliare igitur peccatorem externa Ecclesiastica recõciliatione erat à peccato absoluere in terris, ad quam, si ritè fieret, absolutio etiam sequeretur in cœlis. Quicunq; igitur hodie negaret vtilẽ esse hanc externam Ecclesiasticam pœnitentiam & satisfactionem reconciliationemque; hoc est Ecclesiasticam solutionem ad peccati remissionem non pertingere, is Nouatianus verus esset, & fallacia Christi faceret verba illa: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cœlis.* De quo plura postea.

LVI. Reconciliatio verò semper in antiqua pura Ecclesia facta est sola communionis restitutione: tam in publica quàm in secreta pœnitentia. In publica quidem ad communes preces, & ad omnes sacras synaxes introducebatur is qui reconciliabatur, quia dum esset in peragenda pœnitentia, ab his remouebatur, & peculiari loco detinebatur à reliquis fidelibus separato: In secreta verò reconciliari erat sacræ mensæ participationi restitui: Vnde queritur Ambrosius *de pœnit. l. 2. cap. 9.* de quibusdam, qui ideo poscunt pœnitentiã, vt statim sibi reddi communionem velint. Et in hac redditione, præsertim sacrę Eucharistię communionis, ponunt reconciliationem Concilium Ancyranũ *cap. 8.* Eliberinum *cap. 72.* Laodicenum *cap. 2.* Toletanum 3. *cap. 11.* Leo *Ep. 85.* Vigilius *Ep. 1.* & alij multi. Hæc porro redditio, seu susceptio, seu receptio, seu admissio, nullis certis verbis fiebat initio, neq; ceremonijs. Postea pro varietate Ecclesiarum additæ sunt preces, & interdum manus impositio: potuit etiam solo nutu Episcopi pœnitens admitti ad communionem: imò etiam Diaconi potuerunt, absente Presbytero, facere hanc pœnitentium in Ecclesiam intromissionem. Ait enim Cyprianus *lib. 3. epist. 17.* vel si Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominũ cum pace.] Sed & laici incestuosum illum à Paulo excommunicatum, excommunicatione hac pœnitentiali, cũ exclusione à sacris cœtibus, reconciliarunt, & in suum cœtum admiserunt, & inde ei peccatum etiam remissum fatetur Paulus. 2. *Corinth.* 2. 10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego si quid donaui, propter vos in persona Christi, &c.] Ille certè absolutus fuit ab illo peccato post aliquam pœnitentiam, & nullis Pauli peculiaribus verbis: & ligatus quidem erat ab Ecclesia, mox etiam solutus, vbi Ecclesia, hoc est, cœtus ipse fidelium eum recepit. Et sanè Ambrosius à Paulo tunc remissum fuisse peccatum scribit, contra Nouatianos. Et in hac reconciliatione datam fuisse peccati remissionem negare non potuit Bellarminus, *de pœnit. l. 1. c. 11. ad fin.* Ambrosij verba, *de pœnit. l. 1. cap. 16.* sunt: Cum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos autoritate dimittendum negatis?] Sic apud Cyprianum sæpe legimus, Martyres solitos fuisse lapsis in pœnitentia existentibus pacem dare, quasi sub ratihabitione; Claues enim datæ sunt Ecclesiæ, quando Petro datæ sunt, vt ait Augustinus, *in Iohan. tract.* 124. Soluere autem per claues Ecclesiæ, est eisdem clauibus ligatum liberum reddere. Etiam per catechumenum non baptizatum, iussu tamen Ecclesiæ, posse pœnitentem reconciliari ait Augustinus, *de consec. dist. 4. cap. Sanctum.* Legatur Albinus, *de diuer. offic. cap. 13. & cap. 16.* & quisque videbit, iam nono post CHRISTVM seculo omnes, qui se peccatis grauatos sentirẽt, solitos fuisse in Romana Ecclesia initio quadragesimæ ad pœnitentiam ligari, etiam spontaneè accedentes, & feria quinta ante Pascha solutionem Ecclesiasticam certis duntaxat precibus & ceremonijs, absque vlla iudiciali absolutione accepisse, & communioni fuisse restitutos: & in Pontificali Romano eadem reconciliationis pœnitentium forma adhuc habetur, sine vlla iudiciali absolutione.

LVII. Hæc est vera Ecclesiastica pœnitentia, quæcunq; illa esse possit, cui fundamentum fecit Christus, quando claues regni cœlorum donauit Ecclesiæ, nec alia legitima, aut vnquam fuit, aut esse potest. Eam verò Papatus noster, ipsiusque ministri corruperunt horribiliter, & ad clericalis auaritiæ ambitionisque fomentum & adiumentum, cum ingenti animarum deceptione & periculo, in aliam transformarunt, quam neque Euangelium tolerat, neque Patres antiqui Ecclesiaque pura vnquam agnouerunt. Transformatio verò hæc, imò miserabilis deformatio, in his consistit. Primum, quod Pœnitentiam facimus Sacramentum;

tenemus; secundò, quod pœnitentiam hanc externã, præsertim quoad confessionem auricularem, omnino necessariam esse velimus, vel in actu, vel saltem in voto, cum conscientiarum carnificina, ita vt absque ea remissio peccati mortalis nullo pacto possit haberi. Tertiò, quod satisfactionem præpostere absolutioni postponamus. Quartò, quod absolutioni verbali nimium tribuamus potestatem. Quintò demum, quod sanè tollamus penitus & aboleamus veram pœnitentiam, & consequenter remissionem peccatorum per claues iam amplius nullam habeamus. Atque hæc omnia iam paucis sunt nobis percurrenda.

LVIII. Sit igitur PRIMA QVÆSTIO, An pœnitentia Ecclesiastica sit verum & proprie dictum Sacramentum. Status quæstionis est; An pœnitentia illa externa, vbi peccator voluntariè & sua sponte, siue publicè, siue secretò aperit suum peccatum ministro Ecclesiæ, vt pro eo iniunctam habeat pœnitentiam, siue publicè, siue secreto; quadam sui excommunicatione peragendam, & ea peracta reconcilietur, sit verũ Sacramentum. Hanc enim solam pœnitentiam Ecclesiasticam in tota antiquitate reperimus, vt iam probaui, non aliam. Et hanc ego absolutè nego esse verũ & propriè dictum Sacramentum. Non enim est ceremonia vlla visibilis stata & ordinaria, quæ externè appareat, & ex diuino instituto interni effectus signum efficax. Hæc enim, ex communi ferme nostrorum Scholasticorum consensu, *cap. 4. huius libri*, inter alia, necessariò requiri ad verum Sacramentum, est ostensum, & ex assignatis à Bellarmino veri Sacramenti conditionibus sunt collecta. Quid illi? Verba inquiunt: *Ego te absoluo à peccatis tuis*, sunt res illa sensibilis & ordinaria. Mitto nunc absurdum, vt eadem res sit materia & forma; (in his enim verbis formam omnes collocant huius prætensi Sacramenti;) & metaphysicos conceptus vt ad sensibilia Sacramenta quadrare. Sed ante omnia oppono, hæc verba non in tota scriptura, neq; in tota antiquitate vsquam reperiri. Ostendant vbi Christus ea præceperit. Dixit ille quidem, *quod solueritis soluetur, quod remiseritis remittetur*: sed soluere & remittere, nõ est loqui, sed aliam actionem, quæ non sit locutio, exercere; & quæ possit etiam sine verborum prolatione peragi. Sicut docui in Baptismo, quia Christus dixit, *baptizate*, & non dixit, *dicite*: *Ego te baptizo*: iccirco verba hæc: *Ego te baptizo*, ad Sacramentum nihil de necessitate pertinere; baptizare enim est lauare, non loqui, & satis baptizat qui lauat, etiam nihil dicendo; necessaria tamen in Baptismo est verbalis Inuocatio Trinitatis, vt ibidem docui, quia illam Christus præcepit expresse. Sic igitur in pœnitentia deberet ligari externis vinculis pœnitens, & quando absoluitur, debetet ab illis visibiliter solui, & tunc fieret actio illa soluendi, etiamsi nihil diceretur, nam facto ipso ille solueretur. At qui hæc ceremonia neq; est in præcepto, neq; in vsu. Frustra ergo ille dicit se facere sensibiliter, quod non facit, & sic illa dictio vt sensibilis, nihil est. Sicut si baptizãs, absq; vlla lotione sensibili diceret; Ego te à peccatis abluo: profectò nullum Sacramentum faceret: quia hæc verba nihil sensibile sacramentale continerent.

LIX. Sed iam etiam ostendi, reconciliationem olim factam sola restitutione hominis ad prohibitas sibi synaxes, quæ etiam solo nutu fieri potuit, & nulla vsquam certa verba extant, quorum certus, & vbique idem vsus esset in reconciliando. Neq; considerant nostri duos esse actus æque concessos à Christo suæ Ecclesiæ pro hac pœnitentia, habentes promissionem; alterum ligandi, alterum soluendi. Si autem potestas hæc ligandi & soluendi esset Sacramentalis, procul dubio æque Sacramentum esset ligare, atque soluere. Ergo pari ratione in iniunctione pœnitentię dicẽdum esset, *Ego te ligo in peccatis tuis*. At quis hoc vnquã dixit? & tamen excommunicatio pœnitentialis facta in terris per Ecclesiam approbatur in cœlis, non minus quàm illius reconciliatio, & solutio.

LX. Ad ritum externum pertinere etiam aiunt actus externos pœnitentis, vt quod fateatur se peccasse, & petat absolui, *Bellar. de pœnit. l. 1. c. 10*. At verò etiam nõ confessus clauibus subijcitur, vel inuitus, vt qui accusatus criminis scandalosi, & conuictus, ligatur, pœnitentiæq; subditur; & quamuis non petat solutionem, modo humiliter suam peragat pœnitentiam, absoluitur tandem: neq; enim necesse est, vt petat absolutionem, modo rite satisfaciat. In eo verò qui sponte se subiicit clauibus, & voluntariè fatetur peccatum, id facit, non vt proximè absoluatur, sed vt ligetur, & pœnitentiæ modum accipiat: pœnitentiam verò peragit ad hoc, vt soluatur: Pœnitentiæ verò peragendæ modi & ritus sunt varij, nunquam iidem, & constantes. Ita vt nullus sit certus & stabilis ritus in agenda pœnitentia. In Sacramentis verò ritus debet esse perpetuo idem & constans, & à Christo institutus: Dixit profectò Christus: *quorum remiseritis*. Sed remittere non est loqui, neque necessariò, vt supra monui, fit per locutionem, & ita reconciliatio etiam nutibus fieri potuit, maximè verò fiebat traditione Eucharistiæ in sacra cœna. Et Diaconi etiam ac laici nomine Ecclesiæ poterant reconciliare, vt dixi, qui tamen non dicebant, *Ego te absoluo*, sed solum in communionem Ecclesiasticam pœnitentem admittebant, actu potius negatiuo, non excludendo illum à se, quàm positiuo.

LXI. Habet, *inquiunt*, promissionem gratiæ, quæ est iustificatio: sed si omnes actus externi, quibus promittitur effectus gratię, constituunt verum Sacramentum, Sacramenta erunt plurima. Congregari in nomine Christi habet effectum promissum præsentiæ Christi, *Matth. 18.20*. Calicem aquæ frigidæ porrigere discipulo, habet promissam mercedem, certè spiritualem, *Ibid. 10.42*. Confiteri Christum coram hominibus, habet promissionem, quod Christus sit talem confitentem confessurus coram Patre, *Ibid. 10.32*. Relinquere patrem & matrem, &c. & sequi Christum, habet promissum centuplũ, & vitam æternã, *Ibid. 19.29*. Sunt & alia innumerabilia, quæ nemo dixerit esse vera Sacramenta. Ita ligare peccatorem per excommunicationem ẽt pœnitentialẽ habet effectũ in cœlis: nã ibi quoque ille ligatur; & soluere illum in terris facit eũ solutum ẽt in cœlis, iuxta Christi promissionem, & effectus est certus, & tunc fit; sed quia non habet ritum certum sensibilem, de se actum indifferentem, à Deo institutũ, & cum analogica significatione, de quibus egi, *cap. 4*. ideo Sacramentum verum non est, sicut nec illa, quæ modo commemoraui, nec innumerabilia alia.

LXII. Veterum testimonia asciscunt sibi nostri, ac præsertim Bellarminus, *de pœnit. lib. 1. cap. 10*. vt inde sibi & nobis persuadeant, pœnitentiam esse Sacramẽtum, quod nemo veterum vnquam dixit: sæpe, fateor, vbi de remissione agunt peccatorum, infideli ante Baptismũ proponunt Baptismũ, sed non sine interna pœnitentia: at fideli post Baptismum in peccata lapso, proponunt pœnitentiã, tanquam vnicum & singulare remedium, siue solam internam, quam nostri virtutẽ vocãt, siue etiam externã Ecclesiasticam, quam nostri vocant, sed perperam, Sacramentum. Quod verò Patres Pœnitentiam interdum cum Baptismo conferant, non id faciunt ratione Sacramenti, sed ratione remedij, & ratione effectus; nam & in Baptismo remittuntur peccata, & in pœnitentia, ea videlicet quæ post Baptismum sunt commissa. Non tamen propterea sequitur, quod illa

quoq;

quoque sit Sacramentum, quia Baptismus est Sacramentum. Sicut morbi corporis expelli solent, non solo hausto pharmaco purgatiuo, sed etiam inedia, interdum sola, siue missione sanguinis, siue labore & sudore, & tamen inedia, missio sanguinis, & sudor, pharmaca hausta non sunt solutiua, sicut rheubarbarū, cassia, diaphœnicon, &c. Et Patres profectò quos profert Bellarminus, vt plurimū de pœnitentia interna loquūtur, quam tamen nemo ex nostris vult esse Sacramentum. Nouum igitur priusq; inauditum commentū est Petri Lombardi, & post eum Scholasticorum, Pœnitentiam Ecclesiasticā esse verum Sacramentum; error nimis crassus, vt probaui, & sanè intolerabilis.

LXIII. Secunda QVÆSTIO, an pœnitentia externa Ecclesiastica sit necessaria ad peccati post Baptismum commissi remissionem. Quæstio hæc solet esse valde & prolixa & perplexa; quam ego paucis absoluam, stante mea distinctione, quam nemo voluit vt par est aduertere: de pœnitentia interna, & de externa Ecclesiastica. Solutionem quæstionis ad aliquot reduco propositiones.

LXIV. Propositio prima esto; Pœnitentia sola interna, in qua peccator cum Deo transigit negotium suum, satis esse potest, & solet, ad plenā peccati remissionem à Deo obtinendam: absq; vlla vel confessione externa, vel absolutione Sacerdotali, siue in re, siue in voto. Et hanc propositionem satis probaui in superiorib. ad initia huius capitis. Atq; hæc remissio habetur absque vllo vsu clauium. Ligatum enim solummodo coram Deo, Ecclesia soluere non potest; id enim soluit Ecclesia quod ipsa ligauit, & quod ipsa non ligauit, neque potest soluere.

LXV. Propositio 2. Clauium potestas data est Ecclesiæ, non vt cuiuscunque peccati remissio à clauibus necessario pendeat in re, vel in voto; sed vt Ecclesia se puram & mundam conseruet; & ad hoc seruit ligandi potestas: & hoc ligamen fit per exclusionem publici & notorij, ac scandalosi peccatoris à cœtu fidelium, siue ad tempus, ad correctionem & debitam satisfactionem, vsq; dum mereatur ille solui & reconciliari; siue absolutè & in perpetuum, nisi resipiscat. Et ad hoc potissimum & principaliter data est clauium potestas. Quare peccata occulta & secreta, & publica etiam, sed non adeo grauia nec enormia, quæ nō scandalum, sed compassionem excitent, in Ecclesia ad claues nequaquam pertinent. Neque potest eas Ecclesia in multum exercere, nisi ille de scandaloso crimine sit accusatus, & Ecclesiastico iudicio conuictus. Et erga tales peccatores Ecclesia exercet quoddam iudicium, cum quadam impropria iurisdictione, non tamen coactiua, vt docui *cap. 3. huius libri.* Hæc est publica pœnitentia. Datæ sunt tamen Ecclesiæ claues etiam secundariò ad adiumentum & consolationem fidelium, qui post Baptismum in peccata sint prolapsi, quique voluntarie & sponte, vbi præsertim de propria sufficienti contritione non sunt certi, vt tutius agant, beneficio clauium volunt vti: vt postquam se voluntariè ligari fecerint, & pœnitentiam iniunctam impleuerint, per claues in terris soluantur, ita vt etiam in cœlis promissam obtineant solutionem.

LXVI. Propositio tertia. Qui volunt solui per claues, necesse omnino est vt peccatum vel peccata, cuius, vel quorum, quippe grauiorum, cupiunt Ecclesiasticam remissionem, fateantur & aperiant; tum vt medelam aptam recipiant, tum etiam vt iustam satisfactionem quam dare debeant, cognoscant & subeant, vt superius explicaui. Omnia verò peccata mortalia enumerare non est necesse, sed sola grauiora illa, quæ Patres crimina potius quam peccata nominare voluerūt. Omnia profectò peccata, si peccata sunt, mortalia etiam sunt: & vana est illa nostrorum distinctio in peccata mortalia, & venialia: vbi præsertim venialia esse volunt ea, quæ mortalia non sunt, peccata tamen sunt. Potius distinguenda sunt ipsa peccata mortalia, in grauiora, et leuiora, seu venialia: siue in crimina; & in peccata, vt distinguunt Patres. *Aug. lib. 50 hom. 41. & 42. & serm. 56 de temp. & Enchirid. cap. 64. & Greg. lib. 21. moral. cap. 9.* Sunt enim peccata aliqua in se quidem peccata, & sane mortalia de suo genere, sed quæ Deus non imputat, & ex se ipso facile ignoscit, & pro quibus nullam externam pœnitentiam postulat, vt sunt motus subreptitij sensualitatis & concupiscentiæ. Item alia peccata mortalia de se, sed quotidiana, & ex fragilitate, & hæc dicuntur venialia, quia facile eorum à DEO obtinemus veniam, & remedium facile habemus, & in promptu.

LXVII. Itaque inter mortalia datur distinctio grauiorum, & leuiorum, ne quis cum Stoicis stultescat, & dicat tantum peccatum esse occidere gallum gallinaceum, quantum est parenti proprio necem inferre. Hanc tamen distinctionem in genere inter peccata, vt alia sint mortalia, alia nō mortalia, sed venialia, in hoc sensu noluit admittere Basilius, *in regulis breuior. ver sus finem.* Primo enim scire illud conuenit, *inquit*, differentiam hanc minorū & maiorum, nusquam in Nouo Testamento reperiri. Siquidem vna est & eadem sententia aduersus quælibet peccata, cum Dominus dixerit, Qui facit peccatū, seruus est peccati. Et item, Sermo quē locutus sum vobis, ille iudicabit eum in nouissimo die. Et Ioannes vociferans dicat: Qui contumax est in filium, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum: cum contumacia nō in discrimine peccatorum, sed in violatione præcepti positam habeat futuri supplicij denunciationem. Prorsus aūt, si id nobis permittitur, vt in peccatis hoc magnū, illud exiguū appellemus, inuicto argumento concluditur, magnū vnicuiq; esse illud, à quo quisq; superatur: cōtraq; exiguū, quod vnusquisq; ipse superat. Vt in athletis, qui vicit fortis est; qui autem victus est, imbecillior eo vnde victus est, quisquis ille sit.] Hæc eo dicuntur à Basilio, vt nemo putet peccata leuia nō esse mortalia, quia peccatum aut peccatum non est, aut mortale est; quanquam inter ipsa mortalia, & leuiora sint, & grauiora.

LXVIII. Non est itaq; dubium, posse hominem fidelem, si velit, subijcere clauibus omnia, & singula peccata, quibus se grauatum sentiat, etiam leuiora: ait enim Cyprianus *de lapsis*, multos timoratæ conscientiæ, quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti essent, quoniā tamē de hoc vel cogitauerūt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ fecisse, animi sui pondus exposuisse, salutarē medelam, paruis licet & modicis, vulneribus exquirentes.] Leuiora tamen huiusmodi peccata, remedia quoq; faciliora alia in promptu habent, internam videlicet detestationem, cum exterioribus quibusdam adiumentis, citra pœnales illas excōmunicationes pœnitentiales, & satisfactiones, ac reconciliationes, quę sancti Patres ex Scripturis collegerunt. Plura commemorat Chrysostomus *in 2. Cor. hom. 2.* prius singillatim; deinde ea sic in epitomen redigit, & ait: Numera igitur remedia, quibus vulnera tua sanantur, atq; omnia continenter impone, Humilitatē nempe, confessionē, iniuriarum obliuionem, gratiarum actionem in rebus aduersis, & incommodis, misericordiam in iuuandis proximis, firmas ac robustas preces.] Atq; hæc vocat pharmaca, quæ etiam post Baptismum vulneribus medeantur. Recensuerat eadem etiā, dum in epistolam ad Romanos scribebat commentarios, *hom. 25.*

hom. 15. Hanc remediorum varietatem ponit etiã Gregorius in *Psalm. 2. pœnit.* vbi sic scribit: Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis ostendat. Sunt tamen quædã peccata, quæ quandiu in hac vita viuitur, etiã à perfectis viris, aut vix, aut nullatenus declinentur. Habent n. sancti viri aliquid quod in hac vita operire debeant: quia omnino est impossibile vt in locutione, aut etiã in cogitatione nunquam delinquant. Student igitur viri Dei, oculorum linguæq; culpas tegere meritis vitæ, student pondere bonorum operum premere immoderata verborũ. Verũ quomodo in electis est possibile eorum trãsgressiones cõtegi, cum ab illo, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, nõ possunt abscondi? Sed quia hoc quod tegitur, inferius ponitur, & aliud aliquid superducitur, vt quod est subterpositum, tegatur: tegere peccata dicimus, quæ quasi subterponentes, abdicamus. Quibus amorum quasi tegmen superducimus, dum bonorum operum nos indumento vestimus. Peccata itaq; tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.] Simile aliquid legerat in Ambrosio, *epist.* 18.

LXIX. Cæsarius quoq; Arelatensis Episcopus, *hom.* 8. leuiorum peccatorum remedia facilia quotidiana recenset hoc pacto: Illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant: quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcerem positos requirimus; discordes ad concordiã reuocamus, indicto in Ecclesia ieiunio ieiunamus, hospitibus pedes abluimus; ad vigilias frequentius conuenimus; eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus; inimicis nostris quotiens petierint indulgemus: istis enim operibus & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata, & longo tempore protracta ieiunia, largiores eleemosynæ, etiã plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ, vltrò nos ipsos à communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes; quia iustum est, vt, qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.] Quomodo verò discerni possint venialia à mortalibus, & illa quæ leui ac facili remedio remissionem habere possunt, ab illis quæ vehementiori pœnitentia sunt diluenda, explicat Augustinus *lib. 83. quæst. 26.* in hæc verba: Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ: infirmitas contraria est virtuti: imperitia sapientiæ: malitia bonitati; quisquis igitur nouit quid sit virtus & sapientia Dei, potest exstimare, quæ sint venialia peccata: & quisquis nouit, quid sit bonitas Dei, potest æstimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic & in futuro sæculo: quib. bene tractatis, probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamuis peccata fateantur: & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per pœnitentiam.] Ex his potest quisq; facile dedocere id, quod proposuimus.

LXX. Augustinus idem *de symb. ad Catech. lib. 1. c. 6.* & *lib. 50. hom. 28.* inter remedia ad leuiorum remissionem exaltat sæpe orationem Dominicam, vt per illam petitionem, qua oramus: *& demitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, horum quotidianorum veniam impetremus. Sunt venialia, *inquit*, sine quibus vita ista non est; propter omnia peccata Baptismus inuentus est; propter leuia sine quibus esse non possumus, oratio inuenta; quid habet oratio? *Dimitte nobis, &c.* Ad delenda peccata leuia quotidiana oratio sufficeret.] Sed hæc ipsa leuia & venialia etiam sua interna indigent pœnitentia. Ait enim Autor grauis, *Augustin. de Eccles. dogm. cap. 53.* Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consueuit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, &c. Et alia remedia pro leuioribus habet sanè Augustinus sæpius: *De verb. Apostol. serm. 31. lib. 50. homil. 29. & 47. serm. 244. de Temp. Enchirid. cap. 70. 71. De peccat. mer. & remiss. lib. 2. cap. 3. &c.* Sed neque Augustinus, neque Chrysostomus, neque vllus ex Patribus vnquam posuit, peccata, etiam hæc leuia, per aspersionem aquæ benedictæ remitti. Illa certè mera est nostrarum Ecclesiarum superstitio. Nos enim, non scriptura, damus nostra benedictione vim quandam supernaturalem aquæ ad peccata remittenda, & sanè ex opere operato, quod est intolerabile. Idem dico de benedictione Papali, Episcopali, Sacerdotali. Quod si remissio hæc sit ex opere operantis, quid ergo facit aspersio? quid benedictio? Populum decipimus, & nostris humanis inuentis illum lactamus, ac in peccatis confirmamus, vt putet aspersione aquæ sanctæ se à peccatis venialibus purgari, & plene expiari. Ac vt coram nobis Episcopis etiam in plateis populus genu flectat, & quodammodo nos adoret, crucis signum in aëre impressum super eum ducimus, persuademusque eo signo peccata venialia deleri, & indulgentiam acquiri, quæ sunt meræ & perniciosæ superstitiones: iam Turcarum ferè propriæ, qui lotionibus frequentibus se à peccatis mundari putant.

LXXI. Esse verò Augustino etiam hæc ipsa leuia verè mortalia, nisi continua diligentia orationis & pœnitentiæ internæ purgentur, constat: quia illa quoque lachrymas, & satisfactionem postulant, vt modo dicebat Gennadius; & quia ait, posse sua multitudine illa hominem ad interitum æternum reducere, si contemnantur. Sic enim habet, *Idem lib. 50. hom. 42.* Ipsa leuia vel minuta non contemnãtur: De minutis guttis flumina implentur. Nõ contemnantur vel minora; per angustas rimulas insudat aqua, nauis impletur sentina, & si contemnatur sentina, mergitur nauis. Repetit idẽ vehementius alibi, *serm. 10. de diuers.* vbi ait: Ista omnia si colligantur contra nos, non ideo non premunt, quia minuta sunt. Quid interest, vtrum te plumbum premat, an arena? plumbum vna massa est, arena minuta grana sunt, sed copiositate premunt. Minuta sunt peccata: non vides de guttis minutis flumina impleri, & fundos trahi? Minuta sunt, sed multa sunt: quotidie ergo dicamus, & corde vero dicamus, & quod dicimus faciamus, *Dimitte nobis, &c.*] Item: *Idem ad Seleu. epist.* 108. Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Matth. 6.* Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo, sed illa vtique quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment sicut vnũ aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per

& per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauem atque submergat? Propter hæc ieiunia & eleemosynæ & orationes inuigilant, in quibus cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. Matth. 6. 12.* manifestamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus.] Item *Aug. l. 50. hom. 50. cap. 8.* Quæ quamuis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant, & nostrum decus ita exterminant, vt ab filio sponsi speciosi forma præ filiis hominum, castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ dissecentur. Quod si falsum est, vnde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus: vnde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim ea dimitti precamur, quæ iam in Baptismo dimissa sunt, & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed vtique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, ieiuniorum, & ipsarum orationū ac supplicationum quisq; pro suis viribus offerre non cessat.] Item *idē tract. 1. in ep. Ioan.* Leuia multa faciunt vnum grande—sed charitas operit multitudinē peccatorum.] Bernardus quoque *serm. 1. de cœna Domini, & de præcep. & dispens. cap. 14. & serm. 1. in conuers. Pauli.* ait: cum his peccatis neminem saluandum.] Ac demum de his leuioribus illud habet Augustinus: *ad Bonifac. l. 1. cap. 3.* Quidam filij sæculi huius sunt, & tamen filij Diaboli non sunt. Quamuis enim Diabolus sit autor & Princeps omnium peccatorum, non tamen filios Diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim vt filij Dei, quoniam si dixerint, se non habere peccatum, se ipsos seducunt, & veritas in eis non est: sed ea conditione peccant, qua sunt filij adhuc huius sæculi: qua verò gratia sunt filij Dei, non vtique peccant, quia omnis qui natus est ex Deo non peccat.] Sunt igitur peccata quidem, & mortalia, sed non permanentia, quia statim adhibito facili remedio abolentur, ideo non faciunt filios Diaboli. Sed si non abolerentur, ipsa quoque interimerent: sunt enim venialia in iis quibus displicent, & qui illa abolere perpetuo non cessant. At verò negligentibus, & illa amantibus, & consequenter illa, absque vllo adhibito remedio, multiplicantibus, sunt verè & propriè mortalia & mortifera, vt contendit Augustinus.

LXXII. Si quærat quis, quænam sint ista peccata mortalia leuiora, & venialia? Respondet Augustinus *l. 50. hom. 50, 7.* Esse vanas cachinnationes, in escis auiditatem, & immoderatiorem appetitum: in vendendis & emendis reb⁹ charitatis, & vilitatis vota peruersa: Vsum matrimonij ad libidinem. *Idem serm. 244. de temp. & Enchirid. cap. 78.* Iudicia apud infideles agitare, *Ibid. in enchirid. cap. 78.* Dicere fratri fatue. *Ibid. cap. 79.* Et generaliter leuiora facit Augustinus, quæ vel ex ignorantia, vel ex infirmitate committuntur. Sed antequam id statuerit, præmisit hæc verba, *Ibid. cap. 78.* Quæ sint autem leuia, & quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio.] Et ostendit multa peccata nos nunquam putaturos fuisse esse peccata, nisi Scriptura ea aperiret; & consuetudinem inueteratam multa peccata iam fere fecisse hominibus laudabilia. Bernhardus *de præcept. & dispens. cap. 14.* inter leuiora, & venialia numerat stultiloquium, vaniloquium, & otiose dicta, facta, cogitata. Inter quotidiana venialia peccata Cæsarius Arelatensis Episcopus *hom. 8. & 13.* numerat ista, in cibo & potu excessum verba otiosa, silentium importunum, pauperem importunum exasperare, ieiunium Ecclesiæ omittere, somnolentiam, vsum vxoris ad libidinem, defectum in visitandis carceribus & ægrotis, & in discordantibus concordandis, morositatem nimiam erga familiā, aut nimia blandimenta, adulationem, pauperes nimium ingurgitare, confabulationes in Ecclesia, incautum periurium, oblocutiones, iudicia temeraria: odium, iram subitaneam, inuidiam, malam concupiscentiam, sordidas cogitationes, concupiscentiam oculorum, voluptuosam aurium delectationem, obscœna loqui, &c. Ac fermè omnia peccata ordinaria, etiam verè mortalia, ponit inter venialia, exceptis paucis, quæ ponit inter crimina; ea verò sunt sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia, iracundia, ebrietas assidua, & detractio. Monet tamen Apostolum plura commemorare, se tamen, ne desperationem facere videatur, breuiter agere.

LXXIII. Huiusmodi ergo peccata leuiora & quotidiana, licet possint subdi clauibus, & per claues dimitti, si quis velit tutius secum agere; non tamen est aut necessarium, aut fuit olim ordinarium, vt clauibus & pœnitentiæ, præsertim publicæ, subderentur, quia remedia leuiora & faciliora, & sane plura habent in promptu, & ideo confessione detegenda necessariò non sunt, & sine confessione Ecclesiastica remitti facile possunt, & solent. Sed crimina & peccata grauia, licet in interna sola pœnitentia remedium sufficiens habeant, vbi pœnitenti diuina affulserit gratia, ad forum tamen Ecclesiasticum duplici via deduci possunt: altera est per viam accusationis, & notorij facti scandalosi: & tunc sine confessione rei potest & solet Ecclesia tales peccatores publice corripere, & satisfactioni ac pœnitentiæ subdere: & quidem voluntarie consentientem ligabit sola pœnitentiali excommunicatione ad tempus, & pœnitentiam ei indicet, postea soluet & reconciliabit; renitentem penitus excommunicabit, & à corpore Ecclesiæ abscindet. Cogere verò ad pœnitentiam suscipiendam neminem potest, imo neque semper decet: Nouit enim nescio quem homicidam Episcopus, *ait Augustinus de verb. Dom. serm. 17.* & alius illum nemo nouit,—prorsus nec prodo, nec negligo, corripio in secreto,—persuadeo ad pœnitentiam.] Persuadet voluntarium, non compellit ad agendam pœnitentiam inuitum Ecclesia. Nam si imprudenter Episcopus vellet huic publicè pœnitentiam indicere, potest ille renuere, & negare se deliquisse: & si Episcopus renuentem excommunicaret, ipse Episcopus excommunicans, pro excommunicato habendus esset, vt in Africano Concilio *sub Bonifac. cap. 99.* declaratur. Alia via qua ad forum Ecclesiasticum veniunt peccata, est voluntaria, & libera pœnitentis confessio, cupientis per claues Ecclesiasticas remissionem; talem verò remissionem quærenti necessaria est eorum omnium & singulorum peccatorū expressa confessio, siue publica, siue secreta, vt ei placuerit (quamuis iam secreta sit ferme tutior, & satis commendatior, vt vidimus in Leone, publicam merito auferente) quorum ille cupit remissionem.

LXXIV. Necessitatem tamen absolutam iure diuino confitendi omnia & singula peccata mortalia à lapsis post Baptismum, fallacissimo paralogismo Bellarminus cum cæteris scholasticis colligit, *de pœnit. lib. 3. cap. 2.* Cuius paralogismi vitium ex hactenus à me explicatis facile est deprehendere. Is verò talis est: Qui mortali peccato se obstrinxerunt, tenentur iure diuino pœnitentiam agere, & reconciliationem

cum

cum Deo quærere: sed medium necessarium ad reconciliationem post Baptismum, est confessio peccatorum omnium Sacerdoti facta. Ergò tenentur iure diuino, qui post Baptismum mortali peccato se obstrinxerunt, Sacerdoti peccata omnia confiteri.] A pœnitentia interna non licet argumentari ad externam: neque ex necessitate internæ pœnitentiæ corā solo Deo peragendæ, licet colligere externæ Ecclesiasticæ pœnitentiæ necessitatem: neq; remissio à Deo immediatè habita, vel habenda, pendet à remissione quæ per claues Ecclesiæ potest haberi. Itaq; illud, *agere pœnitentiam*, quod ponitur in maiori Syllogismi modo facti propositione, si intelligatur de pœnitentia externa ab Ecclesia imposita, siue publica, siue secreta, siue per accusationem, siue per confessionem, falsa est maior, & omnino neganda. Ipsius verò probationes sollus internæ pœnitentiæ conuincunt necessitatem: & si quid de externa innuunt; illud ad externam Ecclesiasticam nihil facit, sed sumitur vt fructus internæ pœnitentiæ, & effectus ex propria hominis voluntate, auxilio diuinæ gratiæ proficiscens, & ad Ecclesiasticum iudicium nihil spectans. Assumptio seu minor propositio eiusdem Syllogismi, est etiam ipsa adhuc falsissima, nec potest annecti propositioni maiori ex ea parte, qua ipsa maior vera est, pœnitentiam nempe internam esse necessariam: minor enim est de externa, non de interna. Cuius etiam probatio illa adeo inter nostros Scholasticos celebris, vnicumq; fundamentum asserendæ necessitatis confessionis auricularis, ex data à nobis, & plene confirmata ex Scriptura & Patribus distinctione, inter internam, & externam Ecclesiasticam pœnitentiam, penitus euanescit. Probatio talis est: Christus instituit Sacerdotes iudices super terram, cum ea potestate, vt sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit. Sed nequeunt Sacerdotes rectè iudicare, nisi peccata cognoscant. Ergo iure diuino tenentur post Baptismum lapsi peccata sua Sacerdotibus aperire. Ac per hoc est confessio peccatorum medium necessarium ad reconciliationem iis, qui post baptismum lapsi sunt.] In huius secundi Syllogismi, quo assumptio prioris confirmatur, sola propositione, difficultatem totam ferme sitam putat Bellarminus, ad eamq; propositionem trahit quæstionem illam; num minister sit iudex, an præco duntaxat Dei in annunciāda pœnitenti remissione. Hanc ego quæstionem suo loco tractabo inferius, *cap. postremo huius libri*: nunc verè peccatum remitti in cœlo fateor, quando Ecclesia ritè soluit pœnitentem quem ipsa ligauit, vt est in superioribus à me explicatum: & sic per claues Ecclesiæ remissionem veram dari nunquam negabo. Negabo tamen neminem, qui post Baptismum lapsus sit, sine hoc iudicio posse reconciliari; Christumque tali iudicio soli omnem mortalium post Baptismum commissorum remissionem commisisse. Ante omnia remissionem hāc volui solam interna pendere pœnitentia. Deinde remissionem etiam promisit illis quos prius à se ligatos soluerit Ecclesia. Ex hoc itaq; argumento nihil aliud colligitur, nisi reos pœnitentes, qui velint solutionem per claues obtinere, id assequi non posse, nisi præuia & confessione externa & satisfactione. Quod si quis mortalibus peccatis grauioribus soli Deo obstrictus, velit cum solo Deo de sua remissione agere, potest is per internam pœnitentiam ad Deum confugere, & ab eo remissionem obtinere. Et in hoc ego statuo actionem fori interni coram Deo. Quicquid verò negotij peccatorum inter pœnitentem & Ecclesiam, ipsiusve ministrum ad remissionem per claues obtinendam peragitur, siue id publicè, siue secretissimè fiat, id totum ad externum Ecclesiæ forum pertinet. Iudicium enim Ecclesiæ quodcunque, etiam secretissimum, externum est, quia peccator externè se prodit, & externè, licet secretò, satisfacit, & externè reconciliatur, dum ad communionem externam admittitur.

LXXV. Ex his illud quoq; colligo, confessionē hanc externam non posse ab Ecclesia absolute præcipi, & si præcipiatur, præceptum nullum esse, neminemq; obligare. Hortari quidem potest & debet, & suadere, vt vidimus in Patribus, præsertim in Augustino, sed præceptum necessariò astringens in hoc dari nō potest. Siquidem iure diuino liberum cuique est, vel vti clauiū beneficio ad remissionem, vel non vti, siquidem sine vsu clauium, & consequenter sine Ecclesiastica pœnitentia, quisq; per internā potest abunde quorumcunque criminum remissionem à Deo obtinere; nisi ad Ecclesiam legitimè delata fuerint, vt iam probaui in præcedentibus. Ipse quoq; laudo, approbo, & cuiq; fideli commendo, vt pro grauium peccatorum remissione recurrat sponte ad claues, & se rite ligari faciat, pœnitentiamq; legitimam Ecclesiasticam amplectatur, & per eam quærat habere reconciliationem. Atq; vtinam in nostris Ecclesiis talis pœnitentia, talisque confessio reformaretur, & ab ingenti abusu liberaretur: remediumq; hoc ad commissorum remissionē, & ad committendorum frænum, antidotum salutare, eo quo decet fructu in omnibus Ecclesijs frequentaretur, & potius pœnitentium animarum beneficio, quàm crumenæ confessariorum, quàm vanis & lasciuis fortasse cum fœminis confabulationibus, quæ vt plurimum à spiritu incipiunt, & desinunt in carnem, quàm deniq; politicis explorationibus, & affectuum à proprio ad alienum Principem abalienationibus & defectionibus, & id genus corruptelis inseruirent.

LXXVI. Obijcit Bellarminus: *vbi supr.* Nemo in clausam domum potest ingredi, nisi qui clauem habet aperiat ostium; sic in cœlum nemo ingreditur nisi id aperiat is qui claues regni cœlorū habet. Nam si aliunde pateret aditus, frustra claues datæ Apostolis. Et quid prodesset habere claues domus, si absque clauibus, inuito etiam ostiario, aditus aliunde pateret? Et huc profert illud Augustini, *lib. 50. hom. 49.* Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine caussa dictum est, *Quæ solueritis in terra, &c.* Ergo sine caussa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium, frustramus verba Christi.] Respondeo: Christo prædicante in domo, cum à multitudine ostiū occuparetur, illos qui ferebant paralyticum nudasse tectum, & inde submisisse in domum ipsum paralyticum, *Marc. 2. 4.* Et isti non eguerunt claue, neq; opera ostiarij. Et quid si domus habeat plura ostia, & singula suas claues, diuersis ostiarijs commissas? Quid quando herus habet suam propriam clauem, & ipse met aperit sibi & suis amicis, nunquid eget opera ostiarij? Annon Baptismus aperit cœlum, & non per claues has pœnitentiales? Annon martyrium similiter? Quid nos? Nonne fatemur vnumquodq; Sacramentum dignè susceptum, remittere peccata, quia inducit gratiam, & gratia expellit peccatum? igitur oleum sanctum, vt volunt nonnulli, in extrema vnctione, matrimonij celebratio, &c. aperiunt cœlum, nec tamē in his hæ adsunt claues. Augustinus verò eo loci remissionem per claues, non tanquam necessariam, sed tanquam valde vtilem & proficuam suadet. Nam & alias ad eam se tantum hortari dicit, & fatetur per secretam internam satisfactionem posse peccatum deleri, vt supra vidimus. Obijcere etiā posset, & Scripturas & Patres sæpissime confessionis necessitatem inculcare. Sed illi semper aut de confessione interna coram solo Deo facta per proprij peccati agnitionem, vt confiteri sit, non celare nec defendere

peccatum, aut de externa pœnitentia seu exomologesi, quæ amplectitur totum ordinem Ecclesiasticæ pœnitentię, aut demum de orali, & auriculari confessione loquuntur, pro illis, qui per claues sunt reconciliandi, & medelā proportionatam satisfactionis accepturi. & per hæc inanis redditur totus pene labor Bellarmini *toto lib. 3. de pæn.* nihil enim plus probat, nisi ista.

LXXVII. Liberum esse diximus pœnitenti accedere ad Sacerdotem, vt ab eo prius ligetur, deinde soluatur, si quis Sacerdotū ministerio vti voluerit: quandoquidem possit etiam peccator sine ipsis, per solā internam pœnitentiam Deo reconciliari. Hoc non admittit Bellarminus *de pænit. lib. 3. cap. 2.* quia, *inquit*, peccata omnia caussæ sunt quas cum Deo habemus: at Deus iudicium hoc permisit Sacerdotibus: ergo absq; illis iudicium hoc nō potest terminari. Ego verò dico, caussam hanc & à Deo ipso immediate decidi, & ēt per Sacerdotes. Sicut Rex potest & solet summariè causas etiam ad ipsum pertinentes cognoscere, & definire, & via ordinaria ac lōgiori per suos Magistratus & Commissarios. Summariè cum Deo immediate agimus pro peccatis in foro solo interno nostræ conscientiæ coram Deo: longior via, sed nobis tutior est, per Dei ministros & claues sub externa pœnitentia, & satisfactione. Sciat verò Bellarminus, retineri peccata per Ecclesiam non esse actum merè negatiuum, vt ipse exponit, sed positiuum: non enim retinere est nolle remittere, sed est ligare, hoc est à communione separare, & pœnitentiæ satisfactoriæ subdere, vt iam à nobis plene est ostensum.

LXXVIII. Propositio 4. Opera externa quę satisfactoria vocantur, absolutè loquendo, necessaria nō sunt ad peccati remissionem, iis videlicet, qui per internam solam pœnitentiam Deo reconciliantur. Contritio enim vera & perfecta sola potest plenè sufficere, in qua est dolor de præterito, & propositum de futuro, quamuis vera pœnitentia interna prorumpat libenter in fletus externos, & opera pœnalia: adiunctis videlicet cinere, & cilicio, & ieiunio, ac eleemosynis qui sunt fructus pœnitentię. Opponit Sixtus Senensis *Biblioth. l. 5. annot. 16.* locum Chrysostomi *in Matth. hom.* 10. dicentis; Agamus pœnitentiam, pœnitentiam dico non solum vt à malis prioribus desistamus, verum etiam vt bonorum operum fructibus impleamur, &c.] Respondeo, Chrysostomum explicare veram internam pœnitentiā, quæ sit non solus dolor de præterito, sed cessatio et à peccato, & propositum cauendi ab eo in futurum, & consequenter adhibendi remedia necessaria, aut opportuna ad amouenda à se peccata: remedia verò sint operari contraria peccatis; quæ operatio non est satisfactoria, nec remissoria, sed præseruatiua duntaxat & medicinalis. Requirit etiam opera bona, hoc est, obseruationem mandatorum, vt vere pœnitens internè excludat ab animo voluntatem perseuerādi in transgressione mandatorum, sed statuat ipsa mandata cum diuina gratia adimplere. Et hæc nihil spectant ad satisfactionem cui debeatur remissio. Necessaria tamen sunt opera pœnalia, quæ etiam dicuntur satisfactiones, ei qui pœnitentia externa Ecclesiastica reconciliandus sit; ita tamen, vt hæ satisfactiones vel sint effectus & fructus internæ pœnitentiæ, vel dispositiones ad eam, vt supra est explicatum: & simul etiam per eas Ecclesiæ fiat satis, vbi pro peccato publico scandaloso publicè quis agat pœnitentiam.

LXXIX. Nos aduersarios nobis esse putamus eos, qui satisfactiones pœnitentiales videntur reiicere, cùm tamen illi non alio nomine satisfactiones nostras reijciant, nisi vbi nos eas ex iustitia volumus remissionem promereri, & hoc merito reijciendum esse iam supra docui. Absolute tamen neminem bene sentientē puto satisfactiones hasce Ecclesiasticas reiecturum. Sunt tamē qui contra eas Ambrosij dictum *in Luc. lib.* 10. obijciant, vbi ait de Petro: Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego: quem locum ad confirmandā sufficientiam internæ pœnitentiæ supra attuli. Ibi tū Ambrosius nō negat satisfactiones externas, sed posse remissionē obtineri, ait, per solam internam pœnitentiā coram Deo, etiam absq; externa Ecclesiastica pœnitētia, quod est verum. Sed interim etiam per Ecclesiasticam externam pœnitentiam, quæ sine satisfactione nō fit, peccata remitti & sensit Ambrosius & asserunt, *de pænit. l. 1. c. 16. & l. 2. c. 9. &c.* Sed vt hanc pœnitentiam, quę durior quodammodo est, asperior, & difficilior, nō absolute necessariam esse ostenderet, ad solamen peccatorum, qui à tali pœnitentia abhorrerent, ex Petri exemplo deduxit, etiam solam internam posse ad remissionem satis esse. Ei tamen qui per claues velit absolui, satisfactiones penitus necessarias esse (nisi fortasse moribundis) Ambrosius nūquam negasset. Sic distinctio hæc duplicis pœnitentiæ, internæ, & externæ; sine clauibus, & cum clauibus; fori interni coram solo Deo & fori externi coram Ecclesia; omnes tollit difficultates, & Patrum dicta egregiè conciliat, quam distinctionem quia Magister sententiarum non obseruauit, idcirco in hoc Ambrosij dicto explicando adeo seipsum torsit: q. nostri post eum faciunt omnes Scholastici: est enim satis insulsa illa Lombardi explicatio, *in 4. d. 17. F.* vbi Ambrosio dicēti se lachrymas Petri legisse, satisfactiones & confessionem non legisse, respondet, non propterea explodi confessionem & satisfactionem, quia multa facta sunt, quę scripta non sunt. Vult ergò, Petrū fuisse alicui confessum, & ab eo pœnitentiā satisfactoriam suscepisse, licet Euangelistæ non scribant. Ridiculū. Addit: Et fortè nondum facta erat institutio confessionis, quę modò est.] Optime, & merito suspicatur, confessionem quæ modò fit, non fuisse à Christo institutam: sed postea inductam; vt videlicet omnes obligentur confiteri, vt omnes circumstantiæ enumerentur, vt facta enumeratione, statim ab Ecclesia Sacramentaliter pœnitens absoluatur, qui nondum fuerat ab Ecclesia ligatus, & postquam absolutus fuit, tunc ei satisfactio iniungatur, non pro culpa, sed pro pœna. Talis profectò confessio aut pœnitentia nunquam fuit à Christo instituta, neque ab Apostolis, neque ab Ecclesia pura exercita. Bellarminus peius in Ambrosio se torsit, quàm Magister; Satisfactionem enim, quàm Petro negat Ambrosius, vult esse fuit excusationem: vt quando quis alicui se verbis purgat, dicitur ei satisfacere. Laudat ergo Petrum Ambrosius, *inquit Bellarminus de Purgat. lib. 1. cap. 13.* quod non excusauerit peccatum suum, sicut fecit Adam, sed lachrymis confessus fuerit.] Et hoc quidem verum est, quod non excusauerit: nam & hoc laudat Ambrosius: sed quod satisfactio sit ibi excusatio, est profectò leuissimum commentum: totus enim Ambrosij discursus est ibi, vt ostendat, Petrum per solam internam pœnitentiam, & non per illam externam, quę tempore Ambrosij in Ecclesia vigebat, & multos terrebat, veniam obtinuisse. Externa enim Ecclesiastica pœnitentia passim à Patribus satisfactio vocatur, vt iam nobis plenè innotuit.

LXXX. Satisfactio porrò hæc pœnitentialis in Ecclesiastica pœnitentia externa, & præcedere debet semper absolutionem, seu reconciliationem, exceptis moribundis; & ad culpæ potissimum, non ad solius pœnæ inseruit illa remissionem. Remissa verò culpa etiam pœna tota remittitur, & si pœna remissa tota non est, neque culpa est remissa. Reconciliatio verò, si claue non errante facta sit, & culpam, & pœnam totam remittit, vt infra commodiori loco disputabo,

vbi de potestate Ecclesiæ ad concedendas indulgentias aliquid capite peculiari dicendum erit.

LXXXI. Quæstio Tertia est: An soli & omnes qui petunt Ecclesiasticam pœnitentiam, sint ad eam admittendi. Quando pœnitentia Ecclesiastica erat publica duntaxat, multò circumspectius agendum erat, quia enim Ecclesia ad pœnitentiam inuitos quoque & non petentes, non redigebat, nisi ob grauia & publica delicta, ideo quicunque in numero & loco pœnitentium publicè cernebatur, is profectò scelere graui contaminatus esse pro certo cognoscebatur. Sane Augustinus, *de symb. ad Catech. libi. 1. cap. 6.* suis Catechumenis, ita loquitur: Illi quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania, inde agunt pœnitentiam: nam si leuia peccata ipsorum essent, hæc quotidiana oratio delendo sufficeret.] Graue procul dubio homini Christiano tali censura notari, & tamen duo magni Imperatores, Philippus & Theodosius tali se pœnitentiæ subdiderunt, *Euseb. lib. 6. cap. 17.* ac propterea initio vix reperio talem pœnitentiam sponte petitam, toleratam cerno, sponte procuratam vix obseruo, erat enim & dura & longa. Concilium Ancyranum, *cap. 16.* pro bestialitate, & incæstu, iunioribus pœnitentiam 25. annorum tribuit, aliis prouectioribus triginta, senioribus verò per totam vitam. *Tripart. lib. 9. cap. 30.* Concilium verò Nicænum *cap. 11.* lapsis assignat tres annos inter auditores, *hoc est, inter Catechumenos*, & septē annis substernit supplices: & duobus annis absq; oblatione ad solas orationes, & preces publicas admittit.] Cyprianus *lib. 1. epist. 2. & de lapsis*, lapsos diu in pœnitentia exercuit. Ambrosius *ad virg. lapsam, cap. 8.* virginem lapsam perpetuæ pœnitentiæ vsque ad finem vitæ subiicit. Duritiem hanc emolliere Patres reliqui: Chrysostomus *in 1. Cor. hom. 4.* ait: Non ex scelerum tantum natura, sed ex pœnitentium etiam animo, atque affectione indicenda est pœnitentia.] *Idem de Sacerd. lib. 2. cap. 4.* Prudentiæ moderationem plurimum commendat, & pluribus docet ac instituit eos qui pœnitentiam sunt daturi, vbi de Sacerdotis prudentia disputat. In hac profectò pœnitentia Ecclesia plus vtitur clauibus ad ligandum, quam ad soluendum: ad hoc enim etiam potissimum datæ sunt, & primariò, vt puram & sine ruga & macula, quantum fieri posset, se conseruet; in sui enim gratiam ligat, in pœnitentis verò beneficium soluit.

LXXXII. Sanctissima hæc Christi institutio, & fidelibus totique Ecclesiæ apprime proficua est, quæ certe Diaboli instinctu abiit in desuetudinem. Hanc porrò perniciem intulit Ecclesiæ vel maximè, ni fallor, abusus ingens excommunicandi. Eo enim terminis reducta est hæc vox, & horroris, vt ingenti odio habeatur, & quisque ab ea, tanquam à bruto fulmine fugat, & toto conatu caueat. Quamuis hic ipse etiam gladius ob frequentissimum ipsius vsum, imo abusum, & mucrone iam, & acie sit admodum obtusior. Voluit Romanus Pontifex, voluimus nos Episcopi omnes tali gladio mundum nobis subigere, & excommunicationem illam placidam, & medicinalem, corripientem scandalosos & insigniter delinquentes, eosq; ad publicam pœnitentiam redigentem, ad excommunicationē illam terrificam, ad anathema, ad fulmen horribile redegimus. Ideoq; refugiunt eam omnes. Agam tamē postea inferius de excommunicatione, & hæc ipsa clarius explicabo.

LXXXIII. Vidimus, non solis petentibus dandam esse pœnitentiam, sed initio multò magis, & multò sæpius datam fuisse criminosis, etiam non petentibus, sed tamen eam tolerantibus, & voluntarie admittentibus. Aliquos verò etiam sponte, & sane publicam petiisse non est dubium; sed omnibus eam petentibus dandam non fuisse indifferenter, docent nos Patres & Concilia. Ac primum quidem qui non veniunt bene dispositi, abiiciendi sunt: Nam plerique, *inquit Ambrosius de pœn. lib. 2. cap. 9.* futuri supplicij metu, peccatorum suorum conscij, pœnitentiam petunt: & cum acceperint, publicæ supplicationis reuocantur pudore. Hi videntur malorum petisse pœnitentiam, agere bonorum. Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, vt statim sibi reddi communionem velint, hi non tam se soluere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare.] Hæc profectò non minus vera sunt de pœnitentia publica, quàm de secreta. Attritio igitur ad remissionem non conducit, & illa experimento externæ & longioris pœnitentiæ est probanda: ac certè, nisi successu temporis & exercitio humilitatis ex attrito ille fiat contritus, ante obtentam reconciliationem resiliet: quia hic attritus tantum est, non peccatū, sed pœnas peccati odit: peccatum verò adhuc amat. Est ergo stultissima & perniciosissima illa nostrorum Scholasticorum doctrina, ex attrito vi absolutionis fieri contritum. Et vsus nostrarum Ecclesiarum verè est abusus perniciosissimus, vt ad absolutionem admittatur attritus, imò ne attritus quidem sæpissime, ex quo absolutus vere à nobis deceptus, tunc maximè coram Deo ligatus abit; & qui illum ita præpropere absoluit, ligatus ipse quoq; manet miserabiliter, & sic cæci cæcos ducimus, & simul in foueam præcipitamur, *Matth. 15. 14.*

LXXXIV. Ad pœnitentiam publicam ordinariè non admittebantur, qui semel eam peregissent. Iterare enim pœnitentiam publicam non licebat, & abusum indecentissimum ac perniciosum esse putauit Ecclesia, singulis vicibus quoties quis in crimen multiplicatum prolapsus sit, toties eum ad pœnitentiam admittere. Est canon in Concilio Toletano tertio, *cap. 11.* qui sic habet: Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum canonem, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent, & ideo pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio iubetur, vt secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est, vt prius eum quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicuti Sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni restituat. Hi verò, qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum Canonum seueritatē damnentur.] Sic summariè etiam Concilium longè antiquius Eliberinum, *cap. 7.* Hanc pœnitentiæ publicæ irreiterationem supponit Innocentius Primus, *epist. 1.* Et Ambrosius *de pœn. lib. 2. cap. 10. & 11.* ait: Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum baptismá, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leniorum, illa grauiorum.] Augustinus etiam *epist. 50. & 54.* supponit, id lege Ecclesiastica diu teneri, vt pœnitentia publica non iteretur. Sic etiam Cyrillus *in Leuit. lib. 15.* siue Origenes, & varia Concilia.

LXXXV. Caussa verò huius irreiterationis est, quia qui post seriam & exactam pœnitentiam publicā; in eadem vel alia grauia peccata relabitur, non putatur verè pœnitenti animo illā egisse, & propterea neque ei fidendum amplius censet Ecclesia. Sua verò frequenti reiteratione seuerum illud & operosum reme-

dium vilescit, & contemptui habetur, vt fit etiam nunc apud nos, vbi iam confessiones istæ, etiamsi secretæ, tamen ludibrio habentur, quia passim admittuntur omnes & absoluuntur. Habebat verò olim Ecclesia hostes Nouatianos & Montanistas, qui venia Ecclesiastica foueri peccata dicebant. Ac ne occasionem haberent murmurandi, patentes hasce peccatorum condonationes eidem homini ad vomitū reuertenti negandas esse censuit, vt ego alias obseruaui, *lib. 2. cap. 11. n. 38.* Ideoque iuuenes ordinariè ab agenda publica pœnitentia excludebat. In Agathensi enim Concilio *cap. 15.* id monitum inuenio. Iuuenibus, *inquit*, pœnitentia non facile committenda est, propter ætatis fragilitatē. Sed quibus publica negabatur pœnitentia, iis ordinatium remedium contra grauia peccata relinquebatur, interna pœnitentia coram Deo, & postea etiam Ecclesiastica, sed secreta.

LXXXVI. Et sane sapienter cautum fuit, ne ad pœnitentiam admitterentur, qui verè non essent pœnitentes, quique suis perpetuis recidiuis se peccatum ex animo non odisse ostenderent. Et tales non modo ab iterata publica pœnitentia sunt abigendi, sed etiam à priuata, & secreta. Et longè melius est, peccatores consuetudinarios relinquere propriæ conscientiæ, quā eos vanis iteratis reconciliationibus lactare, & in peccatis confirmare. Nos verò tales non modo ad confessiones recipimus, & absoluimus, sed etiam præceptis & comminationibus compellimus. Quod si per aliquot annos sine pœnitentia Ecclesiastica manerent, sic melius proprium statum aduerterent, & recognoscerent, & seriò tandem compungerentur, ac sponte remedium quærerent veræ pœnitentiæ. Cum verò putent se coram Deo satisfacere, quia peccata quæ adhuc amant semel in anno confessi sunt, & absolutionem receperunt, de vlteriori resipiscentia nihil sunt soliciti. Et hæc est ingens pernicies animarum, quas nostra de pœnitentiæ falso Sacramento doctrina, & absolutionis ex opere operato abusus, in barathrum præcipitat æternæ damnationis. Tunc ergo quando animus peccatoris non est perfectè dispositus ad veram pœnitentiam & abominationem peccati; Melius est, vt ait Ambrosius, *lib. 2. de pœnit. cap. vltim.* quiescere, cum exercere non queat opera pœnitentiæ, ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia. Quæ si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris.] Et alibi, *idem ep. 3.* Nunquid potest placere Domino, si quis, cum adhuc versetur in iniquitatibus, & iniustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? Simile est ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit— Culpam Sacerdotes nō auferunt neq; peccatum eius, qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est.] Quod si priscam veram reuocaremus pœnitentiam, & satisfactionibus ante absolutionem exerceremus pœnitentes, vt semper fecit Ecclesia, facile tandem agnosceremus, qui verè pœnitentiam postulēt, qui subdole; neq; & illos, & nos ipsos tam duro vinculo ligaremus. Sed interim fateor, Confessarij tantum argentum & aurum ex pœnitentium crumenis non demererent, neq; Romanæ pœnitentiariæ nundinationes possent consistere: claues enim Regni cœlorum, in claues arcarum & scriniorum commutauimus.

LXXXVII. Clerici quoque ad pœnitentiam publicam non erant, neq; sunt admittendi. Cum enim pœnitentia Ecclesiastica, ac præsertim publica, pro leuioribus peccatis nō daretur, sed pro grauibus, ex quibus proculdubio infamiæ notam publici pœnitentes subibant, *Concil. Tolet. 4. ca. 53.* propter talem infamiam quisque erat irregularis. Sacer verò ordo clericalis ministros habere debet boni nominis, & honestæ famæ, *Dist. 50. ca. de his vero.* infames verò ab administrandu rebus sacris arceri debent. Clericis verò publicam pœnitentiam non esse iniungendam, habet Innocentius Primus *epist. 1.* Augustinus *epist. 50.* Leo *epist. 95.* & passim Concilia, & Canones, *Distinct. 50. ca. 65. 66. & seqq.* Quod si necesse interdum fuisset Clericum ad publicam pœnitentiam redigere, is iam fiebat perpetuò irregularis, & à sacris ministeriis penitus arcebatur, *cal. Dist. 4. 25.* sed vt plurimum in monasterium ad agendam priuatam pœnitentiam trudebatur, *eadem Dist. c. 7. & Dist. 81 c. 7.* Laicos quoque qui semel publicam peregerint pœnitentiam factos irregulares, *Ead. Dist. 56. 58. 59. 60. &c.* facile obseruatur. Itaque Clerici peccantes, & reuelationem per claues habere cupientes, priuatam & secretam agere debuerunt pœnitentiam, & per eam ad suos gradus restituebantur, sed non nisi per Episcopum, qui solus à gradibus deponere, & ad gradus restituere potest; id enim ad externum regimen spectat Ecclesiæ. An verò ad secretam pœnitentiam possit se Episcopus voluntariè suo presbytero subiicere, ita vt ab eo & ligetur & soluatur, videbimus inferius *in postremo capite huius libri*, vbi proprium subiectum potestatis clauium inquiremus. Publicè tamen & autoritatiuè, etiam in pœnitentiam excommunicari non potest Episcopus à quoquam, siue presbytero, siue Episcopo, quia neque inferior in superiorem, neque par in parem habet potestatem. Potest quidem Episcopus pro delicto à Synodo deponi, & sic depositus ad pœnitentiam redigi & excommunicari, sed dum manet Episcopus, ne per Synodum quidem videtur posse excommunicari, nisi vbi excommunicatio secum fert etiam depositionem, siue qua potest & Synodus, & quilibet Episcopus alium Episcopum eo sensu tantum excommunicare, vt ab Ecclesia excommunicante ille sit abiectus, auferente ei propriam communicationem, sed efficere vt sit in propria Ecclesia excommunicatus, vix videtur posse. De his omnibus plura dicam infra suis locis.

LXXXVIII. Moribundis, siue ex morbo, siue ex imminente naufragio, aut prælio, aut supplicio, an pœnitentia Ecclesiastica possit dari, an si detur, prosit, non inuenio esse manifestè definitum. Loquor de iis qui vsque ad vltimum vitæ terminum in grauibus peccatis perseuerarunt, neque interna, neque externa Ecclesiæ pœnitentia se purgarunt: & tandem instante morte, conscij se crimine aliquo interitos, Ecclesiasticam petunt pœnitentiam, & reconciliationem. Horum potissimum & maximè tutum remedium est vera pœnitentia interna per contritionem, quæ vnico vero gemitu, *Ezech. 18. 22.* potest esse ad remissionem, quantum ex parte dispositionum, quas in peccatore requirit Deus, & excitat, siraque gratia prosequitur, sufficiens. Nunquam enim pœnitentia est sera, si sit vera, ait Cyprianus *ad Demetrian.* Vbi verò ad opem Ecclesiæ confugiunt, vt pro remissione clauium vtantur beneficio, ex vna parte ratio & autoritas suadet, tales moribundos Ecclesiasticæ pœnitentiæ & reconciliationis esse incapaces; quia in pœnitentia Ecclesiastica prius ligatur peccator, excommunicatione pœnitentiali, per amotionem à rerum sacrarum publica communione, & per satisfactionis pœnalis iniunctionem & executionem, deinde sequitur reconciliatio & solutio, quæ, nisi præcedat satisfactio, fieri non potest. Iam verò ostendi, Ecclesiam nō posse soluere, nisi quod ipsa ligauit; quomodo aūt ligabit eū, quem statim, nulla præuia satisfactione, soluere debeat, ne ligatus ex hac vita discedat? Autoritates pœnitentiam hanc moribundis ferme negantes, mox afferā.

Ex al-

Ex altera parte & pietas inclinat, & similiter Patrum autoritas docet moribundis pœnitentiam esse dandam, & reconciliationem, si eam petant petierintve verbo, nutu, vel signo.

LXXXIX. Medium tamen quoddam temperamentum mihi videtur in hoc obseruandum, vt videlicet moribundus petens pœnitentiam sit omnino ad pœnitentiam admittendus, hoc est, non repellatur, sed quantum ex parte Ecclesiæ est, illum ad agendam pœnitentiã, si possit eam exequi, admittat, & consequenter inter ligatos ab Ecclesia eum reponat. Sed ne ligatus discedat, anticipata detur ei reconciliatio; per sacram Eucharistiæ communionem; quam vocarũt viaticum, 26. *quæst. 6. cap. 6. & 7.* cum obligatione tamẽ; vt si conualuerit, inter pœnitentes maneat; donec iniunctam sibi externam absoluerit pœnitentiam & satisfactionem, postquam iterum in forma Ecclesiæ ordinaria reconcilietur per ordinariam communionem: illa enim communio quam moribundus habuit fuit extraordinaria, & pro viatico. Cum igitur hæc viatici communio, sine præuia vera Ecclesiastica pœnitentia, non sit plena illa & vera Ecclesiastica ordinaria peccatorũ recõciliatio, dubia semper fuit quid illa possit prodesse, licet negandam esse Ecclesia non censeat; sed concedendam vt valeat, quantum valere potest.

XC. Negandam non esse plura habemus antiqua testimonia. Innocentius Primus *Epist. 2.* ita scribit: Et hoc quæsitum est, quid de his obseruari oporteat, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiã simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his obseruatio prior durior: posterior interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos, non reuocaret à lapsu, negata meritò cõmunio est; concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesijs suis reddidit, iam depulso terrore, cõmunionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticũ profecturis, & ne Nouatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiusmodi vel in supremis suis, permittente Saluatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.] Prius ergò ad pœnitentiam admittebantur, sed non reconciliabantur, ergone igitur ligati discedebant? Non puto, sed illa admisso ad pœnitentiam relinquebat illos propriæ internæ pœnitentiæ, cum promissione Ecclesiæ, de danda pœnitentia eis, si conualuerint. Sed profectò prisci negabant moribundis reconciliationem, quæ ordinariè per communionem fiebat, quia non poterat præcedere pœnitentia externa, & satisfactio: quam omnino vt necessariã semper tenuit Ecclesia ad vsum clauium. Postea concessit reis illã, non tamẽ ordinariam, nec pœnitentialem reconciliationẽ, per viatici duntaxat concessionem. An verò in tali reconciliatione adesset effectus soluendi clauium, semper dubium fuit, soli diuinæ misericordiæ remissum; & interna pœnitentia moribundis fuit semper maximè commendata: sicut finis externa, quæ ad internam induceret.

XCI. Cœlestinus in aliquos Gallicanæ Ecclesię excandescit, quod morientibus negarent pœnitentiã: Atque vt probet non esse negandam, profectò nullum argumentum affert, quod ad Ecclesiasticam hanc, de qua nunc disputamus, pertineat pœnitentiam, quam ne Nouatiani quidem negabant. Agnouimus, *inquit Cælestinus, epist. 1.* pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quàm morienti mortem addere, eiusq; animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cùm Deus ad subueniendum paratissimus, inuitans ad pœnitentiam, sic promittat: Peccator, inquiens, quacunq; die cõuersus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantum conuertatur, & viuat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit. Et desperat de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdidisset latro præmium in Cruce ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Cum esset in pœna; pœnituit, & per vnius sermonis professionem habitaculum paradisi; Deo promittente, promeruit. Vera ergò ad Deum conuersio in vltimis positorũ; mente potius est æstimanda, quàm tempore: Propheta hoc taliter asserente: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cùm ergò sit Dominus cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti; cum ille se obliget iudici; cui occulta omnia nouerit reuelari.]

XCII. Leo pariter vult dari pœnitentiam moribundis, statimque per communionem reconciliari, sed vt hoc persuadeat, profectò solius internæ pœnitentiæ argumenta profert; Ait enim *epist. 39.* His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentię, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere; nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: *Cum conuersus ingemueris, tũc saluus eris.* Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaq; Dei donis, non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas, gemitusque negligere; cum ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis; à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.] Hæc sanè pœnitentiam internam requirunt: sed pergit ibidem Leo:

XCIII. Vnde oportet vnumquemq; Christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat: nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarũ spacium se reseruet incertum: & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inueniat spacium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verùm (vt dixi) etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso eis vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.] Video hic pium

esse; vt Ecclesia præsumat in moribundo esse veram internam pœnitentiam, dum ab externis etiam clauibus opem quærit: & ideo tribuat ei petitam & pœnitentiam, & statim reconciliationem. Sed hoc est extraordinarium & incertum, quia Ecclesia internorum non est iudex, nisi post externa experimenta, per quæ animum inquirit pœnitentis. Cum verò tempus non habet eum inquirendi & satisfactionibus explorandi, non potest certò & legitime suis vti clauibus, nisi in incertũ, quod ex pietate audendum esse censent Patres. Sed interim fatentur se de effectu dubitare: ideo periculosam rem esse, ipsemet modo fatebatur Leo, fatentur & alij, vt paulò post videbimus.

XCIV. Augustinus *de Eccl. dogm, c.* 80. de pœnitentia in fine vitæ contra Nouatianos hæc habet: Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in vltimo vitę spiritu admissorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propositũ Dei quo decreuit saluare ꝙ perierat, stat immobile: & ideo quia voluntas eius nõ mutatur, siue emendatione vitæ si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter prę̨sumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione Domini viuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, nõ Christianus, sed Nouatianus est.] Hęc de interna pœnitentia potissimum dicuntur, & de remissione per eam obtinenda. Nam de reconciliatione, seu absolutione Ecclesiastica, hic Autor nihil dicit.

XCV. Gregorius inter præcipuas curas Sacerdotis plebi præfecti, ponit hanc, vt morientibus concessione pœnitentiæ adsint, sed non puto eum plus concedere quàm Innocentius, quàm Cœlestinus, quàm Leo. Conciliorum etiam Canones habemus multorum, qui pœnitentiam concedant moribundis. Collecti sunt multi à Gratiano 26. *q.* 6. *per totum*. qui pœnitentiam tribuunt istis, & quandam reconciliationem, per viatici concessionem: in qua tamen veram Ecclesiasticam absolutionem ipsimet non agnoscunt.

XCVI. Quare passim etiam Patres & Concilia de effectu dubitant. Audiamus illos. Augustinus, *l.* 50. *hom.* 41. Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiã, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed nõ præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus cum sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum dico, & do securitatem, vnde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum—Quid dico attendite. Debeo illud planius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat. Nunquid dico damnabitur? Non dico, sed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? nescio: Nõ præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt recõcilieris, si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis, inquit, ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis. Vnde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.] Hæc Augustinus. Aliqui hæc tribuunt Ambrosio. Sed & illud habet Augustinus: *Serm.* 57. *de temp.* Qui criminum suorũ sorde pollutus est exomologesis satisfactione mundetur. Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non possit. Inutilis est enim dilectissimi ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, nõ verba tantum, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed autores tamen esse non possumus, quod qui sic petierint mereantur absolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur infirma est. Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo dilectissimi quicunque inuenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, vt sanus esse valeat in futuro.] Asterius Amaseæ Episcopus, rigidè quidem, sed tamen verè, sciens internam pœnitentiam veram, sine externæ adminiculo, vix reperiri, ita scribit: *hom. de Diu. & Laz.* At cum debitum tempus aduenier, & indeprecabile decretum corporis & animæ nexum dissoluet, reputatio subibit eorũ quę in vita patrata sunt, & pœnitentia sera & nihil profutura. Tunc enim demum pœnitentia prodest, cum pœnitens emendandi facultatem habet; sublata verò copia rectè faciendi, inutilis est dolor, & irrita pœnitentia.] Quia vt plurimum ex timore & amore proprio oritur, potius quàm ex amore Dei, & odio peccati.

XCVII. Paulinus Nolanus Fausto Rhegiensi quæsita aliquot per literas proposuit: inter ea primum de finali pœnitentia fuit. Ad id respondet Faustus *ad Paulinum, ep.* 1. *Biblioth. SS. PP. tom.* 3. hoc pacto: Primo loco inquirendum putasti, si incumbentibus extremæ necessitatis angustiis momentanea pœnitentia capitalis, inimica persuasione mentitur, qui maculas longa ætate contractas subitis et inutilibus abolendas gemitibus arbitratur; quo tempore confessio esse potest, satisfactio esse nõ potest. Nam quia Deus non irridetur, ipse se decepit, qui mortẽ multis temporibꝰ vixit, & ad quærendã vitam iã semiuiuus adsurgit, vt tunc officiosus appareat, quando Dominicæ seruituti omnia corporis & animæ subtrahuntur officia. Circa exequendã interioris hominis sanitatem, nõ solum accipiendi voluntas, sed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus. Si (*inquit*) peccator pœnitentiam egerit pro peccatis suis (*egerit*, memorauit, non solum dixit, *acceperit*) in sua, *inquit*, iustitia, quam operatus est, viuit. Aduertis ꝙ huiusmodi medicina, sicut ore poscenda, ita opere cõsummanda est? Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit, & illo tunc incipit velle, quo non potest. Opus itaq; est, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio, tanta sit in vulnerũ curatione deuotio.] Huius quidẽ Fausti liber de Gratia & libero arbitrio quibusdã semipelagianismi suspectus est. Epistolæ verò nulla suspicione laborant. Quis hic igitur non videt magnã effectus incertitudinem? Quis iam multum tribuat tali absolutioni? Reconciliationi à Deo immediate per suam internam pœnitentiam obtinendæ plus confidat peccator moribundus, qui sanus non egit criminũ pœni-

pœnitentiam, quam Ecclesiasticæ illi extraordinariæ, dubiæ & incertæ absolutioni. Sed neque eam contemnat, sed omnino procuret; quis scit? Fortasse habitura est effectum.

XCVIII. Nihil plus promittunt Concilia vetera à sapientissimis Patribus celebrata. In Arelatensi primo, *cap.* 3. tempore Constantini Magni sic statutum inuenio: De ijs qui apostatant, & antequam se ad Ecclesiam repræsentent, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.] Et in Carthaginensi quarto *cap.* 7. 8. Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint.] Hoc est quod spectat ad absolutionem Ecclesiasticam per claues, sciant se eam non obtinuisse, nisi per manus impositionem pœnitentiæ satisfactioniq; se subdiderint si conualuerint. Reconciliatio ergo illa per viatici concessionem non est proprie absolutoria per claues: & alia non conceditur, nisi satisfactoria pœnitentia præeat, quæ in moribundis præire non potest. Et quemadmodum non est verè per claues moribundus, aut ligatus, aut solutus, ita neq; contrahebat irregularitatem publicæ pœnitētiæ, ille qui morientium pœnitentiam acciperet, & per viaticum reconciliationem: Is verò, *ait Concilium Gerundense cap.* 9. qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodum reconualescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitijs non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.] Illa ergo non fuit vera Ecclesiastica publica pœnitentia, & consequenter neque absolutio.

XCIX. Imò verò illa ipsa pœnitentia quæ dabatur moribundis, non eguit confessione peccati vllius specialis, sed satis ad eam potuit esse, si pœnitens se peccatorem esse in genere fateretur, & egere Ecclesiastica absolutione. Et tali quoque confessioni non negabatur illa quæcunque pœnitentia, & per viaticum reconciliatio. Nam specialis explicatio criminis in confessione Ecclesiastica eò fiebat, vt minister Ecclesiæ posset debitam & proportionatam iniungere pœnitentiam; cum autem moribundo hæc non sit imponenda, neque necessaria est specialis confessio. Nam hoc nomine quoque declarat Concilium Toletanum 4. non fieri irregularem illum, qui moribundus subdidit se Ecclesiasticæ Pœnitentiæ, sub sola confessione generali; sic enim statuit *cap.* 55. Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores esse prædicantes, huiusmodi si reualuerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus Ecclesiasticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum, vel honores Ecclesiasticos peruenire nullatenus poterunt, quia confessione se propria notauerunt.] Et illam quam videntur obtinere moribundi pœnitentiam & absolutionem, non esse veram Ecclesiasticam pœnitentiam aut absolutionem, ex veteribus Concilijs satis patet: *26. q. 6. cap. 6. & 7. & 8. & q. 7. cap.* 1. nam si ille moribundus conualuerit, manet adhuc inter pœnitentes, donec tempus pœnitentiæ expleat, quam integram debet peragere.

C. Concilium tamen Toletanum vndecimum c. 12. (si quis leuiculas Binij notas, id est, maculas vt plurimum, verasque consputationes, notabiles esse censeat) absolutionem & pœnitentiam moribundi perfectam & absolutam agnouisse is putabitur: vbi ait, Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine à reconciliationis gratia differendus est. Sed si præcincto mortis vrgeatur periculo, pœnitentia per manus impositionē accepta, statim ei reconciliatio adhibēda est, ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quam donū reconciliationis accipiat, &c.] Tria sunt hoc loco consideranda, *inquit Binius in notis in hunc Canonē* pœnitentia, manus impositio, & reconciliatio. Accipere pœnitentiam nihil aliud erat quā pœnitentiū subdi legibus per animi contritionē, & oris confessionē. Manus impositio erat absolutio Sacerdotis, post peractā peccatorū confessionē. Reconciliatio vero erat Eucharistiæ sumptio. Hæc profectò satis stupide, quippe ab homine in rebus Ecclesiasticis ad purā antiquiorē Ecclesiā spectantibus valde infanti. Accipere & dare sunt correlatiua: Ecclesia vero per suos ministros semper dedit pœnitentiā illis qui ea indigerent, vellentq; eam accipere. Contritionē vero non dabat Ecclesia, neq; confessionē: ergo accipere pœnitentiā stolide reducitur ad contritionē, & confessionē: quoties accusatis, & inuitis absq; vlla confessione dabatur pœnitentia, in quā tamen solo timore excōmunicationis absolutæ, absq; vlla contritione initio criminosi cōsentirent? In spontaneis verò pœnitentibus confessio semper præcessit ipsam pœnitētiæ dationē, & consequēter etiā acceptionem. Igitur accipere pœnitentiam, est subdi injunctæ pœnitentiæ & satisfactioni, eamq; admittere, exequique incipere. Stolidius est quod ait, manus impositionem fuisse Sacerdotis absolutionem. Infantulus hodiernam duntaxat laruam pœnitentię quam corruptio Romana inuexit, voluit antiquitati accōmodare; quid mirum si balbutiat? Discat igitur in materia pœnitentiæ Ecclesiasticæ, manus impositionē fuisse ordinariè signum admissionis ad pœnitentiā, in eaque perseuerantiæ & continuationis. Sic enim in Concilio Carthaginensi tertio *c.* 32. *habetur* 26. *q.* 9. *c. Presbyter inconsulto*, statuitur, Vt cuiuscunque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quia vniuersa Ecclesia nouerit, ante absidem manus ei imponatur.] Et hoc erat initium peragendæ pœnitentiæ; iam vero docui, post datam satisfactionem, absolutionem per reconciliationem sequutam fuisse. Videat apud Gratianum *Dist.* 50 *c. In capite. Et Conc. Meld. cap.* 76. & magna ex parte in Romano Pontificali, pœnitentibus quando primum initio quadragesimæ ad pœnitentiam admittuntur, in ea tota quadragesima versaturi, manus imponi, mox excōmunicari, excommunicatione videl. pœnitētiali. Leo quoq; *Dist.* 50. *c. alienū* 67. à manus impositione incipit remediū pœnitentiæ. Negat Concilium Carthaginense quintū *c.* 11. Sacerdoti, vel Diacono in grauia peccata lapso, manus esse imponendas, hoc est eos esse publicæ pœnitentiæ subijciendos: nō enim negat eis secretū beneficium, vt iam vidimus, Ecclesiasticæ absolutionis. Quomodo vero imponere manus est absoluere pœnitētem, si pueri debent aliquandiu sub manus impositione detineri, vt vult Felix tertius, *ep.* 6. & postea reddi eis communionem? quænam quæso est hæc formula absolutionis, quæ per plures dies in proferendo duret? Idem quoque Felix ibidem sub manu Sacerdotis positum, intelligit pœnitentem in pœnitentia agenda constitutum. Duo tamen pro se loca Binius affert, alterum ex Concilio quarto Carthaginensi *cap.* 76. alterum ex Arausicano primo *cap.* 3. Nouerit tamen, moribundi pœnitentiam & reconciliationem Ecclesiasticam fuisse mixtum quoddam imperfectum, & extraordinarium, vt iam ostendi, quia vno & eodem actu & admittebatur ad pœnitentiam, & statim viaticum ei dabatur. Manus ergo impositio significabat eum ad-

mitti inter Ecclesiæ pœnitentes: & per Eucharistiam reconciliationem quandam recipiebat, sed sine vera absolutione, vt hactenus probaui: & sic simul tempore (non simul eodem momento) erant & manus impositio & hæc reconciliatio: sed præterquam in extremo vitæ discrimine vera reconciliatio sine manuum impositione fiebat, & manus impositio longe præcedebat absolutionem.

C I. Reconciliationem dicit Binius fuisse sacram communionem, aliquid nimirum distinctum à sacerdotali absolutione, & post eam datum. A me tamen plenè ostensum est, in reconciliatione totam consistere semper absolutionem; tunc enim soluebatur pœnitens ligatus, quando reconciliabatur; reconciliatio vero potissimum, & maximè ordinarie fiebat per admissionem pœnitentis ad Eucharistiæ communionem. Sed certè lippi sunt oculi Binij, qui non videbant id quod ipsemet statim ibidem ex Concilio Carthaginensi quarto transcribebat, nimirum per manus impositionem reconciliandum esse pœnitentem morti proximum. Quomodo ergo audebat asserere, reconciliationem esse ipsam communionem post absolutionem susceptam, si reconciliatio per impositionem manuū secundum ipsum ibi, est ipsa absolutio? Et post reconciliationem Eucharistia datur moribundo eodē Canone: non ergo reconciliatio est ipsa communio. Sic etiam in Arausicano legebat, & pro se afferebat reconciliatoriam manum; manus ergo impositio reconciliabat, & consequenter, vt ipse etiam contendit, absoluebat; non ergo reconciliare est communicare. Sed Decanatus facultatis Coloniensis dabat ei fortasse facultatem ex tripode respondendi, vt ipsius dicta, quæ ei angusta ingenioli vena, extra omnem Patrum & Conciliorum antiquitatisq; notitiam suppeditabat, pro oraculis haberentur.

C II. Sensus igitur verus Canonis Toletani est, moribundis non esse diutius differendam illam qualemcunque Ecclesiasticam reconciliationem, per viatici concessionem: sed sanxit, vt accepta pœnitentia per manus impositionem, hoc est admisso eo per talem manus impositionem in numerum pœnitentium, statim per communionem, viatici nimirum concessionem, reconcilietur. Sed iuxta alios anteriores Canones illa absolutio non est completa, quia non præcessit satisfactio, ideo si conualuerit ad explendam pœnitentiam plenam tenebitur.

C III. Atque hinc aperiant oculos nostri Prælati sub Romano, animarumque curatores, & plane videant quam multos decipiant, cum illis tantam vim, tantamque efficaciam sacramentalis prædicant absolutionis. Cui confisi innumerabiles se in peccatis detinent, sibique ea spe applaudunt, quòd pauci admodum ex Christianis moriuntur, qui ad finem vitæ accito Confessario, ab eo non obtineant absolutionem; & sic remissionem sibi certam polliceantur, & sub ea spe pœnitentiam penitus in tota vita ab se ablegant plurimi, & consequenter in barathrum præcipitantur. Cogitent etiam seriò illi, qui pœnitentiam hanc Ecclesiasticam, & vsum clauium pene abiecerunt, fidelesque animas insigni cōtra peccatum remedio priuauerunt, quo pacto possint tantum Ecclesiæ bonū ab omni abusu liberum postliminio reuocare.

C IV. De sigillo confessionis aliquid dicendum esset. Sed hoc sigillum, ablata iam ab hac Ecclesiastica pœnitentia ratione veri Sacramenti, nihil ferme plus habet obligationis quam ex iure naturæ quisque habeat circa secreta sibi commissa, ex quibus posset infamiæ notam pœnitens secretus subire, aut scandalum exoriri. Et talis sigilli reuelatores, graui pœna etiam à potestate laica essent puniendi: quia remedium hoc insigne externæ pœnitentiæ odiosum reddunt, & ab eo deterrent pios fideles. Et quia bonum commune semper præponderat bono priuato alicuius, ideo conspiratores contra Principes, & contra pacem publicam, & magnorum scandalorum concinnatores, etiam sub hoc sigillo alicui ministro cogniti, omnino reuelari debent, salua quantum fieri potest, persona: & si non possit malo imminenti occurri, nisi plene & facto reuelato, & personis, absque scrupulo Confessarius, & potest, & debet, & omnino in conscientia tenetur id reuelare: Iniuria enim nulla fit vlli Sacramento, quia nullum hic adest verum sacramentum. Et hoc sit sigillum meæ tractationis de pœnitentia.

CAPVT. VIII.

Potestatem Ecclesiasticam, remissa culpa, in solis pœnis viuorum, aut mortuorum, per Satisfactiones, & Indulgentias, non exerceri: & consequenter Purgatorium post mortem nullum esse.

Svmma Capitis.

Remissio culpæ à Deo, non est sine totali etiam pœnæ remissione, nu. 1. 2.

Satisfactiones quomodo ad remissionem seruiant, num. 3. 4. 5.

Pœnam temporalem manere post remissam culpam videntur Scripturæ innuere, numero 6. *Sed explicantur*, numero 7. 8. 9.

Satisfactio igitur post absolutionem perperam iniungitur, nu. 10. 11. *Augustini locus contrarius explicatur*, nu. 12.

Indulgentiæ frustra ponuntur, nu. 13. *longe diuersæ ab antiquis*, nu. 14. 15. *quæ fuerunt de iniunctis*, nu. 16.

Modernæ indulgentiæ impugnantur primum quoad thesaurum ex Sanctorum satisfactionibus, à nu. 18. *ad* num. 23. *deinde quoad applicationem thesauri*, à num. 24. *ad num.* 34. *Tum vero quoad effectus, quos bonos nullos faciant*, num. 35. *multos perniciosos*, num. 36. *Denique propter alias absurditates*, nu. 37. 38.

Indulgentiæ pro mortuis Purgatorium supponunt: vanum commentum, num. 39. *Scripturis ignotum*, à nu. 40. *ad num.* 65.

Patres & Concilia, vbi maxima eis occurrit opportunitas, Purgatorium ponendi, nihil de eo dixerunt, à numero 66. *ad num.* 72.

Purgatorij propugnatio cur tam ardenter à Pontificijs suscipiatur, num. 73.

Patres & Concilia Purgatorio fauentia vt explicentur, præmittitur tractatus necessarius de statu & locis animarum inter mortem & resurrectionem, à num. 74. *ad num.* 125. *& alius tractatus de orationibus, & oblationibus Ecclesiæ pro defunctis*, à num. 126. *ad num.* 133.

Hinc respondetur in genere ad multa Conciliorum & Patrum dicta, num. 133.

Patres qui videntur asserere ignem Purgatorium sigillatim explicantur, à nu. 134. *ad* nu. 156.

Rationes Purgatorium confirmantes diluuntur, à num. 157. *ad num.* 162.

Errant asserentes Purgatorium esse de fide, nu. 163.

I. IN omni recto iudicio pœnam deberi culpæ, nullum est dubium; & aliud esse pœnam, aliud culpā, hæc enim ad illam consequitur, & illa causa est cur punitio debeatur, & nisi adsit venia, etiam consequatur. In ipsa tamē venia distinguere culpam & pœnam, res est vanissima, & nullo modo admittenda, præsertim respectu D e i. Homo læsus ab homine, potest & solet sæpe vindictæ, siue publicæ, siue priuatæ parcere,

tere, & tamen ad amicitiam nolle amplius lædentem admittere: tunc dat veniam pœnæ, sed non culpæ; nam si plene culpam remitteret, ad amicitiam suum lædentem reuocaret. Quod si priuatio amicitiæ nihil aufert lædenti quo minus omni fruatur commodo, & amicitia illa neque est ei emolumento, neque ipsius negatio damno, priuatio talis non habet vllam rationem pœnæ. Si tamen negatio hæc amicitiæ est cum damno & detrimento lædentis, tunc manebit & culpa & pœna, licet pars vlterioris pœnæ ei remittatur. Non sic est in DEO; nam sola negatio ipsius amicitiæ est vera & maxima pœna; quid enim boni manet homini qui DEVM amisit? Et homo quidem potest se habere negatiue quoad amorem erga alium, etiamsi positiue illum odio non prosequatur, absque tamen vllo damno ipsius cui negat amorem, vel detrimento. At DEVS vel amat hominem perfecte, vel plene odit. Veh autem ei quem DEVS oderit, hoc ipsum odium est grauissima pœna, & extrema hominis miseria. Quoties ergo DEVS hoc odium non remittit, neque culpam, neque pœnam remittit. Et si culpam remittit, suam lædenti restituendo amicitiam, tunc etiam maximam illam pœnam, quam vocant damni, totam perfectè remittit. Sed remittit etiam ordinariè omnem aliam pœnam, non modo æternam, sed etiam temporalem; quia perfecta sunt opera eius *Deut.* 32. 4. Nonne ipse ait *Ezech.* 18. 22. se ita parcere pœnitenti, vt omnium iniquitatum eius non recordetur amplius? Quod si post condonatam culpam relinqueret debitum soluendæ pœnæ, profecto sic adhuc recordaretur iniquitatum quas velit punire. Neque dici potest aliquis inimico suo ignouisse, & cum ipso esse reconciliatus, vbi ille, licet de eo interficiendo deposuerit mentem & cogitationem, de alijs tamen ab eo vltionibus sumendis cogitet. Hic profecto venia non adest, neque plene dimissa culpa est; qui enim sibi reseruat totam pœnam, totam etiam culpam integram relinquit; & qui partem pœnæ relaxat, non nisi etiam partem culpæ condonat. Deus autem cum supponatur totam culpam remisisse, certe etiam totam pœnam penitus remisit. Neq; enim, *ait Cyprianus de cœna Dom.* ab ijs quos sanas lente languor abscedit, sed illico quē restituis, ex integro conualescit, quia consummatum est quod facis, & perfectum quod largiris.] Et Gelasius *supra cap. 2. nu. 30. huius lib.* negat pœnam deberi culpæ, si culpa corrigatur.

II. Atque hoc post CHRISTVM multo est euidentius. Toties ille peccata remisit, & nunquam pœnam aliquam temporalem iniunxit aut reliquit. Mulieri peccatrici, *Luc.* 7. 47. quid pœnæ imposuit, quando sunt ei dimissa peccata multa? Quid paralytico? *Matt.* 9. 2. Quid docet Christus sua illa debitorum parabola? *Matth.* 18. 24. Nonne omne debitum dimisi tibi? Christus ipse nonne in se suscepit, non modo culpas omnes totius mundi, sed etiam eis debitas pœnas? Imo pœnas solas, & non culpas in se suscepit. Ideo enim Deus *Isa.* 53. 6. omnium nostrum iniquitates in eo posuit, quia pro omnium nostrum iniquitatibus ille in cruce æterno Patri perfectissime & integerrime pœnas soluebat, & peccata fidelium eo modo in Christum translata fuisse possumus asserere, quo peccatum Dauid fuit ab eo in infantem translatum, 2. *Reg.* 12. 13. Dominus, inquit Nathan, transtulit peccatum tuum; hoc est pœnam mortis quam tu luere debuisti, luet illam pro te purus & innocens puer. Sic CHRISTVS purus & innocens pro peccatoribus mortuus est, qui peccata nostra tulit super lignum, hoc est pœnas nostrorum peccatorum in ligno ipse pro nobis integras persoluit. Qui igitur beneficio CHRISTI fruitur, vt merito Christi à se culpam deprecetur, profecto is ab omni pœna peccati perfecte liberatur; quia ideo pœnas pro peccatis nostris in corpore suo ille tulit, 1. *Petr.* 2. 24. vt per illas pœnas culpæ etiam nostræ tollerentur; & sic copiosa esset apud eum redemptio *Psal.* 124. 7. per pœnæ totius, totiusque culpæ ablationem. Vnde Augustinus, *serm. 139. de Temp.* Cum essemus, *inquit*, in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noster IESVS CHRISTVS voluit esse in pœnis nostris, sine peccatis suis; sustinendo sine culpa pœnam, & culpam soluit, & pœnam: culpam soluit peccata donando; pœnam soluit à mortuis resurgendo.]

III. Monui in superioribus, Ecclesiasticam pœnitentiam & absolutionem perpetuo in Ecclesia nondum in his corrupta, nunquam satisfactionem pro solis pœnis peccatorum iniunxisse, sed omnes satisfactiones absolutioni præmisisse; & data remissione culpæ, nunquam amplius ad vllas luendas pœnas pœnitentem obstrinxisse. Et sane satisfactiones illæ, neque etiam ad culpam delendam imponebantur, eo videlicet sensu, quod illæ aut de condigno, aut de congruo culpæ deletionem promererentur; DEVS enim gratis & ex sola misericordia, soloque CHRISTI merito & culpam remittit, & pœnam. Sed quia conuersio nostra ad DEVM à peccato, vt necessaria à DEO nos etiam sua gratia ad id adiuuante requiritur, ideo Ecclesia vt rite soluat in terris, id quod in cœlis etiam sit soluendum, postulat indicia externa, internæ pœnitentiæ, quæ vel indicent eam, vel adiuuent & promoueant. Vocantur verò passim satisfactiones, non modo quia Ecclesiæ ipsi suo modo satisfaciunt, & scandalis medentur, sed etiam quia per illas DEO ipsi quodammodo fit satis, satisfactione complacentiæ, non meriti; quoniam videlicet DEVS, antequam dimittat peccatum, & pœnam totam gratis, necessariò requirit in homine pœnitētiam, potissimum internam, tanquam necessariam dispositionem, seu impedimenti ablationem; & qui se ita disponit, & tollit impedimenta cum diuina gratia, ille dicitur DEO satisfacere, quia facit id quod DEVS ab eo postulat. Vt si quis à Rege terreno suo naturali ad hostes ipsius deficeret, & veniam postea peteret; Rexque ei veniam perfectam polliceretur, sub hac conditione, modo hostes ipsius deserat, & ad se redeat; Desereret vero ille, & rediret; profecto hic Regi satisfecit, id est, morem gessit & paruit, non tamen desertio illa & reditio esset meritoria veniæ, neque satisfactoria ex iustitia pro delicto rebellionis. Sic Patres passim vocant satisfactiones, pœnitentias illas externas, quia in eo, qui sit per claues absoluendus, ad Ecclesiæ satisfactionem, & rectitudinem iudicij formandam, requiruntur; & per illas DEO quoque satis fit, id est, mos ei geritur, & quod requirit ille præstatur, qui eas tanquam fructus internæ pœnitentiæ, absolute ad remissionem necessariæ, libenter aspicit.

IV. Extra Ecclesiasticam quoque pœnitentiam pœnales huiusmodi afflictiones sponte à peccatore assumptæ solent pariter à Patribus vocari, DEO exhibitæ satisfactiones; non profecto in ratione meriti ex iustitia, siue pro culpa, siue pro pœna; sed ex sola & gratuita DEI acceptatione, qui, quoniam peccatum nullum relinquit absolute impunitum, quia misericors quidem est, sed etiam iustus; cum dilectis suis ita agit, vt si ipsi in se peccata propria puniant, ille nolit ea ordinarie punire, & contentus est ex sua misericordia, vt loco flagellorum, quibus ipse solet peccata hominum in hac vita purgare, pœnæ à peccatore voluntarie assumptæ succedant; eas Patres ponunt in interna potissimum contritione, *Aug. in Psal.*

140. *v. olearum autem peccatoris*, qua peccator ſeipſum, adiutus diuina gratia, macerat propter peccatum. In reliquis ſupplet Christi ſatisfactio, ſed quæ nemini applicetur qui pœnitens non ſit, & conſequenter qui de ſe ipſo prius aliquas pœnas ſaltem interni doloris non ſumit. Satisfacit ergo Deo qui hoc facit, quia facit id quod Devs ab eo requirit, & quo facto ipſe plenam donat remiſſionem, non propter hanc minimam nulliuſque precij, aut meriti ſatisfactionem, ſed propter plenam ſatisfactionem Christi. Applicata vero ſatisfactione Christi, nihil debiti pœnæ poteſt remanere, & ſic ſimul deletur tota pœna, totaque culpa. De his punitionibus præclarè Patres ſupra *cap. 7. huius libri num. 50. & ſeqq.* quibus addo Ambroſium *de 42. manſion. 28.* ſic dicentem: Non eluitur peccatum, fratres, niſi pœnis tandiu noxius exerceatur, vt commiſſi ſupplicia erroris expendat.] Culpa igitur per ipſam pœnam deletur, & non ſubſequitur pœna culpæ deletionem.

V. Vocantur etiam voluntariæ huiuſmodi afflictiones internæ & ſimul externæ à Patribus, Deo datæ ſatisfactiones; quia Devs amat & requirit in nobis, antequam remittat peccata, noſtram humiliationem. Et qui coram Deo ſe debite humiliat, eiuſque agnoſcit & profitetur potentiam & iuſtitiam, cui ſe humiliet & ſubdat, is Deo dicitur ſatisfacere; eo enim deuenit quo Devs eum ducit. Sic pœnitentia externa illa Achab cilicij, cineris, & ſacci, placuit Deo, vt ſupra monui; non quia erat ſatisfactoria cum merito, & iuſtitiæ diuinæ faceret ſatis, ſed quia debitam ille, per tales voluntarias afflictiones, præ ſe ferebat humiliationem. Vidiſti Achab humiliatum, dicit Devs 3. *Reg.* 21. 29. & ideo diſtulit pœnam. Dauid quoque merito dixit, *Pſal.* 50. 19. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies; contritum ex interna vera pœnitentia, humiliatum vero per externa humilitatis opera pœnalia, quibus pœnitens oſtendit ſe nolle cum Deo certare, ſed ei velle plene ſubijci, & eius miſericordiam implorare. Idem etiam Niniuitæ *Ion.* 3. 8. præſtiterunt, ſe in ieiunijs, ſacco, cinere, & cilicio humiliantes, & vel iumenta ipſa, & pecora ad ieiunium cogentes, quorum ieiunium meritorium eſſe non poterat, neque ſatisfactorium, ſed vt inde patentiora darentur ſigna ſuæ veræ pœnitentiæ, & perfectæ humiliationis. Atque his explicationibus ſaluamus omnia, nempe & remiſſionem peccati eſſe merè gratuitam, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, & merito ſanctos poſuiſſe noſtras ſatisfactiones etiam ad Devm, neque inde eſſe reprehendendos, vel deferendos, vel erroris arguendos; & ſatisfactiones haſce noſtras non eſſe meritorias, ſed debitas, & à Deo requiſitas, tanquam diſpoſitiones & conditiones ac humiliationes ad remiſſionem gratuitam peccati, quoad pœnam, & quoad culpam.

VI. Poſt remiſſam tamen culpam, & dimiſſum reatum pœnæ æternæ, manere obligationem ſoluendæ alicuius pœnæ temporalis, vt probent noſtri, adducunt probationes aliquot ex ſcripturis, ex quibus conſtet poſt remiſſam peccati culpam, Devm exegiſſe interdum à peccatore pœnas aliquas temporales. Exempla apud Bellarminum *de pœnit. l. 4. cap. 2.* ſunt Dauid 2. *Reg.* 2. *& cap.* 24. Adami & poſterorum, qui in pœnam peccati morte mulctantur. *Gen.* 2. *& Rom.* 5. Iſraelitarum ob adorationem vituli, *Exod.* 32. & ob murmurationem, *Numer.* 14. Aaronis & Moyſis, *Num.* 20. *& Deut.* 32. Chriſtianorum indigne communicantium 1. *Cor.* 11. Prophetæ à Leone occiſi, 3. *Reg.* 13.

VII. Mihi vero exempla Teſtamenti veteris parum apta videntur ad probandum quod intenditur. Primum quia ſi comparentur cum innumerabilibus remiſſionibus; etiam nobis ignotis, ſed quas præſumere debemus, eorũ qui ingemiſcentes ad Devm obtinuerint plenam culpæ & pœnæ remiſſionem, pauciſſima hæc quæ afferuntur, & extraordinaria ſunt futura. Deinde quia remiſſio culpæ non tam facile admittitur, in illis præſertim, qui pœnas aliquas datæ à Deo ſunt compulſi. Nam vel plenam culpæ remiſſionem veteres Patres, non niſi poſt pœnam ſolutam obtinuerunt, & per paſſionem pœnæ æquo animo à Deo acceptatæ, culpam quoque diluerunt: vel ſi eam per internam pœnitentiam, non vi legis, ſed Euangelij obtinuerunt, & ſubſecutæ ſunt afflictiones, illæ non fuerint propriæ pœnæ iudicis, ſed Patris caſtigationes benignæ, ac medicinales; Ordinaria tamen via delendæ culpæ grauioribus peccatoribus veteris Teſtamenti fuit per aliquam pœnam temporalem; Et quando venia peccati poſtulabatur, ſi non ſemper, certe ſæpe ea ad pœnæ relaxationem reſpiciebat: nam data venia pœnæ à Deo, datur ſtatim ſimul etiam culpæ: & ſoluta pœna dimittebatur etiam culpa: imo vera remiſſio eſt potiſſimum pœnæ. Pœnarum vero pro varijs peccatis varia genera Devs in Teſtamento veteri ſtatuit, profecto ſolutis illis pœnis, etiam peccatum totum penitus ſoluebatur & diluebatur: Devs enim non punit bis in idipſum, vt obſeruant Patres. Iuſtinus, Irenæus, & Origenes ſupra, *cap. 7. numer. 7. & ſeqq. huius libri.* Remiſſionem itaque peccati, per ſolam veniam, abſque vel ordinaria, & lege diuina ſtatuta, vel extraordinaria pœna temporali, in veteri ſcriptura vix inuenio. Demum poſt remiſſum plene peccatum, tum quoad pœnam totam, tum quoad culpam, ſolet interdum Devs caſtigationes aliquas continuare, non vt ille qui peccauit, ſui priuati peccati priuatas pœnas luat, ſed vt peccatum iam factum publicum & notorium, ſibi odibile eſſe demonſtret, ſimulque moneat cæteros, peccatum tale eſſe apud Devm deteſtabile, & ſic quiſque ab eo ſibi caueret. Venio ad exempla.

VIII. Dauidi culpam fuiſſe remiſſam quomodo quis probet, antequam pœnam totam ſuſtinuerit, non modo mortis infantis, ſed etiam perſecutionis quam perpeſſus eſt à filio Abſalon; & tot bellorum? Dixerat enim Devs propter illud peccatum, 2. *Reg.* 12. 10. 11. Non recedet gladius de domo tua: ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, tollam vxores tuas, &c. Neque mihi dicat quis, tunc fuiſſe ei remiſſam culpam, quando dixit: *peccaui*: & Nathan ſubintulit; *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: Hæc enim tranſlatio peccati fuit tranſlatio pœnæ mortis, non ablatio culpæ. Vt patet ex verbis Nathan, qui cum dixiſſet, *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, ſtatim addidit; *Non morieris*: Veruntamen — filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Ad vocem igitur illam, *peccaui*, certe Devs ſtatuit ei parcere, ſed prius voluit eum varijs malis temporalibus affligere & purgare. Idem dico de altero Dauidis peccato numerationis populi, quod ei ſecundum culpam remiſſum non puto, niſi poſt toleratam pœnam, & ſtragem perfectam. Hic quoque dixit, *peccaui*, 2. *Reg.* 24. 10. ſed non conſtat receptum in gratiam: conſtat tantum Devm ſtatuiſſe tunc ei parcere, non tamen niſi ſoluta aliqua quaſi pœna, vna trium, quarum optionem ei reliquerat. Vnde Ambroſius *in Pſal.* 37. Offenderat, *inquit*, Dominum, quia numerari iuſſerat populum, confeſſione præuenit Dei nuncium, peccaſſe ſe valde, & nimis ſtultè feciſſe commemorans — Peccaui, *inquit*, valde — & nunc Domine dele iniquitatem ſerui tui. Quomodo autem deleantur peccata, audi dicẽtem, *Iſa.* 40. 2. Solutum eſt peccatũ eius,

quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri.] Solutione ergo quasi pœnæ deleuit peccatum Dauid etiam quoad culpam. De pœnis vero quæ peccatum originale sunt consecutæ, nihil nunc dicendum, neque enim ad rem præsentem faciunt. De peccatis enim actualibus, quæ per pœnitentiam post Baptismum commissa delentur, nostra est disputatio. Omnes porro propter vitulum adoratum interfecti, *Exod.* 32. 28. 35. si vera est doctrina supra à Iustino & Irenæo, ac Origene præcedenti *cap.* 7. *num.* 7. 8. tradita, culpam deleuerunt: neque probari potest, illis culpam remissam fuisse ante necem obitam: Negatio terræ promissæ *Num.* 14. 23. fuit pœna murmurationis, imo infidelitatis, sed pœna tantum negatiue, non positiue: Atque in exemplum posteris, vt inde discerent Domino fidere & credere. Sed neque plane constat remissum illis omnibus fuisse peccatum incredulitatis quoad culpam, ante ipsorum mortem in deserto: Dicit quidem Devs Moysi pro populo deprecanti, *Num.* 14. 20. Dimisi iuxta verbum tuum: sed sensus est, se quidem dimittere pœnam pestilentiæ, *Ibidem vers.* 12. & consummationis quam minatus fuerat, sed peccatum plene non dimissurum, nisi cum plene priuati fuerint terræ promissæ visione, id est, in ipsorum morte ante ingressum in terram promissam; & sic dilatio illa 40. annorum peregrinationis per desertum, fuit perpetua pœna incredulorum, quorum culpa remissa non fuerit, nisi plene soluta ab vnoquoque hac pœna per mortem in deserto. Idem dicendum de Moyse & Aaron. Propheta quoque ille peccati sui culpam morte à Leone suscepta, diluit, 3. *Reg.* 13. 24. neque remissionem culpæ ante mortem illam possumus ex scriptura colligere. Et has pœnas, præsertim diuturniores, post peccatum illatas, Devs semper expressit & declarauit, neque vnquam eas pœnitentibus imposuit, vt ipsi eas voluntarie assumerent, & sua sponte exequerentur, vt in Dauide, 2. *Reg.* 12. Salomone, 3. *Reg.* 11. Achabo, 4. *Reg.* 3. & similibus patet: Sed satis erat si illas æquo animo tolerarent. Et omnes in hac tantum vita suas habebant excusationes. Ad has ergo nullo modo spectare possunt pœnitentiales satisfactiones post absolutionem: aut purgatorium pro alia vita. Quod si dicas, vbi est pœna ibi non est remissio. Respondeo hoc verum esse de pœna condigna; non de pœna cui sit admixtum multũ gratiæ, quæque sit multo leuior condigno.

IX. Quod vero ait Paulus 1. *Cor.* 11. 30. in pœnam indignæ manducationis panis Eucharistici morbis corripi multos, multos etiam mori, non significat has eas pœnas post remissionem culpæ irrogari: sed significat tales culpas misericorditer à Deo per infirmitates, & prematuras mortes remitti; ita vt soluta pœna, vel morbi longioris, vel etiam mortis corporalis, tunc etiam à culpa liberentur, & ab æterna pœna: tunc enim à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo æternas pœnas damnemur. Devs misericors vult ignoscere & culpam remittere, prius tamen flagellat & punit temporaliter, vt in æternum parcat, culpæ totius totiusque pœnæ vlterioris remissione. Sed has pœnas posse hominem præuenire, & quasi præoccupare pœnis spontaneis longe leuioribus monet idem Apostolus, dum ait ibidem; Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique judicaremur: Hoc est, si nos ipsi nosipsos castigaremus, imo vt ait Chrysostomus in hunc locum, *hom.* 28. *& in Matth. hom.* 42. Si vellemus agnoscere peccata, si nosipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo quod & hic & illic est supplicio.] Et Ambrosius *in Psal.* 37. his similia habet, vbi ait; Ergo qui pœnitentiam agit offerre se debet ad pœnam: vt sic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur; nec expectare tempus, sed occurrere diuinæ indignationi.] Pœnæ ergo quas Devs, etiamsi solas temporales, pro peccatis irrogat, sunt Dei indignantis, ergo adhuc manente culpa: sed miserentis tamen, quia per temporales leniores pœnas, & æternas pœnas, & simul culpam remittere statuit; quas pœnas possumus nos nostris spontaneis afflictionibus præoccupare, quas Devs loco suæ punitionis ad parcendum reponit libenter, vt expresse docet hoc loco Paulus. Iniurius est itaque Christi satisfactioni, qui post remissam plene culpam, pœnæ locum aliquem adhuc relinquit. Pœna enim quæcunque necessaria est in hac vita ad culpæ remissionem, illa remissionem omnino præcedere debet, ipsa enim est pœnitentia, quæ semper præcedit culpæ remissionem, ad eam enim pœna ordinatur.

X. Et in hoc perperam philosophatur Bellarminus, *de pœnit. l.* 4. *c.* 5. dum laudare contendit abusum vere intolerabilem, absoluendi prius à culpa, & postea pœnitentiam satisfactoriam iniungendi. Fatetur enim vsum olim fuisse, vt pœnitentiæ pœnales præcederét absolutionem, id tamen, ait, non fuisse absolute necessarium, sed potuisse vtcunque expleri etiam post absolutionem.] Hoc in viro pio & docto valde mirandum est, vt quod communissime omnes Patres necessarium esse voluerunt, & Ecclesia antiqua perpetuo seruauit id iam per turpissimum hysteron proteron immutatum, perturbatum, corruptum, laudandum esse & approbandum censeat: & quod ad culpam delendam, & sua natura, & sacræ scripturæ documentis, & Patrum monitis, vsuque Ecclesiæ est ordinatum, alio inutiliter transferatur. Ipse tamen libere ait, non tam ad culpam, quam ad pœnam temporalem expiandã, satisfactiones illas olim inseruisse: quod est falsissimũ: & vnde probat? Ex Concilijs, quæ moribundis iubent dari communionem, nulla præuia satisfactione, sed futura, si superuixerint. Ast ego iam ostendi, *cap.* 7 *num.* 89. *& seqq.* vbi necessitas ingruit, tempori esse vtcunque seruiendum, & in illa moribundorum communione non consistere veram per claues absolutionem; & aliud esse dare cõmunionem pro viatico, aliud pro plena Ecclesiastica reconciliatione; & pœnitentiam futuram, si moribundus conualuerit, peragendam ei esse, non pro sola pœna, sed etiam pro culpæ Ecclesiastica remissione. Nostri etiam Summistæ concedunt communionem pro viatico ægroto non ieiuno, sed nõ propterea extra hunc casum licet omnes sanos bene pastos Eucharistiam sumere, & qui ordinariè id licere, ex casu illo extraordinario colligeret, sanè cerebrũ sanum non haberet. Vide lector quæso, quo pacto abusus manifestos nostri Theologi conantur defendere, & quàm fragilibus fulcris fulciantur. Abusum sane nostrum in concedenda venia, nullâ prius præmissâ satisfactione, reprehendit satis Pacianus, *ep.* 1. *ad Sympr.* dum ait: Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari; nec antequam, aut interpretatio diuinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari: Magno pondere, magnoq; libramine, post multos gemitus, effusionemque lachrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam verè pœnitentiæ non negari, vt iudicaturo Christo nemo præjudicet.] Nostra facilitas absoluendi, siue necessaria pœnitentia externa, falsaque vis sacramentalis ex opere operato, supinos reddit peccatores, & vera iam abolita pœnitentia, animas in infernum trahit.

XI. Nullum certè solidius est inter nos huius abusus fundamentum, quam lucrum temporale: vt

hinc Confessarij ex pœnitentium crumenis argentum, aurumque possint emungere. Ordinariè enim plurimi in satisfactiones pecuniarias impingunt sub nomine eleemosynarum, aut Missarum, quas ipsi Confessarij se celebraturos offerunt, & casus miserabiles confingunt, sibi tantum notos. Restitutionum obligationes diligentissimè inquirunt, & sæpe etiam commiscuntur, vt eas ad se trahant, componantque mirabili nundinatione cum pœnitente. Et quis quæso eorum nouit, quantum pœnæ temporalis reliquerit Deus illi pœnitenti, post remissam culpam Sacerdotali absolutione? an omnibus æqualem? Iniquum, quia peccata omnium æqualia non sunt. An omnibus relinquit eandem partem aliquotam proportionalem, puta decimam, vigesimam, centesimam, &c? At infinita pœna quæ esse debuisset æterna, non habet partes aliquotas: & si haberet, quis DEVM ad hanc aliquotam relinquendam obligauit? aut vbi id ille reuelauit? Et si quantitatem pœnæ relictæ ignorat Sacerdos, quomodo poterit ei æquiualentem iniungere satisfactionem? An non alicui bene contrito DEVS totam etiam penitus remittit pœnam? Huic certe Sacerdos iniustè satisfactionem iniungit; iniustè etiam cum illo agit, si majorem iniungit quam sit relicta pœna temporalis: Et si minorem iniungit parato quamcunque iustam exequi, ei certè injuriam facit, animamque illam absque ipsius culpa detrudit post mortem in purgatorium, si quod esset, quo non erat ei eundum, si justam ei, & æquiualentem satisfactionem iniunxisset. Ecce in quas angustias compingimur, dum pœnam temporalem post absolutionem culpæ relinqui volumus, & ad eam soluendam, per summum abusum imponimus pœnitenti satisfactiones.

XII. Augustinum tamen fautorem sibi Bellarminus *de pœnit. l. 4. cap. 15.* asciscit, quasi ipse velit post remissam culpam nobis longiores relinqui pœnas adhuc persoluendas. Verba Augustini *in tract. 124. in Ioan.* sunt: Productior est pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.] Ibi tamen Augustinus non loquitur de singularibus pœnis; quæ singularibus peccatis debeantur, sed de pœnis, hoc est pœnalitatibus generalibus, quas ex peccato originali pati & tolerare cogimur, etiam quando nulli culpæ actuali mortali sumus obnoxij. Cogitur, *inquit*, homo tolerare, etiam remissis peccatis; quamuis vt in eam veniret miseriam primum fuerit causa peccatum: productior est enim pœna, quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.] Hæc igitur pœna temporalis non est ad satisfaciendum pro pœnis relictis, sed ad alios fines generales. Aut si loquitur de pœnis actualium peccatorum, non comparat remissam culpam cum relicta pœna, sed actum in quo culpa fuit cum actu pœnæ: actus enim in quo contrahitur culpa statim transit: at actus quibus pœna luitur, diutius perdurant, manente tamen reatu culpæ; licet actus quo culpa est contracta statim transierit. Satisfactiones itaque ad redimendas solas pœnas temporales, nullæ sunt aut in vsu legitimo, aut necessariæ, sed ad culpæ simulque pœnæ remissionem prosunt plurimum, imo sunt etiam necessariæ, modis explicatis. Indulgentias aggrediamur.

XIII. Si deletâ culpâ nulla penitus manet pœnarum obligatio, quid facient indulgentiæ? Pœnas verò nullas amplius deberi DEO, postquam culpam ille remisit, iam probauimus. Et hoc satis est ad indulgentias abrogandas. Nihilominus indulgentiarum absurditates pluribus nominibus satis patentes ostendamus. Sunt indulgentiæ vnum ex magnis arcanis nostri Papatus, sunt aurifodinæ insignes, ex quibus olim magna vis auri pro Sede Apostolica effodiebatur, & sane auri, argentique iam purgatissimi ac signati. Lutherus tamen eas magna ex parte obstruxit, nec tam facile poterunt rursus aperiri: Nos quoque ad eas aperiendas pro nostra virili aditus omnes obstruamus. Illæ enim tandem veram pœnitentiam ab Ecclesiis Papalibus penitus & longissime ablegarunt.

XIV. Indulgentias in antiqua pura Ecclesia aliquas fuisse negari non potest: quorum enim peccata grauia clauibus Ecclesiæ subiecta erant, illi, vt vidimus *cap. 7. præcedenti*, operibus pœnalibus externis addicebantur, in quibus siue publice, siue secrete exercerentur. Et quia arbitrio Ecclesiæ quantitas indicendæ pœnitentiæ reseruata per CHRISTVM fuerat, quando ei dixit, *Quæcunque alligaueritis, &c.* Prisci illi Patres, vt tutius cum peccatore agerent, valde longas & asperas admodum, ac difficiles peccatis præscribebant, & iungebant pœnitentias, ac satisfactiones, *Concil. Ancyr. cap. 16. & Nicen. cap. 11. & Cypr. l. 1. epist. 2. &c.* sine quibus, vt iam ostendi, per claues absolui nemo poterat. Contingebat interdum vt persecutio ingrueret, ac vt pœnitentes per Ecclesiam ad agendam pœnitentiam ligati, promptiores, paratiores, ac expeditiores essent ad martyrium, erant ante tempus pœnitentiæ eis præscriptum, omnino absoluendi, & reconciliandi; *Cypr. l. 1. epist. 2.* & hæc erat indulgentia. Ita quoque si in pœnitentia constitutus ægrotaret, & morti appropinquaret, ne ligatus ex hac vita discederet, per indulgentiam, hoc est per abbreuiationem externæ pœnitentiæ, reconciliabatur, *Ibid.* Erat etiam interdum tantus feruor contritionis & charitatis in pœnitente, *2. Corinth. 2. 10. & Chrysost. homil. 1. de pœnit.* vt merito Ecclesia deberet ei, multo citius pacem dare, & reconciliationem concedere; & hoc erat indulgentia, per pœnitentiæ externæ totalem relaxationem. Sæpe fortasse indiscreta iniungebatur per aliquem ministrum pœnitentia, pene intolerabilis, *Ioan. 8. epist. 62.* & tunc etiam per indulgentiam succurrebatur ei, vt aliquid de summo illo rigore relaxaretur, *Augustin. de vera & fal. pœnit. cap. 10.* Atque hæ fuerunt ordinariæ indulgentiæ in Ecclesia pura, per plura secula, vel per diminutionem externæ satisfactionis; vel per omnimodam condonationem, sine ei ex causis dictis imposito, maturata reconciliatione; & quidem tam ad culpæ, quam ad pœnæ remissionem.

XV. Neque potuit Bellarminus *de Indul. l. 1. cap. 7.* vlla aut scripturæ aut Patrum autoritate probare, satisfactiones pœnitentiales Ecclesiasticas ad solam pœnæ temporalis veniam, seu redemptionem coram Deo obtinendam fuisse iniunctas. Nam & locus Euangelij; *Quæcunque solueritis*, & dicta Patrum Tertulliani, Cypriani, Paciani, Augustini, quæ affert, ad solutionem & culpæ & pœnæ pertinent. Nos soluimus in terra vinculum humanum, dum liberamus pœnitentem ab iniunctis ipsis per nos pœnalitatibus, & tunc eis culpam remittimus in terris; DEVS verò statim soluit eosdem in cœlo à peccatis, pro quibus nos illis satisfactiones iniunxeramus; & has satisfactiones DEVS ratas perinde habet, ac si ipse suis flagellis eos purgasset, ac per hæc remissionis culpæ capaces reddidisset; & positis his satisfactionibus, tanquam neces-

sarijs dispositionibus pro Ecclesiastica absolutione, per quas tanquam per signa externa, internam adiuuet & agnoscat pœnitentiam Ecclesia, fiat solutio in terra, & ex promisso CHRISTI etiam in cœlo, ac remissio, non modo pœnæ, sed etiam culpæ. Et hoc Patres illi, non aliud volunt. Tertullianus ait Domino per pœnitentiam satisfieri, procul dubio ante obtentam peccati remissionem. Cyprianus satisfactione pœnitentis dicit Dominum placari, iratum nimirum aduersus culpas. Parcere Dei apud Pacianum est culpam potissimum, & consequenter etiam pœnam dimittere. Augustinus verò expresse tradit, ad recuperandam salutem fieri pœnitentiæ satisfactiones, quas simul cum cordis contritione ponit; at certè cordis cõtritio ad culpæ remissionem omnino prærequiritur. Quomodo igitur indulgentia supplere potest pro ijs quæ ad remissionem etiam culpæ prærequiruntur? Indulgentias fatetur Bellarminus *Ibid. proposit.* 1. ad remissionem culpæ, siue lethalis, siue venialis, nihil valere.

XVI. Aliud quoddam indulgentiæ genus inuenio sensim in Ecclesiam per Monachos irrepsisse, quo iniunctæ pœnitentiæ longiores in breuiores commutarentur, ac quodammodo redimerentur. Laudans Petrus Damianus vsum verberum, seu flagellorum in pœnitentibus in Monasterijs, ait *in ep. ad Petrum cerebrosum.* Planè & sacri Canones nõnullos, qui delinquunt, vapulare præcipiunt. Vnde Sancti, plurimique Pontifices, quosdam ad pœnitentiam venientes, prius in oculis suis verberari præcipiunt, sicque deinceps pœnitentiæ iudicium imponunt. Nam & ante nos omnibus fere sanctis Monasterijs, hæc disciplinę regula nequaquam fuit incognita, etsi non adeo frequentata; vnde & singulos annos pœnitentiæ, millenis scopis redimere consueuerant.] Millenas scopas vocat millenas virgarum verberationes; Sed clarius explicat idem Autor *epist.* 19. *& apud Surium die* 14. *Octob.* varias pœnitentiarum in Monasterijs per scopas, & per psalmodum redemptiones. In vita enim Dominici Loricati habet, tria millia scoparum pro anno pœnitentiæ ordinarie suppleuisse. Has vero millenas scopas, decem Psalmorum modulatione poterat quisque redimere. Igitur qui totum Psalterium cecinisset, is quinque annorum pœnitentiam redemisset. Itaq; qui vicies Psalterium totum recitasset; additis præsertim etiam verberationibus, is centum annorum pœnitentiam persoluisset. Frequenter vero Dominicus hic monachus centum annorum pœnitentias quasdam, profectò ludicras, sibi iniungi à Monasterij Gubernatoribus cupiebat, interdum etiam mille, quas ille huiusmodi fustigationibus, & Psalterij toties repetitis decantationibus explebat; vbi neque ille peccatum pœnitentia liquidum fatebatur, neque illam monachi clauium habebant potestatem. Vanitatem illa mihi & superstitionem, iam per superstitiosos monachos in Ecclesiam ingressam, magis redolent, quam veram pœnitẽtiam veramq; pietatem. Calculus enim ille decantandi totum Psalterium cursu velocissimo, ita vt interdum vno die se decies, vel duodecies id peregisse gloriaretur, id ostendit: Quis vero non rideat vbi audit iniungi pœnitentias centum, & mille annorum vni homini, & iam ... Prisci annos vitæ humanæ congruentes præscribebant, & longissima pœnitentia erat per totam vitam.

XVII. Simile indulgentiarum genus per redemptionem pœnitentiæ, inuenio *Dist.* 82. *c. fin.* sub his verbis: Sanè sciendum est, quod secundam feriam, vnum Psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, si opus est, redimere poterit.] Hæc putantur ex quodam Theodori pœnitentiali eruta; & ingenti Ecclesiasticorum, ac præsertim Papæ lucro, ianuam aperuerunt. Illa vero non nisi de iniunctis intelliguntur, & absque vlla vel Papæ, vel Episcoporum indulgentiæ concessione, pœnitens ipse secum in his pro suo libito dispensabat, vt glossa ibidem fatetur; & loco ieiunij in pane & aqua vnius diei, vel semel Psalterium recitabat, vel vnum denarium pauperibus erogabat, & suum illud iejunium redimebat, *Concil. Tribur. c.* 56. 57. 58. omnia tamen hæc ante absolutionem, ad culpæ simul ac pœnæ remissionem dirigebantur; qui modus redimendi pœnitentias iniunctas soluta pecunia placuit nostris, qui vt pauperibus pecuniam hanc eriperent, & ad se traherent, commenti sunt indulgentias sine clauibus non dari, vt ad Episcopos pro minoribus, ad Papam pro maioribus obtinendis accederetur, ac interim pecunia apud ipsos deponeretur. Ac initio quidem audacter indulgentiam dicebant esse à pœna, & à culpa; & absolute à peccatis omnibus, vsque ad nostram penè ætatem: nunc vero videntes id nimium exorbitare, excogitauerunt pœnas temporales relinqui post solutam culpam, & indulgentias ad huius pœnæ relaxationem concedi. Hunc tamen turpem & perniciosum errorem & abusum aliquãto clarius detegamus.

XVIII. Si quem locum aliqua potuit indulgentia in Ecclesia habere, ea profectò alia esse non potuit nisi circa iniunctas, quæ tamen quia neque thesauro indigent, neque sunt Papatui proficuæ, abolitæ sunt à Papæis; & aliæ fictitiæ per solam auaritiam introductæ; quarum errores, falsitates, & pernicies vt nobis innotescant, earum totam materiam ad aliquot propositiones, quas defendere tenentur, & conantur illi, qui Indulgentias hasce nouas astruunt, paucis reducam, earumq; mox absurditates demonstrabo.

Prima propositio. Post remissam pœnitenti culpã, manet reatus pœnæ temporalis persoluendæ, *Bellarm. de pœnit. l.* 4. *c.* 1.

Secunda. Ad has pœnas persoluendas iniunguntur satisfactiones à Confessarijs per opera charitatis, vel pœnalia, *Ibid. c.* 3.

Tertia. Thesaurus satisfactionis infinitæ CHRISTI est in Ecclesia, *Clem. Vnigenitus, de pœnit. & remiss. & Bellar. de Indulg. l.* 1. *cap.* 2.

Quarta. In hoc thesauro sunt etiam passiones, & opera supererogatoria Sanctorum, in quantum sunt satisfactoria, non in quantum meritoria, *Ibid.*

Quinta. Sub clauibus Ecclesiæ est hic thesaurus ad supplendum pro pœnis illis, & satisfactionibus applicabilis.

Sexta. In Indulgentia est solutio, sed est etiam iudicialis absolutio fidelibus valde vtilis.

Septima. Causa iusta requiritur in concedenda indulgentia.

Octaua. Indulgentiam non consequitur qui opus iniunctum non exequitur.] Sunt & aliæ plures propositiones, sed hæ sunt præcipua dignæ cõsideratione.

De prima propositione iam satis dixi, & falsam esse probaui.

Secundam etiam iam ostendi non subsistere; quia satisfactiones legitimæ in Ecclesia fuerunt conditiones necessariæ, sine quibus nemo vnquam potuit habere veram, & propriam Ecclesiasticam per claues absolutionem, & ad culpæ non minus quam pœnæ remissionem seruierunt.

Tertia suo modo vera est: Thesaurus infinitus Christi meritorum & satisfactionum in Christo est, & pro Ecclesia; sed in ipsius vsu & applicatione negotium nostrum consistit.

Quarta est intolerabilis, primum, quia iniuria fit

Christo, cui adduntur sanctorum passiones & opera, ad hominum plenam redemptionem; CHRISTVS solus mediator noster est, & tam pro pœnis, quam pro culpis redemptor, & saluator. Blasphemia est asserere, sanctorum merita ad remissionem pœnarum nostrorum peccatorum inseruire, pro qua remissione DEVS nihil aliud accipit nisi filij sui dilectissimi pretiosum sanguinem; nam & ad hunc effectum neminem alium, nisi ipsum solum elegit, ac misit, neque aliud pecuniæ genus pro nostra plena redemptione in cœleste ærarium admittitur, nisi ea sola quæ ex IESV CHRISTI sanguine confecta est, ipsummet CHRISTVM, & non aliam effigiem impressam habens. Omnis alius nummus ibi ad hoc falsus est, & adulterinus, à cœlesti trapezita & quæstore penitus reiectus. Satisfactiones porro sanctorum ipsismet profuerunt; & pro ipsis solis totum effectum habuerunt, qui fuit ipsorum dispositio ad remissionem & culpæ & pœnæ obtinendam, non ex compensatione vlla iustitiæ, vt iam probaui, sed ex eo tantum quod per eas DEO se humiliauerunt, & internam pœnitentiam, vel excitarunt, vel testati sunt, & sic impedimentum malæ voluntatis abstulerunt, quod DEVS necessario & etiam Ecclesia in omni peccatore DEO reconciliando requirunt. Cum itaque omnes illæ satisfactiones ad necessariam humiliationem, & consequenter ad solam dispositionem pertineant, & nihil interim ex iustitia satisfaciant, neque vere compēsent aut pro se, aut pro alio pœnas debitas peccato, quomodo in thesaurum ingredientur, quæ totum suum effectum in ipsis sanctis habuerunt? Dispositiones fuerunt, at dispositio vnius, non est, neque esse potest alterius dispositio; meritoria fortasse improprie potest esse & impetratoria, vt iusti suis orationibus & humiliationibus impetrent peccatori pœnitentiam & dispositionem; vt tamen ipsorum satisfactiones & humiliationes suppleant pro alterius satisfactionibus & humiliationibus, & sic ille alter dispositus ad remissionem dicatur per alienam dispositionē, & humiliatus per alienam humiliationem, est impossibile. Dispositio enim cuiusque debet esse propria & personalis cum diuinæ gratiæ adiumento. Tametsi vero demus, satisfactiones sanctorum aliquas maiores fuisse quam ipsorum debitæ pœnæ temporales requirerent (quod statim confutabo) & sic in thesaurum reponerentur, quam quæso proportionem habebunt ad thesaurum passionum & sanguinis CHRISTI? Vix profecto erunt vt gutta aquæ addita toti mari. Et quis stultus dicet illam quoque guttam ferre nauem in portum, quæ sit omnino contemptibilis, & nihil penitus naui tribuat adiumenti? Vere maxima CHRISTO fit iniuria, quasi ipsius satisfactio sola per se non sit sufficientissima, vt egeat Christus in redimendo & liberando mundo, tam quoad culpas, quam quoad pœnas, coadiutoribus.

XIX. Hanc tamen satisfactionum superfluitatem in Sanctis inepte poni est certissimum. Incipiunt à B. Virgine, eam omni peccato, etiam fortasse originali, caruisse asserunt; & tamen multa fuisse perpessam, vt quando *Luc.* 2. 35. gladius doloris animam ipsius pertransiuit; cum vero pro peccatis proprijs nihil satisfacere teneretur, illæ satisfactiones perire non debuerunt. De conceptione B. Virginis hic mihi disputandū non est: & si hanc disputationem locus tolerar et, facile ostenderem; hæresim esse manifestā, & diuinæ Scripturæ corruptionem, si falsum quis diceret esse illud Iob. c. 15. 14. iuxta 70. interpretes; *Nemo mundus à sorde, &c.* Si vllus homo purus à peccato originali initio suæ conceptionis aut animationis immunis ponatur, & dicatur in Adam non omnes peccasse, neque peccatum Adæ in omnes transijsse, *Rom.* 5. 12. Sed mittamus ista. Nam pro peccato originali, neq; requiritur, neq; datur vlla satisfactio; culpam enim olim remisit fides, nunc & illa & Baptismus, & simul pœnam æternam. Temporalis vero illius peccati pœnas perpetuas in hac vita toleramus, neque illarum datur vlla in hac vita remissio, & ita neque pro tali remissione quæritur satisfactio. De peccatis actualibus grauioribus & mortalibus criminosis omnino pie credendum est B. Virginē ab illis perpetuo fuisse liberam, & horret animus contrarium cogitare. De quotidianis tamen peccatis, sine quibus vita hæc à puro homine transigi non potest, liberam facere B. Virginem omnino videtur esse contra Scripturam: *Prou.* 24. 16. *Septies in die cadit iustus, & resurgit, &* 1. *Ioan.* 1. 8. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, &c.* An non ipsa B. Virgo Orationem Dominicam etiam pro se recitabat, & orabat, *Dimitte nobis debita nostra*? Sancti Patres, ac præsertim Augustinus, neminem prorsus eximit à necessitate dicendi quotidie; *Dimitte nobis &c.* Verba Augustini sunt *serm.* 41. *de sanctis*. Peccata minuta enumerari vix possunt; à quibus, non solum populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit.] Vniuersalis est hæc negatiua, excipere debuit B. Virginem, si eam ab his venialibus immunem fuisse censuisset. Clarius alibi idem Augustinus, *de ciuit. Dei, l.* 20. *c.* 26. vbi ait, Solum Christum inuentum esse sine peccato.] Et Hilarius in *Ps.* 118. *versu concupiuit anima mea.* Beatam Virginē extremo iudicio obnoxiam facit; & inde infert, reliquis hominibus tanto horribilius esse illud iudicium, quod Mater quoq; Christi sit subitura. Sed in Capella Papæ Michael Angelus Bonarottus aliter sua pictura expressit. Afflictiones ergo ipsius, si quæ fuerunt, eam vel ad horum remissionem disposuerunt, vel ad exercitium virtutum fuerunt. Eius tamē satisfactiones nullas legimus. Gladius ille doloris fuit affectus naturalis: & quæ mater non cum ingenti dolore videt proprium filium optimum & innocentē crudelibus confici supplicijs? *Tota pulchra es & macula non est in te, Cant.* 4. 7. B. Virgini potest applicari, quoad maculam mortalium grauium peccatorum; sed proprie ei videtur hoc dictū conuenire de qua ait Paulus, *Eph.* 5. 27. illam non habere maculam, neque rugam, hoc est, Ecclesiæ.

XX. Ioannes Baptista fructum suæ vitæ rigidioris amplum consecutus est, quod se à peccatis mundanis per eam præseruarit. Ægrotus qui amara haurit pharmaca, & sanguinem suum effundi patitur, nullum satisfactionum auget thesaurum, sed amaritudinis & fusi sanguinis fructum propriam valetudinem percipit, quæ valetudo abunde compensat ei omnia suscepta medicamentorum tormenta. Idem dico de sanctis anachoretis. Reliqui sancti, & antiquæ, & nouæ legis martyres, passionum suarum fructum amplū perceperunt, primum remissionem pœnarum suorum peccatorum. Nam nullum adeo leue peccatum est, quin de se sit mortale & æterna pœna dignum; est igitur mera gratia Dei, quod leuiora peccata ad leues etiam nostras dispositiones facile remittat; non propterea ex iustitia quicquam nobis debetur, vbi aliquid amplius erogamus Deo, quam ordinarie ille ex gratia postulat. Nam illud amplius adhuc totum non sufficit, nisi gratia interueniente. Deinde quia quicquid sumus, quicquid possumus, id multis nominib. Deo debemus. Et martyres ne Deum amitterent, tenebantur omnia tormenta, & mortem ipsam pati, & illæ passiones satis in eo compensatæ sunt, quod DEVM amicum conseruauerunt, & eis præmium vitæ æternæ successe-

successerit; ad quod condignæ non sunt passiones huius temporis, *Rom. 8.18.*

XXI. Neque necesse est, vt concesso etiam in omni opere bono esse meritum & satisfactionem; (non enim hic locus est hac de re disputandi) propterea semper seorsim ei respondere debere fructum meritorij, & seorsim fructum satisfactorij. Si enim factor operis ad aliquam pœnam peccatorum Deo tenetur; tunc ei opus & meritorium erit in recuperanda Dei amicitia, & satisfactorium in pœnæ remissione obtinenda: At si ad nullas pœnas teneatur (quod non videtur possibile) tunc ei opus erit meritorium duntaxat & nihil satisfactorium; sed fructus qui deberetur satisfactioni augetur in meritorio præmij & mercedis; maius enim præmium pro eodem opere eadem charitate facto (admissis meritis) habebit, qui satisfactiones pro peccatis non debebat, quam ille qui pœnis obstrictus erat. Et certè non libenter admitto ego distinctionem illam, vt in opere aliud sit satisfactorium; aliud meritorium. Nam, positis etiam meritis, ipsummet satisfactorium est meritorium. Si enim satisfactioni debetur pœnæ remissio; profectò merebitur hanc remissionem; & meritum satisfactionis est ipsa remissio. Itaque si opus & culpæ, & pœnæ obtinet remissionem, erit pro vtraque meritorium; imo potius pro vtraque satisfactorium. Quare potius dicendum videretur; opus bonum ab eo qui reatu adhuc tenetur culpæ, & consequenter etiam pœnæ, si per tale opus obtinet remissionem, ei opus hoc fore duntaxat satisfactorium. Si verò factor operis sit in gratia, neque teneatur reatu vllo, siue culpæ, siue pœnæ, tunc opus bonum erit duntaxat meritorium; & nihil prorsus satisfactorium, & hinc multo melius inanis redditur thesaurus ex passionibus Sanctorum, quia si fuerunt satisfactoriæ, habuerunt plenissimum præmium remissionis, & nihil superfuit. Si vero fuerunt duntaxat meritoriæ, ad thesaurum nihil faciunt, & plenum præmium habuerunt. Itaque quando Iob iuxta vulgatam dicebat, *cap. 6. 2.* Iram & punitionem maiorem fuisse in eo, quam peccata mererentur; loquitur de suis passionibus quatenus esse debuissent de lege ordinaria satisfactoriæ; sed non propterea excessus ille superfluit, & in thesauro conditus fuit; Sed meritorium ex Dei misericordia absorbebat in se excessum illum satisfactorium. Vt si duo milites pro suo Rege strenui in bello decertent, & multis susceptis vulneribus Regem aduersarium occidant, & sic victoriæ plenæ causa sint, quorum alter fuerit in exilium ob aliquod crimen eiectus, alter vero Regi semper fuerit acceptissimus, huius profectò labores & vulnera erunt duntaxat meritoria apud Regem, non tamen satisfactoria; illius vero primo & principaliter erunt satisfactoria; vnde ei Rex pœnas exilij penitus remittet & condonabit; & si satisfactio hæc maior fuerit quàm ad redimendum exilium esset satis, vulnera illa in illa excedentia erunt iam meritoria, & non amplius satisfactoria; & à Rege post remissum exilium condigno præmio compensanda, minori tamen quàm sit præmium alteri concessum; qui satisfactione non indigebat. Locus tamen Iob secundum Hebraicam veritatem, nullam habet comparationem aut excessum, inter culpas ipsius & pœnas.

XXII. Videtur Origenes *in Num. hom. 24.* thesauro ex meritis Sanctorum fauere, quando ait; Sicut Dominus quasi agnus ad occisionem ductus remissionem peccatorum vniuerso præstitit mundo; ita fortassis & cæterorum Sanctorum ac iustorum sanguis; à sanguine Abel iusti, &c.—alterius quidem sanguis sicut vitulæ, alterius sicut hirci, aut capræ, aut alicuius horum fusus est ad expiandum pro parte aliqua populum.] Hæc tamen proponit dubitatiue; & tandem explicat, Sanctos expiasse populum precibus tantum & intercessione, dum impetrant populo pœnitentiam & remissionem: Si ergo fortassis, *ait*, & si quis Angelorum, cœlestiumque virtutum, aut si quis iustorum hominum, vel etiam sanctorum Prophetarum, atque Apostolorum, qui eniхius interueniat pro peccatis hominum: hic pro repropitiatione diuina, velut aries, aut vitulus; aut hircus oblatus esse sacrificium ob purificationem populo impetrandam accipi potest. Annon videtur vt aries; aut hircus holocaustum se obtulisse Paulus pro populo Israel; cum dicebat; Optabam autem ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis; qui sunt cognati mei secundum carnem?] & demum. Sed in his, *inquit*, omnibus vnus est agnus, qui totius mundi potuit ferre peccatum; & ideo cessauerunt cæteræ hostiæ: quia talis hæc fuit hostia, vt vna sola sufficeret pro totius mundi salute: Cæteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit.] Possunt ergo Sancti aliquid pro alijs expendere ex ipsorum pecunijs præsentibus, & statim consumptibilibus; in thesaurum conijcere nihil possunt.

XXIII. Quæro nunc, quid fiet de hoc thesauro post diem iudicij? exhaurietur ne prius? minimè verò, quia Christi satisfactio fuit infinita; transportabitur fortasse è terris in cœlum? Sed quid ibi faciet? cui vsui erit? Si igitur post vltimum diem nullus erit amplius vsus huius thesauri; sed manebit ociosus per totam æternitatem, non erat quædam ratio Bellarmini *de Indulg. l. 1. cap. 4.* satis apta, vbi ait, Satisfactiones superfluas Sanctorum ideo fuisse in thesauro reponendas, quia alioquin essent otiosæ, & coram Deo inanes, & tamen necesse est totum hunc thesaurum post diem iudicij manere inanem & otiosum in perpetuum. Inanitet igitur etiam nunc ponitur & otiose; neque enim alius est thesaurus meritorum Christi vspiam, nisi in cœlo penes ipsum Christum.

XXIV. Quinta propositio est etiam ipsa absurdissima: Merita Christi & satisfactiones satis applicantur nobis per fidem & Sacramenta, & sæpe etiam per claues Ecclesiæ. De applicatione per Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ, non est vlla occasio nunc mihi concertandi: de applicatione per claues, multa video apud nos merito oppugnanda. Applicationem hanc nos hoc pacto fieri dicimus. Confessarius dum pœnitentem absoluit, applicat satisfactiones Christi suo pœnitenti ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ; manet tamen reatus pœnæ temporalis; ad quam compensandam & delendam iniungit ipsi pœnitenti satisfactiones post absolutionem. Pro his verò satisfactionibus Papa potest, si vult, pœnitenti illi applicare vlterius ex illis ipsis Christi satisfactionibus tantum quantum possit, vel partem, vel totam pœnam temporalem delere. Hic ego quæro, an per claues Ecclesiæ Confessarij faciant illam applicationem meritorum Christi ad culpæ æternæque pœnæ remissionem? Negare non possunt. Rursus quæro, an per easdem Ecclesiæ claues Papa & Episcopi applicent vlterius merita Christi per indulgentias? Fatentur *ibid. cap. 4.* Iam verò quis arctauit Confessarijs ordinarijs potestatem clauium, vt non possint applicare satisfactiones Christi nisi ad culpæ æternæque pœnæ remissionem; non tamen ad remissionem pœnæ temporalis? Qui potest maius, certè potest etiam minus. Et vndenam quæso habemus, in vsu clauium ordinario remitti pœnam æternam; non tamen remitti pœnam temporalem? manet hæc pœna, vel primo, quia claues ad eam non extenduntur; vel secundo, quia Confessarijs

ordinarijs dantur claues diminutæ; vel tertio, quia pendet id à voluntate Confessarij, qui nolit vti clauibus ad totam & perfectam remissionem, sed ad partẽ, & imperfectam; vel demum quarto, quia pœnitens incapax est, vt per claues habeat integram remissionem; Aliunde ego defectum hunc non possum venari. Primum non potest dici, quia per easdem claues Papa & Episcopi liberant pœnitentem à pœna temporali, applicatione satisfactionum CHRISTI: Non secundũ, quia diminutio illa nullo modo potest probari, nisi velimus recurrere ad illud principium iurisdictionis, potestatem dari per Papam, & dari limitatam. Hoc tamen iam à nobis impugnatum est satis *lib. 2. cap. 5. & alijs.* Sed admittatur nunc, quæso; vbinam constat Papam limitasse potestatem clauium in foro pœnitentiario, alio modo Episcopis, alio modo Presbyteris? reseruasseque vt in omni absolutione relinquatur pœnitenti pœna temporalis? Hoc nunquam factum est, & si fieret limitatio hæc esset iuris positiui: factum igitur valeret & teneret, etiamsi contra præceptum fieret. Non tertium, quia Confessarij semper absoluunt totâ sua autoritate, & clauibus cum tota potestate vtuntur. Non denique quartum, quia iam neque indulgentiarum esset capax: & semper ponimus pœnitentem bene dispositum.

XXV. Dicant mihi vlterius; Si potest Confessarius per iniunctionem satisfactionum pœnitenti, liberare illum à tota pœna, etiam temporali, & hoc virtute clauium, vt nostri volunt, qui satisfactionem illam faciunt Sacramentalem, igitur potestas ordinaria extenditur etiam ad pœnam temporalem, & sane per applicationem satisfactionum CHRISTI, quæ in ipsa legitima absolutione operantur etiam in pœnam temporalem; nam satisfactiones iniunctæ pœnitenti præcedere debent absolutionem, & disponere illum, facereque capacem beneficij pleni clauium, ad culpam, & ad pœnam vniuersam remittendam. Quid igitur superest pro indulgentijs? Veram applicationem explicemus.

XXVI. Est thesaurus in cœlo meritorum CHRISTI: In terra vero triplex habetur in Ecclesia clauis ad ipsum thesaurum attingendum. Vna est communissima publice exposita, qua quisq; qui velit possit vti. Si adhuc clausum putas cœlum, *inquit, Tertullianus in Scorpiaco.* memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic vnusquisque interrogatus atq; confessus ferret secum.] Duæ aliæ claues ordinariæ sunt in manibus Prælatorum & ministrorum, sed ad vtilitatem omnium fidelium: Vna est Sacramentorum; alia ligandi, & soluendi. Prima clauis communis est fides, & pro lapsis post Baptismũ contritio internaque pœnitentia. Hanc clauem non est cur quisque à quoquam petat, nec à Papa, nec ab Episcopo, nec à Presbytero: ea prostat omnibus, & quisque per eam potest ad thesaurum accedere, & per illum se ab omni penitus reatu & culpæ, & pœnæ cuiuscunque liberare. Clauis Sacramentorum est in cuiuscunque legitimi ministri manibus, vt patet. Clauis demum ligandi & soluendi; per externam pœnitentiam Ecclesiasticam aperit thesaurum pro plena absolutione, & reconciliatione cum DEO, cum remissione totali; & culpæ, & simul cuiuscunque pœnæ. Alia clauis quæ perueniat ad thesaurum, neque in Scripturis, neq; in Patribus inuenitur. Igitur clauis indulgentiarum est clauis aliqua furtiua, falsa, & omnino diffringenda.

XXVII. Applicationes tamen per indulgentias fieri probat Bellarminus, *de Indulg. l. 1. c. 3.* Primum ex articulo Symboli, *communionem Sanctorum.* Secundo ex Paulo, 2. *Cor. 12. 15. Impendar, & superimpendar pro vobis,* & 2. *Timoth. 2. 10. Omnia sustineo propter electos.* & *Coloss. 1. 24. Adimpleo quæ desunt passionum Christi.* 3. ex illo Euangelij *Matth. 16. 18. Quodcunque solueris, &c.* 4. ex vsu antiquo & continuato Ecclesiæ. Ad primum respondeo: Communionem Sanctorum esse explicationem articuli *sanctam Ecclesiam Catholicam:* quæ Ecclesia vniuersalis est communio inter fideles omnes totius mundi: in eadem fide ijsdemque Sacramentis, & orationibus, adhortationibus, bonis exemplis se inuicem iuuare; quod nihil facit ad indulgentias, neque viui sua merita mittunt ad Papam per aliquas literas Campsorias, vt ea ipse per Bisuntinas nundinas quibus vult communicet aut diuendat. Ad 2. ipsemet Bellarminus fatetur, loca hæc habere etiam alias explicationes, quæ certe nihil habent cum indulgentijs communionis. Eæ sunt omnibus peruiæ. Licet Gregorius de Valentia *de Indul. cap. 1.* illustrem contendat esse locum Pauli *Coloss. 1.* Sed conetur quantum vult, nunquam ostendet locum illum alias quoque non habere, & sane optimas interpretationes, quas ille tollere non potest. Sane magnus hic Theologus *Ibid. c. 4.* fatetur indulgentias in Ecclesia antiqua nullas fuisse, sed decrescente feruore pœnitentiæ inualescere eas cœpisse. Hoc est, linum etiam fumigans pœnitentiarum Ecclesiam voluisse penitus extinguere per hasce indulgentias, vt iam nullæ essent pœnitentiæ, nullæ satisfactiones: remedium morbo lõge grauius, ac perniciosius; sed Spiritus Sanctus non ita docet: ac proinde magnam Valentianus asseruit absurditatem: fassus interim indulgentiarum nouitatem, & consequenter vanitatem: quã nouitatem non fateri non potuit etiam Roffensis *cont. Lut. art. 18.* Ad 3. iam ostendi *cap. 7. præcedenti num. 19.* Soluere esse correlatiuum ligandi, & Ecclesiam nihil posse soluere nisi quod ipsa ligauit: & ligamen Ecclesiæ præcedere, subsequi solutionem. Igitur non potest vlla ratione Ecclesia pœnas dimittere, quas ipsa non imposuit, nec indulgere, nisi in illis oneribus quæ ab ipsa sunt profecta. Nec alium modum habet applicandi per claues merita Christi, nisi indirectum, ligando videlicet hominem ad pœnitentiam, & soluendo postea per reconciliationem; tunc enim CHRISTVS soluit in cœlo, & dimittit peccatum pœnasq; omnes peccati, quando Ecclesia suum pœnitentem à suo Ecclesiastico vinculo pœnitentialis excõmunicationis soluit. Hæ ergo claues immediate & directe non applicant merita Christi, sed mediate & indirecte; quia Christus sua merita donat pœnitenti tunc, quando Ecclesia eidem suam donat reconciliationem, iuxta CHRISTI promissum; *quodcunque solueris, &c.* Neque vlla alia potestas clauium vnquam declarata aut cognita fuit in Ecclesia, nisi ad retinenda & remittenda peccata, tum quoad culpas, tum simul quoad pœnas: seorsim vero vsum clauium quoad solas pœnas temporales in tota antiquitate non est reperire, sed passim Patres potestatem ligandi & soluendi quam Christus *Matt. 16. & 18.* ponebat in clauibus, eandem penitus esse exposuerũt, quæ est *Ioan. 20. 13.* retinendi, & remittendi peccata Ita Cyprianus, Gaudentius, Theophylactus, Beda, & Cõcilium Coloniense, quos produxi *cap. 7. num. 4. lib. primi.* Neque vllam subsistentiam habet speculatio Bellarmini, *de Indulg. l. 1. cap. 3. propos. 2.* vbi nullo nixus Scripturæ, nullo Patrum fundamento asserit, promissionem illam amplissimam ac generalem: *quodcunque solueris, &c.* non restringi ad peccata, qualis est illa, *quorum remiseritis peccata, &c.* sed complectitur, inquit, omnia vincula quæ impedire possunt homines à consecutione salutis æternæ. Itaque in hoc verbo fundatur potestas, non solum absoluendi à

pecca-

peccatis in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam absolvendi à censuris quibuscunque, nec non dispensandi a legibus, in votis, in iuramentis, dum causa rationabilis adest. Promittitur enim his verbis Apostolo Petro supremum tribunal Ecclesiasticæ potestatis, vt loco CHRISTI Ecclesiam omnem regere, & iudicare summa cum potestate possit; quod ei tunc demum exhibitum est, cum à CHRISTO audiuit *Ioan. 21. Pasce oues meas.*] Hæc ille.

XXVIII. Bone DEVS quam fragili aranearum filo vastam appendimus Pontificiæ omnipotentiæ molem. Tota antiquitas nihil plus contineri in illis verbis; *quodcunque ligaueris, &c.* quam in illis; *quorum remiseritis peccata, &c.* perpetuo censuit, vide Bernardus *de consid. l. 1. cap. 6.* In criminibus, *inquit*, est potestas vestra.]. Iam vero potestatem ligandi & soluendi volunt esse totum mundum regendi; etiam in temporalibus; saltem indirectè; vbi de salute agatur animarum. Ego vero ostendi, nihil posse Ecclesiam soluere circa peccata, nisi quod ipsa ligauit, & consequenter neque poterit ligare, nisi id quod etiam ipsa, seruatis seruandis, possit soluere, semper tamen circa peccata; quia ligare nihil aliud est quam retinere peccata; & soluere idem quod remittere; & absoluere à censuris, id est, ab excommunicatione, idem est quod absoluere à peccatis, neque fit absolutio ab excommunicatione, nisi cum quis soluitur à peccato per Ecclesiam retento, & ligato, vt infra *capit. 9. sequenti* melius patebit. Quod si Ecclesia vel leges fert Canonicas, vel in ijs dispensat, id non facit virtute clauium, sed virtute gradus & officij ac ministerij per ea CHRISTI verba dati, *Ioan. 20. 21. Sicut misit me pater, &c.* Dispensatio tamen circa pœnitentias iniunctas, ante absolutionem spectat ad claues; quia iniungere pœnitentias est ligare, & retinere per claues; & ad potestatem hanc ligandi pertinet maius vel minus vinculum apponere. Supremum verò tribunal Ecclesiasticum datur omnibus & singulis Apostolis; eorumque successoribus, ex æquo, per illa eadem verba; *Sicut misit me pater, &c. Euntes docete, &c.* Non autem per illa; *Quodcunque ligaueris & solueris*, neque per illa; *Ioan. 21. 17. Pasce oues*, vt ostendi satis toto *libro 1.* & præsertim *cap. 6. 7. & 8.*

XXIX. Neque verum est, Ecclesiæ, id est, Prælatis & ministris datam esse potestatem amplissimam, vt possint tollere omnia vincula, quæ impedire possunt homines à salutis æternæ consecutione. Hæc enim potestas data est ipsis hominibus, vt fide, Sacramentorum vsu, & interna pœnitentia; quando opus est, possit quisque sibi suæque saluti; cum diuina gratia; absque clauibus, prospicere, & vincula omnia auferre; & ad hoc Ecclesiastica potestas externa nihil iuris habet. Similiter verum non est, pœnas temporales solas quenquam à consecutione salutis æternæ detinere; nam probatum iam est, post deletam culpam nihil penitus pœnæ manere: peccata ergo sola detinent; ijs vero deletis, homo est in perfecto statu salutis æternæ consequendæ. Addere possem; frustra abbreuiari tempus ingrediendi in plenam requiem per indulgentias, & pœnarum temporalium solutiones, vbi certum est, veram & perfectam ac completam æternam salutem fideles omnes post carnis resurrectionem expectare, tunc quando dicetur eis à CHRISTO, *Matth. 25. 34. Venite benedicti Patris mei, &c.* De quo plura inferius. Itaque clauium potestas circa sola peccata manet, salua eorum libertate, quorum peccata grauia non sunt publica, nec notoria, vt possint se clauibus subijcere, non tamen teneantur: & sane circa peccata, non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam, quæ tota tollitur vt ostensum est, per claues quoque, non tamen tanquam per Sacramentum, quod in vsu clauium nullum est, sed ex necessario consequenti, propter CHRISTI promissionem, vt soluatur in cœlo quod per claues soluitur in terra, & quia Ecclesia soluit pœnitentem à tota & culpa & pœna, cui post reconciliationem nulla pœna Ecclesiastica relinquitur, profecto etiam in cœlo idem perfecte, & à culpa, & ab omni pœna soluitur. Est vero ingens error, vt docui, satisfactiones iniungere post absolutionem quæ illam omnino debent præcedere.

XXX. Ad quartum respondeo, Autoritates omnes, quas plures affert Bellarminus, nullas alias comprobare indulgentias, nisi ab iniunctis; quæ neque fiunt absolutione, neque ex thesauri applicatione: sed quia ligare Ecclesiasticum, seu retinere per satisfactionum iniunctionem, & pœnitentialem satisfactionem, non consistit in indiuisibili, sed magnam habet latitudinem; vt possint ex varijs causis iniunctæ pœnitentiæ, & augeri, & minui, & penitus relaxari, vt superius declaraui: & nunquam quisquam reperiet aut obseruabit, in illis indulgentijs habitum respectum fuisse ad CHRISTI satisfactiones, earumque applicationes: semper enim Ecclesia per suas, etiam rigorosas, pœnitentias, voluit certificari de vera resipiscentia; & detestatione peccati, sine quibus nemo solutione dignus est. Habitus tamen semper respectus est ad signa contritionis internæ, ad imbecillitatem pœnitentis, ad periculum desperationis, *2. Corinth. 2. 7.* ad intercessionem Ecclesiæ, præsertim confessorum & martyrum, tempore persecutionum: & ab his pendebant indulgentiæ, non à thesauro; imo neque in reconciliatione, seu absolutione Ecclesiastica, quando pœnitens liberatur à culpa & pœna, fit vera applicatio, vt supra dixi, satisfactionum Christi; quia absolutio hæc non fit sacramentaliter, tanquam per verum Sacramentum, sed virtute promissionis CHRISTI, *erit solutum & in cœlo*; dum Ecclesia claue non errante remittit peccatum externè per externam reconciliationem; Christus ex consequenti applicat sua merita illi, & in cœlo remittit totum, quod Ecclesia sponsa ipsius remisit in terra. Ex his itaque antiquis indulgentijs frustra conatur Bellarminus colligere vsum clauium in remittendis pœnis extra Sacramentum, quia ante absolutionem remissio illa seu indulgentia adhuc stat cum ligatione & retentione, & est ipsummet ligare secundum magis & minus: & ipsa quoque absolutio nō est, vt dixi & probaui, Sacramentalis; & totum quod fit per claues est extra Sacramentum.

XXXI. Trahit Bellarminus ad indulgentias per applicationem meritorum & satisfactionum martyrum quædam ex Tertulliano *de Pudic. cap. 22.* vbi iste ait: Sufficiat martyri propria delicta purgasse; ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus —si peccator es quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit?] Ex his applicationem passionum martyrum fieri solitam colligit Bellarminus, ad indulgentiam pœnitentibus concedendam. Sed mirum, quod omissis penitus & profunda obliuione sepultis CHRISTI meritis, indulgentiæ darentur per solas martyrum passiones pœnitentibus, nescio per quem applicatas. Non disputat Tertullianus ibi contra indulgentias nostras, neq; cōtra thesaurum ipsarum; sed iam Montanizans contra

Ecclesiasticam disputat pœnitentiam lapsorum, & remissionem culpæ potius quàm pœnæ impugnat. Erat igitur vsus, vt pœnitentes per Ecclesiam ligati, datis varijs satisfactionibus, ad reconciliationem & peccati remissionem reducerentur. Charitas verò Ecclesiæ illa, quam gemitum columbæ vocat Augustinus *de bapt. l. 3. 17.* adiuuabat pœnitentium satisfactiones, suis lachrymis, suis orationibus, & publicis humiliationibus, quas vidimus, *cap. præcedenti 7. num. 32.* & de quibus Ambrosius ait, *lib. 5. in Luc. cap. 7.* vidua resurrectionem filij lachrymis meruit impetrare, eo quod sancta Ecclesia populum iuniorem à pompa funeris, atque supremis sepulchri suarum reuocet ad vitam contemplatione lachrymarum —— & si graue peccatum est, quod pœnitentiæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis, tanquam pro vnicis filijs vidua mater interuenit. Compatitur enim quodam spirituali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitijs ad mortem cernit vrgeri.] Cum itaque Tertullianus cerneret in Catholica Ecclesia etiam martyres solitos compati lapsis pœnitentibus, eósque suis carceribus & passionibus iuuare, & proprias satisfactiones quasi adiungere lapsorum satisfactionibus, vt hinc illis reconciliationem accelerarent, errore Montani imbutus, quem etiam Nouatianus arripuit, id reprehendebat, asserebatque non posse vnum pro altero satisfacere, vt sic pœnitentiam externam Ecclesiasticam penitus tolleret; nam neque lapsi pœnitentiam propriam, neque aliorum pro ipsis, ad effectum absolutionis, admittendam esse cum errore censebat. Illa ergo non erat indulgentia per applicationem meritorum martyrum, sed erat admissio alienarum satisfactionum pro alijs, non ad remissionem coram Deo pœnæ temporalis, sed ad remissionem Ecclesiasticam directè. Et passiones martyrum tanquam nomine totius Ecclesiæ oblatas pro lapsis, sicut & orationes ac gemitus ipsius Ecclesiæ, pro satisfactionibus à lapso Ecclesiæ debitis, ad hoc tantum admittebat, vt mitius cum ipso ageret in pœnitentijs ei iniunctis, vel iniungendis; & in hoc nulla erat solutio, nulla absolutio, neque pœnæ peccato debitæ relaxatio, vera enim & peccati & pœnarum peccato debitarum remissio fit vbi Christus ipse suam satisfactionem applicat pœnitenti, quod fit ordinarie & externe in Ecclesia, quando ipsa relaxat suum vinculum pœnarum Ecclesiasticarum, & pœnitentem reconciliat, & tunc nihil faciunt illæ martyrum pœnæ, sed ad solas Ecclesiasticas pœnas mitigandas potuerunt aliquid valere.

XXXII. Quod si quæ interdum antiquæ commemorantur indulgentiæ, quæ non sint de iniunctis, neque ad iniunctas pœnitentias possint referri, illæ significant, peccatorum venialium, quoad culpam etiam, obtinendi remissionem à Deo, virtute orationis, vel alterius pij operis, & hoc ex opere operantis, non ex vllo opere operato, neque ex vlla vllius thesauri applicatione. Multa enim recensent Patres, vt in superioribus vidimus *cap. 7. num. 68. & seqq.* ex Scripturis per quæ venialium facile, & quoad culpam, & quoad pœnam obtineatur remissio. Quod igitur affertur ex Ludgero à Bellar. *de indulg. l. 1. cap. 3* & Baron. *tom. 9. anno 804. num. 3. & 6.* de indulgentiis variis Ecclesiis à Leone Tertio concessis, aut erant de iniunctis, aut pro venialium remissione, etiam quoad culpam, ex opere vt dixi operantis, absque vllo clauium, vel thesauri vsu. Huius profecto sensus sunt indulgentiæ quas Ioannes Octauus commemorat *epist. 44.* in hæc verba; Quia veneranda Fraternitas vestra modesta interrogatione sciscitans quæsiuit: vtrum qui pro defensione S. Dei Ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis & Reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea te casuri sunt, indulgentiam possint consequi delictorum: Audenter Christi Dei nostri pietate respondemus: quoniam illi qui cum pietate Catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra paganos atque infideles strenue dimicantes, eo quod Dominus per Prophetam dignatus est dicere; Peccator quacunque hora conuersus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius. Et venerabilis ille latro in vna confessionis voce de cruce meruit Paradisum. Manasses quoque impurissimus quondam Rex, captus, carcerique arctissimo relegatus ibi pœnitentiam agens cum perfectione indulgentiæ etiam Regni pristini, propter Domini misericordiam, quæ immensa est circa genus humanum, adeptus est solium. Nostra præfatos mediocritate, intercessione B. Petri Apostoli, cuius potestas ligandi atque soluendi est in cœlo, & in terra quantum fas est, absoluimus, precibusque illos Domino commendamus.] Bene aduertit se non posse clauibus vti ad soluendum id, quod ipse non ligauerat, propterea addidit, *in quantum fas est*; cæterum ipse remissionis in propria illorum interna pœnitentia consistere expressit.

XXXIII. Eodem pacto Gregorius Septimus, alias indulgentias quas impartiretur varijs eas petentibus, non habuit, nisi peccatorum, profecto quoad culpam potissimum, remissionem; non per claues, non per thesaurum, sed per internæ pœnitentiæ, operumque eorum per quæ venialia solent à Deo remitti iniunctionem. Ad Episcopum enim Linconensem sic scribit: *lib. 1. epist. 34.* Absolutionem præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, authoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice quamuis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, & commissos excessus plangendo, quantum valueris corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.] Hæc est potius absolutio à peccatis, quam concessio indulgentiæ, Clemens verò octauus nostris diebus absolutionem per literas datam nullam esse definiuit. Idem Gregorius Septimus *l. 6. epist. 15.* literas suas ad Welfonem Ducem ita concludit; Omnipotens Devs meritis B. Mariæ cœlorum Reginæ, per autoritatem B. Petri — te tuosque omnes socios — à cunctis peccatis absoluat, & ad vitam æternam perducat.] Hæc est simplex oratio, & sic orando, non absoluendo illi interdum indulgentias hasce à peccatis, non à pœnis tantum, concedebat. Et fratribus monasterij Massiliensis, *Ibid. ep. 15.* Autoritate B. Petri — indulgentiam omnium peccatorum vestrorum promittimus, & absolutionem cum benedictione concedimus.] Quæ forma sit hæc indulgentiæ quis cognoscat? Sed tamen non est de pœnis, sed de ipsis peccatis: indulgentiam promittit, absolutionem confert. Tunc enim indulgentiarum ingens partus puto in vtero huius Pontificis gestari incipiebat, qui tot alia monstra horrenda peperit.

XXXIV. Vrbanus Secundus in prima illa cruciata ad terram sanctam recuperandam, Indulgentias suas hoc pacto promulgauit. Nos autem misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli autoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis

tedis se non dubitent habituros. *Tyrius de bello Sac. l. 1. c. 15.*] Hæc profectò satis sobrie, & legaliter: pro iniunctis vel iniungendis vult suppleri per labores illius peregrinationis & militiæ, nec immerito: Indulgentiam verò, hoc est, peccatorum remissionem vult eos ex propria pœnitentia interna quærere. Hic nullus vel clauium, vel thesauri vsus. Indulgentiã plenariam nescio quam Bellarminus hic excogitauit. Vbi tamen non est nisi commutatio pœnitentiarum iniunctarum, seu iniungendarũ, in labores itineris, & militiæ piæ. Quid postea à modernioribus factum sit, non moror. Ego à veteribus disco, & ad eos prouoco, vbi nouitates inuehunt recentiores, nam veterum censuras subire istos par est. Indulgentiæ enim nostræ pro solis pœnis temporalib. sunt nouitates valdè modernæ, ante Magistrũ & Scholasticos vanissimos inauditæ. Nihil ergo circa quintam propositionem probauit Bellarminus.

XXXVI. Sexta propositio tota inanis est & falsa, eo sensu, in quo eam proponunt nostri Scholastici. Nam indulgentia cum nulla sit; nisi circa pœnitentias iniunctas, & in solo foro pœnitentiali, siue publico, siue secreto, in ea neq; datur solutio, neq; absolutio. Non solutio, quia thesaurus non est ille in Ecclesia quem ponunt, & compensatio in diminutione, vel relaxatione iniunctarum, fit vel per feruorem pœnitentis, & contritionem internam, externè aliquo modo manifestatam, vel per orationes charitatemq; Ecclesię, vel per compassionem discretam ministri, vel similibus modis iam explicatis. Non absolutio, qua pronuncietur liber à pœna temporali pœnitens per Ecclesiasticũ iudicem; quia in absolutione culpæ quisque recipit etiam absolutionem & liberationem à tota pœna, & in hoc tota clauium potestas exercetur, vt iam probaui; circa solas verò pœnas non exercetur. Voluerunt tamẽ Scholastici Gnathones aliqui, vt Papatum attollerent, addere absolutionem per claues, vt, quia potestatem clauium totam esse in Papa principaliter, in aliis participatiue, contendebant, sic Papam solum facerent indulgentiarum largitorem.

XXXVI. Has indulgentias non modo nihil vtilitatis afferre fidelibus, sed etiam esse summopere perniciosas, mihi est certissimum. Prima & maximè insignis earum pernicies est, quod veram iam pene interemptam annexerunt pœnitentiam. Nulla enim præuia pœna, homines ad ignauiam ex se satis propensi; obtinent peccatorum, quoad culpam & pœnam, falsam illam sacramentalem absolutionem: tuti sunt (sed decepti) de peccatorũ remissione, si pœnæ manerent temporales, vel in hac vita, vel in alia, vt dicuntur, soluendæ, harum fortasse timore satisfacerent, & in satisfaciendo excitarent illi sæpius etiam contritionem, veramq; pœnitentiam; sed indulgentiarum spe deuorata, desidiæ se dedunt. Si Confessarius ieiunia ipsis, missas, eleemosynas in satisfactionem, post absolutionem, peragendam iniungat; acceptant, admittunt, pollicentur, sed animo nihil penitus horum adimplendi: nam cogitant de futuro aliquo iubilæo, de stationibus, de templorum indulgentiis, habent grana benedicta, &c. & vna sumpta indulgentia plenaria, eludit illas omnes satisfactiones; & cum indulgentiæ directè tollant satisfactiones, tollunt etiam Ecclesiasticam pœnitentiã, & consequenter tollunt remissionem peccatorum per claues. Aduertit hæc omnia aliquando Innocentius Tertius, in Concilio suo Lateranensi generali, & ita monuit, *de pœnit. & remiss. c. Cum ex eo.* Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidã Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur, decernimus, &c.] Sed Roma auri lucrum præponit animarum perditioni. Arcanum hoc Indulgentiarum pluribus nominibus est Romæ maximè proficuũ. Hoc adulterino thesauro verum thesaurum auri & argenti illa colligit: Obfuit ei tamen plurimum, vt dixi, Lutherus; quæstus enim ingens Papæ cessauit; adhuc tamen Dataria ex bullis Indulgentiarum non parum lucratur. Nõ enim amplius indulgentiæ lucrosæ conceduntur per Breue, & gratis, vt aliquandiu post Lutherum factum est, sed per Cancellariam, & Bullarum pretia in dies augentur denuò.

XXXVII. Septima propositio: Si verus esset thesaurus, vereque per eum concedi possent indulgentiæ, esset omnino superuacanea: iusta enim caussa, & vniuersalissima, quæ semper adsit, esse deberet illa quam Bellarminus *de Indulg. lib. 1. cap. 3. propos. 2.* fecit fundamentalem, videlicet, ne salus perfecta animarum impediatur, aut differatur. Si enim contingeret fidelem pœnis temporalibus obnoxium, ante datas debitas satisfactiones, mori, detinendus esset, vt nostri volunt, in Purgatorio, ad pœnas illas temporales soluendas. Et hinc salus ipsius differretur, quod ne fiat opitulantur indulgentiæ. Igitur ex hac maxima caussa possent iustè & legitime vniuersaliter cuicunq; concedi, imo esset impietas parca manu illas distribuere, impedireq; Episcopos, ne possint vnquam ex vlla caussa, etiam grauissima, plenarias indulgentias concedere, *de pœnit. & remiss. c. Cum ex eo. & in Pontificali seu Ceremoniali Romano.* Parce tñ & à sola Romana Curia conceduntur, vt pluris vendantur, & illa sola inde ditescat. Caussam verò requirunt vt possint obtrudere caussas, quæ pecuniã requirant, vt belli contra infideles, ædificationis templorũ, captiuorũ Christianorum redemptionis, &c. & hæc titulo tenus. Prohibitæ sunt per Pium V. *per Bullam incipit, & si Dominici.* Indulgentiæ quæ manus poscant adiutrices: sed in Iubilæis, Stationibus, Indulgentiis templorũ, &c. exponuntur arcæ toti populo conspicuæ ad pecuniam excipiendã, quas quisq; dum cernit, inuitari se intelligit ad erogandam pecuniam, Indulgentiam aliter non consecuturũ. Et super talẽ arcam extenditur Bulla seu Breue Papæ, Indulgentiæ concessionem continens; quasi inferri velint, vim totius illius indulgentiæ in illa arca contineri, si in eam pecunia congeratur.

XXXVIII. Octaua propositio ex eadem auaritia tota pendet: Quia enim olim, præsertim quando totæ lucrosæ erant indulgentiæ, opus ordinarium pro Indulgentia assequenda erat pecuniæ contributio, nostri boni Scholastici Romano Pontifici lucra augere cupientes, indulgentiam non prodesse promulgarunt, nisi opus præscriptum adimpleretur. Et præter opus à Papa in cõcessione indulgentiæ iniunctum, puta eleemosynæ, orationum, ieiunij, confessionis, communionis, &c. sæpè, imo ordinariè committit Confessariis, vt salutares etiam iniungant pœnitentias; iam ergo cum hæc opera sint etiam de se satisfactoria, quid beneficij habebit homo ex indulgentiis? Si ipse pro suis pœnis temporalibus satisfacit, aliunde non indiget compensatione: aut si ex thesauro pœnæ illius temporales compensantur, cur operum satisfactoriorum obligatione oneratur, nisi vt sua pecunia illa redimat? Memorabile est opus quod iniungitur in aliquo Christianorum Regno iis, qui nescio cuius Cruciatæ indulgentiis volunt frui, vt videlicet singulis annis transcriptum illarum indulgentiarum typis impressum singuli emant, maiori, minorive pretio; prout personarum status & conditio fuerit. Quod si quis nolit talib. indulgentiis frui, maximarũ molestiarũ pericula subeat necesse est,

vt ferme vel inuitu debeat eas emere, & illis vti. Et sola schedæ emptio est opus illud necessarium, sine quo indulgentiarum illarum beneficium non obtinetur. Papa hæc videt, & tolerat? Tolerat quidem, quia pro sua lucri huius portione spolia habet illius Regni clericorum, & partes in reditibus opimarum Ecclesiarum vacantium; & aliquid aliud, quod vulgus ignorat. Quis verò non rideat plenariam indulgentiam, vel alias minores illum consecuturum, qui granum benedictum tetigerit, imagunculā aspexerit, cruciculam ex metallo, vel numismata à Papa benedicta tulerit? Hoc ne opus tanta dignum est indulgentia? Additur, inquiunt, pro plenaria, etiam confessio, & communio, & rosarij recitatio, &c. Sed hęc omnia ad obtinendam indulgentiā non sufficiunt, nisi adsit granum benedictum, imaguncula, &c. Quæ sunt euidentissimæ superstitiones, ad diuinitatē Domini nostri Papæ obtrudendam. Indulgentiarum igitur commentum, quales sunt indulgentiæ Romanæ Curiæ, res detestabilis est, & omni ex parte abominanda. Iam mortuorum indulgentias ad exquisitum examen, DEO beneiuuante, reuocemus.

XXXIX. Ex eodem pœnæ temporalis, post remissam culpam & pœnam æternam, remanentis, fundamento, falso illo quidem, & penitus commentitio, Purgatorium est à vanissimis Theologis cacologis excogitatum, & confictum. Eoque potestatem Ecclesiasticam, præsertim Papalem extendunt, vt per indulgentias, thesaurique applicationem animas liberet à Purgatorio, & in gloriam transuehat. Cum verò iam satis probauerim, post remissam culpam nihil penitus reliquum esse homini fideli pœnæ, sublatum est totum Purgatorij fundamentum, & consequenter Purgatorium euanescere necesse est. Ac proinde indulgentiæ quoque pro mortuis, tanquam ociosum & vanum, imò perniciosum inuentum, erunt explodendæ. Certè etiamsi aliquod esset Purgatorium, Catholici tamen scriptores negant eo potestatem Ecclesiæ extendi. *Almayn. de Dom. nat. ciu. & Eccles. Concl. 3.* Imposuerunt proprio capiti Romani Pontifices tricoronem quandam thiaram superbissimam, puto vt significent se potestatem habere in regnum cœlorum, in regna terrena, & in regna Inferorum. Primam coronam iam ex illa thiara me arbitror detraxisse, dum in præcedentibus ostendi, claues regni cœlorum æquè tractari à quocunque Episcopo, atque à Romano, vt frustra sibi in hoc vindicet supra nos omnes coronam: Alteram detraham eidem *libro sexto sequenti*, vbi ostendam, Ecclesiam & Papam nullam potestatem habere, neq; directam, neq; indirectam in res temporales & Regna huius mundi. Nunc verò tertiam coronam erga inferos, seu animas Purgatorij, ex thiara illa reuellam: & galerum Episcopalem relinquam ei, meo galero similem, ac penitus iure diuino æqualem, vbi eum coronis & diademate ostendero destitutum. Circa Purgatorium igitur volo aliquantisper occupari, vtomnes animas inde liberem, & non modo subtrahere ei fundamenta, sed etiā apparentias omnes adhuc in aëre fundatas demoliri, ostendamq; primum, Purgatorium nostrum in Scripturis inueniri non posse. Deinde Ecclesiam puram & Patres illud nunquam agnouisse. Demum nulla ratione ipsum consistere, sed rationi omnino repugnare. Ad Scripturas accedamus.

XL. Quærimus, an à Scripturis ponatur, vel aliquo certo, & demonstratiuo modo ex ipsis deducatur locus aliquis pœnalis tanquam carcer, in quo animæ post hanc vitam ita purgentur, vt pœnas temporales in eo cruciatu luant pro peccatis, quas in hac vita sufficienter non luerunt. Hoc enim est Purgatorium, de quo tota concertatio. Et non quærimus, an fidelibus aliquibus post mortem peccata aliqua leuiora, in vita, & quoad culpam, & quoad pœnam non remissa, Ecclesiæ præsertim intercessione, possint & soleant remitti, antequam in locum salutis inducantur. Tametsi enim id fieret, quod postea discutiemus, non propterea hinc Purgatorium astrueretur, quia illæ animæ possent alicubi à gloria suspendi tantisper, quousque ex diuina misericordia, & non ex vllo ipsarum cruciatu, peccata illa eis dimittantur. Sic enim in proprijs pœnis nō purgarentur, sed in gratiam potissimum Ecclesiæ, & à culpa, & à pœna simul liberarentur. Nam etiam pro viuis, vt *præcedenti cap. 7.* docui, supplet sæpe oratio Ecclesiæ, pro peccatoris propria satisfactione. Nostri Purgatorium in priori sensu ponunt, & ego hoc ipsum Purgatorium esse inane commentum aio, & nullum habere in Scripturis fundamentum. Loca porrò Scripturæ, quæ pro Purgatorio afferuntur, prout à Bellarmino *de Purg. l. 1. c. 3.* collecta proponuntur, à me sunt consideranda, & primum ex Veteri Testamento.

XLI. Primus locus est ex Macchabæis, *cap. 12. 43.* Quando Iudas misit argentum Hierosolymam, vt offerretur pro peccatis interfectorum, & addit Author qui historiam illam scripsit: Sancta & salubris est cogitatio orare pro mortuis, vt à peccatis soluantur.] Primum respondeo, librum non esse canonicum, ex illis ex quibus dogmata fidei possint confirmari. Neq; ex eo constat, eum fuisse morem in Ecclesia Hebræorum, vt pro mortuis offerrentur sacrificia, & preces funderentur; cum potius contrarium colligatur, & laudetur factum Iudæ hoc tanquam singulare, & viri illius peculiare, qui de resurrectione bene cogitaret. Historici verò illa approbatio, *Sancta ergo, & salubris, &c.* (Nisi est postilla, quæ ex margine in textum irrepserit, vt est valde probabile) est mens & sententia priuata ipsius, non est dictatum Spiritus Sancti. Si enim historia hæc Spiritu Sancto dictante fuisset scripta, stultè fecisset scriptor vbi in fine se excusat, & ait: Et siquidem benè, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim; si autem minus dignè; concedendum est mihi.] Nunquid Spiritus Sanctus obligatur humanis legibus historicorum? Nunquid Spiritus Sanctus se debet excusare si non concinne, non eloquenter aliquid scribi tulerit? Sibi nempe bus vellet Scriptor, quod Spiritu Sancto dictante scripsit, & veniam petere? Hoc profectò satis superq; probat, scriptum hoc Machabaicum, esse scriptum humanum, non canonicum: & huius scriptoris notas ac obseruationes in suam historiā factas, esse ipsiusmet proprias, & non à Spiritu Sancto dictatas. Respondeo secundo, pro Purgatorio in priori sensu nihil prorsus haberi: de posteriori verò si quid habet, ad præcipuam rem nostram non est. Sed in hoc etiam non possum meam non proferre sententiam; videlicet, deductionē illam; *Sancta ergo & salubris, &c.* non satis cohærere, aut loco, aut mori scripturæ; illos enim interfectos fassus est Iudas in pœnam peccati & transgressionis legis diuinæ cecidisse. Docui autem in superioribus, punitiones diuinas externas & visibiles, præsertim mortis, deleuisse olim in Testamēto veteri totum peccatū, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, pro quo puniti sunt temporaliter. Quid ergo egebant oratione illi vt à peccatis soluantur? Deus nō punit bis in idipsum. Locus igitur hic omnino ex omni parte nutat.

XLII. Secundus ex Tobia, *cap. 4. 18.* qui inter varia documenta, quæ dabat filio, habet hoc: Panē tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, &c.] Hic ne astruitur nostrum Purgatorium? Nihil minus. Potius mortuos comedere putauit; crasso antiquo quorundā errore, si dapes supra sepulchra instrui velit.

Nam

Nam neq; hic liber est Canonicus; Ad summum, ciuilem ceremoniã docebit, vt funera charitatiuis conuiuiis in consolationem suum mortuum lugentium celebrentur. Possunt etiam eleemosynæ fieri occasione funeris in gratiarum actionem, & non ad liberandum mortuum à pœnis. Tertius ex ieiuniis pro variis mortuis, 1.Reg.vlt.2.Reg.1.2.Reg.3. At verò ieiunia illa erant signum mœstitiæ & doloris, & non expiationis mortuorum: Sed neq; nostri qui asserunt Purgatorium, vnquam imponunt ieiunia pro mortuis, sed bene quidem eleemosynas & missas; ex ieiuniis enim nihil lucrantur Sacerdotes, & monachi. An nõ etiam Achab 3.Reg.21. ieiunauit, non comedens panem præ dolore repulsæ habitæ à Naboth? Ac demum ad Purgatorium controuersum nihil hæc pertinent, sicut nec illud quod Patriarchæ veteres cuperent in terra promissionis sepeliri. Affectus naturalis, ne in aliena terra inter extraneos & infideles quis sepeliatur. Quartus, *Psal.* 37. 1. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.] Furor est in gehenna æterna: ira in purgatorio.] Quintus, *Psal.* 65.12. Transiuimus per ignẽ & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Sextus, *Isa.* 4. 4. Purgabit Dominus sordes filiorũ & filiarum Syon. Septimus, Succensa est quasi ignis impietas, & spinas deuorabit. Octauus, *Isa.* 9. 18. Ne læteris inimica mea, &c. Nonus, *Zachar.* 9.11. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti, &c. Decimus, *Malach.* 3:3: Et purgabit filios Leui, &c.] Fatetur Bellarminus, hæc omnia loca habere etiam alias expositiones, sed aliquos Patres ea pro purgatorio exponere. Si habere possunt alias expositiones, frustra afferuntur: dogmata enim ex talibus locis non stabiliuntur. De Patribus videbimus postea. Nunc generaliter respondeo ad omnia loca Veteris Testamenti, nihil ex illis posse circa Purgatorium hoc nostrum colligi, quia animæ antiquorum iustorum, vt communiter fermè Patres tenent, erant in loco aliquo extra locum completæ gloriæ, & totalis saluationis. De quo postea.

XLIII. Primus locus in Nouo Testamento est Euangelij, vbi Dominus ait *Matth.* 12.32. esse aliquod peccatum quod nõ remittitur, neq; in hoc sæculo, neque in futuro. Hic locus ad purgatorium in priori sensu, quod est purgatorium controuersum, nihil penitus facit. Concludit fortasse post mortem aliquod peccatum dimitti, etiam quoad culpam; sed hinc non sequitur, vt iam monui, dari Purgatorium, in quo animæ, in pœnam duntaxat temporalem crucientur. Possent enim esse in atrijs cœli, in loco fœlici, & nondum in gloria plena, & completa: quousq; peccata illa (profectò semper leuiora) à Deo illis, etiam per intercessionem Ecclesiæ, & quoad culpam, & quoad pœnam remittantur. De quo plura inferius. Hic tamen locus non necessariò conuincit, in alio sæculo peccata remitti; quia Marcus dicit Christum dixisse, peccatum illud nunquam, siue in æternum non remissum iri. Igitur idem est, *neque in hoc sæculo, neq; in futuro*, quod *nunquam*, seu *in æternum*; sicut Matthæum contrario Marcus. Sed ne tantam vim faciat Bellarminus *de Purgat. lib. 1. cap. 4.* in illo futuro sæculo, Dico Christum significare, peccatum illud irremissum mansurum etiam post mortem. Poterant enim homines cogitare, peccata omnia, etiam grauissima, sub Dei vindicta, & ira manere ad summum, vsq; ad mortem peccatoris; & tunc tandem remitti à Deo tale peccatum: quia sæpe in Scriptura veteri, multa grauia peccata morte tandem expiabantur. Hanc Christus tollit cogitationem, & ait, ne morte quidem corporali expiandum esse: sed adhuc post mortem sub ira, & vindicta Dei in perpetuum mansurum. Itaq; neq; in hoc sæculo, neque in futuro, idem est, quod neq; ante corporis mortem, neque in ipsa morte: nam in ipso puncto mortis incipit futurum sæculum. In ipsa verò morte, ac proindè in futuro sæculo multis peccata remittũtur, quæ ante mortem remissa non sunt, & ideo in hoc sæculo remissa non fuerunt; in alio verò seculo sunt remissa, quia in morte remissa sunt, & ita in perpetuum remissa perseuerant. Sensus igitur planus verborũ Christi hic est, peccatum hoc non remittetur in hoc sæculo, quia manet irremissum vsq; ad mortẽ: neq; in futuro, quia post mortẽ adhuc perseuerat irremissum. Et si quis inferat: Ergo in futuro sæculo aliquod peccatum remittitur: Respondeo, in hoc tantũ sensu id sequi, videlicet, Ergo aliquod peccatum quod vsq; ad mortem fuit irremissum, dum in morte remittitur, non manet post mortem irremissum, sed verè est iam remissum. Admissa verò etiam aliqua leuiorum peccatorum post mortem in futuro sæculo, remissione, illa certe cum huius loci intentione non cohærebit; Agitur enim de summa remissionis difficultate; quæ verò in alio sæculo remittuntur, sunt venialia, quæ facillimam habent remissionem: quale non est peccatum in Spiritum Sanctum: & dicere: neq; in futuro remittendũ, est augere difficultatẽ; quod verò grauissimum peccatũ non remittatur in futuro sæculo, non est quid magnum, siquidem si quod ibi remittitur, non est nisi leue & veniale.

XLIV. Secundus locus est, 1. *Cor.* 3.15. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.] Fatetur Bellarminus *lib. 1. c. 5. de Purgat.* locum esse difficilem, idque asserentem producit Augustinum, qui hunc locum ait esse vnum ex illis, quos Petrus dixit in Paulo obscuros esse & difficiles; quomodo ergo vult dogma fidei ex loco obscuro & difficili asserere, & stabilire? Variæ sunt Patrum interpretationes, hoc certum est, & quia variæ, ideo tanto minus virium locus habebit. Sed de Patribus postea. Ego locum dico non posse de igne nostri Purgatorij fictitij intelligi, hoc est, de igne pœnali, & cruciatiuo. Multæ sunt huius loci difficultates, in quibus enodandis libet nonnihil immorari. Metaphora Pauli sumpta ex ædificiorum constructione habet hæc omnia: Architectum siue Ædificatores: Fundamentum, Superædificationem, Materiam, ex qua fiat ædificatio; Probationem ædificiorum per ignem cum detrimento, probationis, & detrimenti manifestationem; Diem talis probationis, & manifestationis, Salutem demum non optimi Ædificatoris, sed quasi per ignem. Singula sunt discutienda.

XLV. Quoad Architectum & Ædificatores, certe de seipso ait Paulus, 1. *Cor.* 3. 10. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.] Neque est cur separemus nunc Architectum ab ædificatoribus, non enim Paulus profitetur solum Magisterium, quasi ipse sit regula duntaxat cæmentariis, ad cuius solius præscriptum sint operaturi: ipse enim etiam est operarius, & cæmentarius: & idem est architectus quod ædificator opere & labore, ait enim: *fundamentum posui*, quod est operari, & non tantũ architectari, & illi superædificatores sunt similiter architecti, quos sane monet ne aliud fundamentum & ipsi ponant, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quod verò ait Paulus, *alius superædificat*, significat se primum fidem Christi in Ecclesia Corinthiaca seminasse; alios verò ei in eadem successisse, tum ipsius discipulos, tum forte etiam Petri, & aliorum Apostolorum: nam erant qui dicerent: Ego sum Cephæ, nisi id exempli gratia protulerit Paulus. Certum est Paulum non se excludere ab illis ædificatoribus, quorum ædificia igne probanda erant, vt melius infra perspiciemus.

XLVI. Fundamentum apertè habemus esse CHRISTVM. Super hoc verò fundamentum firmum, & inconcussum Ædificatores seu Architecti superædificant. Iam videndum est, quid sit hoc *superædificare*: ex quo patere etiam debet, quinam sint Architecti & Ædificatores: sunt qui superædificationem intelligant omnes Christianas actiones, quæ fidei in CHRISTVM superaddantur. Sed certè ad actiones omnes fidelium Paulus non respexit. Reprehendebat enim Corinthios non pro mala vita & peccatis, sed quod in ea parte carnales essent, quod carnali modo etiam fidem susciperent, cum sectis & diuisionibus, dum pro diuersitate Magistrorum, ipsam Ecclesię vnitatem scinderent, & factionibus in schisma ruerent; alij dicebant: Ego sum Pauli, alij, Ego Apollo, alij, Ego Cephæ, &c. Bene videbat Paulus hunc errorem non tam esse vitio vertendū ipsi plebi sic diuisæ, quàm Magistris ipsis, & Pastoribus Apostolorum discipulis, qui factiones hasce fouerent, & quisq; satageret sibi plures discipulos adiungere. Si enim ipsi Corinthiorum Magistri vanis hisce studijs inter se multitudine, & pluralitate discipulorum nō decertassent, schismata illa non increbuissent. Quæ ergo iam Paulus exaggerat in sua ædificij metaphora; planum est huc omnia dirigi, vt Christi ministros & prædicatores modestè officij sui submoneret. Et sicut ponere fundamentum in hac metaphora, est Christum prædicare, ita superædificare non erit à prædicatione diuersum. Quod etiam satis exprimitur in illis Pauli verbis; Ego plantaui, Apollò rigauit; quæ plane prædicationem significant. Superædificatio itaq; non potest esse illa, quæ commendata fuit Petro & Apostolis omnibus, vt ædificarent Ecclesiam; hæc enim super Christum firmam petram ædificatio facta est, & fit conuersione infidelium ad veram fidem. Et in hac ædificatione locum non habet lignū, stipula, fœnum: sed aurum duntaxat, argentum & lapides viui pretiosi, 1. *Petr*. 2. 5. Nam ficti & mali Christiani non manent super fundamento Christo: cui vere non innititur nisi qui fide viuaci adhæret. At verò super ipso stabili & firmo verę & viuę fidei fundamento, Paulus ait aliquos superædificare stipulā, fœnū, lignū, quæ sunt combustibilia, ima re ipsa comburenda, ipso tamen ædificatore saluo. Consideratur igitur hoc loco superædificatio prout nocet, vel prodest; vtilis est, vel inutilis: cum lucro, vel cū detrimento ipsi ædificatori: non Christo, vel Ecclesiæ. Et quia ædificator hoc loco est tantummodo prædicator, ædificatio etiam erit tantummodo prædicatio, in qua tamen Christus secundum perfectam fidei puritatem prædicetur. Quod ex sequentibus adhuc melius patebit.

XLVII. Materia verò ad ædificandum alia est pretiosa atq; durabilis ac igni resistens; alia vilis, non durabilis & igne facile consumptibilis: prior, aurum, argentum, lapides pretiosi; posterior, lignum, stipula, fœnum. Hic rursum si sermo esset de omnibus humanis actionibus cuiuscunq; hominis Christiani, materia pretiosa essent actus boni & virtuosi; materia vilis essent peccata: At certè Paulus hanc suam metaphoram non intendit: non enim loquitur, vt paulò antè explicabam, de omnibus fidelibus, sed de solis Prædicatoribus & Doctoribus: ac præterea mala opera & peccata, nullo modo, ne venialia quidem, dici possunt super fundamentum quod est Christus superædificari. Neq; est vllum detrimentum fideli, quod ipsius peccata igne aliquo consumantur, imo maximum lucrum, ne amplius ei noceant; & tamen Paulus dicit, ex talium operum combustione hominem detrimentum passurum. Augustini *de fide & oper. c.* 15. *& ad Dulcitium q.* 1. *&c.* explicatio est, Opera virtutum, & obedientiæ mandatorum nō esse hoc aurum, argentum & gemmas, de quibus Paulus: sed ea spectare ad fundamentum fidei viuę in Christum, quæ per dilectionem operatur. At verò præter obseruantiam mandatorum dici fideli, *Matth*. 19. 21. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me; ideò hæc alia opera quæ non sunt necessitatis, sed libertatis, esse illud aurum, argentum, gemmas, super fundamentum viuæ fidei; peccata verò quæ non adeo grauia, sed venialia, salua viua fide quotidianæ sunt fragilitatis, & irrepunt, vt euagatio mentis in oratione, amor rerum terrenarum non perfectè regulatus, &c. esse lignum, fœnum, stipulam. Sed hæc interpretatio non quadrat propter supradicta; quibus addo diuersos esse apud Paulum, vt vult etiam Origenes, *in Exod.* eos qui superædificant aurum, ab illis qui fœnum; at verò hæc interpretatio eosdem facit ex vtraque materia ædificare. Sed infra alia quoque hanc infringent interpretationem. Sunt tamen qui doctrinas volunt his significari: vt veritates Euangelicæ sint aurum argentum, gemmæ: doctrinæ verò hominum vanæ, futiles, otiosæ, ad ædificationem nil facientes, sint lignum, stipula, fœnum: At hæc explicatio de doctrinis etsi probabilis sit, aliqua tamen non caret difficultate; Nam tales doctrinæ non superædificantur super fundamentum Christum; sed si futiles sunt, si vanæ, si otiosæ, à fundamento Christo remotas esse necesse est, certè ad fidem & ædificationem non pertinent: ergo neque ad Christum: & superædificationem super fundamentum Christum ego non possum intelligere, nisi quando Christus ipse prædicatur, sed cum aliquo addito: Doctrinæ igitur super fundamentum Christum positæ, si sunt ipsemet Christus; & fides sincera in ipsum, illæ spectant ad fundamentum, vt Augustinus explicabat, & non ad superædificationem: si verò doctrinæ ipsæ neque sunt Christus, nec fides in ipsum, erunt igitur vel contra Christum, vel præter Christum: si contra, erunt falsitates & hæreses: & hæ ad ignem gehennæ pertinebunt, non ad ignem Pauli probatiuum. Si præter, vel erunt falsæ, vel veræ: si falsæ, non sunt super Christum ædificatæ, qui est summa, & prima veritas, *Iohan*. 14. 6. si veræ, sed impertinentes, habent tamen aliquam bonitatem, saltem humanam & temporalem; verum enim & bonum conuertuntur, & consequenter igni non sunt comburendæ, quia tales etiamsi otiosæ sint & inutiles, quoad spiritualia & supernaturalia, tamen neque salutem impediunt. Vt si Concionator, omissa doctrina necessaria fidei nostræ, & solida, totus effundatur in indagando quid faciat Deus in spacio imaginario extra mundū, aut in aliqua quæstione tota Philosophica, quæ ad fidem & ad mores nihil pertineat, persistat; istæ doctrinæ in se non erunt combustibiles, sed neq; super Christum superædificatæ. Ac præterea, etiamsi tales doctrinæ aboleantur, & igne aliquo diuino consumantur, ecquod detrimentum erit concionatori, si tales doctrinæ ad vitam æternam inutiles pereant? Si malæ sunt & igne dignæ, ipsique concionatori perniciosæ, ex ipsarum consumptione detrimentum nullum patietur, imo capiet vtilitatem: at verò Paulus ait, ex tali consumptione eos detrimentum passuros. Dicent detrimentum talibus Doctoribus fore, quia laboris illius quo talia docuerunt iacturam faciunt, quia mercedem pro illo nullam accipient, & potuissent vtiliorem assumere laborē. At hoc detrimentum est commune, etiam illis qui hęreses docent, & contra Christum prædicant: possent enim laborem suum vtiliter & fructuose in sana doctrina impendere: & sic ipsi quoque detrimentum hoc patientur, sed non salui erunt per ignem; quamuis verè ne detrimen-

trimentum quidem sit in vtrisque. Priuatio enim affert detrimentum, non pura negatio: sic cæcus natus detrimentum visus passus est, quia erat capax visus, ideo in ipso carentia visus est priuatio: at verò lapis non patitur detrimentum ex carentia visus: quia illa carentia est mera negatio, quia capax non est visus, neque ei debetur visus. Sic actio docentis futilia & otiosa, habet carentiam mercedis per negationem solam, non per priuationem; non enim actio illa numerica, qua quis docuit inutilia, capax est mercedis æternæ, & ideo nullum detrimentum patitur qui per solam negationem mercede caret. Potuit certè ille facere aliam actionē, docendo salutaria, pro qua mercedem habuisset, & quia non fecit actionem, ideo neq; mercedem habuit; sed hæc quoq; est mera negatio, non priuatio. Sicut in stadio aliquis velox cursu potuit currere & brauium obtinere, noluit tamen currere, & consequenter non habuit præmium negatiuè: sed priuatiue non potest dici iste detrimentum passus, ex carentia primi, quia capax præmij non erat non currendo. Nec detrimentū lucri patiuntur innumerabiles qui mercaturam non exercent, ex eo quod mercatorum lucro destituantur, quamuis aliud opus faciant, sed de se inutile, ac nullius precij. Paulus autem detrimentum ponit priuatiuum in labore, qui idem numero dignus & capax esset mercedis, quia bonus de se sit, & circa obiectum bonum, super optimum fundamentum Christum: nisi aliud ei accideret, vnde pereat. Addo, consumptionem futilium doctrinarum etiam in hac vita fieri, quia illę sępissimè habent, & alios eas redarguentes, & ipsimet auditores sæpe eas respuunt & auersantur: at Paulus in die tantum extremi iudicij suam illam per ignem ponit consumptionem. Denique diuersi sunt apud Paulum qui superædificant stipulam, ab illis qui superædificant aurum; at verò respectu doctrinarum idem Doctor & Christum prædicat, bonamque doctrinam fidei & pietatis corroboratiuam, & intermiscet futiles, & inanes doctrinas: alioquin si solas inanes prædicat, super Christum iste nihil superædificat, licet fide viua in Christum credat, non enim super Christum superædificat, qui credens in Christum aliquid aliud præter Christum docendo ædificat, sed qui prædicando Christū aliquid aliud superstruit. Diuersi ergo sunt, & inter se longe distincti, qui Christū prædicāt cum adiectione auri, argenti, gemmarum; & qui eundem prædicant cum aliquo addito, vnde id quod potuit esse aurum, fit scoria, fit stipula, fœnum, &c. Vtrique ergo Christum prædicant, & ædificant, ponentes Christum in fundamento suæ prædicationis: sed alteris prædicatio ex superadditione fit vtilis, & in suo precio permanens, alteris verò inutilis ac corruptibilis, & in nihilum, quoad ipsorum prædicantium beneficium, redigibilis. Enitar igitur ipse quoque pro mea virili exercitij caussa aliquid in medium proferre. Mihi certum est, Paulum de solis agere Prędicatoribus & Doctoribus: vt præsertim eos modesta admonitione percellat, qui quædam schismata faciebant Corinthi, qui sibi, non Christo laborabant, Christum tamen quoad doctrinā, fideliter & sincere prædicabant. Sed inde aut propriam gloriam quærebant, *Phil.* 2. 21. aut ex inuidia etiam & contentione, *Phil.* 1. 15. ne Paulus magnus magister videretur; aut quæstui ex prædicatione inhiabant. 1. *Tim.* 6. 5. Tales igitur sua viua fide seruabant fundamentum & veram fidem docebāt, sed opus prædicationis ipsorum, dum ipsum Christum prædicant, fit opus vile & abiectum, fœnum, stipula, lignum; ex praua intentione superaddita: quod ipsum opus aliis, qui ex sola charitate & pietate, & pura ac simplici intentione Christum prędicant, aurum est, & argentum, & lapis pretiosus. Solum enim opus prędicationis perpetuo hoc loco à Paulo consideratur & comparatur, dum opus prędicationis ex charitate factum confertur cum eodem alterius opere, aliqua tamen venali vanitate infecto; quod innuit etiā Chrysostomus in hunc locum, *hom.* 8. in ea verba, *Fundamentum autem, &c.* Et hinc, vt patet consideranti, omnes concidunt modo positæ difficultates.

XLVIII. Probatio ædificij per ignem, & cum detrimento ædificatoris, obscura profectò est, & valde difficilis. Augustinus ignē vult esse afflictiones præsentis vitæ, & flagella à Deo immissa, quibus abstergantur homini fideli, & Christū in fundamento viua fide habenti, peccata illa fragilitatis venialia. Non tamen locus Pauli istud tolerat: nam de solis loquitur Paulus Doctoribus, ac de solo opere prædicationis, vt vidim⁹: & ignis ille in Paulo manifestus erit, planeq; publicè omnibus constabit, quis ædificauerit aurum, argentū, gemmas; & quis fœnū, lignum, stipulam. At verò tribulationes & afflictiones pręsentis vitę id nō aperiunt, sunt enim communes bonis & malis: & vix cognoscere possumus cui prosint, cui obsint. Et afflictiones probāt homines, nō probant opera: ignis verò Pauli totus occupatur circa opus prędicationis, nō circa operarios. *Cuius opus arserit, &c.* Et boni etiam saluantur per tribulationes: at verò qui aurū ædificant, nō dicuntur à Paulo saluari quasi per ignē. Cum igitur ignis hic probatiuus sit, meritò plures eū diuinum esse iudicium & examen dixerunt: quod examen & iudicium, illi qui materias varias superædificationis esse doctrinas intelligunt, in ipsarum doctrinarū approbatione, vel reprobatione occupari volunt. Cum tamen Paulum de ipso prædicationis opere, & labore, nos loqui putemus; cōsequēter dicemus, hoc diuino iudicio & examine Deū scrutatorem cordiū, prædicationes ipsas probaturū, vt cognoscat publicè quis Christum prædicando superaddiderit puram & sanctam intentionē ex sola charitate & pietate, ac obedientia: quis vero prauum aliquem affectum & finem superaddiderit, vel propriæ gloriolę, vel æmulationis humanę in Paulum venialisq; inuidiæ, vel cum vehementiori contentione, aut admisto quæstu, &c. Et sic ignis probabit vtriusq; generis ædificia: hoc est prædicationes, bonas quidem illas omnes, qui eundē Christū docuerunt: sed puras alias; alias impuritate intentionis nō bonæ superadditæ mistas. Hoc porrò ignis diuini iudicij examine opus prædicationis ex charitate, quæ est aurū ignitum, probatū, *Apoc.* 3. 18. pia & sancta intentione factū, integrum manebit operanti, nec ei ignis nocebit: resistet enim diuino examini, ne reprobetur, & vt vile absumatur ab igne & reijciatur; quia charitas, pietas, obedientia, &c. in diuino examine rectè subsistunt, & mercedem recipiunt. At verò opus prædicationis ob vanitatē, inuidiam, contentionē, lucrum, &c. igne diuini iudicij consumetur, & in cineres ac fauillas redigetur, quia reprobabitur: & sic vanulus prædicator sui operis & laboris detrimentū capiet, quia mercedē pro illo nullam habebit; *Matt.* 5. 46. recepit n. ille mercedē suā à mundo temporalē, quam quærebat, siue gloriā, siue lucrū, siue quid tale. Et hæc ipsa numero actio, aurum poterat esse, quippe bona ex obiecto, & capax mercedis diuinę, nisi ex superaddita mala intentione corrupta fuisset, ex finis circūstantia.

XLIX. Manifestatio & reuelatio vix à quoquā explicatur, & de hac ait Paulus, vniuscuiusq; opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.] Non dies reuelabitur, sed dies declarabit & reuelabit; opus verò est, quod ab igne declarabitur & reuelabitur ac manifestabitur quale sit, num firmum, an combustibile. Declaratio autem hæc & reuelatio manifesta-

nifestatioq; operis erit profecto publica: manifestari enim, declarari, reuelari significat publicam notitiam; non priuatam; quod enim spectat ad priuatam notitiã, quotusquisque est, qui, vel synderesi remordente, non planè cognoscat suas ꝑprias malas intentiones? Quid quisq; in corde habeat optime ipsemet scit. & spiritus hominis qui est in ipso homine, 1. *Cor.* 2. 11. ac prætereà nemo alius, nisi solus Deus. Ignis igitur reuelator, declarator, manifestator, cum sit examen diuinum, ipse Deus erit suo examine manifestator & reuelator cordis, & intentionis Prædicatorũ, vel malæ vel bonæ. Et sane reuelatione hac ipsi Prædicatores priuatim quisq; pro se nõ indigebit, quia notũ est cuiq; suum cor; reuelatio ergo & manifestatio erit publica, per quam corda Prædicatorum etiam aliis hominibus innotescant, quę ante diuinam reuelationem abdita sunt & occulta.

L. Quando autem futura sit hæc manifestatio, non admodum apertè ponit Apostolus. Dies enim Domini, ait, declarabit. Si Paulus ita scripsisset; certè diem iudicij satis clarè expressisset. Nam dies Domini, & dies illa: in scripturis vtriusque Testamenti vltimum diem iudicij significat. Græcus tamen textus non habet vocem, *Domini*, Dies enim, inquit, declarabit. Tripliciter igitur possumus diem intelligere, vel in hac vita; dies declarabit. id est, tempus erit, cum ista fiet manifestatio. At verò in hac vita, siue loquamur de peccatis hominum, siue de doctrinis, nunquam fit hæc publica manifestatio, vt vniuscuiusq; peccata, & virtutes internæ diuino examine reuelante, pateant; aut doctrinarum falsitas appareat: quot falsi Doctores vsque ad mortem in suis falsis doctrinis perseuerant, & sequaces habent? Quando facta est in hac vita, aut fiet omnis veritatis clara manifestatio; Si ea fieret, non essent totam Ecclesia Christi concertationes. Dies ergo non significat præsentis vitæ hominum tempus vllum. Erit igitur fortassis dies mortis cuiusque? Sed quis vnquam morientis hominis cor, & occulta vidit reliquis hominibus diuino iudicio manifestari? Demus aliquẽ in errore per ignorantiam inuincibilem fuisse educatum: fortasse hic in morte errorem agnoscit. Sed hæc est priuata notitia: Paulus verò, vt dixi, de publica manifestatione loquitur. Superest itaque, vt dies hæc, sit vltima diuini iudicij dies: dies per antonomasiam illa dies, & meritò ab antiquo interprete Latino dicta, dies Domini: tunc enim quisque hominum in anima & in corpore rediuiuus stabit ante tribunal CHRISTI, & subibit igneum illud examen: & tunc occulta cordium à Deo reuelabuntur publicè. Nec de alia potest locus Pauli intelligi.

LI. Saluus tamen erit, inquit Paulus, Ædificator ille, qui super fundamentum Christum etiam lignum, & stipulam, & fœnum superædificauerit; sed saluus tamen erit, quasi per ignem.] Ad nodum iam peruenimus. Hæc pauca verba non bene intellecta, tres graues errores pepererunt. Ita solet fieri, vt cibus maximè nutritiuus, qui plurimum succi boni in se contineat, & plurimum sit substantialis, si in stomachum infirmum, exiguo calore naturali præditum traiciatur, indigestiones ac cruditates generet, & in malos perniciosos q; humores conuertatur, ij tamen qui sunt bono & valenti stomacho, optimum inde capiunt alimentũ. Origeni tribuitur primus error, qui hinc collegerit, omnes homines, & fideles & infideles, tandem post iudiciũ saluandos, quasi per ignem: nam peccata omnia, ẽt infidelitatem, putauit esse lignum, stipulam, fœnũ; quibus igne gehennæ sub tempore combustis transitus fiat per hunc ignem ad salutem. Hunc errorem recensuit etiam Hieronymus *in fin. comment. in Isa.* nec tamen contra eum voluit disputare: sed hoc tanquam secretum diuinæ reliquit voluntati; non quod credibile id putarit, sed quod videretur id non esse diuinæ voluntati impossibile. Cum tamen Paulus expresse ponat fundamentum huius ædificij Christum, cuius fundamenti beneficio saluus aliquis fiat quasi per ignem, non potest esse nisi error grauissimus, infidelibus hoc beneficium tribuere, qui CHRISTVM in fundamento nunquam habuerunt.

LII. Secundus error est idem penitus, sed quoad Christianos: ita vt qui in Christum crediderint, etiamsi grauissima & enormia, ac plurima peccata perpetrarint, eos tamen quasi per ignem saluandos, postquam in gehenna aliquamdiu pro illis cruciati fuerint. Per lignum enim, paleas, & fœnum, peccata omnia, etiam mortalia intelligunt. Eo inclinat etiam Hieronymus, *vbi supr.* vt qui fidem etiam mortuam in Christum habuerint, illius beneficio tandem ex gehenna sint liberandi & saluandi; hoc pium visum est Hieronymo & credibile. Sed est error penitus intolerabilis, contra quem disputat Chrysostomus *in* 1. *Cor. hom.* 9. & ostendit ex scripturis, gehennæ ignem esse perpetuum, & nunquam finem habiturum supplicium eorum, quibus dicetur, *Matth.* 25. *Ite in ignem æternum.* Idem facit sæpius Augustinus, *de fide & oper. cap.* 15. *&c. ex* 1. *Cor.* 6. *&* 13. *Iacob.* 2. *Galat.* 5. 2. *Pet.* 3. *Matth.* 19. *Marc.* 15. *&c.* Chrysostomus verò, quem sequitur Theophylactus, in hunc Pauli locum; per fœnum, stipulam, lignum, intelligit peccata omnia, etiam mortalia: sed per ignẽ intelligit ignem æternum gehennæ: & tunc vt hunc vitet errorem, saluum fore per ignem, interpretatur, vt ferè Græci, in igne illo duraturum saluum, id est, nunquam consumendum: quæ est nimia coactio, vt benè obiicit Bellarminus *de Purgat. lib.* 1. *cap.* 5. Fides enim mortua nunquam quenquam saluabit. Itaq; Paulus, dum ponit fundamentum Christum, procul dubio intelligit veram, & viuam fidem in Christum. Ideo August. per fœnum, stipulam, lignum intelligit peccata sola venialia, non crimina mortalia.

LIII. Tertius error est communis iam nostrorum Scholasticorum, in hoc loco Purgatorium fabricantium, ita vt stipula, fœnum, & lignum, sint peccata venialia in hac vita non dimissa. Quæ peccata, si quis super fundamentum viuæ fidei superædificauerit, & non diluerit viuens, post mortẽ igne purgatorio ad tempus sit ea diluturus & purgaturus: ac postea in locum salutis peruenturus. Contra hunc errorẽ primum est, quod de solis Prædicatoribus hæc dicuntur: at verò Purgatorium nõ est pro solis Prędicatoribus. Secundò, quod ignis hic apud Paulum sit ignis probatiuus, nõ purgatiuus, & probatiuus, non hominis operantis, sed operis: cuius totus effectus apud Paulum, est destruere, & in nihilũ opus ædificatoris, quod ex ligno, stipula, & fœno factum sit, redigere, cum detrimento tamen, & non cum lucro operantis: In operantem verò, seu ædificatorem nulla actio datur igni huic à Paulo. Secus est in igne hoc ficto Purgatorij. Tertiò ignis est iudicium diuinum, quem ignem subibit etiam aureum, argenteũ, & gemmeum ædificium, nedum stramineum. At verò in Purgatorio bona opera non purgantur. Quartò magna est æquiuocatio, in paucis verbis accipere ignem pro diuino iudicio, & postea pro igne materiali, vt facit Bellarminus, *ibid.* Quintò ignis hic probatiuus apud Paulum non operabitur nisi in die iudicij, vt probaui, At ignis Purgatorij non purgat animas, nisi ante diem iudicij (& in die iudicij finem accipiet. Si igitur de Purgatorio loqueretur Paulus, significaret, Purgatorium suum initium in die iudicij duntaxat habiturum. Purgatorium igitur ex hoc Pauli loco colligere summæ est vanitatis. Quid verò Patres de igne Purgatorio sense-

senserint, etiam hunc Pauli locum tractantes, videbimus inferius.

LIV. Iam igitur verum Pauli sensum consequenter ad alias superiores nostras interpretationes, huic dicto de salute per ignem, pro nostra virili, tribuamus Dicit Paulus; Ego prædico Christum, & ipsum solum colloco pro fundamento ædificii spiritualis; & aio, aliud fundamentum doctrinæ fidei non esse collocandum. Quod si quis alius prædicet, & non prædicet illum Christum quem ego prædico, etiamsi *Gal.1.8.* aut ego ipse, aut Angelus de cœlo id fecerit, anathema sit. Sed quia Magistri qui sunt Corinthi, non Christo soli, sed sibi quoque prædicant ipsum Christum, cum sectis & factionibus; neque desunt etiam alibi, neque deerunt qui eundem Christum prædicent; propter inuidiam, & contentionem, & non ex pura charitate, *Philip.1.15.* ideo plane cognosco, & moneo, super hoc fundamentum quod est Christus alios mecum superædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, puræ & sanctæ intentionis, ex charitate, pietate, obedientia, &c. alios vero lignum, stipulam, fœnum, inuidiæ, vanæ gloriæ, quæstus, &c. Veniet tamen dies vltima extremi iudicii, in qua iudicabit Dominus occulta cordium, *Rom.2.16.* & tunc igne diuini publici iudicii probabuntur mentes & intentiones prædicantium Christum, & quidem pietas & charitas, tanquam aurum manebunt, & à diuino iudicio comprobabuntur, & mercedem accipient. Mali autem & non bene recti affectus eorum, qui Christum prædicarunt ex inuidia, vanagloria, æmulatione, vel ad quæstum, & similia humana ac temporalia consilia; in illo igne diuini iudicii reuelabuntur, reprobabuntur, se penitus euanescent, & mercede destituentur, quia suæ prædicationis receperunt in hac vita mercedem temporalem quam quæsierunt, propriam sensus sui satisfactionem. Hi sane recipient quidem æternæ salutis bonum, & gloriam essentialem, quia Christum vera & viua fide prædicauerunt. Bonum enim est vt Christus annuncietur, siue per veritatem, siue per occasionem; *Philip.1.18.* detrimentum tamen patientur, quia labores illi speciales prædicationis, qui alioqui fuissent magno gloriæ augmento accidentali à diuina benignitate compensandi, peribunt, consumentur, comburentur; & ipsi tales prædicatores hoc gloriæ augmento priuabuntur, quod habuissent, si ex pietate pura & charitate sincera Christum annunciassent. Salui igitur erunt, sed quasi per ignem, vt illi qui ex igne euadunt nudi, quorum vestes erant combustibiles: non sic illi, quorum vestes non erant combustibiles, illi enim vestiti euadunt absque vllo detrimento, & feruunt secum integros prædicationis suæ labores.

LV. Vbi ergo Paulus ait, hos quasi per ignem saluandos, particula illa, *per*, non significat causam, quod ignis sit causa quæcunque illorum salutis, sed significat effectum per similitudinem, *quasi per ignem*, id est, ad modum eorum qui combustibilibus vestibus induti per ignem transeunt, talibus enim ignis non est causa salutis, sed est periculum interitus: est tamen ipsis causa nuditatis, saluantur enim ne ignis illos deuoret, sed nudi euadunt ad salutem: & ignis ille causa est eorum nuditatis, non salutis. Salutem enim habent a fundamento æque isti lignorum ædificiorum, ac stramineorum fabricatores, atque illi qui ex auro & argento ædificauerunt: sed hi posteriores euadunt ad suam salutem vestiti, cum integris & saluis suæ prædicationis laboribus, qui mercedem peculiarem habebunt: illi vero priores ad suam salutem euadunt nudi, transeuntes enim per ignem diuini iudicii laborum suæ prædicationis iacturam fecerunt, & peculiari pro illis laboribus mercede sunt priuati, in qua priuatione huius peculiaris mercedis detrimentum patiuntur per veram priuationem, quia illi labores capaces erant mercedis, ex suo genere, & ex obiecto, nisi circumstantiæ superaddita eos inquinasset: quod detrimentum non patiuntur illi qui vestiti euaserunt, cum vestibus, quas ignis diuini iudicii non consumpsit, sed integras reliquit. Vtrique igitur per ignem saluatur, sed quasi per ignem salui non dicuntur vtrique. Salui enim quasi per ignem sunt illi soli qui ex igne euadunt nudi, ad modum eorum qui ex incendiis huius mundi corporalibus, vbi omnia vestimenta sunt combustibilia, euadunt: ideo qui aurea & gemmea habent vestimenta, non saluantur quasi per ignem, quia non effugiunt nudi cum vestimentorum detrimento: sed optime vestiti, nec vllum incendii quod euaserunt signum ferunt secum, sicut alii.

LVI. Quoad culpam vero & pœnam, peccatis illis venialibus vilis intentionis in prædicando, debitam, quia peccata leuiora sunt, non crimina, supponit Paulus, veniam à Deo dari in hac vita per remedia ordinaria, in alia vero vita, ac præsertim in vltimo iudicio nullam eis addit poenam positiuam, nisi negatiuam, illud nempe detrimentum laborum, & augmenti gloriæ quam habuissent, si non adeo nudi, sed vestiti diuinum iudicium euasissent. Requiritur ergo diligenter, *inquit Origenes, in Num. hom. 15.* cum abierimus illuc, quid vnusquisque nostrum deferat, & secundum ea quæ detulerit, secundum quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam mansionis ei meritum deputabitur: Probantur tamen omnia hæc, quæ per ignem, per ignem, quæ per aquam, per aquam. Vniuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit.] Locus itaque Pauli, qui fundamentalis est nostro Purgatorio, nihil minus probat quàm nostrum Purgatorium.

LVII. Obiicit Bellarminus primo: Post hunc diem aliqui purgandi sunt per ignem; at post vltimum diem iudicii hoc non erit. Respondeo, nihil hic de purgatione per ignem haberi, sed in ipso extremo iudicio imperfectos illos Prædicatores. per ignem diuini iudicii mansuros nudos, quoad laborem duntaxat prędicationis, illiusque peculiarem mercedem, vt explicaui: & saluandos, sed cum detrimento explicato, & non sine mora aliqua, & pudefactione, quam animæ expectant in corporis resumptione: quæ mora & pudefactio non continget illis qui sine adustione transibunt per ignem: Aliud est, *inquit Cyprianus, lib. 4. ep. 2.* pendere in die iudicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.] Obiicit secundo: Sequeretur nullum Sanctum ingredi in cœlum, nisi post vltimum iudicium. Respondeo, de nudis animab. extra corpus, post mortem, & ante resurrectionem paulo post esse disputandum. Interim verissimum esse & omnino necessarium, vt nullus sanctus homo (homo autem constat anima & corpore) in cœlum ingrediatur, nisi post illum diem, quo plena erit & completa salus: & de hac plena, & completa salute loquitur Paulus. Obiicit tertio, *Reuelatur* poni in præsenti, non in futuro, *reuelabitur*. Respondeo sensum Pauli esse in continuata metaphora, res igne probari, ac in igne ostendi & manifestari quid sit combustibile, quid non, quid resistat igni, quid non: reuelatio ergo hic est operis non diei. Dies ergo Domini secundum vulgatam, seu dies absolute, est vltima iudicii dies. Ignis vero hic est perpetuo ipsum diuinum iudiciale examen. Et reliqua, vt hæc iam explicata. Quod si ad doctrinas locus Pauli extendatur, quod vt probabile relinquo, inde ego non immerito possem eos consulari, qui citra veram & formalem hæresim, aut

voluntarium schisma, bona, aut saltem non mala fide, stabiles in fundamento Christo, aut se ipsos, aut etiam alios docent aliqua quæ ad amussim cum Scriptura non concordant, sed aliquo modo in doctrinam & disciplinam irrepserunt; & talia puto nonnulla ex vtraque parte in modernis controuersiis reperiri; qui enim talia docent, vel sentiunt, supra fundamentum Christum, ligna, fœnum, stipulam superædificantes, in extremo iudicio salui erunt, sed quasi per ignem, quia errores qui neque hæreses sint, nec schisma faciant, diuino iudicio reprobabuntur, & nudi relinquentur, cum salute quidem essentiali, quia Christum annunciarunt, sed cum detrimento augmenti gloriæ quod habuissent, si super fundamentum Christum aurum, argentum, lapides pretiosos, puram doctrinam, & sinceram superædificassent, & non ex animi obstinatione, ex vanitate victoriæ contra alios, ex humanis consiliis, ex temporali aliquo respectu, studiorum suorum sacrosum, ac prædicationum, & scriptionum labores pendere voluissent. De secundo loco, qui est maxime præcipuus, iam satis.

LVIII. Tertius locus item ex Paulo 1. *Corin.* 15. 29. Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Vt quid baptizantur pro illis?] Baptizari pro mortuis intelligit Bellarminus flere, & pœnitentiam agere. Igitur pro mortuis fiebant orationes, & satisfactiones. Respondeo primo hunc etiam locum esse obscurissimum, & plures habere interpretationes; nam quinque affert ipsemet Bellarminus *ibid. cap.* 6. ex Patribus, quæ ad Purgatorium nihil faciunt, ne remotè quidem. Prima enim interpretatio Tertulliani, quæ est omnium probabilissima, ac minime violenta, nullam habet cum Purgatorio conuenientiam, licet illam quoque suo Purgatorio fauere dicat Bellarminus. Erant enim Christiani Corinthii qui cupientes suis consanguineis, vel amicis gentilibus, in gentilismo mortuis, prodesse, pro illis baptizabantur; non puto quidem per Ecclesiæ ministrum, qui bapt zatum non amplius baptizasset; sed inter se. Ex hoc, licet error esset, colligit tamen Paulus argumentum, ad eos conuincendos de futura resurrectione, de qua dubitabant, vt patet ex eodem Pauli *cap.* 15. 1. *ad Corinth.* non tamen dubitabant de animæ immortalitate, Athei enim fuissent, & à Christiana religione abhorruissent, neque inter Christianos fuissent admissi, neque mortuorum curam egissent. Et Paulus in eo capite totus est, vt confirmet fidem resurrectionis humanæ, non immortalitatis animæ. Nam neque vllum Pauli argumentum ad immortalitatem tendit, sed duntaxat ad resurrectionem, quæ dura visa est multis etiam Hebræis, qui ex secta erant Sadducæorum, nedum Gentilibus. Argumentum itaque Pauli ad istos est; vos, licet errantes, putatis fratribus vestris mortuis Baptismo vestro prodesse, perinde ac si ipsi baptizarentur; est anima sola non baptizatur, sed homo, & ad homines saluandos institutus est Baptismus, & ita Baptismi beneficium homo, & non nuda anima absque corpore suscipit; Ergo hic ostendiris, fratres vestros esse resurrecturos, siquidem speratis baptismale beneficium vos eis communicare: ita vt cum resurrexerint, beneficium sentiant baptizatorum. Quapropter etiamsi non errarent, sed verum esset, talia Baptismata mortuis prodesse, cum Paulus beneficium hoc non tribuat animæ separatæ, sed corpori denuo coniunctæ, id est, toti homini, vt infernus pluribus confirmabo, hoc ad animæ in purgatorio positæ beneficium nihil spectat. Respondeo secundo; hoc posito, sed non concesso, etiamsi animæ separatæ inde aliquid acciperent adiumenti, id totum esset ad peccatorum potissimum mortalium, quoad culpam, remissionem;

& sic Purgatorium in priori illo suo proprio sensu sumptum ab hoc nihil penitus haberet confirmationis.

LIX. Quartus locus: *Mat.* 5. 25 *& Luc.* 12. Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.] Hic multa Bellarminus *Bellar. ibi c.* 7. de aduersario, de iudice, de tortore, de carcere, de quadrante. Facile tamen & paucis locum tentio. Primo, quia Chrysostomus *in* 5. *Matth.* de iis quæ homini debitori in hoc mundo coram homine iudice contingunt, & non de alia vita, explicat. 2. Quia si de alia vita sit intelligendus, ad pœnas æternas gehennæ, vt vult Augustinus, *de serm. Dom. in monte l.* 1. *c.* 21. potest pertinere, & illud, *donec soluas*, non significat finem solutionis, sicut neque illa verba Euangelii; *Non cognouit eam donec peperit*, non significat finem temporis, quo B. virgo non est cognita carnaliter. Ita in Psalmo 109. 2. *&* 1. *Cor.* 15. 25. dicitur Christum sessurum à dextris Patris, donec ponantur inimici eius scabellum pedum ipsius: illud, *donec*, non est finis sessionis à dextris, & fert secum æternitatem. Obiicit Bellarminus, ex illo, *donec ponam*, non licere quidem inferre: Ergo non sedebit amplius; sed licet inferre, imo necessario inferendum est, aliquando ponendos esse inimicos sub pedibus, &c. Ita, *donec soluas*, si non concludit aliquando exiturum, concludit aliquando soluturum. Respondeo, mihi satis esse quod ex vi verbi illius, *donec*, non possit colligi finis exitionis; an vero sit secuturum id quod sequitur, vel non, aliunde petendum est, & non ex verbo *donec*, vt partus Virginis erat omnino secuturus & finiturus, patere enim est actio transiens, & dictum est ei à Deo, Concipies & paries. Subiectio vero inimicorum, quia significat rem subsistentem, non actionem transeuntem, & ita subsistentem, vt incipiat quidem illa esse, sed nunquam desinat. Sic pœna pro peccatis dicitur solutio metaphoricè, & quando pœna est temporalis, solutio tandem finem habet; si vero pœna est æterna, etiam solutio est æterna. Veniet ergo solutio tunc, quando in gehennam peccator intrudetur; at in illa solutione in perpetuum permanebit. Quod vero ait Christus; *vsque ad nouissimum quadrantem*, est modus loquendi, ad significandum, nullam veniam, nullam condonationem intercessuram; & quia nunquam ad nouissimum quadrantem veniet persoluendum, nunquam solutio illa finem habebit, neque nouissimus ille quadrans considerandus est in sui exiguitate, sed vt pars aliqua magni illius debiti, propter quod meruit ille carcerem. Tertio, quia in hac quoque vita similitudo illa potest tota verificari, vt contendit Ambrosius in hunc locum, ita vt per pœnitentias, & satisfactiones, voluntariasque punitiones fiat totius pœnæ Deo debitæ solutio, ex benigna ipsius acceptatione; & sic carcer erit ipsa obligatio qua quisque Deo astringitur ad pœnam pro peccatis luendam; qua persoluta peccator ex ea obligatione, tanquam ex carcere exit, obtenta remissione.

LX. Quintus locus est, *Matt.* 5. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit Concilio — qui dixerit, fatue reus erit gehennæ ignis.*] Hoc est vere emendicare loca scripturæ pro stabiliendo Purgatorio, tametsi nihil ad rem faciant: argumentum summæ inopiæ. Sunt quædam peccata, inquit Christus, quæ reum faciunt iudicio, vt irasci fratri. Sunt quæ reum faciunt Concilio, vt qui fratri dixerit, raca; Sunt & quæ reum faciunt gehennæ ignis, vt qui dixerit fratri, fatue. Quid inde? Gehenna, inquit, Bellarminus *de Purg. l.* 1. *c.* 8. est pœna damnationis æternæ pro grauibus criminibus, reliquæ verò pœnæ sunt leuiores, ergo temporales, pro leuioribus peccatis, hoc est, venialibus; Ergo in alia vita aliquæ animæ puniuntur pœnis temporalibus.] Quæ collectio est ista? Non possunt in hac vita infligi illæ pœnæ

pro leuioribus? Quid si, *inquit*, moriatur repente? At simplex gemitus breuissimus intimi cordis illa delet. Et *Prou.* 24.16. iustus septies in die cadit, & resurgit; & mors ipsa repentina solet Deo esse vltima pœna pro leuioribus. Rursus peto, quomodo colligatur hoc loco distinctio criminum, & venialium, ac proinde pœnæ æternæ & temporalis? Cur iudicium & concilium significabunt pœnas temporales? Quomodo verbum, *fatue*, erit crimen æterna pœna puniendum? Dabo tamen ego huius loci explicationem quam innui *lib.1.cap.12. num.39.* Voluit Dominus iustitiam & innocentiam Christianam esse longe maiorem, quam erat iustitia & innocentia, quam docebant & profitebantur Scribæ & Pharisæi; illi cauendum esse docebant à criminibus grauibus, homicidio, adulterio, &c. in re & opere perpetrandis: At Christus coràm Deo peccatum esse docet etiam odium in fratrem, licet non exeat vsque ad homicidium, & à Deo impunitum non relinqui. Illi pœnam iudicij ordinarij aduersus homicidam minabantur: Christus pœnas grauiores minatur etiam odio interno, & tanto grauiores, quanto magis ad externa erumpat, licet ad percussionem & occisionem non perueniat. Dictum est, inquit, antiquis; Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis aliquid amplius, neque odium concipere in animo contra fratrem licere (irasci enim hic intelligitur ex odio) & qui id fecerit reus erit iudicio coram Deo, vt det pœnas saltem temporales in hac vita, vel spontaneas, vel iniunctas, vel coactas. Si tamen ira interna in motum aliquem incongruum eruperit, & se manifestauerit, tunc maius peccatum erit odij iam in signa prodeuntis, & consequenter ille reus erit Concilio; sicut enim in Republica Hebræorum delicta ordinaria à iudicibus ordinariis in singulis ciuitatibus iudicabantur, & pœna legali puniebantur; extraordinaria vero, & grauiora Hierosolymam ad Concilium, dictum Synedrion, deferebantur, *Deut.* 17.8 & grauius item puniebantur; sic Christus hosce gradus coram Deo, per similitudinem ad iudicia externa Hebræorum, distinguit; vt ita interna suum iudiciû coram Deo sit sensura; maius verò si prodeat & manifestetur; maximum autem si addantur iniuriæ aliquæ: quæ tamen omnia sunt homicidio multo inferiora, sed tamen ad homicidium præparatoria. Et omnia sane de se peccata mortalia, leuiora tamen quam crimina, & pœna æterna digna, nisi expientur, facile tamen expiantur, vt docui, *cap.7 præcedenti.* Nihil igitur hic habemus de Purgatorio, nihil de pœnis venialium, nihil de reliquiis pœnarum pro alia vita. Quod si etiam aliquid tale haberetur, & expresse locus assereret, peccata aliqua leuiora manere posse post mortem, & post mortem remitti, iam monui ad nostrum Purgatorium hæc nihil facere.

LXI. Sextus locus est, *Luc.16. 9. Facite vobis amicos — vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Hic nimium prompte affirmat Bellarminus *vbi supr. cap.8.* per *deficere*, omnes intelligere, *mori*, & per amicos intelligere, *sanctos*, qui cum Christo regnant; vnde vult sequi, homines post mortem iuuari precib. Sanctorum. Miror vero qua animositate Bellarminus Augustinum *de ciuit. Dei lib.21.c.27.* inter alios in hanc ipsam sententiam trahat: Augustini verba sunt; Sed quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediût perventionem ad Regnum Dei, vt tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficilimum est inuenire, periculosissimum definire. Ego certè vsq; ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui.] Cardinalis tamen noster, nondum purpura circundatus, sed adhuc pullatus cum esset, neq; difficile censuit, suum Purgatorium hic inuenire; neq; periculosum definire: imo se cum Augustino hoc eodem loco purgatoriû astruere profitetur. Asserit profecto Augustinus, eleemosynas efficere, vt aliquis pro aliquibus peccatis, Sanctorum (qui sint adhuc viui intelligit) intercessione veniam obtineat; & in genere tale beneficium intercessionis nô posse expectare eos, qui criminibus sunt irretiti; sed pro quibus peccatis talis eleemosyna & intercessio seruiat, quomodo sancti recipiant in æterna tabernacula, quomodo id fiat post mortem, id sibi ait esse ignotissimû. An vero hoc loco Augustinus Purgatoriû agnouerit, & collocarit, quod affirmat Bellarminus, videbimus postea. Et hoc mirabile est, quod dedita opera videatur obscurissima ac difficillima loca pro Purgatorio astruêdo collegisse, vt quia ignotû passim sensum habent, facilius persuadeat simplicibus, illa Purgatorium in se continere. Certè si literam huius loci vult sequi, tenetur dicere, fidelib. fraudandum & furandum esse, indeq; eleemosynas faciendas, vt illi, qui forsasse eleemosynis eorum deliciantur, luxuriantur, & hoc mundo fruuntur, vt sunt multi presbyteri, & monachi nostri temporis, eos post mortem recipiant in æterna tabernacula.

LXII. Vt autem melius hunc locum Euangelicum è Purgatorio liberem, enitar cum diuina gratia illum quoq; elucidare. Mihi videtur cum cômuni, Christus eleemosynam commendare, & vnam ex maximis eius vtilitatib. per parabolam explicare. Ea vero esse videtur explicatio: Erogate aliquid Ecclesiæ ex bonis terrenis, quæ nô sine aliqua iniquitate acquiruntur ordinarie. Qui enim diuites volunt fieri, incidût, &c. *1.Tim.6.9.* ad fratrum pauperum sustentationem, (hoc exactissime postea præstiterunt illi, quorum Hierosolymis erant omnia cômunia, proiectis eorum pecuniis ad pedes Apostolorum, *Act.4.32.*) vt cum defeceritis, id est, pro quotidianis peccatis Deo, vt supra per opera pœnalia vestra non satisfeceritis, & pro remissione eorum nihil ex propriis habueritis, Ecclesia ipsa, illis fratribus qui ex vestris sustentâtur eleemosynis, maxime constâs, sua charitate, suo gemitu columbæ, vobis veniam impetret & remissionem, per quam recipiamini in æterna sanctæ ac puræ Ecclesiæ tabernacula, prius in terra militantis, deinde in cœlo triumphantis. Et sic tota intercessio, & tota remissio est in hac vita præsenti. Addo, si quid haberet hic locus circa peccatorum aliquorum post mortem remissionem, ad Purgatorium nostrum id nihil facturum, vt iam non semel monui.

LXIII. Septimus locus est *Luc.23.42.* Memento mei dum veneris in Regnum tuum. Bellarminus vult latronem petere remissionem peccatorû, & iuuamen post mortem, quia Augustinus *cont. Iulian. l.6.c.5.* id ita sentit & docet. Sed bonus latro mihi videtur petiisse præmium & locum in gloria: quia vero id maxima fide in Christû petiit, qui Regem esse fatebatur hominem in patibulo pendentem, & se futuræ vitæ spe subleuabat, ideo obtinuit, & peccatorum remissionem quam non petebat, & locum in gloria, quem petebat. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Haberi vero in Regno Christi remissionem peccatorum nunquâ diceret Augustinus, qui sic eodê loco loquitur. Cur autem in Regno nulla peccata remittit Deus filiis suis, nisi quia non inuenit quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, vbi, &c.] Dicit quidem in transcursu, peccata remitti in alio sæculo, quia Christus dixit, quędam peccata non remitti, neq; in præsenti sæculo, neq; in futuro: & quia latro dixit: *Memento mei, &c.* Sed statim aduertens se rem difficilem asseruisse, addit: De qua re quoniam profundissima quæstio est, non est modo præcipitanda sententia.] Et certe neuter locus conuincit peccata remitti post

mortem, vt iam probaui. Quod si etiam verum esset, non propterea haberemus Purgatorium illud quod proponitur à nostris, & propugnatur.

LXIV. Octauus locus: *Act. 2. 24. Quem Deus suscitauit solutis doloribus.* Hoc est, inquiunt, liberatis multis à cruciatibus inferni, non certe ex damnatis, qui nunquam liberantur; neque ex Lymbo Patres, quia ibi non cruciabantur. Ergo ex Purgatorio.] Quomodo locum hunc interpretentur Patres, non est hunc discutiendum; nam de Patrum sententia circa statum animarum post mortem ante resurrectionem, & circa peccatorum post mortem remissionem, seorsim erit nobis pluribus disputandum. Quicquid ergo illi de hoc loco sentiant, nobis satis sit locum hunc non cogere, vt ad liberationes animarum ex pœnis, siue damnatorum, siue purgatorum deueniamus. De solo enim Christo totus locus debet intelligi, & explicari, eum videlicet deuictis mortis doloribus (non enim textus Græcus habet inferni, sed mortis) ad vitam rediisse. Quod si velimus retinere verbum *inferni*, certe infernus hoc loco nihil aliud erit, nisi sepulchrum; sæpe autem sepulchrum mortem ipsam significat: & est synonymum cum morte, vt in illo Isaiæ 38. 18. *Non infernus confitebitur tibi, neque mors, &c.* Itaque, *solutis inferni doloribus*, idem est, quod deuicta morte, CHRISTVM vitæ immortali restitutum, & hoc declarant satis verba sequentia, *iuxta quod impossibile erat teneri eum ab illo*, id est, ab inferni doloribus, id est, à morte & sepulchro; nam & statim Petrus Psalmi Prophetiam *Psal. 15. 10.* ad hoc protulit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, id est*, in sepulchro, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, &c.*] Certe Augustinus *epist. 99. & de Gen. lib. 12. cap. 33.* ex hoc loco putauit, Christum aliquas animas ex ipso inferno damnatorum eripuisse.

LXV Nonus locus *Philip. 2. 10. Omne genu flectatur — & infernorum.* Decimus *Apoc. 5. 3. Nemo inuentus est, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, &c.*] Quoniam tamen vtrumq; hunc locum parum vrgere fatetur Bellarminus: non est in iis tempus terendum, & sic Purgatorium omnino asserimus nullum penitus in sacra Scriptura, ne remotum quidem, habere fundamentum. An vero Concilia & Patres fuerint adeo incauti, vt nullo Scripturæ ductu Purgatorium ponere, vel admittere voluerint, videndum est in sequentibus.

LXVI. Equidem obseruo tum in Conciliis, tum in Patribus frequenter admodum occasionem se obtulisse de venia peccatorum, & purgatione coram DEO differendi, vbi Purgatorium commodissime cecidisset, & nihilominus ne indicia quidem vlla de ipso minima protulerunt. Origenes *in Leuit. hom. 9.* duos ignes Purgatorios ponit, vnum de altari, qui purgauit Aaronem, *Leuit. 16. 22.* purgauit labia Isaiæ, *Isai. 6. 6.* & alios adhuc viuentes: alterum qui non fit de altari, sed fit ignis perpetuus peccatorum: *Isa. 66. 24.* fluuius ignis gehennæ. *Dan. 7.* Neuter horũ est ignis nostri Purgatorij. Et rursus idem Origenes *ibid. ho. 14.* Purgatoriũ in hac vita tantũ ponit in voluntaria pœnitentia. Vnde, & nunc, *inquit*, si quis forte nostrum recordatur in semetipso alicuius peccati conscientiam; si quis se obnoxium nouit esse delicto, confugiat ad pœnitentiam, & spontaneum suscipiat carnis interitum, vt expurgatus in præsenti vita spiritus noster, mundus & purus pergat ad CHRISTVM.] Aliam purgationem vix agnoscit pro alia vita.

LXVII. Cyprianus *tract. contr. Demetr.* Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.] At certe si Purgatorium est, illud nihil aliud continet, nisi effectus satisfactionis. Sed duplex imaginatur Bellarminus *de Purgator. lib. 1. cap. 13.* genus satisfactionis; alterum ante iustificationem de congruo pro culpa, alterum post iustificationem de condigno pro pœna. Et dictum Cypriani accipit pro priori satisfactione. Ego vero *cap. septimo præcedenti* satis probaui, & apud Cyprianum, & apud omnes Patres non esse nisi vnicum genus satisfactionis, tam in pœnitentia sola interna, quam etiam Ecclesiastica externa, quo, neque de condigno, neque de congruo, sed ob solam necessariam dispositionem, datur peccati venia simul & pro culpa, & pro tota pœna. Et quia hæc sola satisfactio datur, & semper præcedit culpæ remissionem, consequens est, quod tota satisfactio fructuosa fiat in hac vita, & nulla relinquatur pro alia vita; & hoc est præsens dictum Cypriani.

LXVIII. Siricius Papa *ep. 1.* Purgatorium, seu purificatorium ignem posuit in pœnitentia, quæ in hac vita iussu Ecclesiæ fiat: monachas enim lapsas retrudit, quatenus, *inquit*, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere.] Et non nisi ad mortem dandã eis esse absolutionem definit: Qui purgatorium ignem vocat in hac vita pœnitudinem; nescio an alium ignem purgatorium in alia vita sit admissurus.

LXIX. Epiphanius *hær. 59* ait: In futuro sæculo post hominis mortem, non ieiunij suppeditatio, non pœnitentiæ vocatio, non eleemosynæ ostentatio, — sic neque pietatis, neq; pœnitentiæ suppeditatio, quemadmodum dixi, post mortem est. Non enim Lazarus venit illic ad diuitem, neque diues ad Lazarum. Neque Abrahã dimittit spolia, vt ditescat pauper postea. Neq; diues accipit quæ perit, etiamsi magnis precibus misericordem Abraham roget. Obsignata enim sunt promptuaria, & impletum est tempus, & certamen perfectum est, & euacuatum est stadium, & coronæ datæ sunt: & qui decertarunt, quiescunt: & qui non peruenerunt, discesserunt: & qui non decertarunt, non amplius adsunt: & qui in stadio victi sunt, eiecti sunt, & omnia palam consummata sunt, post factum hinc discessum.] Abruptum penitus commercium post mortem audio, non solum inter Lazarum, & diuitem, sed etiam omnino inter Sanctos, & eos qui non sunt in ipsorum consortio; neq; Abraham amplius subuenit ibi egentibus, quod verum nõ esset, si Sancti subuenirent iis qui sunt in Purgatorio. Duos duntaxat animarum status inter se extremos recenseri certo, & quod maximè in hoc Patre obseruo, obsignata sunt promptuaria, non patet amplius exitus, & hoc statim post mortem. Impletum est tempus, nulli ergo certi præfixi cuiquã anni in Purgatorio; coronæ datæ sunt, non ergo eas expectent vlli, & consequenter in Purgatorio nemo est, qui sit postea coronandus. Omnia consummata sunt, ergo non supersunt pœnæ temporales post aliquod tempus consummandæ; & post factum hinc discessum nihil relinquitur absoluendum.

LXX. Augustinus, *de Eccl. dogm. c. 78.* vbi satis minute dogmata Ecclesiastica colligit, non nisi duos status animarum post mortem ponit, etiam ante vltimum diem extremi iudicij: Ipsius dogma tale est: Post ascensionem Domini ad cœlos, omnium Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore, ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, vt ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ in Inferno sub timore positæ, expectãt resurrectionem sui corporis, vt cum ipso ad pœnam detrudantur æternam.] Cum itaq; Autor hic diligenter in eo opere enumeret

Ecclesiæ

Ecclesiæ dogmata, & de Purgatorio, hic præsertim vbi maxime proprius erat ipsius locus, nullam fecerit mentionem; planum est purgatorium eidem plane fuisse ignotum. Quæ vero pro ipso Purgatorio solent afferri, postea discutientur.

LXXI. Leo Papa quid potuerit de Purgatorio, quid de Indulgentiis pro mortuis sentire, facile quisq; diiudicabit, qui illud apud ipsum legerit, *ep.* 59. Si autem aliquis eorum, *inquit*, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusq̃ ad constituta remedia perueniat, temporalem vitã humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusq; discutere: cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauerit: Ita potestatem suam timeri volens, vt hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem Sacerdotali supplicatione soluatur.] Mihi hæc à Purgatorio, & Indulgentiis post mortem videntur esse valde remota. Vbi etiam obseruo, absolutionem, hoc est reconciliationem Sacerdotalem nõ esse actum Sacramentalem, sed supplicatione & precibus constitisse.

LXXII. Aquensis quoque, seu Aquisgranensis Concilij sub Rege Pipino, Ludouici filio, Patres, vbi de vindicta, hoc est, de pœnis peccatorum decernunt, ita scribunt: Tribus itaque modis peccata mortalium vindicantur: duobus in hac vita, tertio in futura vita. De duobus ita Apostolus inquit: Si nosmetipsos iudicaremus, à Domino non iudicabimur. Hæc est vindicta, quam inspirante Deo, omnis peccator pro suis admissis pœnitendo in seipso vindicat. Quod autem prosecutus idem Apostolus infert: Cum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur: hæc est vindicta, quam omnipotens Deus misericorditer peccatori irrogat iuxta illud: Deus quem amat corripit. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Tertia autem exiat valde pertimescenda atque terribilis, quæ non in hoc, sed in futuro, iustissimo Dei iudicio, fiet sæculo, quando iustus Iudex dicturus est: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*] Erat ne hic locus omittendi Purgatorij? & non sunt nisi tres modi luendi pœnas pro peccatis, duo in hac vita, & vnicus in futuro sæculo in igne æterno. Ac sane omnes insignes Ecclesiæ Sanctæ Patres & Doctores hoc Conciliũ præcesserũt, quorum si aliquis Purgatorium posuisset, id Concilium hoc omittere non potuisset. Sed plane hinc constat, commentum Purgatorij nostri; eo tempore nondum è putridis cerebris erupisse.

LXXIII. Nihilominus tamen, cum nostrates Theologi commentum hoc tanquam ordini nostro hominum Ecclesiasticorum summopere proficuum; tuendum per fas & nefas susceperint, & ex Scripturis opem non haberent, ex Patribus & Conciliis putidisque nescio quibus humani ingenioli rationibus, protectiones emendicare sunt conati. Quidni conarentur? Purgatorium profecto nostras ditauit, & in dies magis ditat Ecclesias. Abbatiæ opulentissimæ, Prioratus, Præposituræ, virorum & fœminarum, beneficio Purgatorij vt plurimum suas habuerunt fundationes. Purgatorium ingentia prædia, hæreditatesque peramplas à laicis ad nostros transtulit, ingenti cum dolo, sacrificulos & monachos: Purgatorium sumtibus his ipsis exhibet delicias quotidie, & ad omnem luxum commoditates suppeditat non exiguas. De his enim verissimum est alicubi prouerbium, eos fœdare viuos, mortuos deuorare. Ex Purgatorio D. Papa & Cardinales sui maximis affluunt delitiis, siue ex Commendis magnorum monasteriorum, Purgatorij nomine fundatorum, siue ex indulgentiis pro mortuis, siue ex donariis legatisque moribundorum. Atque ita purgatorium solum pene nutrit abunde, & magnos, & paruos, & vel ipsis clericulis officium mortuorum recitantibus sua porrigit munuscula. Nec mirum quod tot tantaque sint Purgatorij emolumenta. Summa enim nostra Ecclesiasticorum arte factum est, vt in Purgatorium tandem omnia reducantur. Culpæ duntaxat remissionem per absolutionem Sacramentalẽ Christianis prædicamus, pœnas temporales relinqui serio & seuere inculcamus. Difficultates magnas plene satisfaciendi in hac vita exaggeramus, & *Purgatorium*, *Purgatorium* inclamamus, vbi amarissimis, & diutinis pœnis animas cruciari persuademus. His miseri homines perterriti, vbi iam se morti propinquos sentiunt, vt pœnas imminentes in Purgatorio redimant, quicquid possunt legant Ecclesiis, & monasteriis, vt Missis & precib. eos quam primum liberent. Quod si quis ista contempserit, & nullis aut exiguis factis legatis piis decesserit, adsunt Presbyteri, adsunt monachi, adsunt Confessarij, obtundunt aures vxoris viduæ, fratrum, filiorum, hæredum, Executorum, vt pro anima illius Missas procurent, altare aliquod vel Capellam, cum debita dotatione fundent; Missas quotidianas, & perpetuas instituãt; & talibus dolis, viduarum præsertim & simpliciorum crumenas exhauriunt, prædia quoque ac reditus ad se trahunt. Prolixus essem, si vellem hic artificia omnia enumerare, quæ Purgatorio innixa, auaritiæ nostræ explendæ inseruiunt mirabiliter.

LXXIV. Loca porro Patrum & Cõciliorum, quæ pro Purgatorio plura adducuntur, quoniam sæpe attingunt statum & locum animarum post mortem ante resurrectionem, indeque videntur ansam aliquam astruendi Purgatorij præbuisse, antequam ipsa Patrum & Conciliorum dicta singillatim percurram, necessarium omnino duxi Ecclesiæ veteris sententiam de hoc animarum statu & loco aperire. Quæsitum porro de statu animarũ curiosum quidem est, non tamen Theologo Cathol. condignum, quia multa sunt sacræ Scripturæ loca, quæ vt intelligantur, huius quæstionis solutionem necessario postulant, vt ostẽdam. De loco tamen, quia vix quicquam habemus in Scriptura; parcius, & maiori cum sobrietate erit agendum.

LXXV. Circa statum animarum tres inuenio opiniones, duas extremas, & vnam mediam. Vna extrema est, animas post mortem ante resurrectionem, neq; lætari, neque exultari, neque gaudere, neque pati, neq; intelligere, nihil amare, nullamq; operationem exercere, sed toto tempore, à morte ad resurrectionem quasi profundo somno correptas, resurrectionem expectare. Sed præterea suscitauerunt aliqui ex insanis Anabaptistis antiquam hæresim, quam extinxit Origenes; *Euseb. lib. 6. cap.* 30. eamque vocat Augustinus *de hæres. ad quod vult. D. hær.* 83. hæresim Arabicorum, Animas etiam interire & corrumpi cum corpore, sed in communi resurrectione simul cum suis corporibus resuscitandas; & in hoc volunt consistere immortalitatem nostrorum animorum. Altera opinio extrema est; Animas post mortem statim, vel beatitudinem plenam obtinere, æternaq; gloria coronari; vel in gehennam detrudi, æternisque suppliciis cruciari. Addunt Pontificij nostri tertiam animarum conditionem, videlicet, vel ad tempus in Purgatorio expiari, antequam gloriam consequantur. Media opinio est, animas electorum ad æter-

nam gloriam statim transire, eaq; frui, non tamen plenè, neque completè; sed post resurrectionem complementum suæ gloriæ expectare: ita impiorum animas pœnis æternis addici statim post mortem, quas tamen pœnas nondum plenas sentiant, sed plenissimas post resurrectionem accepturas. Omnes suis nituntur scripturæ locis. Et quia, quoad secundam & tertiam opinionem, nullus est fidei articulus planè definitus, liberior relinquitur ingeniis Theologorum disputandi locus, citra schismatum & diuisionum omne periculum. Res enim inter Orthodoxos Theologos perniciosissima est, si charitate abrupta, diuisiones inter ipsos fiant, vbi hi in diuersum ab aliis abeunt sententiam. Si enim salua charitate hoc non liceret, Theologica scientia esset penitus destruenda, & Theologicis contemplationibus esset vltimus finis imponendus, obstruendumque os omnibus, vt ne hiscere quidem auderent, præter ea, quæ Theologus aliquis, non nisi ex probabilibus assereret, & nunquam fuerunt tanquam de fide à quoquam recepta, aut ab Ecclesia sufficienter definita. Iam igitur hasce de statu animarum opiniones plenius discutiendas assumo.

LXXVI. Prima opinio extrema sane intolerabilis, dormientes inducens animas, expectantes suam vel gloriam, vel pœnam, non nisi post resurrectionem, pluribus conatur se tueri sacræ Scripturæ locis, dictis Patrum, & philosophicis placitis. Loca scripturæ sunt; Primus ex Psalmis: vbi Dauid ad fauces pene mortis persecutionibus deductus, opem diuinam implorat, vt se viuum conseruet, & non permittat vita præsenti priuari; eoq; vtitur argumento, quia si viuat, poterit laudes Deo canere, ipsum magnificare & exaltare, quod si moriatur, fore vt id efficere nequeat, *Psalm.* 87. Inclina, *inquit*, aurem tuam ad precem meam, quia repleta est malis anima mea & vita mea inferno, *id est, sepulchro*, appropinquauit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, (*hoc est, in foueam, seu in sepulchrum*,) factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt, —Clamaui ad te, Domine, tota die expandi ad te manus meas: Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? (*melius ad veritatem Hebræam*: aut manes, vel mortui resurgent vt confiteantur tibi?) nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?] Qui negaret immortalitatem humanarum animarum, vix posset plus dicere: & tamen Dauidi immortalitatem animæ firmissima fide credenti, Spiritus sanctus hæc verba dictauit. Mortuos dormire in sepulchris asserit, secundum corpus dormiunt quidem, at si secundum animam non dormiunt, cur à sui minori parte dormire dicuntur, qui à maiori sui parte non dormiunt? Mortuos ait non confiteri Domino, nisi eorum manes, id est, animæ, resurgant, neque posse mortuum narrare misericordiam Domini, dum iacet in sepulchro. Esse in sepulchro, & esse in perditione, hoc est, in interitu, idem est Dauidi. Statum hominis post mortem vocat tenebras, vocat terram obliuionis; ideo orat, vt ipse dum viuus est, antequam eat in terram obliuionis, accipiat beneficia, pro quibus ita viuus possit gratias agere: nam mortuos post mortem id ait non posse agere. Cum vero animas hominum optime sciat esse immortales, profecto videtur sentire & asserere, Spiritu sancto ita dictante, animas subsistere quidem post mortem, sed omni actione & passione carere; videlicet vsque ad diem resurrectionis. Repetit vero eadem dicta, in alio Psalmo, *nempe* 113. *& Baruch.* 2. *& Nu.* 17. dum ait: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, *seu in silentium*, sed nos qui viuimus benedicimus Domino, ex hoc nunc, & vsque in seculum, videlicet post resurrectionem. Sic Ezechias à morte instanti liberatus, dum canit laudes Deo, ait, *Esai.* 38. 18. Quia non infernus, *id est, sepulchrum* confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Viuens, viuens ipse, confitebitur tibi. Sic Sapiens, *Eccl.* 17. 27. A mortuo, *inquit*, quasi nihil, perit confessio, confiteberis viuens.] Hi profecto immortalitatem animarum optimè credebant, & tamè ita loquuntur ac si anima esset mortalis, quia ante resurrectionem animam sine corpore inhabilem forte putant ad Deum laudandum. Esdræ qui dicuntur libri posteriores, non Canonici, etsi ad confirmanda dogmata non valeant, cum tamen sint valde antiqui, suam dant rebus probabilitatem, & quid tunc in Ecclesia traderetur, satis aperiunt. In iis vero habemus 4. *Esd.* 4. promptuaria animarum, non solum Patrum ante Christum, sed etiam post Christum: nam in die vltimi Iudicij promptuaria animas reddituria asserit. *ibid.* 7. Iob si in vtero matris mortuus fuisset, ait se tunc temporis quando tot malis premebatur, nihil mali passurum fuisse. *Iob.* 3. 13. Nunc, *inquit*, dormiens silerem, & somno meo requiescerem — aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem.] An putabat Iob animam post mortem non manere? Non id profecto; sed si animam post mortem manentem putasset aliquid agere, aut pati, silentium & somnium ei non præscripsisset. Salomonis etiam dictum huc facit plurimũ: *Eccl.* 9. 10. Quodcunq; facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Venio ad Testamentum Nouum.

LXXVII. Inter Iudæos Sadducæorum secta negabat futuram resurrectionem: ad eos conuincendos huiusmodi vtitur Christus argumento. *Matth.* 22. 32. De resurrectione autem mortuorum non legistis quia dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum sed viuentium. Potuisset aliquis locum hunc à Christo adductum interpretari de Abraamo, Isaaco, & Iacobo dum adhuc viui essent; vt Deus dicatur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, id est, ille Deus, qui suo tempore horum adhuc viuentium Deus fuit: sed Christus non permittit hùc locum trahi: neque interim vult locum intelligi respectu animarum Abraami, Isaaci, & Iacobi: si enim iam mortuo Abrahamo Deus propter animam viuam Abrahami diceretur Abrahami Deus, locus & argumentum Christi ad probandam corporum resurrectionem non seruiret, & tamen Christus inde resurrectionem probat; quia Deus post mortem illorum Patriarcharum se Deum illorum vocat. Animam ergo Abrahami non vult dici Abrahamum, neque vult esse Deus nudarum animarum, sed hominum anima & corpore constantium, quia videlicet anima sine corpore est in quodã statu imperfecto, in quo nõ facit indiuiduum humanum. Quod si Deus non vult dici Deus animarum nudarum, sed hominũ, certè animæ in tali statu Deo frui non videntur, sed fruentur postea facta resurrectione. Quod si Deo non fruuntur, iacent absque vlla operatione.

LXXVIII. Paulus quoq; animas penitus videtur supponere dormientes ante resurrectionem. Vt enim probet necessitatem futuræ resurrectionis, inter alia hoc vtitur argumento ducente ad incommodum 1. *Cor.* 15. 19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, misera-

miserabiliores sumus omnibus hominibus: hoc est, si non speramus à Christo quicquam boni, nisi in præsenti vita mortali constituti, & rursus post mortem non expectamus, vt denuò in vitam corporalem per resurrectionem redeamus, miserabiliores sumus reliquis infidelibus, & mundo vtentibus, quia illi, saltem dum viuunt, hoc mūdo fruuntur; nos verò viui mundo non fruimur, nec delitiis abūdamus propter Christu[m]: vita enim Christiani est cum disciplina & mortificatione sensualium; post mortem verò si non sumus in vitam redituri, neq; præmium vllum sumus à Christo recepturi. Hoc profectò argumentum Pauli supponit, animas à corpore separatas neq; præmij, neque supplicij esse capaces. Si enim anima Christiani post mortem beatificaretur, & anima Epicurei post mortē puniretur, etiamsi nunquam fieret resurrectio, tamen nos Christiani nullo modo essemus Epicureis miserabiliores, sed ipsis multò feliciores, ex parte videlicet animarum. Sed certè Paulus, si non supponit omnes animas esse post mortem ante resurrectionem in eodem statu, non sequitur ex illo incommodo necessitas resurrectionis: quam resurrectionem Paulus necessariam censet ad hoc, vt homines vel æternùm glorificentur, vel pœnis æternis subiiciantur, & vt ait Ioannes *Apocal.6.9.* sub altare expectant requiescentes, donec compleantur conserui eorum. Atq; hoc ipsum est, quod idem Paulus ait, Vitam nostram spiritualem & æternam abscondi cum Christo in Deo; & hanc vitam ex illo abscōdito non prodituram, nisi cùm Christus, inquit, apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, *Coloss.3.4.* Hæc autem apparitio est in vltimo iudicio, post resurrectionem vniuersalem, quam expectamus; de qua apparitione est & illud Pauli Apostoli, quod scribit *1. ad Corinth. cap.1.7.* Vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem, sine crimine, in diem aduentus Domini nostri Iesu Christi.

LXXIX. Non paucas habemus in vtroque Testamento certas & indubitabiles hominum ad vitā mortalem resurrectiones: & mirū profectò est, quod nihil penitus memoriæ sit commendatum, quid illi in alia vita viderint, cognouerint, intellexerint. Ac certè Lazarus *Ioan. 11.* de somno excitatus dicitur; nec deerant [*Ioan.12.*] qui eum ex curiositate duntaxat inuiserent, nihil verò eum de statu animarum post mortem narrasse inuenimus, nihil filiam Archisynagogi, *Marc. 5.* nihil filium viduæ Nainēsis, *Luc.7.* nihil Tabitham, *Act.9.* nihil alios in Sacra Scriptura resuscitatos: vnde aliquis colliget indicium, nihil eas extra corpus aut obseruasse, aut intellexisse. Posteriores verò mortuorum narratiunculæ ad fabellas facilè reducentur.

LXXX. His & similibus locis permoti sunt Sancti Patres nonnulli, vt animas post mortem ante resurrectionem quibusdam receptaculis, & promptuariis claudendas esse censuerint, vbi nihil aut facientes, aut patientes, expectent resurrectionem. Sic Irenæus *lib.5. ad finem*, animas veterum Patrum ponit sub terra expectasse Christi aduentum, *lib.4.cap.45.* Chrysostomus *homil.39. in 1.Cor. & hom.28. ad Heb.* statum eundem esse vult animarum tàm iustorum, quàm impiorum hominum, ante resurrectionem, sine pœna, sine gloria, vt argumentum Pauli, *1.Corin.15.* in comparatione fidelium cum infidelibus, si in hac vita sperantes essemus, vim haberet. Augustinus receptacula animarum non semel admittit, vt *in Enchirid. cap.108. & 12. de ciuit. c.9. & in Psal.36.* & animas, ait, cùm ab hoc somno euigilabunt, simul omnes, quod promissum est, accepturas, *in Ioan. tract.49.*

LXXXI. Sed Philosophia quoque naturalis, præsertim Peripatetica, his omnibus de statu imperfecto animarum post mortem, summoperè fauet: anima enim intellectiua licèt in sua propria operatione sit inorganica, hoc est, nullum habeat organum, per quod proximè & immediatè fiat intellectio, sed ipsa anima per seipsam solam eliciat suam intellectionem, oportet tamen intelligentem semper phantasmata speculari, non quod intellectio formaliter & præcisè debeatur simul & in solidum phantasiæ & intellectui; sic enim intellectus esset organicus; quod negat Aristoteles: sed quia obiectum intelligibile non potest vniri intellectui hominis, nisi per species intelligibiles: & quoniam species intelligibiles omnium intelligibilium, quatenus sunt ab homine intelligibilia, latent in phantasmatibus sensibilibus, in quibus perpetuo conseruantur, & sine quibus nullo modo esse possunt, propterea oportet semper intelligentem phantasmata speculari. Quæ species intelligibiles mouent quidem intellectum, & ei vniunt omnia intelligibilia, non tamen imprimuntur ipsi intellectui; ideo non est possibile dari in homine memoriam intellectiuam; quia si memoria hæc daretur, & consequenter si thesaurus harum specierum esset in intellectu, posset homo omnia, quæ semel intellexit, sine phantasmate postea intelligere: atqui hoc est homini impossibile; semper enim verum est in omni intellectione, etiam repetita, oportere intelligentem phantasmata speculari.

LXXXII. Hinc igitur est, quod quemadmodum initio anima pueri est tanquam tabula rasa, in qua nihil pictum sit, ita etiam eadem anima, quando egressa est è corpore, rursum sit tabula rasa, in qua nihil pictum sit, quia scientiæ non sunt ipsa scibilia in anima impressa, sed sunt facilitates duntaxat intellectus colligendi species intelligibiles per phantasmata sensibilia, & memoria rerum intelligibilium nihil aliud est, quàm bona dispositio & coordinatio inter se phantasmatum sensibilium, alioquin confusorum. Anima igitur egressa è corpore, cùm nullam cognitionem in se impressam habeat, & omnibus penitus phantasmatibus careat, quia omnia penitus in cerebro mortuo extincta sunt, propterea neque vllam illa secum cognitionem ex hac vita defert, neque possibile est, vt quicquam penitus discurrendo intelligat.

LXXXIII. Hanc primam in altero extremo positam opinionem facilè est è mentibus excutere, aduersæ ei assertionis confirmatione, videlicet, animas post mortem, ante resurrectionem viuas esse, & operari, ac pati, non autem dormire otiosas, omni propria cassas operatione. Id enim & Scripturæ apertissime docent, & Patres optimi confirmant. Sed soluere huius primæ opinionis allata fundamenta, mihi videtur difficillimum; & tamen soluenda sunt, quia veritas in contrarium, omni abiecta dubitatione, penitus conuincit hominem fidelem & Catholicum. Scripturæ porrò veritatem hanc aperientes plures sunt.

LXXXIV. Et quidem contra illorum Anabaptistarum insaniam, qui cum Arabicis animam nolunt esse substantiam à corpore diuersam, sed illam interire cum corpore asserunt, postea resuscitandam, non pauca solent congeri loca Scripturarum, quæ tamen non omnia, meo iudicio, illos conuincunt. Primum enim obiici eis solet primum caput Genesis, in quo homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem DEI: & qui id obiiciunt, censent, in anima consistere illam similitudinem, quia spiritus ille est, sicut & DEVS spiritus est. Est ergo, *inquiunt*, anima spiritus, hoc est, substantia quædam per se sub-

sistens, etiam seorsim à corpore considerata. Hoc tamen eos non conuincit; quia negare possent, imaginem Dei consistere in sola anima: Non enim anima, sed homo dicitur factus ad imaginem; anima verò non est homo, sed forma hominis. Et hanc imaginem varij variè explicant: in toto tamen homine eam multi indagant, vt quod sit libero arbitrio prædituus: quod dominetur inferioribus creaturis: quod artificiosa quodammodo creare possit: quod prouidentia & prudentia polleat, &c.

LXXXV. 69. Adducunt etiam loca Scripturæ, in quibus seorsim animæ, vt rei à corpore diuersæ, aliquid tribuitur; vt cum dicit Petrus 1. *Epistol.* 1. & 2. *carnalia desideria militare aduersus animam*; & præcipit nos castificare animas; & Christum vocat Episcopum animarum nostrarum. Et Iacobus *cap.* 1. 21. dicit, *verbum saluare animas nostras*. Animæ ergo sunt, quę impugnantur, castificantur, saluantur. Sed hæc quoque possunt illi euitare; si dicant, in Scriptura sæpissimè animam sumi pro homine, quatenus ad æternam beatitudinem supernaturaliter est directus, & vt distinguitur ab homine in puris naturalibus constituto, vt cùm dicimus aliquid corpori quidem prodesse, animæ verò obesse, & solent contraponi anima & corpus, nō quod corpus inanime aliquid efficiat vel conetur contra suam animam, qua informatur; sed quia homo animatus & viuus, ac intelligens, dum consulit parti soli sensuali, officit ipsimet homini in parte spirituali. Sic Christus ait *Matth.* 16. 26. *Quid prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ verò detrimentū patiatur?* Certè nō est sola anima, quæ ex auaritia detrimentum patiatur; auarus enim & in anima & in corpore detrimentum, quando damnatur, patitur; totus enim homo sicut peccat, sic & punitur. Et homo etiam per animam peccans dicitur lædere animam, quia sibiipsi in via salutis æternæ affert detrimentum. Sic dicimus ministros Ecclesiæ curam habere animarum, quia totius hominis æternam salutem procurant, & non salutem temporalem præsentis vitæ, salus verò æterna non soli animæ, sed toti homini tribuitur. Sic igitur loca adducta explicabunt de anima in hoc sensu. Illis tamen locis potissimum, etiam in hoc conuincentur, in quibus constat animas post mortem à corpore separatas manere. Sunt ergo substantiæ etiam per se subsistentes. Illis igitur, paucis locis omissis, quæ adhuc sua non carent probabilitate, relinquuntur alia plura, quæ similiter cum illis afferri solent, & rem conuincunt, & sunt, quæ sequuntur.

LXXXVI. 70. Salomon ait *Eccl. vlt.* 7. *Reuertatur puluis in terram, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Christus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* Occiso ergo corpore, anima viua manet. Et latroni ipse Christus ait *Luc.* 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*; non profectò corpore; ergo anima. Et Paulus *Philip.* 1. 23. *cupit dissolui, & esse cum Christo*: ergo post dissolutionem, corpore manente in terris, anima Pauli ad Christum erat profectura. In Hierusalem cœlesti præter Angelos sunt etiam spiritus iustorum. *Heb.* 12. 23. Et Stephanus *Act.* 7. 58. ait: *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Et, *Apoc.* 6. 9. *Sub altare Dei animæ Martyrum quiescunt*; & Christus morti in cruce propinquus *Luc.* 23. 46. *in manus Patris commendat suum spiritum*; qui & [1. *Pet.* 3. 19.] iis, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicauit, & est sermo de hominibus, non de Dæmonibus. Veritas est clarissima, cui fauent etiam Esdræ *lib.* 4. *cap.* 4. & 7. promptuaria illa animarum: estq; mera stultitia, imò hæresis, apud fideles, etiam admissa eius resurrectione, de animæ substantia & subsistentia post mortem dubitare. Iam verò eorum sententia est examinanda, qui animas extra corpus existere quidem non dubitant, omnem tamen eis negant propriam actionem aut passionem, sopitasq; alto somno faciunt resurrectionem alicubi expectare.

LXXXVII. Somnum hunc animarum, & carentiam operationis Scriptura non patitur vllo modo. *Philipp.* 1. 23. cupit Paulus dissolui, vt sit cum Christo, nunquid vt dormiat vsque ad resurrectionem, & Christum neque videat, neque agnoscat, neque illo fruatur? Sic, *Luc.* 17. 37. *Vbi fuerit corpus, congregabuntur & Aquilæ*, hoc est, animæ ad Christum. Latronis anima in Paradiso fuit à Christo collocata, non certe ad dormiendum: esse enim in Paradiso, est esse in delitiis, iisque frui. *Eccl. vlt.* 7. Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum, non vt dormiat in Deo, veterno obrutus, sed vt sit in Deo per intellectum & affectum. Animæ Martyrum sub altari clamant voce magna; non ergo dormiunt, & amiciuntur stolis albis, hoc est, lætitia & exultatione. Omitto Lazarum, *Luc.* 16. 23. in sinu Abrahæ, & diuitem in flammis, inter sese videntes, & alloquentes, alterum in refrigerio, alterum in pœnis, quia eam esse parabolā, Theodoretus & cum eo alij Græci censuerunt; & Faustus Rhegiensis *epist.* 1. *ad Benedictum Paulinum*, flammam epulonis interpretatur flammam conscientiæ, dum expectat ad diem iudicij verus in corpore & anima flammarum cruciatus. Non omitto tamen Moysen cum Domino in monte Thabor colloquentem, *Matth.* 17. 13. Patres quoque animas non otiosas & dormientes, sed expergefactas & in actione aliqua resurrectionem expectare volunt. Tertullianus *de monog.* & *de idololat.* & *lib.* 4. *contr. Martion.* in sinu Abrahæ animas ponit cum refrigerio. Origenes 2. *periarch.* animas paulatim ad altiora ponit ascendentes. Chrysostomus *in epist. ad Philip. hom.* 3. Iusti, *inquit*, etiam cùm mortui fuerint, viuunt, — & illuc etiam translati beati sunt, quoniam ad Christum sunt profecti, — cum Rege sunt.] Epiphanius *hær.* 59. Iustis statim post mortem dat coronas. Augustinus *tract.* 49. *in Ioan.* Habent, *inquit*, gaudium boni, habent mali tormenta, &c. Ambrosius *lib.* 10. *in Luc.* vbi *de negatione Petri*: Vnde te euocem Petre? De cœlo; vbi iam choro insertus es Angelorum?] Omnino igitur homo Catholicus ex his fateri debet, Animas piorum, etiam ante resurrectionem, esse in felici statu, in refrigerio, in gaudio, & in Deo, ac ex præsentia Christi Domini lætari, & eas statum hunc suum agnoscere, ac intelligere, certas de plena beatitudine, post resurrectionem obtinenda. Animas similiter impiorum esse in statu infelici, in mœrore ac tristitia, longè à Deo, longè à Christo quoad fruitionem, certas de æternis suppliciis post resurrectionem subeundis.

LXXXVIII. Loca tamen in contrarium, quæ siue ex Scriptura, siue ex Patribus dormitionem & lethargum animarum videntur innuere, sunt soluenda. Violentæ sunt ordinariæ solutiones eorum locorum, in quibus negatur mortuis operatio, præsertim confessionis & laudis Dei, vbi vel mortuos allegorice solent sumere pro derelictis à Deo; vel laudes eorum mortalibus hominibus mortuos non posse canere asserunt; quas interpretationes tot loca profectò, non nisi valdè coactè, admittunt, non sine magna vi adhibita literæ. Pro eorum ergo, magna saltem ex parte, solutione, illud vel maximè obseruandum est, quod ab aliis non obseruatum, eos in multos inextricabiles conjecit labyrinthos. Videlicet, Sacram Scripturam pro hominibus esse datam, & per illam ipsos homines pro vtraq; vita institui, mortali videlicet temporali, & immortali æterna, vtraq; tamen corporali, id est integri ho-

gri hominis: quia Deus homines integros, videlicet constantes anima & corpore ad æternam beatitudinem designauit: & animas sui gratia non fecit, nisi in gratiam hominis, vt essent pars præcipua & essentialis hominis. Ideoque pauca puto posse obseruari in Sacra Scriptura, quod ad animas sui tantum gratia spectet, ac si essent creaturæ quædam intellectuales, in se perfectæ, & de se ad suam propriam beatitudinem creatæ. Sed omnia, quæ ad animas pertinent, eas vt partes essentiales hominis respiciunt, non sui gratia seorsim, sed gratia hominis, cuius illæ partes sunt & formæ.

LXXXIX. Obseruandum vlterius, mortem hominis non consistere in corruptione ac dissolutione partium essentialium, quibus constat, sed in separatione coniunctionis, per quam simul vniuntur anima & corpus, forma & materia. Quare, licèt vtraque pars esset in se substantia æterna, & incorruptibilis, adhuc tamen in separatione solius coniunctionis naturalis, vera & propria naturalis mors consisteret, & tunc ac tam diu homo mortuus esse, & absolutè interiisse, ac non esse amplius in rerum natura dicitur, quando & quamdiu vinculum illud & coniunctio abest, & licèt in æternum manerent tum corpus tum anima inter se disiuncta & separata, si in æternum non redeat coniunctio, in æternum homo ille non esset amplius, sed in æternum diceretur interiisse. Tam verè igitur & tam propriè erit resurrectio, si anima post mortem existens vniatur corpori, item post mortem integro existenti, quàm si corruptum iam corpus reparetur, & ei anima vniatur: imò æquè perfecta esset resurrectio, si anima etiam esset corruptibilis, & de facto simul cum corpore interiret, vt in brutis, Deus tamen post reparationem tum corporis, tum animæ, ea denuo vniret, vnione formæ cum materia. Non plenè ergo eam locutionem admitto, quæ ait, nostram resurrectionem non esse nisi corporum resurrectionem: non enim corpus humanum propriè resurgit, sed homo, sed indiuiduum, sed persona, & aliud est, à corruptione reparari, aliud resurgere: quod fit per reunionem animæ cum corpore; & illa reunio est formaliter resurrectio, aut saltem proxima & adæquata causa resurrectionis; cui resurrectioni est per accidens, quod partes reuniendæ manerent, vel non manerent. Nam si corpus humanum in cineres redactum à Deo repararetur, vt iterum sit carneum, & perfectè organizatum, nondum dicitur resurrexisse, nisi anima ei reuniatur.

XC. Quod igitur ait Dauid, Ezechias, & Sapiens de mortuis, eos non laudare Dominum, sed viuos; quodque Iob ait, de suo somno & silentio, & requie; & quod similiter Christus ait, Deum non esse Deum mortuorum, sed viuorum, & ideo esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob, etiam post eorum mortem, quia sunt resurrecturi, intelligenda sunt de hominibus in eorum personis. Verum enim est, hominem mortuum ante resurrectionem omnino in sua persona amplius non esse, & consequenter neque posse in sua persona post mortem laudare Deum ante resurrectionem, aut quicquam facere. Et quod spectat ad personas hominum, si non sit resurrectio mortuorum, eas penitus & in perpetuum, dum moriuntur, interire. Huc etiam spectauit Apostolus, quando dixit 1. *Corin.* 15. 19. si non sit resurrectio, omnes, qui in Christo mortui sunt, iam periisse: & fideles miserabiliores fore Infidelibus hoc mundo fruentibus: vt si comparetur Ioannes Baptista cum Sardanapalo, profectò in hac mortali vita felicior fuit Sardanapalus Ioanne: ille enim voluptatibus multis seipsum delectauit, Ioannes contrà seipsum inedia & ieiuniis macerauit, *Matth.* 3. & hoc est omnium fidelium proprium, quia omnis disciplina, vt ait Paulus *Heb.* 12. 11. in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ. Iam verò, mortuo vtroque, dissoluitur plenè & æquè vtrunque coniunctum, & sic neq; est amplius in rerum natura Sardanapalus, neq; Ioannes Baptista. Anima itaq; Ioannis non comparatur cum anima Sardanapali, quia anima Ioãnis non est Ioannes, sicut neq; anima Sardanapali est Sardanapalus. Et bene Tertullianus Irenæum *lib.* 5. *c.* 6. secutus, ait, *de Resurr. car.* Porrò nec anima per semetipsam homo: quæ figmento iam homine appellato, postea inserta est; nec caro sine anima homo: quæ post exitum animæ cadauer inscribitur; ita vocabulum, *homo*, consertarum substantiarum duarum fibula est; sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes.] Si ergo destructo Ioanne, & destructo Sardanapalo, neque Ioannes amplius redeat, neq; Sardanapalus, profectò Ioannes fuit in persona sua multò miserior Sardanapalo item in persona. Ne igitur Ioannes propter Christum sit miserior Sardanapalo, necesse est iterum redeat Ioannes, & iterum Sardanapalus, vt Ioannes æternis bonis fruatur, Sardanapalus æternis suppliciis crucietur. Neq; satis est, quòd anima Ioannis sit ante resurrectionem in multò meliori statu, quàm anima Sardanapali, quia Paulus non comparat animas, sed personas, & ex ea comparatione optimè colligebat, homines ipsos bonos miseriores fore hominibus malis, si mortui non resurgant. De animis autem separatis Scriptura loquitur sobriissimè.

XCI. De promptuariis Esdræ non est laborandum, cùm liber sit apocryphus. Sed neque author ille asserit animas in illis promptuariis dormire, imò multas & insignes dat eis operationes, quas secutus est Ambrosius *de bono mort.* c. 10. & 11. possunt enim in illis & lætari, & tristari. Salomon quoque negat apud inferos esse prudentiam, scientiam, &c. quia considerat homines in sepulchro, iam mortuos: & secundùm personas, non secundùm animas, quia ante resurrectionem post mortem nullus homo purus in sua persona extat, sed interiit, modo supra explicato.

XCII. Ad locum Apocalypsis satis est respondere, ibidem animas etiam clamare & orare. Requies ergo illa non est profundum silentium, & veternosus sopor, sed est pax & refrigerium, conscientiæq; tranquillitas, ac securitas, quæ potest etiam somnus in bono sensu dici. Animam enim iusti post mortem concupiscentia non infestant, cessant tentationes, &c.

XCIII. Vita nostra dicitur abscondita cum Christo in Deo, & in aduentu Christi reuelanda, *Coloss.* 3. 3. & 1. *Ioan.* 3. 2. Vita videlicet homini promissa, qua totus homo integer in persona vitam æternam assequetur. Sed anima seorsim interim viua est pro suo modulo, & vitales exercet operationes.

XCIV. Resuscitati ad vitam mortalem in Scriptura, cum iusti omnes & saluandi, vt merito præsumimus, essent, quid narrare potuerunt, nisi fortasse per modum somnij, cùm in corpore rursum vtendum fuerit phantasmatibus? quæ verò extra corpus intellexerunt, in phantasmatibus non seruantur, ideo neque potuerunt illorum amplius recordari, vt inferiùs explicabo.

XCV. Patres verò, qui receptaculis animas concluserunt, non negarunt eas suum statum agnoscere. Iustinus *Quæst.* 76. fatetur, latronem in Paradiso videre seipsum, & quæ infra se sunt, & præterea Angelos & Dæmones. Origenes *lib.* 2. *periarch.* proficere animas paulatim censet. Irenæus in vmbra mortis ponit

animas

animas etiam iustorum, neque ante conspectum Dei præsentandas esse putauit, nisi carne resumpta. Miror tantum virum non considerasse verba Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Num vmbra mortis, & locus inuisibilis, vocari potest Paradisus, hoc est, locus delitiarum? De loco subterraneo animarum dicam aliquid inferius. Chrysostomus perfectam gloriam, & perfectam pœnam animis negauit ante resurrectionem: & meritò. Sed inde non satis corroborat Pauli argumentationem, quæ vt sit bona, supponere debet bonos & malos in morte ante resurrectionem esse penitus æquales; neque felicitate vlla, aut miseria sese inter se superare. Quod de animabus non asserit Chrysostomus. Licet difficultatem argumenti Paulini, vt ego puto, non soluat; nam tametsi animæ ante resurrectionem, neque plena fruantur gloria, neque plenis subdantur pœnis, tamen omni penitus gloria, & omni pœna, & consequenter omni penitus felicitate aut miseria destituendæ non sunt. Sunt enim substantiæ viuæ & intellectiuæ, & Paradisi felicitatis capaces, vt patet de anima latronis.

XCVI. Augustinus receptacula posuit, imitatus Esdræ illa promptuaria, quæ Ambrosius *de bon. mort. cap.* 10. quoque admisit, non tamen negauit in illis receptaculis animas vel gaudere, vel tristari. Imò hæc receptacula in cœlo esse, non sine inchoata gloria, fateretur expresse Augustinus *de eccl. dogmat. c.* 79. si opusculum de Ecclesiasticis dogmatib. ipsius est. Somnū verò animarum intelligit somnum totius integri hominis: tunc enim homo mortuus in sua propria persona euigilat à somno mortis, quando rediuiuus resurgit, per vnionem eiusdem animæ, ad idem corpus.

XCVII. Altera opinio in altero extremo posita, quòd animas iustorum ante resurrectionem, de essentiali gloria plenè iam obtenta, & de plena beatificatione animæ; sic de cruciatibus animarum impiorum, grauissimas patitur obiectiones, & difficultates, quæ cogere omnino videntur, vt illa quoque opinio, tanquam Scripturis, Patribus, ac rationibus contraria respuatur. Tota profectò Scriptura, Noui præsertim Testamenti, plena est expectatione secundi aduentus Christi, cui reseruatur vltimum iudicium viuorum & mortuorum: & illum diem ipsa Scriptura solum agnoscit, in quo sit plenè reddendum vnicuiq; iuxta opera sua. Christus Dominus solenniter docuit *Matth.* 25.34. se in nouissimo die, post factam resurrectionem mortuorum, dicturum iustis: *Venite benedicti, possidete regnum:* nondum ergo saltem perfectè possidebant. Et impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius:* ignem, ait, esse paratum ad eorū cruciatus; parata autem res dicitur, antequam in vsum veniat: tunc primum ergo ignis ille cruciare debebit & Diabolum & maledictos homines. Tunc etiam, in cōsummatione videlicet seculi, facta similiter resurrectione, mittet filius hominis Angelos suos, & colligēt de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, &c. *Matth.* 13.41. His concors Paulus ait, 2. *Cor.* 5.10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: Christum autem suum tribunal pro iudicandis hominibus non eriget, nisi post factam communem resurrectionem. Nos enim oportet præsentari illi tribunali: non animas nudas: nos videlicet in personis nostris, hoc est, in anima & corpore, vt vnusquisque referat; vnusquisq; non sunt animæ separatæ, sed homines in suis personis. Orat Paulus 1. *Thessal.* 5.23. vt Thessalonicensium integer spiritus, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Ex quo loco optimè Irenæus *lib.* 5. *c.* 6. confirmat, hominem non esse, nisi per vnionem animæ, corporis, & spiritus.] Bonum precatur Paulus Onesiphoro, 2. *Tim.* 1.16. Det illi Dominus, ait, inuenire misericordiam à Domino in illa die. Et de seipso ait, 2. *Timoth.* 4.8. Bonum certamen certaui,— in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius. Illa ergo dies vt insignis, & insigniter nota, ac expectata, est dies secundi aduentus Domini, qui erit in consummatione seculi. Promittit Christus Apostolis, se illis paraturum locum, *Ioan.* 14.3. Vado parare vobis locum, quia vult, vt vbi ille erit, sint etiam ipsi: Quando autem hoc fiet? Si abiero, *inquit*, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad me ipsum. Nisi ergo iterum venerit Christus, & acceperit Apostolos, illi non obtinebunt plenè locum in gloria, quē ipsis Christus præparabit. At Christus non veniet iterum ad illos accipiendos, nisi post resurrectionem. Illud enim *iterum venire* Christi, perpetuò in Scripturis significat publicum & solennem ipsius aduentum in gloria sua: tunc enim propriè, & actu, ac perfectè & integrè saluabuntur, qui saluandi sunt; iuxta prophetiam etiam Angeli ad Danielem, *Dan.* 12.1. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, Omnis qui inuētus fuerit scriptus in libro: & multi de iis, qui dormierunt in terræ puluere, euangelizabunt; alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper. Saluatio ergo est post resurrectionem. Ideo in Apostolico Symbolo prius credimus carnis resurrectionem; deinde vitam æternam. Celebris etiam est textus Pauli *Hebr.* 11.38. vbi ait; Patres nōdum accepisse repromissiones; sed Deum prouidisse, vt non sine nobis consummarentur, hoc est, finem vltimum & perfectam coronam assequerentur, nisi simul cum omnibus iustis, etiam post Christum: videlicet in seculi consummatione. Ioannes in Apocalypsi, *cap.* 7.24. vidit ante thronum Dei aliquos amictos stolis albis: & de illis hæc audiuit: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni; ideo sunt ante thronū Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: Si hæc dicuntur de animis sanctorum martyrum; certè illæ sunt quidē in templo Dei, hoc est; in cœlo coram Deo & throno eius; sed tamen nondum plenè beatæ; nam pergit Scriptura: Et qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neq; sitient,— quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Nondum ergo potant perfectè de illo fonte, nondum torrente voluptatis satiantur, *Psal.* 35.9. Idem dicit Scriptura de impiis quoq; damnandis; Sic enim scribit Petrus 2. *Pet.* 2.1. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos. Imò etiam de Dæmonibus ait: Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.

XCVIII. His locis conuicti Patres multi, expressè negant, Sanctos ante resurrectionem plenè coronari: Græci primum, Iustinus *Quæst.* 60. ait: Neque enim ante resurrectionem vnicuique ex iis, quæ in vita gessit, præmium redditur,] totale videlicet, & integrum. Sic Irenæus *lib.* 5. *ad finem*. Origenes *in Leuit. Homil.* 7. Chrysostomus *in* 1. *Cor. Hom.* 39. *& in epist. ad Hebr. hom.* 28. Theodoretus *in cap.* 11. *ad Hebr.* Sic Theophylactus & Oecumenius *in eundem locum ad Hebr.* Germanus Constantinopolitanus *in Theoria.* Arethas *in Apocal. cap.* 6. Euthymius *in cap.* 16. *Luca.* Latini etiam: Lactantius *libr.* 7. *cap.* 21. negat iudicium particulare.

Victo-

Victorinus Martyr *in Apoc. cap. 6.* Ambrosius *de bono mortis cap. 10. & 11.* August. sæpe *lib. 1. retract. cap. 14.* in quæstione esse ait, vtrum Sancti ante resurrectionem gloriam, *integram videlicet*, possideant, expresse negat *epist. 111. in Enchiridio, cap. 108. De Genesi lib. 12. cap. 35. De ciuit. lib. 12. cap. 9. & lib. 21. cap. 26. In Psalm. 36. &c.* Bernardus *serm. 3. de om. Sanct.* tres status ponit animarum: eas vero post mortem ante resurrectionem ponit in atriis domus æternæ cœlestis, in inchoata videlicet beatitudine, non perfecta, non in domo, & ait, Neque sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Si Ioannes Papa huius nominis XXII. nihil aliud voluit, nisi animas plena essentiali beatitudine non fruiante resurrectionem, optime profecto sentiebat; sed suspicor ipsum omnem penitus, etiam inchoatam, beatitudinem animis, ante resurrectionem, negasse. Qui fuit error non tolerandus.

XCIX. Ratio etiam Theologica, quæ nunc tuemur, manifestat. Gloria enim cœlestis plena ipsis electis prædestinata est: & pœna æterna etiam sensus ipsis reprobis: non autem eorum animis præcise sumptis, nisi quatenus simul cum corpore faciunt, & constituunt homines singulos in singulis personis propriis. Anima enim seorsim sumpta non est persona aliqua completa per se, neque sui gratia facta creatura, vt supra consideraui. Igitur & gloria, sicut promittitur hominibus in ipsorum personis, sic etiam exhibenda est iisdem; sic pœna. Cur igitur præmium totale essentiale soli animæ plene dabitur, si soli animæ neque promissum est, neque debetur; quia sola anima neque electa est à Deo, neque prædestinata, neque ad præmium vocata, neque ad pœnam, sed homo? Et anima à corpore separata ipsa per se, vt seorsim sumpta; tunc tantummodo incipit esse quoddā indiuiduum intellectualis creaturæ: Si ergo ipsa per se est vel coronanda gloria plene, vel pœnis crucianda, id habere debet, non ex iis quæ gessit in corpore siue bonum siue malum; quia non illa, sed homo quem illa cum corpore constituebat, gessit hoc, siue bonum, siue malum: sed ex iis quæ gessit ipsa post separationem, & cum nihil post separationem gessisse ponatur, profecto neque ipsa per se, & ex se, aut coronari debet, aut puniri, perfecta illa coronatione, & totali pœna.

C. Non nego animam intellectiuam, vt est in se, & substantia intellectualis à corpore diuersa, esse capacē integræ æternæ beatitudinis, vt sunt Angeli, si Deus vellet eam eo eleuare; ita etiam æternæ pœnæ: sed tunc deberet illa esse ens in se, & de se completum, & indiuiduum, ac persona in genere spirituum: & tunc cum illa agendum esset, vt cum Angelis, & proprium viæ statum habere deberet, inde vero finem suæ viæ. Quoniam tamen illa extra corpus, dum expectat resurrectionem, id est, suam ad suum corpus reunitionē, est ad huc ens imperfectum, & in statu imperfecto, non vt Angelus, quia Angelus illa nō est, neque persona; non vt homo, quia illa homo non est, sed aliquid hominis, ideo dū talis est, neq; à Deo eleuatur ad statum perfectū substantię indiuiduæ & cōpletæ spiritualis, incapax omnino est, tam æternæ perfectæ beatitudinis, quæ est vltimus finis, non animarum, sed hominum & Angelorum; quam vltimi supplicii, quod est finis malorum hominum & Angelorum, non animarum separatarum. Et propterea anima egressa à corpore nō potest ad plenum iudicium vocari, quia non illa, sed homo cuius illa erat forma, & pars essentialis, reddere debet rationem suarum actionum, & recipere vel præmium vel pœnam. Inde scripturæ ponūt necessitatem resurrectionis. Anima enim in corpore non est vt integrum quoddam suppositum, adiunctum sibi habens corpus, vt alterum à se diuersum suppositum; ita vt aliqua faciat per se anima, aliqua per se corpus: sic enim merito anima nuda posset vocari ad iudicium, & puniri, vel præmiari. At vero cum anima & corpus simul iuncta vnicum faciant suppositum, profecto nulla actio debetur seorsim animæ, & seorsim corpori, sed omnis actio vtrique simul debetur, ideoque seorsim non sunt iudicanda ista, sed simul iuncta, ac proinde post resurrectionem. Actiones enim sunt suppositorum, vt tota clamat philosophia. Et optime Tertullianus *lib. de pœn.* ait: Nam cum ex duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quam vnde constat. Sed non in eo inter se differunt, quod corpus & spiritus duo sunt, alioquin eo magis paria sunt, quia duo vnum efficiunt: ne quis pro diuersitate materiarum peccata eorum discernat, vt alterum altero leuius aut grauius existimet. Siquidem & caro & spiritus, Dei res, alia manu eius expressa, alia afflatu eius consummata. Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcunque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis & spiritus? quorum & in vita, & in morte, & in resurrectione, tantum communionis atque consortii est, vt pariter tunc aut in iudicium suscitentur, quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocenter egerint.] In exercendo ergo contra peccata hominum diuino iudicio, & in vita & in morte, & in resurrectione coniunctim anima & corpus iudicanda sunt, non diuisim. Sed interim anima à corpore separata, cum sit etiam per se sumpta, intellectualis, par est vt & fœlicitatem, & miseriam, et ante resurrectionem, inchoate persentiscat.

CI. Quod si in nouissimo die redirent animæ ad corpora, sed non quæque ad suum, sed permixtim ad alienum, ad vitam tamen immortalem, pari ratione nullum iudicium posset fieri de iis quæ acta sunt in vita mortali; vt si anima Petri informaret in resurrectione corpus Iudæ, & anima Iudæ corpus Petri, quis non videt hic iam neque Petrum adesse, neque Iudam, sed duos alios homines, quorum neuter sit Iudas, neuter Petrus? Ac proinde cum neuter horum aut vendiderit Christum, aut Christum fuerit in vita mortali confessus, neuter esset aut damnandus ex proditione Christi, aut glorificandus ex confessione: quia videlicet neque animæ seorsim, neque corpora seorsim, aut bonum, aut malum fecerunt, sed coniuncta hæc in vnum humanum suppositum. Imo si etiam in resurrectione anima Petri viuificaret, & informaret corpus Pauli; hic homo qui hinc resultaret, propter actiones in vita mortali & Petri & Pauli, certe neque Petri, neq; Pauli coronam acciperet, imo nullam, si vnusquisque debet recipere, prout gessit in corpore, siue bonum siue malum, *2. Corint. 10. 15.*

CII. Addo, opinionem hanc de plena ac totali beatitudine animarum ante resurrectionem, & inuocationem Sanctorum, & Purgatorium, si non peperisse, saltem promouisse. Si enim animæ Sanctorum sunt iam plene beatæ, possunt facile nobis attendere, & opem à Deo implorare. Et si post mortem statim fit iudicium definitiuum animarum, dandam esse autumant purgationem illis, quæ pœnas aliquas luere teneantur, sed temporales. Quod si animæ sanctorum in atriis tantum manent, & nondum habent plenum accessum ad intima cubicula Regis, non possunt plene nos audire, neque nostras cognoscere necessitates. Et si damnandorum animæ nondum totas debitas pœnas luunt, præsertim sensus, quomodo in purgatorio quis pœnas illas patietur? Et si iudicium definitiuum de pœ-

de pœnis & de præmiis differtur ad finem mundi, quomodo possunt animæ ad pœnas purgatorii adiudicari?

CIII. Hæ sunt difficultates quas patitur altera illa opinio extrema, quæ veram beatitudinem intensiuè plenissimam tribuit animis ante resurrectionem, quæ mihi omnino videntur insolubiles. Refugium enim commune est, animas iustorum iam esse omnino beatas, & frui sua plena beatitudine, non tamen habere vltimum ipsius complementum suæ beatitudinis; sic de damnatis. Quod vltimum complementum post resumptum corpus sint habituræ. Et hinc loca Scripturarum & Patrum exponunt, vbicunque illa expectationem ponunt resurrectionis, & dilationem præmii, aut pœnæ in diem nouissimum consummationis sæculi. Nos tamen in examinanda tertia, hoc est, media opinione has quoque solutiones examinabimus, quia illa quoq; media opinio, vt à multis defenditur, videtur omnino cum hac altera extrema coincidere.

CIV. Habet vero hæc altera extrema opinio sua fundamenta, quæ sunt nobis penitus perspicienda: habet Scripturas: habet Patres: habet rationes: Gregorius Papa, *lib.4 dialog.c.25.* opinionem hanc primus ex professo defendendam suscepit, & tribus Scripturæ locis corroborauit. Primus ex Apostolo, 2.*Cor.5.1. Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis.* Alter locus quo Gregorius vtitur est item Pauli. *Philip.1.23 Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Tertius ex Luca, *Luc.17.37. Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ*, id est, animæ ad Christum in cælis. Alii alia proferunt, vt *Eccl.12.7. Reuertatur puluis in terram suam, Spiritus ad Deum qui dedit illum. Eccl.11.28. Facile est coram Deo in die obitus retribuere. Sap.3.1. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Luc.16.24. Crucior in hac flamma. vidit Lazarum in sinu Abrahæ. Luc.23.43. Hodie mecum eris in Paradiso. Ephes.4.8. Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, id est, animas sanctorum. *Heb.12.22. Accessistis ad Syon — Hierusalem cælestem — Ecclesiam primitiuorum — & spiritus iustorum perfectorum. Act.7.59. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Apoc.6.11. Et datæ sunt illis singulis stolæ albæ.*

CV. Ex his & similibus locis etiam superius à me allatis, ad probandum animas non dormire otiosas ante resurrectionem, colligitur profecto, animas iustorum pro illo statu esse in refrigerio, quiescere in Deo, Christum apprehendere, & ab eo magnam capere consolationem, certas esse de sua salute, & de futura plena gloria, ac de inchoata iam beatitudine plurimum lætari. Contra vero, animas impiorum esse in inchoata miseria, procul à Deo, cum certitudine pœnarum sensus futurarum; tantum enim cognitionis Deus illis infundit, quantum ad illum statum iudicat illis esse necessarium. Anima profecto est substantia intellectualis, illa de se, etiam separata à corpore, habet suas potentias intelligendi, & volendi, non dormit, vt probauimus, sed vigilat: illa est præcipua & maxima pars hominis: illa in bono præcipuas partes habuit, similiter in malo. Incipit ergo & anima iusti suo præmio frui: & anima impii, sua pœna, statim atque è corpore sunt egressæ: quantum ergo capax est iusti anima in eo statu, æternæ gloriæ, tantum accipit: & iniusti pœnæ. Quoniam tamen anima separata à corpore est in statu essentialiter imperfecto, & certe violento: & consequenter ipsius potentiæ cum in eo statu non habeant modum ipsis connaturalem operandi, ferri non possunt in obiectum beatificum totis viribus, nisi imperfecte & incomplete; cumque corporis vnionem summopere appetat ipsa anima, ex qua vnione suum statum perfectum & naturalem habeat, sentiat perpetuo se non habere vires integras, & perfectas, seque non posse integrum statum beatificum, sine corpore possidere, hinc plurimum à perfecta sua fœlicitate deturbatur: non quod hinc positiue se affligat, sic enim esset etiam miseria; sed negatiue; nouit enim sibi ista deesse; sed quieta & tranquilla pace fruitur, dum in Deo se esse lætatur, ipsiusque visione quantum capax est, tantum fruitur: & de reliquo quod ei superest certissima spe etiam illius suo tempore obtinendi se ipsam consolatur. Et de hac inchoata, & re vera non nisi partiali gloria, intelligendæ sunt Scripturæ modo allatæ. Solum moneo *Ephes.4. & Psalm.67, Captiuam illam captiuitatem*, inepte applicari animabus sanctorum Patrum; quod eas Christus è carcere ereptas, secum, quasi in triumphum, in cælum adduxerit. Christus enim non triumphat de amicis, neque eos captiuos ducit in cælum, sed potius simul cum ipso triumphantes; triumphauit vero de morte, de peccato; de Diabolo: & hanc captiuam duxit captiuitatem. De hac similiter inchoata, seu partiali gloria intelligendi sunt etiam Patres, qui de gloria sanctarum animarum solent interdum disserere. Et si quæ *apud Bellar. de beat. sanct. c.6.* rationes pro animarum gloria, vel pœna adduci possunt, eæ si quid probant, nihil amplius probant; quam à me modo concessum est.

CVI. Tertia igitur opinio quæ sit vere & proprie media, animas Sanctorum vult aliquam in cælis beatitudinem statim post mortem habere. Superesse tamen eis perfectam illam, & absolutam gloriam, plenamque fœlicitatem, quam post resurrectionem sint iam corpori denuo & immortaliter vnitæ, recepturæ. Differt porro hæc media opinio ab altera nostrorum extrema; quod media ipsa dat summam quam potest habere beatitudinem animæ separatæ, cuius illa capax est: sed hanc beatitudinem non putat esse beatitudinem illam essentialem, ad quam suos electos Deus ab æterno prædestinauit, quæque vt præmium, vt merces, vt hæreditas, electis promittitur: aut si est illa beatitudo essentialis, totam tamen non esse, sed partem duntaxat, siue ipsam beatitudinem obiectiuam spectes, siue subiectiuam, quatenus ab anima potest suscipi. At vero extrema illa nostrorum opinio, ponit totam essentialem beatitudinem in anima separata à corpore, tam obiectiue, quam subiectiue, ita vt & Deus ei communicet totam gloriam quam ei prædestinauit, nihilque illius reseruarit, aut cohibuerit; & anima totum similiter receperit, & intra se admiserit: Post resurrectionem tamen gloriam hanc maiorem, non quidem intensiue, ex parte obiecti beatifici, sed extensiue tantum, quia gloria illa iam data animæ, extendatur etiam ad corpus; & ipsum animæ gaudium futurum sit maius accidentaliter, ex eo quod videat etiam corpus gloria frui, & cesset appetitus ille naturalis informandi corpus, ipsiusque animæ in hoc desiderium expleatur.

CVII. Plenam tamen, & totam gloriam essentialem intensiue animas non habere ante resurrectionem, certe variæ Scripturæ conuincunt: illæ omnes in quibus differtur præmium, merces, hæreditas, regnum, alius, ad diem illum vltimi iudicii post resurrectionem, & expectatio ponitur vsque ad illũ diem: quarum quot superius protuli, quibus & aliis similibus Scripturis, & Patribus etiam, aliqui Scholastici sub Papatu adacti, asseruerunt gloriam animæ beatæ post resurrectionem fieri maiorem, non solum extensiue, sed etiam intensiue, quod nimirum ipsa gloria in essentiali magnum sumat incrementum, tum in se & obiectiue, quia à Deo plus gloriæ essentialis communicetur toti coniuncto,

post

post resurrectionem, quàm communicauerit soli animæ seorsim à corpore: tum etiam subiectiuè, quia plus capiat homo totus constans anima & corpore, quàm capere possit sola anima, quam Augustinus *de Genesi ad lit. l.12.c.35.* expresse negat eo modo DEVM videre, quo illum Angeli vident. Et in hoc augmento gloriæ, videtur consistere ipsa essentialis completa beatitudo, quæ satiet hominem: hæc vero satietas est postquam apparuerit gloria Christi iudicis vniuersalis. Scholastici autem intensiuum augmentum admittentes, sunt Magist. *in 4. Dist. 49.* Et *ibidem* Aquin. *q.1. ar.4.* & Bonau. *art.1.q.1.* & Richard. *art.2.q.7.* & Marsil. *q.13. art.3.* & fatetur Bellarminus, Augustinum & Bernardum ponere post resurrectionem augmentum gloriæ intensiuum. Sic proportione dicendum est de damnatis. Sanctorũ animas non negabo mensę cœlesti assidere, negabo tamen illos posse plenè satiari, gustant prima fercula; sed illa lautissima, quibus solis possit plenè fames & appetitus sedari, nondum sunt eis apposita, aut si sunt apposita, nondum illæ habent os & dentes, & stomachum præparatum ad illas epulas concoquendas, & in nutrimentum proprium conuertendas: *Psal.16.15.* Satiabor, cum apparuerit, &c. Ita & animæ damnatorum, abiectæ sunt à facie Dei, sed nondum plenè percipiunt quã graue damnũ illis sit hæc à DEI facie proiectio in sempiternum, necdũ summo cruciatu torquentur. Pœnam damni longè grauiorem sentient post resumptionem corporis, quia melius proprium damnum intelligent: & pœna sensus tunc tota adijcietur, quando dicetur illis, *Ite in ignem æternum.*

CVIII. Hanc sententiam nostrã ad dogma Ecclesiasticũ reduxit Gennadius, *Aug. de eccl. dog. c.76.* his verbis: Post Ascensionẽ Domini ad cœlos, omnium Sanctorũ animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christũ vadunt, expectãtes resurrectionẽ corporis sui, vt ad integrã & perpetuã beatitudinẽ cum ipso pariter immutentur: Sicut & peccatorũ animæ in inferno sub timore positæ, expectant resurrectionẽ sui corporis, vt cum ipso ad pœnam detrudantur æternã.] Nondũ ergo integram habent beatitudinẽ; nõdum facta est illa immutatio in æternam, quã expectant, gloriam. Quod igitur Bellarminus *de Purg. l.2.c.7.* de aliquibus iustorũ animis probabile cẽsuit, eas esse extra statum beatitudinis, in loco iucundo & amæno, vt retulit quidã apud Bedam, *l.5. hist. c.13.* & habent Brigittæ reuelationes, *l.4. c.124.* ibiq; nullam pœnam sentire, nisi solã beatitudinis dilationem; Sciat id omnibus iustis & Sanctis absq; vlla pœna contingere, siquidem animæ nudæ, sunt veræ & completę beatitudinis incapaces. Quia hominib. gloria, & æterna beatitudo promittitur, nõ nudis animabus: & locum illum amœnũ fabulosum Bedæ, esse in veritate cœlum, licet nondũ ibi cum Christo & beatis spiritibus Angelicis perfecta beatitudine perfruantur: & hoc docet expresse Augustinus, *de Trin. l.14.c.17.* Inepte vero locum illum ad Purgatorium reducit Bellarminus, quia vbi nulla pœna, ibi neq; purgatio: neq; pœna damni, aut afflictio vocari potest illa dilatio; sicut iusti in præsenti vita non dicuntur pœnam damni pati, neq; proprie affligi, quia incolatus eorum prolongatur, *Psa.119.5.* Pœna enim damni est priuatio rei cuius quis sit capax, at beatitudo perfecta non debetur, neq; illius homo capax est, nisi post resurrectionẽ, & ea, quę ex necessitate naturæ integræ patimur, quamdiu talis durat necessitas, non sunt pœnaliter afflictiua. Sicut in statu innocentiæ dilatio gloriæ æternæq; beatitudinis, neq; pœna vlla fuisset, neq; afflictio. Quod vero Paulus *Philip.1.23.* cuperet dissolui & esse cum Christo, id est, quia cupiebat liberari à pœnis, quas propter peccatum natura corrupta sustinet.

CIX. Et si quis quæreret, an Dæmones sint in gehẽna, & vltimã iam pœnã crucientur? Responderem, hæc ex scriptura haberi. Christum venisse ante tempus torquere Diabolum, *Matth.8.29.* Ignem esse paratum Diabolo, & Angelis eius: *Matth.25.42.* Item, Dæmones vocari ab Apostolo Principes aëris huius, *Ephes.2.2.* videntur ergo saltem aliqui in aëre, sed non sine suo cruciatu, manere, ad homines exercẽdos. Ex aëre is ergo erat legio illa quæ in illum miserum intrauerat, *Luc. 8.31.* quæque rogabat Christum, ne imperaret illis vt in abyssum irent. Est ergo aliqua abyssus, in qua Dæmones, sed non omnes, coercentur. Et in eam fortasse in die iudicij omnes qui sunt in aëre detrudentur. Petrus verò *2.Pet.2.4.* ait, Deum Dæmones catenis caliginis obductos in Tartarum præcipitatos tradidisse seruandos in Iudicium. Et Iudas similiter ait, Angelos, qui non seruauerunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, ad iudicium magni illius diei vinculis æternis sub caligine esse seruatos.] Itaque & iam non sunt sine pœna, & aliam grauissimam ad diem iudicij expectant. Ideo Iustinus *in Apolog.1.& 2.* sæpius repetit Dæmones igni sempiterno tradendos, sed nondũ traditos. Et Irenæus *l.5.c.26.* ait, Diabolum ignorasse suam damnationem ante Christi aduentũ, (quod mihi durum videtur) sed à Christo & Apostolis didicisse ignem æternũ sibi esse paratum; & hanc sententiam significat se à Iustino accepisse. Sic ferme Epiphanius in hæresi Sethianorum. Sic etiam Oecumenius *in cap. vlt. primæ Petri.* Sic Athanasius, & alij quos colligit Bellarminus, *de beat. Sanctor. c.6.*

CX. Hanc mediam sententiam, meo iudicio, verissimam, & probatissimam, cum Patribus sanctis, Caluinum quoq; tenere gauisus sum plurimum: cui Bellarminus *ibid. c.1.* immerito hæresim, omnem animæ beatitudinem ante resurrectionem negantem, appingit. Dum enim hæc essent imprimenda, incessit me curiositas plane cognoscendi, quid in hoc senserit ipse Caluinus: Percurri ipsius commentarios, percurri Institutiones, Opuscula percurri, ab hac media sententia non dissidentẽ, ab hæresi verò cuius eum Bellarminus insimulat, remotissimũ inueni. Et quia iniuriam ei factam cerno, placet aliquod ipsius dicta in medium proferre, ex quibus pateat, Bellarminum ipsius sententiam perspectam non habuisse.

CXI. In sua Psychopannychia hæc habet; Hanc pacem auget, & in melius prouehit mors, quæ huius mũdi militia solutos & quasi exauthoratos, ducit in locum pacis, vbi dum toti animo & aspectu in DEO hærent, nihil habent melius quo auertant oculos, aut desiderium retrahant. Deest tamen adhuc quiddam quod videre cupiant; nempe summa & perfecta Dei gloria, ad quam semper aspirant. Vt nulla sit illis impatientia desiderij; nondũ tamẽ plena & perfecta quies. Siquidem requiescere dicitur, qui est vbi esse appetit; nec modus desiderij finẽ habet, nisi eo peruenerit quo tẽdebat. Si autẽ oculi electorum ad supremam Dei gloriam, velut ad scopum collimant, semper in cursu est eorum desiderium, donec impleta fuerit DEI gloria; cui implementũ affert dies iudicij. Tunc verum erit illud; *Satiabor cum euigilauero aspectu vultus tui.*] Ponit profecto Caluinus animas in quadam inchoata gloria, sed etiam defectum agnoscit in ipsa gloria, ita vt animæ non fruantur tota & completa illa summa Dei gloria: ad quam, *inquit*, semper aspirant, & collimant, ideoq, animæ desideria semper sunt in cursu, nõ sunt illæ in pacata vltima requie. Non ergo solummodo deest illis cõiunctio cum corpore, sed etiam deest ipsiusmet glorię essentialis complementum.

CXII. Item habet idem ibidem. Teneamus, Spiri-

rũ imaginẽ esse Dei, instar cuius vigeat, intelligat, æternus sit. Quandiu in corpore est, virtutes suas exerceat: cum ex illo ergastulo egreditur, ad Deum migrare, cuius sensu interim fruitur, dum in spe beatæ resurrectionis requiescit: hanc requiem esse illi Paradisum. Spiritum vero reprobi hominis, dum terribile iudicium in se expectat, torqueri illa expectatione, quam Apostolus ob id φοβερὰν, id est formidabilem vocauit.] Hic quoque denuo inchoatam dat animæ beatitudinem, qua ad Deum proficiscatur, & sensu eius fruatur, hoc est, in se Deum sentiat; sed hoc totum est animæ quoddam interim: dum in spe certa futuræ gloriæ requiescit. Et Paradisum animæ, hoc est delicias eius totas in hac spe beatæ resurrectionis collocat Caluinus. Sicut & è contrario tormẽtum animarum hominum impiorum, totum ponit in illa formidabili expectatione iudicij terribilis.

CXIII. Item ibidem: Vitam quidem absconditam, (ait Apostolus *Coloss.* 3.3.) nobis tribui cum Christo capite nostro apud Deum; gloriam differt in diem gloriæ Christi; qui vt caput est Ecclesiæ, trahit secũ sua membra.] Hæc ille: Gloriam ait differri ex sensu Pauli, in diem nouissimum: & tunc fore vt à Christo membra attrahantur ad gloriam. Complementum ergo illud gloriæ vocat Caluinus absolutè gloriam: quia in illo complemento consistit tota ferme hominis fœlicitas. Et subdit Caluinus ista; Cum simus filij Dei qui expectamus hæreditatem Patris, sustinet ac suspendit hæreditatem nostram in diem illum, quo in omnibus gloria Dei manifestabitur; & nos in eo gloriamur. Hic profecto non loquitur de accidentali aliquo gaudio, ex corporis coniunctione & conglorificatione, sed de ipsamet hæreditate cœlesti, quæ est ipsum præmium essentiale; & hanc hæreditatem dicit suspendi in diem iudicij. Itaq; gloria illa inchoata nondum est hæreditas, sed hæreditas consistit in adimpleta tota gloria, quæ non adimpletur nisi post resurrectionem.

CXIV. Item ibidem: Respondeo, Christum caput nostrum esse, cuius Regnum & gloria nondum apparuerit: si membra caput præcedant, peruersum ac præposterum esse ordinem: tum vero nos secuturos esse Principem nostrum, cum ille veniet in gloria Patris sui, & sedebit in sede Majestatis suæ: interim tamen viuere quod ex Deo in nobis est: hoc est spiritum nostrum, quia Christus viuit vita nostra: — vitam autem hanc, & apud Deum, & cum Deo esse, & beatam esse, quia in Deo sit. — Cur enim nondum saluati esse dicuntur, aut Regnum Dei possidere, quia in Domino mortui sunt? Quia expectant quod nondum habent, nec finem suæ fœlicitatis attigerunt; cur nihilominus beati sunt? Quia & Deum agnoscunt sibi propitium, & futuram mercedem eminus vident.] Eadem profecto facit hoc loco Caluinus illam inchoatã animarũ beatitudinem, respectu complementi quod accedet post resurrectionẽ; nam licet beata sit anima etiam sine corpore, illa tamen beatitudo ponitur à Caluino magis in spe, quam in re: & mercedem in animis, non præsentem, sed futuram, & eminus ponit aspectabilem & nõdum saluatos esse ait mortuos in Domino, necdum Regnum Dei possidere.

CXV. Et aduersus Libertinos c. 22. hæc habet idem Magister. Denique quoniam infœlicissimi essemus omnium hominum, si spes nostra in hac vita inclusa esset, ad summam illam fœlicitatem, quæ ingenium nostrum exsuperat, aspiramus. Felicem, inquam, vitã illã, in quam Dominus noster Jesvs Christvs ingressus est; quo nos etiam aliquando secum deducat. Interim certo credimus, quod nobis per os Pauli dictũ est, nos, cum terrestre hoc domicilium dirutum fuerit, permanentem in cœlis domum habituros, &c. — Cæterum quia Scriptura nos semper ad extremum diem reuocat, quo promittit Christum venturum, vt iudicet viuos ac mortuos, in eo omnis spes nostra sita est; nam etsi fidelium animæ simul atq; separatæ sunt à corporibus, viuunt cum Deo, ac filij Regni ipsius gaudio potiuntur; tamen perfecta omnium filiorum Dei fœlicitas, vsque ad secundum Christi aduentum differtur. Ita vt Abel, Noe, Abraham, omnesque antiqui Patres nos expectent, necdum coronas suas receperint, vt vna omnes coronemur. Oportet igitur fidelium mentes in eum diem esse defixas, eorumque animos in eo conquiescere: sicuti etiam Scripturas talium exhortationum plenas videmus. — Clamat Scriptura, & clarã voce contendit, vt si salutem nostram velimus cõtemplari, ad supremum illum diem animos erigamus.] Hęc Caluinus. Qui profecto, sicut dat animis inchoatam illam beatitudinem, vt viuant cum Deo, & fœlici Regni ipsius gaudio potiantur; ita nõ accidentale incrementum, sed essentialem salutem vult à fidelib. post resurrectionem expectari. Nam & modo dicebat, fideles nondum saluatos esse, nec Regnum possidere, tametsi animæ sua fruantur beatitudine. Salutem enim & Regnum verum, ac plenum dari agnoscit tantummodo post resurrectionem.

CXVI. Item in *Commentariis in Harmoniam Euangelicam in Luc. cap.* 16. hæc habet idem Autor. Sicut luculentior gratia per Euangelium nobis affulsit, & Christus ipse Sol iustitiæ suo aduentu salutem nobis attulit, quam eminus sub obscuris vmbris patribus intueri olim datũ est, ita minime dubium est, quin mortui propius ad cœlestis vitæ fruitionem accesserint; interea tamen eis dum est immortalitatis gloriam vsq; ad diem vltimum redemptionis differri.] Et post nonnulla: Summa autem est, fideles animas, vbi à corporibus migrarunt, lætam ac beatam vitam extra mundum agere; reprobis verò paratos esse horribiles cruciatus, &c.] Hic quoq; inchoatam animis dat beatitudinem, easq; post Christum ait propius accedere ad cœlestis vitę fruitionem, quam ante Christum Sanctorum animæ accederent. At accedere propius, nõ est rem attingere, quoad gradum videlicet, nam quoad locum iam in cœlo sunt: immortalitatis vero gloriam illam completam, in qua summa nostra beatitudo consistit, differri ait ad extremum iudicij diem.

CXVII. Et in *cap.* 23. *Lucæ* ait, De loco tamen Paradisi curiosè, & argutè disputandum nõ est: nobis sufficiat, quicunq; fide insiti sunt in Christi corpus, esse eius vitę participes, atque ita post mortem beata & læta quiete frui, donec in solidum pateat Christi aduentu perfecta cœlestis vitæ gloria.] Hæc læta & beata quies est illa inchoata gloria, cui deest aliquid, & sane non parum, dum dicuntur animæ læta & beata quiete frui, donec: hoc *donec*, significat animas nondum plene pertigisse ad suam illam vltimam essentialem beatitudinem, & cœlestis vitæ gloriam. Itaque supplementum illud non est aliquid accidentale & extensiuum tantum, sed intensiuum & essentiale: post resurrectionem enim cœlestis vitæ gloria animis mortuorum patebit, quam antea non percipiunt. Itaque augmentum est ex parte gloriæ etiam, non autem ex sola corporis associatione.

CXVIII. Item *in Institutione lib.* 3. *c.* 25. §. 6. Stultum, *inquit*, & temerarium est inquirere, quo in loco sint animæ iustorum; & an gloria fruantur, necne. Interea cum Scriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriam ac coronam eo vsque differat; contenti simus his finib. diuinitus præscriptis, animas

animas piorum militiæ laborate perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum fœlici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectat.] Sunt ergo in lætitia & gaudio animæ Sanctorum, sed expectant, *inquit*, fruitioné promissæ gloriæ, non ait expectant tantummodo corporis coniunctionem, vt ipsum quoq; eiusdem gloriæ fiat particeps; sed ait, expectant ipsam fruitionem gloriæ; nondum ergo promissa illa completa gloria fruuntur, & id quod deest esse multo plus, quam id quod iam possident, satis colligitur ex his modis dicendi, quibus tam frequenter vtitur hic Doctor, nempe Scripturæ sacræ locis instructus; in quibus toties expectatio hæc inculcatur.

CXIX. Item *in Epist. Pauli ad Philip.* 1.6. in ea verba; *vsque in diem Iesu Christi.* Præcipuum quidem est, *inquit*, vt intelligas vsque ad finem certaminis: Certamen vero morte finitur. Sed quia sic de vltimo Christi aduentu spiritus in scripturis loqui solet, melius erit extendere progressum gratiæ DEI vsque ad carnis resurrectionem. Tametsi enim qui ex corpore mortali sunt liberati, non amplius militent cum carnis concupiscentijs, sintque extra teli iactum, vt aiunt, tamen nihil erit absurdi, si dicantur esse in profectu; quia nondum pertigerunt quo aspirant; nondum potiuntur fœlicitate & gloria quam sperarunt: denique nondum illuxit dies qui reuelet absconditos in spe thesauros. Atque adeo cum de spe agitur semper ad beatam resurrectionem, tanquam ad scopum, referendi sunt oculi.] Progressus gratiæ, & esse in profectu, significat nondum aduenisse statum perfectum gloriæ, vsque ad resurrectionem; & clarius est quod ait, nondum animas potiri fœlicitate & gloria quam sperarunt, & totam spem nostram post resurrectionem tantum fore adimplendam. Eundem profectum ponit etiam Augustinus *de Trinit. l.* 14. *c.* 19. qui & ait expresse de iusto saluando, Inietius de die in diem ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post iudicium, facie ad faciem, nunc autem proficit per speculum, in ænigmate:] Profecto perfectioné visionis beatificę ponit post iudicium. Augustino igitur est valde conformis doctrina Caluini: Qui sicubi ponit animas in aliqua beatitudine ante resurrectionem, intelligit inchoatam quandã beatitudinem, & partialem duntaxat; non totam illam & integram quam speramus, & ad quam aspiramus.

CXX. Ac demum *in 2. Pet.* 2.4. in ea verba; *Catenis caliginis*, ita scribit. Hac metaphora significat, tenebris constrictos teneri vsq; in diem vltimum. Sumpta est autem hæc similitudo à maleficis, qui postquam damnati sunt, carceris atrocitate dimidium pœnæ sustinent, donec ad vltimum supplicium trahantur. Hinc colligere licet, non modo quam pœnam sustineant reprobi post mortem, sed qualis etiam sit filiorum DEI conditio. Nam in spe certæ beatitudinis placide acquiescunt, quamuis ea nondum fruantur: sicuti priores horribile ex vindicta sibi parata tormentum sustinent.] Hæc ille. Quietem ergo illam lætam & pacificam, in qua animæ sanctorum conquiescunt, vix permittet, hoc saltem loco Caluinus, pro essentiali gloria computari, qua nondum animas frui asserit, sed eam ab illis ait expectari; & si hoc quod expectant, est complementum gloriæ quam iam habent, profectó tantum est hoc complementum, vt longé superet id quod incompletum habetur, ita vt ferme in ipso complemento totum consistat. Et hæc quidem Magister Caluinus, non minus piè quàm doctè, vt cætera explicauit. Maneat itaque, eorum sententiam vix stare posse, qui animas in tota fœlicitate ponunt, etiam ante resurrectionem, cui fœlicitati nihil essentiale sit accessurum post corporis glorificationem, nisi gaudium quoddam accidentale, maius extensiuè duntaxat, non intensiuè, nisi addito aliquo gradu: & hoc nostri docent Pontificij, vt tanto promptius suos sanctos inuocent.

Iam de loco animarum pauca addo. In primis inutilem puto esse omnem laborem, qui in quærendis & assignandis locis animarum post obitum, & ante resurrectionem impendatur. Scriptura enim nihil certi nobis, aut vix quicquam in hoc genere suppeditat. Cœlum sæpe commemorat, aut Paradisum, aut Abrahæ sinum, & Inferos, seu Infernum, ac Abyssum, & Tartarum, sed his nominibus interdum status animarum exprimitur, & non certus locus, vt in Paradiso esse animas, intelligatur ordinarie eas esse in statu fœlici & iucundo. Sic esse in inferno, significat eas esse in statu misero & infœlici; licet cœlum sæpissime locum ipsum significet, hoc est verum cœlum, in quo diuina gloria manifestatur.

CXXII. Certum porro est, animas certis locis definiri, in quibus omnino sint, & extra quæ non sint; loca tamẽ certa assignare est impossibile. In cœlo passim Scriptura tradit Deum suam gloriam manifestare. Est etiam alicubi gehenna locus damnandorum, & ignis paratus diabolo & angelis eius. Gehennam probabile est esse locum, in quo animæ damnandorum expectẽt suos vltimos cruciatus: quem locum, ait Ambrosius *de bono mort. c.* 10. vocari in scriptura Græcè ἅδην quasi *ἀΐδην* hoc est inuisibilem, quiá Latinis dicitur, *Infernus.* Sed vbi sit hic locus nemo mortalium audeat definire. Et ideo difficilimum est explicare, id quod in Symbolo dicto Apostolorum habemus, *Christum descendisse ad Inferos.* Non enim scimus, quinam, aut vbi sint isti inferi, & Lymbus Pontificius putatur à multis fabulis poeticis de campis Elisiis esse annectendus. Durum vero est descensum hunc ad Inferos non localiter, sed allegorice tantum explicare; sed hæc de Christi descensu relinquo. Assero tantum, animas piorũ, non modo eorum qui post Christi passionem ante ascensioné mortui sunt, sed etiam eorum qui Christum præcesserunt, videri probabile in ascensione Domini in cœlum esse translatas. Nam anima latronis certe ad cœtum Patrũ iustorum iuit; eum vero cœtum vocat Christus, Paradisum. Paradisum autem, id est locum delitiarum esse, vbicunq; sit anima beata, non videtur dubium. Iam vero post Christi ascensionem cœlo maximè conuenit omnium animarũ Sanctarum Paradisus, in quo cum læta illa & beata quiete expectent resurrectionem, & suę beatitudinis complementum.

CXXIII. Vbi tamen Sanctorum veterum Patrum iustorum animæ ante Christi ascensionem detinerentur, difficillimé potest statui. In plena & perfecta cœlesti beatitudine eas collocare non possumus, obstant enim quæ hactenus docui de anima separata: & præterea obstat etiam, quia æquum videtur fuisse, vt Christus primus intraret in gloriam suam, & post ipsum serui eius, vt probat Epiphanius, *hær.* 75. Locum subterraneum, quem Lymbum appellant, ponunt nostri: quibus fauet plurimum id quod ex quodã Presbytero, qui Apostolorum discipulos audierat, narrat Irenæus *lib.* 4. *c.* 45. Quemadmodum audiui, *inquit*, à quodã Presbytero, qui audierat ab iis, qui Apostolos viderant, & ab iis qui didicerant, sufficere veteribus de iis, quæ sine consilio Spiritus egerunt, eam quæ ex Scripturis esset correptioné. Quemadmodum Dauid—compunctus est, & ait, Peccaui Domino, & Psalmũ 50. exomologeseos psallebat, aduentum Domini sustinens, qui abluit & emundauit eum hominem qui peccato fuerat obstrictus. Similiter autem & de Salomone—Sufficienter increpauit eum Scriptura, sicut dixit Presbyter, vt non glorietur vniuersa caro in conspectu Domini. Ea pro-

pter Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse, Euangelizantem & illis aduentum suum, remissam peccatorum existentē ijs qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est; qui aduentum eius prænunciauerunt, & dispositionib. eius seruierunt, iusti, & Prophetæ, & Patriarchæ; quib. similiter vt nobis remisit peccata— Iustificabantur autem non à semetipsis, sed à Domini aduentu, qui intendunt lumen eius — & illis quidem curatio, & remissio peccatorum mors Domini fuit; propter eos vero qui nunc peccant, Christus iam non morietur, &c.] Hæc Irenæus ex illo Presbytero. Christum & Apostolos non modo prædicasse Euangelium hominib. in hac vita, sed etiam Spiritibus, id est, animis siue Iudæorum, siue Gentilium qui honeste vixerint, sed Christi Euangelium non audiuerint, contendit plurib. etiam Clemens Alexandrinus, *Clem. Strom. lib. 6.* Et credentes quidē animas ab Inferno fuisse liberatas, nō credentes in suppliciis firmatas; nititurq; dicto Petri 1. *Pet. 3. 19.* potissimū. Quoniam tamen locus hic graues continet difficultates, & interpretatio hæc Clementis nō consentit Paulo dicēti 2. *Cor. 5. 10.* vnumquemq; in alia vita accepturum, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum, prætermittenda est, vt eam alij considerent. Sed & illa illius Presbyteri interpretatio de prædicatione remissionis peccatorum facta iis, qui in veteri lege peccarant grauiter, scripturis non conformatur, quæ plene iustificatos in Christo venturo sæpius ponunt veteres illos veteris testamenti peccatores. Et durum est asserere, Dauidi non fuisse remissum peccatum, nisi post mortē Christi. Certè plenā remissionē legimus in veteri scriptura sæpe, *Nu. 14. 20. Psal. 31. 1. 5. & 84. 3. Ezechiel. 18. 22. &c.* Si itaq; vera essent illa quæ narrabat Presbyter ille, Lymbum profectò sub terra positum, in quo Patrum animæ vsq; ad Christi mortem seruarentur, ex traditione haberemus Apostolica: Et miror cur ex hoc loco Irenæi, nostri vel maximè suum Lymbum non vrgeant. Quia tamen contraria scripturæ narrabat Presbyter, sua potius, vel aliorum somnia Irenæo nimium credulo obtrudebat. Neque enim omnia Apostolicam doctrinam continent, quæ Apostolorum auditores tradere interdum ex se sunt conati: nec omnes sacræ Scripturæ interpretationes ab ijsdem datæ, sunt Apostolicæ interpretationes. De Apostolorum aliquibus auditoribus & discipulis ait Ioannes, 1. *Io. 2. 19.* Ex nobis prodierunt, sed non erāt ex nobis. Et Petrus 2. *Pet. 3. 16.* testatur iam tunc non defuisse aliquos, profecto Apostolorum discipulos, indoctos, & instabiles, qui loca Pauli difficilia deprauarent, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ita & illum Petri locum admodum difficilem, de prædicatione Spiritu, vel spiritibus facta, ad sensus absurdos tractum ab illis primis Apostolorum discipulis, scimus. Nonne Papias Hieropolitanus Episcopus, Ioannis Euangelistæ auditor, *teste Hier. de script. Eccl. in Papia & Aug. de ciuit. Dei l. 20. c. 7.* millenarium quendam, propemodum Chiliastarum errorē, seu Iudaicā Δευτέρωσιν ex loco Apocalypsis male intellecto, docuit: & inde Irenæus ipse, & Apollinarius, & Tertullianus ac Victorinus, & alij hauserunt? Cum itaq; nullum indicium habeamus in Scriptura subterraneorum receptaculorum animarū, de Lymbo nihil firmum possumus asserere. Quamuis Patrum ferè omnium Græcorū, ac Latinorum cōmunissima sententia sit, Christi animam in triduo mortis fuisse apud Inferos, indeq; Patrum animas eripuisse. Dicta Patrū collegit Coccius. *thes. par. 1. l. 2. art. 4.*

CXXIV. Origenes autem *ad c. 5 ad Rom.* ex his, Pauli dicto nixus, descensum in Infernum omnium ante Christum animarum ponit; eumque secutus Augustinus, *de Eccles. dogm. c. 78.* imo potius Gennadius vt quibusdam videtur Massiliensis; is dogma Ecclesiæ ait esse in hoc genere tale; Ante passionem Domini omnes animæ Sanctorum in Inferno, sub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec autoritate Domini, per indebitam eius mortem à seruili conditione liberarentur.] De loco hic Autor nihil dicit; eas tamen in Inferno ponit; non quidem damnatas, neque æternæ pœnæ illi addictas, sed tamen nondum à præuaricatione Adæ liberatas: nondum fœlices eas fuisse asserit, sed in carcere & seruili conditione positas; non quidem ad vllam purgationem pœnalem ob eorum peccata actualia, sed ex necessitate ferme naturæ, propter Adæ præuaricationem: ita vt inter alias peccati originalis pœnas, in quas natura humana propter Adæ peccatum incurrit, sit ab æterna beatitudine amotio, donec per Christum re ipsa natura humana redimeretur. Erant igitur animæ illæ in Inferno, ex sententia Augustini, seu Gennadij, sed sub certis spe redemptionis futuræ: quas per Christum obtenta, simul cum anima latronis illâ eâdem die factas esse beatas, ab illo carcere liberatas, & in die ascensionis cum Christo in cœlum ascendisse colligitur ex eodem Autore, *Aug. vbi sup. c. 79.* Contra hoc Ecclesiæ Catholicæ tempore Augustini, aut Gennadij paulo posterioris dogma vniuersale (talia enim Autor eo opere colligebat,) nihil opponere audeo, imo neque quid opponam habeo; Aliquibus fortasse dogma hoc non placebit; Destruant igitur ipsum & abijciant: mihi silentio non fuit prætereundum. Subterranea tamen loca pro animis asserere quibusdam leuitas videtur: quamuis Ioannes *Apoc. 5. 3.* vel allegoricè vel hyperbolicè habitatores aliquos subtus terram videatur agnouisse. Paulus quoque *Philip. 2. 10.* habet cœlestes, terrestres, & Infernos genua in nomine Iesv flectentes. Alij ista exactius perquirant. Certe Augustinus *de Gen. ad lit. l. 12. c. 33.* subterraneum Infernum primum reiecit; postea reiectionem hanc retractauit, *retract. l. 2. c. 24.*

CXXV. His de animarum statu & loco explicatis, iam videamus quid Concilia, quid Patres dicant, vnde Purgatorium nostrū possit colligi. Meminerimus quæso ante omnia eorum quæ superius quoq; obseruaui, disputationem totam hanc nostram esse de illo Purgatorio, in quo animæ igne & cruciatibus pœnas peccatorum temporales, quas in hac vita non luerunt, luunt. An verò post mortem aliqua peccata venialia fidelib. remittantur, quoad culpam potissimum, & etiā quoad pœnam, aliam esse quæstionem; neque Purgatorium propterea poneretur, si etiam id fieret, dummodo anima exuta corpore, cui talia remittantur à Deo peccata, etiam per Ecclesiæ militantis intercessionem, in nullis sit pœnis ante remissionem, neque in vllo loco pœnali; Nunc verò his addo ea quæ de statu animarum iam explicaui, videlicet animas omnes in statu imperfecto post mortem manere, & reproborum quidem damnatorum, seu potius damnandorum, in Inferno vltimum iudicium æternosque cruciatus expectare: electorum vero in cœlo, sed non in completo statu gloriæ, completam beatitudinem similiter postulare. Quod si qua alicuius electi anima cum aliquo ex leuioribus peccatis decesserit, cuius remissionem in hac vita non habuerit, videndum esset, an ante diem iudicij possit etiam in cœlo & loco tuto refrigerij quo pleno existens, citra omnem pœnalem purgationem, peccati illius, & quoad culpam, & quoad pœnam remissionem, etiam per Ecclesiæ intercessiones, obtinere; quod si posset certè ex hoc nullum Purgatorium esset asserendum. Quod verò dicitur, *Apoc. 21. 27.* Nihil inqui-

inquinatum ingredi in hoc Regnum, intelligendum esset de hoc perfecto ingressu post resurrectionem, nō de illo inchoatiuo, & imperfecto, qui est in atria, nō in cubicula Regis. Neq; dicant aduersarij, hunc ipsum locum atriorum tunc fore purgatorium, quia in eodem loco essent omnes animæ iustorum, etiam sanctissimorum, & qui penitus nihil inquinatum secum abduxerunt, sed plenissimam remissionem in hac vita obtinuerunt.

CXXVI. Cum igitur tota nostra Theologia ad stabiliendum Purgatorium nihil aliud pene habeat, aut proferat, nisi orationes publicas & priuatas, siue in Liturgia sacrā cœnam præparante, quam nos Missam vocamus; siue in aliis precibus pro defunctis, planum est Purgatorium hic fundari nō posse; quia orationes huiusmodi ad remissionem illam peccatorum Deo dici possent offerri, anima mortui in loco iam saluationis, & non in Purgatorio existente. Videndum igitur nobis est, an res ita se habeat; & quid de orationibus oblationibusq; pro mortuis senserit Ecclesia.

CXXVII. Mortuorum hominum cadauera esse honestè sepelienda, natura ipsa docet. Gentiles etiam parentari mortuis solebāt, funera ducere, exequias peragere, iusta persoluere, inferias dare, & extremos honores exhibere. Iustum hūc & honestum morē erga fideles Christianos Ecclesia non putauit esse deserendum, sed fouendum, & cum pietate ac religione exercendū. Christianas exequias describit Chrysostomus *in ep. ad Heb. hom.* 4. hoc pacto: Dic mihi quid sibi volunt claræ lampades? Annon eos tanquam Athletas deducimus? Quid autē hymni? Annon Deum glorificamus & gratias agimus, quod eum qui excessit iam coronauerit? quod à laboribus liberauerit? quod eiecto metu eum apud se habeat? Non ideo sunt hymni? Non ideo psalmodiæ? Hæc omnia sunt lætātium: est enim quispiam, *inquit*, læto, & alacri animo? psallat, — quanam enim de causa, dic quæso, vocas presbyteros eos, qui psallunt? Nonne vt consoleris? Non vt eum honores, qui excessit?] Dixit quidem Iulianus Episcopus Toletanus *prognost. c.* 18. de exequiis, quatenus ad honorem quendam, etiam mundanum spectant, parum eas mortuo prodesse; Ratio, *inquit*, funeris, & conditio sepulturæ, seu pompa exequiarum magis sunt viuorum solatia, q̄ subsidia mortuorum.] Si tamen debita cum pietate, & religione peragantur, prodesse possunt mortuo, vt inferius videbimus. Ac interim Ecclesiastica officia in funere mortuorum, viuis plurimum possunt emolumenti spiritualis afferre, mortalitatis memores humiliantur, ad immortalitatem aspirare discunt, & spe certa resurrectionis, vnioneque perfecta, ac coniunctione inter Ecclesiam militantem, & illam triumphantem, quæ est primitiuorum, *Hebr.* 12. 23. se consolantur.

CXXVIII. Antiquissimum præterea, & cōstantissimum morem in Ecclesia producunt nostri, vt in funeribus mortuorum sacra Liturgia, cum Eucharistiæ cōsecratione, & consequenter cum sacra communione funeri præsentium, si non omnium, saltem aliquorum celebraretur, vnde nostræ Missæ pro defunctis dicuntur promanasse. Sane Tertullianus *de Monogam.* suadet, inquiunt, vt vidua offerat annuis diebus dormitionis sui mariti. Et Cyprianus *l.* 1. *ep.* 9. ab Episcopis suis antecessorib. priscum fuisse asserit. Ne quis frater excedēs, ad tutelā, vel curam clericū nominaret; ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Athanasius *q.* 33 animas mortuorum beneficia percipere ex orationibus & oblationibus asserit. Cyrillus *Catech.* 5. *mystag.* maximum animarum iuuamen dicit esse, si pro eis offeratur. Timotheus Patriarcha Alexandrinus in suis Responsis Canonicis, *can.* 14. ex Patribus Concilij Constantinopolitani Primi, negat oblationem celebrari debere pro illis mortuis, qui sibi ipsis, cum mentis essent compotes, violentas manus intulerunt. Concilium Carthaginense, 3. & 4. 3. *c.* 29. *&* 4. *c.* 79. oblationis pro defunctis meminerūt. Aërianam hæresim damnant Epiphanius *hær.* 75. & Augustinus, *de hæresib. c.* 53. quæ negabat oblationē esse pro mortuis offerendam. Ambrosius *ep.* 8. Faustinum hortatur, vt non mœstificet sororem nuper mortuam lachrymis, sed magis oblationibus animam eius Domino commēdet. Basilius Seleuciæ, *homil. de Lazari suscit.* Consolationem afferri mortuo, in peccatis, si pro eo eleemosynæ dentur, & altaris sacrificium offeratur. Augustinus *confess. l.* 9. *c.* 12. in suæ matris funere oblatū pro ea sacrificium narrat; & *idem Enchirid. c.* 109. 110. pro non valde malis vtile id esse profitetur. Gregorius Turonensis *hist. Franc. lib.* 4. *c.* 34. ait; Palladium quendam sui ipsius interfectorem, in funere Missarum solennia non metuisse. Gregorius II. 13. *q.* 2. *c. pro obeuntibus* Bonifacio laudat vsum Ecclesiasticum offerendi pro defunctis. Beda *hist. Eccles. Angl. l.* 4. *c.* 22. & post ipsum plurimi, pleni sunt Missis pro defunctis. Et ipsæ quoq; antiquæ Liturgiæ, præsertim Iacobi & Basilij preces peculiares continent pro defunctis, & fatentur in sacris mysteriis orari pro mortuis. Chrysostomus, *hom.* 3. *in epist. ad Philip.* Augustinus, *de cura pro mort. cap.* 2. & alij, precibus statim fusis, seu immediatè antequam funderentur, in diptychis seu tabulis recitabantur nomina mortuorum; sed & oblatio fieri dicebatur pro sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, &c.] Sed preces illæ pro Sanctis, & istis mortuis, *teste Aug. tract.* 84. *in Ioan.* erant gratiarum actiones, pro peccatoribus vero etiam intercessiones: & Missæ publicæ pro defunctis ideo celebrabantur, quia in ipsis Liturgiis aderant illæ preces, & simul cum memoria sacrificij veri in cruce peracti, perfectam animæ defuncti expiationem Ecclesia postulabat, non ex opere operato, sed ex opere operantis ipsiusmet Ecclesiæ, per suam intercessionem.

CXXIX. Addunt preces etiam extra Liturgiam, seu Missam sacramque Communionem, fundi Deo solitas fuisse, siue priuatas siue publicas, in funere, & post funus pro animis, & in genere, & in particulari, defunctorum, inde ab Apostolorum temporibus, vniuersalis Ecclesiæ more continuato; illasq; reprehendi non posse, sed vtiles perpetuo iudicatas fuisse ex Patribus probant. Tertullianus enim, *de Monogam. aiunt*, viduam hortatur, vt pro anima defuncti mariti oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, offerat que annuis diebus eius dormitionis.] Athanasius *q.* 33. *ad Antiochum* nisi animæ, *inquit*, beneficia participarent, non vtique in cura & exequiis fieret commemoratio: — peccatorum animæ ex piorum precibus, & bonis operib. solamen accipiunt.] Ex Areopagita & Constitutionibus Apostolicis merito pro defunctis orari, probat Anastasius Nicænus. Ex Epiphanio quoque *apud Nicænum q.* 20 in Prouerbia, vbi ait, Prosunt autem preces quoq; pro piis defunctis. Nam etsi magna crimina non amputent, prosunt tamen, propterea quod cum simus homines, sæpe labamur voluntariè & inuoluntariè.] Chrysostomus *hom.* 41. *in* 1. *Cor.* eleemosynas, orationes & oblationes pro mortuis vehementer laudat: Non sunt, *inquit*, hæc temere excogitata, — sed vt inde eis aliqua sit consolatio, — eis ergo opem feramus — & fieri potest vt veniam eis omni ex parte conciliemus.] Et rursum *in ep. ad Philip. hom.* 3. *& in Acta hom.* 21. Opem pro vitib. eis feramus, aliquod ipsis auxilium cōparemus,

exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat — preces fundentes, tum alios vt pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis perpetuo dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc etiam aliquid solatij — Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, vt in venerandis mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt. Nouerant hinc multum ad illos lucri accedere, multum vtilitatis. Eo enim tempore quo vniuersus populus stat manibus passis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem, venerationis plenum, incutiens, sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de ijs qui in fide decesserunt.] Nihil tamen hic ex thesauro Ecclesiæ, nihil ex Missæ opere operato; sed tota ratio cur in Missis mortuorum fieret commemoratio, præsente potissimum funere, erat vt orationes conuenientis ad synaxim populi, tunc DEO gratissimæ & acceptissimæ, essent efficaciores. Notant vero in Chrysostomo, has pro mortuis preces & oblationes ab Apostolica descendere traditione.

CXXX. Augustinum obseruant certum fuisse, vt supra vidimus, animas post mortem ante resurrectionē eorum qui salui esse debent, in receptaculis quibusdā certe cœlestibus, detineri; & fortassè aliquos iustos & pios labeculas aliquas quotidianorum peccatorum secum ferre; probabileq; esse eos orationibus & oblationibus, alijsq; piis operibus iuuari, & post mortem animas à talibus peccatis solui & liberari, adiuuantibus & publicis Ecclesiæ precibus ac oblationibus; & priuatis etiam suorum orationibus. Et hoc esse in vsu totius Ecclesiæ vniuersalis, & sane laudabili, vehementer eum dicunt inculcare. Loca citant præsertim sequentia: *Enchirid. c. 109. 110. Ad Dulcitium q. 2. De cura pro mortuis, toto libro. De ciuit. Dei lib. 21. c. 24. De verb. Apost. serm. 17. & 34. &c.* Augustino annectunt Paulinum, qui orandum esse pro mortuis sæpe docet, vt *epist. 18. & 19. & alib.* Posteriora Augustino tempora, orationibus & Missis pro defunctis, vt á peccatis soluantur, plenissima esse aiūt. Sed propterea Purgatorium quale nos ponimus, esse ponendū, qui sapit, quiq; sacrā aliquantisper versat Scripturam, & legat Patres, nunquam consenserit.

CXXXI. Mihi sanè in primis dubium non est, orationes illas publicas quæ fiunt etiam ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, in funere mortuorū, *Constitut. Apost. l. 8. c. 41. 42. Et Areop. de eccl. hierar. c. 2.* esse orationes, seu preces quæ fieri deberent super fratre agonizante, & moribundo, tunc enim vel maxime eget is qui criminibus non est irretitus, vt dilectissimæ Christi sponsę intercessionibus adiuuetur, quando ille nec actus contritionis, nec externæ pœnitentię, nec humiliationum, potest efficere, nec eleemosynas erogare, nec feruenti oratione ad Deum conuerti: quia igitur cœtus fidelium non potest conuenire in priuatum moribundi cubiculum, statim quādo effertur funus præstatur mortuo, quæ præstanda erant moribundo. Non oramus in precibus ac Missis defunctorum, vt animæ liberentur à pœnis purgatorij, sed vt Deus illis peccata, quæ humana fragilitate contraxerunt dimittat. Rogamus vt ab inferno, & non vt à purgatorio liberentur. Domine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarum, ne cadant in obscurum — Fac eas, Domine, transire de morte ad vitam, &c.] Nonne hæc supponunt, animam esse adhuc dubiam & incertam suæ vię? Et nondum iudicialem sententiam audiuisse? Legatur sequentia illa, *Dies iræ, Dies illa.* Certe tota est in ore alicuius animam agentis, & non mortui.

CXXXII. Deinde etiam stantibus ijs quæ de statu animarum supra consideraui, non esset absurdum fateri, peccata leuiora, si quæ in hac vita quoad culpā remissa non sunt, post mortem remitti; idq; paulo post obitum: dum piæ & religiosæ exequię Ecclesiasticæ peraguntur, virtute Ecclesiasticæ intercessionis in precibus publicis, ac præsertim illis quæ fiebant in sacra liturgię celebratione, vt supra Chrysostomus obseruabat; & concilium Carthaginense *3. cap. 29. & 4. cap. 76. & concilium Bracaren. c. 69.* satis clare commemorat. Siquidem igitur Ecclesia perpetuo pro defunctis orauit & obtulit, ab Apostolis etiam edocta, pie credi posset, Deum vel in puncto mortis talibus remittere peccata venialia, condonando ea nomine Ecclesiæ, propter præuisas intercessiones; vel paulo post mortem, data aliqua morula, antequā in cœlum inducantur: non enim necesse est in vnico instanti animas statim è corpore egressas, ad suum terminum peruenire. Animas enim eorū qui rursus morituri resuscitati sunt, & præsertim quatriduani Lazari, à sua beatitudine iam possessa reuocatas fuisse, non videtur verisimile. Sic neq; alias ex Paradiso, vel ex inferno: sed alicubi detentas extra pœnas, extra gloriam.

CXXXIII. Hæc tamen peccatorum venialium, ad intercessionem Ecclesiæ, post mortem hoc pacto explicata remissio, nullum profectò ponit aut supponit Purgatorium. Si enim saluandis auferamus, vt reuera auferendum est, omne debitum pœnæ, siue venialium, siue mortalium post mortem luendæ, omnes profecto Pontificij penitus valere iubebunt Purgatorium. Ad solam enim venialium quoad culpam remissionē nullus prorsus erit Papæ, Presbyteris, & monachis vsus, nullū emolumentum Purgatorij. Nam neq; thesaurus, neq; claues, neq; potestas vlla Papalis, Episcopalis, Sacerdotalis ad culpæ vllius post mortem solutionem inseruiunt; & illa solutio donatur animæ post dimissum corpus, in gratiam precum, & intercessionis totius cœtus Ecclesiæ, ex opere, vt dixi, operantis, siue etiam priuatorum, qui ad mortuos attineant. Et non solū id obtinent Ecclesiastici, neq; per Missas, nisi quatenus omnes præsentes mysterijs coniungunt se cum ministro ad orandum pro mortuis. Anima vero illa, etiamsi cum aliquo ex quotidianis peccatis decesserit, Interim, neq; est in pœnis, neq; in carcere, neque in vllo molesto loco, neq; purgatur, neq; patitur, vt est explicatum. Quando vero post mortem, & ante resurrectionem remittitur peccatum, tunc etiam non animæ remittitur soli, sed toti homini, qui perpetuo propter certitudinem resurrectionis pro viuo habetur, sicut Christus dixit, Deum esse viuorum, Abrahami, Isaaci, & Iacobi, non mortuorum Deum: vnde probabat Dominus resurrectionem. Quod vero Ecclesia tertium diem, septimum, trigesimum, quadragesimum, anniuersarium in commemorationibus defunctorum solita fuerit seruare, vt probant ex Patribus, fuit ad imitationem luctus in veteri testamento, ad honestandum humano quodam honore defunctum, & ad implendum pietatis officium; vt explicat Ambrosius 13. q. 2. c. 24. & Apostolicæ constitutiones, *lib. 8. c. 42.* Inde nos superstitionibus locū aperuimus, putantes in illis præcise diebus vim quandā consistere ex Purgatorio animas liberandi. Quare Missæ Gregorianæ sunt merę superstitiones. Iam ergo cū vetera Concilia, quæ pro Purgatorio profert Bellarminus *de Purg. l. 1. c. 9.* nihil aliud contineant, nisi hanc peccatorum, scilicet leuiorum, post mortem, etiam quoad culpam, à nobis hactenus explicatā remissionem, & Ecclesiæ pro illis intercessionem, ad confirmandū Purgatoriū nihil valēt. Recentiora vero Cōcilia nō moramur, quæ liberè pro Papatū libidine fidei articulos, sine scriptura, sine Patrib. sine cōsensu

Eccle-

Ecclesię, imo etiam contra scripturam, contra Patres, & contra sensum puræ Ecclesiæ cudunt, & obtrudunt.

CXXXIV. Hæc, quæ dixi de remissione alicuius culpæ venialis post mortem, per Ecclesię intercessionẽ, licet vtcunque modo explicato admitti possint, & sua, meo iudicio, non careant mea probabilitate, vt sic Ecclesiæ preces pro defunctis vtiles esse, & non otiosas asseramus, quatenus ex Apostolica institutione mos ille Ecclesię orandi pro defunctis putetur, vt fatetur Chrysostomus, & videtur valde probabile, promanasse: ponere tamen remissionem venialium per Ecclesiæ preces, etiam diu post mortẽ hominis, pro quo oratur; seu pro omnibus defunctis in genere, etiam pro illis, qui iamdiu è viuis excesserunt, non videtur esse adeo constans, adeo tutum, adeo probatum, vt ad Apostolicam traditionem id quoq; duci trahive debeat. Vsum antiquum Ecclesiæ orandi pro mortuis ita admisit, approbauit & explicauit Augustinus *Enchirid. c. 109.* vt preces illæ, quæ indifferenter pro quocunque, & pro omnibus mortuis, quocunq; tempore ab Ecclesia Deo offeruntur, pro valde bonis, sint gratiarum actiones: pro non valde malis, sint propitiationes; & pro valde malis, sint viuorum duntaxat cõsolationes: quomodo autem intelligat Augustinus illas pro non valde malis propitiationes, num ad remissionem venialium culparum, num ad pœnæ aliquam remissionem, aliove modo, nõ adeo clarum est. Oramus igitur etiam pro valde bonis, & sane vtiliter, quia nobis vtile est in gratiarum actionibus coram DEO versari: & fortasse vtile etiam Sanctis, ad honorem, & gloriæ fortassis accidentalis incrementũ: Sic nostra Romana liturgia orat, vt oblatio illis, videlicet Sanctis, proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem. Et olim Missalia habebant Collectam pro Sancto Leone, *c. cum Marthæ, de celebr. Miss.* in qua orabatur, vt animæ Sancti Leonis hæc proficiat oblatio. Et in genere sæpe orat adhuc in Missis Romana Ecclesia, Vt sicut sancta mysteria prosunt Sanctis ad gloriã, ita nobis proficiant ad medelam, *Bellarm. de Purgat. libr. 2. c. 18.* Non ergo, absolute loquendo, oratio pro defunctis, etiam quæ illis vtilis sit, supponit Purgatorium.

CXXXV. Quid quod etiam pro dãnatis vsus fuerit aliquando ferè vniuersalis in Ecclesia fundere illis proficuas orationes? non quidem ex Origenis errore, qui adeo proficuas cẽsuit, vt possent etiam damnatum à suppliciis Inferni penitus eruere, sed quod talib. precibus minui cruciatus damnatorum aliquantisper putauerint, manente tamen supplicio æterno. In ea sentẽtia intellexit preces Ecclesiæ Chrysostomus *ad Philipp. hom. 3.* nec alienus ab ea fuit Augustinus *Enchirid. c. 110.* & clare eam tradidit Ioan. Damascenus *serm. de mortuis editu.* carmine explicauit Prudentius. Et ex recentioribus aliquo modo adhæserunt Præpositiuus, Gilbertus Porretanus, & Antisiodorensis. Quos refert Sixtus Senensis *Biblioth. lib. 6. annot. 45.* Quid mirum igitur, si interdum Patres in orationibus pro mortuis tantillum excedant, qui putarint etiam in Inferno damnatos posse in suis pœnis Ecclesiæ precibus, non liberari, sed alleuiari? non ergo vndequaque fidendum Patribus in his, quæ ad preces pro defunctis spectant, vbi præsertim de iis loquuntur, qui iamdiu mortui sunt: quæ enim recenter mortuis, ex causis à me explicatis, concedi non ægre possunt, ea ad longum tempus, quando iam anima defuncti est in suo termino, extendere, non facile auderem.

CXXXVI. Viguit etiam alia diu inter multos Patres *Ambros. Hieron. Lactant. &c apud Sixt. Biblioth. lib. 5. annot. 171.* opinio; in non bene intellecto Pauli dicto de saluandis quasi per ignem, fundata, quam inferius reprobabo, nimirum per ignem conflagrationis in extremo die eorum fidelium animas transituras, qui labeculas veniales in hac vita non absterserint, & in illo igne illa transitione purgandas. Eo quoq; Ecclesiæ preces pro defunctis applicant, orarique putant, vt per ignem illũ quam minime læsi transeant, ne obsit grauiter, neve nimium crucietur, sed in illo habeant à DEO paratam promptam remissionem. Atq; in hoc etiam sensu oratio defunctis prodesset, ad venialium quandam remissionem, absque vllo Pontificio nostro purgatorio. Sic enim totum purgatorium esset vnius circiter horulę, in solo extremo iudicii die. Sed hanc etiam purgationem iam sustuli superius, data huic Paulino loco sua explicatione, & inferius iterum auferemus. Sic igitur constat, pluribus nominibus orationes pro defunctis posse vel admitti, vel excusari, absque vlla nostri purgatorii positione, vel suppositione. Et ex his facilè liberamur ab illis Patribus, quos in prima serie posuit Bellarmin' *de Purg. l. 1. c. 10.* Imò & ab omnibus, quos multo plures in vnum coaceruauit Coccius *Thesaur. part. 2. l. 7. art. 5.* Nam de igne Purgatorii vel in solo sensu Pauli, diuini examinis, & iudicii; vel de igne conflagrationis loquuntur Ruffinus, Basilius, Ephrem, Nyssenus, Hilarius, Procopius Gazæus, Eucherius, Maximus, Augustinus, Oecumenius, &c. Laudant verò antiquum vsum orandi pro defunctis modis, & ex causis explicatis, Eusebius Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Concilium Nicænũ Arabicum Apocryphum, Ephrem, Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Palladius, Cassianus, Aetius, Socrates, Theodoretus, Basilius Seleuciæ, Maximus, Climacus, Damascenus, &c. Recentiores post hos nihil moror. Moneo tantum eos, qui collectionem Coccii legerint, nihil moueantur dictis Origenis, quia in eo erat errore, omnes animas, tàm fidelium, quàm infidelium ab inferno tandem liberandas: & eas precibus posse iuuari: & sic illi ipsa gehenna est Purgatorium. Cyrillus quoque Hierosolymitanus in modestiori, sed iam reprobata opinione est, fidelium animas posse precibus nostris in gehenna alleuiari in pœnis, sed non liberari. Moneo etiam, Synesium ad rem non esse; quia de solo igne gehennæ loquitur, ita purgante, vt nunquam purgare desinat: & de Purgatorio per tribulationes huius vitæ. Quatenus tamen alicubi aliqui ex Patribus, quos producit Bellarminus in secũda serie, videntur expresse asserere ignem quendam temporarium purgatorium in alia vita, in hoc diligentius sunt discutiendi & explicandi.

CXXXVII. Antequam verò ad singulos discutiendos accedam, generalem quandam præmitto obseruationem. Ea verò est, Neminem Theologorum adeò absurdum temerariumque vnquam fuisse, aut futurum, vt de rebus abditissimis, quę in alia vita fiunt, ex se, proprioq; cerebro quidquam prompserit, prompturusve sit, nisi ex diuinis scripturis, & reuelationibus id habeat, colligatve; vt optimè monet Augustinus *de peccat. mer. & remiss. libr. 2. in fine*, Vbi, *inquit*, de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.] Cum itaque prima fronte Scripturæ interdũ, licet obscurè, innuant aliquid ex iis, quæ ad alteram vitam pertinent, Si quis Patrum visus sibi sit aliquid colligere, in tantum vera erit, & admittenda illius Patris doctrina, in quantum locus scripturæ eam suggerit: quod si recta interpretatione locus scripturæ doctrinam illam non ferat, toleretve, Patris illius authoritas doctrinæ illi nil virium dabit, siquidem ille non aliunde, nisi ex eo scripturæ loco illam doctrinam habeat. Iam verò, cum mos esset, vt dixi, in Ecclesia antiquissimus, & sane vniuersalissimè acceptissi-

ptissimus, vt pro mortuis preces & oblationes fierent, eas ad peccatorum post mortem remissionem fieri autumabant: indeque necessario sequi putabant, fideles in vera & viua Christi fide mortuos, posse & solere peccata aliqua humanæ fragilitatis in hac vita non remissa secum ferre, quorum tamen remissionem & expiationem ante diem iudicii essent habituri. Huic opinioni adstipulabant duo potissimum Scripturæ loca, alterum Euangelii, *Matth.5.26. Non exibis ex carcere, donec reddas nouissimum quadrantem:* alterum Pauli, *1.Corinth.3.15. Saluus erit, sed quasi per ignem.* Atque hinc deducebant expiationem illam peccatorum in alia vita, fieri in carcere, cum pœnæ solutione; & igne quoque ab illis peccatis animas expiari & purgari, quia sciebant nihil inquinatum ingredi in regnum Dei, *Apocalyp.21.27.* Hæc aliqui expresse collegerunt, alii non nisi dubitatiuè, & probabiliter, qui difficultates graues cernebant, quæ has collectiones comitarentur. Quod si loca Scripturæ, ac præsertim illa duo, collectiones illas non suggerunt, collectiones stare non poterunt; neque collectores, quicunque illi sint, erunt audiendi. Scripturam verò tales collectiones non suggerere, iam ostendi, vbi loca ipsa examinaui, eorumque veras dedi interpretationes. Et quia maxime præcipuus locus est Pauli, de igne stipulas absumente, quo deceptos video etiam Patres aliquos celeberrimos, denuo assumo locum vtrunque considerandum, prout eo variè varii vsi sunt Patres, vt tanto melius loci vtriusq; insufficientia ad ignem Purgatorium asserendum, innotescat. Nunc ad singulos Patres descendamus.

CXXXVIII. Tertullianus Carpocratem magum reprehendit, quod metempsychosim inter Christianos induceret, & eam loco Euangelii abuteretur, *Luc.12.58.* Mittet te in carcerem, & non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem: dicebat enim, animam, quoties in morte inuenta fuerit non plene à peccatis expiata, recorporari, & denuo in corpus tanquam in carcerem intrudi. Tertullianus itaque *de anima, capit.17.* alias dat loco expositiones, ne carcer sit corpus, & fiat recorporatio: & duas affert expositiones, prout vario modo possit accipi aduersarius. Si enim in hac parabola aduersarius homini Christiano intelligatur Ethnicus, tunc sensus erit, Christianum debere, cum Ethnico humaniter conuersari, & iusta commercia habere, nam si ei iniuriam feceris, trahet te ad suum iudicem gentilem, & ille te in custodia arctabit ad exsolutionem totius debiti. Si verò, *inquit*, Diabolus hoc loco sit aduersarius, tunc docemur inire cum illo concordiam, vt stemus pactis, quibus renunciauimus ei, & pompis eius, & angelis eius; quod si non stes pactis, sed resumas, quod eierasti, tradet te iudici Deo, & iudex te tradet Angelo executionis, & ille te in carcerem mandabit infernum, vnde non dimitteris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.] Hæc Tertullianus, & eum viget Bellarminus *de Purgat. lib.1. cap.7.& 10.*

CXXXIX. Hic iam duo quærenda sunt; alterum quid locus Euangelii suadeat; alterum, quid Tertullianus de re ipsa, hoc est, de Purgatorio, sentiat. Quoad primum, planum est ex ipso Tertulliano, locum hunc nihil de alia vita conuincere, siquidem prior interpretatio tota est de hac præsenti vita, & de carcere mundano, debitisque humanis huius seculi. Vbi verò locus scripturæ habet plures interpretationes literales, nihil demonstrat, nullumque dogma potest stabilire. Quoad secundum, qui Tertullianum volunt habere fautorem, explicare tenentur, quid sit, *non dimitti, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Si obscurum est dictum Euangelii, certè longè obscurius est dictum Tertulliani, illud enim in verbis est clarum, sed in sensu duntaxat obscurum: at hoc, & in verbis, & in sensu est perobscurum. Sed esto, dictum hoc Tertulliani significet, animas in alia vita ante resurrectionem, ad integram solutionem pœnę pro quocunque etiam minimo delicto, arctari (quod non credo velle Tertullianum) id tamen in tantum verum erit, in quantum locus Euangelii id velit; at locus Euangelii etiam aliam habuit apud Tertullianum interpretationem: non ergò cogit. Et sane totam hanc alteram interpretationem, de Diabolo aduersario Hieronymus refert vt magis adhuc coactam & violentã, quam sit alia eorum, qui Diabolum item intelligunt esse hunc aduersarium, cum quo debeamus conuenire in eo, ne ille pro nobis pœnas sustineat, magis enim torquetur, si nos ei vitia nobis suggerenti obsequimur: quæ est Ambrosii *lib.7. in Luc.c.12.* certe admodũ coacta interpretatio. Ea verò relata, subdit Hieronymus *in Luc. c.12. in hunc locum*, aliam, & ait Quidam coactius disserunt, &c. Sed monet Bellarminus *de Purg.lib.1.cap.7.* mendum esse Typographi, & legendum, *cautius*, non *coactius*; Si præcedens interpretatio esset incauta, verbũ *cautius*, quadraret: sed in ea Ambrosiana interpretatione nihil incautè dictũ obseruo: coactissimam tamen eam esse quisq; facile videt: propterea *coactius*, & non, *cautius*, Hieronymum dixisse nõ dubito: nam altera illa, quam refert Hieronymus, quæ est hæc ipsa Tertulliani interpretatio, in quo sit Ambrosiana cautior, non apparet, coactiorẽ tamen esse satis constat. Propriam verò Hieronymus nullam posuit, locus enim ei difficilis visus est. Tertulliani autem sensus videtur esse, animas post mortem satis purgare etiam minima quæque delicta, sola mora resurrectionis, & consequenter sola tolerantia sui corporis absentiæ: quæ tamen communis sit tam iis, qui viuentes plenam remissionem habuerunt, & sine omni labecula discesserunt, quam qui aliquid veniale secum detulerunt.

CXL. Origenis dictum *in Exod. homil.6.* quod affert pro Purgatorio vero Bellarminus *de Purgator. lib.1. cap.10.* est huiusmodi: Qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes aurum purum.] Si nihil aliud ibi diceret Origenes, hoc nihil esset, commode enim hoc posset intelligi de tribulationibus huius mundi, quæ in hac vita exercent, probant & purgant iustos, sicut in fornace probatur & purgatur aurum. Videamus quæ sequuntur: Veniendum est, *inquit*, omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium. *Malach.3.2.* Sedet enim Dominus, & conflat, & purgat filios Iudæ.] Sed hæc quoque de tentationibus in hac vita intelligit: Maioris momenti sunt, quæ sequuntur; ait enim: Sed & illuc cum ventum fuerit, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resoluitur, ac purgatur, & totum remanet aurum purum, *Zachar.5.* Et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo quod scriptum est, *Exod.15.* Demergetur in profundum tanquam plumbum in aqua validissima.] In his tamen Origenes nihil plus intendit nisi quod etiam supra, *num.56.* posui, videlicet in die extremi diuini iudicii, operum & laborũ nostrorum pro Christo susceptorum valorem & soliditatem, ex intentione cordis, vt asserit Paulus, æstimandam, & in eo iudicio perituram esse, igne que consumenda, quæ ex malo fine, malaq; intentione facta fuerint: at vero incolumia perititura, quę ex sola pietate & charitate processerint, eo modo, quo supra *nu.44.& seqq.* est à me explicatum.

Cyprianus

CXLI. Cyprianus assertor Purgatorii putatur à Bellarmino *de Purgat. lib 1. cap. 7. & 10.* in illis verbis, quę ad Antonianum scribit ille *lib. 4. epistol. 2.* Aliud, *inquit*, est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire; aliud missum in carcere non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem, aliud, statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in die iudicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.] De Purgatorio post mortem ne cogitabat quidem, dum hæc scribebat Cyprianus. Ibi totus est in eo, vt lapsos ad pœnitentiam admittendos esse contra Nouatianum doceat; & hæc pœnitētia est apud ipsum carcer, ipsa ignis, ipsa Purgatorium. Obiiciebant Nouatiani, facilitatem in danda pœnitentia, & condonandis criminibus, fouere adulteria & alia grauia peccata. Ipse verò respondet, non propterea quia adulter aliquis admittitur ad pœnitentiam, desunt in Ecclesia virgines, castique homines & pudici; Ecclesia enim ornatur quidem hinc puris ac integris fidelibus ab omni crimine graui alienis; inde verò etiam ex ritè pœnitentibus suum capere ornamentum, & varietas in Ecclesia etiam ex pœnitētibus eius decorum auget. Sunt in Ecclesia, qui puri ex hac vita migrantes, ad gloriam transeunt, sed sunt etiam, qui pœnitentes commissorum veniam petūt, vt possint puri ad gloriam peruenire. Sunt qui æterni præmii mercedem accipiunt, cum hinc decedunt, sed sunt etiam, qui priusquam decedant, carcere pœnitentiali includuntur, & in eo tamdiu macerantur, quousque plena data Ecclesiæ, & consequenter Deo satisfactione, vsque ad nouissimum quadrātem, plenam etiam obtineant remissionem, per quam & ipsi æterni præmii redduntur capaces. Sunt qui breui compendio generosi martyrii peccatorum obtinent remissionem; sed sunt etiam, qui illam longiori pœnitentia, & per ignem contritionis, operumq; pœnalium in Ecclesia elaborant: & sunt qui in die indicii statim à Deo coronabuntur, qui ex hac vita purgati plenè, etiam a venialibus discesserunt; vel paulò post mortem etiam intercessione Ecclesiæ plenam remissionem obtinuerunt: sunt etiam alii, quorum opera prius diuino extremo iudicio, quasi combustione, non sine publica pudefactione abiicientur, quæ cum aliqua veniali impuritate intentionis facta fuerint, & postea ipsi quoque nonnulla facta morula ad coronam introducentur.] Hæ sunt Cypriani antitheses, qui sane illis postremis verbis, *Aliud pendere in die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim à Domino (videlicet in die iudicij) coronari*, satis indicat, quid sentiat de statu animarum, nimirum, ante diem iudicii nullam animam coronam complete recipere, sed resurrectionem expectare. Itaque & gloria, & merces, quam paulo ante dedit animæ statim post mortem, non est vltima corona beatitudinis, sed est status quidem fœlix cum beatitudine inchoata. Indicat etiam iisdem verbis, aliqua peccata aliquibus electis non esse remittenda, nisi toti homini in die iudicii post resurrectionem. De igne vero Purgatorio in alia vita nihil hoc loco habet Cyprianus.

CXLII. Lactantius videtur Bellarmino Purgatorium agnouisse *lib. 7. cap. 21.* Eius verba sunt: Quorum peccata pondere aut numero præualuerint, perstringētur igne, atque comburentur: quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.] Atqui Lactantius loquitur de pœnis post resurrectionem, ignem enim describit, qui corpora vrat & non absumat, vt quantum ex vna parte consumit, tantum ex altera reparet, vt fabulæ de vulture & Titio rem eandem declararunt, & in hoc perpetuo igne damnandos perpetuò passuros post factam corporum resumptionem, asserit. Sed & iustos, *inquit*, cum iudicauerit Devs, etiam igni eos examinabit, tum quorum peccata, vel pondere, vel numero præualuerint, perstringentur: alii ignem non sentient.] Et hoc nihil aliud est, nisi quod ait Paulus, omnes diuini iudicii igne probādos: qui aurum, argentum, lapides pretiosos super fundamentum Christum habuerint, illæsi & indemnes cùm suis bonis pertransibunt; qui stipulam, fœnum, lignum, detrimentum patientur, modo à me explicato, & toties repetito. Et sic nihil habet Lactantius de Purgatorio animarum, ante diem iudicii. Suarez quoque *part. 3. quæst. 59. art. 6. disput. 57. Sect. 1.* fatetur, Lactantium Purgatorio non fauere.

CXLIII. Gregorius Nyssenus *in orat. de mortuis*, ignem Purgatorium expressis verbis in alia vita ponit; & iterum ac tertio repetit; ideoque in altera serie primum ei locum dedit Bellarminus *de Purgat. lib. 1. cap. 10.* Nysseni verba sunt, Vel in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus; vel post obitum per expurgantis ignis fornacē expiatus, ad pristinam vellet redire fœlicitatem — Aliud ei deinde ineundum erit consilium, vt ad bonum perueniat, cum è corpore egressus, cognita quæ inter virtutem & vitium est differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immistas Purgatorius ignis abstulerit. — Aliis autem post hanc vitam, purgatorio igne, materiæ labem, & propensionem ad malum abstergentibus, & ad gratiam initio naturæ concessam, voluntaria bonorum cupiditate redeuntibus.] Sic probant hæc Nysseni verba, tunc iam fuisse nostrum Purgatorium in rerum natura, sicut probant verba illa Pauli, *Galat. 6. 17. Nam & ego stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto*, Sanctum Franciscum stigmata habuisse; quia Franciscani in officio stigmatum, hæc verba Pauli Francisco applicant; & sicut alia Pauli verba, *1. Corint. 1. 9. Benedictus Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius*, significant iam tunc Pauli tempore Iesuitas nostros fuisse; sicut etiam alia Pauli verba, *Gal. 6. 16. Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, &c.* Ordinum monachalium regulas confirmant. Et sicut illud Psalmi 64. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*; dat benedictionē rosariis, & globulis sexaginta tribus, ad toties recitandum *Aue Maria*, & sic de aliis. Bene sciebat Bellarminus, Nyssenum de alio purgatorio loqui, sed dissimulauit, & nobis corticem literæ obtrusit, sicut in his exemplis & aliis similibus solet obtrudi. Nyssenus enim loquitur de expurgatione earum malarum inclinationū in homine, quę radicem habent in carne, & inficiunt animā, dum illis obsequitur mala voluntas. Has verò sordes, has inclinationes, hæc vitia purgari ait, vel in hac vita, studio sapientiæ, & industria mortificationis, per quam cōprimantur; vel qui hoc non fecerit in hac vita (quod tamen rarum est) expectet purgationem per mortē, in qua extinguitur omnis illa carnis titillatio, & mala suggestio, vt facta resurrectione iam homo iustus surgat purus, ab his igne purgatorio mortis purgatus, quando corpus quod cecidit animale, surget spirituale, & tunc, *inquit*, redibit homo ad primam felicitatem, in qua primum creatus est; mediante hac corporis à fæcibus illis per ignem mortis, & resurrectionis expurgatione, & reformatione.

CXLIV. Quid verò aliud, quæso, sibi volunt illa verba; *Per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire fœlicitatem?* id est, ad statum innocentiæ, quando caro plenè erat subiecta spiritui, & spiritus Deo. Ad quam verò pristinam fœlicitatem redeunt animæ in nostro Purgatorio expurgatæ, nisi corpus etiam quod resumant expurgetur? An non etiam illa verba

verba verum hunc Gregorii seorsum explicant; *Aliis post hanc vitam, purgatorio igne, materiæ labem, & propensionem ad malum abstergentibus?* Nostrum verò Purgatorium certè non abstergit corpus & carnem, neque abstergit propensiones ad malum; sed abstergit peccata soli animæ, & pœnas peccatorum. Cum tamen nulla sit ratio, vt misera anima in Purgatorio luat pœnas pro peccatis ab integro homine, & fortasse maxima ex parte corporeis, commissis, & deinde veniat corpus ad sola præmia, & ad gloriam per solam animam, solutis pœnis pro vtroque, præparata. Nam facta resurrectione statim purgatorium cessaturum fatentur nostri; nec possunt non fateri. Exemplum porro ferri & scoriæ, quæ opere ignis ex impuro ferro secernitur, quo mox vtitur Nyssenus, adhoc clarius explicat à me datum sensum; vtilem enim ait esse scoriam ferro rudi ad multa; sed si ferrum debeat fieri ductile, ad opera subtilia & perfectiora, igne purgandum est, & à fæce seu scoria liberandum. Sic, *inquit*, concupiscentia carnalis vtilis est naturæ humanæ, ad pura naturalia; sed ad supernaturalia damnosa, ideo igne purganda per mortem; vt in morte concupiscentia extinguatur. Quemadmodum igitur, *ait*, in fornace ignis aufert & absumit, quicquid in ferro est inutile, sic in ipsa morte corpus ab omni re supervacanea atque inutili, per mortalitatis solutionē liberatur.] Et paulò post, Scoria, & fæces in natura nostra sunt, voluptates, diuitiæ, gloria, principatus, iracūdia, tumor, arrogātia, & id genus alia; à quibus omnibus nos expiatos mors, ac planè liberos reddit— Purgatum igitur & mundum corpus oportet diligere, non autem sordidam eius scoriam, quæ excernitur & abiicitur.] Ignis igitur Purgatorius Nysseni magis ad expurgandum corpus à malis concupiscentiis, quam ad animam expurgandam à peccatis venialibus, aut à pœnis, inseruit. Non ergo illud est nostrum Purgatorium.

CXLV. Nazianzenum Bellarminus Purgatorium asserere putauit *orat. in sancta lumina ad finem*, vbi dixit; In altero æuo igni baptizabuntur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, vitiique leuitatem absumit.] Ad Pauli dictum Gregorius respexit, & diuinum examen vltimi iudicii considerauit, in quo imperfecta opera reprobentur. Sed quia Pauli locus erat ipsi quoque Gregorio obscurus, purgationem illam (quæ tamen cum nostro purgatorio nihil habeat commune) noluit absolutè asserere, sed addit verbum, *fortasse*; quod Bellarminus parum candidè subtraxit; ait enim Gregorius; *In altero æuo igni fortasse baptizabuntur, &c.* Nicetas hunc locum Gregorii de igne sempiterno damnandorum intellexit. Basilius eundem sensum habet quem Nazianzenus, & passim Patres de igne extremi iudicii, quicunq; ille sit, certè ille ad nostrum Purgatorium nihil pertinet.

CXLVI. Hilarium quoque *in Psal. 118. vers. (concupiuit anima mea*, Purgatorii assertorem facit, ista dicentem: Nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expianda à peccatis animæ supplicia.] Hilarius ibi diuini postremi iudicii horrorē considerat, quod iudicium nemini sit desiderabile, sed potius euitabile. Atq; in hoc extremo iudicio obeundum esse illum ignem asserit, putatque ex loco profecto Pauli, animas non perfectè purificatas in hac vita, in illo die vltimo igne cruciatiuo conflagrationis purificandas prius, quam beatificentur; non ergo loquitur de nostro purgatorio: sed & planè sentit, animas etiam iustorum & electorum, eas saltem, quæ non expiatis in hac vita venialibus peccatis decesserint, alicubi expectare diem extremi iudicii, vt carne resumpta totus homo purgetur. Ego tamen ostendi, ignem illum esse diuini tantum iudicii, opera imperfecta reprobantis, & cum detrimento abiicientis; pudoris quoque alicuius & publicæ confusionis, & illi iudicio subdit ibidem idem Hilarius etiam B. Virginem: quam tamen Bellarminus non ponet in purgatorio; & consequenter negabit Hilarium loqui de purgatorio.

CXLVII. In Ambrosio *in Psalm. 36.* Purgatorium nec semel inuenisse se putat Bellarminus *de purgat. lib. 1. cap. 3. & cap. 10.* Ambrosii dicta sunt quæ sequuntur; Igne nos examinasti, dicit Dauid. Ergo omnes igne examinabimur. Et Malachias dicit, Ecce venit Dominus —introibit sicut ignis conflatorii— sedebit conflans & purgans sicut aurum & argentum, & purgabit filios Leui— Sed hi, etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen, Transiuimus per ignem & aquam; alii in igne remanebūt; illis rorabit ignis, vt Hebræis pueris—ministros autem impietatis vltor ignis exuret. Veh mihi, si opus meum arserit, & laboris huius patiar detrimētum; Et si saluos faciet Dominus seruos suos, *salui erimus* per fidem. Sic tamen salui, quasi per ignem; & si non exuremur, tamen vremur.] Hæc omnia ad diem iudicii, & post resumptionē corporum spectare intelligit Ambrosius; nam & Malachias de illo die loquitur, & Paulus, & duplicem ignem ibi innuit, alterū diuini iudicii, quo opera & labores, corrupta intentione pro Christo suscepti, exurentur, sic tamen, vt saluentur personæ, sed quasi per ignem, id est, nudæ, & cum detrimento operum, & augmenti gloriæ; alterum æternorum suppliciorum pro criminosis impœnitentibus. Neuter ex his est ignis nostri purgatorii, pro solis animabus ante diem iudicii. Sed præterea ignem conflagrationis mundi, sensit Ambrosius, multas animas purgaturum. De eodem enim & in eodem sensu iterum illud habet idem Ambrosius *in Psalm. 118. octon. 3. & 20.* Est etiam Baptisma in Paradysi vestibulo, quod antea non erat; sed postquam peccator exclusus est, cœpit esse rhomphæa ignea — qua purificentur qui in Paradisum redire cupiebant, vt regressi dicerent, transiuimus per ignem & aquam. Hic per aquam (*Baptismi*) illic per ignem (*conflagrationis*.) Per aquam vt abluantur peccata; per ignem vt exurantur.— Siquidē post consummationem seculi missis Angelis, qui segregent bonos & malos, hoc futurum est Baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, vt in Regno Dei fulgeant iusti sicut Sol, & si aliquis, vt Petrus sit, vt Ioannes, baptizatur hoc igni.—Videbit multos, *Christus*, ante Paradisi stātes vestibulum, mouebit rhomphæam versatilem, dicet iis, qui à dexteris sunt, non habentibus grauia peccata; Intrate qui præsumitis, qui ignem non timetis:— Hic purgatus iterum necesse habet illic purificari, illic quoque nos purificet, quando dicat Dominus, Intrate in requiem meam: vt vnusquisquē nostrum vstus rhomphæa illa flammea, non exustus, introgressus in illam Paradisi amœnitatem gratias agat Domino suo, dicens: Induxisti nos in refrigerium, qui ergo per ignem transierit, intrat in requiem.— Alius iste ignis quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem parauit seruulis suis Dominus Iesus, vt eos ab ista commemoratione, quæ permixta est mortuis, emundet, alius ille ignis, quē deputauit Diabolo, & angelis eius &c.] Quid hæc ad nostrum Purgatorium? In eo nos ponimus illum eundem ignem, qui paratus est Diabolo, easdem pœnas, sed ad tempus. Ambrosius verò ignem cōflagrationis mundi exurentem peccata leuiora, vult esse rhomphæam diuini iudicii, qua iusti omnes in vltimo die, exustis stipulis, purificentur, & hoc post factam resurrectionem, quando nostro purgatorio iam nullus erit locus; sed etiam ignē

huic

hanc quem purgatorium facit Ambrosius, ad diuinum retulit iudicium, vt sit ipse Dominus, operum nostrorum discussor; subdit enim; *ibid. scilic.* 8 Ei autem, qui multa fuerit operatus, quæ manere non debeant, sed ardere, ignis est Dominus, vt operis nostri fœnum stipulamq; consumat, atque vtili nos faciat saluos detrimento, sicut aurum, quod dum excoquitur, plus probatur.] Vtile vocat illud Ambrosius detrimentum, quia solam peccati rationem cōsiderauit, quod vt exuratur & pereat, nobis vtile est. Sed damnum graue est, quod opus ipsum nobis pereat, & labor, propter malam illam intentionem annexam, simul cum veniali illa culpa, igne consumatur.

CXLVIII. Profertur & alius Ambrosii locus, *ex lib. 7. in Luc. c. 12.* vbi sic loquitur; Quadrantem autem in balneis dari solere reminiscimur, cuius oblatione, vt illis vnusquisq; lauandi accipit facultatem, ita & hic accipit eluendi: quia vniuscuiusque peccatum suprascripto genere conditionis eluitur, cum tamdiu exercetur acrius pœnis, vt commissi supplicia erroris expendat.] Suprascripta autem conditio hæc erat: Ita & hic (*id est, in hac vita*) aut pretio charitatis redimitur iniuria, aut interuenire æstimatione pœna (*per Ecclesiasticam pœnitentiam*) laxatur.] Atq; de satisfactione Ecclesiastica in hac vita loquitur. Vt qui eorum Deo per charitatem, & internam pœnitentiam peccata non diluit, præsertim criminis graui, concordando cum aduersario, id est, propria conscientia, tunc relinquitur vt ipsemet se tradat in carcerem pœnitentialem Ecclesiasticum, in quo exactam iudicio Ecclesiæ, vsque ad plenam peccati compensationem, sua satisfactione pœnam luat. Hic mihi videtur sensus Ambrosii: nam certe locus est obscurus, in quocunque sensu velimus illum accipere.

CXLIX. Hieronymi pro Purgatorio dictum illud producitur, *in Isa. cap. vlt. in fin.* Sicut diaboli & omnium negatorum atq; impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Devs, credimus æterna tormenta; sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia sententiam iudicis.] Hiccine apparet Purgatorium? Hieronymus loquitur de statu hominum post resurrectionem, non de statu animarum post mortem ante resurrectionem. Considerabat enim verba illa Isaiæ, *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*; & hunc esse ait illum ignem, de quo Christvs; *Ite in ignem æternum, &c.* Et quia erit ignis, qui corpora vrit, & quia ligatis manibus & pedibus proiicitur damnatus in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium, miratur Hieronymus eos, qui aëriem corpus resurrectorum putant. Considerat etiam illius ignis supplicia æterna, dum ait; Si quis igitur habeat in conscientia sua zizania, quæ inimicus homo dormiente patrefamilias superseminaui: hæc ignis exuret, hæc vorabit incendium. Et omnium sanctorum oculis eorum supplicia monstrabuntur: qui pro auro & argento, & lapide pretioso ædificauerunt super fundamentum Domini fœnum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni.] Accipit ergo stipulam & fœnum, pro criminibus mortalibus, æterno inferni, & non temporario diuini iudicii igne exurendis. Et quoniam has ipsas pœnas Inferni, damnatis quibuscunque præparatas, aliqui dixerunt in misericordia Dei aliquando finem habituras, & omnes saluandos; hoc, inquit Hieronymus, nos solius Dei debemus scientiæ relinquere; interim vero eam ita moderatur sententiam, vt supplicia inferni sint incredulis, & infidelibus; fidelibus vero Christianis, non item; quos putat fortasse à pœnis inferni aliquando liberandos. Sicut enim superius per fœnum & stipulam intellexit ipsa crimina mortalia damnatione digna, ita nunc cum pietate in eam sententiam inclinat, vt consumptis hisce stipulis, & tota peccatorum omnium, excepta infidelitate, materia cōbustibili, tandem omnes fideles sint saluandi. Et si hoc verum esset, quod Chrysostomus in *1. Cor. hom. 9.* & Augustinus *Enchir. cap. 67. & 112. & de fide & oper. c. 15. & de ciuit. Dei, l. 21. c. 26. & ad Dulcitium qu. 1.* optime impugnarunt, tunc profecto Infernus damnatorum esset Infernus infidelibus, fidelibus verò, non nisi purgatorium: sed adhuc longè diuersum à nostro Purgatorio: illud enim purgaret omniū fidelium peccata, etiam grauissima & mortalissima, etiam quoad culpam; & inciperet non nisi post resurrectionem, & pro æternis etiam pœnis satisfaceret, & nullis Ecclesiæ precibus aut intercessionibus leuaretur. Hoc vero purgare dicitur sola venialia, & pœnas temporales, & non nisi ante resurrectionem, & sub Ecclesiasticæ intercessionis beneficio. Itaque locus hic Hieronymi nostro Purgatorio nihil fauet. Minus alter locus, *ex l. 1. contr. Pelag.* Christianos, si in peccato præuenti fuerint, saluandos esse post pœnas.] Vel enim pœnas intelligit in hac vita, saltem ipsam mortem: vel post corporis resurrectionem, in illo igne diuini iudicii, quem Paulus posuit, qui ignis habet rationem pœnæ, quatenus labores aliquos humanos reddit inutiles.

CL. Paulinus visus est Bellarmino Purgatorium agnouisse, *epist. 1. ad Amand.* vbi ille orationes pro defunctis postulat. Sed hoc iam ostendi ad Purgatorium nihil facere. Potius aliud Paulini dictum afferre potuisset, *ex epistol. 9. ad Seuerum in Bibliothec. SS. PP. tom. 5. edit. 2.* vbi ait, Hæc est domus illa, non manufacta, in qua si habitemus iis operibus, quibus ciues Sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum; & ignis ille sapiens, transeuntes nos per examen suum, non seuero ardore ambiet puniendos; sed vt commendatos suscipiens blando lambet attactu, vt possimus dicere; Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium, *Psalm. 65. 12.*] Sed ista quoque sunt de extremo iudicio, & de igne illo Paulino examinis diuini, non de vllo animarum Purgatorio ante resurrectionem.

CLI. Augustinus purgationem hanc peccatorum in alia vita, sæpe considerauit, & fusius etiam pertractauit, ac de illa serio & frequenter disputauit, in eo igitur erit nobis aliquantisper immorandum. Loca ex Augustino, quæ pro suo Purgatorio profert Bellarminus *de Purgat. lib. 1. cap. 3. & 10.* sunt ista. 1. *ex Augustin. in Psalm. 37.* In hac vita purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit.] 2. *ex lib. 20. cap. 25. de ciuit. Dei.* Ex his quæ dicta sunt (*de conflatorio Malachiæ*) videtur euidentius apparere, in illo iudicio quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras.] 3. *ex lib. 21. cap. 16. de ciuit. Dei.* De infante cum baptismo mortuo, Non tantum pœnis non præparatur æternis, sed nec vlla post mortem purgatoria tormenta patitur.] 4. *ex eod. libr. capit. 24.* De adultis fidelibus, cū venialibus peccatis decedentibus, Tales constat ante iudicii diem, per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, æterni ignis suppliciis non tradendos.] 5. *ex lib. 50. hom. 16.* Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit, saluus erit, sic tamen quasi per ignem.] 6. *ex lib. 2. de Gen. cont. Manich. lib. 2. cap. 20.* Qui fortè agrū non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis; & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.] 7. *ex eodem Augustino in Psal. 37.* Quia dicitur, *saluus erit*, ille ignis contemnitur, ita planè quamuis saluus per ignem, grauior tamen erit

ille

ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita.] 8. Poterat addere Bellarminus duo alia loca, videlicet, *eundem de ciuit. Dei, l. 21. c. 13.* Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantũ, alii post mortem, alii & nunc, & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum, nouissimumque patiuntur.] 9. *ex serm. 41. de Sanctis.* Ita peccata in hoc sæculo purgentur, vt in futuro ille ignis Purgatorius, aut non inueniat, aut certe parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione DEO gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo Purgatorio igne moras habebimus, quãdiu supradicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur — ille purgatorius ignis durior erit, quam quicquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.]

CLII. His, & omnibus similibus Augustini dictis inprimis vnica & generalis à me datur responsio, videlicet, ea omnia ex quadam suppositione pẽdere, quam ipse Augustinus tanquam obscuram & dubiam, nec sufficienter probatam esse censuit, totam quippe ab vnico Pauli loco difficili & obscuro, ac pene inexplicabili pendentẽ, vbi Paulus 1. *Corin. 3. 15.* aliquos in alia vita, præsertim in extremo iudicio, igni probandos, & per ignem saluandos esse asserit. Hic totum Augustino de quodam igne purgatorio consistit suppositum; eo verò non categoricè, sed hypotheticè, ac sub dubio, si ita sit, sique id velit Paulus, posito, sæpius, vbi occasio se ipsi dedit de purgatione peccatorum aliquid dicendi, hunc ignem purgatorium commemorauit. Suppositum verò illud Augustino fuisse dubium iam ostẽdo. Legerat alicuius Catholici (nempe Hieronymi, vt modo *num. 149.* vidimus) sententiam, quæ spem aliquam relinquebat Christianis damnatis, ex perpetuis pœnis euadendi, eo quod ex dicto Pauli salui aliquando forte videantur per ignem, consumptis fœno, ligno, stipulis in igne Inferni, id est, peccatis grauibus & mortalibus, propter quæ in damnationem incurrerunt. Hanc sententiam reprehendit, & ex Scripturis confutat Augustinus *in Enchirid. c. 67. 68. & ad dulcit. qu. 1.* docetque, per stipulam, lignum & fœnum non posse intelligi peccata grauia damnatorum, sed leuiora duntaxat fidelium: Ac primum ostendit, in hac vita posse etiam ignẽ illum probatorium & purgatorium haberi, quando quis constans in fide & amore Christi, in temporalibus iacturam, cum aliquo dolore tolerat, ne Christum amittat. Reducit quoque ignem ad tentationem tribulationis; *Eccles. 27. 7.* His verò expositis, illud addit Augustinus *in Enchirid. cap. 69.* Tale aliquid etiam post hanc vitã fieri incredibile non est, & vtrum ita sit, quæri potest. Et aut inuenir, aut latere, nonnullos fideles, per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardius citiusque saluari: non tamen tales, de quibus dictum est, quod Regnum DEI non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur.]

CLIII. Alias quoque cum idem Pauli locus Augustino esset exactè discutiendus, & illum eundem malum sensum de purgatione grauium peccatorum, per inferni pœnas temporarias plenè reiecisset, ita loquitur, *de fide & oper. cap. 15.* Si autem ista & vera & clara sunt, proculdubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus: atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis eius quædam difficilia intellectu, quæ nõ debent homines peruertere ad proprium suum interitum, &c.] Et paulò post, *ibid. cap. 16.* Hic à me fortasse quæratur de ipsa Pauli Apostoli sententia, quid ego sentiam, & quonam modo intelligendam putem. Fateor hic me malle audire intelligentiores atque doctiores, &c.] Et allata eadem expositione, quam in superiori loco vidimus, vbi docuit illud Pauli dictum in hac vita posse verificari, subdidit, siue ergo in hac vita tantum, homines ista patiuntur, siue etiam post hanc vitam talia quædam iudicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis iste intellectus huius sententiæ. Veruntamen etiamsi est alius, qui mihi non occurrit, eligendus, istum quandiu tenemus, non cogimur dicere iniustis, sceleſtis, parricidis.— Si tantummodo in Christum credatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaueritis, salui eritis.] Duo in his obseruo, alterum est, suppositum illud de igne purgatiuo alterius vitæ in Augustino totum ab vnico hoc Pauli loco obscuro, difficili, ambiguo dependere; alterum est, illud ipsum suppositum apud Augustinum dubium esse, incertum, & problematicum.

CLIV. In eandem sententiam, tertiam quoque habet Augustinus disputationem, ex qua confirmo, quod proposui, nempe totum ignem purgatiuũ temporarium, quem Augustinus interdum videtur in alia vita admittere, niti soli dicto Pauli, de igne stipulas consumente, sua tamen cum ambiguitate, & incertitudine. In hac disputatione contra eosdem disserens, qui supplicia Inferni faciebant temporaria, idque ex Pauli loco volebant deduci, perpetuitatem illorum suppliciorum ex scripturis confirmat; locum verò Pauli totum in hac vita explicat, & diem Domini intelligit, diem tentationis & afflictionum, quibus Dominus electos suos in hac vita purgat. Mox illa subdit, *de ciuitat. Dei, lib. 21. cap. 26.* Post istius sane corporis mortem donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis vltimus dies, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicantur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna & fœnum & stipula consumantur; alii verò sentiant, qui eiusmodi secum ædificia portauerunt, siue ibi tantum, siue & hic & ibi, siue ideo hic, vt non ibi, sæcularia, quamuis à damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inueniant, non redarguo, quia forsitan verum est.] Animas iustorum post mortem expectare plenam remunerationem, impiorum verò vltimam damnationem asserit; & quidem probabile duntaxat esse putat, animas iustorum ante diem vltimum, hoc est, ante resurrectionem, in duplici esse differentia, vt aliæ sint in pace & refrigerio, quæ super fundamentum CHRISTVM superædificauerint in hac vita aurum, argentum, lapides pretiosos: aliæ verò in aliqua pœna, donec comburantur stipula, fœnum, lignum, hoc est, peccata venialia. Et hoc ei fortasse non absolute, sed eo tantum verum esse videtur, in quantum locus Pauli id patitur secum ferre. Interim tamen, cum locum Pauli ipse intelligat totum in hac vita, si ille est eius loci vera interpretatio, hæc de igne purgatorio post mortem cadat necesse est; imo tanto minus probabilitatis habebit in Augustino, quanto plures ipse affert loci interpretationes, quæ alterius vitæ purgationem non tolerant. Et sane duas alias ibidem affert interpretationes: vna est, mortem corporalem; altera est, persecutiones Ecclesię posse esse illum ignem purgatorium. Cum tamẽ omnes hæ interpretationes grauissimas patiantur difficultates, maximè verò omnium illa de purgatorio igne post mortem, & vera ac plana interpretatio sit, ni fallor, alia quam dedi supra *num. 45. & seqq.* omnis etiã probabilitas huius purgatorii euanescat necesse est. Atque hæc sit ad Augustini dicta generalis responsio, quam Bellarminus *de Purgat. lib. 1. cap. 10. & c. 15.* se eneruaturũ putauit, tenui quadam adhibita distinctiun-

Augustinicola, videlicet, Augustinum non dubitare de pœna animarum, sed de modo & qualitate; puta an idem sit ignis purgatorii & gehennæ; an post mortem animæ vrantur igne doloris ex amissione temporalium, sicut in hac vita vrebantur.] Contra quod ipsius diuerticulum nihil aliud oppono, nisi ipsa tria insignia loca, quæ protuli, illa ætatem habent, & de seipsis loquentur. *Num.9.cap.21.* nisi ad oculos alicuius cœci naui deuenerint. Hæc in genere ad Augustinum; nunc ad singula. Ad 1. Qui in hac vita non procurauerint venialium remissionem, sed ea secum detulerint, de iure ordinario in die iudicii à DEO Iudice confundentur, qui reprobabit opera bona, non bona intentione facta, & sic purgabuntur, & ad dextram manebunt. Ab hac confusione & pudefactione liberari cupit Augustinus. Qui Pauli ignem deceptus admisit tanquam purgatiuum, cum tamen apud Paulum ille ignis non sit nisi probatiuus, vt est fuse à me explicatum. Sed hoc nihil ad Purgatorium; quia huius ignis actio, etiamsi esset purgatiua, non nisi post resurrectionem erit.

CLV. Ad 2. Pœnæ illæ putatæ purgatoriæ in extremo iudicio, erunt pudefactio illa, & operum bonorum non sincera charitate factorum relectio, & consequenter augmenti gloriæ iactura. Hæ non sunt pœnæ purgatorii.

Ad 3. Post mortem in die iudicii, neque pudefactionem illam & confusionis tormentum, neque detrimentum illud infans patitur, quia nulla opera inquinata fecit, neque vllum ei gloriæ augmentum debetur, & consequenter neque eripitur. Aut si Augustinus intelligit tormenta animæ post mortem ante resurrectionem, iam vidimus id ei ex aliorum opinione visum esse probabile, seu fortasse verum. Sed quia intellectus loci Paulini neque probabiliter id pro se fert, falsum id esse relinquetur, cui falsitati intendit resistere Augustinus, cuius tota assertio est ex suppositis; & si suppositum non inueniatur verum, consentit Augustinus, etiam assertionem eius non fore veram.

Ad 4. Hæc quoque assertio est ex suppositis eodem modo.

Ad 5. Transibunt in die tantum iudicii, quando eorum inquinata opera, diuino iudicio, & publica pudefactione exurentur, & hoc nihil ad purgatorium.

Ad 6. In die Iudicii si fuerint venialia sola, eodem igne absumentur; si mortalia, igne æterno punientur. Neque hic adest Purgatorium.

Ad 7. ad 8. ad 9. loca sunt ex suppositione. Et sic Augustinus neque assensit vnquam, neque fauit suis firmis & propriis assertionibus & sententiis Purgatorio. Dices, Inter hæreticos tamen Augustinus *de hæres. ad Quoduult. hær. 53. & Epiphan. hær. 75.* cum Epiphanio Aërium numerauit, ex eo, quod orationes viuorum mortuis prodesse negauerit. Respondeo, Augustinum in compendium reduxisse Epiphanium. Epiphanius verò vsum priscum orandi pro mortuis, suo modo interpretatur & explicat; cuius explicatio priuata non est de fide: quamuis parum à nostra discrepat explicatione. Hæresim tamen merito putauit pium Ecclesiæ vsum negare, & conuellere; qui in gratiarum potissimum actione consistit. Nam fatetur Epiphanius ibidem, nos & pro iustis, & pro peccatoribus mortuis preces fundere.

CLVI. Non desunt, fateor, alii posteriores Augustino, qui ignem Purgatorium admittunt: Sed aliqui in vero Paulino sensu illum admittunt in solo die iudicii vniuersalis, vel eodem modo quo & Augustinus, sunt ferme solo Pauli dicto non bene intellecto decepti; ex eo enim facta illa falsa suppositione, animas post mortem ante resurrectionem ignibus quibusdam purgari, de tali purgatorio sunt locuti: sed ablato eis Pauli loco, & ad verum sensum reducto, cadit totum, quod de tali Purgatorio sunt locuti. Totus enim meus in Augustino explicando discursus, militat æque aduersus omnes, qui subsecuti sunt Augustinum. Atque hoc pacto eripimus Bellarmino totam Patrum seriem, quam ipse longam texuit, quorum tamen aliqui in solo vero Paulino sensu loquuntur, de pudefactione illa, & detrimento in die iudicii. Sed nonnulli posteriores Augustino animas post mortem ante resurrectionem propter peccata venialia, in pœnis collocant temporariis, nulli tamen ignem illum purgatorium ponunt pro solis pœnis etiam mortalium temporalibus, quas quis in hac vita non soluerit. Itaque solus Pauli locus malè intellectus, & decepit aliquos, & occasionē dedit aliquam nostri Purgatorii substituendi, & nouis commentis ampliandi. Et sic minimus error in principio, maximus fit in fine. Locus Pauli erat obscurissimus, cœperunt aliqui pœnas purgatorias inde probabiliter & disputatiue deducere; alii post eos easdem etiam assertione proponere voluerunt. Res erat plausibilis & popularis; fundamentum videbatur in verbis Pauli aliquod apparens haberi; oratio pro defunctis erat in tota Ecclesia admissa: remissio aliqua peccatorum aliquorum post mortem prædicabatur; Poëtarum fabulæ arridebant; auaritia clericorum in Purgatorio sub terra aurifodinas inueniebat; & sic ex vnico Pauli loco perperam intellecto, Purgatorium illud ingens, & celeberrimum in locis subterraneis est collocatum: Iam de rationibus.

Prima ratio Bellarmini *de Purgat. libr. 1. cap. 11.* ad Purgatorium comprobandum, est; Quædam peccata sunt venialia, solaque temporali pœna digna; at fieri potest, vt cum solis talibus homo decedat ex hac vita, igitur necesse est, in alia vita posse purgari. 2. Cum reconciliatur peccator, non dimittitur semper ei cum peccato tota pœna temporalis, & facile contingere potest, vt in hac vita ille plene non satisfaciat; Ergo in alia vita debet satisfacere. 3. Quia talis est opinio omnium etiam gentium communis. 4. Ex visionibus, quæ Purgatorium reuelarunt. 5. Quia contraria opinio purgatorium tollens, est non modo falsa, sed etiam perniciosa; Socordes enim facit homines, tum in peccandis vitandis, tum in bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum esse Purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cum fide, facile dicet apud se: Quorsum ego laboro in ieiuniis, precibus, continentia, eleemosynis? Cur fraudo cor meum deliciis & voluptatibus? quandoquidem in morte siue pauca, siue multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat remanere, præter gehennam, ignem acerrimum Purgatorii, & quicquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera, ibi diluendum, certe diligentior, cautiorque euadit.] Hæc Bellarminus.

CLVIII. Ad 1. respondeo, me iam docuisse, omnia peccata esse mortalia, sed inter hæc admitto, aliqua esse leuiora, & facili venia ex diuina benignitate digna. Si itaque, vt admodum probabile, concederem, aliquem posse & solere ex hac vita decedere cum aliquo ex his peccatis venialibus, quod in hac vita remissum non fuerit, idque in alia vita paulò post mortem remitti: hinc tamen Purgatorium nostrum non necessariò colligeretur; remitterentur enim talia peccata, intercessione Ecclesiæ, modis iam à me explicatis. Admisso etiam tantisper eo, quod iam falsum esse docui, videlicet aliquorum non impiorum animas, in suo statu fœlici, incompleto tamen, talibus adhuc pec-

catis leuibus grauatas manere, & in die iudicii, sub igne diuini examinis à talibus purgari integrum hominem, hoc Purgatorium vnius diei, & fortasse vnius horulæ, pro omnibus quicunque tali purgatione indiguerint, non esset Pontificium Purgatorium: est tamen contra omnem rationem, vt sola anima pœnas ferat totius coniuncti, & corpus fiat ei comes beatitudinis & præmii, quod in pœnis necessariis comes non fuerit. Augustinus tamen *de spir. & lit. cap.* 28. à vita æterna, per peccata hæc venialia iustum non impediri; expresse asserit.

CLIX. Ad 2. plenè responsum est à me *cap. 7. præcedenti*, vbi fuse de pœnis peccatorum, & satisfactionibus disputaui: ostendique, post remissam culpam nullam pœnam remanere; satisfactio enim, siue internæ solius; siue etiam externę Ecclesiasticæ pœnitentiæ, semper absolutionem præcedens, Deo grata, & accepta, totius pœnæ, Deo miserante, & Christi sanguine supplente, locum subiit. Potest quidem viuens in hac vita, si humana spectemus, satisfacere pro delictis, quando videlicet loco pœnæ exhibet opera aliqua cōpensatoria; vix enim satisfactio potest intelligi sine merito, nam vt supra monebam, opus satisfactorium in humanis eo ipso est meritorium, quia meretur remissionem delicti. Sic etiam suo modo erit in diuinis: dum enim viuit homo peccator, si diuina adiutus gratia ipse sua peccata puniat, se dispositum reddit ad veniam; nam Devs ex sua mera gratia & benignitate voluntarias illas pœnas accepiat loco pœnarum, quibus ipse peccata punit, præsertim etiam, quando pœnæ illæ sunt ab Ecclesia Christi sponsa iniunctæ; tunc verò Devs intuitu mortis Christi, dat & culpæ & pœnæ remissionem. At verò in alia vita si esset Purgatorium, in eoque Devs puniret peccata suppliciis ordinariis, licet temporariis, illa punitio nullo modo esset satisfactoria, quia neque vllo modo de se est meritoria. Sicut suspendium furi est pœna, sed non satisfactoria. Ita si manus falsario iudicis decreto abscindatur, iste non satisfecit, sed meritas luit pœnas pro delicto. Satisfaceret autem, si aliquo alio opere meritorio pœnam illam compensaret, per quam delicti veniam mereretur. Et sicut damnati in gehenna non dicuntur satisfacere pro suis peccatis, neque illæ pœnæ sunt satisfactoriæ, sic neque essent satisfactoriæ illæ, quas quis pateretur in Purgatorio. Frustra ergo ad satisfaciendum ponitur Purgatorium. Sed neque ad luendas pœnas est ponendum; quia qui peccat ille & punitur: totus homo peccat, Ergo totus etiam debet puniri; & per quæ quis peccat, per eadem & punitur; & per corpus maximè peccari solet, Ergo per corpus etiam debet homo puniri, quod post mortem ante resurrectionem est impossibile. Quodnam igitur erit hoc Purgatorium? Estne æquum solam animam, vt paulò ante dicebam, sua solius punitione & pœna, quam soluit in Purgatorio, corpori, omnium fermè peccatorum causæ principali, penitus impunito, gloriam præparare?

CLX. Ad 3. Opinio hæc inter gentes per fabulas est inuecta: inter Christianos verò partim per obscuras aliquas Scripturas, partim per Doctorum errores & falsitates ab iis ineptè nimium credulo vulgo obtrusas. Certè primis aliquot sæculis opinio hæc fuit inaudita.

CLXI. Ad 4. Neque fabulas commentitias, neque somnia freneticorum, abreptitiorum, morbis oppressorum, &c. Neque Dæmonum illusiones vt decipiant, pro visionibus mihi obtrudi patiar. Aut si interdum per somnia & visiones Devs voluit ad nostram instructionem & resipiscentiam, aliquid nobis manifestari, id continebit non rei historiam, sed aliquam rei & veritatis parabolam & similitudinem, qualem in narratione Euangelica de Lazaro & epulone volunt esse plures Patres. Quod enim sit futurum post diem iudicii, similitudine illa explicatur. Sic potest Devs his visionibus, tanquam per similitudines, quæ in alia vita sunt futura, explicare.

CLXII. Ad 5. Purgatorium potius facit supinos & socordes; & veram pœnitentiam sustulit, studiumque bonorum operum extinxit. Si enim satisfactio pœnitentialis iniungitur, si ea est grauis & peccatis proportionata; habita absolutione à culpa, peccator quem magis præsentis molestiæ vnica vncia terret, quàm absentis & ignotæ decem libræ, se malle ait in Purgatorio pœnas hasce soluere, quàm in præsenti ieiunare, eleemosynas erogare, se ipsum flagellare, &c. Cum verò ei suppetunt indulgentiæ, tunc se à pœnis etiam Purgatorii tutum reddit. At vbi nouerit, nullum esse Purgatorium, seu pœnarum temporalium locum, criminaque coram Deo nouit nulla esse impunita, antequam absolutionem per claues habeat, serio animum ad pœnitentiam applicat, & satisfactiones ab Ecclesia iniunctas lætus peragit, post quas legitimam expectat absolutionem. Et sane perniciosa deceptio est illa, si dicat peccator criminosus, in morte mihi delebuntur omnia peccata, quoad culpam & quoad pœnam: aperienda enim veritas est, eum criminosum, qui vera & perfecta interna pœnitentia prope mortem ad Devm non conuertitur, esse in maximo discrimine, vt eum peccatis illis irremissis decedat, æternis suppliciis addiceodus: siquidem leuissimam spem possit habere in absolutione Ecclesiastica per claues, vbi Ecclesiastica ad hoc necessaria pœnitentia & satisfactio non præcessit, vt in præcedentibus explicaui. Venialia verò quando sola sunt, in morte piorum vt plurimum deleri mihi est probabilissimum; & illa exactam illam pœnitentiam non requirunt: & consequenter neque perniciosa socordia in illis est timenda; timorata enim & pia conscientia est, quæ non nisi venialibus grauetur peccatis. Purgatorium ergo est paratissima scala ad gehennam.

CLXIII. Hic demum errorem maximum facilè quisque potest agnoscere nostrorum recentium Theologorum, qui non modo Purgatorium esse asserere voluerunt, sed id etiam articulum fidei Catholicæ esse contendunt: qua in re congregationes illæ nostrorum Theologorum, Florentinæ & Tridentinæ, vt in multis aliis ab ipsis primum cusis fidei articulis, sunt vehementer, vt iam constat, hallucinatæ. Nam neque vlla sunt loca Scripturæ, quæ id ponant, neque ex Scripturis deducitur, neq; traditione Apostolica vlla confirmatur, siquidem prima quinque sæcula, esse Purgatorium, ne somniarunt quidem: quæ omnia, vt puto, reddidi compertissima. Destructo iam aut penitus cōstructo Purgatorio, nulla nobis superest difficultas circa circumstantias Purgatorii, quas plures persequitur Bellarminus *toto secundo libro de Purgatorio:* De Indulgentiis verò & suffragiis pro mortuis, in cursu disputationū satis dixi, & ostendi, ad remittenda peccata quoad culpam, indulgentias, etiam nostris Theologis consentientibus, nihil prodesse, & neque thesauri, neque clauium vsum erga animas à corpore separatas vllum esse; intercessionem tamen Ecclesiæ per preces & obla[illegible]s ex opere operantis, non ex opere operato, posse aliquo modo mortuis ad solam peccatorum venialium remissionem prodesse; & ideo Missas pro defunctis, olim propter solas preces communes, quæ

pro

pro mortuis in Liturgiis fundebantur, profuisse. Iam igitur de his satis.

CAPVT IX.

Ecclesiasticam propriam potestatem clauium maximè in excommunicationibus, non in aliis censuris exerceri.

Summa Capitis.

Fundamentum tractationis præmittitur, eundem esse vsum clauium in excommunicatione, qui est in pœnitentia, nu. 1. 2. 3. 4.

Variæ diuisiones excommunicationis proponuntur, nu. 5.

Prima diuisio tractatur, excommunicationem aliam esse censuram Ecclesiasticam, aliam nequaquam & illa quæ censura non est, explicatur à num. 6. ad nu. 11.

Quæ verò censura est, subdiuiditur in maiorem & minorem, vtraque cum suis effectibus & abusibus explicatur, à num. 12. ad nu. 21.

Tertia & quarta diuisio excommunicationis à iure, & ab homine: latæ sententiæ, seu ipso facto, & comminatoria, discutiuntur, num. 22. 23. 24.

Excommunicationis legitimus vsus, ex graui tantum causa, & cum prudentia, nu. 25 26. 27 28.

Obiectio de excommunicatione eorum, qui cum excommunicatis communicant, & solutio, cum plena explicatione, à nu. 29. ad nu. 35.

Alias præter excommunicationem veras censuras non esse: & declaratur suspensio: num. 36. Irregularitas num. 37. Interdictum: num. 38. 39. 40 41.

Digressio in Venetum postremum Interdictum, à num. 42. ad finem.

Clavivm vsum in Ecclesiastica pœnitentia, in retinendis remittendisque peccatis, eorundemque abusum in concedendis Indulgentiis, duobus immediatè præcedentibus capitibus, satis, vt arbitror, aperuimus: Et nihilominus maxima illa, quæ à Patribus (esse Augustin. de correpr. & gr. cap. 15.) suprema dicitur esse Ecclesiæ potestas, in hominibus excommunicandis, adhuc ad claues ab omnibus reducitur. Hoc est fulmen illud, quod in Ecclesia semper, quandiu legitimus ipsius vsus viguit, magnum iustumque conscientiis terrorem incussit. Postquam vero fulmen hoc spirituale in fictitium ambitionis, & terreni dominatus telum degenerauit, propriis viribus iamdiu destitutũ, in vanum desinere crepitum cernitur, & merum esse puerorum ac puerilium animorum terriculamentum. Nam siue ex inscitia, siue ex malitia; adeo iam confusa res est in nostris Ecclesiis excommunicatio, vt quid illa sit, quas vires habeat, quos effectus pariat, quomodo & quando, & quorsum vibranda sit, vix vere & sincere à nostris explicatum inuenias. Ego regia Scripturarum, Patrum, & Conciliorum via incedens, Scholasticorum, & Summistarum tricis omissis, paucis conabor veram & legitimam excommunicationem, ipsiusque vsum legitimum explicare.

II. Sit mihi dicendorum fundamentum, à clauibus Ecclesiæ datis excommunicationem veram totam pendere: & potestatem excommunicandi esse quandam clauium potestatem, quæ tamen diuersa nullo modo sit ab ea, quæ per claues exercetur in foro pœnitentiali. Nam neque vt probaui cap. 7. num. 74. forum pœnitentiale est forum internum, sed plane externum: licet causæ in eo foro aptari possint & publicè, & priuatim, seu secreto: neque distinctio illa potestatis ordinis, & potestatis iurisdictionis, locum habet in vsu clauium ad pœnitentiam, & ad excommunicationem, vtrobique enim est sola & vera potestas ordinis duntaxat, & neutra exercetur per veram iurisdictionem propriè dictam, de qua egi cap. 2. Illud ego duntaxat, & satis exile discrimen inuenio, quod in pœnitentia, ex duobus clauium actibus, qui sunt ligare, & soluere peccata, magis, & præcipue considerabilis sit actus soluendi, quàm ligandi, nam & ad hoc, vt quis ritè solui possit à peccato per claues, prius ligatur: At verò in excommunicatione è contrario magis inspicitur actus ligandi, quàm soluendi: ille enim intenditur potissimum ad Ecclesiæ purgationem, sicut prior ad peccatoris emundationem: quod si resipiscat excommunicatione hac, qua purgatur Ecclesia ligatus, soluetur etiam. Est & illud discrimen, quod ligamen hoc in pœnitentia potest fieri etiam secretè & priuatim; at verò in purganda Ecclesia à malis, excommunicatio hæc fit publicè, & manifestè. Sed hæc discrimina sunt accidentalia; in essentiali verò vtrobique æque adest idem prorsus actus earundem clauium, qui est ligare peccatum. Nam etiam in pœnitentia fit vera excommunicatio, dum pœnitens arcetur à Conuentibus spiritualibus, à participatione Sacramentorum, & sæpe etiam ab ipsis Ecclesiæ liminibus. Sane passim Patres & Concilia pœnitentialem illam vocant excommunicationem. Augustinus *epistol.* 108. Agunt, *inquit*, etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur. Item, *Idem post collat. contra Donat. capit.* 20. Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.] Ita *serm.* 251. *de temp. & aliis locis* sæpius. Gregorius *lib.* 2. *ind.* 11. *epist.* 40. & 42. mandat, vt stuprator, ad agendam pœnitentiam excommunicatus, in monasterium retrudatur; & idem est Gregorio excommunicari, ac communione in pœnitentiam priuari. In Concilio Cabilonensi *cap.* 25. tempore Caroli Magni, huiusmodi decretum legimus; Pœnitentiam agere iuxta antiquam canonum constitutionem, in plerisque locis ab vsu recessit; & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo seruatur: vt à Domino Imperatore impetretur adiutorium, qualiter, si quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia: & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.] Sic Synodus Moguntina sub Rabano, *cap. vltimo*, & aliæ.

III. Hanc verò excommunicationem pœnitentialem verè & propriè esse externam, quantumuis secretè fiat, patet, quia, vt probaui, *cap.* 7. *num.* 22. ad pœnitentiam nemo potest ligari, nisi vel per testes conuictus, vel sponte confessus; & in publica pœnitentia id esse notissimum, nemo negabit; sed in priuata etiam ac secreta idem est; quia sacerdos pœnitentiarius gerit semper personam Ecclesiæ, neque potest quenquam ad pœnitentiam ligare, nisi vel conuictum, sed secretò per Prælatum monitum, & ad pœnitentiam voluntariè suscipiendam redactum; vel sponte similiter cõfessum; & ille actus confitendi subiiciendiq; se ipsum clauibus, etiam secretissimè factus, proculdubio est actus externus, coram Ecclesia, quam Prælatus vel Confessarius repræsentat, celebratus. Internus verò est, vbi peccator in sua conscientia coram solo Deo suorum peccatorum negotia peragit, per internam solam pœnitentiam. De quo optime Iuo, vbi propositam sibi quæstionem, quomodo inter se conueniant, sententia Prophetica. *Ezech.* 18. 22. *Quotiescunque peccator ingemuerit, saluus erit*; & Synodalis, quæ diutius ligatum pœnitentem detinet, soluere conatur; ait enim *epist.* 228. Quæ quæstio facile soluitur, si interni iu-

dicis animaduersio, & humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem separet à Capite, & à Corpore, rationis ordo hoc exigit, vt internus iudex tantò remittat celerius, quantò solus magis videt interius: Iudex verò, qui tantum videt in facie, vsq; adeò delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, qui sit pœnitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno Iudici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conuersio; Ecclesia verò quia occulta cordis ignorat, non soluit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, id est, publica satisfactione purgatum. Hinc est, quod Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, si iam sint intus viuificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati.] Hic patet iam extremo vndecimo à CHRISTO seculo claues Ecclesiæ non fuisse, nisi externas, & ad forum solum externum Ecclesiasticum eas pertinuisse, illarumque actum soluendi semper satisfactionem præuiam habuisse, nec quenquam ab Ecclesia solui potuisse, nisi eum, qui ab eadem prius fuerit, excommunicatione siue absoluta, siue pœnitentiali, ligatus. Patet etiam, solam internam pœnitentiam ad remissionem peccati suffecisse.

IV. Excommunicationem porro verã illam, quam *Censuram* vocamus, à clauium externa potestate totam pendere, siue excommunicatio sit absoluta, siue pœnitentialis, (eadem enim est) passim supponunt & docent Patres; ac præsertim Augustinus, *de fide & operib. c.3.* qui disciplinã Ecclesiasticã per has excommunicationes per claues adhibendam ex Euangelio hoc pacto deduxit: Non omittendam Dominus censuit Ecclesiæ disciplinam, imò verò admonuit adhibendam, quando ait, Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; Si audierit te, lucratus es fratrem tuum: Si autem non audierit te, assume tecum vnum vel duos, vt in ore testium duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Deinde ipsius seueritatis terrorem grauissimum adiecit etiam eo loco, dicens: Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt in cœlo.] Et rursum: *idem cont. aduers. leg. & pro. lib. 1. cap. 17.* Ignoscendi autem misericors mansuetudo, propter quam dictum est, non solum septies, verum etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata, non ad hoc valet, vt sit iniquitas impunita, aut torpens & dormiens disciplina, quod potius obsit, quàm diligens vigilansq; vindicta. Claues quippe Regni cœlorum sic dedit CHRISTVS Ecclesiæ, vt non solum diceret: Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis: vbi apertissimè bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia: verum & adiungeret: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo: quia bona est & vindicandi iustitia. Illud enim quod ait, Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris obiiceretur. Nam ibi quoque subiunxit, Amen dico vobis, quæ ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: vt intelligeretur, quantò grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus — ecce ab hominibus — alligatur homo amarius & infœlicius Ecclesiæ clauibus, quàm quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis vel adamantinis nexibus.] Item *Idem in Ioan. tr. 50. & ep. 79.* Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ soluuntur in terra, soluantur in cœlo, quia cum excommunicat Ecclesia in cœlo, ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus; si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.] Est ergo secundum Augustinum excommunicatio per claues, quoties peccator per Ecclesiam ligatur, siue ligetur, vt inter pœnitentes conterciatur, siue vt penitus abscindatur, vnum & idē prorsus ligamen est, æque enim vtrobique peccator in suo peccato ligatur, quousque meruerit solutionem: & sic æque vterque obtenta solutione Ecclesiæ reconciliatur. Excommunicatio ergo, quæcunque vera censura est (hoc est, in qua homo in suo peccato ab Ecclesia ligatur, & sic ligatus à rebus sacris & à Christianorum Christiano commercio excluditur) fit per solã clauium potestatem. Estque ita proprius & adæquatus clauium effectus, ligare & soluere peccata, vt omnis Ecclesiastica ligatio & solutio peccatorum solis debeatur clauibus, & omnis clauium effectus sit duntaxat ligare & soluere peccata, vt & ex his constat, & in superioribus probaui, & in sequentibus magis manifestabitur.

V. His tanquam fundamentalibus substratis, vt excommunicationis vinculum verum explicem, diuisiones quatuor dũtaxat ex pluribus, quæ in Scholis, à Canonistis præsertim, & Summistis proponuntur, exagitandas sumo, & sunt istæ. 1. Alia excommunicatio est censura, alia non nisi pœna. 2. Alia excommunicatio est maior, alia minor. 3. Alia à iure, alia ab homine. 4. Alia latæ sententiæ & ipso facto, alia ferendæ.

VI. Prima diuisio sane optima est, à paucis vix nutu significata; à paucioribus, vel à nemine bene discussa, & explicata; Sane in Concilio Carthaginensi 5. *canon.* 10. Episcopo non venienti culpabiliter ad Synodũ prouincialem, pœna imponitur, vt Ecclesiæ suæ communione debeat esse contentus. *distinct. 18. cap. Placuit.*] Et consequenter aliarum Ecclesiarum cõmunione priuatur, quæ proculdubio est quædã excommunicatio. Explicat vero glossa, *ibid.* Quod iste non sit excommunicatus, sed cum aliis Episcopis non cõmunicabit, quia non veniet ad negotia ipsorum, vel ad consecrandum Episcopum cum aliis.] Hunc Arelatense 2 Concilium *can. 19.* alienum facit à fratrum communione, *distin. ead. c. Si quis autem*, & Tarraconense *can. 6.* Cunctorum Episcoporum charitatis communione priuat, *ead. distin. c. Si quis Episcoporum.* Sic fermè etiam Concilium Agathẽse, *cap. 35 eadem distinct. cap. Si quis Episcopus.* Et ex his iuribus colligunt Canonistæ, ac merito, priuationem hanc cõmunionis non esse censuram Ecclesiasticam, sed pœnam canonicam, *Steph. Quaran. in summa Bull. V. Concilium prouinciale, num. 7. qu. 18.* Et ita postbac distinctionis causa, vocabo excommunicationem, pœnam; & excõmunicationem, censuram. Addo ex eodem Concilio Carthaginensi quinto, supra citato, *can. 13.* & alium Canonem, qui sic habet: Episcopus qui hoc fecerit à cæterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit.] Quod in vno aut altero casu innuunt isti, hoc ex ipsa praxi antiquioris Ecclesiæ, & rationibus optimè potest confirmari. Censuram enim intelligimus eam, quæ potestate clauium à Christo suæ Ecclesiæ tradita fertur. Vbi verò clauium vsus nullus est, ibi neque censura esse potest; Quando igitur Ecclesia verè, & propriè non excommunicat, neque ita in terris ligat peccatum aliquod, vt sit etiam in cœlis ligatum, clauibus profectò non vtitur, ac proinde neque censuris agit. Si itaque pœnæ latæ per Ecclesiam non sint nisi purè & merè temporales, absque vllo vinculo coram Deo posito, ibi Ecclesia neque clauibus vtitur, neque censuras adhibet.

Sicut

VII. Sicut verò in modo allegatis casibus, & iuribus patet, priuationem communionis non semper esse excommunicationem, quæ sit cēsura, sed interdum esse excommunicationem, quæ sit duntaxat pœna Canonica; ita in aliis quoque innumerabilibus casibus, & exēplis idem patet manifestè. Cyprianus *in Concil. Carthag.* controuersiam de Baptismo hæreticorum ita proponit in Concilio tractandā, vt tamen illud etiam protestetur, Neminem iudicātes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.] Hæc profectò de excommunicatione, quæ sit censura, non proferuntur, quia statim subdit Cyprianus: Neque n. quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum cōstituit.] Nullum Episcopum alterius Episcopi potestate subdi apertè profitetur, & consequēter nullus Episcopus potest clauium potestatem in alium sibi æqualem exercere. Quid ergo possunt? Possunt suam communionem negare aliis Episcopis, quos tamen excommunicare non possunt. Sed ne hoc quidem sine graui caussa, & necessitate faciendum est. Causa verò sufficiens non erat, quod alii Episcopi diuersa ab istis sentirent, in re tunc disputabili, & nōdum in Ecclesia definita. Velle enim per tales communicationis subtractiones alios ad secum in his sentiēdum compellere, vt faciebat Stephanus Romanus, tyrannicum quippiam agnoscebant: amouere igitur à iure communionis Episcopos, erat subtrahere se duntaxat ab eorum communione, nullo eis vinculo adhibito, nulla addita censura.

VIII. Epiphanius non nisi Episcopus, aut ad summum Archiepiscopus in Insula Cypri, Hierosolymitanum Episcopum, nondum quidem tunc Patriarcham, sed in Cōcilio Niceno valde honoratum, & certè nulla penitus ratione Metropolitæ Cyprio subiectum excommunicare per claues non potuit, & tamen ita ad eum scribit *apud Hieron. epist.* 60. Fecistis nos etiam pœnitentiam agere, quare vobis communicauerimus, ita Origenis errores, & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor, nos secundum quod scriptum est, nec oculo nostro parcimus, vt non effodiamus eum, si nos scandalizauerit; neque manui, neque pedi, si nobis scandalum fecerit: & vos ergo, siue oculi nostri, siue manus, siue pedes fueritis, similia sustinebitis.] Nemo profectò dicet, potestatem clauium ad excommunicandum datam esse à Christo illis verbis, *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum; & si manus, vel pes, abscinde, &c.* Hoc enim toti corpori Ecclesiæ, ipsiusve solis Prælatis nō est dictum, sed cuicunque fideli, pro priuata cuiusq; causa, vt quisque sibi caueat, præcidatque omnes spiritualis damni occasiones, easq; ab se quam longissimè potest, remoueat; & id iure potius naturali, quàm siue humano, siue diuino positiuo, exequendum proponitur, iuxta illud Apostoli 2. *Thessal.* 3. 6. Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.] Hic non excommunicantur à Paulo illi fratres, qui inordinatè ambularent; sed datur opportunum documentum bonis fidelibus, vt vbi illi priuatim etiam agnouerint aliquē inordinate ambulātem, ab eius se subtrahant cōuersatione, ne ipsius consuetudine corrumpantur. Sed etiam ad medelam & confusionem delinquentis, iubet vt consortium ei negent, ait enim *ibid. v.* 14. Hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt cōfundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.] Eodem documento non modo frater à fratre sibi cauit, sed interdum etiam plebs à pastore. Sic cum primum Nestorius in publica synaxi hæresim suam prōposuisset illis verbis, Si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit; Clamor quidem ortus est, *inquit Cyrillus epist.* 18. *ad Cœlestinum*, & excursus fit ab omni plebe. Neque enim illi amplius cum talia sentirent, communicare volebant, ita vt populus Constantinopolitanus à synaxi abstineret.] Sic videmus pro tribus capitulis in quinta Synodo Oecumenica damnatis, quia etiam Vigilius Papa in eorum damnationem initio consenserat, *Vigil. epist.* 5. Rusticum, & Sebastianū præcipuos Papæ Diaconos, non modo ipsos se à communione cum suo Papa abstraxisse, sed etiam authores fuisse, vt ipsa Romana Ecclesia bona ex parte, & aliæ occidentales, Papæ Vigilio nollent communicare. Sic plebs Istriana Episcopis suis, qui eadem tria capitula damnarant, postea etiam communicare noluit, *Paul. Diacon. de gest. Longobard. libr.* 3. *cap.* 12. Sic Venetiarum, & secundæ Rhetiæ Episcopi propter eadem tria capitula cū Papa Gregorio diu communicare noluerunt, *Libellus ad Mauritium apud Baron. tom.* 8. *an.* 590. *num.* 39. Ideo postea octaua Synodus *cap.* 10. cernens id sæpe sine caussa contigisse, vt plebs sui Episcopi tanquam de hæresi suspecti, aut scelere aliquo inquinati, & Episcopi suorum Metropolitanorum, & Metropolitani sui Patriarchæ facilè vitarent communionem, tale decretum edidit: Nullus Clericus ante diligentem examinationem & Synodicam sententiam à communione proprii Patriarchæ se separet, licet criminalem quamlibet causam eius se nosse prætendat: nec recuset nomen ipsius referre inter diuina mysteria. Idem statuimus de Episcopis erga proprios Metropolitas: similiter & de Metropolitis circa Patriarcham suum. Qui verò contra fecerit, ab omni sacerdotali operatione & honore decidat.] Aliquot exempla præter hæc, & sanè magni momenti, refero inferius, *cap.* 12. *huius libri nu.* 69. 70. Quis verò dicet, aut plebem posse veram excommunicationem ferre in suum Episcopum, aut Episcopum in suum Metropolitanum; aut Metropolitanum in suum Patriarcham? Et tamen illis, tanquam si essent excommunicati, in propriam cautelam, communionem denegarunt. Legimus etiam sæpe, fideles seipsos spōte à communione Eucharistiæ, imò etiam à frequentatione publicarum precum & mysteriorum, & ab ingressu Ecclesiæ separasse: & alios quidem vt pœnitentiam sponte assumptam agerent, *Aug. serm.* 7. *de temp.* alios verò criminum conscios, ne ab Episcopo extruderentur, si forte ei innotescerent, *Idem lib.* 50 *hom* 49.

IX. Excommunicatio hęc quæ censura non est, sed vel nuda pœna, vel cautela, & præseruatiuum, sæpe etiam in ipso modo loquendi satis aperitur: vt cum Zosimus ait, *epist.* 2. Sancimus, memoratos perturbatores omnium ab Apostolicæ nostræ sedis communione alienos fuisse.] Et Cœlestinus *ep.* 6 Tantisper eos à nostra communione reiicimus.] Hormisda *ep.* 45. A nostra cōmunione habeantur excepti.] Pelagius II. cum minatur, se Ioannem Constantinopolitanum excommunicaturum, ad explicationem suæ huius excommunicationis ista posuit *ep.* 1. Et Apostolicę sedis, atq; omnium sanctorum Episcoporum communione careat.] Atqui vera excōmunicatio quę sit cēsura, faceret eum, etiam suorum subditorum communione carere. Excommunicatio ergo illa, quæ solum aliquorum commercium aufert, & aliorum relinquit, præsertim propriorum, censura esse non potest. Excommunicati igitur vera censura non erant illi Episcopi, de quibus ait Leo *epistol.* 42. De fratribus, quos communionis nostræ cupidos esse cognouimus (*fuerant enim amoti*) approbamus; vt suarum interim Ecclesiarum mnot communione contenti— *postea*, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur.] Censura aut tota relaxatur, aut tota manet; est enim vinculum, quod non potest esse nisi aut astrictum, aut solutum: hic vero communio par-

tim remittitur, partim retinetur. Sicut & in Concilio Antisiodorensi video distingui communionem cum fratribus, à communione cum omnibus Christianis; sic enim statuit in delinquentes *cap.* 45. Anno à consortio fratrum, vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus.] Innumera possem huc exempla aut dicta congerere, in quibus excommunicatio non sit censura, nec clauium effectus, sed humana tantum humanæ familiaritatis & consuetudinis interdictio. Vnde regulam generalem illam colligo, meo iudicio, semper verissimam, videlicet, quoties vna Ecclesia excommunicat aliam, seu vnus Episcopus alium, aut alios, aut etiam quemcunque extra propriam diœcesim constitutum, illam excommunicationem neque esse, neque posse esse aliam, nisi hanc, quæ est negatio suæ communionis, absque clauium vsu, absque censura; nisi aliter peculiares alicuius Ecclesiæ legitimæ disponant constitutiones. Neque sic excommunicatus aut vinculum vllum in anima coram Deo contrahit, aut damnum subit, solam illam carentiam communionis externæ patitur. & si quid notæ aut damni coram hominibus inde possit soleatve consurgere. Hæc ergo est excommunicatio, quæ censura non est, sed vel mera pœna canonica, vel etiam publica priuatave cautela. Et eam non esse veram censuram veramque per claues excommunicationem, ex Meldensi Concilio *cap.* 56. satis patet; in quo illud extat decretum: *11. qu. 3. cap.* 41. Nemo Episcoporum quemlibet, sine certa & manifesta peccati causa, communione priuet Ecclesiastica. Sub anathemate autem, sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum, nullum præsumat ponere, nisi vnde canonica docet authoritas: quia anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.] Ecclesiastica ergo communione priuare, non est sub anathemate ponere.

X. Circa hanc excommunicationem, quæ censura non sit, duo maximi momenti obseruari cupio: Alterum est, eam in animâ nihil penitus operari, siquidem vinculum coram Deo nullum adsit: & consequenter, qui tali excommunicatione excommunicati sunt, si in ea se causa coram Deo culpabiles agnoscant, pro qua ab aliquo, vel aliquibus abstineantur; non propter excommunicationem hanc, sed propter reatum culpæ, suam cum Deo causam agant in conscientia; vt ligati coram solo Deo, liberi verò quoad Ecclesiam, à qua per claues non sint ligati. Si verò se inculpabiles coram Deo agnoscant, excommunicationem illam in conscientia nihil operantem, nihil timeant: coram hominibus tamen, & coram Ecclesia, tanti faciant talem excommunicationem, quanti sua intersit & existimationem tueri, & amicitiam, ac communionem conseruare: cæterùm si pœna est iustè inflicta, humiliter eam tolerent, & adimpleant; si verò est talis ab vnione & amicitia, & sine iusta causa abiectio, coram Deo nihil timeant: coram hominibus verò sequatur quisque illud Pauli documentum, *Rom.* 12. 18 Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quod si absque legitima causa vna Ecclesia aliam sic excommunicet, suam negando communionem, seipsam & non illam, coram Deo ligat.

XI. Alterum quod obseruo, est ad hoc prius consectarium, nimirum, si in quacunque excommunicatione, etiam per claues, magna est adhibenda moderatio & discretio, vt perpetuo Patres & Concilia clamant, profectò in hac, quæ non est censura, sed amicitiæ & vnionis abruptio, summa est adhibenda; quia secū fert ingentia pericula schismatum, quę Ecclesiam Dei summopere turbant & deturpant. Singulares homines tradere Sathanæ, & tanquam ethnicos & publicanos habere, hoc est ab Ecclesia Christiana excludere, & ex numero albo; fidelium eiicere, quæ est verissima, & propriissima per claues excommunicatio, non potest ordinariè schisma facere, nisi sic excommunicatus habeat multitudinem sibi fauentem, vt obseruat Augustinus *cont. ep. Parm. l.* 3. *c.* 2. Hæc vero communionis subtractio, vbi vna Ecclesia se alteri subtrahit, nisi illa, quam à sua communione altera abiecit, satis humiliter agat, & vel si errorem suum propter quem alia se ab eius amicitia spirituali subtraxit, agnoscat & corrigat, reconciliationémque communionis conetur adipisci, subtractio illa est ipsummet schisma formatum. Cui sanè initium dat illa, quæ se ab alia prior diuidit & separat: meritò quidē & laudabiliter, si ex causa legitima id fecerit; secus, si ex leui aut nulla. Sic Papa Romanus Victor olim, nec immeritò, acriter ab Orientalibus, præsertim ab Irenęo reprehensus est, quod tali separatione à magna parte Orientis pro re leuissima schisma fecerit, *Euseb. l.* 5. *c.* 24. Paschatis enim celebratio, sicut & cuiuscunq; festi, neque à Scriptura Christianis præcipiebatur, neq; ab Apostolis fuit instituta, & à Paulo in hoc data fuit libertas, vt ostendit Socrates *lib.* 5. *c.* 21. & ita festa relicta sunt initio libertati, & consuetudini Ecclesiarum. Neque hæc festorum varia celebratio vnitati fidei præiudicabat. Satis itaq; temere ac inepte Quartadecimani sunt eo tempore à Romanis hæretici appellati, cum hæresis circa ritus nulla vnquam possit esse; ritus verò semper in Ecclesia fuerint in se adiaphori, & à libertate Ecclesiarum dependentes. Sic Stephanus Romanus Episcopus in schisma ruebat, (*Cypr. Pamel. ep.* 75 quando se à Cypriano, & multis Ecclesiis Africanis, pro re tunc disputabili, ac nedum in Ecclesia plene discussa, separabat. *Aug. cont. Cresc. libr.* 1. *c.* 3. *& de bapt. lib.* 5. *c.* 25. *& de vnico bapt. c.* 14 Si verum esset, (quod aliqui scribunt, *Epist. Bonifac.* 2. *tom.* 1. *Concil.* ego autem fabulam censeo) Ecclesiam Africanā per centum annos à Romana fuisse schismate separatam, quis schismatis illati reus fuisset, nisi Zosimus ille, seu Bonifacius, seu Cœlestinus, qui contra ius, contra fas, contra Canones voluerunt sibi Africanas Ecclesias in rebus iudicialibus subiicere, *Concil. Afric. sub Bonifac. cap.* 101. *& seqq.* in quo ipsum quoque Augustinum resistentem habuerunt? Schisma illud magnum & horrendum, quo toties Orientales & Occidentales Ecclesiæ dissidiis luctuosissimis exarserunt, hodieque diuisæ sunt ab inuicem ac separatæ, ex huiusmodi temeritatis, ne dicam furoris, excommunicationibus, hoc est separationibus promanauit. Quia enim Oriens nunquam subiicere se voluit Papæ Romano tanquam supremo & vniuersali totius Christi Ecclesiæ Episcopo (quia neque talis est, neque esse potest, sed vnus ex quinque Patriarchis inter se plene potestate paribus, vt est à nobis iam quatuor prioribus libris demonstratum) nostri Papæ summa ac præcipiti temeritate, in causa etiam iniustissima, vsi, iniquissimum schisma, sua separatione communionisque negatione fecerunt. Iidem, etiam acrius, longeque truculentius schisma cum tot Ecclesiis reformatis fecerunt, eadem, & sanè iniustissime, subtracta communione, nulla iusta ad hoc ipsis causa suppetente. Quid enim? In Symbolis fidei concordant; in disputabilibus, & nondum in Ecclesia sufficienter definitis, neque certè omnino nouas tuentur opiniones; stare æquo Ecclesiæ iudicio, vt audiui sunt parati; Etiam earum nonnullæ Romano Episcopo sua Canonica antiqua priuilegia nō obiudicant, modo se intra fines ab Ecclesia præscriptos contineret. Cur ergo ipsis charitatiua negatur communio? Ita Romana Ecclesia schisma fecit, non illæ, nisi coactæ, tot absurdis commentis consensum non præbere.

Hic

Hic est importunarum Excommunicationum, per communionis negationem, effectus miserabilis. Hæc ergo prima est diuisio, vt excommunicatio alia sit censura, alia vero pœna duntaxat canonica, seu cautela; hanc posteriorem hactenus explicaui, relinquitur prior, quæ iam subdiuiditur, & in sua diuisione, quæ secunda est ex præpositis, explicabitur.

XII. Excommunicatio igitur, quæ censura est, & ad claues pertinet, alia est maior, alia minor. Hæc diuisio celebris est, & ab omnib. vniuersalissime admissa. Eam ego quoq; veram puto, non tamen eo in sensu quo passim ab omnibus explicatur & recipitur. Minorem dicunt esse eam, quæ priuat hominem fidelem vsu ac perceptione Sacramentorum duntaxat, non autem eum priuat fidelium consortio. Maiorem verò, vtramq; secum ferre priuationem. Hæc est fundamentalis differentia inter maiorem & minorem excommunicationem, ex qua differentia consurgunt alij quoq; effectus, qui maioris excommunicationis plures numerantur, de quib. nos postea. Si igitur est excommunicatio quæ Sacramentorum solam vetat perceptionem; & quæ eandem perceptionem, ac simul etiam consortium aufert; cur non debuit seorsim alia esse, quæ solū consortium vetaret, Sacramentorum perceptionē non item? Et hanc omittunt Summistæ, à me tamen nō est omissa; nam licet censura nō sit, magnū tamen vsum habuit semper in Ecclesia, ideoq; illam Summistæ nostri perperam cum cēsura, & cum maiori excommunicatione permiscuerunt: sed erit illa nobis omnino à maiori excommunicatione separanda: cum longe diuersa sit prohibitio communionis per censuram, à negatione communionis, sine censura.

XIII. Minor profecto excommunicatio non satis explicatur per Sacramentorum ablationem; hoc enim absq; vlla Ecclesiastica censura omne peccatum mortale facit; quod impedit, ne quisquam sine graui sacrilegio ad Sacramenta possit accedere; & tamen peccatum mortale ex se Ecclesiasticam excommunicationē nullam inducit: & cum excommunicatio quæ sit censura, potestate clauium feratur, sitque actus externus Ecclesiæ, ostendendum est, quomodo, vbi, & quando quis ab Ecclesia sola minori excommunicatione excommunicetur, & quomodo ac quando à tali excommunicatione absoluatur. Absoluunt, *inquiunt*, à tali censura omnes Confessarij in foro pœnitentiæ, tunc quando absoluunt à peccatis. Mirum quod nunquam deducatur ad forum quod vocant externum: & si nunquam in foro externo in quēquam talis fertur excommunicatio, quomodo quis sciet se tali excommunicatione ligatum, quam nulli Patres, nulli Canones, nulla Concilia vnquam sub nomine minoris excommunicationis, nominarunt?

XIV. Duplicem sane excommunicationem passim in Patribus & Conciliis, quæ sit vera censura, facile est obseruare; quarum altera sit pœnitentialis seu medicinalis, & ordinariè vocatur excommunicatio, in qua peccantes ligantur ad pœnitentiam, & Ecclesiasticæ satisfactioni subijciuntur; hanc nos minorem possumus appellare; altera vero quæ præscindat absolutè ab Ecclesia, tradat hominem ex albo fidelium, tradat Sathanæ, & hominem, qui erat Christianus, iam habeat Ecclesia tanquam Ethnicum & publicanum; & hæc solet ordinariè vocari anathema, & eam nos possumus vocare maiorem. Priori hominem ligat Ecclesia ad hoc, vt eum à peccato prius purget, deinde soluat: posteriori ligat hominem vt ligatum, quantum ex parte Ecclesiæ est, proijciat in tenebras, & sic purget, non illum amplius, qui purgari noluit, sed seipsam, quando citra periculum schismatis id facere potest. Per priorem excommunicationem amouetur excōmunicatus ad minimum, in secreta præsertim pœnitentia, à sacra tantūmodo mensa, sæpe etiam in publicis pœnitentiis, à sacris conuentibus, à publicis precibus, à sacris templorum cancellis, non tamen à corpore Ecclesiæ præscinditur, imo in eo manet, & pro talibus orat Ecclesia, & illi se perpetuo fidelibus commendant, neq; à reliqua communione cum fidelibus abijciuntur. Secus contingit anathematizatis. Anathematis enim, seu huius maioris excommunicationis effectus primus & grauissimus est, quod illa, si claue nō errante fiat, præscindit hominem à corpore Christi, quod est Ecclesia, qui autem non est in corpore Christi, neq. influxum habet capite, neq; participat de spiritu Christi, vt ait Augustinus, *tract. 27. in Joan.* & Gregorius *in Psalm. 5. pœnit. init.* & de hac excommunicatione tantummodo intelliguntur illa Christi verba. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*: vt videlicet peccator grauis, & scandalosus, notorius, aut accusatus, & conuictus, si correptus publicè in sacris conuentibus Ecclesiasticis ab Episcopo, post priuatas sine fructu factas correptiones, humiliari nolit, & pœnitētiæ Ecclesiasticæ se subijcere, sed maneat incorrigibilis, & in peccatis suis scādalosis perseuerauerit, cum anathemate sit feriendus, & á corpore Ecclesiæ separandus, & non amplius pro fratre, & pro Christiano habendus. Et hoc ratum se habiturum Christus statim pollicitus est: Quæcunque enim alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.] Ad hæc vero consequenter se habet, vt iste sic ligatus separatus à corpore Christi, publicarum precum & oblationum particeps nō sit, nec capax aut habilis maneat ad ea dona & spiritualia recipienda, quæ liberali manu filiis Ecclesiæ, per eiusdem Ecclesiæ intercessiones Deus è cœlo depluit. Fit etiam consequenter, vt tanto clypeo destitutus iam totus in hostis potestatem transeat, ac etiam à Diabolo possideatur, quod multi sancti in illis Pauli verbis, *tradere Sathanæ*, intellexerunt. *Hilar. in Psalm. 118. v. Feci iudicium. & Chry. in 1. Tim. hom. 5. & alij 11. q. 3. cap. 2.* Sed tremendum hunc sensum non videntur verba Pauli intendere; siquidem 1. *Cor.* 5. 5. traditur ille peccator Sathanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini; Spiritus noster plenam salutem accepturus est in die Domini post resurrectionem, vt tractaui *cap. 8. præcedenti.*) Traditus igitur fuit fornicarius ille Sathanæ, quoad carnem solam, & non quoad spiritum. Non ergo traditio illa Sathanæ fuit maior hæc excommunicatio, sed miraculosa aliqua corporis infirmitas, & flagellum, quo castigatus ille resipisceret; quo pacto Iob fuit traditus Sathanæ, sed non ob crimina sicut iste; sicut etiā Paulus ipse *ib. c. 14.* à Sathana fuit colaphizatus. Datus est Sathanæ, tanquam pædagogo, inquit Chrysostomus, *in 1. Cor. hom. 15.* vt eum flagellet malo vlcere, aut morbo alio.] Quo etiam Augustinus *cont. ep. Parm. l. 3. c. 1.* respexit, vt tradere Sathanæ, fuerit miraculoso aliquo flagello carnem percellere, cæcitatis, vel infirmitatis, vt loquitur Ambrosius, *de pæn. l. 1. c. 17.* vel alio ad pœnitentiam, & sic tradere Sathanæ potest etiam esse excommunicatio minor.

XV. Alii effectus excommunicationis maioris sunt partim ex iure naturæ, vt quisq; sibi à morbidis caueat, ne eundem morbum contrahat; partim ex Scripturæ monitis, & institutis; cum talibus neq; cibum sumite, 1. *Cor.* 5. 11. neq; aue ei dixeritis, 2. *Joan.* 1. 10. Addunt Canonistæ (satis ineptè permiscentes excommunicationem non censuram, cum aliis duabus, quæ sunt censura, id est, cum maiori & minori) exclusionem à publicis precibus, negationemq; communionis, & excom-

municato aiunt auferri illa quinque, quæ carmine quodam comprehenderunt, videlicet,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Addūt plures alias inhabilitates & incapacitates, quas varij Pontifices suis decretalibus auxerunt; quæ quam vim habeant nolo nunc disputare; satis mihi sit regulam generalem proponere, vt quæ sunt iuris naturæ, iuri positiuo Ecclesiastico præferantur. Quia ergo Paterfamilias tenetur iure diuino naturali domum suam regere, idcirco nulla excommunicatio potest illum priuare hoc iure; similiter Rex Regnum, Episcopus Ecclesiam, Magistratus populum, Iudex dissidentes; ac propterea neque horum subditi vlla eorundem excommunicatione detineri possunt, quo minus ad eos pro suis causis, & negotiis recurrant; imo si excommunicato alicui Rex communicet, etiam alij subditi possunt licitè eidem communicare, vt *libr.* 6. ostendam.

XVI. Distingui porro inter se excommunicationem, & anathema constat multis testimoniis apertissimè; præcipua recensebo. Syluester Papa in excommunicatione gradatim procedendum statuit, & certè cōtumaces primum ab ingressu Ecclesiæ, & ab audiendis diuinis officiis arcet: tum verò, à pace, & communione S. Ecclesiæ suspendit, ac demum anathemate ferit, *5. q. 2. c. Præsenti.*] Quinta Synodus Romana sub Symmacho hæc habet: Si quis hæc, quæ hodie in hac sancta Synodo prohibita sunt, infringere præsumpserit,—Si monachus aut laicus fuerit communione priuetur: & si non emendauerit vitium, anathemate feriatur.] Agapetus ait *ep.* 6. Cyrum & sequaces—ab Ecclesiç Catholicæ cōmunione suspensos. & in sua hactenus perfidia permanentes, nisi sub satisfactione Canonica doctrinam Apostolicam fuerint consecuti, nullatenus patimur eos sacræ communioni restitui; sed etiam vt hæreticos anathemati subijcimus.] Turonica Synodus c. 25. de direptore bonorum Ecclesiasticorum statuit, vt imprecationes *Psalmi* 108. in eum conijciantur, vt non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur.] Nicolaus I. *ep.* 7. Rhadoaldum Episcopum deponit prius, & excommunicat; quod si Photio vlterius communicauerit, etiam se illum anathematizaturum minatur.] Ioannes octauus *ep.* 16. de quodam ait, Si absuerit, post excommunicationem nouerit se anathematis gladio puniendum. Et alteri minatur similiter *ep.* 17. se eum excommunicationis vinculis innodaturum: postmodum verò sciat, se anathematis sententia feriendum.] Et sanè in excommunicatione lenem tactum, at verò in anathemate duriora verbera ponit idem Ioannes, *ep.* 42. Sexcentis aliis testimoniis possem eandem differentiam confirmare; sed hæc sufficiant: quibus plane constat, aliud esse excommunicationem, aliud anathema; & minus esse vinculum excommunicationis, quam anathematis. Vtrunque tamen esse censuram, sed prior est medicinalis, vt video, & ferme pœnitentialis: posterior verò mortalis; nam sic eas Augustinus *l. 50. hom* 50. *c.* 12. distinguit: & Vrbanus II. 24. *q.* 3. *cap. Notandum,* explicat, aliud esse excommunicationem, aliud eradicationem. Itaque excommunicatio, quæ sit censura minor, erit illa, quæ est pœnitentialis, in qua ad tempus quis ligatur in suo peccato, & ab Ecclesiæ Conuentibus ac Synaxibus, sacrorumq; perceptione amouetur, quandiu suam peragit pœnitentiam; Sed à corpore Ecclesiæ non præscinditur; vnde Augustinus; *in Psal.* 101. Sunt, *inquit*, & pœnitentes in mēbris eius: non enim exclusi & separati sunt ab Ecclesia eius.] Maior vero erit illa totalis ab Ecclesia præcisio: Rursus excommunicatio quoq; sola pœnalis, quæ non sit censura, sed pœna Canonica, & sane temporalis, quandiu quis resipiscat, erit & ipsa excommunicatio minor, quæ ipsa quoque tanquam medicinalis solet adhiberi; maior vero erit illa mortalis & eradicans, & à corpore Ecclesiæ penitus præscindens, ita tamen vt resipiscentem semper denuo complectatur. Minor illa prior, quæ est censura, ita retinet peccatum irremissum corā Deo, sicut & maior; minor verò posterior in anima nihil operatur, vt docui, neq; Sacramentorum receptionem impedit, solum enim consortium aufert.

XVII. Solet interdum anathematizatio non esse verè & propriè censura, nec actus clauium, nec ab Ecclesia præcisio, & consequenter neq; excommunicatio, sed detestatio quædā, & mala imprecatio; vt cum fideles, etiam laici, dicuntur hæresim aliquam, seu hæreticum anathematizare. Et Principes laici in suis edictis solent anathema alicui dicere, hoc est execrari: sic Edessenæ Ciuitatis clerus, attestans falsam esse calumniam, quæ Ibæ ipsorum Episcopo de quibusdā blasphemiis imponebatur, ait, *in Conc. Chalced. act.* 10. Manifestū facimus, quia nihil tale audiuimus— anathematizātes nosmetipsos, & terribili gehennæ nosmetipsos obnoxios facientes, si nouimus, &c.] Et Iustinianus Imperator *de summa Trin. lib.* 7. suo publico edicto anathemate damnat quasdam hæreses. Tales execrationes & imprecationes solent Pontifices cōtra Reges & Principes, si quis eorum priuilegia contemneret, eiaculari; quas perperam aliqui excommunicationes esse sunt interpretati, vt *sequenti lib.* 6. videbimus. Sane etiā Petrus seipsum non excommunicabat quando *Marc.* 14. 71. iurabat, & anathematizabat se hominem non nouisse.

XVIII. Vera tamen illa maior Excommunicatio, quæ solet anathema vocari, procul dubio fulmen horribile est, & gladius in Ecclesiæ manibus acutissimus, ac proinde cuique fideli summopere timendus. Non quod Ecclesia potestatē habeat quenquam pro ipsius libitu in infernum detrudendi, sed peccato graui obstrictus, & in eo obfirmatos, ipsa quidem ad purgandā seipsam, quatenus visibilis est, à se visibiliter præscindit, ex quo sequitur, quod etiam in cœlo, iuxta Christi promissum, *Matth.* 18. 18. iste ligatus maneat, & æternæ damnationi obstrictus, neque saluari possit, nisi prius vinculum suum Ecclesia sustulerit, & illum soluerit resipiscentem & pœnitentem. Salua ope Internæ veræ pœnitentiæ, vbi ad reconciliationem Ecclesiæ non datur accessus. Fulminis huius & gladij vim Patres antiqui & agnouerunt & explicarunt; & loco gladij materialis veteris legis, gladium hunc spiritualem suppositum fuisse docuerunt. Cyprianus, *l.* 1. *ep.* 11. In testificaDeus iussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat, nunc autē quia circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.] Hieronymus, *ep.* 1. Et in veteri quidem lege quicunq; Sacerdotibus nō obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore, *Deut.* 17. nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur.] Augustinus *de fide & oper. c.* 2. Neque enim quia illam primi populi commixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicauit. Et *Num.* 25. 7. Phinees Sacerdos adulteros simul inuentos ferro vltore confixit.

Quod

Quod vtique degradationibus & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.]

XIX. Sed Hildebrandus in hac parte illius mancipium, qui fuit homicida ab initio, *Ioan.* 8.44. gladium materialem reuocauit, eumque voluit esse executorem gladii sui spiritualis, dum bella & arma in subsidium suæ impudentissimæ, imò impudentissimæ excommunicationis contra Imperatorem suscitauit. Mali corui malum ouum Vrbanus secundus, etiam priuatis sicariis, qui excommunicatum aliquem impiè & nefariè trucidarent, penè magnas concessit vitæ æternæ Indulgentias; Rescriptum ipsius quod iam Canonis vniuersalis in Ecclesia locum occupat. tale est: 23. *qu.* 5. *cap* 47. Excommunicatorum interfectoribus (prout in ordine Ecclesiæ Romanæ didicistis) secundum intentionem, modum congruæ satisfactionis iniunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, aliquos eorum trucidare contigerit. Ne tamen eiusdem Ecclesiæ matris disciplina deseratur; eo tenore quem diximus, pœnitentiam eis indicito congruentem; qua diuinæ simplicitatis oculos aduersus se complacare valeant; si fortè, quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint.] Vah decretum sanguinarium! Vah apertam homicidiis, imò regicidiis fenestram, idque sub zeli ac Catholicæ Matris vexillo! Non est, *inquit*, homicida, qui excommunicatum interfecerit: pœnitentiola aliqua, fortasse vnica benedictæ aquæ aspersione expiandum esse censuit, si fortè, *inquit*, quid duplicitatis, (hoc est, peccati mortalis, ait Glossa,) incurrerint. Dubitat adhuc, num peccauerint tales sicarii & parricidæ; & si peccauerint, id fragilitatis veniale peccatum censuit. Et hoc ad perpetuam nostram infamiam æternis est monimentis in corpore iuris canonici consignatum.

XX. Hinc Baronius senex alioquin pius, deposita verò post galerum rubrum assumptum, pietate, induta que coccinea sanguinolenta chlamyde, sic ostro trabeatus, œstro tamen diabolico percitus in Consistorio aliquando consilium dedisse fertur moderno Pontifici, vt excommunicatione primum, statim verò etiam gladio materiali filiorum Ammon, 2. *Reg.* 12.9. Venetos mactaret: siquidem Petri, cuius Papa personam gerat, duo scilicet officia inueniebat; alterum pascendi, mactandi verò alterum; abusus turpissimè diuinæ illius visionis verbis: *Act.* 10.13. Surge Petre, macta & manduca. Cum tamen dictum hoc non modo mactationem corporalem, sed neque etiam excommunicationem spiritualem secum ferat, vllamve habeat cum illis annexionem, imo contrarium penitus sensum, ex communi ferme interpretatione. Excommunicatio enim illa magna, perdens & abscindens, eiicit ex Ecclesia, & eum qui erat intus, foras extrudit, & tanquam membrum putridum à reliquo Ecclesiæ corpore dissecat, & diuellit: Petrus verò iubetur mactatos comedere, & eos qui foris erant, in suum corpus recipere: hoc est, mactare infideles, quoad vitam & mores infidelium, & sic eos in ventrem Ecclesiæ traiicere. Ita Augustinus sæpe, in *Psalmo* 3. *Dentes peccatorum*, &c. *In Psalmo* 30. *Quoniam defecit*, &c. *In ipso Psalmo* 98. *Dominus in Sion*, &c. *In Psalmo* 123. *Forsitan viuos absorbuisset nos. In Apoc. homil.* 16. *Venite & congregamini, homil.* 17. *Sederit*, &c. *Et comedit eos*, &c. *libr.* 50. *homil.* 45. *De diuers. serm.* 31. *Hieron. in thren. Hierem.* (si is est Hieronymus) *in capite* 3. *Confregit ad vnum dentes meos*, &c. *Gregor. libr.* 1. *epist.* 6. Iustus Orgelit. *in cant. v.* 101. *Comedite amici*, &c.

XXI. Sed iam diu in Baroniano grassatorum proprio sensu Pontifices nostri illud, *macta*, accipiunt, intelligunt, & exequuntur, sicas parant, venena propinant, pugiones, & publicos, & priuatos exacuunt, vt eos in iugulum innocentium veritatis propugnatorum, ac etiam Principum & Regum cruentè immergendos. Mendacij & calumniæ me hic arguent Curiæ Romanæ addicti. Nouit Gallia, nouit Anglia, norunt Venetiæ, quid nostris diebus in hoc genere contigerit; non tamen norunt omnes secretas artes, quibus sancta illa Sedes in neces etiam priuatorum conspirat, quæ tamen me non latent. Accusabit hæreseos, iussu D. Papæ, fiscalis ipsius Procurator, illum quem de medio tollere cupiunt; secretum & cameralem, vt vocant, processum formabunt, citationem illius in loco edito Sancti officij, seu Cancellariæ, aut alio, minutis characteribus conscriptam affigunt, quam nemo legere possit, aut cognoscere, inde procedunt ad secretam item sententiam excommunicationis & mortis: mox eam tradunt sanguinario alicui, onerant promissis, numerant pecuniam, addunt indulgentias, à reatu conscientiæ Papali authoritate liberant, vt fiat iustitiæ minister & executor, in trucidando etiam per insidias, & priuato gladio homine, id ne suspicante quidem. Solent etiam iam Breuia concedere Pontifices, in quibus licentiam concedunt homicidia illhæc priuata perpetrandi, vt sublato peccati & censurarum timore, iam tutum sit alicui in sui priuati inimici sanguinem grassari, & venenis, insidiis, dolisque ac fraudibus parricidiali odio eos persequi, ac etiam per manus religiosorum, citra pœnam, citra irregularitatem, quos voluerint trucidare. Dabo tibi Lector exemplar vnius nostrorum dierum Breuis Apostolici, ex ipso originale deductum, scio horrebis mecum, & contremisces.

CLEMENS PP. VIII. ad futuram rei memoriam. Cum, sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, quidam Fuluius Serenarius sicarius & bannitus, vna cum duobus aliis sicariis associatus, homicidium in personam quondam Vincentij Vecchiarelli, dum vixit Patritii Reatinensis, commiserit, & dicti eius socii aufugerint, & ad exteras regiones se transtulerint. : Nos sicariorum & bannitorum quorumlibet extirpationem sinceris procurantes affectibus, Dilectis filiis, Mariano Petro Clerio Reatinensi, in vtraque signatura nostro Referendario, & literarum Apostolicarum maioris Præsidentiæ Abbreuiatori, necnon Hippolito de Vecchiarellis, eiusdem Vincentii filiis legitimis & naturalibus, ac quibuscunque aliis personis, tam sæcularibus, quam Religiosis, quacunq; dignitate fungentibus, & in quibuscunque etiam sacris & Presbyteratus ordinibus constitutis, vt eundem Fuluium & eius socios prædictos, nec non illorum fautores & quoslibet alios, dicti homicidii reos & condemnatos prosequi, & ad iustitiam sæcularem & vltimum supplicium conduci facere, seu aliter eorum mortem & exitium procurare liberè & licitè, absque aliquo conscientiæ

scrupulo, aut Ecclesiasticarum Censurarum, vel cuiusuis irregularitatis aut inhabilitatis incursu, possint & valeant, autoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam & facultatẽ concedimus & impartimur. Et si Marianus & Hippolitus, & alii prædicti in præteritum, in huiusmodi prosecutione facienda & procuranda, aut opem, aut consilium, auxiliũ vel fauorẽ præstando, aliquas cẽsuras & pœnas Ecclesiasticas incurrerint, aut incurrisse dici vel censeri possint, illos & eorum quemlibet à censuris & pœnis huiusmodi in vtroq; foro, autoritate & tenore præsentis gratiosè absoluimus & liberamus, ac cũ eis super irregularitate præmissorũ occasione quomodolibet cõtractâ dispensamus, omnemq; inhabilitatis & infamiæ maculã siue notam cõtra eos & eorum quemlibet ex præmissis insurgentem ab eis penitus abstergimus & abolemus. Non obstantib. Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctũ Marcum sub annulo piscatoris die 6. Septembris 1603. Pontificatus nostri anno 12.]

M. Vestrius Barbianus.

Effectus post quinquennium consecutus est: nam Fuluius hic Serenarius anno Dom. 1609. die 28. Februarij, cum esset vnius cohortis peditum militiæ Venetæ Capitaneus, Venetiis miserrimè à Rocco, & Ioanne Manci Asoolitanis, sicariis pugionibusq; confectus est, Ventura Specchiu Velletrensi eum prodente. Atq. hoc pacto gladius materialis etiam proditorius, vbi serio res agitur à Pontificibus, loco gladij spiritualis in nostra Ecclesia, nec raro, adhibetur. Itane Cain Christi Vicarius est in terris constitutus, vt iustos etiam Abeles de medio tollat? Et hoc tam impium, tam immane decretum non erubuerunt ad perpetuam rei memoriam, hoc est, ad perpetuum Christiani nominis dedecus, indelebilemque non veræ Christi Ecclesiæ, sed illius prostitutæ Sedis infamiam, commendare. Sed dicet quispiam sanguinariorum huiusmodi decretorum defensor; Fuluium hunc Serenarium fuisse homicidam, exlegem, ac extorrem, dignum qui ex lege talionis per sicarium è medio tolleretur: adeoq; nulli inde bono viro metuendum ne porrecta à Pontifice sica sanguis vnquam innocens effundatur. Itane vero? Esto, fuerit hic Fuluius homicida, morte dignissimus; gladio sane publico, non priuato feriendus fuit. Sed quid hoc ad pedum pastorale, & rerum sacrarum, vitæq; non necis ministros? Quis dubitat, quin, si res tulerit, extendi possit flagellum hoc spirituale ad alium quemuis innocentissimum Christianũ, Principes Attendite, ad vos etiam impune trucidandos, si modo quis iugo se Papali non submittat in omnibus: quasi hos Papa minori animi molestia ferat, quàm homicidas: Quasi pro *Nos sicariorum, & bannitorum, &c.* non æque facile scribere possit, *in perpetuam rei memoriam, &c. Nos hæreticorum, & schismaticorum quorumlibet extirpationem, sinceris procurantes affectibus —quibuscunq; personis, tam sæcularibus, quam religiosis, vt N. N. hæreticos reum prosequi, —seu aliter eius mortem, & exitium procurare licite, & absq; conscientiæ scrupulo possint, autoritate Apostolica licentiam concedimus, &c. Non obstantibus, &c.* Annon probabilissimũ videtur tali aliquo Breui F. Clementem permotum, Regi Gallo necẽ intulisse? Ad excommunicationem redeamus.

XXII. Quæ sit maior, quæ minor excommunicatio, est satis hactenus pro mei instituti ratione explicatum. quæ erat secunda diuisio excõmunicationis discutienda: venio ad tertiam & quartam, quæ possunt facile in vnam coalescere. Alia est, inquiunt, excommunicatio à iure, alia ab homine; & rursus alia latæ sententiæ, ipso facto incurrenda: alia comminatoria tantum, & sententiæ ferendæ. Hæc mihi diuisio in ea parte videtur iamdiu intolerabilis, in qua ponitur aliqua excommunicatio, siue à iure, siue ab homine, in quam quis propter aliquod factum ex seipso incurrat, & non sit ipse nominatim per particularem actum ligandi excommunicatus. Video in hac excommunicatione iuris, & ipso facto, seu latæ sententiæ, magnum Papatus arcanum latere, cui rudes & imperiti Canonistæ, seu potius Decretistæ, spiritum & robur addere sunt conati. Viderunt Romani Pontifices ex hoc bruto fulmine se parum emolumenti capturos, nisi ferent et omnia peruia, etiam secreta cubicula & musæa, etiam remotissimæ, & abditissimæ quæque orbis partes; ideo excommunicationes, tàm à iure, quàm ab homine, latæ sententiæ promulgarunt, quæ ex se ipsis, ipso facto homines ligare putarentur, vt hoc pacto quod vera & realia vincula ligare non possent, imaginaria saltem, & fictitia ligare crederentur, & sic homines ab ijs quæ Papa vetaret, penitus absterrerentur, & talibus ille terroribus obedientiam sibi exactissimam compararet.

XXIII. Excommunicationem tamen hanc ipso facto, & latæ sententiæ nullam penitus esse, nec in animam operari, mihi stat indubitatum. Excommunicationem enim iam ostendi, esse actum ligandi, & sane actum Ecclesiæ externum, & non nisi in foro externo, Ecclesia namque forum aliud Ecclesiasticum non habet, nisi externum. Ostendi etiam, Ecclesiam clauibus vti non posse, neque quenquam ligare, nisi is qui grauiter & scandalose deliquit, ipsi Ecclesiæ sit clare & aperte notus, siue accusatus & conuictus, siue sponte confessus. Quomodo ergo poterit ignotum excommunicare? Ex occulto peccato, Ecclesiæ fidelis non substat, soli Deo in hoc iudicandus relinquitur, vt Patres docent, & ego c. 7. probaui. Occulta vero delicta quatenus punienda, non dicuntur occulta, quando delictum ipsum latet, sed quando latet delinquens etiamsi delictum sit apertissimũ. Non n. delicta, sed delinquẽtes fideles corripi debẽt, primũ priuatim, deinde publice in Ecclesia, ac tum demũ excludi ab Ecclesia, si correptiones nihil prosint: si vero prosint, tunc et delinquens peccato scandaloso, excõmunicari debet excommunicatione pœnitentiali, & Ecclesiasticæ subijci satisfactioni. Et certè potestas hæc excommunicandi, vt docui, vel est ad corrigendum & purgandũ ipsum peccatorem, vel ad purgandam Ecclesiam, per exclusionem, etiam corporalem, maiorum: in vtraq; ergo oportet cognosci peccatorem. Excommunicare etenim est actu aliquem ligare, nõ potentia: non enim ligatur qui potest aut debet ligari, sed qui re ipsa ligatur. Quomodo antè re ipsa ligatur qui liganti est ignotus? Et quis nescit neminem teneri contra se ipsum pœnam exequi? Tenetur quidem quisque pœnas iustas tolerare & pati, executor tamen pœnæ sibi ipsi nemo tenetur esse, imo ex lege naturæ prohibetur, ne sibi fiat ipse carnifex. Certe de excommunicatis à iure ipso facto, licet tales admittat excommunicationes, ait tamen Almaynus, *de potest. Eccl. & lai. q. 1. c. 9. in fine.* Si non possunt separare se à fidelibus, nisi prodendo suum crimen, eos non modo non teneri se separare, sed etiã teneri se non separare, quia non tenentur, neq; debent se diffamare & scandalizare.]

XXIV. Quando aliquis peccat, siue secreto, siue publice id faciat, coram DEO suo peccato se ligat, sed coram Ecclesia ligatus non est, nisi ille ipse qui peccauit ab Ecclesia re ipsa, & actu ligetur; ac propterea neq; capax est absolutionis per claues, nisi speciale per Ecclesiam illud ligamen præcesserit: At propterea si peccatum illud vinculo Ecclesiastico dignum sit, non propterea talis delinquens ex illis erit, de quib. dixit Christus Ecclesiæ, *Matt. 18. 18. Quæcunq; alligaueritis in terra erunt ligata & in cœlo.* Hic enim ligatus est in cœlo coram Deo sed in terra coram Ecclesia non est ligatus, & consequenter ipsius solutio in cœlo non dependet à solutione Ecclesiæ in terra: ac proinde iste in anima per Ecclesiam ligatus non est, neq; damnum vllum à vinculo Ecclesiæ patitur internè, qui vinculo nullo est re ipsa per Ecclesiam constrictus: excommunicatio enim illa iuris, seu ab homine etiam, latæ sententiæ, seu ipso facto, in qua delinqnēs est ignotus, neminem ligat. Quē scibet ligat Ecclesia in foro externo ligat, & visibiliter ligat; ignotus vero in foro externo non comparet, neq; visibiliter ligatur, & inuisibile ligamen tum à Deo solo venit, non ab Ecclesia. Itaq; talis excommunicatio nihil internè in anima operatur. Sed neq, externè: quomodo enim ex Ecclesia expelletur, fidelium consortio priuabitur, à conuentibus sacris amouebitur, qui ignotus sit, innominabilis, indemonstrabilis? An quia ille tunc, qui in conscientia scit se esse illum, vel à iure, vel ab homine, sub termino generico, *qui hoc fecerit, &c.* excommunicatum ipso facto, tenebitur se detegere, abdicare se Christiano consortio, inter Ethnicos, & publicanos se collocare? Huic certe iugo intolerabili repugnat ipsa natura, cum, vt dixi, nemo contra se pœnā teneatur exequi. Sicut Prælatus nominatim iusta ex causa præciperet, vt ad tempus intra domum se coerceat, tenebitur quidem, vt bonus fidelis, parere, cōcurrendo voluntarie ad tolerandum illud incommodum, ne scandalo sit Ecclesiæ; & ob similem causam iuris diuini naturalis; sed quando ei nominatim nihil præcipitur, prodere se, & pœnas contra se exequi non tenetur; tunc enim non illum Ecclesia, sed ipse se excommunicaret, quod est absurdissimum: etiam vbi pœna iuris est notissima, & factum similiter sit notorium, quod anticipata excommunicatione puniri videatur: in quo casu adhuc necessitatem declaratoriæ requirunt Canonistæ. Sed tales declaratoriæ semper sunt falsæ & nullæ quia hic nunquam fuit ligatus, & excommunicatio requirit speciale ligamentum. Hæc enim sunt vincula, quæ sine ligante, & sine præsentia eius qui ligandus sit, non ligant: quando ferebatur talis excommunicatio, tunc erat ligans, & vinculum, sed ligandus nemo aderat: quando vero affuit ligandus, cum ligans non aderat, vinculum fortasse aderat, quod tamen sine ligante nemo potest constringere. Nisi igitur quando iste cōmisit factum, cui erat annexa iuris excommunicatio latæ sententiæ, tunc specialiter, & nominatim excommunicetur, profecto excommunicatio illa iuris, latæ sententiæ, nihil penitus nocebit. Meæ profecto rationes non video quidni habeantur demonstratiuæ, saltem donec solidè conuellantur: quibus fretus contra torrentem Canonistarum, Summistarum, Scholasticorum intrepidus milito, idque eo animosiùs quod eruditissimum & maximum virum Gersonem cum suo præceptore in eadem mecum sententia inuenio, *Gers. de vita spiritu. animæ lect. 4. coroll. 14. propos. 2.* Postquam enim docuit, merito neminem ex ijs, qui excommunicati excommunicatione iuris latæ sententiæ censeantur, esse necessario fidelibus vitandum, ait, Quæret aliquis, quid operantur tunc excommunicationes latæ sententiæ, per Canones? Respondeo, *inquit*, sicut accepi à præceptore meo, eas tantundem operari, vt absque processu alio iudiciali, aut noua Constitutione possit Iudex statim, probato facto vel confessato, ferre iuris sententiam, & eandem publicare; non sic vbi canones essent solum ferendæ sententiæ; quoniam monitiones, & processus secundum términos iuris præterequirerentur multiplices.] Non solam declaratiuam, hoc est publicatiuam, sed etiam ipsam excommunicatiuam requirit sententiam: nō ergo excommunicatione iuris latæ sententiæ hominem reipsa ligari censuit, qui factum committat, propter quod excōmunicatio illa latæ sentētiæ data est. Et sic omnes Decretales quæ tales statuunt latæ sentētiæ excommunicationes, cum id quod & irrationabile, & impossibile est astruant, nihil penitus sunt timendæ, quoad effectum actualis excommunicationis: & sic tremenda illa Bulla in cœna Domini, tota in simplices comminationes est resoluēda: neque quisquam fidelium anxius esse debet, si aliquid eorum commisit, quæ in illa Bulla excommunicationi subijciuntur; neque scrupulosè absolutiones quærat Papales, aut Jubilæa expectet, præsertim verò propter quædam, quæ ibi excommunicationem inducunt, cum tamen in se nulla sint peccata, & coram Deo nihil penitus reprehensibilia; non enim ad salutem animarum omnia illa prohibentur, sed ad Paparus confirmationem; ad Papæ in Ecclesias, & Regna temporalia dominium vsurpatum stabiliendum; ad auaritiam Romanam explendam; & ad similia prorsus temporalia consequenda. Cur enim incurrat in excommunicationem, qui bonos & pios libros, ad fidei sinceritatem ediscendam, ad Papales abusus detegendos, ad veram salutis viam ostendendam, ad dolos, insidias, & artes Religiosorum aperiendas, ad falsitates auetruncandas conscriptos, legerit, nō aliunde malos, nec damnatos, nisi quia Papa sibi cauens, Ecclesijsq; suis turpiter illudens, talia scripta nimis plerunq; veracia, nondum lecta damnat, ac ne legantur interdicit. Abijciant, docti præsertim & cordati viri, scrupulum hunc, dispellant inanes hosce & bullatos terrores, sciant mundis omnia esse munda, neq; excommunicationibus hisce friuolis moueantur.

XXV. Excommunicatio itaq; vera, quæ sit censura & coram Deo liget non est nisi ab homine, & in hominem certum, ac nominatum, idque ex grauissima causa. Nam quæ sunt ab homine in incertam personā, quæ tale vel tale facinus omnibus manifestum patrauit, similiter nullæ sunt, neque verum patratorem ligant, quando ille ignotus est, aut in proferenda sententia non exprimitur, nec nominatur. Quæ vero sunt in iure, omnes comminatoriæ duntaxat sunt, & ad summum cum illo discrimine, quod supra posuit Gersonius. Illæ quoq; quæ sunt ab homine habente autoritatem (de quo *infra cap. postremo huius libri* disputabo) & in certam ac nominatam personam feruntur, si sub solo excommunicationis nomine proferantur, ad omnium minimam debent reuocari; hoc est ad solam pœnalem, quæ censura non sit, quæque in anima nihil operatur, & consequenter ius Sacramentorum publicum, non priuatum, aufert. Et satis curua est illa iam communissima Decretistarum regula, nomine excommunicationis absoluté prolato, semper debere intelligi excommunicationem maiorem. Quam regulam merito etiam Gersonius *de vita spiritu. an. lect. 4. coroll. 12.* respuit: est firmior regula iuris, *c. odia de reg. iur. in 6.* Pœnas esse restringendas, & fauores ampliandos. At vero inter pœnas Ecclesiasticas nulla grauior, nulla maior, nulla horribilior excommunicatione illa verè maiori, quæ est anathema. Præterea si ex leui causa feratur anathema pro leuiori aliquo peccato, an sta-

an statim à corpore Ecclesiæ abscissus sit, & corã Deo ligatus, dubitat Origenes, *tract. 6. in Matth.* Deus scit, *inquit*, nos autem pronunciare non possumus, secundum quod scriptum est; *Nolite iudicare, &c.*] Et concludit; Qui ergo in peccato leui correptus, — non se emendat, nos quidem sic eum debemus habere, quasi publicanum & ethnicum; abstinentes ab eo, vt confundatur.] Et sic anathema dirum, imprudenter prolatum, in simplicem minorem resoluitur excommunicationem. Et hic esse debet sensus illius Gregoriani adeo celebris, & à Pontificibus Romanis vsurpati toties dicti; *in Euang. homil. 26.* Pastoris sententia etiam iniusta timenda est.] non quidem coram Deo, sed tantum coram hominibus, qui tantisper à consortio excommunicati abstineant, quousque vel ipse etiam in leuioribus se correxerit, vel suam planè ostenderit innocentiam. Sed quando notoriè sententia est vel nulla, vel iniusta, vel vtrunque, tunc penitus, & statim contemnenda est; nam Prælati, vt ait Hieronymus *in Hierem. cap. 23.* eijciunt oues, qui contra iustitiam de Ecclesia separant.] Et ideo Alexander II. indebitas excommunicationes non curandas esse asserit, 24. *q. 1. c. Audiuimus.* Et Gersonius *de excom. consid. 5. tom. 2.* de huiusmodi iniustis excommunicationibus sic loquitur: Contemptus clauium magis inuenitur quoad culpam in Prælato taliter, vt præmittitur, abutente sua potestate, quam in non obediente, si comparatio recipiatur abusuè. Est igitur quandoque meritorium & honorificatiuum Ecclesiæ potestatis, quod tali Prælato in faciem resistatur, cum appositione inculpatæ tutelæ, quemadmodum restitit Paulus Petro.] Idem quoque Autor *de vita spirit. an. lect. 2. ad finem.* quatuor gradus obligationis ponit in legibus, iussisve Ecclesiasticis, & in tertio gradu ponit leges, quæ ad sui deductionem per leges diuinas requirunt propositiones dubias, quales dicit esse has duas, videlicet, quadragesimale ieiunium est obseruandum; & excommunicationes sunt timendæ. Et in his non ponit absolutas obligationes, sed tantum æquitatis, & probabilitatis. Dubium est ergo Gersonio, num excommunicationes omnes sint timendæ, & num semper obligent & operentur. Ille igitur contemptus & abusus clauium est, si frequenter, & ex leuibus causis ad excommunicationes conuoletur. Valde enim rarò, & sobriè, & cum prudentia, & magna circumspectione ad excommunicationes deueniendum esse monent sæpissimè Patres. Vbi peccatum non est euidens, *ait Origenes, in Iosue hom.* 21. eijcere de Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.] Augustinus vero *cont. ep. Parm. l. 3. c. 2. & post collat. cap.* 20. hanc ipsam tritici timens eradicationem, sæpe parcendum esse docet zizaniis, etiam notissimis, quando videlicet ille qui eradicandus esset, habet in suo peccato sociam multitudinem: tum enim ille contemnet excommunicationem, & manebit inter fideles corporaliter vt fidelis, neque ipsi ab eo abstinebunt. Et quando corporalem separationem non potest facere Ecclesia, frustra facit solam spiritualem; iam enim ille qui grauibus est contaminatus peccatis, & correptiones non audit, coram Deo est excommunicatus: quando vero Ecclesia excommunicat maiori excommunicatione ideo facit, vt se purgatam à malis incorrigibilibus conseruet; purgari vero ab illis non potest nisi per visibilem & corporalem separationem; tentare vero tales separationes à Prælatis, vbi separationes obtinere non possunt, nisi cum multa tritici quoq; eradicatione, sacrilegium esse dicit Augustinus. Quale sacrilegium immane commiserunt Hildebrandus, Bonifacius VIII. Innocentius IV. & sæpe alii, suis inutilibus, ac perniciosis in Reges & Principes excõmunicationibus, quæ nihil aliud nisi schismata horrenda pepererunt; quarum culpa immediatè excommunicantes, nõ in Principes, merito sæpissimè se tuentes, & iniustæ censuræ iuste resistentes, est refundenda.

XXVI. Miror profecto, Leonem censuisse, excõmunicationes hasce grauissimas, etiam imprudenter, & indebite latas, puta ex leui causa, cui tanta pœna nõ debeatur, coram DEO effectum suum operari, & animæ nihilo secius obesse, ait enim, *epist.* 93. Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus, & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commissis & leuib. verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sæui supplicij sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, vt facile caperetur, obiectam.] Non enim Ecclesia habet potestatem viuum Christi membrum, à se, hoc est à corpore Christi separandi, etiamsi ægrum sit, sed putridum duntaxat, & quod se incurabile esse reipsa profiteatur: quod si sanum, aut ægrum, sed curabile, resecare tentauerit, coram Deo nihil effecerit, qui ad ædificationem, non ad destructionem dedit Ecclesiæ potestatem, 2. *Cor.* 13. 10. anima illa neque sauciata, neque inermis redditur, neque diabolicis incursibus obiecta. Et Origenes *in Matt. trac.* 6. talem excommunicationem ob leues causas fulminatam reduxit tandem superius ad solam humani consortij subtractionem, animæ nihil eam obesse ex sacra scriptura satis deducebat. Quod si interdum Concilia vel Patres excõmunicant pro leui causa, tunc excommunicatio vna ex minoribus est intelligenda, non maior. Vt in Concilio Carthaginensi 4. c. 24. excommunicandus esse statuitur, qui sacerdote verbum faciente in Ecclesia, egressus de auditorio fuerit.] An pro tam leui causa quis à corpore Ecclesiæ est præscindendus? Pro his & similibus causis, vt si quis nolit ieiunare, quando Ecclesia ieiunium indicit, aut ad preces perpetuo conuenire, &c. Ecclesia potest vindex insurgere, & minoribus vti excommunicationibus, quæ animam non attingant, externè tamẽ aliquid operentur.

XXVII. Abusus itaq; est intolerabilis, qui iamdiu inoleuit in Ecclesia, vt pro rebus temporalibus, pro furto inueniendo, pro pensionibus pecuniariis soluẽdis, &c. excommunicationes, etiam maiores fulminentur. Ideone à Christi corpore est separandus, & inter publicanos ac ethnicos reputandus, qui suas, & pauperum pecunias non vult curialibus harpyjs tribuere, & ad libitum Papæ distribuere? Quando Christus dabat potestatem excommunicandi suæ Ecclesiæ, num ad hoc eam dabat, vt per illam ciuilia negotia executioni mandarentur? Annon sunt viæ ordinariæ & ciuiles ad pecuniam exigẽdam? Nonne adsunt sequestrationes, pignorum captiones, bonorum subhastationes, carcerum etiam constrictiones, per subsidium auxiliare magistratus ciuilis, vt excommunicationibus sit tendendum? Et quis tales non contemnat excommunicationes? Ad furta vero inuenienda, aut ad facta occulta detegenda excommunicationes sunt penitus nullæ & irridendæ; quia, vt supra docui, neminem reipsa ligãt, & sunt meræ comminationes, & non nisi minorum excommunicationũ. Anathemate itaq; vsurpatores bonorũ Ecclesiasticorum temporalium ferire, nihil ingens videtur sacræ abusus potestatis. Adsunt viæ ordinariæ bona terrena per iudices terræ recuperãdi: quod si Princeps qui Dominus terræ est bona illa aliis adiudica-

dicauerit, quidnam factura sit Ecclesia, ostendam *lib. 9.* Cur ergo sua abutatur Ecclesia potestate? Non desunt tales excommunicationes in Ecclesiasticis Canonibus, & Romanis Decretalibus, sed non nisi post valde corruptam auaritia Ecclesiam.

XXVIII. Imo quia iam innumerabilibus intra Ecclesiastica talibus importunis & iniustis etiam scatent excommunicationibus, non sine stomacho, nec sine causa, viri graues & pii in eas concitantur. Audiamus quæso Gersonium *de vita spirit. ani. lect. 4. corol. 7. & serm. in Concil. Remen. partit. 2. consid. 2. prouis. 2.* grauissime monentem: Nulla lex, *inquit*, appellanda est, neque ferenda tanquam necessaria ad salutem æternam quæ non est de iure diuino in aliquo quatuor graduum quos lectio præcedens exposuit. Oppositum sentientes aut facientes moliuntur iugum imponere grauissimum super ceruices hominum, & spargere laqueos pedibus eorum lapidem & scandalum. Quamobrem Theologia, quæ est lex Euangelica (dicam melius eius doctrix & explicatrix) debet in omnibus præcedere Prælatos Ecclesiasticos in suis constitutionibus & decretis, ne vel obsint præceptis Dei propter multitudinem onerosam iuxta improperium Christi Factum Pharisæis: vel ne credantur ligare ad pœnam æternam, vbi pœna ciuilis sola repetitur. Doctrina hæc præcipue locum habet in materia excommunicationum latæ sententiæ. Nam qui pro solis incommodis temporalibus euitandis, aut commodis politicis conseruandis, æternam vult infligere mortem, cui quæso similis erit? Illi nimirum qui volens abigere muscam à fronte vicini; eam securi percutiens, vicinum stolidus excerebrauit. Aut ei parem dixerim, qui studens curationem modici vulneris in pede equi sui, pedem confestim abrupit & scidit, equumque peremit. Sola itaque contumacia vera vel præsumpta, tenuens stare iudicio Ecclesiæ, reddit hominem pro Christiano segetentem dignum excommunicatione. Nam si parum est audire Ecclesiam, qualiter velut ethnicus nobis erit & publicanus? Porro differt plurimum, qualis est contumacia & quam damnosa Ecclesiæ; pro qua materia, & circa quam incurritur. Nam peior est contumatus in materia fidei & religionis, quam pusillæ quæstionis de paucis denariis, vbi nunquam tantum prodest obedientia, quantum obest excommunicatio separatiua à spiritualibus suffragiis, & societate Sanctorum. Ita vt longe mitior sit processus, qui fit in Curiis secularibus per punitiones corporales, seu temporales, quam vbi per Prælatum præscindi quæritur anima à Deo vita sua, & dari Sathanæ in interitum, non solum carnis, sed spiritus, ne iam saluus fiat ab aliorum auxiliis destitutus.] Item alibi: [*Idem de potest. Eccle. consid. 4.*] Ac proinde consurgit, quod Ecclesiastica censura, quam Christus contulit & promulgari voluit, vbi prius *Matt. 18.* consequenter post dotationem Ecclesiæ in bonis temporalibus, applicata est ad defensionem coercitionem, volentium vendicare sibi, vel impedire temporalitatem huiusmodi, per excommunicationes videlicet & interdicta, quæ pœna, vel censura videtur primitus instituta contra pertinaces schismaticos & hæreticos, & alios incorrigibiles vitiosos. Cui legi tanquam diuinæ & naturali Papa subiicitur, sicut & frater est potens delinquere. Hæc autem applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium, si confusionem magnam in Ecclesia, si vilipensionem vel contemptum Euangelicæ huius censuræ suæ, quæ est excommunicationis gladius extremæ formidabilis; Si denique laqueos animabus multorum magis quam salutem spiritualem induxerit, vel inducat, experientiam testem voco. Itaque sicut temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, videri potest aliquibus quod ad eius defensionem, similiter addere sufficerat aduersus imperitiores pœnam, vel censuram temporalem, vt est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.] Hæc ille docte sane, prudenter, ac pie. Velle enim gladio spirituali temporalia tueri, acquirere, subigere, vsurpare, est abusus turpissimus, qui abusus cum plane obtusissimum hunc gladium reddiderit, illud iam effecit, vt etiam veræ & legitimæ excommunicationes in contemptum abierint, cum præsertim iam ad emungendam pecuniam sæpe illæ ferantur in priuatos, postmodum argento redimendæ.

XXIX. Obiicient mihi nostri Summistæ, participantes cum excommunicatis excommunicatione maiori, ex communissimo omnium consensu, vel in eandem excommunicationem vel ad minimum in minorem incidere, nisi adsint legitimæ exceptiones, & excusationes, & sane ipso facto, erunt ergo istæ excommunicationes vel à iure, vel ab homine, in personas incertas, & latæ sententiæ, non comminatoriæ. Me ergo perperam tales aboleuisse. Respondeo regulas Ecclesiasticas generales esse frequentes, vt fideles abstineant à consortio excommunicatorum eorum, qui à fidelium consortio seu censura seu pœna remouentur, & regula hæc videtur à Paulo primum promulgata: *1. Cor. 5. 11. Si is qui frater nominatur est fornicarius, &c. Cum huiusmodi ne cibum sumere.*] Commercium, & consuetudinem cum gentilibus etiam scelestissimis, ait se non prohibere (non fornicariis huius mundi) id enim putauit impossibile; nam de hoc Mundo exire deberet, qui nollet talib. commisceri: at vero Christianum à Christiano fratre, qui diffamatus sit, puta per publicam Ecclesiæ sententiam, alicuius sceleris, in quo nolit corrigi, debere abstinere, tum sui, tum ipsius gratia: sui, ne moribus illius adhæreat; ipsius, vt confundatur, & forte resipiscat. Sed ex his non habemus in pœnam Ecclesiasticam, præsertim vllius excommunicationis, eos incidere, qui cum excommunicatis communicent. Sunt igitur seorsim statuta Ecclesiastica, quæ etiam pœnas excommunicationis addiderunt, sed profecto non nisi comminatorias, & sententiæ ferendæ, non latæ, neq; ipso facto, ita tamen, vt prohibitio hæc consuetudinis cum excommunicatis nihil præiudicet iuri diuino naturali. Vnde Greg. VII. qui telo hoc excommunicationis tum principalis, tum ob participationem, totum pene orbem infecit, & Ecclesiam ferme pessumdedit, excipere tamen coactus fuit, [*11. q. 3. c. Quoniam.*] vxores, liberos, seruos, ancillas, mancipia, rusticos, seruientes, & omnes alios, quorum cõsilio scelera non perpetrentur; peregrinos item, & viatores, ac vniuersaliter exemit communicantes cum illis excommunicatis qui propter solam participationem cum præcipuis excommunicatis, censuram incurrerunt, & postea Summistæ ad quinque capita exceptiones reuocarunt, eo versu comprehensa:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Mihi tamen multo firmior & tutior regula videtur esse, vt vbi ius naturæ certat cum iure positiuo Ecclesiastico, hoc illi cedat.

XXX. Has porro pœnas Ecclesiasticas maioris excommunicationis in eos, qui iure naturæ non coacti, cum excommunicatis communicent, esse comminatorias duntaxat, & non latæ sententiæ, satis patet, si veteres, sane adhuc vigentis Ecclesiæ Canones, inspiciamus. Diu profecto Ecclesia diuino iudicio, & propriæ conscientiæ eos reliquit, qui cum abiectis ab Ecclesia communicarent, nulla Ecclesiastica in eos statuta pœna, sed soli diuinæ pœnæ eos fecit obnoxios: vnde Cyprianus *l. 1. ep. 4.* cum collegis; Quare, *inquit*, etsi aliqui de collegis nostris extiterint, fratres dilectissimi, qui Deificam disciplinam negligendam putant, & cum Basilide &

Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cum Spiritus sanctus in Psalmis talibus comminetur, dicēs: Tu autem odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Si videbas furem, simul currebas cum eo, & cū adulteris portionem tuam ponebas. Consortes & participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquētibus copulati. Sed & hoc idem Paulus Apostolus scribit *Rom.* 1.29.30.31. dicens, Susurratores, detractores, Deo abhorrentes, iniuriosi, superbi, iactantes sui, adinuentores malorum, qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed & qui cōsentiunt eis qui hæc agunt: quoniam qui talia, *inquit*, agunt, morte sunt digni. Manifestat & comprobat morte dignos esse, & ad pœnam venire, non tantum illos qui male faciunt, sed etiam eos qui talia agentibus cōsentiunt, qui dum malis peccatoribus & pœnitentiam nō agentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, sic nec in pœna separantur.] Pœnam hanc intelligit coram solo Deo; quia omnia præcedētia ad solum forum internum coram Deo spectarunt. At in alio Concilio Africano damnatur & excommunicatur Primianus, *apud Aug. in Psal. 36. concione* 2. & ne quis ei communicet inhibetur sub pœna similis excommunicationis, non certè latæ, sed ferendæ.

XXXI. Concilium verò Antiochenū *c.* 2. sic statuit: Cum excommunicatis autem nō licere communicare, nec cum iis qui per domos conueniunt, deuitantes orationes Ecclesię, simul orandū est: ab alia quoq; Ecclesia non suscipiendum, quia in alia minime congregatur. Si quis autē de Episcopis, aut Presbyteris, vel Diaconis, seu quilibet ex clero, deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste priuetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ.] Sic etiam *Can.* 4. Iterum non abiectos ab Ecclesia declarat communicantes cum excommunicatis, sed abijciendus esse statuit. Idem penitus facit Conciliū Carthaginense secundum *c.* 7. & quartum *c.* 73. Idem Toletanum primū *c.* 15. Idem postea decreuit Concil. Autissiod. *c.* 39. In Canonibus, qui postea vocati sunt Apostolorum, Canon vndecimus, alias decimus, nihil aliud habet, nisi comminationem. Si quis cum excommunicato, saltem in domo simul orauerit, iste communione priuetur.] Si quid etiam Epistolæ Decretales Clementis, Callisti, Fabiani, valent, illæ quoque non latam, sed ferendam ponunt contra communicantes cum excommunicatis sententiam.

XXXII. Nulla grauior, nulla magis legitima causa potest in Ecclesia contingere, propter quam sit aliquis anathematizandus, quam hæresis & apertum schisma. Vbi igitur quis horum scelerum conuictus, & in scelere obstinatus, anathemate percussus abiectus est ab Ecclesia, bene quidem sequitur, vt quicunq; ei adhærent, extra necessariam obligationem, & nolunt ab eo separari, eadem hæresi, eodem ve schismate infecti, eo ipso præsumantur. Nihilominus quia multas ostendere possent causas suæ communionis, ex iure naturæ, amoris, vel alias, idcirco si quando Ecclesia anathematizauit aliquem hęreticum, vel schismaticum nominatim, & omnes ei adhærentes, hæc anathematizatio, respectu adhærentium, & communicantium, non erit, neq; esse potest verum anathema, veraq; excommunicatio, nisi tantum pœnalis illa, quam diximus non esse censuram, & quæ nihil præiudicat animæ, si communicans coram Deo sit excusatus. Ad cautelā enim Ecclesia vult eos, non vt expresse hæreticos, sed vt suspectos vitari; ideoq; eos non separat, nisi à visibili corpore Ecclesiæ, absq; vllo eorū præiudicio, quo ad Ecclesiæ corpus inuisibile: secus est de illis quos nominatim, claue non errante ligat, & abijcit, quia illi etiam ab inuisibili Christi corpore separantur. Ac bene profectò Leo monet, *ep.* 93. dum ait: Certe si quando causa talis emerserit, vt pro commissi criminis qualitate aliquem iustè faciat communione priuari, is tantum pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit, nec particeps debet esse supplicij, qui consors non docetur fuisse commissi.] Atq; hoc vel maximè verum esse debet, vbi habetur certitudo omnem in crimine procul abesse communionem. Cur igitur Hildebrādus tot Episcopos, Abbates, omnis generis clericos, & promiscuam plebem excommunicationi subdebat, quia in ciuilibus & humanis cum Henrico Imperatore communicabant, quem tamen Henricum, tanquam Simoniacum, propter inuestituras, excommunicarat? Quis horū quæso in simonia, & in dandis inuestituris partem habebat? Communicās cum hæretico excommunicato suspectus merito fit de hæresi, ideo & ipse pœna salutari à tali periculo est remouendus: & non minus qui religiosa communicatione vnitur cœtui cum hæretico communicanti, quā qui immediatè ipsi hæretico eadem religiosa communicatione communicat; eiusdem enim religiosæ professionis esse videntur: & nihilominus nisi nominatim anathematizentur singuli, vero anathematismo nemo illorum subest; quanto magis id dicendum est de illis, qui in crimine nullam subeunt suspicionem?

XXXIII. Vt igitur merito ab Ecclesia maioris anathematis gladio percussi, nō modo in anima graue damnum coram Deo patiantur, sed etiam coram Ecclesia confundantur, monentur seuerè fideles, & à Paulo, & ab Ecclesiæ Pastoribus, sub pœna anathematis infligēda, vt externè quoq; ad eorum externam punitionem concurrant, humano eis negato consortio; si itaque id non præstiterint, non statim ipso facto graue illud subeunt anathema. Aut si quod subeunt, id interdum est illud, quod solam secum ferat pœnam externam, & non censuram. Huiusmodi pœnam video in Concilio Bracarensi priori *c.* 33. vbi habetur, Communicatorē cum excommunicato se ipsum alienum à communione facere.] Hoc est, eo ipso dare occasionem, vt à fidelibus vitetur, qui ei suum negent consortium. Sic etiam in Concilio altero Turonico: *c.* 8. *&* 21. & clarius in Vernensi, *c.* 9. in quo tale ponitur decretum: Si quis presbyter ab Episcopo suo degradatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine commeatu facere præsumpserit, & postea ab Episcopo suo correptus & excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicauerit scienter, sciat se esse excommunicatum. Similiter quicunq; clericus, aut laicus, vel fœmina incestum commiserit, & ab Episcopo suo correptus, si se emendare noluerit, & ab Episcopo suo excōmunicatus fuerit, si quis cum ipso communicauerit scienter, sciat se esse excommunicatum. Et vt sciatis qualis sit modus istius excommunicationis; In Ecclesiam non debet intrare, nec cum vllo Christiano cibum vel potum sumere, nec eius munera accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, nec salutare, antequā ab Episcopo suo fuerit recōciliatus. Quod si aliquis reclamauerit, q̄ iniuste sit excōmunicatus, licentiam habet ad metropolitanū Episcopū venire, vt ibidē secundum Canonicā institutionē dijudicetur, interim suam excommunicationē custodiat.] Hæc igitur tota excōmunicatio est externa tantū, & non censura: q̄ ipso facto incurri posse non est dubiū, toties videlicet, quoties fidelis populus velit ei suam subtrahere cōuersationem, internam vero coram Deo, in anima excommunicationem participantib. necesse nondum inuenio.

Vidit

XXXIV. Vidit Caietanus *in Mat. c. 18. sit tibi sicut Ethnicus*, modernos Theologos parum piè grauibus hisce excommunicationibus onerare homines ex sola leuissima causa participationis cum excommunicatis, & ait: Libenter viderem seruari hanc definitam à Iesu Christo sententiam, & pœnam non audientium Ecclesiam, quod scilicet sufficeret eos haberi vt ethnicos, hoc est, vt ipsi quidem ex vi excommunicationis haberentur vt ethnici & publicani, & non inuoluerentur innocentes alij, loquentes cum eis, qui nullum peccatum incurrunt loquentes & comedentes cum ethnicis.] Argumentum profectò Caietani est optimum. Christus iubet pro ethnico habendum illum qui non audit Ecclesiam: non autem illos qui cum eo conuersantur. Sed opponit Caietano Ambrosius Compsæ, *apud Sixt. Senen. Biblioth. l. 6. annot. 79.* non esse aliud, haberi aliquem sicut ethnicum & publicanum, quàm commercium, contubernium & familiaritatem sermonem illi negare. Id enim seruabant Iudæi, *inquit*, in Ethnicos & publicanos, ideoq; Christum incusabant, quod ederet cum publicanis.] Respondeo, familiaritatem & conuiuia cum gentibus & publicanis (qui & ipsi Gentiles erant, sed Iudæis maximè omnium exosi, quia tributa ab eis, & censum Cæsaris absq; misericordia exigebant) Iudæos exhorruisse. Sermones tamē, allocutiones, & negotia vitare non poterant: multò minus Christiani ædificatâ iam Ecclesiâ inter gentes; itaq; habere pro ethnico & publicano, non est abstinere à colloquiis & conuersatione, sed est extra Ecclesiam, & à cœtu fidelium abiicere: & hoc cum non audiente Ecclesiam esse faciendum docet Christus, non cum colloquente, & conuersante cum ethnicis, aut excommunicatis. Et sic monitio Caietani suis adhuc stat inconcussa fundamentis.

XXXV. Adsunt, inquient, Pontificum Romanorum Decretales, quę communicationem cum excommunicatis simili plectunt excommunicatione ipso facto incurrenda. Respondeo, de sola externa excommunicatione, quæ censura non sit, nec in anima quicquam operetur, esse plerasq; intelligendas. Si verò de excommunicatione maiori, id est, vero anathemate aliquæ sint intelligendæ, tunc respondeo ex facto non posse ius probari, sed potius factum ad iuris examen & limam reuocandum. Fuerunt tamen Theologi, nec infimi, sed magni etiam nominis, post Papatum iam erectum & stabilitum florentes, qui splendore Papatus vel territi, vel allecti, facta Pontificum in Decretalibus condendis, tanquam Theologicas infallibiles regulas, sibi proposuerunt, ne Papam in illis errasse faterentur. Et quia eorum aliqui fuerunt leguleii, & tricas Iurisconsultorum in simplicitatem Ecclesiasticam, ad suam iurisdictionem amplificandā innexerunt, cum essent & Logicæ & Theologiæ experites, turpiter sæpe lapsi sunt; eorum tamen lapsus & paralogismos, tanquam oracula, eum ipsi Theologi sunt conati, indeque se ipsos in multis, ridendos potius, quàm imitandos propinarunt. Exhibeo, Lector, vnicum exemplum instar omnium: lege, quæso, & considera famosam Innocentij III. decretalem, in hac ipsa quam tractamus materia, de excommunicatione communicantium cum excommunicatis *De iis quæ vi metusve &c. c. Sacris.* In ea contendit, non metu excusari posse, quo minus incidat in excōmunicationē qui communicat cum excommunicatis: & rationem assignat per quā bellā & bellicosam, nempe quia nullus metus facit cuiquam licitum peccatum mortale committere. Supponit itaq; tanquam concessum, & indubitatum, quod nemo roganti largiretur, nempe communicare cum excōmunicatis, ita semper esse peccatum mortale, vt nullo metu vnquam possit excusari; & tamen aliæ Decretales, vt vidimus, etiam ipsius horum terrorum fulminum fabri Gregorij VII. & passim omnes Doctores, pro fugienda fame, pro famulitio, & similib. causis licere aiunt, citra omne peccatum, communicare cum excommunicatis, etiam in diuinis, *Asten. l. 7. tit. 11. Angelus & Rosella Verb. excommunicatio*, & hoc non licebit si quis mortem intentet? Bone Deus, in quam se formam nō vertunt Protei nostri, quid hic non dicunt Canonistæ, quid Theologi, vt veram esse doceant hanc Decretalem? Frustra tandem omnes sudant, nec hilum proficiunt, & longissimam molestissimamq; vere cœcorum vel andabatarum pugnam instituūt: quod enim nulla ratione defendi potest, id tamen inuita Minerua defendere volunt, quia cedere & manus dare displicet. Sunt & aliæ similes Decretales quamplurimæ, similibus plenæ erroribus. Manet ergo, verā excommunicationis præsentaneam censuram neminem vnquam suo aliquo facto, ne publico quidem, multo minus occulto, & alteri posse incurrere. Et hæc de excommunicatione sic à me explicata, & ex profundissimis tenebris, quas ei Papatus offudit, multo cum labore eruta, a ad breue compendium redacta, nouo tractatui de censuris, longo & exacto ab omnibus nostrorum Theologorum tractatib. de iisdem plurimum diuerso, viam amplam aperiunt, quam quisq, iam facile ingredi possit, & tot ambagibus ac impertinentiis, quæ in tractandis censuris proferuntur, occurrere.

XXXVI. Censura profectò vera Ecclesiastica à clauibus pendens alia non est, nisi sola, & neq. omnis excommunicatio; Aliæ enim, quæ impiè censuræ vocabulo efferuntur, & numerantur, censuræ non sunt quę attingant animam, quæve à clauium potestate ferātur, sed puræ externæ pœnæ. Suspensio sane vel est ipsa excommunicatio, quam pœnā initio explicauimus esse, non censuram, in ministro tamen Ecclesiastico; vt si suspendatur ab officio & beneficio, ab ingressu Ecclesiæ, & ab vsu consortij fidelium: vel pars eiusdem excommunicationis, vt si suspendatur ab ingressu Ecclesiæ, vel à diuinis, vel à synaxi, vel ab administratione Ecclesiæ, &c. Tertullianus *exhort. ad cast.* ait, Sacerdotem excommunicari actione Sacerdotis. Cyprianus *l. 3. ep. c. 14.* Sacerdotes aliquos prohibet offerre, hoc est, Eucharistiam consecrare. Quod si penitus à ministerio deiiciatur, tunc erit degradatio, seu depositio. Et cur quæso inter censuras spirituales posuerunt suspensionem, & depositionem non posuerunt, quæ non differūt, nisi secundum magis & minus, siue perpetuò & ad tempus? Et quoniam suspensio non est censura virtute clauiū ligans, sed simplex pœna Ecclesiastica exterior, in tantum obligat, in quantum exterior est; Eccl. enim animad occulta & secreta se non extendit. Quomodo vera præcepta Ecclesiastica obligent, & num sub obligatione peccati mortalis teneamur eis parere, disputabimus *libro octauo*.

XXXVII. Irregularitatem planum est non esse censuram, sed legalem quandam inhabilitatem iuris positiui Ecclesiastici, ad suscipiendum Ecclesiasticum ministerium, vel exercendum. Irregularitatem improprie vocant nostri, etiam defectus quosdam naturales, qui physicè potius, quam mere legaliter reddūt hominem sacri ordinis incapacē: vt sexus fœmininus, inscitia ac debitę scientię carentia, corporis nimia deformitas, noua ad fidem conuersio, &c. Legalis verò irregularitas non modo ex actionibus quibusdam malis cōtrahitur, vt ex homicidio iniusto & aliis peccatis grauibus, quæ ad publicam pœnitentiam aliquem olim gerunt, sed etiam ex bonis interdum; vt ex iudiciali damnatione capitali, ex repetito matrimonio, &c. Circa

ipsam irregularitatem in se nihil dignum animaduersione mihi occurrit; circa vsum tamē & abusum, vt cuius sit irregularitates constituere, & in iis dispensare, & quæ sint iustæ causæ dispensandi. &c. Non pauca sunt nostris temporibus obseruanda. Ea in octauum librum reijciantur.

XXXVIII. Interdictum, veram censuram nostri faciunt, cum tamē & ipsum simplex, aut pœna sit, aut inhibitio tota externa, absq; vsu clauium, & in parte quidem, pars quædam pœnalis excommunicationis, id præsertim quod personale est: nam Interdictum locale & generale, prout nunc propriè esse censura asseritur, & vsurpatur, nouum est, & priscæ Ecclesiæ inauditum. Subtile sanè, sed tamē parum pium ne dicam impium inuentum hoc prodiit post millesimum iam à Christo annum, cui primam manum, licet adhuc imperfectam, admouit ille Hildebrandus, qui longe maior Ioue fuit fulminum iaculator; is enim omne diuinū officium Canonicis de Castro S. Pauli, in omnib. ipsorum locis interdicit, excepto Episcupo, propter cuiusdam villæ, eiusq; Ecclesiæ vsurpationem, *Greg. 7. l. 7. ep. 16.* Mandat præterea cuidam Episcopo, vt Abbatem quendam cogat Ecclesiam quādam litigiosam cœnobio cuidam restituere. *ibid. ep. 18.* Quod si forte induratus acquiescere noluerit, jubet monasterio illi q̄ inuasum est, officium diuinum, & inuasori omnē Ecclesiæ introitum interdici.] Hic video embryonem quēdam informem nostri Interdicti; quod si ad manus eidem Pontifici venisset iam maturus cuiusdam Monachorū Abbatis partus, quadraginta circiter annis ante ipsius Pontificatum editus in Galliis, non tamen, vt videtur, educatus, auidissimè pro exemplari illum arripuisset, vnde tamē ego arbitror successores Hildebrandi edoctos, Interdictum quale nunc est, integrum, & cōpletum peperisse. Hic autem fuit Odelricus monasterij B. Martialis Lemonicēsis Abbas, qui in Synodo quadam Lemouicensi, ex cuius actis id primus edidit Baronius, remedium à se excogitatum propalauit, quo compressis vrbis Lemouicensis militiæ Principibus, pax illi loco conciliaretur; remedium vero tale fuit [*Apud Baron. to. 11. an. 1034. n. 19*] Nisi de pace acquieuerint, ligate omnem terram Lemouicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo, vt nemo nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adueniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemouicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Diuinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiā signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundāt. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur: altariā per omnes Ecclesias, sicut in Parasceue, nudentur: & cruces, & ornamenta abscondātur, quia signum luctus & tristitiæ omnib. est. Ad missas tamen, quas vnusquisq; sacerdotum ianuis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur; & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione vxorē ducat, nemo alteri osculum det, nemo Clericorum aut laicorū vel habitantium vel transeuntium, in toto Lemouicinio carnem comedat, neq; alios cibos, quam illos, quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousq; districti Principes, & capita populorum per omnia sancto obediant Concilio.]

Has lectum admissi, risum teneatis amici.

Hui miseros istos Lemouicenses, quibus ita tota ipsa communis Mater ligatur, vt ad bimatum vsq; repuerascendum sit omnibus qui cupiant sepeliri: quibus ita Deus latenter inuocandus, quasi pudeat esse pios: quibus deniq;, ob interclusas nuptias, totius humani generis interitus impendere videatur. Hoc est sci. omnē terram excommunicatorū huiusmodi Interdicti diluuio obruere.

XXXIX. Nostrum itaq; Interdictum, ex hac satis barbara, sed tamē ridicula excommunicationis forma, omissis multis, omnino videtur efformatum. Videbāt nostri Pontifices, ex nimio excommunicationis abusu, post Hildebrandum præsertim, censuram hanc maximam voluisse, & multitudinem nō modo infimæ plebis, sed magnorum etiam virorum illam facile contemnere, & excommunicatis Principibus adhærere; nihil facientes ipsi Pontifices Augustini documentum, *cont. Epist. Parmen. l. 3. c. 2.* quod in tali casu ab excommunicationibus hisce, quas sacrilegas vocat abstinendum monet, experiri voluerunt, an Odelrici annum multo magis sacrilegium inuentum excommunicationibus magnorum Principum vim dare posset, & executionem: huc enim duntaxat spectant hæc Interdicta. Equis hic nouus, & insolitus modus ouium Christi regēdarum? Quodnam Euangelium, quæ scriptura docet deuianti à recta via homini, per generalem diuini cultus subtractionem esse succurrendum? Plebs tota fidelis alicuius magnæ ciuitatis, aut prouinciæ, aut Regni, vel ipsa in aliqua re peccauit grauiter, vel nihil. Si ipsa peccauit, Sacerdotum est pro illa orare, illam docere, *num. 15. 25.* arguere, increpare, obsecrare, expiare, *2. Tim. 4. 2.* Tunc igitur vel maxime viri Ecclesiastici suas vices ac munia docendi, hortandi, monendi, orandi, &c. debent exercere. Sed certè raro admodum inueniemus interdictum fuisse populum pro ipsiusmet populi delicto: & quando delictum est vniuersale, censuræ locum non habent. Si autem populus erit innocens, sed propter peccatum Principis populo ipsi diuina omnia externa publica auferuntur, & tamen in iudicio diuino filius non portabit iniquitatem Patris, *Ezech. 18. 19.* Hoc fit, *inquit Sotus in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1.* vt Ecclesia vidēs excommunicati duritiem, sensum quendam doloris & mœstitiæ repræsentet; & quasi totum populum in indignationem aduersus eum commoueat, vt vel illa populi indignatione, & sacrorū silentio perterrefactus ille resipiscat.] Et fatetur ibidem Sotus, initio solitā fuisse plebem excommunicatum, statim post interdictū loci, ex ciuitate eijcere.] Vbinam hæc legit? An vero pro priuato homine excommunicato ferri solitum fuit Interdictum? Quæro vel plebs ei consentit in delicto p quo quis excommunicatus est, nec vult se ab eo separare; vel contra. Si consentit, non expellet, neque enim tenetur ei vim adhibere: patietur etiam Interdictum: si non consentit, illa non habet potestatem quenquā expellendi: & satis ei est cum illo non communicare. Ecclesia tamē potest semper recurrere ad auxiliū brachij sæcularis, & sic reus expelletur. Sed quorsum hæ expulsiones? quorsum turbæ? Postq̄ Ecclesia excommunicauit, nihil aliud q̄ agat in illū habet, vt est cōmunissimū omnium Sanctorum dictum. Si autē Interdictum adhuc superesset, tunc excommunicatio non esset vltima pœna Ecclesiastica. Non ergo legitima est, sed spuria hæc censura, ac penitus abominanda, quam Ecclesia pro sua non agnoscit.

XL. Restat igitur, vt propter Principes Interdictū hoc fuerit excogitatum. Quæ vero plebs est, quæ velit, quæ possit, quæ debeat Principem suum naturalem expellere? Quinam spiritus est iste cuius non sumus? *Luc. 9. 55.* Sicne sequimur Euangelium? Priuamus populum cœlesti pabulo; diuino cultu, rebus sacris, vt eum in suum Principem concitemus, vt seditiones accendamus, vt rebelliones foueamus, vt cædibus viam aperiamus. An DEVS noster DEVS dissen-

sionis, an pacis? 1. *Cor.* 14.33. Quinimo tunc maxime, quando Princeps à pietate plurimum aberrat, Ecclesia debet publicas preces ingeminare ac multiplicare, populum ad sacras synaxes conuocare, solertiori cultu Deum placare, vt errãtem sua gratia ad resipiscentiam reducat; dolorem suum & mœstitiam, non ablatione diuini cultus, sed lachrymis, & vlulatu coram Deo, etiam publicé ostendat, & pro errante interpellet. Indignatio populi est res temporalis, & mouere, nec solet, nec potest Principem nisi temporaliter, ad vindictam potius, & ad furorem, quã ad resipiscentiam. At quodnam quæso Euangelium docet Ecclesiam, vt terrorib. humanis & temporalibus peccatores cogat ad pœnitentiam? Non quærimus profecto his indignationibus populi, atque terroribus, Principis errantis correctionem, sed nostri contemptus vindictam, vt eos quoquomodo vlciscamur, qui nobis parere noluerunt; nec cogitamus Deum nobis dicere, Non enim te contempserunt, sed me, 1. *Reg.* 8.7. Humana sunt nostra consilia in his Interdictis, non diuina: imo scelesta, nõ cœlestia; impatientiæ, & superbiæ, non longanimitatis, & charitatis indicia.

XLI. Est igitur generale huiusmodi Interdictum res suapte natura iniustissima, etiamsi cõtra iustissimè excommunicatum proferatur. Sed si etiam in se iustũ esset, cum multo plura & certiora mala producat, quã bona, quæ vix vlla vnquam, etiam læuissima consequuntur, inde adhuc iniquius redditur & abominabilius. Sensit id aliquando Bonifacius VIII. qui longe melius fecisset, si penitus Interdicti vsum sustulisset, quam quod ipsum moderari conatus est, *c. Alma mater. de sent. excom. in 6.* Quod si præterea ex iniusta causa feratur (quod iam vt plurimum contingit) erit profecto Interdictum maxime abominandum. Hæc est ferula, quæ solos Principes Christianos vibicibus onerat, eosque sub pædagogo cogit esse, qui in terris supra se neminem habent, solo Deo minores. Si nesciant aut nolint huic ferulæ manum subducere, eamque in ignem proijcere, profecto apti, ne dicam digni sunt, contra quos indies nouæ virgæ, nouæ scuticæ, imo flagella, & scorpiones à Romanis Pontificibus ipsorum pædagogis excogitentur, euibrentur, ac ad sanguinem imo necem vsq; intorqueantur. Viriliter sanè nostri sapientissimi Veneti Senatores ferulã illam de manu læua Pontificis nuper vel extorserunt, vel excusserunt, ac flammis iniectam in cineres redegerunt. Vtinam tandem dextra ipsius sceptrum illud spiritualis Monarchiæ & fulminis auellerent, iugumq; ceruicibus suæ ditionis Episcoporum detraherent, ipsiq; sua regia vere diuina potestate Ecclesiasticum externum regimẽ in suis Regnis & Prouinciis moderarentur; quam fœliciores omni ex parte essent.

XLII. Non possum hic iam non digredi paulisper in illud Venetum Interdictũ, ac ostendere, pie ac prudenter & Dominos Venetos huic monstro restitisse, & magnam partem Ecclesiasticorum (quorum vnus ego) eidem Interdicto non paruisse. Multi sane viri docti & egregij tunc pro Venetis scripserunt, & Christiano orbi veritates aliquas spirituales sub pia quadã communi credulitate latentes aperuerunt; ipse quoq;, licet tunc timidius, nonnihil, alieno nomine edidi, sed aliquid etiam apertè in nostram Prælatorum defensionem manuscriptum duntaxat, elaboraui, & transcriptum Romam tunc ab Archiepiscopo Iadræ Ragazono, cui exemplar meum accommodaram, furtim est translatum. Excandui fateor, sed iusto zelo commotus, in Romanos scriptillatores, qui aculeos sæpe suos, in nos Veneti Dominij Prælatos conuertebant, nos pecudes, nos malæ conscientiæ homines, nos mercenarios, ac lupos vocabant, qui Interdictum non seruaremus, & nostros subditos id seruare non compelleremus, & Principi in faciem non resisteremus, aut saltem Ecclesias ipsas non desereremus, & ex tota Veneta ditione non profugeremus. Sic contra nos primus Cardinalis Ascanius Columna in sua quadam publicè edita declamatione; post illum Cardinalis Baronius, in sua ad Remp. Venetam paræneси; ac postea Cardinalis tertius, Pater Bellarminus: inde verò Episcopus Treuicanus; postea Bouius Carmelita; ac demum Comitolus noster Iesuita, sunt debacchati. Eorum ergo tunc singulorum argumenta colligebam; fundamenta opposita collocabam, & argumenta ipsorum dissoluebam. Summa erat, Me de validitate, aut inualiditate Interdicti nolle disputare, siquidem id alij Scriptores tam abunde præstiterãt; qui quidem firmis & solidis rationibus, ac autoritatibus cõtra illud Interdictum disputarunt, libellosq; Romanos huius Epidemicæ plagæ assertores, vt ventus sicca folia, dissiparunt, ac in inanias vnde orti sunt, redegerunt. Resistentiam ego Dominorum Venetorum æquam, iustam, necessariam esse affirmabam: causam scil. iustam Interdicto nullam eos dedisse probe perspexeram: iure enim diuino actiones suas facile poterant tueri, & Papa non nisi ex sola vsurpatione potestatis sibi indebitę, contra eos insurgebat. Hic ergo iam duo præcepta inter se certabant, alterum iuris diuini naturalis, conseruandi suam legitimam regiam siue supremam potestatem à Deo immediatè acceptam, in regendis suis populis, in rebus ciuilibus, & omnia vnde eorum potestas & dominium turbari possit auersandi, ac pro viribus repellendi: alterum iuris positiui Ecclesiastici seruandi Interdictum. Cuius obseruatio quia seditiones populi excitabat, & rebellionum semina spargebat, merito ius diuinũ naturale pręferendum erat iuri positiuo Ecclesiastico, eiq; per summum ac intolerabilem abusum detorto. Præterquam quod Principes Christiani diuinum cultum in vniuersali in suis ditionibus tenentur sartum tectum conseruare, & vt ille destituatur nunq̃ permittere: & Prælatis id tentantib. resistere: nulla n. vnquam potest esse iusta causa diuini cultus, aut perpetuo, aut ad tempus extinguendi; quib. rationibus suffulti, merito poterant, & debebant Domini Veneti ministros Ecclesiasticos, etiã pœnis corporalibus cogere, vt populo diuina ministrarent, & in diuino cultu perseuerarent, nulla præsertim eos peculiari & personali culpa á ministerio remouẽte.

XLII. Nos ergo Prælati, ac generaliter omnes Ecclesiastici triplicem saltem causam habebamus, quæ nos ab obligatione seruandi Interdictum penitus liberabat, & in conscientia tutos tenebat. Prima erat Interdicti iniustitia nobis manifestissima & notoria. Secunda erat iuris diuini oues pascendi obligatio: á qua ius humanum nullum potest nos vnquam liberare, vt quandiu sumus in officio pastorali, á pastura cessemus: & si prodeat humanum præceptum, quod dicat, ne pascas; respondendum est; oportet Deo obedire magis quam hominibus; nobis enim à Deo immediatè commissæ sunt oues, & eas iure diuino pascimus, vt probaui *lib. 2. cap. 5.* salua iusta ad tempus suspensione, cum alterius pastoris subrogatione. Et profectò nescio qua fronte auderent, tunc nos ad fugiendum & discedendum solicitare: siquidem bonus pastor debet animam suam pro ouibus suis ponere; *Ioan.* 10.11. mercenarius autem viso lupo fugit. Tertia autem erat iustus metus, qui ab humano præcepto facile liberat, quando præceptum est in materia de se adiaphora, quæ diuino iure neq; mala sit & fugienda, neq; bona & amplectenda, sed si obligat, virtute solius præcepti obligat. Mitto nunc, præceptum Ecclesiasticum

nullum ad peccatū mortale obligare, quod disentiam, *lib.8.* Sed satis mihi tunc fuit præceptū Ecclesiasticum merè humanum nunquam adeo arctare, vt & cum vitæ periculo & grauissimo temporali damno sit parendum. Hoc autem vniuersaliter verum esse, dummodo vbiq; circumstantiæ non adsint, quæ iuris diuini inducant obligationes, & tales quæ peccati mortalis coram Deo reos non faciant, vt puta si scandalū graue sequatur, si contemptus Ecclesiæ, si fidei detrimētum, si ruina animarum, & similia: quæ circumstantiæ à Veneti Interdicti violatione omnes aberant: & tamen pœnæ erant graues, carcerum, exilij, priuationis bonorū &c. & tales pœnæ, imo & alia grauissima priuatarum familiarum damna, ab Interdicti obseruatione nos optime excusabant. Non quidē ex intentione præcipientis, qui cum tanto detrimento & incommodo nō intenderet obligare; Etenim erat charitas & discretio Papæ Pauli V. vt apertè explicaret, se etiā ad effusionē sanguinis obligare; sed vbi duo præcepta contraria iuris diuersi ordinis congrediuntur, tunc præceptū inferioris ordinis cedit pcepto ordinis superioris, *Abbas in c. quam pleriq; de immun. Ecc. Sylu. V. lex 4. Sot. de iust. & iur. l.1. q.6. ar.4 &c.* Et quia iure diuino naturali tenemur vitā, & bona vitæ necessaria conseruare, Interdictum vero seruare solo humano Ecclesiastico præcepto (si tamen iustum sit, & iustè prolatum) tenemur: idcirco hoc illi cedere debuit.

XLIV. Circumstantiæ porro in contrarium nullæ aderant; tres nobis scopulos aduersarij opponebant, Contemptum Pontificiæ potestatis; fidei detrimentū; & scandalum. Contemptus certè nullus erat, primum quia veras & legitimas censuras, prout par erat, plurimi faciebamus. Si autem aut Interdictum non sit censura, nec iusta, nec legitima pœna; aut si iustum sit, potestatem Ecclesiæ non negabamus, neque ex contemptu præceptum violabamus, sed in casu in quo non obligabat, ei non parebamus: sed neque Domini temporales, qui nos illud violare cogebant, id ex contemptu præcepti vel præcipientis faciebant, sed pro suæ potestatis & legitimæ libertatis conseruatione, & pro seditionibus, turbisq; popularibus euitandis, ac pro diuino cultu retinendo, & hoc erat nobis notissimum; quia mentem suam Dux Venet. edicto publico manifestarat, cum summa erga Sedem Apostolicam reuerentia. Fidei præiudicium nullum aderat; nunc enim propter vllum in fide errorem Interdicto Respublica Veneta supponebatur, sed propter temporalē sibi ipsi iure diuino debitam iurisdictionē, vt probarūt tot docti viri, & ego *lib.6.* confirmabo. Scandalum denique veri nominis nullum erat. Scandalum ego in triplici vsurpari significatione cerno, *apud Tho. 22. q.43. ar.1. & 2. & Caiet. ibid &c.* Primum in sensu proprijssimo, quando proximo datur occasio labendi in peccatum, cum intentione ipsius spiritualis ruinæ. Secundo vbi quis opere suo aliquo vel de se malo, vel indifferenti, aut bono, sed cum specie apparentis mali proximum inducit ad peccandum, etiamsi intentio ipsius ad hoc non feratur. Tertio denique est tantummodo admiratio quædam, quam quis cum stomacho concipit, cernens alterius malum factum, idque ægrè ferens. Scandalum in duabus prioribus significationibus est peccatum. In tertia nullum.

XLV. Nos itaq; ab omni periculo veri scandali, siue in prima, siue etiam in secunda significatione scandalum sumatur, aberamus, dum Interdicto illi non parebamus. Hinc vero nullum peccatum poterat induci in alios, neq; lapsus causa eramus cuiquam, ita vt scandalum posset esse datum; nam scandalum acceptum accipienti soli tribuitur, cum scandalum non datur. Omnibus enim aut notum erat, aut esse debebat, nostras causas non seruandi Interdictum esse legitimas, & præsertim causam iusti metus: Si quis ergo nostro exemplo moueri poterat ad præcepta Ecclesiastica omittenda, is in casu solo, vel inualiditatis, & iniustitiæ præcepti; vel metus excusantis, ad omittēdum præceptum motus fuisset, in quo nihil peccasset: & sic scandalum nullum fuisset. Quare optimè Sotus nos ab illa stolida & clamosa, quam in nos aduersarij intorserunt, criminatione prorsus liberabat, ita multo ante scribens, *in 4. dist. 21. q.1. ar.4. Concl.5.* Si quis tyrannus metum mortis Sacerdoti offerret, nisi coram excōmunicatis celebraret, idq; in contemptum Ecclesiasticarum legum, & odium Ecclesiæ, ad ostendendum vanam esse eius potestatem, patiendus illi esset prius gladius & ignis, quam tale sacrilegium committere; peccaret ènim contra ius diuinum de confessione fidei. Si tamen ille metus non esset oblatus illa causa, sed quia prætor, verbi gratia, excommunicatus, vel princeps aliquis, non in odium legis, sed ad ostendendum se non esse excommunicatū, vel pro sua libidine talē metum incuteret, profectò Ecclesiæ nō tanti referret arcere hominem à communione excommunicatorum, vt intendat in tali casu ad id obligare. Quare Sacerdos excusaretur celebrans, neq; vllam committeret culpam. Et forte non esset consilium illa de causa vitam exponere.] His ego fundamētis aduersus inconditos Romanensium clamores honorem nostrum, optimamque existimationem, coram Deo & hominib. defendebam: & meo scripto viso, multi sunt in debita constantia stabiliti, & à vanis scrupulis liberati. Et quid quæso emolumēti, quid expectati lucelli aut præmij à Sede Apostolica reportarunt leuiculi quidā, siue Prælati, siue Ministri, siue Monachi, qui tunc discesserunt? Quas eis gratias Pontifex habuit? Aut potius quas non gratias habuit Benedictus S. Iustinæ de Padua: S. Gregorij de Venetijs, & tot alijs optimis cœnobitis, quod manserint, & Interdictum nō seruarint! Ingentia enim illa prædia Ecclesiastica, ex quib. sancta Sedes plurimum sustentatur, in Reip. fiscum abijssent; Agnouerunt puto errorem suum nostri Patres Iesuitæ, dum cernunt alias religiosas familias, quæ Principi obsecutæ sint, apud Pontificem optimè audisse: ne quid nimis.

XLVI. Si vero neq; nos Prælati, neq; alij inferiores Presbyteri & ministri, quibus immediatè & directè Interdictū actus sacros publicos aufert, citra omne peccatum tuta conscientia, potuimus non parere, quanto magis laici omnes, quibus in Interdicto nullū datur præceptum, potuerunt Ecclesias & diuina, saltem ob eundem metum, frequentare? Si interdictum fuisset iustū & iuste latum, Laici priuati non potuissent siue vi, siue dolo siue alio quocunq; modo adigere Presbyteros ad sacra facienda, sacris vero interesse quis vetaret? Caietanus *in summa le V. Interdictum* ait violationem Interdicti esse solum Clericorū. Syluester V. *Interdictum 6.* & Sotus *in 4. d. 22. q.3. art.1.* ipsi quoq; expresse asserunt, Laicos non peccare, saltem mortaliter, si se ingerant vt sacris intersint, modo non faciant in contemptum, aut vim non adhibeant; & rationes suadent, ne venialiter quidē eos peccare, vt vult Caietanus. Stolidè ergo, & ex spiritu turbulento, ac seditionū flabellis clamitabant Romani Scriptores, & nostri Iesuitæ priuatis etiā terris terrebant homines, ne Ecclesias adirent, ne Sacramenta acciperent, ne sacris interessent, & falsis impijsq; doctrinis miseram plebem decipere conabantur. Sed mercenariorum voces bonæ oues noluerūt audire, propriorum pastorum vocem audiebant; & tunc etiā optimè nouerat Dominus qui essent eius, *2. Tim. 2. 19.* De censuris pro meo instituto hic satis.

CAPVT

CAPVT X.

Vnctionem extremam non esse propriè dictum Sacramentum; quo potestas Ecclesiæ ad effectus gratiæ exerceatur.

SVMMA CAPITIS.

Extrema vnctio moribundorum non est à Christo instituta, numer. 1. 2. 3. 4.

Neque habet diuinam promissionem gratiæ spiritualis, vllamue ad eam analogiam, num. 5.

Neque est stata ceremonia in tota Ecclesia vniuersali, nu. 6.

Spectat ad potestatem miraculorum. nu. 7. non ad Sacramentum, etiam ex sententia Caietani, nu. 8.

Obiectiones proponuntur & soluuntur, nu. 9. 10. 11. 12.

I. QVEMADMODVM negare non possumus, ceremoniam vngendi infirmos oleo, veterem esse in Ecclesia, ab Apostolis quoque vsurpatam, & in Ecclesia, si non vniuersali, saltem magna ex parte, receptam, ac perpetuò conseruatã, ita in ea vnctione verũ & propriè dictum Sacramentũ nouæ legis agnoscere, nullo modo possum, quia neq; in Ecclesia pura vnquã agnitum inuenio. Cõditiones veri Sacramenti posui supra *c. 4. n. 6.* ex his præcipuæ desunt huic vnctioni, nimirum, diuina institutio, diuinaq; promissio, & gratiæ diuinæ spiritualis præcipuè intentus effectus, atque ad effectum spiritualem analogia: fortasse neque est ceremonia stata ac perpetua, vniuersali Ecclesiæ data. Confirmo singula breuiter. Diuinam CHRISTI institutionem huius vnctionis aliqui ex nostris colligunt, ex eo Euangelii loco, *Marci 6. 13.* vbi hæc de Apostolis habemus; Et vngebãt oleo multos ęgros, & sanabant.] Alii volunt, *inquit Gersonius in Compend. Theolog. de Sacramen.* quod illud Sacramentum CHRISTVS per se instituerit, quoniam iuxta præallegatum *cap. 6 Marc.* narrato quomodo CHRISTVS suos misit discipulos ad prædicandum, statim sequitur: Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerẽt, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant eos; quod nõ creditur sine institutione Domini fuisse.] His ipse Gersonius videtur assentiri; in his enim sistit, nec aliud de institutione profert. Sequuntur Thomas Valdensis, & Alphonsus de Castro, *apud Bellarm. de extrem. vnct. cap. 2.* Sic Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 1. de extrem. vnct.* hoc Sacramentum à CHRISTO institutum definiuit, & à Iacobo Apostolo promulgatum. Sed Dominicus Soto, qui videbat illum Marci locum ad vnctionem hanc, quam nostri ponunt Sacramentalem, non pertinere, negat omnino ex illo loco Marci haberi institutionem; Et quia Beda *libr. 2. super Marc. 6. 4. 1. super Luc. cap. 7.* eandem ait esse hanc Apostolorum, & illam Iacobi vnctionem, id cautè legẽdum esse monet, Non enim, *inquit Sot. in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 1.* sic est intelligendum, quasi Apostoli, antequam fuerint sacerdotes instituti, vnctione illa seu Sacramento vsi fuerint, quia, vt modo dicebamus, nec erat tunc vsus Sacramenti pœnitentiæ, &c.] Et hunc sequitur Bellarminus *de extr. vnct. cap. 2.* Hæc dissensio argumento est, nihil certi haberi ex Euangelio, efficitq; merito, vt hanc institutionem hoc Marci loco non credamus fundatã, negemusque non modo eo loci esse Sacramentum vnctionis institutum, sed etiam esse insinuatum, vt loquitur Concilium Tridentinum; aut figuratum & adumbratum, vt loquitur Bellarminus. Illud enim erat donum & gratia miraculorum, circa corpora potissimum: hoc verò dicitur esse Sacramentum. Alioquin miracula illa omnia, quæ patrabant Apostoli in prima illa imperfecta missione, debuissent esse figuræ, & adumbrationes futurorum Sacramentorum; & sane tales figuræ, vt ipsis institutio Sacramentorum debeatur. Profectò nisi CHRISTVS postea dixisset; *Quæcunque alligaueritis, &c. & quorum remiseritis peccata, &c.* nemo sanæ mentis potuisset colligere, tunc datam fuisse potestatem Apostolis remittendi peccata, quando eiiciebant in illa prima missione Dæmonia; nam eiectio Dæmonii optime quidem remissionem peccati adumbrat, & ideo meritò dicere possumus, CHRISTVM adumbrasse hanc potestatem remittendi peccata, per illam potestatem eiiciendi Dæmonia. *Matth. 10. 1. Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos:* quia videlicet postea ipsemet dixit; *Matth. 18. 18. Quæcunque alligaueritis & solueritis:* & *Ioan. 20. 23. Quorum remiseritis peccata, &c.* Quod si hanc potestatem expressam postea non dedisset, nunquam licuisset nobis, ex adumbratione illa potestatis in peccata, ipsam adumbratã colligere, & nobis asserere potestatem. Si itaque fuit illa vnctio, figura, adumbratio, insinuatio Sacramenti vnctionis; ostendere tenemur, deinde CHRISTVM mandasse hanc vnctionem Sacramentalem; id tamen ostendere non possumus.

II. Confugiunt tamen ad dictum Iacobi *cap. 5. 14. 15.* Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.] Audio Iacobum ista monentem: sed Iacobus non poterat instituere Sacramenta. At Iacobus, *inquiunt*, fuit promulgator huius Sacramenti à CHRISTO iam instituti; sed hæc CHRISTI institutio eratne in Euãgeliis scripta, an verò omiserunt eam Euangelistæ; & suppleuit Iacobus, qui institutionem audiuerat? Primum dici non potest, quia locus Euangelii alius non est, nisi *Marci 6.* quem Sacramenti huius institutionem nequaquam continere fatentur NOSTRI DOCTORES, & etiam probat, ac conuincit Bellarminus *de extrem. vnct. cap. 2.* quatuor rationibus: 1. Quia vnctio illa erat ad solos corporales morbos curandos: 2. Quia Apostoli tunc nondum erant Sacerdotes, Sacramẽta autem omnia præter Baptismum & Matrimonium, ministrum non habent in communi Scholasticorũ sententia, nisi Sacerdotẽ, ex ipsa Christi institutione. 3. Quia tunc Apostoli promiscuè vngebant, non solos moribundos, sed ægrotos omnes, & cæcos, & claudos, &c. 4. Quia vngebant etiam non baptizatos, at nondum baptizati nullius alterius Sacramenti sunt capaces. Iacobus ergo promulgauit id, quod audiuerat à Christo, Euãgelistæ verò omiserant. Itane Spiritus Sanctus fuit parcus Ecclesiæ, vt Euangelistas voluerit scribere multo minutiora, Sacramenti verò alicuius institutionem omittere, ac proinde dare nobis occasionẽ ambigendi de aliquo verò Sacramento, sitne à Christo institutum necne? Etsi Iacobus erat promulgator non Apostolicę, sed diuinæ institutionis, debuisset eam promulgare historicè, & relatiuè, vt fecerunt Euangelistæ, exprimereque Christum ita iussisse, & effectum promisisse, vt fecit Paulus. Si enim de institutione Eucharistiæ nihil scripsissent Euangelistæ, à Paulo tamen sufficienter diuinam illam institutionem habuissemus, vbi ille scribit: *1. Cor. 11. 23. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* & alias quoque distinguit, *1. Cor 7. 25.* quid in rebus Ecclesiasticæ praxis, quoad coniugiorum vincula, Dominus per ipsum præcipiat, & quid ipse ex se moneat, & non Domini nomine.

III. Constantem illam tamen Iacobi de peccatorum remissione promissionem ponderat Bellarminus, & ex ea vult colligi CHRISTI institutionem: neque

que enim Apostolus tam constanter, *inquit*, & absolute id promitteret, nisi Dominus id instituisset, & mandasset.] Dicamus ergo etiam, Dominum instituisse & mandasse, vt visitemus pupillos & viduas in tribulatione eorum, quia constanter idem Iacobus ait, *c.* 1. 27. hanc esse religionem mundam, & immaculatam apud DEVM: Dicamus à Domino Iacobum audisse, fidem sine operibus mortuam esse, & id Iacobū non nisi promulgasse, siquidem id valdè constanter asseuerat. Dicamus similiter, eundem Iacobum tanquam Domini dictum promulgasse: Appropinquate DEO, & appropinquabit vobis, siquidem tam constanter promittit DEI nobis appropinquationem. Non licebit ergo diuinis Scriptoribus, qui Canonicas formant scripturas, constanter aliquid promittere, vel affirmare, Spiritu Sancto ipsis ea quæ scribunt dictante, nisi prius ad verbum eadem à CHRISTO Domino aure tenus audierint? Si hinc liceat quasi à CHRISTO instituta Sacramenta multiplicare, non tantum septenarium, sed fortasse millenarium numerum excederemus, vbicunque sacra noua scriptura extra textum Euangelicum constanter spirituales multiplicat promissiones. Non ergo habemus CHRISTVM vnctionis institutorem. Et sane Hugo de S. Victore, *libr. 2. de Sacrament. part.* 15. & Magister sententiarum *in 4. dist.* 23. expresse asserunt, Apostolos fuisse vnctionis huius institutores; Et glossa illa Aquinatis, *Institutores*, hoc est, *promulgatores*, neque Soto placuit, quippe nimium violenta, & Authorum assertioni penitus contraria: Neque Bonauentura negare potuit, Apostolos esse institutores, declarat tamen ipse, fuisse Spiritum sanctum, qui per Apostolos hoc Sacramentum instituebat. Egregie profectò; quia scilicet CHRISTVS suam fundans Ecclesiam & Sacramētis instruens, vnctionis pro ægrotis moribundis oblitus fuerat; sed Spiritus sanctus postea id suggessit Apostolis. Potuit porro CHRISTVS Paulo denuo reuelare institutionem Eucharistiæ, & non potuit vnctionem pariter reuelare, quam Euangelia non haberent; imò quam ipse in hac carne degens non instituerat, ita vt de ipsa quoque Paulus fateretur; *Ego accepi à Domino*? Quod si semel admittamus, potuisse Apostolos secreta aliqua & inuisibili Spiritus sancti suggestione noua Sacramenta instituere, amplum aperimus aditum Episcopis, Apostolorum successoribus, ac præsertim nostro D. Papæ, sibi eandem potestatem arrogandi, ac semper prætendendi, se Spiritus sancti impulsu, vel noua Sacramenta condere, vel vetera abrogare, aut immutare.

IV. Thomas cum suis asseclis, quorum Coryphæus Dominicus Soto, in Concilio Tridentino pugil magni nominis (inter cæcos dominantur lusci, nempe vbi Episcopi ad Theologica erant inepti, fraterculorum opera controuersiæ fuerunt dirimendæ) Thomas, inquam, & Sotus *in 4. dist. 23. qu. 1. art.* 1. ad Christi institutionem vnctionem hanc reducunt mirabiliter, à posteriori. Supponunt enim vnctionem esse Sacramentum; & cum Sacramenta sint res fundamentales in Ecclesia, alium institutorem habere nō potuerunt, nisi CHRISTVM. Egregiè profectò pulcherrimus circulus. Vnde constat, vnctionem infirmorum esse Sacramentum? quia est à CHRISTO institutum. Et vnde constat esse à CHRISTO institutum? Quia est Sacramentum. Ita nos in seriis ludimus. Quis igitur sine rubore poterit iam CHRISTVM facere vnctionis huiusmodi extremæ institutorem? Vnctione dignus est, tanquā moribundus delirans, qui id asserat. Ex hoc igitur institutionis maximo defectu, vnctio non est Sacramentum.

V. Altera veri Sacramenti conditio, quam in extrema vnctione non inuenio, est diuina promissio, per CHRISTVM clare & expresse facta; promittit enim Spiritus Sanctus per os Iacobi, aliquid partim temporale, partim spirituale; sed CHRISTVM hoc loco nō habemus expressum promissorem. Tertia conditio est effectus gratiæ spiritualis, qui tamen directe, & per se vnctioni, ne à Iacobo quidem promittitur, præcipuus enim effectus ibi promissus, est gratia sanitatis corporalis: & Victor Antiochenus, Beda, Theophylactus, ac Oecumenius in hæc loca, & Amalarius, *supra cap.* 5. *num. 7. huius libri*, dicunt, vnctionem hanc Iacobi esse illam ipsam, quæ est apud Marcum *cap.* 6. Illam verò totam directe ad sanitatem corporis pertinuisse iam vidimus, & Bellarminus confirmabat. Et sanè maximum est absurdum, ponere verum Sacramentum nouæ legis, cuius præcipue intentus effectus sit totus corporalis, & qui nostris temporibus nunquam contingat, & propterea hunc effectū nostri iam totum ponunt conditionatum, si videlicet sit animæ expediens; vnde augetur absurditas, quod Sacramentum habeat dubium effectum, & sub conditione, quæ de se semper sit occultissima, & nunquam apparens. Alter verò effectus, qui dicitur spiritualis, peccatorum remissionis, est etiam ipse conditionatus: Si in peccatis fuerit, quid si neque in peccatis fuerit, neque expediens sit vt sanetur, vngatur tamen? Suscipiet Sacramentum penitus ociosum. Mitto esse inexplicabile, quænam sint ista peccata, quæ vnctione remittantur: num mortalia, an venialia, & num per claues, iam enim communiter vtrorumque remissio negatur vnctioni, sed reliquias quasdam excogitarunt, quibus certè quisquiliis refutandis anxiè immorari esset hominis ociosi, & inutiliter laborantis. Quarta conditio Sacramenti, quæ abest ab hac vnctione, est analogia ad effectum spiritualem, quid enim similitudinis & proportionis inter vnctionem corporis, & remissionem peccati in anima? Excogitet illam, qui potest.

VI. Sed neque puto in Ecclesia vniuersali statam fuisse, & perpetuò adhibitam hanc vnctionis ceremoniam; Nam in paucis admodum Patribus & Conciliis illius memoriam & vsum inuenimus. Consideraui *capit. 7. præcedenti*, in Patribus & Conciliis remedia, quæ peccatori moribundo ab Ecclesia exhiberentur; ea verò erant, pœnitentia qualiscunque, & viaticum corporis CHRISTI. De vnctione, ne verbulum quidem in multis, vbi maximè erat commemoranda, si adeo celebre esset ægrotorum Sacramētum à CHRISTO institutum. Fuit ergo vnctio tempore Apostolorum, & fortasse in primitiua Ecclesia ceremonia ad gratiam miraculorū spectans, pro confirmatione Euangelii iuxta illa Christi verba, *Marc. vlt.* 18. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, Dæmonia eiicient, linguis loquentur variis, serpētes tollent, & si mortiferū quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et quia in prima missione, quæ erat specialis, oleum Apostoli in miraculis sanationum adhibuerunt, *Marc.* 6. 13. in secunda quoq; missione, quæ fuit generalis, præter manuum impositionem, quam CHRISTVS docuerat, etiam oleum plerumque, aut alicubi, quia in prima missione optimè illis inseruierat, addiderunt, ideo Iacobus monet fideles ægrotos, vt Presbyteros iam loco Apostolorum inducant, & olei ab iis accipiant inunctionem, ad sanitatem consequendam: qui effectus, quamdiu miracula necessaria fuerunt, sæpe consequebatur, non tamen semper, alioquin nunquam mortui fuissent, si oleum semper valetudini homines restituisset, idcirco monet Iacobus, vt aduocatis Presbyteris duplici vtantur remedio: altero vnctionis, si forte ex frequenti tunc miraculo conualescant: altero precum, quod perpetuo

vtile

vtile sit futurum, ex quibus si moriantur, peccatorum leuiorum & quotidianorum, si quibus detineantur, obtineant remissionem. Preces enim Ecclesiæ ad talium remissionem, etiamnum plurimum posse c. 8. *præcedenti* iam probaui: & in hoc sensu ratione precum, non ratione Sacramenti, Iacobi documentum debuit esse perpetuum.

VII. Manuum tamen impositionem super ægros, ad valetudinem eis à Deo impetrandam, iuxta Domini admonitionē, in vsu magis fuisse, quàm olei vnctionem, ex Ambrosio facile est colligere: is enim Nouatianos reprehendens, quod Ecclesiasticam absolutionem reiicerent, tanquam ad peccatorum grauium remissionem de se inhabilem, ait *de pœnit. lib. 1. c. 7.* Omnia denique donauit discipulis suis, de quibus ait; In nomine meo Dæmonia eiicient, &c.— Omnia ergo dedit, sed nulla in his hominis potestas est, vbi diuini muneris gratia viget. Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis forte reualuerit ægrotus?] Profectò multo meliori iure hæc manuum impositio Sacramentum esse deberet, quàm vnctio; quia illa est à Christo expressa, hæc non item, sed neutra est verum Sacramentum, quia vtraque simplex est oratio, quæ per modum Sacramenti non operatur, vt ex hoc ipso Ambrosii loco satis patet. Vnctio itaque iam his temporibus mihi multò plus inclinare videtur ad superstitionem, quàm ad Sacramentum, per summum abusum verborum Marci & Iacobi: quæ vbi cessarunt miracula sanationū, cessare etiam vnctiones debuerunt. Manus impositionem ego libenter adhuc seruarem, est enim, vt dixi, oratio quædam teste Augustino *de baptism. lib. 3. cap. 16.* & Presbyteros vocari ab ægrotis est eis vtilissimum, ac sæpe necessarium, non tamen vt vngantur, sed vt de pœnitentia, & de absolutione per claues cum illis agant; & simul vt illi nomine Ecclesię preces pro ipsis ægrotis fundant, siue ad valetudinem, siue ad remissionem peccatorum leuiorum impetrādam, ac potissimum ad sacrum viaticum accipiendum. Nam Victor Antiochenus, sicut vnctionem admittit, ita effectum ei non tribuit tanquam Sacramento, sed potius orationi: Oleum, *inquit in Marc. 6.* quod in sacra vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest, orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantum symbolum esse.] Hoc de vero Sacramento non diceret: falsum enim esset, si quis diceret, aquam Baptismi esse tantum significatorium symbolum externum internæ regenerationis per Baptismum: & ipsam nihil efficere, sed solam orationem ministri.

VIII. His & aliis rationibus motus etiam Caietanus, negat posse ex verbis Iacobi colligi Sacramentum extremæ vnctionis: Ait enim *in epist. Iacob. cap. 5.* Nec ex verbis, nec ex effectu, verba hæc loquuntur de Sacramentali vnctione extremæ vnctionis, sed magis de vnctione, quam instituit Dominus in Euangelio à discipulis exercendam in ægrotis; textus enim non dicit, Infirmatur quis ad mortem: sed absolutè, Infirmatur quis. & effectum dicit, infirmi alleuationem; & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur, cum extrema non detur, nisi propter articulum mortis, & directè (vt eius forma sonat) tendit ad remissionem peccatorum: præter hoc, quod Iacobus ad vnū ægrotum multos Presbyteros, tum orantes, tum vngentes mandat vocari; quod ab extremæ vnctionis ritu est alienum.] Refellere hæc conatur Ambrosius Catharinus apud Sixt. Senens. *lib. 6. Biblioth. annot. 559.* sed satis frigidè. Sixtus vero Senensis gloriatur, quod in hac parte Caietani sententia fuerit in Concilio Tridentino damnata. Sed si leniores paucorum obiectiones effecerunt, vt in illo anathematismo mutaretur verbum *institutum*, in verbum *insinuatum*, (vt legi in Historia Concilii Tridentini, aliquando vt spero edenda,) corrupto ferme toto illius anathematismi sensu (nam quod instituitur à Principe, non quod duntaxat insinuatur, id postea à præcone publicatur) certè, si ipse Caietanus superstes, & in Concilio præsens fuisset, potius è septem Sacramentis vnctionem infirmorum expungi curauisset, aut certe suo ingenio, & pro ea qua pollebat sacrarum Scripturarū peritia, expungendum esse conuicisset, quam suam sententiam damnari permisisset. Nunc soluamus obiectiones.

IX. Obiiciunt nobis primo Rescriptū Innocentii I. *epist. 29.* quod sic habet, ad Decentium Eugubinum. Sane quoniam de hoc, sicuti de cæteris, consulere voluit Dilectio tua adiecit etiam filius meus Cælestinus Diaconus in Epistola sua, esse à tua Dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Iacobi Epistola conscriptū est: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum: & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet, in sua, aut suorum necessitate, ad vngendum. Cæterum illud superfluum videmus adiectū, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere nō dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est; quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramēta negantur, quomodo vnū genus putatur posse concedi?] Quid hinc habemus? Vnctionem esse genus Sacramenti, quod non datur iis, qui nō sunt capaces Sacramentorum. Sed tamen non dixit esse Sacramentum, sed leuiori & remotiori vocabulo, genus Sacramenti; aliquid ergo obscurum cōtra nostram sententiam in eo Rescripto continetur; sed cur nō debet nobis magis prodesse per ea, quæ clara in se cōtinet, quàm obesse per obscura? Clarum est Innocētium loqui de chrismate ab Episcopo cōfecto, oleum vero infirmorū, neq; chrisma est, neq; ab Episcopo conficitur, sed benedicitur duntaxat etiam à presbytero, vt postea ostendam: Chrisma verò conficitur, quia fit mixtione balsami cū oleo: cuius vsus iam nullus est in nostra extrema vnctione; clarū est apud Innocentium, non solum Episcopos, aut Sacerdotes posse chrismate vngere ægrotos, sed id etiam omnibus Christianis licere. At nostrum Sacramentum extremæ vnctionis ministrare nemo laicus potest. Respondet cum Iansenio Bellarminus *de extrem. vnct. cap. 9.* sensum Innocentii esse passiuum, de recipiente, non actiuum de ministro, hoc est, licere omnibus Christianis vsu vnctionis frui, aduocando presbyteros, & ab eis vnctionem recipiendo. Miserum profectò effugium; Si Iacobus omnes fideles alloquens, monet illos, vt in suis ægritudinibus aduocent presbyteros, & vngantur; quàm futile dubium esset Innocentio, cui solutionem adhibeat, licere omnibus Christianis hoc facere; quænam minima occasio dubitandi erat in contrarium? Præterea esto. liceat cuique Christiano pro suis necessitatibus passiue & receptiue vti oleo sancto Chrismatis; quomodo verò dicitur hoc licere etiam pro suorum necessitatibus, si tantum passiuè loqui sit intelligendus? Nemo

enim

enim passiuè & receptiuè vtitur vnctione pro suorum necessitate; vtitur tamen actiuè & ministratiuè. Ad hæc non solum, *inquit*, Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis vti licet: erat ne dubium, an Sacerdotibus duntaxat liceat in suis morbis recipere vnctionem, & non laicis, vt occurrendum fuerit tali dubio, & asserendum, non modo sacerdotes infirmos posse inungi, sed etiam laicos? Nonne iam dixerat, quoad vsum passiuum & receptiuum non esse dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrysmatis perungi possunt? Et statim subdit, nō modo Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis licere vti, profectò actiue & ministerialiter, in suis suorumque necessitatibus. Clarum demum est apud Innocentium, pœnitentes ægrotos non esse vngendos. Nos verò vel maximè cupimus, & curamus, vt sint pœnitentes, qui extremam capiunt vnctionem, nec eam fideli cuicunque in extremo morbi mortalis periculo negamus. Videant itaque cui plus faueat Innocentius, antequam in eum sibi patronum asciscant.

X. Iuo Carnotensis *epist.* 255 ex hoc Innocentii Rescripto, omne verum Sacramentum deduxit esse initerabile: & consequenter asseruit, etiam infirmorum vnctionem, siquidem ab Innocentio hoc loco dicitur esse genus Sacramenti, iterari non posse: & causam assignauit; quia, *inquit*, Vnctio infirmorum publicæ pœnitentiæ est Sacramentum; quam non esse repetēdam, sicut nec Baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius.] Illudque videtur ibidem velle Iuo, eandem esse vnctionem, qua Monachus vel Abbas consecratur, cum vnctione, quæ ægrotis ex Iacobi præscripto attribuitur; nam & propterea respondet Rodulpho Abbati, vnctionem quam semel receperat, non esse amplius repetendam; & consequenter videtur negare, posse Abbatem in ægritudine inungi, qui iam semel in sui consecratione fuit inunctus, vnctionem enim vtramque nihil aliud esse putauit, nisi publicę pœnitentiæ professionem; & monachum vnctione consecratum, censuit esse illum publicæ & perpetuæ pœnitentiæ addici; quæ tamen omnia videntur detorta, & vlla antiquitatisque carere penitus attestatione. Deceptus videtur Iuo, quia legebat, sicut & Gratianus deinde posuit *Distinct. 95. cap. Illud quod*: Nam non pœnitentibus istud infundi non potest.] Quasi dicat Innocentius, vnctionem hanc non dari, nisi in publicæ pœnitentiæ assumptione; & consequenter illos tantum ægrotos debere inungi, qui alias publicæ non fuerint addicti pœnitentiæ, ex quo initerabilitatem deducebat Iuo; quia publica pœnitentia non iteratur. Sed vera lectio est, quam posuimus absque negatiua. Et sane meo iudicio Innocentius, stante iam vsu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum eidem Metropolitanæ in prouincia Romana subiectarū; vt infirmi Chrismatis vnctione vterentur & sic Iacobi documentum seruarent, duo dubia Episcopo Eugubino soluit; alterum est, non modo Presbyteros, vt est in Epistola Iacobi, sed etiam multo magis Episcopum, imo vero etiam quęcunq; Christianum posse Chrismate ægrotos inungere quisque suos domesticos, vbi tam commode habere Presbyteros non possint. Alterum est, pœnitentibus publicis vnctionem hanc non esse permittendam, quia Sacramēta eis omnia negantur, intellige, nisi prius reconciliati fuerint. At verò ante præfixum suæ pœnitentiæ tempus non reconciliabantur, nisi essent iam in periculo mortis constituti, tunc enim reconciliati per condonationem reliqui tēporis, iam erant omnium Sacramentorum capaces; atque hinc ortum habet nostra consuetudo, ni fallor, vt non nisi moribundos vngamus: quia tamen ægroti ante mortis periculum Chrismatis vnctionem cupiebant, illa pœnitentibus duntaxat negabatur: siquidem pœnitenti, hoc est, sub iniunctæ pœnitentiæ iugo adhuc manenti, & satisfactionem Ecclesiasticam debenti, sacra omnia externa (quæ Innocentius in genere Sacramentorum posuit) negabantur, hoc est, non modo verum Sacramentum Eucharistiæ, sed etiam synaxes precum frequentatio, Eulogiæ, benedictiones, vnctiones, & similia, quæ nos vocamus Sacramentalia, tunc verò erant deuotioni & pietati absque vlla superstitione accommodata. Itaque Innocentius à nobis stat, ac noster penitus est.

XI. Obiiciunt 2. aliquot Concilia, in quibus fit mentio olei infirmorum, & vnctionis eorundem; & eam vocari Sacramentum, similiter & Patres, *Bellarm. de extrem. vnct. cap. 4.* Respondeo eadem pietate & simplicitate, qua citra omnem superstitionem Apostoli in sanandis dono miraculorum ægrotis; adhibuerunt oleum, non tanquam instrumentum quod vim haberet sanandi, sed tanquam testem externum, miraculosam sanationē per ipsos, & non casu, aut aliqua alia naturali virtute occulta, id fieri, (nam & Christus poterat caeco nato visum restituere sua sola occulta omnipotentia, nulla adhibita re sensibili, & tamen luto vsus est, vt operis ipsius esse pateret) etiam Apostolici viri in rebus spiritualibus vsi sunt libenter aliqua re sensibili, vt non casui, non naturæ, sed ipsis, tanquam Christi ministris, effectus spirituales, etiam interdum temporales, & vltra, aut supra naturam tribuerētur; indeque fides ipsis in doctrina adhiberetur. Ingressæ tamen paulatim corruptelæ Ecclesiarum Rectores eo adduxerunt, vt quando interna deseruerunt, externis saltem inhærerēt, vt se plebi conspicuos redderent: cœperuntque rebus externis effectus internos infallibiles tribuere & polliceri, quorum veritas falsitasque patere non posset. Pietas ergo & deuotio cum simplicitate introduxit vnctiones, aquam benedictam, crucesignationes, cineres in capite ieiunii, statas pectoris tunsiones, eulogias benedicti panis extra Eucharistiam, & similia. Pleraque tamen, vel veri Sacramenti perperam locum obtinuerunt, vel in indignas superstitiones abierunt. Itaque Concilia, & aliqui veteres Patres nominant oleum infirmorum; sed in eo Sacramentum verum non ponunt, nisi posterioribus temporibus post corruptelas. Vsi sunt etiam posterioribus temporibus sancti viri similibus vnctionibus, vel Sacri olei ab Episcopo benedicti, vel alio miraculose alicunde scaturiente, ad mirabilia perpetranda, & non tanquam Sacramento. De Eutychio enim Episcopo Constantinopolitano narrat Eustathius *apud Surium tomo 2. die 6. April.* illum solitum fuisse oleo ægros vngere, illis solis verbis, ex Iacobi præscripto prolatis, videlicet, *in nomine Domini nostri* Iesv Christi: & iisdem verbis aliquando mortuos infantes vnxisse, & ad vitam reuocasse. Quis vero nostrum hic extremæ vnctionis Sacramentum agnoscat? Et tamen Iacobæi documenti executio hoc loco ab historico ponitur.

XII. Obiiciunt demum ex diuina prouidentia talem rationem, *Bellarmin. de extrem. vnct. cap. 5.* Cum Dominus Sacramenta instituerit, quibus veluti diuinis subsidiis iuuaremur in ingressu Ecclesiæ, & in progressu, certè nullo modo credendum est, defuisse diuinam eius prouidentiam in egressu, & transitu ab hac vita, quo tempore maxime indiget homo diuino auxilio & præsidio.] Talibusne rationibus topicis dogmata fidei & Sacramentorum, quibus salutem nostram Christus plurimum inniti voluit, confirmantur & stabiliuntur? Si ratio esset efficax, sequeretur, alia Sacramenta debere dari infantibus, alia pueris & iuuenibus, alia viris, alia senibus: alia masculis, alia fœminis: alia mili-

militibus, alia nautis, alia Sacerdotibus, alia laicis & sic in infinitum, quasi verò Baptismos nō saluet infidelem sine oleo, si proximus morti sciens & volens baptizetur: qui post Baptismum, etiam in infantia suscepisti, pœnitentia & Eucharistia, cum fide, in qua [illegible] is grata adulta, quouis sexu, quouis tempore, non sint remedia ad transeundum ex hac vita, opportunissima. Pro fidelibus morti propinquis video Concilia & Patres solicitos, vt in fide stabiliri, pœnitentiæ internę, & externi sacri viatici sumptione muniantur: de vnctione adeo solicitos plurimos non reperio. Et quem quæso effectum in homine fideli proprium & peculiarem habet, in sola occasione transeundi de hac vita mortali ad gloriosam immortalem, extrema vnctio, quem fides, quem pœnitentia, quem Eucharistia, quem eleemosyna, quē oratio Ecclesiæ, præsertim publica (stante diuina misericordia & promissione) non totum ac penitus integrum possit assequi? Solus autem Sacramentalis effectus extremæ vnctioni passim datur, aliquorum nec mortalium, imo nec venialium, sed reliquiarum, remissio peccatorum. At contra omnia peccata à diuina prouidentia habemus, & facillima quouis etiam momento temporis, & per Sacramenta, & extra Sacramēta, remedia, vt *cap. 7. & 8.* pluribus ostendi, quid ergo opus peculiari Sacramento moribundis? Nimium friuola sunt ista ad multiplicanda, & solis humanis commētis excudenda Sacramenta. Vnctio igitur infirmorum, aut nullum penitus, aut saltem verè & propriè dictum Sacramentum non est. De Ordine satis *libr. 2. capit. 4.* disputaui, ostendique, ipsum quoque verè & propriè dictum Sacramentum non esse.

CAPVT XI.

Matrimonii vinculum, & causas, à propria potestate Ecclesiastica non pendere.

Svmma Capitis.

Matrimonium naturalis & humanus contractus, ex diuina institutione, perpetuo fuit, num. 1. 2. 3.

A Christo explicatum, vt sit cum monogamia, & indissolubilitate, nu. 4.

In reliquis Christus matrimonij contractum ciuili potestati reliquit, nu. 5.

Diuortia matrimonialia legibus ciuilibus sancita, probant matrimonium de se ad ius ciuile spectare: neque obstant insolubilitati matrimonij, nu. 6. 7. 8. 9.

Diuortium verum propter adulterium Christus quoque approbauit, à nu. 10. ad nu. 17. nec obstant obiectiones, nu. 18. 19.

Sacramenti ratio si qua sit in matrimonio, non trahit matrimonij contractum ad Ecclesiam, num. 22. 23.

Matrimonium tamen sacramentum non est, cum careat omnibus veri sacramenti conditionibus num. 24. Non est à Christo institutum, nu. 25. Non est sacræ rei signum sacramentale, à nu. 26. ad nu. 32. Non habet gratiæ promissionem, neque gratiam confert, nu. 33. 34. 35. 36. Non enim tollit omnem deordinationem, quæ ordinariè viget, non sine culpa, licet leuiori, inter coniuges: à nu. 37. ad nu. 41.

Obiectiones pro Sacramento Matrimonij ex Patribus soluuntur, num. 42. 43. Ex rationibus à nu. 43. ad nu. 49.

Materia & forma Matrimonij, nu. 50.

Impedimenta Matrimonij varia proponuntur; Ex natura, nu. 50. Ex voluntate, vbi adsit polygamia, in casu diuortij, à nu. 51. ad nu. 57. vel ob concubinas, à nu. 58. ad nu. 66. Ex legibus, num. 67. vel iuris diuini naturalis circa consanguinitatem, à nu. 68. ad nu. 72. 73. vel iuris positiui ciuilis, circa eandem, nu. 73. Ecclesiastico iure & Patrum attestatione eadem prohibita, à nu. 74. ad nu. 78. cum abusu, nu. 79.

Alia impedimenta ex legibus Ecclesiasticis, nulla tamen, nu. 80.

Impedimenta ex parte consensus, nu. 81.

Contractvs societatis inter virum & vxorē, cum sit totus humanus & corporalis, & ad effectum corporalem directè initus, ad potestatem Ecclesiasticam, quæ tota est in se spiritualis, & ad supernaturalia, *vt primo huius libri capite* ostendi, non potest iure diuino pertinere. Quare etiam Theologi nostrates, qui matrimonium faciunt verum & proprie dictum Sacramentum, distinguunt in ipso illa duo; nimirum, contractum humanum, & Sacramentum. Iure quidem diuino naturali habent homines in vtrolibet sexu propensionem & facultatem, imò & in genere loquendo in vniuersis, necessitatem ineundi coniugia, ad prolis propagationem, & speciei cōseruationem; licet in singulis adsit libertas naturalis, & contrahendi, & non contrahendi, seo abstinendi à procreatione: nulla tamen lex naturali inferior, potest vel cogere ad matrimonia, quia homines naturaliter sunt liberi, nec vnus alteri pro coniugio subijcitur, nisi libero & voluntario consenso, sine quo matrimonium nullum est, vt fatentur omnes; vel impedire in genere, ac prohibere coniugia: quæ iure diuino naturali necessaria esse generi humano constat manifeste. Et quidem fundamentum est naturale, coniunctio nempe maris cum fœmina. Vt autem hæc coniunctio sit proprie humana, à brutali distincta, necesse est interuenire contractum quendam humanum; quem contractum natura non celebrat, sed homines sua voluntate & libertate: nempe vt hic mas, huic, & non alteri fœminæ iungatur; & hæc fœmina, non alteri, huic, & non alii viro, subijciatur. Atque huic contractui humano, iam sic libero & voluntario, aliquæ conditiones sunt à Deo, seu ius naturæ humanæ explicante, seu positiua sua lege præscriptæ, in quibus conditionibus contractus hic nulli potestati, quę sit diuina inferior, subijcitur. Eæ verò sunt monogamia, insolubilitas, & erga proprium sanguinem cognationisque gradum aliquem reuerentia. De quibus inferius agam pluribus. His exceptis conditionibus, iam contractus matrimonii, vt contractus est, & sane humanus, corporeus, & totus in genere rerum temporalium, ciuilis est, & ciuili omnino subiectus potestati: ac proinde in multis aliis conditionibus & circumstantiis per ipsam ciuilem potestatem est regulabilis.

II. Iure naturæ licet cuique homini non coniugato coniugium inire, nec humana potestas efficere potest, vt id non liceat; in ineundo tamen coniugio, & contractu ipso coniugii celebrando, potest ciuilis potestas tales conditiones & leges, pro bono communi apponere, vt etiam nulla & irrita fiant coniugia in tali vel tali particulari, modo ne in genere auferat cuique non coniugato facultatem & libertatem coniugii ineundi: quia hæc facultas, vt dixi, vnicuique iure diuino naturali est concessa. Vt autem vnus non nisi cum vna contrahat & copuletur, idque indissolubiliter, ac in perpetuum, vel certe iure diuino naturali in humana natura id præcipitur; vel, vt mihi probabilius videtur, iure diuino positiuo. In eo sopore quo Adam correptus est, ei profecto varia reuelata sunt mysteria: vnum fuit, quale inter homines, siue diuina iussione, siue naturali etiam hominis rationalis proprio instinctu, vt rationalis est, à brutis distinctus, debeat esse vinculum contractus humani matrimonialis; vt vnus videlicet vni copuletur, consortio indiuisibili, quod tale sit, vt omne aliud humanū, etiam naturale, consortium inter filios & parentes separetur, vt coniugale hoc cōsortium cōseruetur; & hoc Adam expergefactus, visa coram se muliere, quam nūquam antehac viderat, quod sibi reuelatum fuerat, effatus est, *Gen. 2. 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniā de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem,*

& matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.] Hæc Adam spiritu diuino instructus protulit, rationem veri & perfecti humani coniugii exprimens, vt sit inter duos tantum, & perpetuum ac indissolubile. Et quia Deo reuelante hæc pronunciabat Adam, ideo Christus hæc verba, *Quamobrem relinquet, &c.* à Deo dicta tunc fuisse asseruit, *Matt. 19. 5.* Aliqui *apud Iansen. in concord. cap. 96.* putarunt posse illa verba etiam Moysi Scriptori Genesis tribui, qui ea tanquam à Deo dicta referat: sed cum Scriptor non dicat, Deum illa dixisse, iam relinquerentur tanquam verba propria Moysis, quæ non haberent tantam vim, vt Christus, & postea Paulus *Ephes. 5. 31.* illis tanquam verbis ipsius Dei vteretur: & contextus Scripturæ satis videtur ea cum aliis præcedentibus Adami verbis continuare: nam & alia mysteria altissima iisdem verbis inuoluta sibi reuelata satis innuit Adam, vt Paulus explicauit: nimirum verbi incarnationem, & Christi cum Ecclesia inseparabilem coniunctionem: horum tamen mysteriorum fundamentum est ipsa humani carnalis coniugii ratio, ibidem Deo reuelante explicata, & facto ipso comprobata.

IIII. Ex hac igitur Adamo facta reuelatione, & ex ipsius exemplo ac dicto impetus naturalis circa speciei humanæ multiplicationem, primam hanc regulationem habemus, vt vinculum coniugii sit vnius cum vna, cum perpetuo conuictu & consortio. Quoniam tamen necessitas generis humani multiplicandi, priorem huius regulæ iuris diuini partem deserendam aliquando suasit, si (vt supponitur, & Patres docent) *Aug. de doct. Christ. l. 3. c. 12. & 18. & de bono coniug. c. 15. & de ciuit. D. lib. 16. c. 38.* ad tempus, Deo reuelante, & ex speciali gratia dispensante, polygamia non prorsus illicite inducta videtur, & matrimonii vinculum iam non facile apparuit. Videmus enim Patriarchas etiã, ac viros iustos, & Deo charos ex pluribus fœminis prolem suscepisse, & aliquas vxorum loco indissolubili societate retinuisse, alias vero temporarias habuisse concubinas: exemplum nobis sit Sara & Agar, ac Cetura Abrahami: Lia & Zelpha: Rachel & Bala Iacobi, & similes. Ac ne postea homines fierent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; *Psal. 31. 8.* siquidem prolis susceptio res carnalis est, & tota corporea, & secundum vsum rectæ rationis vltra primam regulam iam dictam iuris diuini, adhuc aliqua ex parte regulabilis, iis coniugia regulanda reliquit, qui Dei Vicarii in terris, ad omnia terrena moderanda ab ipso Deo instituebantur. Et sic quoad populum Israeliticum, ipse Deus circa matrimonia leges positiuas, illum duntaxat populum, vt ego cum multis sentio, & nunc suppono, moderantes, nonnullas tulit. In reliquis populis gentium Principes & Respublicæ subinde nuptiarum contractus humanis ciuilibus legibus direxerunt: & sic matrimonium perpetuis temporibus, quoad ista regulabilia, ciuilis & humanus contractus fuit; diuina videlicet illa prima in Adamo reuelatione lumine eodem diuino naturali plurimum operante, suadenteq; passim, ac ferme in omnibus gentib. obtinente, vt verum & legitimum matrimonium esset inter vnum, & vnam, atq; id perpetuum & indissolubile. Sic Christus Dominus Pharisæis libellum repudii à Moyse concessum obiicientibus, & indissolubilitatem matrimonii non libenter audientibus, respondit *Matt. 19. 8.* ab initio non fuisse sic, sed Deum in Adamo, & per Adamum satis declarasse, per matrimonium duos debere esse in carne vna, cum perpetua per charitatem & contubernium mutua adhæsione.

IV. Itaq; Christus Dominus circa matrimonia, suorum fidelium tanquam caput, & Dominus, suæ Ecclesiæ nihil penitus noui, aut statuit, aut immutauit, sed reliquit coniugia in eo statu, in quo erant inter Iudæos, sola addita abolitione libelli repudii, nimirum illius repudii quod Moyses ad duritiem cordis eorum, nõ sine diuina dispensatione & tolerantia, permiserat, monogamiaque illa, quæ in Adamo primo generis humani parente enituit, vt sint duo in carne vna, confirmata, illis quoque verbis stabilita, qui dimissa vxore sine causa fornicationis, aliam duxerit, mœchatur. Cur autem mœchus esset si plures vxores habere ei liceret? Vtroprime deducit Innocentius tertius. *De diuortiis. c. Gaudemus.* Quicquid ergo humanæ leges iustæ in toto mundo circa coniugia, saluo iure diuino, statuebant, id prorsus Christus intactum relinquebat, neq; vllo iure suo positiuo matrimonia regulare voluit, satis suis Christianis esse censens, ad humanas leges matrimoniales vel seruandas, vel repellendas, si diuino iure naturali siue etiam positiuo, eas ante omnia probarent, seruata videlicet monogamia, & vinculi ordinatia indissolubilitate, ac aliquorum graduum prohibitione, de quibus postea.

V. Matrimonium igitur cum, in se & absolute loquendo, sit contractus naturalis, humanus & ciuilis non de se spiritualis, nec supernaturalis, relinquebatur quoad ciuilia, ciuili potestati, quam Christus assumere nunquam voluit, neque suæ Ecclesiæ tradere: proinde ciuilis potestas, modo Christianis polygamiã non permittat, neque libertatem repudii, nec in quocunq; gradu coniunctionem, matrimonia ita regulare potest, vt bono communi secundum rectam rationem expediens esse censuerit. Supremorum igitur Principum est in suis ditionibus contractui matrimonii conditiones apponere, quibus vel contractus teneat, vel irritus sit, & nullus, dummodo nihil cõtra ius diuinum statuant. Sic videmus Romanos Imperatores circa matrimonia fuisse admodum sollicitos; ex illis enim, & pax, & tranquillitas Reipublicæ, & bonorum ac hæreditatum, imo etiam Regnorum dominia, & successiones consequuntur. Inde cernimus Imperatores prohibuisse, ne liber cum ancilla possit matrimonium contrahere, ne insciis parentibus fiant coniugia; ne libertus cum patrona seu patroni filia, ne liber ducat concubinam patris, ne quis consanguineas in certo gradu, ne sine dotalibus instrumentis, &c. Plurimæ tales leges sunt in Codice tam Theodosii, quam Iustiniani, & in Pandectis Christianorum Imperatorum, & sane piorum, sub titulis, *de nuptiis, de incestis, & inutilibus nuptiis, de interdicto matrimonio, &c.* In quibus legibus statuendis nunquam Ecclesiasticæ propriæ Potestatis vsus vllus fuit: Neque contra tales leges Ecclesia, quod sciam, insurrexit, imo illis paruit libentissime, vt probabo *lib. 6. cap. 6.* Ac firmissime semper vetus Ecclesia tenuit, matrimonium contra leges Principum contractum nullum esse. Impedimenta itaque quæ dicuntur à Summistis dirimentia, & ponuntur illis carminibus: *Error, conditio, votum, &c.* quæcunque ex his vera impedimenta sunt (nam aliqua sunt falsa) ex legibus ciuilibus & collecta sunt, & vim habent impediendi ac dirimendi, si lex sit dirimens, quia contractum eiuslem nullum esse leges ipsæ faciunt. Sed nostri Pontifices, ne viderentur à legibus pendere laicis, suis Decretalibus easdem leges sanxerunt, quæ tamen etiam ante decretales inter Christianos plenam habebant obseruationem.

VI. Diuortia quoque ex quibusdam grauioribus causis Imperatores, datis legibus, concesserunt. *Iustiniani Nouella 22.* puta propter transitum ad Monacharum, propter impotentiam coeundi, si alter coniux in captiuitatem abducatur, vel deportetur, si maritus fiat reus adulterii, homicidii, læsæ Maiestatis, &c. Si plagiarius, &c. quæ similiter leges diuortia concedentes Ec-

cle iam

clesiam reclamantem non inuenio habuisse, & à Theodosio maxime, ac Iustiniano Christianis & piis Principibus sunt constitutæ; imo has ipsas leges Ecclesiam Romanam seruandas mandasse scribit Iuo, *Epist.* 243. & hæc diuortia laici iuris semper intelliguntur, cum perfecta & totali coniugij dissolutione, ita vt vtraque pars libera sit ad nouas nuptias contrahendas, vt patet manifeste ex Iustiniani *nouella* 22. *cap.* 37. *& multis aliis legibus.* Leges inuenio, resistentiam non video; contrarias leges Ecclesiasticas paucas admodum, & prouinciales duntaxat inferius *num.* 11. obseruo. Satis graue iugum & onus solet esse sæpe matrimonium, & interdum ex partium obstinatione, & seritate occasio desperandi: nisi penes Principes talia statuendi esset potestas, & omnes humanos ciuiles contractus, in quantum contractus sunt, moderandi, sæpe natura humana conquerendi ansam haberet, si tamen diuina lege adeo absolute non arctaretur. Rem hanc de diuortiis in genere definite penes me non audeo, probabilitatem aliquam cerno: ideoque neque Principibus potestatem hanc (seruato iure diuino) absolute negare possum. Quod si ipsis illa concedatur, ne quis illud ex Scriptura obiiciat, à Christi ... usurpatum: *quod Deus coniunxit, homo non separet*: ... fortasse esset, illos à Deo non coniungi, quia ... leges iustas politicas coniunguntur: & in his diuortiis, non hominem, sed Deum, illas per suos in mundi gubernatione Vicarios facere separationes.

VII. Neque his Christus Dominus, aut ipsius præco nobilissimus Paulus, suis quas posuerunt declarationibus, quicquam aduersantur. Ait profecto Dominus, *Matth.* 19. *vers.* 9. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.*] Et Paulus; 1. *Corinth.* 7. *vers.* 10. 11. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir vxorem non dimittat.*] Ex his & similibus locis videtur haberi, & iam contendunt nostri fere omnes, ex nulla alia causa diuortium concedi, aut permitti, nisi ob impudicitiam, & violatam fidem castitatis coniugalis scelere adulterij. Et tale quidem diuortium, quod non ferat vnquam secum vinculi matrimonialis solutionem, sed solum quoad torum & cohabitationem, separationem. Et sic Christi præcepto leges ciuiles in materia hac coniugiorum abrogari, & alias longe diuersas in Ecclesia seruandas proponi. Si hæc esset Christi mens clare in Euangeliis expressa, toleranda esset, & omnino ei parendum, licet durior sit & asperior: cum tamen Christi *Matth.* 11. *v.* 30. iugum suaue sit, & onus leue, & fragilitati humanæ, quamdiu licet, commode compatiendum, videndum est, an Euangelia, non hanc, sed aliam Christi intentionem & sententiam proponant.

VIII. Erant sane adhuc aliæ causæ soluendi legitima & valida coniugia, præter fornicationem; vna certe, & minima, conuersio ad fidem Christi alterutrius coniugum; Nam, (certe ex diuina reuelatione) supponit Paulus, vt est Augustini deductio, [*August. de adult. coniug. lib.* 1. *cap.* 13.] eo ipso quo alter coniugum à sua infidelitate discedit, altero in infidelitate manente, coniugium illorum penitus abrumpi; 1. *Corinth.* 7. *vers.* 15. Quod si infidelis discedit, discedat, *inquit*, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.] Et consilium Pauli, non Domini præceptum est, vt alter coniugum conuersus, alterum infidelem apud se in suo coniugio retineat, quando secum consentit ille habitare, si forte etiam ipse tali fidelis coniugis consortio ad fidem conuertatur. Interim tamen liberum à matrimonio esse, & posse infidelem dimittere; & cum alio fideli coniuge copulari, satis deducitur ex hoc loco: nam si volente infideli manere cum fideli, non Dominus, sed Paulus duntaxat dicit, fidelem non debere dimittere suum coniugem infidelem, profecto matrimonium iam solutum est, si ita velit fidelis: Si enim matrimonium non esset solutum; tunc Dominus, & non Paulus præciperet, vt fidelis non dimittat infidelem volentem manere. Quia, *inquit*, in huiusmodi frater fidelis factus non subiicitur seruituti: id est non manet vinculum altero coniuge infidelitate manente. Neque verbum illud, *in huiusmodi*, refertur ad solum casum vbi infidelis discedit, nec vult manere. Si enim deterioris conditionis esset fidelis, quam infidelis: infidelis enim haberet in sua potestate, & confirmandi, & separandi vinculum, fidelis non item: qui si fiat liber à vinculo matrimonij, non ex sua voluntate fit liber, sed ex actu voluntario coniugis voluntarie discedentis. Ipsum tamen fidelem esse liberum patet, quia, vt dixi, etiam volente manere infideli, non iussu Domini, sed hortatione tantum Pauli, non debet illum dimittere: ergo verbum, *in huiusmodi*, intelligendum est, in casu conuersionis alterius coniugum ad fidem, altero in infidelitate manente, siue cohabitare velit cum fidele, siue discedat ab illo. fidelis non subiicitur nec ligatur amplius vinculo matrimonij, nisi velit: vt autem velit, suadet & hortatur Paulus, non cogit, neque ius diuinum vrget. imo fatetur expresse, ius diuinum quod cogat nullum esse. Ecce igitur nouum casum diuortii legitimi præter fornicationem. Quando ergo Christus generaliter negabat diuortium, sola excepta causa fornicationis, id faciebat, quia cum solis Iudæis tunc loquebatur, qui ex suis legibus, permissione Moysis, *Deut.* 24. *v.* 1. diuortii liberam habebant viri facultatem, sine vllo crimine vxoris: si enim crimen diuortio dignum, nempe stupri, vel adulterii affuisset, tunc non erat opus diuortio, sed nece vxoris criminosæ vir ab illius coniugio liberabatur; *Leuit.* 20. *vers.* 10. *& Deut.* 22. *vers.* 22. etiamsi stupratam, quando eam duxit, inuenisset, & post coniugium contractum illa non peccasset, *Deut.* 22. *vers.* 21. Volens itaq; Christus illorum repudiorum iniustitiam ostendere, declarat per ea vinculum matrimonii non tolli; neque licere homini Iudæo dimittere vxorem, nisi ex sola legis Iudaicæ concessione, hæc vero erat stuprum & adulterium duntaxat, ita tamen dimittere, vt per sententiam iudicis, si conuinceretur, lapidibus esset obruenda, & sic fiebat perfectissimum per mortem diuortium. Neque est cur proponatur quæstio, liceretne ei, qui ob fornicationem vxorem dimitteret aliam ducere: quia nullus penitus erat in lege Iudaica dubitandi locus, siquidem adultera semper mori debuit; ideoque dicebant illi Christo *Iohan.* 8. *vers.* 6. Modo hæc mulier deprehensa est in adulterio, & præcepit nobis Moyses huiusmodi lapidare; profecto tentantes eum, quem mitem admodum & benignum agnoscebant, an vellet se legis contemptorem ostendere; ipse vero legem non negauit, & interim sua mira sapientia modum exercendæ misericordiæ erga illam adinuenit. Priuata tamen priuatorum diuortia, quæ lex non nisi ad duritiem cordis permiserat, omnino damnauit. Quod si in eadem lege, ex aliqua alia graui causa fuisset concessum diuortium, eam quoq; Christus omnino addidisset: quia publica legibus, iure & rationabiliter concessa diuortia non abrogabat, sed sola, vt dixi, priuata.

IX. Addit porro Paulus legitimum diuortium ex causa conuersionis; quia vbi est diuina declaratio, siue immediate à Deo data, aut inspirata, siue mediante

rerum ciuilium supremo in Regnis, vel prouinciis Gubernatore, ibi homo non est qui id separat quod Deus coniunxit, sed est ipsemet Deus, qui per suos vt dixi, in temporalibus vicarios, non priuatim, sed publice eam facit separationem. Meritò igitur Iuo *epist.* 243. post adductam ciuilem Iustiniani legem, de matrimonio inter ingenuum & ancillam prohibito, subdit; In tali ergo contractu quod lex damnat, non homo sed iustitia separat; quia quod contra leges præsumitur per leges dissolui meretur.] Lex ergo humana ciuilis Iuoni sat fuit ad irritandum matrimonium, quod ea ipsa sola humana ciuili lege non posset subsistere; quæ lex sicut contractui matrimoniali dat nullitatem, ne fiat; & si fiat, ne validus sit, sed dissoluatur; ita efficere, nisi fallor, potest, vt idem contractus iam validus, ex legitimis causis, lege tamen vniuersali positis & approbatis, dissoluatur; quales in Romanis legibus dixi esse nonnullas. Sicut igitur Christus loquens cum Iudæis vnicam legitimam diuortij causam attulit, ipsam fornicationem, quia in lege Iudæorum vnica illa erat legitima; ita prorsus si gentiles eam quæstionem ipsi proposuissent, legitimum diuortium ipsis esse illud dixisset, quod iustæ & rationabiles ipsorum leges approbassent, puta ob adulterium, ob perpetuam coniugis captiuitatem, &c.

X. Quod vero contendunt nostri Scholastici, & acriter decertant, diuortium, etiam ob fornicationem, à Christo admissum, non esse cum vinculi matrimonialis solutione, sed solam separationem quoad torum, & cohabitationem, frustra profectò laborant. In Republica enim, & de Republica Iudaica Christus loquebatur, & quæstio agitabatur; in qua, tam viri quam fœminæ adulterium morte expiabatur, & sic coniux innocens ab illo coniugio penitus liber erat; Christus tamen legem misericordiæ promulgabat, neque adulteram voluit lapidari, sed tamen noluit sua erga nocentem misericordia innocenti quicquam præiudicare. Cum ergo quantum ex parte legis, mortua sit adultera, etiamsi ex misericordia viuat, vir tamen eius ita liber est, ac si facto ipso mortua illa esset; &, vt mihi videtur, Christus satis innuit omne diuortium legitimum, quod lege publica fiat, esse verum & perfectum diuortium, cum vera & perfecta libertate coniugis, saltem innocentis. Nam quæstio proposita est de repudio illo, in quo talis erat semper dimissio vxoris, vt & dimittens esset liber ad aliam ducendam, & dimissa ad alium accipiendum; introductum enim erat tale diuortium, etiam vbi nulla pœnæ mortis causa interueniat; & Christus soluens quæstionem, illud idem diuortium approbat ex causa fornicationis, profectò siue moriatur adultera ex lege, siue viuat ex venia; reprobat vero illud, ex quacunque alia causa fiat, quia, vt dixi, lex Iudæorum nullam aliam causam repudij legitimi approbabat, sed tolerabat duntaxat, & permittebat. Ac propterea vbi Dominus veteres leges Iudæorum sumit perficiendas, illam quoque permissiuam repudii sumit, & ait, *Matth.* 5. *vers.* 31. 32. Dictum est, *Deut.* 24. *vers.* 1. Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.] Igitur dimittere, erat dare illi licentiam vt alteri nubat; sic enim dimittens dicitur facere dimissam mœchari. Quod si ex causa fornicationis eam dimiserit, & illa vitæ veniam aliquo modo à iudice obtinuerit, profectò ille qui eam dimisit non faciet eam mœchari; quia soluto vinculo vtraque pars libera est ad contrahendum, si nocens non moriatur. Nam si is qui absque causa fornicationis dimittit, facit mœchari, certe si cum causa fornicationis dimittat, non facit eam mœchari, quia tunc propter legitimum diuortium legitime sunt mulieri permissæ secundæ nuptiæ. Et hæc theorice vera sunt: practice tamen fateor, nisi vigilent & Ecclesia & Principes, collusionum pericula insurrectura, vt vbi nullum est adulterium, aut ex composito, commissum, ita partibus, quæ dissidio implacabili laborant consentientibus & conspirantibus, diuortium impetretur.

XI. Habemus Patres & Doctores etiam nostrorum temporum Catholicos, qui exceptionem illam Christi, *nisi propter fornicationem*, applicant toti sententiæ, & non soli parti: & in ea veram veri diuortii agnoscunt concessionem, ita vt non liceat dimittere vxorem nisi adulteram; sed neque liceat vna dimissa, aliam ducere, nisi ob fornicationem prioris dimissæ; & dimissam ab alio non licere cuiquam in vxorem ducere, nisi dimissio fuerit ob fornicationem, esseque mœchiam vnam dimittere, & aliam ducere, nisi id fiat ex causa fornicationis: similiter mœchiam esse, dimissam ducere, nisi dimissa sit ob fornicationem: nam certe litera Euangelii hunc sensum fert secum ferme necessario, & alius admodum coactus est, & violentus. Tertullianus itaque *lib.* 4. *aduers. Marcion.* negat absolute, Christum tollere diuortium, quod Moyses concedebat: & conditionaliter tantum, ait, Christum adimere diuortium: hoc est, si quis ea sola causa dimittat vxorem, vt aliam ducat, tunc matrimonium manere, nec dirimi. Si autem ex causa adulterij dimittat, tunc diuortium esse legitimum: illud nempe ipsum, quod Moyses permittebat, id est, verum diuortium, cum totali coniugij solutione. Ita, *inquit*, si conditionaliter, *Christus*, prohibuit dimittere vxorem, non in totum prohibuit.] At si matrimonium voluisset perpetuo, vsque ad mortem manere, profectò in totum diuortium prohibuisset; & hoc negat Tertullianus.

XII. Ambrosius, seu quis alius, Autor tamen antiquus, bonus, & Catholicus, *in* 1. *Corinth cap.* 7. adulteræ adimit, & virum, & libertatem nubendi alteri; viro tamen innocenti, & iniuriam passo licere ait, aliam ducere. Innocentius primus *epistola* 8. ad Probum, Statuimus, *inquit*, fide Catholica suffragante; illud esse coniugium, quod primitus erat gratia diuina fundatum; conuentumque secundæ mulieris, priore superstite, nec diuortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum.] Ergo si prior vxor adhuc viuens per diuortium fuerit eiecta, matrimonium esset legitimum. Sentiebat ergo Innocentius diuortia, per leges mundanas facta, ad alias nuptias legitimas libertatem relinquere. Asterius Amaseæ Episcopus, *homil. an liceat dimit. vxor.* Omnino vobis, *inquit*, persuadete, matrimonia morte tantum & adulterio dirimi.] Quantum ergo facit mors, tantum facit diuortium ob adulterium. Nam quod spectat ad separationem quoad torum, & cohabitationem, sunt plurimæ aliæ causæ legitimæ in hoc sensu matrimonium dirimentes, & non solum adulterium. Et tamen Christus ait, non licere vxorem dimittere, nisi propter adulterium. Ita ne, non licet separare à toto vxorem, retento vinculo matrimonij, nisi ob fornicationem? Cur igitur quotidie sunt huiusmodi separationes, ob alias nec paucas causas, quæ non sunt adulterium? Chromatius Aquilegiæ Episcopus *in Matth. cap.* 5. sic scribit; Excepta causa fornicationis dicens Christus vxorem non licere dimitti, aperte demonstrat, quam graue apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrænatam libidinis voluptatem, absque fornicationis causa dimissis vxoribus, in alia volunt transire coniugia.]

iugia.] Ergo ſi cum cauſa fornicationis vxores dimittant, & in alia tranſeant coniugia, crimen damnationis apud Deum non incurrunt. Zacharias Papa. 32. *quæſ.7.c.Concubuiſti.* adulterum virum, qui ſororem ſuæ vxoris, ipſa vxore inſcia, polluerat, per diuortium vxore priuat, & ipſi vxori innocenti dat licentiam, vt, ſi non poteſt continere, nubat. ſed ille aliam ducere non poſſit. Et Francicum Capitulare idem ſtatuit, *Ea cauſ. c. Quidam.* Concilium quoq; Triburienſe ſic decernit; Si quis cum nouerca ſua dormierit, neuter ad coniugium poteſt peruenire, ſed vir eius poteſt, ſi vult, aliam accipere, ſi ſe continere non poteſt.] Et tamen hi omnes legerant Euangelium, & Epiſtolas Pauli, intellexerant ergo Chriſtum; illa exceptione, *niſi ob fornicationem*, verum diuortium concedere, cum omnimoda coniugij ſolutione. Idem intellexerunt alij quoque, videlicet.

XIII. Euthymius qui ſic loquitur; *in Matth. cap. 15.* Chriſtus prædictis verbis manſuetis eos inſtruens, iubet, ne vxorem repudient, niſi ſtupri cauſa; ſtuprum autem vocat hic adulterium; qui enim extra ſtupri cauſam ſuam repudiat, facit eam adulteram eſſe, cum alteri viro commiſceatur; qui vero ſic ab altero repudiatam duxerit, adulterium cum aliena committit.] Sic repudiatam, *inquit*, hoc eſt, extra ſtupri cauſam. Igitur ſi cum ſtupri cauſa repudiauerit, neque facit eam adulteram eſſe, neque qui ſic repudiatam duxerit, adulterium cum aliena committit. Hæc ex Euthymij dicto neceſſario ſequuntur. Theophylactus Chriſtum ſic loquentem inducit, *in Luc. c. 16.* Ecce de ſolutione matrimonii lex præcepit, propter cædem Iudæorum: Ego ad perfectiora exercens auditores, repudium abſque rationabili cauſa prohibeo; non illi contraria docens, ſed magis voluntatem eius perficiens.] Repudium ergo erat ſolutio matrimonii, & non ſola quoad torum & cohabitationem ſeparatio: & Chriſtus hoc ipſum repudium, hoc eſt matrimonii ſeparationem, ſi ex rationabili cauſa fiat, non prohibuit, ſed vt diuinæ voluntati appoſitum approbauit. Ruſus habet idem, *in Matth. cap. 5.* Non ſoluit Chriſtus Moſaica, ſed corrigit, erudiens virum, vt ne abſque cauſa odio habeat vxorem; nam ſi iuſta de cauſa dimiſerit eam, nempe fornicationem, nulli condemnationi eſt obnoxius, quod ſi abſque fornicationis cauſa, condemnatus eſt. cogit enim eam mœchari, ſed & qui accipit eam mœchus eſt, niſi enim accepiſſet, rediiſſet vtique illa, & ſubdita fuiſſet viro.] Si ex cauſa dimiſerit, nulli condemnationi eſt obnoxius: ſed ſi aliud ei vetaretur coniugium, hæc ei profecto eſſet magna condemnatio.

XIV. Caietanus expreſſe loquitur; ait enim *in Mat. cap. 9.* Intelligo igitur ex hac Domini Ieſu Chriſti lege licitum eſſe Chriſtiano dimittere vxorem ob fornicationem carnalem ipſius vxoris, & poſſe ducere aliam vxorem, ſalua ſemper Eccleſiæ definitione, quæ hactenus non apparet; nam Decretales Pontificiæ de hac materia non ſunt definitiuæ fidei; ſed iudiciales facti. Profitentur autem ipſimet Pontifices, vt patet *in cap. 4. de diuort. & in c. Licet. de ſponſa duorum*, Romanos Pontifices aliquando in his iudiciis matrimoniorum errasse. Nec ex his intelligas, vxorem quoque poſſe dimittere virum fornicantem, quia Ieſus qui eſt verus Deus, non hoc neceſſit; nec eſt par ratio, vt patet; nec etiam in veteri lege vxor poterat repudiare virum; nec ego ſum primus qui ſic intellexi Euangelii textum; quoniam ante annos mille beatus Ambroſius, ſic intelligens, idem docuit *ſup. ad Corinth. 7.*] Hæc ille.

XV. In Concilio Tridentino facta eſt definitio in contrarium; illa tamen non fuit Eccleſiæ definitio, ſed Romanenſium; neque enim Eccleſiaſticus modus talia definiendi ibi ſeruatus eſt, vbi, non quod veritas Euangelica, ſed quod humana conſilia ſuaderent, definiebatur; vbi recte & ſincere ſentientibus, ac monentibus per Legatos Concilii Papales ora obſtruebantur. Sed neque Ambroſius Catharinus, qui in eodem Concilio vnus fuit ex Coriphæis, ab hac veritate receſſit: pluribus enim & ipſe *volum. 2. annotat. in comment. Caietani.* diſputat, probatque, licere marito poſt vnam vxorem iuſte repudiatam, alteram ducere; iniquum enim videbat, & aſſerebat eſſe, vt vir innocens, ex aliena culpa, & ſtimulis carnis, & innumeris incommodis, ac damnis exponeretur, ſtatumque ſibi miſerum cogeretur aſſumere in perpetuum, & luctuoſam vitam ducere, cui nefas ſit: & adulteræ coniungi, & alteram appetere.] Mitto nunc Epiſcopos illos qui apud Origenem *in Matth. tract. 7.* alteras nuptias, vbi etiam iniuſtum erat diuortium, concedebant, & ab Origene tandem excuſantur, qui naturæ ad libidinem procliui compaterentur. Omitto etiam Fabiolam Hieronymi epitaphio celebratam, *Epiſt. 30.* quæ viuente viro à quo diſceſſerat, nouis ſe nuptiis dedicauit. Sane tota Orientalis Eccleſia ita ſentit, & paſſim operatur; ob adulterium enim penitus ſoluit matrimonia.

XVI. Auguſtinus tamen in opere ſuo de adulterinis coniugiis *libr. 1. cap* 8. 9. 10. 11. quæſtionem hanc exagitat plurimum; & licet fateatur obſcuram eſſe in Matthæo propter illam exceptionem, *niſi ob fornicationem*, tamen ſolutionem ait eſſe petendam ex aliis Euangeliſtis Marco, *cap. 10. v. 12.* & Luca *cap. 16. v. 18.* qui abſolute & abſque vlla exceptione ponunt, mœchiam eſſe, ſi dimiſſa alteri nubat, vel admittens alteram ducat; quare concludit, adulterium eſſe etiam quando dimiſſa propter fornicationem nubit, & dimittens aliam ducit.] Ego tamen miror plurimum modum hunc Auguſtini in Euangeliis explicandis diuerſum longe ab ipſius, & cæterorum Sanctorum Patrum communiſſimo more: vt Euangeliſta qui plus dicit, & addit aliquid aliis Euangeliis; explicari, & quaſi corrigi debeat ab illis, qui minus dicunt. Verum eſt, fateor, Marcum & Lucam propoſitionem afferre generalem abſq; vlla exceptione, nullam dimiſſam poſſe nubere, & nullum dimittentem poſſe aliud inire coniugium: quod etiam Paulus generali ſimiliter dicto aſſeruit *1. Corinth. 7. v. 10.* Sed quoniam Matthæus generalem illam propoſitionem à Chriſto, vna addita exceptione, arctatam fuiſſe aſſerit, certe omnis bona ratio interpretandi dicta Euangelica poſtulat, vt Marco & Lucæ, & Paulo ex Matthæo exceptionem addamus. Quinimo ipſemet Auguſtinus vidit generalem illam Marci, & Lucæ & Pauli propoſitionem; in diuortiis negantem noui matrimonii contrahendi poteſtatem, non omnino abſque illa exceptione in praxi eſſe ſequendam; nam alio loco; [*Idem de fide & oper: cap. 19.*] ſiue prius, ſiue poſtea ſcripto, (*in retractationibus libr. 2.* prius ponitur) ſic loquitur: Quiſquis etiam vxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt & ducunt: Et in ipſis diuinis ſententiis ita obſcurum eſt, vtrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, vt quantum exiſtimo venialiter ibi quiſque fallatur.] Admittit ergo Auguſtinus ad Baptiſmum eum, qui ob crimen adulterii dimiſit vnam vxorem, & ea viuente aliam duxit. Neque diſcrimen vllum ponit, quod in infidelitate id factum ſit; ſciebat enim vinculum matrimonii idem eſſe, vnde & eadem regula Chriſti verbo-

rum id examinat; & obscurum esse ait, quid diuinæ sententiæ velint, ita tamen vt si diuortium totale ex causa fornicationis legitimum, & à Christo concessum ab aliquo putetur, ac ideo secundum matrimonium tanquam legitimum ab eo admittatur, periculum erroris non adsit, nisi ad summum venialis. Quare ne Augustinum quidem absolute habemus aduersarium.

XVII. Hieronymus fateor & aliquot alii, ac præsertim Scholastici communiter in tali diuortio ex fornicatione, noui matrimonii ineundi licentiam non concedunt, sed diuortium à Christo approbatum contendunt esse solam separationem, vinculum vero matrimonii manere. Abundent illi in sensu suo; ego cum tot egregiis testimoniis sententiam Christi à vero diuortio non abhorrere omnino censeo: quin etiam valde considerabile esse puto, num iustæ leges humanæ ciuilis potestatis, sicut validitatem & inualiditatem matrimoniali contractui semper dederunt, aut explicarunt, ita etiam ex rationabilibus causis diuortia iusta facere, & matrimonia iam rata dirimere possint, aut de facto dirimant: quod si licite possint, tunc dicere oportebit, Christum suis monitionibus & iussis, nihil legibus hisce obstare, obstitisseve, dummodo in reliquis aut polygamia, aut voluntaria matrimonii priuata dissolutio non inducatur: Pauli etiam dictum à Christi mandato diuersum non esse: qui bene ait, Dominum præcipere vt vxor à viro non discedat, hoc est, Ipsa sua priuata autoritate diuortium non faciat: & si discesserit, aut debere eam viro reconciliari: aut innuptam manere; quia discessit illegitime, & ita matrimonii vinculum manet. Quod si beneficio legis, autoreque prætore, liberam se fecerit à marito, cui vult nubat; de hac enim Paulus amplius non loquitur, quia hæc à viro non discessit, neque se ipsa ab illo separauit; sed lex & iudex, hoc est, Deus illam à viro suo penitus liberam fecit, & cum sit libera iam potest cui vult nubere. Idem dicendum esset de viro: Et sicut Scripturæ, ita & Patres, qui insolubilitatem vigent matrimonii, plurimi nihil aliud volunt, nisi priuato nemini licere proprium dirimere matrimonium: & vxori libellum repudii dare, vt faciebant Iudæi; sed legi iustæ ciuili nihil videntur præiudicare. Et generales illæ regulæ Pauli, *Rom.7.vers.3. Mulier si viuente viro fuerit cum alio viro, vocabitur adultera, &c.* intelligendæ viderentur, exceptis casibus iusti diuortii: quia tunc mulier non habet alium virum: & patet, regulas illas in Paulo non habere sensum generalem, exceptiones diuortii non admittentem; quia statim obiici potest ipsiusmet doctrina Paulo, *1. Corinth.7. vers.12.* Mulier maritata conuersa ad fidem, quæ maritum infidelium dimiserit, profecto potest esse cum alio fideli viro, viuente priori, & non erit adultera: vt supra *num.*8.

XVIII. Obiicit Bellarminus *de Matrim. lib.1.c.14. & 16.* Mulier illa quæ à viro discessit, quamque Paulus *1.Corinth.7.v.11.* iubet vel reconciliari viro, vel innuptam manere; aut discessit ex causa iusta diuortii, aut sine tali causa. Si ex causa, cum teneatur manere innupta, diuortium non liberat à coniugii vinculo: Si sine causa, male Paulus optionem daret, vt vel reconcilietur, vel maneat innupta, quia deberet illam obligare vt omnino reconcilietur. Respondetur, Mulierem illam discessuram sine causa diuortii, non tamen sine causa legitima separandi se à toro, & cohabitatione; fornicario enim viri coniugati cum meretrice, non puniebatur morte, & sic non faciebat diuortium verum, nec liberabat vxorem à vinculo coniugis; sed Interim potuit tunc fortasse, sicut etiam nunc potest vxor, separare se corpore & cohabitatione, cum ex hoc Pauli loco constat, inter Christianos ex iusta causa posse citra diuortium fieri quasdam coniugum, etiamsi non coniugij, separationes. Et hoc erat argumentum insolubile, ex sententia Bellarmini; præterquam quod illa verba, *maneat innupta*, non significant licere ei separatim à viro disiunctam viuere, sed significant duntaxat, suam iniustam discessionem non dare ei facultatem alteri nubendi, estque pœnæ intimatio, non beneficij vllius concessio.

XIX. Obiiciunt secundo: Si ex adulterio soluitur vinculum, ita vt iam liceat adulteræ alteri nubere, tunc illa ex turpissimo facinore beneficium consequetur: & aperietur via fœminis impudicis subinde mutandi maritos; & nomine legitimarum vxorum illis adhærendi qui ipsas nefando adulterio polluerunt. Respondeo, hoc periculum nullum erat, neque fuit vnquam, siue apud Iudæos, siue apud gentes infideles sub Romano Imperio, quia eorum leges morte puniunt adulteras: quod si aliunde, vel à Deo, vel à Iudice, vel à vi, vel à dolo, vel etiam voluntate mariti, illa mortem effugiat (non enim tenebatur maritus accusare, & poterat ab ipsius sanguine abstinere, occulte tamen dimittere, vt cogitabat iustus Ioseph, *Matth.1.vers.19.*) id erit per accidens, & raro potuit contingere: cui autem beneficium vitæ conceditur, potest etiam ei noui coniugij beneficium addi: quod beneficium noui coniugii ex necessitate prioris beneficii vitæ sequitur: matrimonii enim solutio adulterio facta est, sed morte expiandum erat. Si autem vixerit, matrimonium non resolidatur, cum igitur libera sit à matrimonio, iam capax est alterius, nisi lex contractum cum adultera expresse irritum faciat. Vita vero quæ condonari potest adulteræ, soletque etiam vi, vel dolo, vel fuga defendi, non debet præiudicare innocenti, nec eum ad miserum statum reducere; sed stante diuortio, liber est ad contrahendum, & vxor quæ ipso facto morti est destinata, etiamsi ex accidenti vixerit, viro innocenti, pro mortua habetur. Estque multo grauius malum & incommodum si innocens ex alterius culpa & vxore, & spe vxoris habendę priuetur, quam illa mala & incommoda quæ obiiciebantur, quibus mors ordinarie debet occurrere.

XX. Obiicient tertio: Gregorium *lib.9.epist.39.* & Nicolaum *epist.32.* leges ciuiles in hac parte reprehendentes & contemnentes, statuentesque, iuri diuino esse omnino contrarias, quo nunquam matrimonii rati solutio permittatur. Respondeo, illos falli cum multis aliis, qui dictum Christi non bene intellexerunt; quod sane totum legibus nititur, nec illis ipsis quicquam præiudicat, vt iam ostendi. Melius Leo leges circa matrimonia ciuiles, cum prima matrimonii in paradiso terrestri institutione conformes esse censet, vbi leges iuris Romani à diuinis nō discedere commemorat. Non omnis, *inquit, ep.95.* mulier iuncta viro, vxor est viri: quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipsum, Domino constituente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera.] Sed tamen Concilia Triburiense, & Cabilonense matrimonia noluerunt legibus humanis regulare, 29.q.2.c.7. & 8.

XXI. Fuit lex vetus, quæ quia æquitati satis per se repugnare videtur, vt ex mutuo consensu duntaxat matrimonia soluere liceat, ideo sæpe reprehensa est, & antiquata: à Iustino tamen posteriori adhuc innouata.

Inter

inter Iustiniani Nouellas 140. & contra talem legem insurrexerunt Patres, & ab ipsius vsu fideles abstertuerunt: quia sine causa grauissima, ratio dictat coniugia solui non debere, vnde Ambrosius, *in Luc. ad cap. 16. habetur 33. q. 2. c. 2.* An quod, *inquit*, in subditos nefas est, in comparem fas est? Dimittis ergo vxorem quasi iure, sine crimine, & putas id tibi licere, quia Lex humana non prohibet? Sed diuina prohibet. Qui hominibus obsequens, Deum verere: audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: *quod Deus coniunxit, homo non separet.*] Lex profecto humana iusta non est, quæ licentiam concedat, coniugia sola voluntate, nulla interueniente graui causa, separandi. Quod si Ambrosius significat aliquam legem secularem, imo adhuc Romæ Ethnicæ, quæ viris libertatem faceret dimittendi vxores etiam sine ipsarum culpa, qualis fuit olim in populo etiam Dei à Moyse permissa, vt ex eo tantum quod sibi amplius vxor non placeret, posset quis ei libellum repudii dare, ea profecto merito in populo Christiano erat, vel ipso Christo præcipiente, detestanda. Postea tamen pij Imperatores, præsertim Theodosius, ac multo plenius Iustinianus, Leges Ethnicorum correxerunt, & eas quę Christianismum non offenderent, in corpus iuris ciuilis reduxerunt: in quo nūc vix vlla talis lex habetur: & illa Iustini aliqua Prælatorū illius temporis incuria, in Authenticas irrepsit, quam Iustinianus nunquam admisisset. Maneat itaq; matrimonium qua contractus naturalis est, & ciuili substat regulationi, à legibus illis humanę externæ politiæ pendere, nihil in hoc Christi mandato repugnante. Nunc videamus quid iuris quidue potestatis habeat Ecclesia circa Christianorum matrimonia.

XXII. Matrimonio contractui ciuili nos superaddimus rationem Sacramenti, & inde ad Ecclesiasticum ius ipsum maxima ex sui parte trahimus. Admittamur quæso tantisper, id quod falsum esse paulo post docebo; Matrimonium Christianorum fieri verum & proprie dictum Sacramētum, cum supernaturalis hæc conditio & ratio Sacramenti superueniat matrimonio iam plene, & perfecte in esse ciuilis contractus constituto, & Sacramentum matrimonij esse non possit, nisi prius sit integer, & perfectus humanus contractus; quid ergo Ecclesia habebit negotii in cognitione validitatis vel inualiditatis matrimonii, in materia diuortii, & separabilitatis matrimonii, in legitimitate vel illegitimitate prolis, in impedimentis siue impedientibus, siue etiam dirimentibus matrimonium? Vis profecto Sacramenti in his nihil operatur, neque ex vi Sacramenti sunt ista cognoscenda, sed ex vi ciuilis contractus; quem iam factum, & legitimum, & in suo esse vndequaque perfectum supponit, antequam superueniat Sacramentum, si quod tamen superuenit. Sicut Sacramentum Baptismi supponit aquam veram, & in perfecto esse naturali constitutam, antequam ad Baptismum adhibeatur. Et Sacramentum Eucharistiæ idem supponit de pane & vino. Cognoscere autem veram aquam, cognoscere verum panem, verum vinum, non est Ecclesiæ, sed naturæ & artis; non enim ex principiis propriis Ecclesiasticis supernaturalibus, aut natura aquæ & vini, aut opus artis in conficiendo pane potest indagari, sed ex aliis principiis naturalibus & humanis. Ad Ecclesiam ergo spectabit cognitio matrimonii, vt est Sacramentum, & effectuum ipsius supernaturalium, si quos habet, sicut facit in Baptismo, & in Eucharistia. Et sicut Sacramentum Baptismi nihil confert aquæ, in esse perfecto aquæ, & Sacramentum Eucharistiæ pani & vino; sic neq; Sacramentum matrimonii quicquam conferet contractui inter masculum & fœminam, qui contractus est iam plenum & absolutum matrimonium in esse matrimonii, hoc est contractus humani.

XXIII. Dicent fortasse, aquam iam factam Sacramentalem, sic etiam panem & vinum, postquam sunt consecrata, extrahi ab vsu profano, & non esse hęc amplius inter res profanas numeranda; sic coniugia Christianorum, cum iam Sacramenti naturam obtinuerint, ad Ecclesiam pertinere, & ab omni Laica potestate eximi. Respondeo, sicut aqua, panis, & vinum, non quoad ipsorum esse, sed quoad vsum tantummodo, adhibita in Sacramentis transeunt in ius Ecclesiæ; sic etiam matrimonia, non quoad esse, sed quoad vsum, vt gratiam acquirant, & effectus supernaturales obtineant, si matrimonium est Sacramentum, in ius Ecclesiæ transire; sed quoad suum esse, in fieri nimirum, in esse, & in conseruari, à iure humano ciuili perpetuo pendere; & quoties ius ciuile destruit contractum hunc humanum coniugii, ex causa legitima, tunc consequenter & indirecte destruet etiam Sacramentum. Sicut si quis haberet potestatem totam aquam destruendi, aut immutandi, ita vt ad lutionem apta non esset, vt si quis eam totam in vaporem resolueret; Si quis pariter totum panem posset in farinam & aquam denuo reuocare, is profecto Sacramentum futurum & Baptismi & Eucharistiæ consequenter destrueret. Sed neque omnia quæ consecrationem, aut Sacramentum accipiunt, eo ipso transeunt in ius Ecclesiæ secundum suam substantiam, iam enim Christiani omnes, quia Baptismi Sacramentum susceperunt, secundum humana & ciuilia, ad ius Ecclesiæ pertinerent: quod est falsum.

XXIV. Sacramentum tamen in matrimonio ego nullum verum & proprie dictum, possum inuenire. Ex quinq; enim illis, quæ Sacramenta vocantur, vltra Baptismum, & Eucharistiam, nullum est quod pauciores in se habeat veri Sacramenti proprietates, quam Matrimonium. Ad summum enim si quid sacri in se habet (quod paulo post discutiemus) habet duntaxat similitudinem quandam, quam etiam ex diuina, si vis, institutione repræsentat, diuinæ illius, & magnæ coniunctionis Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia, vt Paulus manifeste expressit, *Eph. 5. 32.* sed si hinc matrimonium est verum & proprie dictum Sacramentum, verum & proprie dictum Sacramentum erunt, pariter arcus Iridis in nubibus, *Genes. 9. v. 3.* sagena missa in mare, *Matth. 13. 47.* granum synapis, *Matth. 13. 31.* fermentum in farina, *ibid. 33. &c.* Hæc enim omnia sunt signa & mysteria quędam ac similitudines, quibus multæ res spirituales non minus quam per matrimonium Christi incarnatio, & coniunctio cum Ecclesia repræsentantur. Conditiones porro veri Sacramenti decem posuimus *cap. 4. num. 6. & 7.* harum præcipuas quasq; matrimonio deesse est certissimum.

XXV. Vt Bellarminus *de matrim lib. 1. c. 2.* in matrimonio veram Sacramenti rationem inueniret, satis sibi esse putauit si probaret in eo tres adesse conditiones: Diuinam institutionem, vel sacræ significationem, & gratiæ iustificantis promissionem. Quid si non sit sacra & certa ceremonia proprie Ecclesiastica? Quid si non efficiat nec exhibeat illam rem sacram quam significat? Singula tamen perquiramus. Quomodo matrimonium ad diuinam nouæ legis spectat institutionem? Certe verum matrimonium fuit ab initio creaturæ; Ipso Domino Iesu Christo teste, *Matth. 19. vers. 8.* & de illo adhuc matrimonio diuina reuelatione dictum est; *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori; & erunt duo in carne vna.* Atque in his Adami verbis mysterium seu Sacramentum magnum agnoscit

agnoscit Paulus, *Ephes.5.vers.32.* in Christo & in Ecclesia. Igitur coniugium Adæ à Deo ordinatum fuit, vt iam tunc esset Sacramentum, significans vnionem in Verbum & carnem; & inter Christum & Ecclesiam. Si quod ergo Sacramentum est nunc matrimonium, fuit etiam tunc nihilo minus; non est ergo nouæ legis Sacramentum: aut saltem non solius nouæ legis, quod in veteri quoque fuerit æque ac nunc Sacramentum: non est ergo à Christo institutum. Videbat durum admodum sibi fore ob hoc ad rodendum Bellarminus, proposita prima in matrimonio veri Sacramenti conditione, vt sit diuinæ institutionis, statim fugam meditatus est: Nonnulli, *inquit*, laboriose probare nituntur (*diuinam matrimonii institutionem*) ex obscuris quibusdam scripturæ locis — sed non est opus hac in re laborare. Nam si probemus matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequetur inde necessario, à Deo esse institutum, etiamsi locum scripturæ non habeamus vbi expressa mentio fiat huius institutionis: neque enim potest vllus homo, vel Angelus huiusmodi signum instituere.] Hæc ille.

XXVI. Tota tamen creatura ex diuina institutione est signum & vestigium Dei, & in alia insigniter elucet diuina omnipotentia, in alia diuina sapientia, in alia bonitas, & sic de aliis infinitis attributis Dei. Cœli enarrant gloriam Dei, *Psal.18.v.1.* Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c. *Rom.1.v.20.* tota tamen creatura non est Sacramentum proprium nouæ legis. Itaque voluit diuina sapientia mysterium suæ incarnationis, & vnionis cum Ecclesia in Adæ coniugio innui quodammodo, & repræsentari, sed non propterea sequitur coniugium Adæ fuisse Sacramentum nouæ legis proprie dictum. Sed in eo dumtaxat quasi obtectum latuisse mysterium incarnationis, & Ecclesiæ; quæ est longe diuersa ratio significandi, ab ea quæ est in vero & proprie dicto Sacramento. In hoc enim significatur per analogiam id quod Sacramentum ipsum spiritualiter efficit. Sic in Baptismo per lotionem corporis significatur lotio animæ à peccatis: & in Eucharistia per comestionem panis & nutritionem inde sequentem corporis, significatur receptio spiritualis corporis Christi, & animæ nutritio. At vero matrimonium carnale significat quidem per optimam analogiam, matrimonium spirituale vnionis hypostaticæ, & coniunctionis Christi cum Ecclesia; sed matrimonium Adæ, Imo neq; vllum matrimonium vllius, imo neque omnia matrimonia fidelium ac infidelium simul, efficiunt vllo modo id quod significant, neque matrimoniis humanis vsus est vlla ratione Deus ad assumendam carnem, & Ecclesiam sibi copulandam: sicut ad mundandam animam vtitur lauacro aquæ, & ad reficiendam eandem vtitur Eucharistico cibo & potu corporali. Probet igitur saltem Bellarminus, matrimonium omne Christianum significare gratiam illam, quæ ipsi promissa sit, & ita significare, vt etiam illius qualiscunq; causa sit; & tunc fateri cogemur in hac parte esse verum Sacramentum, & à Christo institutum, quod tamen nunquam probabit, sed artificiose duo hæc separatim, & non connexe sibi probanda assumpsit. Hinc videlicet, matrimonium aliquam rem sacram significare; Inde vero, matrimonio promissam esse gratiam iustificantem. Sed nisi sint hæc inuicem connexa, frustra laborabit. Nam Christum confiteri coram Tyranno, *Matth.10.v.32.* rem sacram significat, nimirum fidem erga Christum; & huic confessioni facta est promissio gratiæ cœlestis: *Et ego confitebor eum coram Patre meo*; sed tamen illa confessio externa non est causa fidei internæ quam significat, sed effectus: & ideo non est proprie Sacramentum, licet habeat illa tria, ex quibus Bellarminus conabatur probare Sacramentum Matrimonij. Sed videamus num etiam ista probet.

XXVII. Matrimonium esse rei sacræ signum probat potissimum ex illo Pauli; *Ephes.5.v.32.* *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo & Ecclesia.*] Si ab illo verbulo Latino, *Sacramentum*, assertio pendet Theologica, quæ matrimonium verum facit nouæ legis Sacramentum, erit assertio vanissima; cadem enim Græca *mysterii* vox in plurimis noui Testamenti locis habetur, in quibus nemo non desipiens verum proprie dictum nouæ legis Sacramentum poni dicet. In eadem enim epistola *cap.1.v.9.* ait Deum notum nobis fecisse Sacramentum voluntatis suæ, & *cap.3.v.3.* sibi notum factum esse Sacramentum, hoc est mysteria nostræ fidei; etiam mysterium iniquitatis eodem vocabulo dicitur, *2.Thessal.2.v.7.* ideoque etiam aperte fatetur Bellarminus *de Matrimon.lib.1.cap.2.* assertionem hanc Sacramenti matrimonij ab eo solo verbo Pauli, *Sacramentum*, non deduci: sed rem ipsam considerat: quia matrimonium hoc loco rem sacram, hoc est vnionem Christi cum Ecclesia significat & hoc Sacramentum significatiuum ponitur in ipso fidelium coniugio. Sed neque ex re ipsa tantum habet quantum satis sit ad reponendum matrimonium inter Sacramenta. Non enim Paulus de omni matrimonio Christianorum pronunciauit, id esse Sacramentum, & signum Christi, &c. Sed quando Sacramentum magnum vocat, applicat id directe, non humano matrimonio, sed ingenti amori Christi, quo suam prosequitur Ecclesiam; neq; Erasmus, aut Lutherus, Caluinus, vel Beza ita locum Pauli intelligentes, à Bellarmino, *ibid.* sunt sufficienter reiecti: textus enim ipse Paulinus certe hunc sensum videtur secum necessario ferre. Monet enim Apostolus *Eph.5.v.23.* mulieres, vt sint subditæ viris, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: & sicut Ecclesia subiecta est, *inquit*, Christo, ita & mulieres viris suis. Monet etiam vice versa viros, *ibid. vers.25.* vt diligant vxores suas, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, easq; diligant vt corpora sua *ibid.vers.28.* nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra, *inquit.ibid.vers.30.* sumus corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius.] Non ergo Paulus ab humano coniugio, veluti à signo, procedit ad Christi coniugium cum Ecclesia, tanquam ad rem signatam: sed è contrario, à coniugio vnionis hypostaticæ Verbi cum carne nostra, & ab vnione Christi sponsi cum Ecclesia sponsa, & capitis cum membris, id est cum fidelibus qui faciunt Ecclesiam, quæ est Christi corpus, deducit documentum cur & quomodo debeant & mulieres suis viris subijci, eiq; tanquam proprio capiti obsequi; & viri fideles diligere vxores suas carnales, eo videlicet modo quo Christus diligit Ecclesiam, id est nos fideles, qui sumus eius vera membra, & os ex ossibus eius, caro de carne eius; nos enim ex ea carne, & ex illis ossibus sumus, quo ad naturam, quam carnem & quæ ossa Verbum sibi in perpetuum vniuit hypostatice; fecitque allusionem Paulus ad primos humani generis parentes: in quorum tam formatione & coniugio, quam propheticis verbis, tanquam in insigni figura & prophetia, Christi mysterium agnoscit, vt vbi Eua ex ossibus & carne Adami est formata, ibi tanquam in figura Ecclesiæ formatio ex carne, & ossibus Christi intelligatur; & quod Adam verbaliter & literaliter dicebat de Eua

eam

eam esse os ex ossibus eius, & carnem de carne eius; hoc multo melius spiritualiter verum erat de Christo, & de Ecclesia. Ita etiam verba illa quæ Adam protulit de suo cum Eua coniugio, & de lege veri humani legitimi coniugij carnalis, id multo aptius Paulus vult dictum intelligi de Christi cum Ecclesia coniunctione. Quia igitur Christus amat Ecclesiam suam vnice, & reliquit quodammodo Patrem & Matrem, vt Ecclesiæ suæ adhæreret, quippe ex ipsius ossibus, & carne formatam, ideo mulier debet esse subiecta viro, vt Ecclesia Christo: & vir diligere vxorem, vt Christus Ecclesiam. Et in hac formatione Ecclesiæ ex latere Christi, subiectioneque ipsius Ecclesiæ ad Christum, dilectioneque Christi erga Ecclesiam, Sacramentum dicit esse Paulus quod in formatione Euæ & illo coniugio latebat, Sacramentum, inquit, siue mysterium hoc magnum est: quidnam, num solum coniugium Adæ & Euæ? minime vero; sed formatio illa Euæ ex costa Adami, coniugium ipsorum & debitum Euæ, vt sit subiecta viro, debitum viri, vt relicto etiam parente vtroque, adhæreat vxori, eamque amet, tanquam propriam carnem, quia sunt duo in carne vna; id totum, ait Paulus, esse magnum sacramentum, in Christo & in Ecclesia: idest, illa omnia innuere alta mysteria, quæ postea vidimus in Christo & Ecclesia. Sacramentum profectò sumit obiectiue, non subiectiue. Vidimus enim *cap. 6.* agentes de Eucharistia, Sacramentum vocari etiam rem ipsam per figuram & typum significatam. Alta igitur mysteria & sacramenta quæ in Adamo & Eua latebant, sunt mysterium incarnationis, & Ecclesiæ sub Christo. Et sic Paulus ait, hoc mysterium & Sacramentum se in Christo, & in Ecclesia, non in Adamo, & Eua contemplari, quia in Adamo & Eua, huius alti mysterii typus & figura, ac prophetia inerat, non ipsum mysterium & sacramentum exhibitum; id enim inerat in Christo, & in Ecclesia.

XXVIII. Fatebor igitur, coniugium inter Adamum & Euam, in se continuisse, obscure & figuraliter coniunctionem Christi cum Ecclesia, sed negabo illud coniugium fuisse sacramentum illud de quo Paulus ait: Sacramentum magnum: fuit sacramentum, prout omnis figura alicuius rei sacræ, vel similitudo, vel typus, potest vocari sacramentum: Sic enim sacramentum dicimus quicquid in veteri lege respiciebat ad gratiam nouæ. Sic pœnitentiam Dauid, 2. *Reg.* 12. *vers.* 13. *Peccaui*, ait Ambrosius *Apolog.* 1. *Dauid. cap.* 5. fuisse sacramentum magnum Christi, & Ecclesiæ, ob remissionem peccatorum:] Et legem, Augustinus *de bono coniug. c.* 20. ait, ponere multa in sacramentis & vinbus futurorum.] Sed Paulus aperte ait, Sacramentum, quod videlicet in Adamo & Eua innuebatur, se in ipso Christo, & Ecclesia totum inuenire, si stemus vulgatæ editioni Latinæ, ex qua firmius dogmata probari asserit Concilium Tridentinum, *sess.* 4. quam ex ipsis fontibus. Neque tamen in Græcis alius est sensus, licet ibi *in Christum, & in Ecclesiam*; quia Paulus ait, Ego dico sacramentum hoc magnum esse, in Christum, & in Ecclesiam; hoc est; ego dico dirigenda esse illa omnia, quæ circa primos parentes contigerunt in Christum & in Ecclesiam, vt mysteria & sacramenta ibi latentia, inter Christum & Ecclesiam absoluta inueniantur. Quamuis idem sit Græce, in Christum, & in Christo. *εἰς*, pro *ἐν*.

XXIX. Sed esto, fuerit coniugium Euæ & Adami sacramentum illud magnum; quid hoc ad matrimonium vniuersale omnium Christianorum? Sane mysteria quæ ex Eua & Adamo colligit Paulus, ex communi aliorum fidelium matrimonio colligi nullo modo possunt. Membra sumus, inquit Paulus, de carne eius, & de ossibus eius, respiciens procul dubio ad formationem Euæ, de qua dixit Adam; *Hoc nunc os de ossibus meis*, &c. & ideo, inquit, nos diligit Deus, quia sumus de carne, & ossibus eius, sicut Eua fuit de carne & ossibus Adami formata; & propterea viri debent diligere vxores suas, sicut Christus Ecclesiam. At nulla alia vxor cuiuscunque hominis formata est de carne & ossibus sui viri, nisi sola Eua. Solius ergo Euæ cum Adamo matrimonium considerabat Paulus, & non aliud: & ab illo peruenit ad matrimonium inter Christum & Ecclesiam: & ab hoc demum descendit tanquam ab exemplari, ad matrimonia fidelium. Sit ergo per verba Pauli matrimonium solum Euæ & Adami sacramentum, vt placet; alia tamen non erunt. Et quamuis oratorie loquendo sæpe Patres nonnulli in quocunque matrimonio fidelium ponant figuram matrimonij Christi & Ecclesiæ, vt inde præcepta moralia cum Paulo deducant; theologice tamen, neque figura talis erunt alia matrimonia, quandoquidem Paulus in solo Adami & Euæ coniugio figuram hanc constituebat. Sic profectò matrimonium singulare inter Salomonem & filiam Pharaonis, fuit sacramentum Ecclesiæ, iuxta Dauidis prophetiam: *Psal.* 44. 12. *Astitit regina à dextris tuis, &c.* non propterea in aliis coniugibus Ecclesia hoc pacto figurabatur. Simili ratione duo filii Abraham, iuxta Paulum, *Galat.* 4. *v.* 22: duo testamenta allegorice figurabant; numquid propterea, si hoc tempore aliquis duos filios susciperet, vnum de ancilla, & vnum de libera; hi quoque duo filii duo testamenta significarent? Illæ omnes fuerunt figuræ singulares: sic Hieronymus *in ep. ad Ephes. c.* 5. Paulum de solo matrimonio Adami & Euæ hoc loco loqui censuit, nam & Christo singillatim ac Ecclesiæ applicat ea, quæ circa Adamum & Euam singulariter contigerunt.

XXX. Non placent hæc Bellarmino; propterea obiicit primo, verba illa à Paulo ex Genesi allegata; *Relinquet homo patrem & matrem, &c.* Hæc, *inquit*, de omni coniugio intelliguntur. Procul dubio Adam hæc verba ex diuina reuelatione pro consequentibus legitimis coniugiis protulit; At vero Paulus de solis Adami & Euæ actionibus loquebatur, inter quas fuit etiam illud præceptum. Et hoc præceptum refert Paulus, non vt id omnibus coniugiis applicet, neque vt ostendat se de omnibus loqui coniugiis: sed vt ostendat duntaxat, præceptum illud ab Adamo prolatum, in Christo vel maxime fuisse verificatum, vt explicat Hieronymus in hunc locum; ea enim est mens Pauli, vt Sacramenta & mysteria in coniugio speciali Adami latentia, in Christo & Ecclesia verificata doceat, & inde postea documenta pro omnibus côiugibus deducit. Obiicit secundo, Christum *Matt.* 19. ex eodem Genesis loco insolubilitatē matrimonii omnium fidelium probasse; nec tamē de matrimonio Adami & Euæ probare voluisse, id non esse soluendū, quod per mortem iam tamdiu solutū erat.] Quid inde? An non propterea ex speciali consideratione côiugii singularis Adami & Euæ probabat Christus reliquorum omnium insolubilitatem? Sic Paulus, ex speciali protoplastarum côiugio probauit, seu potius tanquā ex prophetia verificauit, inseparabilitatem vnionis inter Verbū & carnē, & inter Christū & Ecclesiam. Sacramentum ergo in solo eorundem coniugio adumbratum, in Christo & Ecclesia eminens vidit, explicauit, & applicauit. Obiicit tertio, Paulum verba Genesis afferre, vt probet in genere, viros debere diligere vxores: & ideo illum dicere, *Sacramentum hoc est*: non *Sacramentum hoc fuit*. Respondeo, falsum esse Apostolum ex verbis Genesis velle directe & immediate probare, vxores esse diligendas: ex illis

enim ab involucro typico evolutis, ostendit Sacramentum illud in Christo & in Ecclesia eminere, inter quos summa est illa coniunctio; & ex hac Christi cum Ecclesia summa amoris & coniugii spiritualis coniunctione, suadet omnibus coniugibus dilectionem. Itaque semper solum primorum parentum coniugium tanquam figuram, in Christo & Ecclesia suo figurato contemplatur, & ex aliorum coniugiis nihil ad Christi coniugium deducit; sed è contra ex Christi coniugio deducit ad omnia coniug á salubria documenta. Quod ergo Bellarminus intendebat ex Pauli loco, matrimonium Christianum esse rei sacræ signum, & consequenter à Christo institutum, neq; probauit, neq; vnquam probabit. Quamuis enim Paulus non ex solo Adami & Euæ matrimonio, sed ex matrimonio humano, in genere probare vellet, vxores esse diligendas, hinc non sequeretur solum Christianum coniugium esse Sacramentum; nunquam enim Paulus ad solum Christianorum matrimonium, tanquam ab infidelium & Iudæorum matrimonio diuersum, se reduxit. Vnum enim & idem matrimonium est in lege, & in Euangelio, quod iam probo.

XXXI. Coniugium profectò legitimum humanũ quodcunq;, ante Christum, post Christum, hoc Sacramentum est quod Paulus asserit. A Deo enim nuptiæ sunt institutæ, *ait Augustinus, ad Bonif. l. 1. c. 5.* & tunc quando dictum est; *Propterea relinquet homo Patrem, &c.* —Neque enim aliud fit etiam nunc, quam illud, vt adhæreat homo vxori suæ, & sint duo in carne vna. De ipsis quippe nuptijs quæ nunc quoque fiunt, consultus est Dominus à Iudæis &c.] Nihil ergo habent in se plus Sacramẽti nunc fidelium Christianorum nuptiæ, quam habuerunt Iudæorum, & quicquid Sacramenti nunc habent quæcunque humanę legitimæ nuptiæ, id totum inde habent, quia illius generis sunt, quod primum est à Deo in Paradiso terrestri institutum, vt inter vnum & vnam vinculum sit & societas de se indiuisibilis: & nihil plus Christus in vero matrimonio requisiuit, nisi id quod fuit ab initio, neque naturali illi vinculo per diuinam reuelationem Adamo explicato, & naturali lumini etiam tum commisso, quicquam addidit. Agnouit hoc Leo & explicauit *Leo ep. 95.* dicens; Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionẽ haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua nõ docetur nuptiale fuisse mysterium.] Iam inde ergo ab initio mundi matrimonium est Sacramentum; vbicunque est cum monogamia, & insolubilitate. Distorte vero, vt subterfugiat Bellarminus, *de matrim. l. 1. c. 5.* Leonis dictum interpretatur de initio constitutionis à Christo, & non de initio generis humani, ad quod tamen expresse & Christus, & Paulus respexerunt, hosque sequutus Leo; Peius est quod etiam negat, coniugium inter Adamum & Euam, & extera consequentia ante Christum, fuisse Sacramentum quale est post Christum: Cum tamen Paulus *Ephes. 5. v. 32.* totam rationem Sacramenti in illo primo coniugio agnouerit & posuerit, non solum quod significauerit incarnationem, sed etiam coniunctionem Christi cum Ecclesia, & tamen aliam significationem rei sacræ in matrimonio Christiano Bellarminus ipse inuenire non potuit.

XXXII. Maiores nostri mysteria & Sacramenta in matrimonio humano latentia optime percipientes, ad sacros ordines, iuxta Pauli decretum, *1. Tim. 3. 2.* admittendos non esse censuerunt eos, qui plures quam vnam vxorem habeant, habuerintue, vt Ecclesiam vnam vni viro Christo desponsatam, tali mysterio significarent. Cæterum tempore Innocentij primi erant, qui ad ordines admitterent eos, qui ante Baptismum vnam vel plures vxores habuissent, siue simul, siue successiue; sed post Baptismum non nisi vnam ab illis diuersam duxissent, quia Baptismo deleri putabant in infidelitate habita matrimonia; Contra hos insurgit Innocentius; & quia tam perfectum fuerit matrimonium ante Baptismum quam post, Sacramentum vnitatis abrumpi in istis putauit, quia æque Sacramentum in matrimoniis infidelium agnouit; neque admisit argumentum illud; matrimonia infidelium non sunt Sacramenta, at fidelium sunt: non ergo multiplicat matrimonia, quia non multiplicat Sacramenta. In Baptismo peccata, *inquit, Innoc. 1. ep. 1.* remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur; cum vtique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantum, vt & in paradiso cum parentes humani generis coniungerentur ab ipso Domino sint benedicti; & Salomon dicat, *Prov. 19. 14.* A Deo præparabitur viro vxor—Satis absurdũ est, aliquem credere vxorem ante Baptismum acceptam, post Baptismum non computari; cum benedictio quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Deo antiquitus institutæ doceatur.] Ac rursum *ep. 27.* Ipse Dominus cum interrogaretur à Iudæis, si liceret dimittere vxorem, atque exponeret, Fieri nõ debere, addidit: *Quod ergo Deus iunxit, homo nõ separet.* At ne de his locutus esse credatur, qui post Baptismum sortiuntur, meminerint hoc & à Iudæis interrogatum, & Iudæis esse responsum. Quæro; & solicitus quæro, si vna eademque sit vxor eius, qui ante Catechumenus, postea fit fidelis, filiosque ex ea cum esset Catechumenus susceperit, ac postea alios, cum fidelis: vtrum sint appellandi fratres, an non habeant postea, defuncto patre, hereiscundæ hæreditaris consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse.] Eadem ergo benedictio vtriusque matrimonii, & ante Baptismum, & post Baptismum, eadem vis, eadem potestas, eadem obligatio; idem vinculum. Idem igitur etiam Sacramentum, ea ratione qua matrimonium dicitur Sacramentum. Idem pluribus docet etiam Augustinus, *de bono coniug. c. 18.* vt paulo post videbimus. Et ita ex tribus conditionibus veri Sacramenti iam duas eripuimus Bellarmino. Videamus tertiam.

XXXIII. Gratiæ promissionem matrimonio Christiano à Christo factam, tanq̃ vero & proprie dicto Sacramẽto, voluit probare Bellarminus, sed non potuit, nititur ille quidẽ, sed frustra; eius enim primus in hoc conatus probat potius, debuisse secundum ipsius imaginationem, hanc promissionem in matrimonio adesse, quam illam re ipsa factam fuisse. Cur non attulit locum aliquem ex Euangelio, in quo promissio facta fuerit à Christo, vt quoties ipsius fideles coniugia inter se inirent, gratiam dilectionis mutuæ ex diuina charitate essent accepturi? Matrimonium, ait, *de Matrim. l. 1. c. 2.* est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, non modo per naturæ conformitatem, sed multo magis per spiritualem charitatem, qua Christus Ecclesiam diligit & sancte gubernat: ideo necesse est, vt coniugium hanc etiam spiritualem vnionem significet. Non potest autem, nisi inter virum & vxorem præter ciuilem contractum sit etiam vnio spiritualis animorum: quod si Deus virum & fœminam coniungit ad hunc finem, vt spirituali sua vnione vnionem spiritualem Christi & Ecclesiæ significent, sine dubio gratiam illis largitur, sine qua spiritualem illam vnionem non haberent.] Hæc ille adhuc pluribus: sed mirifice profecto paralogizat.

XXXIV. In hac scilicet ratiocinatione multa peccare

care video Bellarminum. Primum enim si quid probat, id de quocunque humano legitimo coniugio verum erit, & in quocunque statu, fidelium & infideliũ; ante Christum & post Christum. Quomodo ergo hinc sequetur, Matrimonium esse nouæ legis proprium Sacramentum? Secundo, quia aliud est Sacramentum, aliud res Sacramenti, & res Sacramenti non constituit Sacramentum, in esse Sacramenti, sed efficitur à Sacramento suo modo, vel per Sacramentum. At ratiocinatio hæc, in ipsa ratione Sacramenti matrimonii ponit dilectionem spiritualem charitatis, nam sine illa matrimonium dicitur non esse significatiuum dilectionis Christi, qua diligit Ecclesiam: & significatio est de essentia Sacramenti: & tamen dilectio charitatis spiritualis inter coniuges, esse debet effectus Sacramenti coniugii, si coniugium esset Sacramentum; ipsa enim charitatis dilectio est res spiritualis; Sacramentum autem præcisum à re Sacramenti, est totum materiale, vt patet in singulis, sed habet effectus spirituales. Tertio, id quod significat, non debet esse illud idem quod significatur, ac præsertim in genere signi Sacramentalis, in quo requiritur similitudo duntaxat rationum, id est analogia. Cur ergo requirit Bellarminus, vt in matrimonio humano adsit charitatiua spiritualis dilectio, ad hoc, vt significet dilectionem spiritualem charitatiuam Christi erga Ecclesiam? An non satis esset pro Sacramento, vt, sicut inter virum & vxorem est carnalis dilectio, ita inter Christum & Ecclesiam sit spiritualis? Sic in aliis cernimus Sacramentis; sicut enim aqua lauat corpus in Baptismo, ita gratia interna lauat animam: & sicut panis Eucharisticus pascit & nutrit corpus materialiter, ita corpus Christi Spiritualiter nutrit animam, & corpus quoque ad immortalitatem. Quis vero requirat, vt aqua spiritualiter lauet corpus, ad hoc vt significet lotionem animæ spiritualem? Quarto demum, ratiocinatio hæc concludit tantum, coniuges Christianos debere inter se habere præter carnalem amorem, etiam spiritualem, ac proinde diuina gratia indigere, sed hinc promissionem huius gratiæ factam illi actui in specie, quo celebratur coniugium, nihil habemus. Etiam Rex Christianus tenetur subditos suos dilectione spirituali charitatis diuinæ prosequi, & bonum illorum spirituale quoque, & non temporale solum promouere; idque sine diuina gratia efficere non potest: & illa à Deo promittitur sub generalibus promissionibus. Sed núquid propterea colligemus Inaugurationem Regis esse Sacramentum proprie dictum, cui Inaugurationi in specie Sacramentalis gratia promissa sit? Alia sunt media, & Regi, ad spiritualem dilectionem, coniugibus, ad diuinam charitatem, à Deo obtinendam.

XXXV. Confirmationem sui dicti petit Bellarminus ex alio Pauli loco nempe, 1. *Timot.* 2. *v.* 15. vbi de muliere ait; Saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione, cum sobrietate.] Sensus horum verborum Bellarmino est, Mulierem in statu matrimonij saluandam per fidem, dilectionem, sanctificationem, sobrietatem, quam in celebratione matrimonii acceperit.] Locus habet multas & varias interpretationes, quas non est necesse recensere, neque enim id negabit quisquam: igitur ex eo nihil certi potest colligi. Sed præterea vnde colligat virtutes illas spirituales, fidem, dilectionem, sanctificationem, continentiam fœminæ maritatæ dari in ipso contractu matrimonii? Esto dicat Paulus, in statu matrimonii his virtutibus saluandam fœminam, at profecto non dicit, has virtutes eam habere ex contractu matrimonii, imo ait, eam saluandam si hæc habuerit. Non dicit eam saluandam per has virtutes, si legitime contrahat cum viro matrimonium: quæ ergo sint necessariæ virtutes mulieri maritatæ, non autem quæ sint virtutes quas secum ferat contractus matrimonialis docet Paulus. Sed donum Dei esse matrimonium docet rursus Paulus, 1. *Cor.* 7. 7. sicut & virginitatem, *inquit Bellarminus*: Vnusquisque donum suum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius autem sic.] Est donum Dei, ergo est Sacramentum, quis sic inferat? Donum Dei est se ipsum castrare, hoc est continentiã amplecti; sed non propterea, vouere Deo continentiam, vel in monasterium continentium se detrudere, aut erit Sacramentum, aut certam promissionem vllam sibi annexam habebit. Ibi itaq; Paulus intendit electionem apti, ac cuiq; sigillatim proficui status, siue cœlibis, siue matrimonialis, à diuino dono plurimum pendere. Illud quoq; apud Bellarminum mirabile, vbi adhortationi Paulinæ ad coniugatos, 1. *Thes.* 4. *v.* 4. vt vas suum possideant in sanctificatione, addit eam sanctificationem illos iam per matrimonium accepisse: & ideo vt eam conseruent monere. Hoc est Bellarmini somnium, sed non Scripturæ assertio. Si virtutes omnes ad quas nos scriptura hortatur, vel alicuius Sacramenti, imo status illius, vitæque conditionis in qua degimus ac Deo seruimus, prius in nobis inessent, innumerabilia certe essent Sacramenta. Et sane ibi Paulus fugam vitii contrarii suadet, non conseruationem virtutis præcedentis.

XXXVI. Nullam ergo probationem hactenus video, ex qua certo constet matrimonium gratiam vllam conferre. Magister profecto sententiarum, qui primus hunc septenariũ sacramentorum numerũ stabiliuit, & in eo Matrimoniũ collocauit, nihilominus vidit, & testatus est, Matrimonium nullam gratiã conferre: sic etiam Præpositus Antisiodorensis, quorum opinionem Gersonius *in Compend. Theol. de 7. Sacram.* vt probabilem reliquit; triplicem enim recenset, circa effectus Matrimonii, opinionem: Prima, *inquit*, dicit, quod non confert aliquam gratiam; sed cum alia Sacramenta significent gratiam & conferant, istud tantũ signat gratiam, sed non confert. Hæc est opinio Magistri in libris sententiarum, & Præpositi Antisiodorensis.] Ita Gersonius. Quomodo ergo erit verum sacramentum, si nullam confert gratiam? Cur septem tantum dicuntur esse Sacramenta, & non innumerabilia, si matrimonium ex eo tantum ponitur inter sacramenta, quia rem aliquam sacram significet, quam tamen non efficiat? Talia profecto in maximo numero possumus reperire. Propterea etiam Durandus *Apud Bellar. de Matrim. l. 1. c. 5.* certo impugnabat hanc Sacramenti in Matrimonio assertionem: & prius ore rotundo eam negauit: postea modum suum dicendi moderatus est, nihil tamen in re ipsa immutauit: probationes enim suas eo direxit, vt conuinceret, Matrimonium non esse vniuoce Sacramentum; & hoc est, non esse proprie dictum Sacramentum, sed tantum largo modo: quod nos etiam intendimus. At ipsius rationes soluere conatus est Bellarminus, sed parum fœliciter.

XXXVII. Si gratia posset dici ibi conferri, vbi vsus aliquis nostrarum potentiarũ licitus fit, & sine peccato, qui alioquin illicitus esset, & cũ peccato, aliqua matrimonio gratia posset dari; coitum enim licitũ facit & honũ, in genere moris, qui sine matrimonio malus esset, & peccatum. Sed in hac sequela ego gratiam gratum facientem non inuenio, vitationem duntaxat peccati inuenio. Furari panem alienum ad se sustentandum malum est, & peccatum; emere panem alienum ad se sustentandum, nullum malum, nullum peccatum est; sed non propterea dicemus contractum emptionis, conferre gratiam emptori. Si etiam matrimonium

ab omni

ab omni penitus peccato, etiam veniali, liberaret coitum viri cum vxore, adhuc hoc non esset conferre gratiam, sed peccati, vt dixi, vitationem: & tamen ordinarie ne hoc quidem efficit.

XXXVIII. Coitum cum vxore legitima nostri Doctores volunt, (quam bene ipsi videntur.) peccato veniale non carere, nisi fiat ad solum finem prolis suscipiendæ, nec tamen ad hæredes duntaxat, & posteritatem comparandam, sed ad eam, pro sola Dei gloria, in fide & pietate educandam. Ita Gersonius *vbi supra.* & quæ de immunditia quadam, non morali, sed legali, in Scripturis posita intelligi possunt, nonnulli nostrorum de immunditia morali, sed veniali, volunt intelligi, si cum vxore fiat commistio, vt *Exod.* 19. *v.* 15. 1. *Reg.* 21. *v.* 5. Addunt Psalmistam *Psal.* 50. 5. dicere, Matrem suam ipsum in peccatis concepisse: Paulum impedimentum orationi in actu coniugali agnouisse 1. *Corinth.* 7 Illud quoque Pauli, *Ibid.* Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat; — hoc autem dico secundum Indulgentiam; non secundum imperium;] Gregorius intelligit dici de ijs, qui ad libidinem explendam, & non ad prolem suscipiendam vxoribus miscentur, eos quidem peccare, sed venialiter; ait enim: *l.* 32. *moral c.* 50. Hinc Paulus, cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, vt maiora declinarent, dicens (Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat.) Et quia tunc solum coniuges in administratione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, vt hoc etiam, quod concesserat, sine culpa (quamuis minima) non esse monstraret, illico adiunxit (Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium,) Non enim est sine vitio: quod ignoscitur, non præcipitur. Peccatum profecto vidit, quod posse indulgeri præuidit. Sed cum in dubiis constringimur, vtiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.] Durius illa Origenes *in Matt. tract.* 7. quoque posuit, meo iudicio non audiendus.

XXXIX. Excessum aliquem, licet venialem, solere sæpe, ac ferme ordinarie in vsu coniugii obrepere, agnouerunt Patres. Certe Hieronymus *l.* 1. *in Iouin.* id fassus est, dixitq; *in Matt. habetur* 32. *q.* 2. *c. Connubia.* Spiritum sanctum in carnali actu etiam coniugali nō adesse. In hoc tamen excessisse Hieronymum asserunt aliqui; & si eum paululum excessisse feruore disputationis dicerent, nō dissentirem: sed tolerare non possum, vt tantus vir, quasi hæresis, damnantium nuptias, macula aspergatur: à quo errore illum fuisse remotissimū non dubito, quod vero negaret specialem quandam Spiritus sancti assistentiam in illo actu, non quidē malo moraliter, nec inhonesto, sed tamen putendo, hoc est pudore hominem afficiente, vt propterea secretum semper quæratur, nescio an tam grauiter peccauerit, dixeritq; aliquid; quod nullo modo in sensu Catholico defendi possit. Certe Virginitatem nuptiis doctissimi quiq;, & sanctissimi Patres prætulerunt, sed non propterea nuptias damnarunt.

XL. Augustinus excessum illum non semel considerauit: Ait enim, *de fide ad Pet. c.* 2. Et quia dum sibi inuicem, *inquit*, vir mulierque miscentur, vt filios generent, sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, vbi peccatum in paruulos non transmittit propagatio, sed libido. Nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi iustissima condemnatione peccati. Ideo beatus, Dauid, quamuis de legitimo nasceretur iustoque coniugio, in quo scilicet nec infidelitatis culpa, nec fornicationis macula poterat inueniri: propter originale tamen peccatum, quo naturaliter obstricti sunt filii iræ, non solum impiorum filii, sed omnes etiam qui de iustorum sanctificata carne nascuntur, exclamat & dicit; *Psalm.* 50. *vers.* 5. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Sanctus etiam Iob dicit, *cap.* 25. mundum à sorde non esse hominem: nec si vnius diei sit vita eius super terram.] Et paulo post. *cap.* 3. In talibus nuptiis, etsi fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet torum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum.] Item, *de nupt. & concup. c.* 15. Aliud est non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam.] Item, *cont. Iul. l.* 3. *c.* 16. *& c.* 21. Illud vero quis negat malum, nisi qui non audit Apostolum monentem: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium? Quando coniuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ cupiditate concumbunt, hoc non laudatur, sed ignoscitur, in comparatione peioris, interuenientibus & deprecantibus nuptiis.] Item, *Ibid. l.* 5. *c.* 10. *& de bono coniug. c.* 16. Voluptatis causa, non prolis, facit concubitum culpabilem, sed in coniuge venialem.]

XLI. Eiusmodi dicta in aliis quoque Patribus facile est reperire: quibus dictis, licet non omnes assensum præbeant nostris diebus, certe ijs nostri libenter subscribunt: si qua igitur vis esset in Matrimonio Sacramentalis, gratiam conferens, ea maxime tali Sacramento propria esset; vt concubitum coniugum Christianorum à tali culpa, & macula penitus liberaret; quod tamen matrimonium præstare neque Scriptura, aut docet aut innuit; neque Patres tradiderunt; neq; rerum experientia confirmat. Et vtinam non ijdem excessus coniugia Christianorum fœdarent, qui Iudæorum & infidelium. Itaque matrimonium neq; habet specialem à Christo institutionem; neque institutum est ad hoc, vt in omnibus etiam Christianis rem sacram significet; neque reuera rem sacram, quam ipsum efficiat, significat; neque promissionem; neque effectum gratiæ vllum habet; neque est ceremonia stata & ordinaria Ecclesiæ solius Christianæ propria; & sic à vero Sacramento, imò simpliciter à Sacramento est remotissimum.

XLII. Patribus tamen adhuc se tueri, & rati[illegible] aliqua conatur Bellarminus, *de matrim. l.* 1. *c.* 3. sed frustra. Nam quod Patres Græci Matrimonium [illegible]dum vocent mysterium. & Latini Sacramentu[m] Paulum imitantur, & in Paulino sensu loquuntur sed tam planum fecimus, apud Paulum matrimonia Christianorum non esse vera & proprie dicta Sacramenta. Ac nisi ostenderit, Patres Matrimonium eo sensu vocasse Sacramentum, quo Baptismum, & Euchar[is]tiam vocant Sacramentum, nihil effecerit; Sacramenti [illegible] nomen æquiuocum est, & multas ac varias habet [signi]ficationes. Tribuere autem humano matrim[onio si]militudinem aliquam cum rebus diuinis, in [illegible] & in Ecclesia, (quod libenter aliqui faciunt [illegible] & ex ea ipsum vocare Sacramentum, nihil ad re[m no]stram est, quia talis est arcus Iridis, quoties appare[t in] nubibus; talis est sagena in mari pisces capiens, & [illegible] iam mittimus. In hoc sensu Sacramentum posuit [illegible] ad Rusticum, Chrysostomus in ep. ad Eph. hom. [illegible] Augustinus sæpe. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham. c* [illegible] ait, in genere, Eum qui in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittere consortium, & hoc solis adulterium coniugiis non applicat, licet ibidem ea Deo esse odi-

bilia

bilis alteri, & consortium Sacramenti cœlestis intelligit, ad summum spirituale animæ cum Christo coniugium. Sincius ep. 1. non ait, vt eum refert Bellarminus, sacrilegium committi, cum alter coniugum viuente altero, ad aliud transit coniugium: Sed loquitur de sponsalium abruptione; & quia in sponsalibus celebrandis, vt ibidem habetur, benedictio super sponsam intercedebat Sacerdotis, ideo ait, si illa alterutra datur, fore instar sacrilegij. Atqui nuda sponsalia non sunt, ne Bellarmino quidem, vt puto, Sacramentum, & sacrilegium illud Sincii, seu instar sacrilegij, est iniuria Sacerdotali benedictioni, non matrimonio facta. Innocent. 1. ep. 8. diuina gratia fundari, ait Matrimonium, quia cum sit vinculum onerosum, diuina lege positiua, per os Adami, institutum, ne sit homini perpetuæ infælicitatis causa, si malum coniugem sortiatur, fideles semper à Deo precibus concederunt, vt bonus ipsis contingat coniux; & sic à diuina gratia expectabat vel fælicitatem, vel flagellum, iuxta illud sapientis; *Prouerb. 19 vers. 14.* A Domino proprie vxor prudens. Cyrillus l. 2. *in Ioan. c. 22*, non dicit, Christum gratiam nuptiis præparasse; sed præsentia sua in Cana Galilææ nuptias sanctificasse, & gratiam nascituris præparasse. Omnis porro humana actio in homine fideli indiget gratia, & benedictione Dei, vt sit proficua homini coram Deo, sed peculiari ratione prolis multiplicatio legitima, gratia indiget singulari, ne ad modum belluarum fiat; & hanc gratiam fidelibus paratam Christus eo demonstrauit, quod nuptias illas singulares, sua præsentia cohonestarit. Si autem sua sola præsentia sanctificabat tunc nuptias, profecto non illas visibili vllo Sacramento sanctificabat.

XLIII. Augustinum tamen in Matrimonio veram agnoscere rationem Sacramenti proprie dicti ex aliquot locis probare nititur Bellarminus. *de matrim. l. 1. c. 3.* Ac primum in genere, quia sæpe Matrimonium [illegible] Sacramentum, nomine hoc absoluto, absq; vllo addito quod non facit, vbi de Sacramento large sumpto [illegible] accidat commemoratio: atq; Augustinum *de pecc. mer. & remiss. c. 26.* semel tantum panem Eulogiorum benedictum, absolute vocasse Sacramentum, qui tamen non esset nisi large Sacramentum.] Fallitur tamen Bellarminus. Nam mos est Augustino passim, Sacramenta vocare absolute, & absq; vllo addito quæcunq; mystice aliquid spirituale innuunt; neq; necesse est loca ipsa huc congerere, quæ sunt omnibus peruia; [illegible] suum est, ostendere, Matrimonium ab Augustino in sola larga significatione vocari Sacramentum, ibi præ[illegible] vbi ex proposito rem tractat loco proprio: & [illegible] potissimum Bellarminus suum facit Augustinum. Sacramentum, *inquit, Aug. de bono coniug. c. 18.* nuptiarum [illegible] nostri, sic ad vnum maritum & vnam vxorem [illegible] est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare [illegible] vnius vxoris virum. Quod acutius intel[illegible] qui nec eum, qui Catechumenus, vel paganus [illegible] alteram, ordinandum esse censuerunt: de Sacramento enim agitur, non de peccato; nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur—nuptiæ non sunt peccatum—propter Sacramenti autem sanctitatem, si[illegible] [illegible]na, etiamsi Catechumena fuerit, vitiata, non [illegible] post Baptismum inter Dei virgines consecrari, [illegible] absurde visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse.] Sacramentum igitur, secundum Augustinum, erant nuptiæ, etiam cum polygamia Patriarcharum; nam Sacramentum, inquit, redactum est ad monogamiam, & Baptismus delet peccatum in paganismo perpetratum, non tamen delet, ait, matrimonium; de Sacramento agitur, non de peccato. Igitur Sacramentum Augustino sunt nuptiæ, etiam in paganismo; & æq; sacramentum est, vt virgo integra Deo consecretur, atque vt monogamus ordinetur. Quod si de vero Sacramento loqueretur, cur quæso primum matrimonium cum prima vxore, est Sacramentum; & secundum cum secunda, post mortem primæ, non erit Sacramentum? Et quomodo Sacramentum coniugii amittit, qui ad secundas transit nuptias? Imo addit ibidem Augustinus Matrimonium Patriarcharum, qui plures vxores simul habebant, fuisse vno modo Sacramentum; alio vero modo, Matrimonium vnius vxoris in ministro Ecclesiastico, & in laico etiam Christiano, esse item Sacramentum. Illud enim significat multitudinem sub pluribus particularibus Ecclesiis Christo coniungendam: hoc vero significat, *inquit*, vnitatem omnium nostrum subiectam Deo futuram in vna cœlesti ciuitate.] Et sic perpetuo Sacramentum in matrimonio sumit largo modo pro mysticis significationibus; & non pro vero & proprie dicto Sacramento. Et concludit ibidem Augustinus. In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas vteri.] Sanctitatem Sacramenti vocat Augustinus legem illam diuinam, quam fideles perpetuo seruauerunt, vt siue vna, siue plures vxores, non nisi vni viro perpetuo inseruirent, neque liceret cuiquam fœminæ, aut pluribus per coniugium simul subdi viris, aut vno viuente transire ad alium, priore derelicto. *In nostrarum, inquit*, de solis fœminis ibi loquitur. Sanctitas autem Sacramenti quam in hoc agnoscit, est, quia vnamquamq; animam, & plures simul, & omnes, decet vni Christo fide subiici, & non ab eo ad alias sectas apostatare, vt explicat ibidem ipse Augustinus; vbi reprehendit factum Catonis, qui adhuc viuens vxorem suam alteri dedit, alterius quoque domum filiis impleturam. Fideles vero id non facient, apud quos pluris fit Sacramentum & significatio illa, in alienas à Christo sectas non esse abeundum, quam vteri fœcunditas. si fœcunda mulier, effœto viro derelicto, ad alios fœcundiores transiret, quod esset Sacramentum, hoc est, symbolum apostasiam significans. Et hoc ipsum sibi vult Augustinus etiam vbi ait. *de bono coniug. c. 24. & de fide & oper. cap. 7.* Bonum nuptiarum per omnes gentes, atq; omnes homines, in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.] Nam aliæ gentes vxores ducunt ad prolem habendam, & vxores, quandiu vxores sunt, fide castitatis volunt excellere ne torum violent: repudia tamen & diuortia facillime admittunt; in quo illa coniugia malum Sacramentum habent apostasiæ. At vero fideles præterea addunt sanctitatem Sacramenti, quia eorum coniugia sunt insolubilia, nisi ex admodum rara causa; & secundum opinionem, in quam magis inclinat, vt vidimus, Augustinus, absolute, & semper suum vinculum retinentia; in quo tota Sacramenti ratio & sanctitas consistit, vt sit symbolum constantiam & inuariabilitatem fidei erga solum Christum mystice repræsentans. Quod si inter gentes etiam matrimonium maneat insolubile, diuortiaque & repudia non permittantur, vt fuit Romæ, vbi per annos ferme sexcentos ab vrbe condita, vt ait Tertullianus *apolog. cap. 9.* nulla repudium domus scripsit.] Primus enim, vt Dionysius, Plutarchus, Valerius, & Gellius memoriæ prodiderunt, Cornelius Ruga, ob prætensam sterilitatem, repudium misit vxori, M. Pomponio, C. Papyrio; vel vt alii scribunt, M. Attilio, Pub. Valerio Coss. hoc est post 700. ab vrbe condita annos; illa quoque non minus, quam inter Christianos, erunt Sacramenta, & symbola vnius fidei in vni-

in vnicum verum Deum; Hoc tantum discrimine; quod Sacramentum hoc gentilibus erit ignotum; Christianis autem bene notum. Itaq; propter illa diuortia duntaxat Augustinus distinguit matrimonia fidelium, ab infidelibus. Neque probat ideo matrimonium fidelium esse insolubile, quia est Sacramentum; sed è contra ideo in eo cognoscit Sacramentum, quia est insolubile, vt vidimus; & insolubilitatem probat ex verbis Christi, non ex ratione Sacramenti. Vbi vero comparat Augustinus *de nupt. & concup. l.1.c.10.* matrimoniū cum Baptismo, ex ea duntaxat parte comparat, quod sicut Baptismus manet etiā in Apostatis à fide: ita vinculum coniugii manet etiam inter male & illegitime separatos; in reliquis similitudo non quadrat. Pari enim ratione dicere possemus; sicut Baptismus obligat ad Christianitatem, etiam Apostatam; ita iuramentū fidelitatis obligat etiam periurum. Neq; propterea sequitur, iuramentum fidelitatis esse verissimum Sacramentū, in eo genere Sacramēti, in quo est Baptismus.

XLIV. Rationibus etiam Sacramentum matrimonii corroborat Bellarminus. *de Matrim. l.1.c.4.* Prima est: Matrimonium Christianorum essentialiter est vnius cum vna, ac indissolubile. Atqui ex hoc sequitur, tum ipsum esse rei sacræ signum, tum gratiam conferre; & hæc faciunt verum Sacramentum, Ergo, &c.] Hoc argumentum etiam superius ex parte ag[itauit] Bellarminus, & nos id destruximus. Nunc absoluatur, & penitus destruatur. Monogamia, & insolubilitas; non absoluta, sed cum exceptione, si vxor adulteretur, & aliæ adsint causæ legibus iustis ciuilibus expressæ, vt iam probaui, fateor est essentialis matrimonio, non modo Christianorum, & fidelium ante Christum, sed etiam in toto iure naturæ; & sic vel omne prorsus matrimonium erit eodem modo Sacramentum, vel nullum. Has vero conditiones monogamiæ & insolubilitatis nego procedere ex ratione Sacramenti: sunt enim vniuersalissimo iure diuino, aut naturali, aut saltē positiuo stabilitæ, per reuelationē initio naturæ à Deo factam Adamo *Gen.2.24.* Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; & hæc est illa regula quam suis Christianis præscribit Christus, *Matt.19.v.8.* quam tamen fatetur fuisse ab initio. Ex hoc ergo præcepto literali, & non mystico, coniugium humanum ad illas conditiones ordinarie obligatur, & hoc præceptum cogit ad eas, non autem vllum Sacramentum: in hoc tamen præcepto Sacramentum latebat, quod eruit Paulus, ad spiritualia & futura: tanquam posterius in suo priori, quoad executionem: igitur etiam quoad executionem matrimonium humanum habet illas conditiones, ex diuino præcepto prius quam Sacramentum superueniat. Neque verum est, quod ait Bellarminus, Matrimonium infidelium separari posse per conuersionem, vt tradit Paulus, *1.Cor.7.v.15.* fidelium autem non posse; quia hoc est, & illud non est Sacramentū; Sed est vna singularis causa legitimi diuortii, disparitas fidei, à Deo singulariter Paulo reuelata; quam non licet nobis ampliare, neque ab ea possumus per humanas ratiunculas discedere: durante tamē illo inter infideles matrimonio, erat verum matrimonium, & perinde Sacramentum atque matrimonium fidelium: erat enim suapte natura essentialiter insolubile; & nunquā fuit solubile ab homine, sed tantummodo à Deo; cuius respectu omnia, etiam Christianorum perfectissima matrimonia, sunt perpetuo solubilia, quantumuis essent Sacramenta.

XLV. Iam igitur quando hæc illatio formatur, matrimonium est cum monogamia, & cum insolubilitate, Ergo est sacræ rei signum: in forma quidem illatio est pessima; in materia vero seu ratione subiectæ materiæ ipsa illatio est distinguenda: vel enim intelligitur à priori, vt procedat à causa ad effectum: vel à posteriori, ab effectu ad causam: illatio à priori vera est, quia illæ conditiones dant fundamentum symbolo, figuræ, ac significationi, tanquam prius suo posteriori; & sic non sequitur, matrimonium ideo esse insolubile, quia est Sacramentum: à posteriori vero falsa est illatio, quia Sacramentum non est causa insolubilitatis & monogamiæ, sed earum effectus; causa vero earum est præceptum diuinum toti naturæ humanæ impositum, sine præiudicio autoritatis diuinæ in dispensando; Quando itaque huiusmodi syllogismo seu enthymemate vtitur Bellarminus: Matrimonium Christianorum est vnius cum vna, & omnino insolubile; igitur est Sacramentum conferens gratiam, ac proprie dictum: Negatur consequentia; nam inde neque sequitur ipsum esse sacramentum, neq; ipsum conferre gratiam: non sequitur esse Sacramentum, quia matrimonium habet illas conditiones aliunde, & non ab vllo Sacramento, vt explicaui: si quid enim Sacramenti adest in matrimonio, id posterius est tota essentia matrimonii, & duabus illis conditionibus: ipsum ergo in se non est vllum Sacramentum, neque pendet in suo esse completo ab vllo Sacramento, ne large quidem sumpto, nedum vero, & proprie dicto.

XLVI. Sed neque sequitur ex illo antecedente, matrimonium conferre gratiam; sequitur quidem matrimonium egere gratia, diuinaque ope ad ipsum sancte & laudabiliter custodiendum: & hoc tantum probat Bellarminus, quod est verissimum: fateorque non esse probabile, quod Deus rem tam difficilem instituat, & non det necessaria auxilia ad eam seruandam. Dat enim, quia omnia possum in eo qui me confortat. *Philip.4.13.* Porrigit etiam modos obtinendi gratiam hanc necessariam, orationem, mortificationem, Sacramenta, &c. sed non propterea sequitur, quod per ipsum matrimonii contractū det auxilia specialia, cum aliunde illa suppeditet: aut certe probandum esset ex Scripturis, ipsi contractui promissa fuisse talia auxilia, quod nunquam probabitur. Addo demum data etiam tota illa consequentia, quæ tamen nullo modo est concedenda, inde non probari, matrimonium esse verum & proprie dictum Sacramentum; quia potest esse signum rei sacræ, id est, symbolum & figura cum aliqua allegorica & mystica significatione, quod tamen non efficiat id quod significat; & præterea posset conferre aliquam gratiam spiritualem, quam tamen n[on] ex promissione diuina certa & ordinaria conferat. Et cum tale sit matrimonium, ideo profecto non erit [ve]rum Sacramentum, vt iam probaui: Nam ce[r]tere iniurias tale aliquid est, & rem sacram [signifi]t, & confert gratiam: non tamen est verum [Sacramen]tum. Prima ergo ratio est plane inutilis.

XLVII. Secunda ratio pendet plurimum [à] priori: sumitur à fine matrimonii, qui duplex est, [pro]pagatio sobolis, debitaq; educatio, & instructio, [& re]medium contra fornicationē. Et in his est [ma]xima [dif]ficultas. Pertinuit igitur ad autorem diuinæ le[gis re]medium perfectū, & omni ex parte suffi[cie]n[s] [dif]ficultatibus prouideret.] Respondeo, aliquas adhuc [difficul]tates naturaliter superandę aliæ supernaturaliter [sed] vtrisq; abunde prospexit: naturalibus per [...] quis vtitur, nubat, inquit Paulus: Mortui [...] dat licitus coitus cum propria vxore. educatio prolis instructio &c. peragitur bona ex parte naturaliter per propriam industriam & doctrinā, per magistros, per libros, per Academias, per pecuniā &c. Supernaturales vero difficultates superantur, vt supra dixi, per o[...]

nem,

nem, sacramenta, &c. & Matrimonium ad has supe[r]randas nihil conferre iam vidimus, neque contrarium potuit probare Bellarminus: nam difficultates adesse omnes nouimus, & gratiæ necessitatem omnes fatemur: sed matrimonium illam suppeditare negamus.

XLVIII. Tertia ratio sumitur à ritu & ceremoniis, quarum vsum antiquum, sacerdotalium benedictionum, probat ex Tertulliano *ad vxor. l.* 2. & Ambrosio *q.* 70 *ad Vigilium*. (nos addamus ei Innocentium primum, quem supra protulimus *num.* 32.) Est ergo, inquit, res sacra: & inter sacras res à Patribus passim commemoratur.] Respondeo; Matrimonium, licet quoad contractum, ciuilis res sit, oppugnata fuit tamen ab hæreticis ipso ferme initio, à Manichæis, & aliis, qui nuptias damnabant, & peccati arguebant. Ecclesiæ [illegible], cuius est dignoscere ex diuina lege quid peccatum sit aut non sit, matrimonii defensionem in se [suscepit], & quantum potuit ipsum sanctificauit, vt ipsum à peccato remotum esse ostenderet. Et cum inter [ceteros] contractus nullus sit humano generi magis necessarius, nullus communior, nullus ferme frequentior; tanto plus fuit Ecclesiæ, in ipso ab iniuriis hæreticorum vendicando laborandum. Propterea addidit Ecclesia publicas & solemnes nuptiarum benedictiones, vt ostenderet eas Deo gratas esse, & ab ipso institutas, & simul vt gratiam coniugatis necessariam impetraret. Atque hæc occasio meo iudicio præcipua fuit, cur causæ Matrimoniales initio paulatim ad Ecclesiasticos peruenerint.

XLIX. Quarta ratio à consensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ à Bellarmino à quingentis saltem annis, deducitur. Magistrum sententiarum primum facit Matrimonialis Sacramenti assertorem; & post eum turbam Scholasticorum, Pontificum, & Conciliorum. Quæ tamen ratio certe plus ei obest, quam prodest. Fatetur enim tacite hoc pacto, per mille, & centum [annos] post Christum, consensum hunc Ecclesiæ non [fuisse]. Cum autem à quingentis annis corruptiones Ec[clesiæ] plurimum inualuerint, quid mirum si etiam error [iste] tam peruaserit? Nec est nouum, Conci[lia] iam [tem]poribus errores multos aut firmasse, aut [illegible] non enim Concilia, sed laruæ Conciliorum [illegible] Ecclesia, *inquit Bellarminus*, non est defe[ctibilis] [illegible] portæ inferi præualere possunt contra vni[uersam] [Ecclesiam], *Matt.* 16. 18. quæ est columna, & firmamentu[m] [veritatis], 1 *Tim.* 3. 15. Hæc de fundamentalibus [illegible] verissima; quamuis etiam in his interdum ipsis [illegible] aliquantisper in turbata hac naui dormitus sit obdormisse Dominus, vt quando [illegible] pene vniuersus sensit se esse Arianum; *Hier.* [illegible] semper tamen reliquit sibi Dominus se[ptem millia] virorum. 1. *Reg.* 19. 18. De numero vero Sa[cramentorum], & de ipsorum natura & proprietatibus [illegible], otiosorum initio fuit, & speculationes [illegible] in Ecclesiam inuehentium, sine quibus [illegible] subsistit. Sed tamen neque ista super [illegible] & firmamento vnquam fuerunt: Scholastici [illegible] certant, & sub iudice lis est: Ante Concilium [illegible], & Tridentinum ad liberas hæc [illegible], ad acuenda ingenia, dissertationes. Sed [illegible] Florentinum fuit schismate à Basileensi [illegible], & miseros Græcos & Armenos voluerunt illi Conciliares suis aliquot erroribus, quibus ipsi iam corrupti erant, imbuere, vt Orientē vel inuitū Rom. Pont[ifici] subiugarent. De Tridentino nihil dico: breui [tem]pore, vt libuit, & à toto Orbe inspiciétur acta ipsi[us] à Pet[ro] [illegible] suauissime descripta, ac spiritu vertiginis plenū inuenietur. Matrimonium igitur Sacramentū nullū est, sed est contractus ciuilis carnalis, & temporalis, ad Ecclesiasticam potestatem nihil pertinens.

L. Si Sacramenta vera necessario constarent materia & forma, vt nostri volūt oēs, adhuc peculiares matrimonium pateretur difficultates in materia ipsi & forma assignanda: ex quibus adhuc melius constare posset, ipsum non esse verum Sacramentum; vt propterea Canus nouam inierit viam Sacramenti in matrimonio collocandi, ab ea quæ est omnium aliorum longe diuersam. Affirmat, n. *de locis Theol. l.* 8. *c.* 5. non omne matrimonium inter Christianos legitime contractum esse Sacramentum, sed illud solum, quod à ministro Ecclesiastico sacris & solennibus verbis celebratur; ita vt materia matrimonii Sacramenti, sint ipsi contrahentes; forma vero, verba Sacerdotis; *Ego vos coniungo*, &c. aut similia. Contra eum vehementer laborat Bellarminus *de matr. l.* 1. *c.* 7. & 8. Hāc ego disputationem de materia & forma totam flocci facio; quia ostendi *c.* 4. *huius libri*, falsum esse, Sacramenta vera constare rebus & verbis, tanquam materia & forma; Cum, n. Sacramenta sint quædam diuina instrumenta, vel instar, in ipsis materia erit actio aliqua externa, forma vero vis & potestas instrumentalis efficiendi, vel attingendi, vel secum ducendi effectus gratiæ supernaturalis, vt *eod. c. q.* 4. explicaui. Si igitur matrimonium esset verum Sacramentum, materia ipsius esset actio, per quam coniuges inter se contrahunt, siue per verba, siue per literas, siue per nutus, siue aliō modo, forma vero esset vis, si quam talis actio à Deo haberet, aliquid spirituale & supernaturale in contrahentibus efficiendi. Sicut in Baptismo lotio est materia; vis abluendi animam est forma; si detur Sacramētis efficacia. Sic in Eucharistia materia erit comestio, forma vero erit vis & efficacia eiusdem comestionis, quæ exhibitiua est spiritualiter corporis Christi. Sed cum nullam vim, nullam efficaciam ad supernaturalem vllum effectum in cōtractu matrimoniali agnoscamus, non est cur in eo vel Sacramentum, vel materiam proximam & formam Sacramenti inquiramus. Matrimonium tū, quia contractus ciuilis est, materia & forma, in genere ciuili, non carebit. Materia n. sunt, masculus & fœmina, vnus & vna; forma vero, obligatio mutua corporum voluntaria, perpetua, & insolubilis, atq; hoc, vt dixi in superioribus, iure diuino saltem positiuo. Hic iam igitur ex parte materiæ defectus possunt contingere, qui inhabilem faciant aliquem ad coniugium, & talis contractus incapacem, qui consequenter & impediant contrahendum, & dirimant contractum; hoc est, si cum tali incapacitate contrahatur matrimonium, ipsum nullum sit, irritū, ac inane, & nullam inducat inter contrahentes obligationem. Hi porro defectus aliqui sunt à natura, alii a voluntate, alii à lege. A natura est defectus ætatis, in qua neq; corpus sit habile ad opus nuptiarum, neque voluntas expedita ad liberum consensum: ideo si cōtrahentes, vel vterque, vel alteruter sit infans, aut puer imperfectæ ætatis, inter ipsos iure naturę matrimoniū est nullum. Sic ēt, si in prouecta iam ętate adsit eadem corporis imperfectio, vt potentia generatiua sit impedita, ne possit exire in actum copulæ, aut instrumēta sint inepta, contractus nullus erit. Ex voluntate vero, si vel vterque contrahens, vel alteruter, ac præsertim mulier, sit in legitimo matrimonio alligatus: iure n. diuino positiuo matrimonium debet esse vnius cū vna. In hac diuina lege, vt diximus, dispensatum fuit à Deo cum viris, ēt fidelibus, in lege naturæ, & in lege ēt scripta: cum fœminis nunquam, vt vnus posset simul plures habere vxores, vt Patriarchæ habuerunt, vt David, vt Salomon, &c. Sed Christus Dñs dispensa-

DD tionem

tionem hanc restrinxit denuo, & ad primæuam reduxit matrimonii institutionem, in qua polygamia plurium simul vxorum, omnino vetatur, ita vt illa vna viuente alia duci non possit, Imo neque superinduci.

LI. In hoc tamen duæ insurgunt difficultates merito considerandæ; altera de repudiatis, altera de cócubinis; num videlicet diuortium legitimum locum habeat inter Christianos, quo coniuges iam liberi ab inuicem discedant, liceatq; vtriq; parti nouas inire nuptias. Præterea num liceat Christiano nondũ coniugato, sibi concubinam adiungere, absq; vllo contractu connubiali. Quoad priorem difficultatem, regula generalis de matrimonii insolubilitate, vel ipso Christo Domino explicatore, illam vnam saltem patitur exceptionem, vt si vxor adulteretur, liceat viro illam dimittere, & ea viuente alteram ducere: quod iam licere ostendi, & puto me id demonstrasse in præcedentibus. Sed præterea ostendi ẽt, præter causam fornicationis, posse & solere Principes, & Respubl. ferre leges iustas, quæ ex aliis grauissimis causis diuortia integra admittant, cum libertate vtrique parti, ad noua legitima coniugia transeundi, puta si alter coniugum seruituti subiiciatur, altero manente ingenuo; si alter in perpetuam captiuitatem abducatur, & similibus, *Nouella* 22. *c.* si tamen leges ciuiles illæ, vt legitimæ admittantur. Hos enim non homo, sed Deus per legem & iustitiam, quæ sunt Dei ministræ, separabũt. Neq; contra hoc à Christo quicquam statutum fuisse arbitror, vt iam explicaui.

LII. Quamdiu Ecclesia, aut maxima ipsius pars, fuit in Republ. Rom. Imperii, legibus Imperatorum standum erat: & ex ipsis diuortia, ac simpliciter matrimonia dirigebantur. Post dissolutum vero Imperium, quia Ecclesiastici iam, inducto nouo hoc Sacramento per posticum, apertaq; sibi iamdiu quadam rimula per matrimoniorum benedictiones, ipsi sibi, ac præsertim Romanus Papa, arripuerunt matrimonia diiudicanda, & consequenter circa ipsa diuortia diuersi diuersa statuerunt. Hinc maxime oriũtur in populo Christiano dissensiones, lites, discordiæ, turbationes, & domorum ac familiarum propter matrimonia male directa, ac peius diiudicata, imo etiam Regum, ac regnorum summæ inquietudines, ac pene ruinæ. Iam.n. aliter leges Imperiales statuunt, aliter Pontificiæ; & inter Pontifices, vt superius vidimus, alii aliter ab aliis: & prouinciæ in suis Conciliis, cum summa discordia, leges ferunt. Et cũ matrimonia sint tanti momenti in omni Republ. sintq; ipsa in se contractus meri ciuiles, & res temporales, quisque supremus Princeps deberet circa hæc diuortia aliquid certum & stabile in suo regno, suisq; ditionibus statuere, iustisque legibus firmare. Iam non est dubium, posse Ecclesiam vel vniuersalem in Conciliis vniuersalibus, vel particulares in Nationalibus, vel ẽt Romanũ Patriarcham in Occidẽte ei subiecto legibus suis Matrimonialia hæc diuortia regulare: non quod Ecclesia sit hac in re iudex competens, ex iure diuino, vel naturali, vel positiuo: sed quia iam hanc potestatem, & hoc ius præscripsit, res.n. bona ex parte est humana & ciuilis, & consequenter in his iusta datur præscriptio. Sed contra præscriptionem ẽt præscribi põt: & optime facerent Principes, si totum matrimonium ad suũ forum, quod est maxime proprium, reuocarent; vel suam quoq; ex commissione interponerent autoritatẽ: data ẽt Ecclesiasticis delegatione. Diuortiaq; ex adulterio vxoris: ex seruitute alterius coniugum: ex omni delicto cui irrogata sit pœna æquiualens capitali, in qua mors ciuilis iure intelligatur, &c. declararent & stabilirent. Satis graue iugum fidelibus est impositũ, vt in matrimoniis seruent monogamiã, & perpetuam insolubilitatem; quod iugum ne sit intolerabile, ex nimioq; rigore veneficia, parricidia, domorum & familiarum ruinæ, aliaq; grauissima incommoda oriãtur, ex iustis & grauissimis causis, quæ raro contingũt, diuortia legibus publicis concedantur: & ex Imperatoris legibus, *Nouel.* 22. abolito tamen penitus eo, quod bonæ gratiæ vocatur, diuortio, tanquam summopere iniusto, diuinæque legi contrario, & scandaloso, iusta diuortia colligantur, & firmentur.

LIII. Gregorius III. in suo Rescripto ad Bonifaciũ Moguntinum 32. *q.* 7. *c. Quod proposuisti.* concedit nouũ matrimonium viuente vxore ex causa ægritudinis: ita tñ, vt ægram coniugẽ suis subsidiis non destituat maritus, qui aliam duxit. Intelligitur de ægritudine insanabili, copulam penitus impediente, vel horrente; & causa valde rationabilis est. Non admittit hoc Bellarminus, *de Rom. Pon. l.* 4. *c.* 12. sed Rescriptum glossula quadam sua effugit: nimirum casum illum fuisse impotentiæ perpetuæ naturalis, per quam inepta mulier fuerit ad coniugium, & cõsequenter coniugium cum illa iam tali contractum, inualidum fuerit & nullum, ideoque Gregorium hoc declarasse.] Sed Rescriptum glossam hanc non tolerat: in eo enim sic habetur. *Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum esset si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.*] Corripi infirmitate, non significat impedimẽtum naturale præcedens, sed quod post contractum legitime matrimonium, superuenit, virum vocat & iugalem: hortatur ad continentiam virum, certe in honorem coniugii legitimi: nam indebite ligatum quis hortetur ad vinculum nullum & illegitimum tolerandum: subsidia dimissæ decernit, quia legitima fuit vxor & culpa vacat. Ex insania alterutrius coniugum, post certum tempus soluit matrimonia lex Leonis sexti Imperatoris. *Nouell.* 111. *&* 112.

LIV. Diuortii totalis matrimonii iam rati & consummati, iustam causam pii Christiani Principes etiam censuerunt, si alter coniugum, inuito etiam altero vitam cœnobiticam profiteretur: *Nouell. Iustinia.* 123. *cap.* 40. & hanc legem iustam & æquam putauit Chrysostomus *in Matth. homil* 69. *& ad pop. Antioch.* eaque nixus, suadebat coniugato Monachismum, ac dicebat: Noli dicere, colloquar cum vxore antequam proficiscar, negotia mea componam: hæc tarditas negligentiæ initium est. Memento voluisse quendam ordinare domum suam & non fuisse Propheta dimissum] Laudans alium ad Monachismum properantem ait *in* 1. *Tim. hom.* 14 Nõ ines clamorem, non vxorem animaduertebat. Theonas profecto vir sanctus, & miraculis clarus, inuita & renitente vxore, Monachus factus est. *Cassian. collat.* 21. *cap.* 9. 10. Et Basilius *in qq. fusius expl. qu.* 12. tandem admittit in Monachum eum qui etiam inuita vxore venerit. Tunc ego legem hanc iniustam fuisse contra hos Patres non audeo asserere: sed satis dura mihi videtur, tolerabilis fortasse fuit, quando Monachi huic mundo perfecte & in perpetuum moriebantur, eorumque status ad salutem animarum erat vtilissimus, & sola vera diuina vocatione ad eum homines ducerentur. In Occidente autem Monachatus nondum vigebat, qui aut nondum aduectus fuerat, aut nondum radices egerat, ideo & Hieronymus *epist. decima quarta*, & Augustinus *epistola quadragesima quarta*, & 199. contrarium docent. Postea tamen, quia

quia mundus in monasteria quoque ingressus est, & Monachatum verum destruxit; iccirco lex iniusta esse cœpit, & consequenter talia diuortia non fuerunt vllo modo approbanda. Iccirco Gregorius, 27. qu. 2. *Sunt qui, & c. Agathosa*. hac lege contempta diuortia hæc reprehendit, & adulterium in innouatis huiusmodi diuortio coniugiis agnoscit. Ego quoq; *sup. l. 2. c. 10 n. 87.* putabam semper diuortia hæc fuisse illegitima: sed re melius considerata nunc, pro illo tempore reprehendere ea, vt dixi, non audeo. Pro nostris vero temporibus, quando monasteria ordinaria à vera Monachali vita penitus discesserunt, nullo modo illa admitti posse, Gregoriique sententiam omnino tenendam esse arbitror.

LV. Sed neque communem nostrorum Theologorum sententiam possum approbare, qui passim diuortium permittunt, ac fere suadent, in matrimoniis [illegible] consummatis, ad Monachatum transituris. Hac de re aliqua dubitatiue, quippe suo non proprio [illegible] scripsi in præcedentibus *lib. 2. c. 12. n. 35. ad fin. &* [illegible] cum Monachalis status esset nunc perfectus, & [illegible] omnes à periculis mundi vellent erui, & pro sola animæ salute ad vitam Monachalem conuolarent, non modo matrimonia rata, & nondum consummata, sed etiam iam consummata, fuisse vt vidimus, [illegible] Sed quæ tanta suadet, vt matrimonii tam vehemens vinculum, dimissa sponsa, dissoluatur, & sponsus se inter illos recipiat Monachos, qui in omnem libidinem effusi viuunt sordidissime, alienos toros violant, scortis diu noctuque hærent, & nefandis se polluunt fœditatibus, saluo suo bonis honore. Dicant etiam mihi nostri Theologi, cur matrimonium ratum, & non consummatum, per professionem religionis dirimunt? An quia copula perficit matrimonium, ipsumq; complet, sine qua matrimonium non [est] completum, neque vinculum plane constrictum? [Ergo] tale ergo matrimonium non est Sacramentum [illegible] passim enim dicunt, matrimonium infidelium [non esse] Sacramentum, quia est solubile, ex Paulo 1. [Cor. 7.] 15. Et tamen fateri coguntur cum Augustino, [in coniu]gio B. Virginis Deiparæ cum Iosepho fuisse [verum] Sacramentum, in eo enim coniugio Augustinus [illegible] *& ca. sup. l. 1. c. 1* [illegible] affuisse prolem, fidem, & Sacramentum. Sacramentum vero in eo agnoscit, quia in eo, *inquit*, nullum fuit diuortium.] hoc est, fuit vinculum inter eos inseparabile, quod significat coniunctionem perpetuam Christi cum Ecclesia, igitur non erat solubile; non ergo licet fidelium matrimonium ratum, & non consummatum dirimere, nisi [illegible] causis, ex quibus etiam consummatum potest [solui]. Quod si diuina vocatione solui potest ratum, & non consummatum, potest etiam consummatum: [quis] enim Deo potestatem limitauit? Aut vnde sci[unt] Deum vnius solutionem concessisse, & non al[terius]? Ecclesia inquit Bellarminus *de Monachis, c. 38*, [declar]auit? Quænam est illa Ecclesia? Quis dedit [potestatem] hanc Ecclesiæ, talia ex se sine Scripturis, sine reuelationibus declarandi?

LVI. Legibus igitur vniuersalibus optimum est, & [illegible]um, ex certis & grauibus causis diuortia [illegible] maxima tamen cum cautela concedere. Sed si [ob tale]s causas contingeret aliqua necessitas, quod [illegible]te animæ alicuius fidelium diuortium postu[laret], anceps essem, an epiicæia esset vtendum, per q[uam] viuente adhuc altero coniuge, in altero possit nouum coniugium tolerari, vbi præsertim [illegible] [tam gr]aues inter virum & vxorem ardent simultates, quæ vtramque partem in perpetuo peccato mortali [detin]ent. Fateor legem esse diuinam, & puto potius positiuam, quam naturalem: quod coniugia sint insolubilia, & inter vnum & vnam: sed sicut in veteri lege Moyses per epiceiam in hac lege dispensauit, & libellum concessit repudii, ita post Christum et Origenes aliquid tale concedi posse asseuerauit, vbi ex vna parte odia abominabiles sibi mutuo fecerunt coniuges, ex altera incontinentiæ pericula grauia vrgent, imo & lapsus misere audi contingunt. Ac quemadmodum duritia illa cordis indulgentiam aliquam meruit, ita vt vsus repudii non esset peccatum, aut saltem ad peccatum non imputaretur; sic inter Christianos ait eandem duritiem posse interdum, in quibusdam singularibus, eandem indulgentiam promereri. Non negat id fore contra scripturam, & contra legem, quia Christus & Paulus contrarium prorsus docent; sed putat interim Ecclesiam habere à Deo potestatem in illis, ex causa dispensandi, sicut habuit Moyses. Scio enim, *inquit, Orig. in Mat. tract. 7.* quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra scripturam permisisse aliquam nubere viro priori viuente: & contra scripturā quidem fecerunt, dicentem, Mulier ligata est quanto tempore viuit vir eius, & viuente viro, adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt, fortitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, peiorum comparatione quæ mala sunt permiserunt, aduersus ea quæ ab initio fuerāt scripta.] Si cum causa fecerūt, ergo dispensauerunt: & cū hæc non reprehendantur ab Origene, sed potius excusentur, ac fere ne approbentur, sentiebat, Ecclesiam dum de peccato iudicat, posse ex causa matrimonium permittere post diuortium, viuente vxore, & non ex sola causa fornicationis; aut alia publicis legibus approbata.

L V I I. Neque vero cum tanto rigore intellexit dictum Christi Origenes, vbi ob solam fornicationē permittit diuortium, quanto illud intellexit, & exaggerauit sæpe, vt vidimus, Augustinus. Addit enim illa paulo post Origenes: Disputo ergo, quia non præceptiue mandauit, vt nemo dimittat vxorem, excepta causa fornicationis; sed quasi exponens rem, dixit. Qui dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Sed vir, qui quantum ad se, vxoré dimittens fecit mœchari vt puta veneficam, vel homicidam, aut aliquid huiusmodi constitutam, si iustam excusationem habet apud Deum, tractabis.] Hoc est, ego nolo in hoc eum condemnare, est enim res digna consideratione, & habet suas æquitates, & probabilitates, vt iam liceat, non quidem lege vniuersali, qualis erat apud Iudæos, sed speciali, ex variis causis, matrimonia dirimere. Quamuis non desint Doctores, qui negent libellum illum repudii à vinculo coniugii liberasse, contra quos optime Bellarminus *de Matr. l. 1. c. 17*, insurgit, & rem, meo iudicio, demonstrat; ab hac ergo ego quæstione abstineo. Et quod fecerunt Episcopi illo tempore Origenis, fecit multo post, sed longe audacius Deusdedit Papa; qui ex leuissima causa diremit matrimonia, vbi videlicet mulier proprium filium de sacro fonte suscepit. Mulieres vero, *inquit, epist. vn.* cum separatæ fuerint pro hac illicita re, à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperit; & post expletum annum recipiant alium virum, similiter & vir vxorem.] Non ergo admodum rigidi fuerunt semper Patres, circa matrimoniorum insolubilitatem, quin ex pluribus legitimis & vrgentibus causis, soluerent matrimonia alioquin firma; & viuente coniuge, facto diuortio, alteri nouas concederent nuptias. Et nostri Canonistæ facile consentiunt, Glossa, Abbas, & Caietanus, *Sup. c. 3. n. 4. huius.* quos citat Almaynus, asserētes, posse Eccle-

sit statuere, vt per secundũ matrimoniũ rumpat primũ.

LVIII. Quoad alteram difficultatem, de concubinis, nonnulla aliquam poscunt, sed sobriam, considerationem. Ac primum, An sit licitus vsus ancillarum ad prolem suscipiendam, ita vt herus potestatem habeat in corpus suæ legitimæ ancillæ, etiam qui legitimo coniugio sibi propriam ingenuam habet, vxorẽ copulatam. Exempla ex scripturis videntur id licitum esse ostendere. Abraam n. ancillam suam Agar toro proprio adiunxit, *Gen.* 16. 4. Iacob Balam, & Zelphã: *Ibid.* 29. 24. & alii alias. Sane Hieronymus *ep.* 83. *Oceano.* ait: Multos videmus, ob nimiam paupertatem, vxorum sarcinam declinare, & ancillas suas habere pro vxorib. susceptosq; ex his liberos colere vt proprios.] Et Rachel quæ dominium habebat in ancillam suam Balam, subiecit eam viro suo loco sui, non vt vxorem, sed vt ancillam duntaxat. retinuit. n. ipsa dominium in illam, neque id transtulit in Iacobum: & ideo cum peperit ipsa Bala Dan, dixit Rachel, Exaudiuit Dominus vocem meam, dans mihi filium. *Gen.* 30. 6. Sic fecit & Lia, subiiciens interdum pro se ancillam suam Zelpham: & rursus eam subtrahens: non ergo iure vxorio coibat cum illis Iacob, quæ vxores ipsius non erant, sed iure dominii herilis. Hoc tamen ẽt nunc licere non est ausus affirmare Augustinus, *d. bono coniug.* c. 15. sed neque absolute id negare voluit, dicens. Plane vxoris voluntate adhibere aliam, vnde communes filii nascantur vnius commistione ac semine, alterius autem iure, ac potestate, apud antiquos Patres fas erat. Vtrum & nunc fas sit, non temere dixerim: non est n. nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, &c. Eadem ratione Chrysostomus *in Gen hom.* 17. eosdem Patriarchas excusat, sed rem absolute damnat. Necessitas profecto, & temporum conditiones, non faciunt vt res de se illicita fiat licita: non enim ex necessitate propagationis licebat vxores fœcundas amicis cedere & accommodare, vt alias etiam domos liberis replerent, vt fecit Cato, *Aug. de fide, & oper. c.* 7. *& de bono coniug. c.* 18. *& cont. Iulian lib.* 5. *cap.* 9. ita si adiungere sibi ancillas fuisset res mala, indebita, iniusta, nunquam illa licuisset; si autem Patribus licuit, id fuit ex speciali quadam diuina, dicam ne dispensatione, an tolerantia, & permissione? Ancilla ergo nisi in vxorem saltem priuatam, (de qua infenus) assumatur, sine fornicatione toro adiungi non potest.

LIX De concubinis liberis & ingenuis res videtur clarior: cum enim libera mulier non possit, iure diuino ab Adamo promulgato, & à Christo declarato, ac confirmato, viro legitime coniungi in adiutorium ad liberorum procreationem, nisi per contractum coniugii, qui monogamiam requirit, & insolubilitatem, nullus vir, nullaque mulier possunt alter altero vti ad prolem, nisi mulier fiat viri, & vir mulieris, inseparabiliter. Itaque planum est, viro iam vxorato nullo modo licere superinducere concubinam, quia illa tali contractu non potest esse ipsius: & sic vtetur illa tanquam non sua: quæ erit damnata fornicatio & simul adulterium. Sed an ratio hæc cesset, cum vxoratus vxore sua vti non potest, ex incurabili eius aliquo morbo, vel absentia irrecuperabili, vel simili aliqua causa ex iis, propter quas etiam diuortium ei liceret; vxorem tamen nolit, aut non possit dimittere, sed omnino teneatur retinere: aliquis putabit non liquere, nonnulli enim ambiguitati locum relinquunt: multo plus de homine libero, & soluto, nulloque coniugio alligato, an possit ille sibi concubinam adiungere, vbi neque vires, neque opportunitas ei permittit vt vxorem suo gradu dignam habeat matronam.

LX. Differentiam inter concubinam, & vxorem, seu matronam, & leges ciuiles posuerunt, & Patres etiam inuenio aliquos explicasse, vt vxor fiat per contractum publicum cum instrumentis dotalibus; concubina vero assumatur solo consensu priuato inter ipsam & concumbentem. vnde alii effectus, retcinere ciuili positiuo, non iure naturali consequantur, videlicet coniugium per concubinam non multiplicari, concubinam in domo vbi adest vxor legitima, seu matrona, non dominari: filios concubinæ, si adsint filii matronæ, in hæreditate paterna partem non habere; concubinas bigamiæ, seu polygamiæ irregularitatem non inducere; licet Augustinus contrarium sentiat, vt mox videbimus. Nihilominus inuenio ẽt in essentiali concubinam ab vxore parum differre; vera. n. concubina quæ scortum non sit secum fert insolubilitatem, & mutuam perpetuam obligationem alteri non nubendi, viuente suo concumbente. Hieronymus aduersus eos disputans qui irregularem ex bigamia faciebant hominem, qui ante Baptismum vxorem vnam habuisset, & post Baptismum alteram, & nihilominus negabant fore bigamiam si concubinam tantum habuerit: sic pro absurdo infert. Coniugales ergo tabulæ, & iura dotalia, non coitus ab Apostolo condemnantur?] Vt ostendat inter concubinã, & vxorem, solam solennitatem legalium esse differentiam, ac propterea si concubina ante Baptismum non impedit sacrum ordinem vxorato post Baptismum, neque vxorem debere eum impedire, qui matronam ante Baptismum habuit. Distinguit ẽt Augustinus siue Gennadius, concubinam à matrona; sed tamẽ vult ipsam quoque inducere bigamiam, ob quam, Apostolo iubente, non liceat hominem Episcopum fieri, Ecclesiæq; ministrum: sic. n. scribit: *de Eccl. dog. c.* 72. Maritum duarum post Baptismum matronarum clericum non ordinandum: neque eum, qui vnam quidem, sed concubinam, non matronam habuit.] Hoc est, eum qui ẽt post Baptismum duas habuit successiue, licet vna earum non fuerit nisi concubina, altera vero matrona. Aliter censuit Leo, qui magnam ponit inter vxorem & concubinam differentiam: ait. n. *p.* 92. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera; propter quod ẽt Apostolus *Gal.* 4. 30. ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium posuit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Eiice ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non d[illegible] nuptiale fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi coniugato eam dederit, nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt; quia aliud est nupta, aliud concubina. Ancillam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis.]

LXI. Hæc omnia eo spectant, vt concubina pro vxore non sit habenda; & ita neq; impediat quominus legitima vxor ab eo duci possit, qui concubinam sibi coniunxerat. Hoc autẽ tunc in vsu legitimo fuisse, vt homines concubinas, ancillas præsertim tenerent, quousque vxorem ducerent, ex Leone aliquis colliget, qui concubinatus istos vt consuetos po[illegible]

& nihil reprehendit, nec agnoscit scortationem. Et quia adiungens sibi concubinam non obligatur ad monogamiam cum illa, sed licite, imo honeste & decenter potest vxorem ducere, non tamen absolute dimissa concubina, sed à toro tantum ea abiecta, ictirco negat inter virum & concubinam adesse Sacramentum, id est nuptiale mysterium, etenim talis coniunctio non significat typice & figuraliter coniunctionem Christi cum vnica Ecclesia; & animæ cum vnico Christo per vnicam fidem, propter dissolubilitatem: Sed qui hæc ex Leone colligit, caueat ne fornicationes approbet.

LXII. Clamat Augustinus *l. 50. hom. 49.* concubinam habere non licere. Concubinas vobis habere non licet, non habetis vxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea ducatis vxores; quanto magis [illegible] vobis erit, si habere volueritis & concubinas & vxores dimittatis?] Hæc omnia durius[cu]la [illegible]; non enim vsquam prohibitum inuenio, [ve]l certe propriam concubinam in vxorem ducere, licet adhibere tantum tabulas, & instrumenta dotalia si sit ancilla, eam manumittere: Modus etiam ille dicendi, *non licet vobis habere concubinas, quas postea ducatis vxores*, ad malum sensum trahi potest, quasi liceat habere concubinas, dummodo illæ postea in vxores non ducantur, sed perpetuo maneant concubinæ. Ideo mihi magis placet lectio, prout est in quadam palea in Decreto Gratiani, *Dist. 34. c. audite.* in qua sic legitur, Concubinas vobis habere non licet; & si non habetis vxores tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis & ducatis vxores; tanto magis damnatio vobis erit, si volueritis habere vxores, & concubinas.] Et sensus videtur esse, concubinam habere licere non vxorato, dummodo adsit obligatio illam in vxorem ducendi. Concubinatum tamen, etiam cum animo eas à solo toro abiiciendi [si vxor] superinducatur, non omnino damnat alio[qui] Augustinus, *de fide. vbi ait*; De côcubina quoque, [si pro]fiteatur nullum se alium cogniturum, etiamsi ab [eo cu]i subdita est, dimittatur, merito dubitatur, vtrum [ad] percipiendum baptismum non debeat admitti. [Si] concubinatus iste esset scortatio, & fornicatio, certe absolute concubinam à recipiendo Baptismo arcuisset Augustinus; illi tamen dubium est, ne perperam ille fecerit, qui talem à Baptismo reiecisset. Idem igitur dubium nobis quoque iniiciet Augustinus, si vellemus tales concubinas à communione sacra [arc]ere, reiicere. In dubiis vero tutior pars est sequenda: tutius autem videtur dare talibus, quam negare Sacramenta, quia maior error esset ab æterna [hæredita]te illam excludere, si illa Sacramenti esset [capax], quam Sacramentum bona fide indigno porrigere, [si n]on esset capax.

[LXIII.] Notabile profecto est id, quod in hoc genere [scrip]to reliquit Augustinus *de bono coniug. c. 5.* videlicet, [si] [illegible] tam quærit, cum masculus & fœmina, nec ille [maritus] nec illa vxor alterius, sibimet, non filiorum pro[crea]ndorum, sed propter incontinentiam [solius conc]ubitus causa copulantur, ea fide media, vt [nec ille] cum altera, nec illa cum altero id faciat, vtrum [nup]tiæ vocandæ. Et potest quidem fortasse non [absurde] hoc appellari connubium, si vsque ad mortem [alter]ius eorum id inter eos placuerit; & prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sint, non [tamen] vitauerint, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur.] Hic [conc]ubinatus Augustino est connubium; & tamen illi maritus & vxor non sunt, videlicet iure [quia] tabulæ & instrumenta dotalia, & solennitates desunt, essentialia tamen matrimonii adsunt. Ergo nomine sæpe concubina in bono sensu, pro vxore sine quibusdam externis solennitatibus iuris ciuilis sumitur. Puta ex matrimonio duntaxat clandestino.

LXIV. Pergit Augustinus & ait, Cæterum, si vel vtrumque, vel vnum horum desit, non inuenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus, vel facultatibus suis inueniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est; nec cum illa, quam cupit inuenire, sed cum ista cum qua sic cubat, vt cum ea non habeat maritale consortium. Vnde & ipsa hoc sciens ac volens, impudice vtique miscetur ei, cum quo nô habet fœdus vxorium.] Obligatio itaque vsque ad mortem viro quidem, de non abiicienda penitus concubina: mulieri vero, de non cognoscendo alio viro ipso viuente, nisi eo cui se subiecit in concubinam; & ablatio omnis impedimenti, quod prolis generationem posset amouere, facit vt concubinatus instar connubii habeatur: quod si alterum horum desit, concubinatus erit scortatio. Bene: quid si vero solutus cû soluta coniungantur, vt prolê nullo modo impediant, & concubina firmiter promittat se nunquam alium cogniturum carnaliter, illo viuo cui iam adhæret; ipse vero vice versa ei promittat firme, se illam nunquam abiecturum, sed dum vixit, etiamsi vxorem ducat, eam honeste sustentaturum? Mihi videtur in Augustini iam posita sententia, talem animo adulterum non futurum, neque hic asfuturam fornicationem: quia vtraq; conditio, quam requirebat Augustinus, adimpletur. Sed huic ego sententiæ, si in Augustino talis est, assentiri non audeo.

LXV. Adhuc pergit Augustinus ibidem & ait; Verumtamen, si ei fidem tori seruet, & cum ille vxorem duxerit, nubere ipsa non cogitet, atque à tali opere prorsus continere se præparet, adulteram quidem fortassis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cuius vxor non est, misceri sciat?] Peccabit profecto, vel quia solubiliter est concubinatui coniuncta, quod meram facit scortationem; vel quia post vxorem ductam, ei qui iam alterius maritus est, permiscetur. Sed si non est dimissa, abiectaque penitus, nisi à solo toro, stante perpetua obligatione de illa retinenda, & sustentanda, neq; ei post ductam vxorem amplius permiscetur, neq; illa, eo viuente, cognitura sit vllum virum; fortasse non peccauit, & concubina erit legitima citra peccatum Augustino, Propterea addit: iam vero, si ex illo concubitu (*hoc est, à se ductam vxorem*) quantum ad ipsum attinet, non nisi filios velit, & quicquid vltra causam procreandi patitur, inuita patiatur, multis quidem ista matronis anteponenda est.] Sic ea est sententia Augustini, profecto valde caute est accipienda. Sed etiam Concilium Toletanum primum, *c. 17.* concubinas, tanquam vere vxores libenter tolerat, imo admittit, cuius Canon talis est; Si quis habens vxorem fidelem, & concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantum vt vnius mulieris, aut concubinæ, vt ei placuerit, sit coniunctione contentus.]

LXVI. Ex his omnibus, si q[uid] certum & tutum sit colligendum, illud ante omnia firmum, & constans manere debet, omnem coniunctionem cum nô sua, esse ad minimum damnatam fornicationem. Itaque si concubina sit vere vxor coram Deo, hoc est cum coniunctione indissolubili vnius non côniugati, cum vna non coniugata, tametsi tabulæ coniugales non intercedant, tunc concubina erit in essentialibus, & iure

iure diuino naturali vera vxor, licet in foro ciuili talis non sit futura. Ex his igitur autoritatibus mihi videor posse colligere, differentiam olim fuisse inter matrimonia priuata, & clandestina: ac matrimonia publica: in priuato & clandestino, mulier erat vera vxor, sed vocabatur concubina, legitima tamen, quia sub vero matrimonio. In publico autem, cum solennitatibus ciuilibus tabularum, & authentici contractus, mulier erat vxor & matrona. Sed dices: Quomodo discernebatur concubina à scorto? Quomodo vitabatur scandalum? Respondeo forum ciuile, quia legibus imperialibus scortatio non vetatur, sed permittitur, ad maiora & fœdiora mala euitanda, non fuisse solicitum in distinguenda concubina à meretrice. Forum tamen Ecclesiasticum, propter peccatum satis eas distinxisse, sola concumbentium confessione, & publicatione voce tenus, inter ipsos esse verum vinculum, licet priuatum & clandestinum matrimonii. Cæterum ipsorum conscientiæ res relinquebatur: & Ecclesia tenebatur eis credere, nisi aliunde contrariũ ei constaret. Et hinc etiam Matrimonium fori Ecclesiastici factum est. Atque hoc pacto nullæ turbæ erãt, nullæ controuersiæ, antequam matrimonium, satis quidem inepte, haberetur verum, & proprium nouæ legis Sacramẽtum. Ex hoc.n. iam non poterat distingui publicum matrimonium à clandestino, neque vxor à concubina: & consequenter æquum ius filiorum in hæreditate esse voluerunt, tam in matrimonio clandestino, quam in publico: inde vero ortæ sunt turbæ multæ, lites, & contentiones, innumerabilia incommoda & pericula, quæ clandestina matrimonia, supposito Sacramento, secum ferrent, postquam matrimonia omnia paria facta sunt. Et sic concubinæ legitimæ in desuetudinem abierunt, & loco illarum subintrarunt mera scorta, cum grauissimo & spirituali & temporali damno Christianorum: spirituali, propter scortationes eorum, qui cum vxorem matronam ex propria cõditione neq; ducere, neq; alere possint, scorta adhibent, nunc præsertim quando honestorũ virorum vxores se ornamentis & pompis supra maritorum sortẽ & facultates sumptuosis dedunt, cũ ruina sæpe domus, & liberorum: temporali, ob eandem pomposam magnificentiam, & spuriorum multitudinem qui vitio malæ & effrænatę educationis turbãt Remp. quod si priuata matrimonia per legitimas nomine tenus concubinas, sed vere vxores, vt prius, licerent, vtraq; hęc damna & incommoda euitarentur in illis generosis, qui in re angusta familiari sibi prospicerent. Clandestina vero matrimonia nulla prorsus aut Ecclesiæ, aut Reip. afferrent incõmoda. Nõ Reip. quia quoad ciuilia, dotem, hæreditates, successiones, &c. clandestina matrimonia, hoc est sine tabulis coniugalibus, & publico authenticoq; contractu, omni ciuili iure, ac priuilegio carerent, perinde ac si essent meræ scortationes. Non Ecclesiæ, neq; conscientiæ: quia ipsa clandestina matrimonia coram Deo, & in conscientia: & in Ecclesia in recipiendis Sacramẽtis, essent legitima, in solo vero ciuili foro essent illegitima, non quoad vinculum, sed quoad ciuilia: esset que frænum ingens dolosis, & deceptorib. si nullum matrimonium, quoad ciuilia vt legitimum, admitteretur, in quo non intercederent tabulæ cõiugales, dotis obligatio, &c. per Instrumentum publicum, & authenticum. Et hoc multo melius occurreret, vt fuit olim, quam denuntiationes in Ecclesia, præsentia parochi, cum testibus, &c. Fieri enim facile potest, vt Parochus seductus & corruptus, in publico examine deponat, se interfuisse celebrationi duntaxat sponsalium, per verba de futuro, & non matrimonii, per verba de præsenti: vbi reuera interfuit tanquam matrimonio, non tanquam sponsalibus. Sed publicæ tabulæ dolos omnes auferunt. Clandestina igitur matrimonia erant sæpe vtilissima, & omni incommodo carentia: quia ciuilia iura & priuilegia eis non competebant. Et nihilominus erant, & sunt vera matrimonia coram Deo, ipso iure diuino naturali constricta, vbi conueniunt vir & mulier vnus cum vna, soluti cum indissolubilitate. Hæc.n. iure diuino faciũt matrimonium: reliquæ solennitates sunt iuris ciuilis vel Ecclesiastici. Neq; puto vllam humanam potestatem posse talem contractum efficere nullum coram Deo, licet possit efficere nullum quoad annexa ciuilia. Sic Presbyteri nostri, & Clerici oẽs per hęc matrimonia clandestina (vt monstrauĩ *lib. 2. c. 11. n. 54.*) possent propriæ conscientiæ consulere, & vxores habere has priuatas, non matronas, licito tamen, sed priuato matrimonio copulatas: contenti quoad ciuilia, de iure matrimoniali cedere. Nisi Principes talia priuata matrimonia, vt æquum videretur, aliqua ex parte firmarent, certa addita limitatione; ita vt semper maneat distinctio inter publicum & priuatum matrimonium; inter vxorem matronam, & vxorem concubinam: inter filios vnius, & filios alterius, &c.

LXVII. De defectibus naturalibus & voluntariis ex parte materiæ in Matrimoniis, qui impediunt matrimonium, ac dirimant, iam dixi: sequitur vt tertium caput defectus, ex lege, paucis percurram. Omnis contractus humanus ciuilis qui contra leges fiat, irritus est, & nullus. Sic igitur etiam matrimonium nullum erit, si contra leges ciuiles contrahatur. Potestas hæc circa contractus matrimoniales legislatiua, de se certe & iure diuino, Ecclesiastica non est, sed tota ciuilis, vt ostendi, per accidens tamen, & ex sola vsurpatione primum, deinde præscriptione (si tamen præscriptio hæc bonam fidem adiunctam vere habeat) etiam in Ecclesia reperitur: sunt igitur aliquæ leges ciuiles duntaxat Principum temporalium; aliquæ tantummodo Ecclesiasticæ: aliquæ vtraque potestate latæ, quæ conditiones aliquas contractui matrimoniali apponunt, quæ si absint, vel adsint, materiam huius cõtractus ita afficiunt, vt illa sit huius contractus incapax. Lex sola Ecclesiastica impedimentum posuit cognationem spiritualem, occasione Baptismi; Ordinem sacrum, & vota solemnia, ac defectum solemnitatum quarundam, hoc est denunciationum, testium, & præsentiæ parochi: quod impedimentum dirimens, vltimo loco positum est à Concilio Tridentino. Lex vero sola laica plures causas voluit matrimonia etiam legitime contracta, dirimere, vt supra vidimus. Vtraque lex impedimenta dirimentia posuit varios consanguinitatis & affinitatis gradus. Si lex Ecclesiastica, aut præscriptione, aut tacita Principum concessione corroborata intelligatur, standum est illi: & matrimonia illa nulla erunt, quæ contra tales leges contrahantur. Quæ vero contrarias habent leges ciuiles eas, quas vel Principes nunc dominantes tulerunt, vel ex Imperio Romano sumptas approbauerunt, ea absolute nulla sunt & irrita, etiamsi Ecclesia contrarium statueret. Vbi enim contrariæ sunt circa matrimonium leges, Ecclesiasticæ ciuilibus cedere debent, quia matrimonium est verus contractus ciuilis, in quo Ecclesia vt Ecclesia nihil iuris, nihil potestatis habet.

LXVIII. Quod igitur attinet ad impedimentum quod inter masculum & fœminam sanguinis propinquitas solet interponere, ne sint illi inter se coniugii capaces, dubitandũ nõ est iure diuino naturali & consequenter indispensabili, inter patrem & filiã, matrem &

filium

filiam tale impedimentum perpetuo intercedere, quod etiam Adamus ipse diuina reuelatione explicauit, dicens; Propter quod homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori, hoc est, vt interpretatur Caietanus *in Matt.c.*19. Homo & mas & fœmina relinquent, mas quidem matrem, fœmina vero Patrem, vt non commisceantur vnquam inter se, & extra patrem & matrem, filij quærant coniugia illisq; hæreát. Reliqui gradus quicunque videntur permissi omnes, iure diuino naturali, ad legitima matrimonia contrahenda. Sunt tamen, qui omnem primum gradum consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transuersa, & primum affinitatis, in sola recta linea, iure diuino naturali & indispensabili prohibitum censeant ad matrimonium contrahendum: quod Bellarminus *de matrim.l.*1.*c.*28. cum maiori parte scholasticorum conatur defendere. Et res est valde rationabilis, naturæque humanæ vt rationalis est, admodum con[illegible] A talibus enim coniunctionibus, etiam in li[illegible] transuersa, vt fratris cum sorore germana, etiam gentiles abhorruisse inuenimus.

LXIX. Sunt tamen, qui iure diuino naturali solam rectam lineam excipiant: inter fratres vero & sorores iure naturæ licita esse putent coniugia. Caietanus *vbi supra & in* 22.*q.*154. *ar.*9. partem hanc acriter tuetur. Hab. t exempla in Scriptura: nam Adami & Euæ filij immediati, non solum potuerunt, sed etiam debuerunt proprias sorores in vxores ducere. Et quoniam hi necessitate generis humani propagandi excusantur, addit exemplum Abrami, qui sororem suam Saraim habuit vxorem: & dictum filiæ Dauid Thamar, quæ Amoni fratri ait, 2. *Reg.* 13. quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi. Probabile tamen non est, Saraim fuisse sororem germanam Abrami, licet fuerit neptis, hoc est ex fratre Aram filia: & consequenter in sensu latiori soror: sed certe voluit ipse, sine mendacio tamen ipsius, vt & Pharao, *Gen.*12. & Abimelech *Gen.*20. putarent eam esse in vero & proprio sensu sororem, vt sic excluderet cogitationem illorũ, eam [illegible] ipsius vxorem. Adulterium enim reformidabant, & abominabile putabant gentiles illi, vt quis propriam sororem habeat vxorem. Hoc igitur ipso quod soror esset, statim insinuatum colligebant, non esse vxorem; atq; hoc pacto, sine periculo vitæ Abrami, poterant eam sibi tollere, & vxorem habere. Scriptura quoq; *Gen.*11.31. ipsam Saraim vocat nurum, & non filiam Tharæ patris Abrami.

LXX. Obijcies primo, Postquam reuelatum fuit Pharaoni, Saraim esse vxorem Abrami, nullam attulit Abram excusationem, quod sororem suam dixerit; debuisset autem rem aperire de sua æquiuocatione, quod sororem vocarat in sensu latiori, pro nepte, seu [illegible] guinea. Alioqui, si mos non erat inter illos, sorores proprias in coniuges accipiendi, scandalum me[illegible] fuisset. Respondet Bellarminus, credibile esse, Abramum exposuisse, licet Scriptura id non dicat. [illegible] vero respondeo, Pharaonem ex se potuisse sibi satisfacere, quia bene sciebat nomen fratris & sororis esse ambiguum. Et qui prius id nomen in pro[illegible] acceperat, vbi sciuit eam esse vxorem, quia [illegible] ciebat sororem veram esse non posse, ani[illegible] ex se id quod erat, & solertiam Abrami po[illegible] dare, qui ambiguo verbo voluerit periculum cauere.

LXXI. Obijcies secundo. Non potuisse Saraim esse filiam Aran fratris Abrami. Abram enim erat primogenitus, quia chronologia Scripturæ ante eum tota per primogenitos procedit, vt patet. Cum autem Sarai decẽ tantũ annis minor natu esset Abramo (ait enim ipsa, *Gen.*17. Putasne centenario nascetur filius; & Sara nonagenaria pariet?) profecto quando Sarai nascebatur, tunc Abram erat decem annorum puer: Aran vero, cum esset iunior Abramo, erat infra decimum annum, quando Sarai nascebatur. Quis autem vidit, præsertim in prima illa antiquitate, quãdo pronecta iam ætate homines prolem primam suscipiebant, quod pueri septem annorum generarent? Certe Aran saltem duobus annis erat Abramo iunior. Nachor enim ponitur secundo genitus, tertio vero Aran: Conceptio ergo Saræ fuit ad summum anno septimo ætatis Aran, vt patet cuique supputanti. Respondeo nodum esse difficilem. Qui faciunt Abramum primogenitum Tharæ, coguntur Aramum octennem ad summum genitorem facere. Ita Genebrardus, *breuil. l.* 1. in generatione Tharæ: non enim id putat absurdum in illa fœcunditate naturæ, & habet Rabbinos propitios. Qui vero Abramum faciunt non primogenitum, chronologiæ Ecclesiasticæ filum abrumpere coguntur. Anni enim Abrami non possunt coniungi cum annis Tharæ: siquidem quo anno ætatis Tharæ natus sit, si primogenitus non est, non apparet. Ego tamen assentiri non possum quod octennis generet: ac proinde Abramum primogenitum facere non possum, sed Aramo iuniorem: & quamuis Moyses scribat, Thare genuisse Abram, Nachor, & Aran: nominauit tamen prius Abram, ob dignitatem, tanquam caput & radicem Iudæorum. Sic 1. *Paralip.* 1.28. prius nominatur Isaac, quam Ismael. Aliunde vero possumus Chronologiam stabilire, hoc pacto. Thare cum primum cœpit filios generare, erat annorum septuaginta. *Genes.*11.26. & habuit inde illos tres filios: & cum illis egressus est de Vr Chaldæorum, & venit Haran, seu Carras Mesopotamiæ, ibique mansit, & mortuus est annorum 205. *Genes.*11.32. Abram vero egressus est ex Mesopotamia, ex vrbe Haran, cum Lot, vt iret in terram Chanaan, eo vocatus à Deo: & tunc Abram annum agebat septuagesimum quintum; *Genes.*12.4. egressus vero est post mortem patris. *Actor.* 7.4. igitur inter primam Tharæ prolificationem, & inter natiuitatem Abrami, intercedunt anni 60. vt sic impleantur anni vitæ Tharæ 205. Atque hi 60. anni in illis chronologijs pereunt, quæ Abramum faciunt primogenitum. Neque turbetur quis, quod potius Thare dicatur egressus de Vr Chaldæorum cum filijs suis, inter quos erat Abrã, quam ipse Abram. Vere enim Abram vocatus fuit à Deo, cum adhuc cum Patre esset in Vr Chaldæorum: oportet ergo asserere, Abramum Patri suo suam vocationem significasse: & ita Thare in gratiam Abrami egressus est ex Vr Chaldæorum: cumque venisset in Mesopotamiam, libenter substitit in Haran, & ibi vsque ad mortem mansit: quem Abram deserere noluit: mortuo autem ipso, suam peregrinationem Abram est prosecutus versus terram Chanaan. Sed mittamus ista. Sat sit, non constare Saraim fuisse veram sororem Abrami. Ad verba Thamar, etiamsi quid adæquate responderetur, nõ occurreret, non propterea res insolita & inaudita, etiam inter gentes, & expresse prohibita in lege hinc erit asserenda. Ego puto puellæ illi in illa turbatione, venisse in mentem, Regis potestatem magnam esse, & extendi etiam ad talium coniugiorũ inter fratres concessionem: cuius rei non scientiã, sed suspicionem tunc haberet. Bellarminus puellæ in illis angustijs positæ, & sese quoquo modo liberare cupienti verba non nimium aduertenda putat. Sed hoc mihi videtur parum commode responsum: se enim

illa adhuc magis irridendam exhibuisset Amnoni, si rem impossibilem ei proposuisset. Proposuit autem id quod ipsi videbatur potuisse Amnonem rationabiliter mouere, vt suæ libidini legitime satisfaceret.

LXXII. Facile itaq; concedi posse arbitror, iure diuino naturali prohiberi hominib. non modo gradus omnes consanguinitatis in recta linea, sed etiam primos omnes in transuersa, hoc est, inter fratres & sorores; non tamen video, id omni ex parte plane necessarium esse de ipsis fratrib. & sororib. fateri: Nam si coniunctio fratris & sororis naturalem contineret deformitatem, necessitas propagationis eam non tolleret, nec Deus voluisset, vt primi primorum parentum filij, sorores sibi in coniuges copularent: potuisset n. illi deformitati occurrere plurium fœminarum creatione. Quamuis a. aliquis probabiliter cum Caietano diceret, ius naturæ nuptias inter fratres & sorores non tollere, æquitas tamen naturalis maxima est, vt sublata necessitate, tales nuptiæ omnino auferantur. Quare sicut probabile mihi videtur, grad' omnes, & rectos, & transuersos *Lev. 18 & 20.* à Deo prohiberi, tanquam declaratione quadam iuris naturæ; ita etiam probabile puto, non ex ipso naturali iure, sed ex æquitate naturali, gradus illos omnes transuersos, iure diuino positiuo prohiberi: & sic coniugia illa omnia vtriusq; lineæ in primo gradu, & nonnulla transuersæ in secundo, etiam sstituratis, prohibuit. Quæ prohibitiones transuersalis lineæ si sint iuris naturæ, (de recta enim nõ dubito) seruandæ omnino sunt, vt quodammodo intra toti generi humano, sed fidelibus vel maxime. Si autem iuris tantum positiui, illæ profecto extra populum Israeliticum, cui soli datæ sunt, vim legis præceptiuæ non habebunt; quia iudiciales tantum sunt, nõ morales, & alios nõ obligant, vt probat Bellarminus: *de Matr. l. 1. c. 27.* & soluit argumentum illud ex Scriptura pro lege naturæ deductũ, vbi Deus dicitur gentes ideo puniuisse, quia in gradib. illis ibi prohibitis, matrimonia inter se contrahebãt: puniuit enim illas gentes propter adulteria, incestum in recta linea, & coitum cum bestijs, & fœdas commistiones, quæ ibidem Israelitis, vt naturali iuri contrariæ, seuere prohibentur, & mortis pœnam habent, quam omnes illi gradus transuersi non habent; aliqui enim solam habent carentiam filiorum. Probabilitas tamen adhuc in eo argumento pro iure naturæ in omnib. relinquitur. Nam Deus dicit se illas gentes exterminasse, quia in omnib. illis peccauerant. Maneat itaq; in vtranq; partem probabilitas: nam illud, *in omnibus*, possumus glossare, In omnib. illis turpissimis & fœdissimis. Siue ergo necessarium, siue probabile tantum sit, primos gradus, etiam transuersos, iure naturæ esse illicitos, cum maximam saltem æquitatem naturalem contineant, & omnes omnium etiam gentium leges, eos prohibeant, indispensabiles esse omnino censendi sunt. Incestum profecto Gentiles reprobarunt, & legib. auerterunt. Certe Romani antiqui nuptias inter sanguine coniunctos prohibuerunt; & rationes affert Plutarchus *in qq. Rom. q. 108* æquitati rationabili congruentes: quærit enim, Cur Romani cognatas non ducunt vxores? & respondet: An vt coniugijs augerent necessitudines, multosque sibi pararent cognatos alijs dando, ab alijs accipiendo mulieres? Aut metuentes sibi à discordijs coniugalibus, quæ exortæ inter cognatos, præter coniugum debitum amorem, etiam naturæ iura essent abolitura? Aut videlicet, mulieribus ob imbecillitatem opus esse multis defensorib. noluerunt cognatas ducere, vt ipsis auxilio esse possent, si à maritis iniuria afficerentur? Has easdem ferme rationes exagitat etiam Augustinus *de ciuit. Dei l. 15 c. 16.*

Et hoc tantum vult Ambrosius, *ep. 66.* vbi coniugia in tertio consanguinitatis gradu interdicta ait voce naturæ. Ac profecto prohibitionem Romanam ad secundum consanguinitatis gradum se extendisse inuenio, tam in recta, quàm in transuersali linea; quem secundum gradum etiam lex Hebraica *Lev. 18. & 20.* non excessit: non tamen omnes est amplexa: neque modo Roma iam Christiana tantum habuit legem à Theodosio seniore latam, *apud Ambr. ep. 66 ad Paternum*, qui coniugia inter patrueles, & consobrinos vetuit; sed etiam antiqua Roma ethnica diu id seruauit. *Plut. vbi sup. q. 6.* Antiquitus enim, *ait Plutarchus*, sanguine iunctas Romani non copulabant sibi in matrimonio, vt ne nunc quidem materteras, aut sorores. Sero concessum fuit, vt ducere consobrinas liceret, idque tali de causa. Vir quidam pecuniæ indigens, alias honestus, & gratia populari nemini inferior, consobrinam habere putabatur vxoris loco, ad quam hæreditate dos magna peruenerat, eaque ratione diues ipse esse, cui cum esset eo nomine dies dicta, populus omissa causæ cognitione, eum absoluit, decretoque facto, nuptias consobrinarum permisit publice, coniugio autem superiorum graduum interdicto. Cum autem secundus gradus, præsertim transuersalis, lege naturæ non prohibeatur, vt omnes fatentur, & tamen legibus Ethnicis ille quoque sit à coniugijs exclusus, non sequitur, iure naturæ id prohiberi vel præcipi, quod gentiles secundum rectam rationem prohibuerunt, vel præceperunt.

LXXIII. Legibus porro solis ciuilibus laicæ potestatis, non Ecclesiasticis, impedimenta ex consanguinitate, & affinitate fuisse coniugijs interposita satis ex eo constat, quod ante Gregorij tempora nullam habeamus in talibus Ecclesiasticis tabulis coniugiorum prohibitionem: sed Ecclesiam hoc, vel ex Leuitico, vel ex legibus ciuilibus, instructionem semper sumpsit, sicubi ex coniugatis scandalum interdum exortum est & pacem turbauit Ecclesiæ, remediaque pœnitentialia fuerint adhibenda: ita profecto Paulus fornicatorem Corinthium excommunicat, & tradit Sathanæ, quia nouercam in vxorem duxerat; & sane potuisset rationem suæ districtionis eam reddere, quia in lege Mosaica, *Leuit. 18. 18. & 20. 11.* id sub pœna mortis prohibetur; sed tamen quia sciebat, leges illas iudiciales Israeliticas ad populũ Christianum non pertinere, potius legibus politiæ secularis Romanæ videtur nixus, in illum, tanquam legum communium violatorẽ excanduisse. Auditur, *inquit*, *1. Cor. 5. 1.* inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes. Cũ a. inter gẽtes tale scelus nõ committeretur, profecto (meo iudicio quod melius ei suppono) seueris legib. & supplicijs oportuit esse prohibitum; Illum vero Corinthium coniugio sibi nouercam copulasse, & non simplici carnis lapsu constuprasse, videtur mihi omnino dicendum; nam tales lapsus priuatim, & secreto fiũt, & tales lapsus furtiuos non contingere inter gentes, Paulus non affirmasset, sicut affirmare potuit de publica coniunctione coniugali, quæ apud gentes non permitteretur, sed publicis legib. vetaretur. Poterat Paulus satagere, aut illum tanquam legum violatorẽ, & abominanda etiam gentilib. scelere patrantem deferre, qui nõn nisi Christianis fratrib. id fecisse innotuerat, quod forsasse mortuo patre, proprio toro, intra domesticos parietes nouercam copulasset, nolebat tamen Christianos esse sanguinarios accusatores, quos paulò post *1. Cor. 6* seuere deterrebat ne infidelium iudicia subirent; sed satis habuit illum excommunicare, vt incestam coniunctionem ipsemet separaret, & pro facinore pœnitentiam ageret.

LXXIV.

LXXIV. In Ancyrano Concilio *cap. vlt.* legimus facinus cuiusdam, qui sponsæ propriæ sororem violauerat, ex quo illa etiam conceperat, sibiq; postea necem intulerat. Ibi tamen nihil habemus de defectu matrimonij ex tali incestu. Solū ad pœnitentiā illi redigunt, qui talis facinoris fuerant conscij, & adiutores. Neocæsariense Concilium c. 2. graue pœnitentiā indicit mulieri quæ duob. fratrib. nupserit, & supponit hoc iam esse illicitum; non tamen ipsum Concilium hoc tunc primum prohibet. Sic facit et Concilium Elibertinum c. 61. aduersus eum, qui post mortē vxoris, sororem eiusdem vxoris sibi matrimonio copularat, pœnitentiam indicit, tanq̄ in rem iam prohibitam, & illicitam, procul dubio legibus sæcularib. Concilium Agathense c. 61. *Hab tur. 35. q. 2. c. De inc. rtis.* coniū. mortui gradus prohibitos, quorum nullus secundum excedit, & renouat prohibitionem: sed tamen fatetur eos gradus iam esse prohibitos: Quos omnes, *inquit,* & olim, atq; sub hac constitutione, incestos esse non du[bitamus.] Quod hæc Cōcilia, vt iādiu prohibitū, agnoscunt, id Concilium Aurelianense I. c. 20. sub Clodouæo, & ipso Clodouæo iubente, quasi denuo statuit: canō[n] sic se habet: Nec superstes frater torū defuncti fratris ascēdat; nec se quisquam amissæ vxoris sorori audeat sociare. Quod qui fecerint Ecclesiastica districtione feriantur.] Sed hoc est prohibitiones resumere potius, ac olim iam factas intimare, quam nouas promulgare. Concilium Epaunense c. 30. totidem verbis eundem Canonem Concilij Agathensis. Aruernense vero c. 11. gradus eosdem, primum & secundum quaqua versum, matrimonia nulla efficere docet; atq; ex Leuitico, & ex naturali æquitate, ab exemploq; Apostolis, & statutis Patrum, istas corroborat prohibitiones. Turonica Synodus altera c. 22. pro his ipsis consanguinitatis & affinitatis, non vltra secundum gradū impedimentis confirmandis, vtitur primum Leuitico, deinde resumit Canones Aurelianensem, Epaunensem, & Aruernensem.

LXXV. Matisconense tamen secundum, c. 18. ad ipsas sæculares in his prohibitionib. se reducit: Incestum, *inquit,* copulationem, in qua nec coniux, nec nuptiæ iste appellari leges sanxerunt, Catholica omnino detestatur, atq; abominatur Ecclesia, &c.] Leges vero hasce intelligendas esse sæculares, planū est, quia passim nomine legis statuta intelliguntur potestatis laicæ, nam Ecclesiastica non vocantur leges, sed Canones, & ideo idem Concilium nonum Canonem [in]cipit. Licet reuerendissimi Canones, atq; sacratissimæ leges, &c. & *canone* 16. reprehendit eos, qui calcatis canonib. & legib. quædam iniusta committunt. Autissiodorense vero c. 27. *& seqq* ferme ex Leuitico gradus censet prohibitos.

LXXVI. Patres quoq; veteres, quib occurrit interdum de prohibitis hisce ob incestum coniugiis aliquid commemorare, prohibitionem ad leges eiusdem [re]tulerunt. Timotheus Alexandrinus in suis [res]ponsis [Ca]nonicis *can.* 11. *Bibl. SS. PP. to. 6.* sic habet, Si [quis] clericum vocauerit, vt matrimonio coniungat, audit autem esse illicitum matrimonium, vtpote relictæ coniugium, vel defunctæ vxoris esse sororem eam, quæ est matrimonio coniungenda, debet qui clericus, vel facere oblationem? Respondeo verbo dicere, Si audiuerit clericus illicitum matrimonium, & legibus contrarium, non debet clericus alienis peccatis communicare.]

LXXVII. Ambrosius *ep. 66.* in Paternum satis commotus, quod filio suo neptem ex sua filia dare vellet in [vx]orem, cum omnia colligeret quę ad tale connubium dissuadendum possent inseruire, nullam legem Ecclesiasticam habuit quæ id prohiberet, sed partim ex Leuitico, & æquitate naturali, partim ex Imperiali lege Theodosij deducit ā simili argumenta ad illud matrimonium improbandum. Sic et Augustinus, *de ciuit. Dei. l. 15. c. 16.* vt eosdem gradus excludat, plures amplificat congruentias æquitatis; nec lege Ecclesiastica quicquam cautum profert; leges tantum ciuiles profert, nam secundum gradum transuersalem inter patrueles, & consobrinos prius licitum, iam legibus prohibitum affirmat. Experti *inquit* sumus in connubijs consobrinarum, etiam nostris temporib. propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.] Audio Augustini adhuc tempore, profecto Christianos, matrimonia in secundo gradu transuersali iniuisse & hoc tunc neq; diuina lege, neq; humana fuisse prohibitum, & tamen, si quid ratio illa congruentiæ a Plutarcho primum posita, deinde ab Ambrosio *ep. 66.* & ab Augustino *de ciu. l. 15. c. 16.* exaggerata, ab Aquinate quoq; 22. *q. 154 ar. 9.* & Scholasticis, ac vltimo à Bellarmino *de Matr. l. c. 29.* tractata, vigeret, non solum primum, sed etiam secundum excluderet; in ea vero charitas ponderatur hoc pacto.

LXXVIII. Vt homines, inquit Augustinus, *de ciuit. D. l. 15. c. 16.* quib. esset vtilis atq; honesta concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur: nec vnus in vna multas haberet, sed singulæ spargerētur in singulos: ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam plurimę plurimos obtinerent.] Topica sane ratio apud Plutarchum supra dūtaxat problematica: ex illa n. sequeretur, cauendum et esse, ne eiusdē ciuitatis ciuib darentur mulieres in ea natæ; sed alienius, vt sic charitas non se intra mœnia sola ciuitatum arctaret, charitas n. non solos complectitur conciues, sed etiam externos. Neque desunt rationes æquitatis nihil minus valentes, ex quib. sequatur oppositā congruentiā, matrimonia esse intra consanguineos celebranda; vt sic domus & familiæ se ipsas conseruent, vt bona vnius familiæ non distrahantur in aliam. Vnde bene ibidem ait Augustinus Fuit autem antiquis Patribus religiosæ curæ, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondum longe positam rursus matrimonij vinculo colligare, & quodammodo reuocare fugientem.]

LXXIX. Ex his igitur omnib. habemus sufficienter, solam legem ciuilē ordinarie limitare gradus sanguinis, excepta recta linea tota, & forte primo transuerso, qui cognatos, agnatos & affines reddant coniugij inter se incapaces; Ecclesiam vero, propter prætermissa [in] hoc genere post multa secula statuisse: Nā post Gregoriū, q & ipse ad leges in hac materia recurrit, iā frequentes apparent & Romanæ Decretales & Conciliorū decreta in eodē genere satis multa 35. *q. 3. c. Quedā & ca q. 8. c. Deg ad b* Habemus et totā priscam Ecclesiā, cum Leuitico & Republica consentientem, vt vltra secundū consanguinitatis & primū affinitatis gradum prohibitio nō extenderetur. Quare optimum esset, & saluberrimū, si Principes ad eundem statum omnes has consanguinitatis & affinitatis reducerent prohibitiones. Non enim alia de causa Romani Pontifices vsque ad quartum gradum prohibitiones has extenderunt, nisi vt frequentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam Curiam cōfluit, & assignata sunt in Cancellaria pro singulis remotiorib. gradib. precia: nā propinquiores, cōpositiones facere debent sane ingentes, vbi præsertim coniuges vel diuites sunt vel magnates, vel Principes. Ex

hoc

hoc procul dubio facit, vt leges Ecclesiasticæ talium nuptiarum prohibitiuæ, sint prorsus iniustæ ac nullæ: non enim honestatem, & decentiam respiciunt, aut in re ipsa æquitatem, sed solum proprium lucrum: nemo enim est cui tales dispensationes negentur, & quotquot eas petunt, tot eas accipiunt, solo precio exhibito, imo ne à Papa quidem postulantur, sed prostant in publico officio cuicunque accedenti venales. Cum ergo iniustæ sint, neminem obligant, neque vere faciunt quenquam coniugij incapacem. Si ergo contrahat quicunque cum quacunque consanguinea vel affini, exceptâ lineâ rectâ, & primo gradu in transuersa, qui partim iure naturali diuino, partim omnium ferme Rerumpublicarum legibus prohibentur, matrimonium erit legitimum, ac omnino insolubile: & quousque Principes in hoc genere aliquid firmum & stabile statuant, possunt homines tutâ conscientiâ, nihil obstante quocunque gradu, vltra rectum & primum transuersum sua inire matrimonia.

LXXX. Alia quoque legibus ponuntur impedimenta, quæ materiam matrimonij remotam facere dicuntur talis contractus incapacem; vt ordo sacer, & votum solenne. Sed hoc impedimentum nullum esse ostendi satis *lib. 2. c. 10. 11. 12.* Cognatio spiritualis, & legalis; & hoc etiam nihil valet, quia causa grauis non est, sed leuissima, & consequenter lex iusta non est; igitur neque obligatiua: præsertim etiam quod illa quoque iam solum lucrum respiciat, & dispensationes habeat promptissimas, sed venales. Crimen homicidij, vel adulterij, vel mixtum; sed hoc etiam non est in vsu, nisi in gratiam crumenæ Domini Papæ. Iustitia publicæ honestatis eâdem ratione nutat, & si qua sunt similia. Et in his impedimentis omnib. quæ sola lege humana afficiunt homines matrimonia contracturos, maxime necessarium esset, vt Principes supremi singuli in suis ditionibus, coniunctim cũ Episcopis ad Synodos conuocatis, siquidem in hoc iam aliquid præscripserunt, aut saltem Metropolitis, ad firmam & stabilem regulam omnia reuocarent.

LXXXI. Alij demum sunt defectus ex parte materiæ proximæ, quam etiam formam aliquo modo possumus vocare: quæ est consensus firmans, & formans, ac complens contractum. Qui consensus, nisi liber & deliberatus, ac completus adsit, matrimonium nullum erit. Consensus autem vitiari potest, ignorantiâ & vi, ac metu. Ex his deceptio in persona quoad substantiam; & coactio etiam per metum reuerentialem, quia tollunt consensum vel libertatem consensus, ideo nullum est matrimonium. De his nihil habeo noua dignum consideratione. Relinquantur ergo Scholasticis, & Summistis, & in reliquis reformetur matrimonium; veste sacra Sacramenti spolietur, & bonis ac firmis legib. præsertim secularibus, stabiliatur.

CAPVT XII.

Potestatem propriam Ecclesiasticam in variis esse subiectis.

SVMMA CAPITIS.

Potestas ordinis & iurisdictionis diuersa, n. 1.
Non Communitati, sed Prælatis data est potestas iurisdictionis, etiam ordinandi ministros, n. 2. 3. 4.
Ordinis potestas cum iurisdictione in Episcopis & Presbyteris, n. 4. 5.
Potestas ministrandi Baptismum etiam in Diacono & laico, n. 6.
Eucharistia quem ministrum habeat, n. 7.
Ministri aliorum impropriorum Sacramentorum, n. 8.
Minister hæreticus vel malus an conferat Baptismum, num. 9. 10.
An præparet Eucharistiam, n. 11.
Ministri intentio non requiritur in Baptismo, à num. 12 ad n. 20.
Nec in Eucharistia, n. 21.
Qui sit minister confirmationis, n. 22. 23. 24.
Clauium potestas in quo subiecto sit in pœnitentialibus, n. 25. 26. 27.
Casuum reseruatio à Papa præsertim, à n. 28. ad n. 34.
Sacerdos remitti vere, & non tantum declarat esse remissa peccata, à n. 35. ad n. 52.
Sacerdos malus an remittere possit peccata, num. 53. 54. 55.
Ad excommunicandum claues penes quem, & in quos sint, à n. 56. ad 60.
Ad absoluendum claues: & nequis ab alio absoluatur, nisi à suo excommunicatore, à n. 61. ad n. 66.
Excommunicatio sine clauibus a quo feratur, & tollatur, nu. 67. 68.
Ex potest populus suum Episcopum, & Episcopus Papam Excommunicare, n. 69. 70. 71.
Indulgentiarum siquis thesaurus esset, ipsius claues solus Papa non haberet, n. 72.

I. POtestatem in Ecclesia ipsius propriam, passim à Theologis, & Canonistis distingui iam vidimus *supra cap. 2. & 4.* in potestatem Ordinis, & potestatem Iurisdictionis. Et distinctionem hanc nos quidem admisimus, sed longe diuerso sensu ab eo qui tali distinctioni passim ab omnibus datur. Et hanc potestatem iurisdictionis ad solos effectus externos posuimus, ordinis vero ad solos internos. Et vero quidem Scholastici potestatem ordinis totam & æque ponunt in vnoquoque ordinibus initiato, Episcopalem in vnoquoque Episcopo, presbyteralem in vnoquoque presbytero, iurisdictionis vero non item: sed plenitudinem ponunt in Papa, participationem vero in Episcopis & Presbyteris; & ne subiectum proprium potestatis iurisdictionis Ecclesiasticæ faciunt ipsum Papam; alios vero Prælatos & Presbyteros faciunt subiectũ talis potestatis participatæ seu delegatæ. Atque hoc iam satis confutaui, partim *lib. 2. cap. 5. à num. 16. deinceps:* partim in hoc *5. lib. capit. 2. ferme toto:* ostendique in genere, nihil potestatis propriæ Ecclesiasticæ dari in Ecclesia, quin illa simul cum ordine detur: ita vt illam totam plenissime ferat secum sacer ordo, seu missio, Episcopalis Episcopalem, Presbyteralis Presbyteralem. Itaque subiectum omnis potestatis Ecclesiasticæ, quæ sine sacro Ordine exerceri non possit, sunt ipsimet ordinati, Episcopi videlicet, & Presbyteri. Potestas vero ordinandi Episcopos, est in ipsis Episcopis; nam & ipsa pendet ab Ordine, hoc est, ex missione Episcopali. Hæc omnia in genere sunt à me in præcedentibus exacte tractata, & explicata. In hoc vero postremum huius libri caput magis speciales de subiecto Ecclesiasticæ potestatis considerationes reieci. Num videlicet aliquam specialem potestatem Ecclesiasticam habere possit in Ecclesia aliquis non ordinatus, neque ministerrite consecratus: & qui sint qualesue esse debeant Sacramentorum ministri, ad hoc vt Sacramenta subsistant & operentur: & an claues sint in manibus aliquorum qui Ordine sacro Episcopali, aut Presbyterali non sint insigniti.

II. Circa subiectum Ecclesiasticæ potestatis grauis est difficultas illa, quæ inter Scholam Parisiensem, & Romanam Ecclesiam iandiu ventilatur, num videlicet

cet potestas hæc immediate à Deo conferatur primū Communitati Ecclesiæ, & per illam ipsius ministris, *Episcopis* & Presbyteris: an v. immediate Episcopi & Presbyteri à Deo illam habeant, & ipsi sint immediatum subiectum huius potestatis. Parisienses præsertim Almayous *de potest. Eccl. & lai.* & Ioannes maior *in Matt. c. 16.* immediatum Ecclesiasticæ potestatis subiectum faciunt Ecclesiæ Communitatem, contra Caietani tractatum *opusc. 1.* Assertiones eorū in compendio & loca proculi *lib. 4. c. 7. n. 4.* Caietanus tamen rursus opposuit murum pro domo Papæ, in sua contra eos apologia *opusc. 2.* Romani volunt, summam Ecclesiasticam potestatē à Christo datā fuisse Petro, ac proinde Papæ Petri successori: Parisienses v. dicunt datā Petro, sed nomine totius Ecclesiæ, ideo mortuo Papa summam Papalem autoritatem esse in tota Ecclesia vniuersali. Propterea Romani præferunt Papam Cōcilijs, contra v. Parisienses Concilio vniuersali subdūt Papam. Potestatem tamen summam laicam vtrique ponunt in Communitate ciuili, tanquam in proprio, & immediato subiecto; in Regib. vero & Magistratib. non nisi mediante multitudine. Hi tamen omnes errant, & ex eorum mihi pugnam repræsentant. Errorum causa est illa falsissima suppositio, in qua vtraque pars perperam conuenit. Potestatem vtramq; prius quam tetiu singulis Ecclesiæ, vel Regnorum Rectoribus, in vno aliquo subiecto vniuersali debere reperiri, hoc subiectum vniuersale potestatis Ecclesiasticæ ponunt Romani Papam: Parisienses vero volunt esse vnum quoddam subiectum collectiuum, ipsam Ecclesiæ Communitatem. In Laica vero conueniunt, subiectum esse Communitatem. Errant tamen in suppositione: quia neq; natura, neq; Scriptura, neq; Sapientes, vt ponamus hoc subiectum vniuersale, cogunt: & de Ecclesiastica quidem potestate id ego probaui satis in præcedentibus. De laica vero probabo clare *lib. 6. sequenti c. 2.* Sed eodem modo vtram-q; potestatem à Deo communicari immediate ipsis Rectoribus, tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ, Communitati non item. Et [illegible] spectat ad Ecclesiasticam potestatem in particulari, dum singulos percurrimus, videbimus quanam [illegible] Communitas Ecclesiæ possit Ecclesiasticam potestatem exercere.

III. Christus Dominus totum regimen totamque administrationem Ecclesiæ suæ suis solis commisit Apostolis, nihil multitudini, quæ regi debet & non regere, instrui, & non instruere, sacra accipere, & non dare. Loco v. Apostolorum, non successit ipsa Ecclesiæ C[illegible]munitas, sed sacri illi ministri, quos ipsi autoritate à Christo accepta instituerunt: & sic deinceps continuata ab Apostolis successione, vt docui *lib. 2.* Episcopi Episcopis successerunt, cum potestate de necessariis Ecclesiæ ministris prouidendi eosq; instituendi, & ordinandi. Itaq; prima potestas, quam ego iurisdi[illegible] voco, quæ est deputandi ministros, & mittendi [illegible] omnib. & singulis Episcopis, seu diuisim, seu coniunctim in Synodis sumptis. Et quamuis Synod⁹, seu Concilium Episcoporum, etiam vniuersale, possit hanc potestatem exercere, non propterea sequitur, hanc potestatem esse in Communitate Ecclesiæ, quia [illegible] solis Prælatis: & Concilium in ordinandis ac mittendis ministris, Episcopali propriā autoritate vtitur, à Deo immediate in singulis accepta, neq; in hoc Ecclesiam vniuersalem repræsentat, neq; id nomine, aut autoritate vlla Ecclesiæ vniuersalis efficit, imo neque quicquam aliud, vt *lib. 7.* docebo. Potestas n. ordinandi [illegible] ministros, non est in Cōmunitate Ecclesiæ, quę cōstat & Clericis, & laicis; sed est in Episcopis, qui soli in hac mittendi, & ordinandi autoritate Apostolis successerunt, quæ omnia sunt à me iā satis *lib. 2.* probata.

IV. Aliæ potestates Ecclesiasticæ ad externa, quas ego *supra cap. 3. huius libri* feci potestates iurisdictionis, sunt circa Ecclesiasticam externam politiam, circa ritus, circa externum cultum diuinum, circa purgationem Ecclesiæ à scandalis, corporali separatione, circa pœnas proprie Ecclesiasticas, circa correptionē, circa Canones condendos, &c. Talium potestas ad Communitatem nullo modo spectat, actiue: Soli n. Episcopi & Synodi, vt fusius ostendam *lib. 8.* hanc exercent potestatem: & ad summum in aliquo etiam Presbyteri, vt paulo post de clauium potestate explicabo. Verum itaque, & proprium subiectum huius potestatis Ecclesiasticæ ad externa, sunt Episcopi tum singuli in suis Ecclesijs, tum in Synodis coniuncti: Qua in re obstrepit nobis Potestas Papalis, quæ in externo hoc regimine vult Episcopos omnes superare. Hanc tamen Papalem potestatem *lib. 8.* profligabo: & verum huius potestatis subiectum ostendam esse Episcopos, & Synodos: sed & Principib. sæcularib. supremis, *lib. 6. proxime sequenti c. 5. 6. 7.* suam in hoc reseruabimus propriā autoritatem, quæ similiter in ipsis, tanquam in proprio resideat subiecto. Relinquitur itaque nobis hoc capite, Ordinis potissimum potestas cōsideranda, vt ei proprium assignemus subiectum Ordinis, inquam, prout est à me c. 3. declarata, nō prout passim à nostris Theologis explicatur. Ordinis n. potestatem voco ego illam, quæ licet opere externo in Ecclesia exerceatur, ad solum tamen internum spiritualem effectum per se & directe tota dirigitur, & sic potestas Ordinis erit omnis potestas, quæ simul cum sacro ordine confertur, sacrum autem ordinem solum ego voco Episcopalem, & Presbyteralem; cuius est Sacramenta præparare & ministrare, & clauib. Ecclesiæ vti. Totam hāc potestatem ordinis sic explicatam, proprium subiectū habere Episcopos, & Presbyteros, mihi est certissimum, & ita plenam totam ac integram esse in vno Episcopo quocunq; vero & legitimo; sic etiam Presbytero, quoad Presbyteralem, atq; est in quocunq; alio. Atq; hic primum excludo Communitatem, quę sicut Ordinis non est capax vt Communitas, ita neque actum ordinis potest exercere: & consequenter neque in ipsa potest esse vlla Ecclesiastica iurisdictio ad interna: quia iurisdictio omnis Ecclesiastica, ad interna, pendet ab ordine, & est actus ordinis, vt iam in genere probaui tum *lib. 2. c. 5.* tum *hoc ipso lib. c. 3.*

V. Iam v. in specie potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta, procul dubio subiectum suum habet illos, q sunt legitimi ministri Sacramentorū. De quib. ministris solēt multa in Scholis disputari. Sed tres sunt præcipue difficultates: Vna est, an Sacramenta habeāt certos iure diuino, & determinatos ministros, quibus solis detur potestas ad Sacramenta, an vero indifferenter quicunque fidelis possit Sacramenta conficere & ministrare. Altera, an qui est legitimus minister, si fit hæreticus, aut malus & sceleratis. contaminatus, retineat adhuc eam quam habet ad Sacramēta potestatem. Tertia, an requiratur ministri intentio, quæ si absit, non fiat Sacramentum. De his Bellarminus, *De Sacramentis in genere lib. 1. c. 24. & sequentibus.* His difficultatibus grauius premuntur qui septem tuentur Ecclesiæ Christianæ proprie dicta Sacramenta. Nos vero, quoniam duo tantum vera agnoscimus Sacramenta, facilius nos ab his expedire possumus difficultatibus, si eas non in communi, sed in ipsis singulis duobus cōsideremus Sacramentis.

VI. Baptismi ministrū ordinariū faciunt Patres, & Concilia presbyterū sed concedunt etiam inferiores administros ac ordinatæ Diaconum: Hoc habemus

etiam

etiam ex scripturis: nam & Apostolis dictum est, *Matt. vlt. 19. Euntes docete, baptizantes, &c.* Et tamen per suos potius discipulos baptizabant *Act. 10. & c. 1. Cor. 1.* Patres vero id passim admittunt, nec vllum apud eos dubium reperitur. Laicos etiam in casu necessitatis posse Baptismum conferre, vsus multarum Ecclesiarum, & vetera testimonia satis confirmant: fœminas quoque addunt nostri Theologi, imo etiam homines infideles: dummodo faciant quæ facit Ecclesia, & id etiam intendant facere. De fœminis fidelibus res mihi suspecta est; de hominibus infidelibus suspectissima. Tertullianus *de baptismo.* laicum baptizatorem admittit in casu necessitatis; mulierem videtur excludere, fortasse extra casum necessitatis. nam ratio ipsius etiam pro fœmina militat, dum ait, [Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si superséderit præstare, quod libere potuit.] Augustinus similiter *cont. epist. Parmen. l. 2. c. 13.* in casu necessitatis laicum fidelem posse baptizare asserit, infidelem vero ad hoc munus non audet admittere, nec temere vult hoc, sine authoritate tanti Concilij affirmare, quantum tantæ rei sufficit.] Quoniam tamen sua res non caret probabilitate, neque rationes habeo in contrarium penitus conuincentes, præsertim de mulieribus fidelibus, & obstetrices semimortuũ sæpe fœtum ex aluo puerperæ recipiant, statim moriturum, cui Baptismus est adeo salutaris, non repugno: De infidelibus vero, quia vix casus potest contingere, vt praxis rem experiatur, ideo huic non est operæ precium immorari.

VII. Alterum Sacramentum est Eucharistia. Ministrum vero iam probaui *supra c. 6. initio*, necessario debere esse Episcopum, vel presbyterum: non quidem ad ministrandam Eucharistiam, quia quisque sibi ipsi Eucharistiam ministrare potest, vt ostendi *eodem c. 6. n. 154.* sed ad benedicendum, & consecrandum panem; quod non est proprie conficere Sacramentum, sed præparare; non enim panis ordinarij, & communis comestio est Sacramentum corporis Christi; sed panis benedictus, & consecratus, precibus ministri quidem rite ordinati præcipue, sed etiam totius populi assistentis & ad communionem sacram se accingentis. Hæc omnia *c. 6.* ex antiquissima ab ipsis Apostolorum temporibus traditione satis confirmaui.

VIII. De alijs vero quinque quæ dicuntur Sacramenta, non est cur laboremus: etenim non sint Sacramenta, neque potestatem vllam certam & specialem requirant: consequenter neque talis potestatis subiectum est inquirendum. Ordo tamen licet licet Sacramentum vere & proprie dictum non sit, in Episcoporum tamen potestate est, personas ad ministerium deputare & mittere, & non sine precibus ordinare; sed potestatem ministerialem Deus immediate talibus deputatis tribuit. Confirmatio est vera ceremonia Ecclesiastica, & pars Baptismi, ab Episcopis ordinarie, sola Ecclesiæ institutione peragenda: sed *supra cap. 3. huius libri* etiam presbyteros posse chrismate confirmare ostendimus. Vnctio pariter infirmorum, & Matrimonium nullam specialem potestatem requirunt, quia neq; vllum effectum spiritualem efficiunt, vt vidimus *c. 10. & 11. præcedentibus.* Et hæc de prima difficultate sufficiunt.

IX. Secunda difficultas, de hæretico & malo ministro, & ipsa abunde explicabitur, si in duobus Sacramentis Baptismo & Eucharistia, illa expendatur. Hæreticorum Baptismum nullum esse censuit tempore Cypriani, Africa pene tota, & in Oriente Ecclesiæ non paucæ. Baptismum tamẽ ab hæretico etiam suæ sectæ hominib. datum fuisse legitimum Baptismi Sacramentum, modo in nomine diuinæ Trinitatis daretur, Ecclesia semper censuit vniuersalis: & plenarium Concilium, vt loquitur Augustinus, *de bapt. l. 2. c. 9.* definiuit. Et hoc in dubium non est amplius reuocandum: illud tamen certum est, Hæreticum ministrum dum baptizat adultum, Sacramentum quidem Baptismi conferre; at, si Augustinum sequamur, remissionem peccatorum, & dona Spiritus Sancti non tribuere, nõ dico principaliter (quia Deus est qui principaliter in Sacramentis, seu per Sacramenta seu cum Sacramentis operatur, homo vero non nisi ministerialiter) sed ne ministerialiter quidem; quia talis Baptismus rem Sacramenti, hoc est effectum remissionis secum non affert, vt concedit passim Augustinus, & sequuntur Theologi omnes, vbi is qui baptizatur sui baptizatoris erroribus est infectus. In hæretico ergo secundum Augustinum, erit potestas baptizandi ferme æquiuoce, quia nudum Baptismũ potest conferre, sed omni effectu spoliatum; & sic potestas illa spiritualis ministerialis regenerandi homines, remittendi peccata per Baptismum, & Spiritum sanctũ infundendi, pro subiecto hæreticum non habebit. Hæc itaque Augustini sententia, quam alijs etiam occasionib. in præcedentib. posui, & explicaui: is n. Cypriano, & sequacib: cessit, hæreticum dum baptizat adultum suæ sectæ hominem, ei remissionem peccatorum non dare, Sacramentum tamen validum dare contendit, ita vt si fiat Catholicus, non sit rebaptizandus. Sed non video necessitatem cur illud cedatur Cypriano; verum n. est, hæreticum in hæresi baptizatum non accipere effectum Sacramenti, sicut nec recipit qui ficte accedit, hoc tamen non contingit ei ex defectu, seu culpa baptizatoris, sed ex ipsiusmet baptizati culpa, & obice. Hæreticus v. Baptizator, cum baptizet vt minister Ecclesiæ, modo faciat actum à Christo institutum & mandatum, tunc sicut Sacramentum omnino fit, & recipitur, ita & effectum Sacramenti Deus suo donat Sacramento, nisi obstaculum adsit in recipiente. Huc faciunt plurima quæ inferius ponam, vbi agam de ministri intentione. Quæ n. ostendunt in ministro intẽtionem eius propriam nõ requiri, sed satis esse Ecclesiæ intentionem ministerio Ecclesiastico necessario annexam, eadem conuincunt, neque fidem, aut præsentiam Spiritus Sancti in ministro esse necessariam, quia fides Ecclesiæ & Spiritus Sanctus, qui in Ecclesia residet, in actu illo operantur.

X. Eodẽ sane modo de malo & scelesto Baptizatore, licet in fide orthodoxa, & in Ecclesia Catholica baptizante, loquitur Augustinus, ipsũ quoq; nudũ Baptismũ conferre, sed neq; Spiritũ Sanctũ, neq; peccatorũ remissionẽ ipsum tribuere ministerialiter. Hic est, illũ suo illo ministerio hos internos gratiæ effect' nõ attingere, sicut eos bonus & sanctus Baptizator attingit, siue Baptismus attingat tales effectus tanquam instrumentũ, siue tanquã conditio, siue moraliter, siue physice, siue alio modo. Non tamẽ propterea baptizatos qui nullũ gratiæ ponit obstaculũ, sed ad eam est apte dispositus, effectu Sacramenti destitui, quia effectũ plenũ habet, non tamẽ per sui Baptizatoris opus & ministeriũ: q. opus & ministeriũ effectu gratiæ & Spiritus Sancti est destitutũ; quẽ tamẽ effectũ supplet charitas Ecclesiæ, in qua residet Spiritus Sanctus. quẽ necessariũ ẽẽ in ministro peccata, siue per Sacramentũ, siue per claues remittẽte, satis significauit Christ'. quando dixit, *Io. 20. 22. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* quasi dicat, sine spiritu S. hoc facere nõ potestis. Sed si baptizãs vel absoluens Spiritu S. ẽ destitutus, nihil præiudicat rite baptizato, & rite absoluto:

quia effectus quem minister ministerialiter tribuere non potest, nisi ... ab eo qui baptizatur, vel absolutor, si dispositus est, aut non indispositus, recipitur; & non per ministrum, sed per Ecclesiam, vt ipse explicat Augustinus. *Sup. cap. 5. n. 36. & seq. huius.* Quo casu in ministro malo, secundum Augustinum, sola potestas adest baptizandi ministerialiter, non tamen peccata remittendi, & dandi Spiritum sanctum; quæ potestas tunc in nullo homine est, tanquam in subiecto: immo nec in Ecclesia quidem est tanquam in subiecto, tunc enim Ecclesia nihil efficit ministerialiter hoc est, per vllum ministerium externum; sed potestas hæc ad effectum gratiæ, si minister hæreticus vel malus sit, immediate in Spiritu sancto est, quatenus ille perpetuo habitat in Ecclesia. & tunc absque vllo externo Ecclesiæ ministerio, in Ecclesia, & per Ecclesiam interne operatur in eo qui recepit externe nudum Sacramentum dico per Ecclesiam, quia in gratiam Ecclesiæ Spiritus sanctus hæc operatur in baptizatis, qui pacem habent cum Ecclesia; quod tamen non operatur cum aliis, qui pace Ecclesiæ non fruuntur, quantumuis Ecclesiæ Sacramenta recipiant. Secundum hoc itaque est eadem ratio: vt solum impedimentum sit in recipiente Baptismum, non in dante: si enim non sit indispositus recipiens, tunc malus Baptizator, sicut dat ministerialiter Sacramentum quod fide certa tam tenet Ecclesia, quia ad nudum externum ministerium, legitimi tamen ministri, Christus est qui vere & proprie, & principaliter baptizat, ita ad idem ministerium Christus est qui remittit peccata: & vbi Augustinus charitatem Ecclesiæ, & Spiritum sanctum in Ecclesia residentem facit extendi ad supplendum pro malo ministro, ne ille baptizatus, nullum ponens obicem, suo fructu priuetur, cur non dicat actui illo mali baptizatoris ministeriali, adesse Spiritum sanctum qui residet in Ecclesia, & in illo actu effectus cooperari? Bonus enim Baptizator, in quo sit Spiritus sanctus per gratiam gratum facientem, baptizando dispensatiuum ministerialiter, remittit ei peccata, per Spiritum sanctum, non quatenus in ipso residet, sed quatenus est in Ecclesia, & assistit perpetuo tali actui; in Ecclesia facto, à quocunq; fiat, modo legitimo ministerio. Quando vero Christus dixit, *Accipite Spiritum sanctum &c.* Non est necesse accipere ibi Spiritum sanctum, prout significat hominis sanctificationem, & gratiam gratum facientem, quæ in Apostolis aliunde supponitur, sed significat assistentiam Spiritus sancti ad actus Sacramentales ministeriales, & ad vsum clauium: quasi dicat; Remissionem peccatorum sine Spiritu sancto nemo dare potest; vos igitur habetote Spiritum sanctum vobis perpetuo assistentem & vestris successoribus, quoties rite Sacramentis ministrabitis, & clauibus vtemini. Accipere ergo Spiritum sanctum ibi potius est accipere potestatem, gratiam gratis datam, quam gratum facientem. Doctrinam Augustini de extensione charitatis Ecclesiæ ... baptizatos ipsorum recedente fictione, & ... in hæresi baptizati sint, optima est, & nullo ... tenenda: vt ostendo in hoc 5. *libro, cap. 5. n. 41.*

XI. Ex his ... quoque conficiendi potestatem ... & malis Sacerdotibus, criminosis vel delictis ... peccatoribus, vt ferunt sancti Patres: Cyprianus panem luctus vocat panem ab indigno Sacerdote consecratum; & à sacrificiis per impios Sacerdotes celebratis, iubet plebem abhorrere; & eos qui ... sacrificiis se immisceant, dicit esse sacrilegos. Hieronymus ait, Sacerdotes impie agere si putent Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam *vide supra l. 2. c. 4. n. 7.* Et Gelasius *Ibid.* negat Spiritum sanctum ad consecrationem mysterii inuocatum aduenire, si Sacerdos criminosis plenus actionibus reprobetur. Excommunicatos, & de hæresi manifeste notatos Eucharistiam non posse conficere, aut affirmat, aut valde probabile censet Magister, & rationibus optimis & scripturis confirmat. *Ibid. n. 15.* Et sane si solæ ministri preces panem consecrant & faciunt Sacramentalem, optime sequitur, vt locis iam citatis tractaui, hæreticos excommunicatos, scelestosque ministros nihil efficere: quoad priuatas eorum preces, si vt priuatæ sunt, inspiciantur; quoniam tamen preces illæ publicæ sunt, & Ecclesiæ nomine factæ, eas Deus, vt dilectissimæ sponsæ suæ preces audit & exaudit, ac proinde panem illum nihilominus consecrat, benedicit & facit Sacramentalem. Quamuis Patres illi videantur sentire, id fieri non virtute Sacerdotalis benedictionis, sed speciali diuina prouidentia, & benignitate, vt cum Chrysostomo *supra lib. 2. c. 4. n. 16.* explicaui. Subiectum itaque ordinariæ potestatis qua panis fit Eucharisticus, & vnum pariter, est Episcopus & Presbyter: nihil suis culpis & sceleribus obstantibus.

XII. Tertia difficultas de ministri intentione in his duobus duntaxat quæ sunt vera Sacramenta, debet explicari. Necessariam esse in ministro Baptismi, quicunq; ille sit, intentionem, aut specialem baptizandi Baptismo à Christo instituto, aut generalem, faciendi quod facit Ecclesia; ita vt hæc intentio adsit siue actu, siue virtute, est communis sententia Scholasticorum; à quibus tamen Ambrosius Catharinus recessit in opusculo, quod de intentione ministri Sacramentorum scripsit; nec immerito; Deus enim lotioni illi cum inuocatione Trinitatis efficaciam Baptismi adiunxit, non intentioni & voluntati ministri. Neq; Deus suos gratiæ effectus à causa defectibili voluit pendere, neque eos tam lubrice conditionatos esse voluit, nempe si ita alteri placuerit; solam conditionem ponit in materia, vt sit disposita, & capax diuini effectus, non autem respectu agentis ministerialis, à quo nihil aliud requirit, nisi opus solum externum, lotionem videlicet, cum inuocatione Trinitatis. Sed posset, *inquit Bellar. de Sacram. in Gen. l. 5. c. 27. & 28.* sæpe contingere vt quis pius Christianus puerum nondum baptizatum lauare velit tantum corporaliter, vel munditiei, vel valetudinis corporalis gratia, & vt lotio bene cedat, sanctissimam Trinitatem inuocare; hic certe non baptizabit, neq; illa lotio erit Baptismus: nec aliud potest distinguere Baptismum à mera corporali lotione, facta cum inuocatione Trinitatis, nisi sola intentio lauantis.] Respondeo; eum qui petit Baptismum per se, vel per suos parentes & Susceptores, determinare lotionem & à profana ad sacram traducere: Petunt enim illam tanquam Sacramentum; & eam petunt ab Ecclesia, & in Ecclesia, neq; eam petunt à ministro vt homo est, sed vt minister Ecclesiæ, quicunq; ille sit, siue clericus, siue laicus; qui si actionem fecerit, cum illam nomine Ecclesiæ fecerit, planum est actionem illam totam intentioni Ecclesiæ deberi, vt vult etiam Thomas, *3. p. q. 64. ar. 8. ad . & in 4. d. 6. q. 1. ar. 2.* quæ semper Baptismum petentibus, verum Baptismum intendit dare: & hæc Ecclesiæ intentio actionem dirigit, non præsens intentio ministrantis, etiamsi ille ludendi & illudendi animum haberet, & aliud non intenderet nisi solam corporalem lotionem cum inuocatione Trinitatis; eo modo quo quis cum signo crucis, & inuocatione Trinitatis in balneum vt lauetur, ingreditur. Sed hæc vel nulla, vel aliena, vel praua ministri intentio nihil nocet baptizato, quia non est in ipsius potestate peruertere Ecclesiæ intentionem cuius nomine ille facit illam lotionem. Sicut Aman ille scelestus, *Ester. 6. 11.* dum faciebat actionem à Rege Assuero præceptam, vt teneret equum Mardochæi, & clamaret, *sic honorabitur quem voluerit Rex honorare*; profecto nullam intentionem habebat ho-

norandi Mardochæũ, & solũ actum externũ faciebat; & quia id nomine Regis fiebat, ideo Mardochæus vere honorabatur, & Aman, licet inuitus, & alienissimus ab hac intẽtione, vere & proprie illũ honorabat. Sic procurator qui habeat mandatũ procuræ à suo principali ad concludendũ contractum nuptialẽ cum ipsius spõsa absente; si illi displiceret hic cõtractus, nec vllo modo assensum suum proprium internum præberet, subscriberet tamen ea intentione, vt solum nomen suum chartæ imprimeret, eo modo quo literas proprias ad amicos solet subscribere: cõtractus tamẽ esset validus & legitimus, quia non ipsius priuata intentio, sed sui principalis, cuius nomine ea peragit, est inspicienda.

XIII. Distinguenda profecto est actio baptismalis, à simplici lotione corporali, & ex addita inuocatione Trinitatis illa sufficienter non distinguitur fateor; & si determinatio hæc huius lotionis à profana ad sacram aliunde non posset haberi, nisi ex libera voluntate lauantis, necessaria omnino esset intentio ministri, saltẽ faciendi actum illum externum, vt sacrum, & non vt simpliciter profanum, & onde corporalem: & ad hoc Catharinus requirit intentionem. Ego tamẽ ne in hoc quidem intentionem ministri video necessitatem, quia cũ proprio nomine nihil faciat, sed vt minister Ecclesiæ, actio illa ab intentione Ecclesię tota determinatur. Eum vero non operari proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ, non ex ipsius pendet intentione, sed ex petitione eorum qui Baptismum, non lotionem simplicẽ, postulant; ex loco, quia in Ecclesia; ex tempore, ex tot circumstantiis personarum, susceptorum, &c. & in extremo casu necessitatis sola lotio suapte natura distinguitur sacra à profana: alio enim modo adhibetur lotio per modum Baptismi, alio per modum lauacri corporalis, & infans Christianorũ moribundus, hoc ipso virtualiter postulat Baptismum, non lotionem; etiamsi parentes nihil dicerent.

XIV. Ac quẽadmodum diuina prouidentia disposuit, vt actus sacramẽtales qui sint à malo & illegitimo sacerdote, fidelib. tamẽ nihilominus prodessent, Deo supplente ministri defectũ, vt paulo ante exponebam; sic multo magis supplebit, vbi minister est legitimus, & non nisi ex sua malignitate suã alio dirigat intentionẽ: Nõ enim est eiusdẽ diuinæ prouidẽtiæ, talia remedia ꝓ nostra salute instituere, quæ ab humana penderent voluntate, humanæq; malitiæ irremediabili subderẽtur. Sacramẽta profecto posuit in rebus sensibilibus externis, quæ, quoad factum solũ externum, solamq; exeutionẽ, ab humana penderent voluntate; in reliquis effectus internus, vis efficacia, operatio tota à solo Deo essent; & latentes humani animi recessus nihil possent Sacramentis aut obesse, aut prodesse: alioquin Sacramenta totum suum esse reale ab interna hominis haberent cogitatione, quæ esset tanquam forma; actio vero externa tanquam sola materia: actio enim externa, puta ablutio & inuocatio, sine intentione interna ministri, res nuda corporalis esset & profana: accedẽte intentione, iam esset perfectum Sacramẽtum, quod est absurdissimum. Solum enim actũ externum præcepit Christus suis ministris: *Baptizate in nomine Patris &c.* nihil submonuit de habenda intentione. Etenim siquis aliquem virtute mandati Christi lauerit in nomine Patris &c. etiamsi ludens & ioco id fecerit (imo etiamsi intenderit se nolle Sacramentum conferre) erit tamen verum Sacramentum, modo accedat ad hoc opus tanquam minister Christi, & Ecclesiæ.

XV. Vidit hoc aliquo modo Paludanus, *in 4. d. 6 q. 2. ar. 3.* & probabilem putauit eorũ opinionem, qui dicerent, ad perficiendũ Sacramentum requiri quidẽ voluntatem faciẽdi illas actiones externas quas Christus instituit, sed nullã aliam intentionẽ requiri. Vidit quasi per nubem etiã Angelus, *in summa v. Baptismus, 5. n. 7.* qui dicit; Licet Baptizans intendat non facere quod facit Ecclesia, si tamen in re facit, quia formã seruat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare intendat.] Hoc Angeli dictũ nescio quo lapsu Bellarminus *de sacram. in gen. l. c. vlt.* tribuit Innocentio quarto, *cap. Si quis puerum: Extra de Baptismo.* Et tamen illud capitulũ est Alexandri tertij; neq; hoc dicit; sed aliquid aliud, quod Angelus ad suum sensum conabatur adducere. Paludanus itaq; (siue illi Catholici, quorum opinionẽ profert, nec improbat) ac simul Angelus aliquid viderunt, sed nõ potuerunt se prorsus expedire. Si enim illi primi, dum cõtendunt necessariũ esse, vt minister faciat actiones illas, quas Christus instituit, sentiunt ministri voluntatẽ ferri debere in eas actiones quatenus sunt à Christo institutæ, idem sentiunt, quod sentiunt omnes, intentionẽ ministri ferri in eas tanquam à Christo institutas. Ita Angelus videtur contraria ponere: posse ministrũ habere intentionẽ non faciẽdi quod facit Ecclesia, teneri tamẽ habere intentionẽ baptizandi: at intentio baptizandi est intentio faciẽdi quod facit Ecclesia, quę semper in sua ablutione intendit Baptismi Sacramentũ. Dicere voluissent, aut debuissent, ministrũ, siue iocetur, siue ludat, siue etiã expresse iotẽdat puerum illum qui petit Baptismi Sacramentũ tãtummodo lauare corporaliter, cum inuocatione tamẽ Trinitatis excludatq; in sua mente penitus voluntatẽ proprie baptizandi, tamẽ velit nolit, vere proprie baptizare, quia tota hæc ipsius praua intentio non potest efficere, quominus actio ipsius sit actio Ecclesiastica, & nõ mera corporalis ablutio: quia baptizãdus illũ adhibet vt Ecclesiæ ministrũ, & petit ab eo Baptismi Sacramentũ: & ipse dat & exequitur; neq; externe protestatur se nolle baptizare illum, sed tantũ lauare actio ergo illa externa sumit formã ab intentione Ecclesiæ cuius nomine ille minister illam facit actionẽ, & iam consentit externe vt eam eodem nomine faciat, & hoc sufficit. Quicquid vero aliud in mente habet, vel non habet, est per accidens.

XVI. Non est contemnenda, imo irrefragabilis est ratio illa contra hanc intentionis necessitatẽ, quod semper essemus anxij & incerti num simus baptizati, nec ne: semper enim dubitare possumus de intentione ministri; cui anxietati molestissimæ non est verisimile Deum voluisse omnes suos fideles subijcere. Et quamuis parum sit probabile, quenquam voluisse suã Baptizatorum decipere, nihilominus hoc ipsum molestum est cum cogitamus rem possibilem esse, & nullum nos habere modum, quo certi esse possimus nos esse vere baptizatos. Opponit Bellarminus *vbi sup.* eadem incertitudine turbari posse omnes, qui in Infantia baptizantur, cum enim adoleuerint recordari non possunt se esse baptizatos, nisi credere velint parentibus, qui tamen etiam ipsi decipere possunt. Hæc tamen oppositio nihil valet: nam actus externi sua natura sunt demonstrabiles per testes, scripta, memorias, &c. at intentio interna hominis soli Deo est nota; & hominibus perpetuo incognita ac penitus indemonstrabilis.

XVII. Autoritas quoque Augustini, & Chrysostomi plurimum nobis fauet. Augustinus sane *de Bapt. l. 7. c. 53.* proponit quæstiones aliquot, inter eas, num Baptismus bonus & validus sit, qui fallaciter detur, & fallaciter accipiatur. Fallaciter autẽ dantem intelligit eum, qui ioco non serio, nec animo baptizandi, sed ludendi & fallendi, baptizat tamen. Solutionem in Concilio vniuersali se libẽter auditurum asserit; in vtranq; enim partem dubitat, & hoc ex modestia. Sententiam tamẽ suam satis aperit, dum ait, se in Concilio suam sententiam propositurum libenter si vrgeretur, ac dicturum,

sene-

se nequaquam dubitare, eos habere Baptismum, qui vbicunque, & à quibuscunque illud, verbis Euangelicis consecratũ, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent.] Dummodo qui accepit, non sit fictus, & cum fide accedat, verum Baptismum accipiet à quocunq; qui illum verbis Euangelicis, etiamsi fallaciter, & per iocum ministret. Solum actum requirit, Euangelicum tamen, hoc est illum, qui in Euangelio instituitur; de fallacia malę intentionis ministri nihil curat; ad intentionem non confugit Augustinus. Chrysostomus vero *in Ioan. homil. 85.* ait; Sacerdos linguam & manus præbet; neq; enim iustum est propter alterius maliciam ad salutem nostram accedentes ostendi.] Intendit quidem Chrysostomus vitia & scelera mali Sacerdotis non impedire fructum Baptismi, dummodo baptizet externe; quia Spiritus sanctus qui in Ecclesia manet nihilominus assistit, vt supra explicaui; si tamen intentio esset præter actum externum necessaria, debuisset dicere Chrysostomus, Sacerdotem manum & linguam & intentionem præbere. At non quærit intentionem, quia supponit Sacerdotem baptizare tanquam ministrum Ecclesiæ, & vbi ab eo requiritur, non nuda corporis ablutio, sed illa quæ in Ecclesia datur. Eadem ratione etiam Nicolaus Papa, vt obseruat Catarinus, interrogatus ab baptizati à Iudæo essent rebaptizandi, respondet, non esse, si in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti baptizati essent, & de intentione nihil commemorat: nam & ipse supponit, Iudæum baptizare, & non simpliciter lauare, hoc est facere illam ablutionem quæ fit in Ecclesia Christiana; talem enim baptizandus ab eo peteret, in necessitate, vbi non posset habere Christianum, & proprium Ecclesiæ ministrum.

XVIII. Obiiciunt primo, *apud Bellar. de Sacram. in gen. l. 1. c. 27.* Actio de se indifferens ab aliquo determinari debet, & ab illa indifferentia extrahi, vt sit talis actio. Respondeo vt supra, Ablutionem cum inuocatione Trinitatis, ad Baptismum determinari intentione, & petentis Baptismum, & Ecclesiæ per suum ministrandum. Cum enim ablutio in Ecclesia petitur, certe non petitur vt actio nuda corporea profana, sed vt sacra, & Ecclesiastica, & qui illã exhibet externe, semper talem exhibet, quicquid interne cogitet. Sed nõ potest, inquit Bellarminus, actio vnius determinari ab intentione alterius: Respondeo: non potest, quando alter ab altero ipsius propriam petit actionem: sed quãdo alter ab altero petit actionem quam ille nomine alterius faciat, tunc actio illa determinatur per intentionem illius principalis, cuius nomine illa actio fit.

XIX. Obiiciunt 2. *ibid.* Minister est Instrumentũ Dei, viuum tamen & animatum, qui debet esse fidelis, & prudens dispensator mysteriorum Dei *Matt. 24. 45:* quare in ministrandis Sacramentis, non modo membris externis & sensu vti debet, sed etiam ratione, & [illegible] ipsa Christi institutione. Respondeo, ex Christi [illegible]one actiunem Baptismi Sacramentalem, debere esse actionem externam, sed humanam; & consequenter ratione imperatam; sed hoc nullam aliã intentionem operantis requirit, nisi vt ille ex deliberatione rationis operetur; & velit illam actionem externã. Quamcunq; igitur habuerit ille intentionem vlteriorem puta ioci, ludi, fallaciæ, &c: dummodo in actum baptizandi exeat, tanquam in actum humanum, & deliberatum, in Ecclesia tamen, & nomine Ecclesiæ, hoc sim est, quia solus actus externus, humanus tamen, & in Ecclesia, ac nomine Ecclesiæ, ab eo requiritur, & nihil præterea. Ereit prudens dispensator & fidelis quo ad substantiam actionis, si talem actum externum quibus decet, & quãdo decet dederit; tametsi semper quãdo illum dat, intendat iocari, ludere, decipere, &c. tunc enim sibi tantum imprudens erit & infidelis, non autem Christo, neq; Ecclesiæ, neq; iis quos baptizat.

XX. Obiiciunt tertio, verba operatiua & efficacia requirunt intentionem proferentis: vt si Rex proferat verba præceptiua cum intẽtione præcipiendi, illa sunt efficacia; si vero absit talis intentio, non erunt efficacia, neq; præceptum continebunt. Verba itaq; Sacramentalia vt sint efficacia & operentur, debent à ministro cum tali intentione proferri.] Respõdeo, & actionem lauandi, & verba inuocationis Trinitatis, non ex intentione ministri, sed ex Christi institutione habere vim, modo & actio fiat, & verba proferantur externe, in Ecclesia, & nomine Ecclesiæ: non enim Sacramenta sunt commissa ministris, vt homines singulares sunt, sed vt Christi, & Ecclesiæ ministri sunt. Eorum ergo actio & verba practica sunt, ex ipsa Christi institutione, non ex voluntate & libertate ipsorum, quæ ad vim Sacramenti non requiritur; requiritur tantum ad hoc vt actio fiat externa, & verba proferantur externe, in executione Christi institutionis: hoc autem fit satis, quoties minister exit in actũ talis actionis, & locutionis in Ecclesia, & nomine Ecclesiæ, vt explicatum est. A ministro enim Sacramenta nihil aliud habent quam applicationem, idq; per solum actum, vel locutionem externam: ipse ministrans nullam aliam partem habet in Sacramento; quod multi etiã Scholastici fatentur.

XXI. In Eucharistia vero iam probaui *cap. 6.* panis & vini consecrationẽ non consistere in vllis certis verbis; sed in publica prece, quam fundat legitimus minister. Quod si ille luderet, & non intenderet consecrare, sed recitatiue tantum omnia verba precum proferret, dummodo ea externe proferat, quia non suo, sed Ecclesiæ nomine ea profert, sensus ipse verborum ab Ecclesiæ intentione vim habet, cũ præsertim Ecclesia etiã, hoc est fideles, ibi ad communionẽ sacram congregati, cum illo simul comprecentur. Et quia nomine Ecclesiæ precatur ille, Ecclesiæ vero intentio est vt cõsecratiue proferantur, nõ recitatiue tantum, ipsius priuata contraria intentio nihil obest. In nostris quidem Missis priuatis non negabo posse fieri deceptionem; quia minister preces illas secreto obmurmurat, potest etiam si vult tot Virgilij carmina recitare. Ecclesia nihil nouit, neq; partem habet in secretis: ideo Ecclesiæ intentio nihil eum iuuat, quæ panis consecrationem priuatam nunquam intendit, nisi pro populo maiori aut minori communicaturo. Cum vero Missæ priuatæ nõ celebrentur in gratiam communionis, sed nescio cuius sacrificij, puto si in ipsis communio saltem celebrantis sola & præcipue non intendatur ab Ecclesiã; nullum in illis sacramentum fieri, neq; confici Eucharistiam, quia Sacramentum hoc Ecclesia conficere non intendit, nisi pro communicaturis, vt *cap. 6.* probaui. Intentio vero Ecclesiæ ad Sacramenta, est omnino necessaria, quæ si adsit, etiam absque ministri intentione sola sufficit, modo fiat actus debitus & institutus: si vero illa absit, minister vero intẽntionem habeat conficiendi Sacramentum, nihil conficit, quia Ecclesiã illud non intendit, & Minister non proprio sed Ecclesiæ nomine Sacramentum cõficit. Propterea etiamsi Verba consecratoria essent illa sola, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; & hæc verba in mensã communi Sacerdos proferret, etiam cum intentionẽ consecrandi, nihil faceret, quia contra intentionem Ecclesiæ faceret, quæ panis & vini consecrationem Sacramentalem non intendit, nisi occasione communionis, quando populus, vel aliqui sunt communicaturi; ad mensam vero communem nemo accedit Sacramentaliter communicaturus. De intentione ministri in vnctione infirmorum

morum & matrimonio nihil ſumus ſoliciti, quia illa non ſunt Sacramenta, neq; Sacramentales habent effectus; quia tamen poteſtas confirmandi in ſolis ponitur Epiſcopis, & dubitant pleriq;, an Papa poſſit dare ſimplici Presbytero facultatem confirmandi, hæc conſideratio hoc loco non eſt omittenda.

XXII. Probatum eſt iam à nobis *cap. 5. huius libri*, Confirmationem non eſſe verum proprie dictũ Sacramentum, ſed partem quandam ceremoniarum Baptiſmi, quæ neq; eſt iure diuino inſtituta, ſed Eccleſiaſtico humano; neq; poteſtatem ſupponit vllam in miniſtro ſpecialem à Deo datam, ad ſpecialem aliquem effectũ ſupernaturalem. Inſtituit vero Eccleſia, vt ceremoniã hanc vngendi baptizatum chriſmate in fronte, Epiſcopus ob quendam ipſius honorem, vt aſſerit Hieronymus, *Sup. c. 5. nu. 18. huius.* perficeret: neque eam baptizatus à quoquam alio acciperet, tametſi Baptiſmum à Presbytero accepiſſet: multo minus ſi laicus fuit in caſu neceſſitatis Baptizator, potuit aut hanc, aut alias ceremonias adhibere, ſola excepta eſſentiali lotione cum inuocatione Trinitatis. Et quia hæc diuina non eſt ſed humana inſtitutio; nec vniuerſalis ſed vario modo in variis Eccleſiis iuxta earum conſuetudines executioni mandata, ideo inuenimus in *Conc. Tolet. 1. c. 20. & diſt. 69. c. Presbyter.* Presbyteros, etiam qui Epiſcopi non eſſent, baptizatos in fronte ſignaſſe, ac non niſi prohibitione Eccleſiaſtica vetitos, ita tamẽ vt abſente Epiſcopo id eis omnino liceret, & præſente etiam, ſed ipſo Epiſcopo iubente. Apud Aegyptum Presbyteri conſignant ſi præſens non ſit Epiſcopus, ait Ambroſius *in ep. ad Epheſ. c. 4.* Græca Eccleſia perpetuo ſeruauit, & ſeruat indifferenter, vt tam Presbyteri quam Epiſcopi chriſmate confirment; qua in re Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus *Apud Baron. to. X. an. 863. n. 41.* acriter Romanam Eccleſiam perſtringit, & oſtendit priuilegium hoc Epiſcoporum, neq; ex Scripturis, neque ex diuina inſtitutione vſquam haberi, imo vix humana. Atque idem ius fuiſſe Presbyterorum, etiam in Latina Eccleſia, ſatis colligitur ex eo, quod Gregorius *l. 3. ind. 12. ep. 9.* data noua inhibitione, ne Presbyteri Chriſmate in fronte tangerẽt baptizatos, multos ſcandalizatos ait fuiſſe, dicitque *l. 4. ind. 13. ep. 33.* ſe id ex veteri vſu Eccleſiæ feciſſe; igitur iam vſus in contrariũ inoleuerat, vt fit in humanis inſtitutionibus; ac propterea concedit ipſe Gregorius, vt vbi Epiſcopi deſunt, Presbyteri confirment chriſmate in fronte.

XXIII. Innocentius itaq; primus, *ep. 29. & Innoc. 3. c. Quanto de conſuetud. & de vnct. § per frontis* Eccleſiaſtici inſtituti illius tenax, quod etiã Hieronymus *aduerſ. Lucif.* commemorabat, vt poſui *ſupra cap. 5. nu. 18. huius quinti libri*, abſolute negat, Presbyteris id licere; & rationibus quibuſdã vtitur, quas ego dilui omnes *cap. 5. prædicto*, & hæc documenta modo à me allata plane cõuincunt, iure diuino id Presbyteris non auferri, tũ quia tota inſtitutio eſt humana, tum quia nihil efficerẽt etiam cum Epiſcopi ſeu Papæ licentia. Sicut ſi Epiſcopus vel Papa darent licentiã laico Euchariſtiam cõſecrandi, & in Presbyterum illum non ordinarent. Cõcedere autẽ licentiã alicui vt aliquid faciat, ſupponit illũ iam habere remotam & quieſcentem poteſtatem illud faciendi, ſed aliquo præcepto ligatam ne exeat in actum. Si tamen in actum exit, factum tenet. Cur vero iam Abbates etiam ſe præſcripſiſſe aſſerunt, vt affirmat Cõcilium Senonenſe, *c. 3. 8.* poteſtatem confirmandi, aut ſaltem priuilegia prætendunt; quod eis de licentia ſaltem ordinarij, paſſim conceditur. *Steph. Quarta Sum. Bull. Verb. Ordo.* At Abbas ſi ſit Presbyter, nihil plus poteſtatis habet quam Presbyter. Nonne Presbytero etiam conceditur *in Conc. Tolet. 1. c. 20.* olea ſancta benedicere, excepto chriſmate? Quas tamen benedictiones, tanquam Epiſcopalis dignitatis inſigne munus, nunc ſoli Epiſcopi maxima cum ſolẽnitate perficiunt, & tamen his ceremoniis peragendis Presbyteri ſuam ſemper & ipſi habuerunt facultatem. Sed propter arrogantiam ablata eſt eis hæc facultas, vt ait Beda *in Pſalm. 26.* Cum tamen eadem vnctio ſit eidem Bedæ illa ſecunda, quæ in Baptiſmo datur per Presbyterum, cum hac tertia, quæ Epiſcopis eſt reſeruata, & vulgo confirmatio dicitur.

XXIV. Itaque ſi Presbyteri, ſaltem de licentia ſui Epiſcopi, in illius diœceſi, & ſuo iure etiam proprio, ſi abſit Epiſcopus, poſſunt chriſmate in fronte confirmare baptizatos, vt iam redditur manifeſtum, cur ſe Papa in hoc etiam Dominum facit, vt ipſe ſolus velit habere poteſtatem concedendi licentiam Presbytero vt confirmet? Cur etiam Epiſcopi tam rigidi ſunt, vt ſuis Parochis facultatem confirmandi nõ permittant, quando præſertim ad eas Parochias viſitandas nonniſi admodum raro ipſi accedant? Et ſane Epiſcopi illi, qui amplas habent in Turcica ditione Chriſtianorum Diœceſes, vt meus habet Archiepiſcopatus Spalatenſis, ad quas ipſis Epiſcopis acceſſus non datur tutus, deberent (ſi ceremonia hæc magni momenti exiſtimetur) ſuis Parochis inibi degentibus facultatem confirmandi liberam concedere. Imo, negantibus etiam id Epiſcopis, poſſunt & debent illi parochi ceremoniam hanc propria autoritate exercere. Fateor tamen, me potuiſſe, ſed noluiſſe meis presbyteris inter Turcas cum Chriſtianis ſuis degentibus, facultatem hanc concedere; quia nullam videbam huius ceremoniæ nunc neceſſitatem, quam ſacramenti nomine inſignire æquum non erat. Etiam illa quoque apud noſtros ad lucrum & auaritiam eſt conuerſa. Honeſtius ergo omittitur, quam exercetur. Sequitur nunc vt ſubiectum poteſtatis clauium inquiramus.

XXV. Clauium poteſtatem ad ſola peccata ſe extendere, ſatis, vt arbitror, *cap. 7. huius libri* iam probaui, quæ in ligandis & ſoluendis peccatis tota conſiſtit, ligandi vero & ſoluendi claues ſolis Apoſtolis ſunt traditæ, vt *lib. 1. cap. 7.* explicaui. Succeſſores igitur Apoſtolorum in poteſtate ordinaria, hoc eſt Epiſcopi & Presbyteri tantummodo claues haſce tractant, & ſubiectum erunt clauium poteſtatis, quatenus videlicet ſunt miniſtri Chriſti & Eccleſiæ, & illi ſunt qui ligant peccata per excommunicationem, vel pœnitentialem & ſatisfactoriam duntaxat, vel etiam abſolutam, cum excluſione alicuius è numero fidelium, ne ſit de populo Dei, & quandiu quis ita ligatus ſit claue non errante in terris, tandiu coram Deo in cœlis peccata ipſius ſunt remiſſa, vt *cap. 7. & 9.* docui. Illi etiam ſunt, qui peccatorem à ſe ligatum ſoluunt per reconciliationem, & hoc virtute clauium. Baptiſmus quoque remittit peccata, & ſuo modo etiam Euchariſtia, ac propterea qui baptizat miniſterialiter, peccata quoque remittit miniſterialiter, ſed non per claues, quæ ad Baptiſmum non ſunt neceſſariæ. claues enim in manus tantum Apoſtolorum fuerunt à Chriſto traditæ ac collocatæ; Baptiſmus quoque, ſed ita vt pro neceſſitate poſſet etiam non Presbyteris nec Apoſtolorum ſucceſſoribus committi, non ſic claues.

XXVI. Poteſtas clauium ad ligandum & ſoluendum peccatorẽ, licet vna & eadem ſit, tam medicinalis & pœnitentialis, quam exterminatiua & mortalis, vt vidimus *cap. 7. & 9.* ſeorſim tamen vtriuſq; ſubiectum verũ requiramus, ſeu potius explicemus. ac prius pœnitentialis. Publicus peccator notorius & ſcandaloſus, vel accuſatus & conuictus, ad publicam etiam cogendus ſ…

duſ ſ

dus est pœnitentiam, quæ sine aliqua separatione corporali ab Ecclesia, & à publicis synaxibus non fit, ac sine præcedenti publica correptione; & ex hac parte aliqua iurisdictio externa Ecclesiastica, hoc est, non in suo genere coactiua vt *cap. 3. & cap. 7. huius libri* explicaui, exercetur; cum interim vinculum hoc & ligamen in anima quoq; interne operetur, quia ex Christi promissione, qui ligatur in terris per Christi & Ecclesiæ ministros, ille etiam in cœlis ligatur; nec à peccato in cœlis absoluitur, nisi postquam in terris fuerit absolutus. Quatenus igitur exteros quoque hic exercetur iurisdictio, ad solos illa pertinebit Episcopos, quia regimen externum particulare Ecclesiæ commissum est Apostolis, & non discipulis: & consequenter Episcopis, & non presbyteris, vt docui *lib. 2. cap. 3. num. 9.* Correptiones ergo publicæ, & pœnitentiæ similiter publicæ iniunctiones, ad solos Episcopos spectant, & in ipsis solis hæc residet potestas; ita tamen, vt possint eam Episcopi vni ex Presbyteris delegare; illa enim mixta est, partimque habet externam vt dixi iurisdictionem, quam Episcopi ex propria Episcopali acceperunt ordinatione; & partim, imo multo magis internam, ex clauibus, quam habent virtute presbyteralis ordinationis ex æquo cum Presbyteris. Externa illa, quia externa est, ideo potest alteri commode delegari, etiam laico: sed non interna illa, quæ clauium propria est: quia hæc à sacro presbyterali ordine pendet in fieri, in esse, in conseruari, & operari. Publica itaque pœnitentia cum vero vinculo, quo peccator ligatus sit in terris & in cœlo, dari non potest, nisi vel per Episcopum, vel per presbyterum ex commissione Episcopi. Secreta vero pœnitentia in qua non fit publica correptio, neque corporalis separatio, nisi à sola sacra communione, potest etiam à Presbytero iniungi autoritate propria, nedum ab Episcopo; licet enim pœnitentia Ecclesiastica sit externa, & fori tantum externi, vt probaui *cap. 7.* quia tamen secreta est, & ad publicum regimen directe non spectat, ideo quiuis presbyter illam potest dare, & per eam ligare atq; soluere, si quidem ordo presbyteralis claues semper annexas habet.

XXVII. Hinc sequitur, quod quilibet presbyter rite & legitime ordinatus, possit quemcunque ad se accedentem audire secreto pœnitentem, & illum ligare ad pœnitentiam, ac postea absoluere: quando enim quis ordinatur presbyter, tunc ei claues dantur, & simul cum ordine etiam iurisdictio, iure diuino, vt *cap. 3. huius libri* probaui; ac sane iurisdictio in toto mundo, ac in Ecclesia vniuersali, vt explicaui *lib. 2. c. 9.* [illegible] iure humano Ecclesiastico cuique suæ pro[illegible], ac parochiæ assignantur; cum prohibitione [illegible] propter bonum Ecclesiæ ordinem, vt nemo in al[illegible] messem falcem immittat; si tamen immiserit [illegible] fortasse, sed tam vinculum, quam solutio te[illegible]. Quando igitur D. Papa in suis Iubilæis conce[illegible] facultatem cuique sibi Confessarium eligendi, [illegible]d spectat ad ius diuinum, perinde est, ac si conced[illegible] facultatem, vt qui tonderi velit, possit sibi quisque tonsorem qui ipsi placuerit eligere; quasi vero [illegible] liberum cuique non sit, eo tonsore vti, qui [illegible] placuerit: & tonsor similiter quisque non possit libere quemcunque ad se accedentem tondere. De iure Ecclesiastico nihil certi volo affirmare, fortasse enim [illegible] pœnitentiis locum non habet, ad quas nemo tenetur accedere, vt iam probaui *cap. 7.* & potest sine Ecclesiastica pœnitentia quisq; remissionem peccati obtinere: quare, neque lege cogi potest pœnitens vt ministro confiteatur; neque minister cogi potest, vt abiiciat aliquem secreto ad se venientem; neque approbatio Confessarij per Episcopum aut Papam quicquam addit iuris Confessario, qui iure diuino habet claues, profecto non otiosas, neque in arcula aliqua reclusas, vbi rubigine exedantur; sed in vsum reducendas: & quando ordinatur Presbyter, tunc satis approbatur. Approbatio tamen hæc specialis ab Episcopo ad summum potest Confessario inseruire, vt publicos etiam possit admittere pœnitentes; quod erat olim Pœnitentiarium Sacerdotem instituere: cui delegabatur etiam iurisdictio illa impropria exterior, publice corripiendi, separandi, pœnitentiæ subiiciendi, ac denium etiam publice reconciliandi. De Regularibus à Papa priuilegiatis, ad omnium confessiones audiendas, dicam in *postremo huius Operis libro.*

XXVIII. Cum subiectum potestatis clauium, quo ad secretas pœnitentias, iure diuino, sint æque omnes, quotquot Presbyterali sunt Ordine initiati, non video qua ratione vel Papa, vel Episcopi velint sibi casus reseruare: & ita reseruare, vt si alius absoluat, nulla sit absolutio. Talis enim reseruatio supponit, claues non esse nisi in manibus solius Papæ vel Episcoporum, & clauium potestatem tanquam in proprio subiecto esse in ipsis solis: aliis vero Presbyteris earum vsum concedi limitatum ad quædam peccata, non ad omnia; quod tamen iure diuino, vt dixi, falsum est. Claues enim vt probaui *lib. 1. cap. 7.* omnibus æque Apostolis sunt datæ, & non soli Petro: & ab Apostolis ad omnes Episcopos & Presbyteros ex æquo transierunt, vt probaui *lib. 2. pluribus capitibus.* Quisque ergo Presbyter claues pœnitentiales (de his enim solis nunc agimus, de aliis inferius) iure diuino plene, & liberas habet, à Deo sibi immediate simul cum presbyteratu concessas. Nemo ergo potest iure diuino partem potestatis clauium sibi soli reseruare, & partem aliis relinquere. Præsertim quod etiam pœnitentes liberi sunt, vt probaui vt possint, & subdere se Ecclesiæ clauibus, quando occulta habent peccata, & non subdere; non enim solæ claues sunt in Ecclesia, per quas remitti possint peccata post Baptismum commissa: sed interna sola pœnitentia, absque clauibus potest sufficere. Reseruatio igitur casuum occultorum, siue etiam publicorum, sed ad Ecclesiam, non nisi per ipsos pœnitentes via secreta delatorum, est mera vanitas, ne dicam impostura: nam & pœnitens liber est, potestque ad claues recurrere, easve deserere: & Confessarius tam plenam habet potestatem in illos casus, quam quivis alius: neque tenetur occulta cuiquam manifestare; imo tenetur ea non manifestare. Quid ergo in talibus valet reseruatio? Est vero mira deceptio simplicium, qui à grauibus quibusdam peccatis, occultis tamen, malunt absolui à Papa, vel Episcopo, quam à Confessario minoris dignitatis: Cum tanta in hoc potestas clauium sit penes minimum Presbyterum, etiam in vulgi opinione triobolarem, quanta in Episcopo quocunque, vel in ipso Papa, dummodo legitimum vsum clauium non ignoret. Ideoque frustra tam anxie Iubilæa expetunt & expectant; in quibus miro artificio exaggerant Papæ concessionem absolutionis à quocunque graui peccato & excessu, vt ipse Papa putetur esse solus Deus in terris, qui remittat peccata omnigena, quæ remittere nemo alius possit. Et tamen dictum est à Christo cuique ex Apostolis, & consequenter cuique ex Presbyteris; *Ioan. 20. v. 23. Quorumcunq; remiseritis, &c.*

XXIX. Quod autem Papæ graues sibi casus reseruarent aliquando (nunc enim non video nisi censuras ipsis reseruari; de quib' nos inferius) triplicem inuenio causam: vna est quod Episcopi interdum suos pœnitentes graui aliquo crimine pressos Romã ad Papam mitterent,

rerent, vbi copia eſſet Sacerdotum, & pœnitentia maior canonum, vt ibi melius & tutius externæ pœnitentiæ ſibi ſeruandæ remedium acciperent. Sic olim Ratholdus Argentoratenſis Epiſcopus matricidam ad Papam Nicolaum primum miſit, cui pœnitentiam ſatis rigidam imponit Papa, 15. q. 1. c. *Latorem*. ſed (quod obſeruatu dignum) neq; eum abſoluit, neq; indulgentiis ſeptem Eccleſiarum adiuuit. Altera cauſa eſt, quod pœnitentes aliqui incommoda ac intolerabili pœnitentia grauati; ab Epiſcopo proprio Romam confugerent; non per Appellationem, ſed vt Romani Epiſcopi interceſſione, officiis, & commendationibus mitiorem ab Epiſcopo ſuo pœnitentiam impetrarent. Sic Lontardum homicidam, grauiſſima oneratum à ſuo Epiſcopo pœnitētia, humaniter excepit Ioannes octauus, eumq; *ep. 62.* ſuo Epiſcopo Widoni lunenſi commendat, ac rogat vt cum ipſo mitius agat. Sed nec ipſe eum abſoluit, nec ad ſuos direxit pœnitētiarios S. Petri, ſed ad proprium Epiſcopum remiſit. Tertia cauſa eſt, quod inſulſa quędam ſimplicitas inſulſiorem aliquando imbiberit pietatem, & perſuaſionem, B. Petrum cui claues Regni cœlorum à Domino promiſſæ fuerunt, adhuc illis clauibus in remittendis peccatis vti ibi, vbi ſcilicet oſſa ipſius humatā iacent, hoc eſt Romæ: & pro obtinenda ab ipſo Petro Romæ remiſſione, Romam non pauci ad ſepulchrum Petri conuolabant. Hanc credulitatem aniliemq; fatuitatem Romani miniſtri libenter fouebant, vt eo concurſus fieret in dies maior; & quod à frigidis oſſibus ſtulte petebant, id vt à ſucceſſore Petri peterent effecerunt. Hos Romipetas merito irridet Claudius Taurinenſis Epiſcopus ante annos iam ſeptingentos; *apud Ionam Aurelian. in Biblioth. SS. PP. to. 4.* Quod non intellectis Saluatoris Verbis de clauibus Regni cœlorum, imperitum hominum genus, propter hæc verba, pro acquirenda vita æterna, poſtpoſita omni ſpirituali intelligentia, volunt pergere Romam — tamdiu Antiſtitibus Eccleſiæ iſtud miniſterium conceſſum eſt, vſq; dum ipſi peregrinantur in hoc mortali corpore; cum vero debitum mortis exſoluerint, alii ſuccedunt loco ipſorum, qui eandem obtinent iudiciariam poteſtatem.] Hæc optime Claudius: an vero tam bene alia, non diſputo. Certe Ionas Aurelianenſis Claudii confutator, ad rem non reſpondet: reliquiarum cultum defendit, quem ibi Claudius non impugnabat, ſed errorem craſſum popularem aperiebat: quem vt Ionas defenderet, parum perite illud Domini adduxit, *Sedebitis iudicantes &c.* Quaſi virtute illius priuilegii quod erit in die iudicii, nunc oſſa B. Petri claues adhuc regni cœlorum teneant. Et magnum eſt, quod Ionas Papam loco oſſium Petri non ſuppoſuit.

XXX. His non contenti poſteriores Pontifices, etiam abſoluere cœperunt, ac poſtea etiam abſolutionem Epiſcopis adimere, & ſibi reſeruare, tribunalque Pœnitentiaræ pro vniuerſo orbe ſupremum erexerunt. Sed initio huius vſurpationis Epiſcopi Gallicanæ Eccleſiæ, tunc viriles, libertatem ipſorum propriam aduerſus nouas in hoc Paparum inuaſiones, & factis, & legibus propugnarunt.

XXXI. Iordanus ſane Epiſcopus Lemouicenſis acta Synodi Lemouicenſis, ante ſexcentos pene iam ab hinc annos habitæ, deſcribens, ait, *apud Baron. tom. 11. ann. 1034. n. 20.* Rurſus in Concilio conquiſitum eſt de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus Epiſcopis ſuis à Romano Papa, pœnitentiam & abſolutionem accipiunt, & hac de cauſa pax & Concilium in Aquitania deſtruitur, dum quos iſti ligant, ille inioſte abſoluit. Ad hæc venerandus Engelericus Cancellarius ſanctæ Mariæ Anicienſis Eccleſiæ cœpit explicare, dicens: Stephanus Aruernenſis Præſul ante hos annos Pontium Comitem Aruernenſem excommunicatione obſtrinxit, pro vxore legitima, quam dimiſerat & aliam duxerat. Quem cum nulla ratione vellet abſoluere niſi emendatum, Comes à Domino Papa abſolutionem accepit, ignorante Papa, eum excommunicatum. Quod grauiter Epiſcopus ferens, conqueſtorias literas Romam Apoſtolico miſit: cui ille in hunc modum remiſit epiſtolam.

XXXII. Quod neſcienter egi, frater chariſſime, non mea, ſed tua eſt culpa; ſcis enim, quia quicunq; de vniuerſa Dei Eccleſia, quæ eſt in toto orbe terrarum, ad me cauſa remedii recurrit, impoſſibile eſt mihi eius curam negligere, dicente Domino ad beatum ſpecialiter Petrum: *Petre paſce oues meas*. Quo ergo modo Sedes Apoſtolica poterit eiicere aliquem de medela, ob irrationabili cauſa. Debueras certe mihi, antequam ille mortua ouis Romam veniret, eius cauſam tuis innoteſcere apicibus: & eam ego omnimodo abiicerem, tuamque firmando autoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus conſacerdotibus meis, vbique terrarum adiutorem me, & conſolatorem potius eſſe, quam contradictorem. Abſit enim ſchiſma à me, & à Coepiſcopis meis. Itaque illam pœnitentiam & abſolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & caſſam, & de illa nihil aliud ſperat, quam maledictionem, qua ſatisfacta, tu ipſe abſoluas.] Frigida excuſatio, cur in aliena ille meſſe ſua falce vtitur? Cur non poſtulat quid ille pœnitens cum ſuo paſtore proprio egerit? Cur præceſſores ſuos, Nicolaum & Ioannem, non imitatur, vt impoſita condigna pœnitentia ad ſuum Epiſcopum remittat? Satis tamen reſpectu noſtrorum temporum ille laudabiliter, quod facta excuſet, & retractet: quod illud factum ſchiſmatis nomine notat, ſi modo quenquam coram ſuo Epiſcopo reum & ligatum Papa ſciens ac prudens, inuito eodem Epiſcopo ſolueret. Quippe nondum claues pro inſignibus propriis ſolus Romanus Papatus gerebat, nondum de manibus Epiſcoporum & Presbyterorum eas Romani Pontifices extorſerant, excutere tamen eas incipiebant. Et hæc quidem Stephano Aruernenſi contigerunt.

XXXIII. Engoliſmenſis quoque Epiſcopus, q[illegible] eidem Synodo interfuit, non minus viriliter ſu[illegible] claues apud ſe detinuit, nec eas voluit Epiſcopo Romano, auellere illas conanti, cedere, *ibid. num. 22.* Quidam enim ex Parochianis dicti Epiſcopi excommunicatus ab eo (*Excommunicatione pœnitentiali*) dum ſatisfacere nollet, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam, qui ſine licentia Epiſcopi ſui, Papæ Romano ſurripuit pœnitentiæ legem, & literas ex nomine eius Epiſcopo detulit in Cœna Domini, quibus Epiſcopum rogabat Apoſtolicus, quatenus illi pœnitentiam, quam impoſuerat, affirmaret. Epiſcopus vero intelligens fraudem, ait homini: Verſa vice quod ego poſtulare debueram ab Apoſtolico, Apoſtolicus poſtulat à me: Non credere poſſum hoc mandatum ab eo exortum; & hoc nihil vtile eſt, & donec à me, vel ab huius ſedis Archidiacono, me iubente, accipias pœnitentiam, permane in excommunicatione, & eiecit eum foras de Eccleſia.] Et tamen Papa illum non abſoluerat, ſed pœnitentiam duntaxat impoſuerat, & cum ſuis commendatitiis ad proprium Epiſcopum remiſerat. [illegible] illam pœnitentiam ei approbaret, noluit Epiſcopus aſſentiri, quia illo inſcio & inconſulto, res Romæ peracta fuerat.

XXXIV. His exemplis edocti, & propriæ poteſtatis clauium petiæ ſe retinendæ merito cupidi illius Synodi Patres, ad Decretum firmum & ſtabile dece-

dum esse censuerunt; Pergit Iordanus; Et dixerunt Episcopi: Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, & cæteris Patribus cautum teneamus. Vt Parochiano suo Episcopus, si pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, vt iudicet vtrum sit an non pœnitentia dignus pro tali reatu, potest eam confirmare autoritas Papæ, aut leuigare, aut superadiicere. Iudicium enim totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus vel literis Apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, (vt multoties pro grauissimis fieri solet reatib⁹, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam) hic talis licenter à Papa remedium sumere potest, nam inconsulto Episcopo suo, ab Apostolico pœnitentiam, & absolutionem nemini accipere licet.] Hæc illi, vt modeste morem in certis occasionibus ad Sedem Apostolicam recurrendi pro consilio, non pro necessitate, nec ad imperium seruarent; salua tamen ipsorum libertate, & clauium æqua potestate, ita vt nemini liceat inconsulto suo Episcopo pœnitentiam & absolutionem à Papa petere & accipere. Non potest ergo Papa sine expressa Episcoporum licentia, in pœnitentes alterius Episcopi se ingerere, multo minus casus sibi reseruare, estq; mera vsurpatio, violentia, & tyrannus quam in hoc genere etiam nunc exercet, Ecclesiæ profecto intolerabilis.

XXXV. Quæret quispiam, num potestas hæc clauium pœnitentialis circa peccata, cuius subiectum facimus quemlibet Episcopum & Presbyterum, tanta sit, vt Presbyter dum soluit pœnitentem, etiam peccatum remittat ipse, ita vt possit Sacerdos asserere, sibi concessam fuisse à Christo potestatem peccata remittendi. Quæstio est grauis, & inter Scholasticos satis agitata.

XXXVI. Ex vna parte sunt, qui scientes optime in Scripturis soli Deo tribui potestatem peccata remittendi: Ego sum, ego sum qui deleo, &c. *Isai. 43. v. 25.* Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? *Marc. 2. v.* . Hoc adeo verum esse volunt, vt nec instrumentaliter, nec ministerialiter puro homini sit communicabile. Vident enim inexplicabile esse, quomodo homo possit vere & proprie, suo humano actu vel verbo, proxime remissionem peccati alicui attingere; Et per verba Christi: *Quorum remiseritis, &c.* dari potestatem dicunt, non proprie peccata dimittendi, sed declarandi declarat peccata illi, quem absoluunt, esse à Deo dimissa. Huic sententiæ fauere in primis videtur Cyprian⁹ *de lapsis*, qui sic loquitur; Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest maior, nec remittere aut donare indulgentia sua seruus potest, quod in Dominum delicto grauiore commissum est, ne adhuc lapso hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prędictum: *Maledictus homo qui spem habet in homine*, Dominus orandus, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne iudicium de Patre solus accepit.] Hoc tamen loco Cyprianus non loquitur de Sacerdotibus, debito in tempore, post debitam satisfactionem lapsos reconciliantibus & absoluentibus, sed de illis, siue laicis, siue etiam Sacerdotibus, qui præpropere, per nimiam indulgentiam, absque sufficienti præuia satisfactione, lapsos ad pacem & communionem admittebant. Tales ipse peccata non posse hoc pacto lapsis sine satisfactione remittere asserebat: sed à Deo solo remissionem ex sola gratia & misericordia per indulgentiam esse quærendam: Cæterum Ecclesiasticam remissionem dari non posse, nisi post debitam satisfactionem.

XXXVII. Huius opinionis autorem multi conantur facere nostrum Hieronymum in *Matth. cap. 16. & Beda.* cuius illa verba proferunt; Istum locum (*de clauibus*) Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leprosis; vbi iubentur, vt ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quo Sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quo habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat vel soluit Episcopus & Presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.]

XXXVIII. Falluntur tamen, qui in his Hieronymi verbis sententiam hanc modo explicatam conantur eruere. Hieronymus non dicit, nostros Episcopos, vel Presbyteros declarare tantum quis ligatus apud Deum, quis solutus sit; sed eos scire pro officio suo, quis ligandus quis soluendus sit; certe per ipsosmet Episcopos vel Presbyteros. Reprehendit vero fastuosos illos Prælatos, qui ex illo Christi dicto; *Quodcunq; ligaueris, &c.* putant se habere potestatem homines pro arbitrio suo in gehennam detrudendi, aut in æternam gloriam inducendi, siue sontes, siue insontes, & vt eos ab hoc auocet supercilio Pharisaico, instruit, rem perinde se habere per aliquam analogiam, atque fiebat in veteri lege cum leprosis. Sacerdotes enim non mundabant leprosos, si essent adhuc leprosi: neq; vt leprosos abiiciebant, si essent mundi, sed ex cognitione ac peritia quam habebant, veros leprosos, nondum sanatos, ex ciuitate & ex castris eiiciebant: mundos vero ad hominum conuersationem reuocabant, Ita nostros Sacerdotes, innuit Hieronymus, antequam fidelem aliquem priuent communione, & inter pœnitentes, cum pœnitentiali excommunicatione coniiciant, debent cognoscere, sitne vere criminosi, siue ex accusatione, siue ex propria confessione; & antequam eos reconcilient, debent pariter cognoscere, an illi à criminibus commissis vere abhorreant, & si viderint eos à peccando voluntatem totam abstraxisse, tunc demum illos restituant Ecclesiasticis Synaxibus, & Sacramentis. Stulte vero acturos, si innocentem ex propria tantum libidine ex Ecclesia eiiciant, & ligent excommunicatione, vel pœnitentiali, vel absoluta. Similiter si publicos pœnitentes, pro solo suæ voluntatis arbitrio, nec agnitos, nec probatos, reconcilient, & inter iustos ac sanctos collocent, putentque suam reconciliationem, seu absolutionem eos statim coram Deo iustificare. Hic est verus sensus magni Hieronymi, doctus, & pius; nostrorum Paparum supercilium satis nunc perstringens; Quorum similes Prælatos Hieronymus iam tum, non sine Dalmatico stomacho, obseruabat: sicut & presbyteros infructuose sine præuia satisfactione peccatores absoluentes.

XXXIX. Potius igitur Gregorium Papam opinio hæc tanquam autorem suum posset aliquo modo iactare. Is enim *hom. 26. in Euang.* Apostolos quidem dixit Principatum superni iudicij sortitos, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Horum, *inquit*, profecto nunc in Ecclesia temporali locum tenent: ligandi atq; soluendi autoritatē suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grādis honor, sed graue pondus istius est honoris: Durum quippe est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suę, iudex vitæ fiat alienę.

Et plerunque contingit, vt hic iudicis locum teneat, cui ad locum vita minime concordat; ac proinde sæpe agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat.] exaggeratque fere mecum Hieronymo errores Prælatorum, qui non morientes sæpe mortificant; & non victuros viuificant. Mox vero addit: Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit, & viuificauit dicens: *Lazare veni foras*: & postmodū is qui viuens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est; Cumq; egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis. Soluite eum & sinite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluunt, quem magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderēt quam virtutem.] Sentit ergo Gregorius, prius remitti peccatum à Deo peccatori iam pœnitenti & confitenti, quam soluatur ille per ministros. Solutio ergo ministrorum erit duntaxat declaratio acceptę iam à Deo remissionis. Simile aliquid etiam scripserat Augustinus *in Ioan. tract.* 22. *&* 29. & Cyrillus *in Ioan. l.* 7. *c. vlt.* & postea Beda *in Ioan. c.* 11. Hunc Gregorii sensum imitatus est Petrus Parisiorum Episcopus, *apud Sixt. Senen. Bibliothec. lib.* 6. *annot.* 71. Theophylactus quoq; *ib. annot.* 20. solet pro hac opinione citari, vbi videtur expresse negare, Sacerdotes posse peccata dimittere. Sed vere Theophylactus de sacerdotibus Iudæorum loquitur.

40. Hanc opinionem Magister sententiarum Magistraliter *in* 4. *dist.* 16. *&* 18. docuit, quem sequuntur scholastici insignes non pauci. Antisiodorensis, Alensis, Bonauentura, Hugo, Richardus, Biel, Maior, Argentina, Occhamus, Abulensis, & ferme Hadrianus, Medina, & moderni Theologi plurimi; & ratione nititur efficacissima, quia peccatum est offensa Dei; igitur solius Dei est eam remittere: & quoties Sacerdos exercet potestatem remittendi, supponit semper culpam saltem esse remissam; non ergo seruit hæc potestas ad remittendam culpam. Qui enim accedit ad remissionem sacerdotalem, vel est debite contritus, vel non: si non est contritus, absolutio nihil valet, & potestas hæc nihil operatur: si vero contritus est, iam per contritionem obtinuit remissionem. Hinc illi, quos nominaui, conuicti, peccati remissionem per claues Ecclesiæ, intelligunt quoad pœnam tantum, non quoad culpam, *apud Suarez de pœnitent. disputat.* 16. *sectio.* 2. imaginanturque clausum esse cœlum quamdiu manet obligatio pœnæ, etiam temporalis: data tamen absolutione à pœna per claues, tunc aperiri cœlum. Imo aliqui horum volunt, remissa culpa per contritionem, manere reatum pœnæ æternæ damni, tolli vero reatum pœnæ æternæ sensus, sed manere debitum pœnæ temporalis. Fictitium commentum, ad argumenti vim effugiendam, & vt contritioni, confessioni, satisfactioni, indulgentiis, &c. saluus relinquatur locus. Contra hæc somnia sufficiant quæ in hoc genere *cap.* 8. *huius libri* disputaui.

XLI. Vere tamen & proprie Sacerdotem peccata quoad culpam, & pœnam dimittere per claues, dum soluit, & reconciliat pœnitentem, est communissimus Patrum consensus, incipiamus à Cypriano, doctrina, pietate, antiquitate insigni. Ait ille *lib.* 1. *epist.* 2. Legem dedit, *Christus*, vt ligata in terris etiam in cœlis ligata essent; solui autem possent illic quæ hic prius in Ecclesia soluerentur.] Si prius in Ecclesia (saltem prioritate naturæ) soluuntur peccata, quam in cœlis, profecto qui soluunt, non indicant tantum, aut declarant in cœlo esse soluta, sed vere soluunt.

XLII. Chrysostomus exactius, & sæpius quæstionem hanc tractauit; Sacerdotis, *inquit*, *homil.* 5. *de verb. Isai. vidi Domin.* thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronunciandi habet autoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum Rex: Quæcunque enim ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem autoritatem sumit cœlum. Nam Iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat.] Hoc est iudicare proprie & formaliter, & non tantum à Deo iudicata declarare, vbi præcedit iudicium Sacerdotis, & subsequitur iudicium Dei. Quod exactius ponderat, *Idem de Sacerd. l.* 3. *c.* 5. vbi ait, Etenim qui terram incolunt, atq; in ea versantur, *iis* commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est vt potestatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est. *Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cælo: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo.* Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit: vsque adeo, vt quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim ait; peccata remiseritis, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omne iudicium filio dedit: cæterum video ipsum omne iudicium à Deo filio illis traditum. Nam quasi iam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atq; nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.] Et hoc non est plus quàm declarare?

XLIII. Habet ibidem Chrysostomus *ibid. cap.* 6. alia verba his multo vehementiora, si ad clauium Ecclesiasticarum potestatem illa applicaret; ea sunt huiusmodi: Corporis lepram purgare; seu verius d[illegible], haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat: neq; nescis quanta [illegible] ambitione, quanto cum studio ac concertati[illegible] dotalis dignitas id temporis acquireretur. At [illegible] nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.] Hæc tamen mihi non videntur ad vsum clauium pertinere. Iam enim omissa potestate illa ligandi & soluendi, diuerterat ad Baptismum, ad potestatem nimirum Sacerdotum, quam habent [illegible]randi homines per sanctum lauacrum; purga[illegible] itaq; hanc intelligit per Baptismum; nam & rediens ad potestatem remittendi peccata, post datam hanc [illegible]parationem inter nostros, & legales sacerdotes, redit ad claues, & ait, Neque enim solum, cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.] Et hæc quidem facultas iam non est declaratiua tantum, sed condonatiua, sicut & quando idem dixit Chrysostomus *in* 1. *Thess. hom.* [illegible]. Per ipsos *Sacerdotes* vobis portæ cœlestes aper[illegible] Hic cœlum tibi aperuit, & non osculatus, nun[illegible] [illegible]cteris.]

clerus? Aperire cœlum, non est declarare tantum hominem esse absolutum, sed aliquid multo plus.

XLIV. Ambrosius *in Psal.* 38. in ea verba Psalmi: *Remitte mihi vt refrigerer priusquam eam, & amplius non ero:* de remissione per claues, ait; Nisi hic remiseris mihi, ibi remissionis requiem inuenire non potero. Quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit in cœlo: quod solutum in terra fuerit, solutum erit in cœlo. Propheta enim & prædicator Ecclesiæ congregandæ, Euangelico spiritu indulgentias Domini præuidebat: & præcipienda Apostolis ei Dominus reuelabat. Imo hæc erat vetus sententia, vt qui se ligasset in terris, vinctus migraret à corpore. Ideo Dominus, quod ante erat iudicii sui, dedit Apostolis, peccata remittendi æquitatem: ne cito soluenda diu ligata manerent. Denique audi dicentem; Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlo: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum, vt soluas & liges. Hoc Nouatianus non audiuit, sed Ecclesia Dei audiuit.] Ad Nouatianismum igitur proxime accedit sententia illa, quæ negat ministris Ecclesiæ potestatem peccata remittendi, etiam ex sententia Augustini *de Agone Christ. cap* 31. solam enim declarationem in Ecclesia Nouatianos non negasset. Hanc tamen potestatem Ambrosius bene monet non esse Sacerdotum propriam, quasi ex se illam habeant, sed ex commissione Christi: non potestatem, *inquit*, vsurpamus, sed seruimus imperio.]

XLV. Et contra Nouatianos, idem Ambrosius *de pœnit. lib.* 1. *c.* 6. sic insurgit; Sed hoc improbe, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit; *Tibi dabo claues regni cœlorum; & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Cum & ipse vas electionis dominicæ dicat; *Si cui autem quid donastis, & ego; nam & ego quod donaui, propter vos in persona* [illegible] Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impie [illegible]antur errasse, vt ius sibi vindicaret Domini sui? [illegible]ndicauit acceptum, non vsurpauit indebitum.] [illegible] solum in Ecclesia donantur peccata, sed etiam [illegible]; quod probat ex Paulo; quem sane non [illegible] tantum Ecclesiasticam excommunicationis, sed [illegible]am culpam ipsam donasse supponit: nam in persona Christi donauit; sed persona Christi non est ne[illegible] vt cui pœna Ecclesiastica relaxetur; monetque [illegible] Ambrosius hanc potestatem donandi peccata, [illegible] propriam in Paulo, sed commissam; & non [illegible] nomine, sed nomine Christi donasse. donasse [illegible]: non tantum declarasse illi Fornicatori à Christo donatum fuisse illud peccatum. Vindicauit acce[illegible]quit, non vsurpauit indebitum: Hoc est, exer[illegible] sibi à Christo commissam potestatem, [illegible] arrogauit sibi indebitam. Quod nunc etiam [illegible] & semper fecerunt Sacerdotes Apostolorum [illegible]] Culpam vero etiam auferre Sacerdotes [illegible] idem Ambrosius *epist.* 4. *ad Simplicianum.* si [illegible] ex animo agat pœnitentiam; nam de fal[illegible] hæc habet, Hanc ergo culpam Sacer[illegible] auferunt, neque peccatum eius qui in dolo [illegible] & adhuc in studio delinquendi est.] Ergo si peccatum illi delent, Sacerdotes peccatum illud & [illegible] auferunt. Item habet, *de pœnit. lib.* 1. *c.* 2. Impos[illegible] debatur per pœnitentiam peccata dimitti. Co[illegible] hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.] Apostolis concessa [illegible] potestas, non declarandi tantum, sed dimittendi peccata: & ab Apostolis ad omnes Sacerdotes eadem potestas deuenit. Et (quod hic obiter animaduerto) Apostolis non vni Apostolo, hoc concessum; ab Apostolis deriuatum, non ab Apostolo: Non ergo à Petro solo, multo minus à Papa; nec quidem si omnis Iurisdictio esset à Papa, cum hæc quæ remissionem exercet, Potestas sit Ordinis, non Iurisdictionis.

XLVI. Hieronymus *Epist.* 1. dat Sacerdotibus iudicium profecto vere iudicatiuum, non tantummodo declaratiuum. Qui claues regni cœlorum, *inquit*, habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant.] Iudicant sane, & in absolutoria potissimum ferenda sententia. Nam in die iudicij alia erit sententia in perpetuum damnatoria: alia absolutoria, per Christum ferendæ. Allegoricam tamen clauium solutionem alio loco Hieronymus proponere voluit, *nempe in Isai. c.* 14. dicens; Funibus enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur: Quos funes atque vincula soluere possunt & Apostoli, imitantes magistrum suum qui eis dixerat; *Quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cœlo.* Soluunt autem eos Apostoli sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum. Hic profecto non sine coactione (dicam petita venia à tam magno nostrate sancto viro) clauium effectum proprium in alium allegoricum conuertit. Claues enim Ecclesiæ non soluunt, nisi quod ligant. Vincula autem peccati, quibus se quisque peccator coram Deo duntaxat ligat, per claues Ecclesiæ, vt ostendi *cap.* 7. non soluuntur; & tamen ad solutionem etiam illam priuatam, quam quisque peccator immediate à Deo solet per internam pœnitentiam impetrare, Sacerdotes, remote tamen, concurrere sentit Hieronymus, quatenus docent, monent, arguunt, increpant, &c. Sed vere hoc nihil ad claues. Habent illæ proprium & immediatum effectum in externa pœnitentia Ecclesiastica: de qua in præcedentibus satis disputaui.

XLVII. Pacianus contra Nouatianos scribens hanc ipsam attigit quæstionem; nisi enim ostenderet Sacerdotes remittere peccata, ex diuina tamen commissione, & non duntaxat esse remissa declarare (in quo Nouatiani non repugnarent) se illos impugnare non existimaret. Concedebant enim illi, Deum posse & solere peccata lapsis post Baptismum remittere, & consequenter, si Ecclesia posset aliquo pacto cognoscere à Deo, esse iam peccatum alicui pœnitenti remissum, non obstarent illi quo minus possit Ecclesia id ipsi pœnitenti declarare, & manifestare; sed remittere peccata, grauia præsertim, Ecclesiam posse, omnino negabant; & in hoc eos errare Catholici Patres docebant: sic igitur Pacianus ait, *ad Sympron. ep.* 1. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti; Solus hoc, (inquies) Deus poterit. Verum est; sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit; *Quæ ligaueritis in terris ligata erunt in cœlis. Et quæcunque solueritis in terris, soluta erunt & in cœlis.* Cur hoc, si ligare hominibus ac soluere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si vno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, aut totum ad nos, ex Apostolorum forma & potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est. —Si ergo & lauacri, & chrismatis potestas, maiorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque ius adfuit, atque soluendi.]

XLVIII. Hæc omnia potestatem ipsam ligandi & soluendi ponunt in Ecclesia; & sine potestatem operatiuam, non autem declaratiuam duntaxat; quæ potestas declaratiua in soluendo quidem aliquo modo lo-

cum habere posset, at vero in ligando nullum. Quando enim Sacerdos ait peccatori; Ego te ligo, hoc est ligatum declaro; à quo ligatum, si ipse nō ligat? A peccato, à teipso, à Deo. At hoc peccator bene scit, & Ecclesia nescit sæpissime, nisi ex ipsius peccatoris confessione, quæ est ergo ista declaratio? Peccator scit apud Deum se esse ligatum; quærit tamen adhuc vlterius vinculo Ecclesiæ ligari, vt inde obtineat etiam Ecclesiasticam solutionem. Et Christus ait; Quos vos ligaueritis ego etiam ligabo: Si vero Ecclesia proprie non ligat, sed ligatum à Deo declarat; Deus non ligaret quod Ecclesia ligauit; Nisi dicamus, Deum non ligare nisi eos quos Ecclesia ligatos esse declarat: quæ summam continent contrarietatem & repugnantiam. Si ergo in ligando vere Ecclesia ligat, etiam in soluendo vere soluit. Nunc quid sentiat Augustinus & alij videamus.

XLIX. Non dimittit Sacerdos peccata tanquam principalis dimittens, dimittit tamen, vel vt instrumentum, vel potius vt minister & commissarius Dei: ideo Augustinus *lib.* 50. *homil.* 32. & primum negat, & alterum asserit quando ait; Respondent, nescientes, sicut ait Apostolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, Respondent & dicunt, Si non dimittunt homines peccata, falsum est quod ait Christus, *Quæ solueritis in terra soluta erunt & in cælo.* Nescis quare hoc dictum sit? quomodo dictum sit? Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, & ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es homo nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quære medicum. Nam vt hoc euidenter ostenderet Dominus, à Spiritu sancto quem donauit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco *Ioan.* 20. *v.* 22. sic ait, resurgens à mortuis; Accipite Spiritum sanctum: & continuo subiecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est, *Ioan.* 4. *v.* 24. Deus ergo dimittit non vos. Sed audi Spiritum. Quid estis vos? Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Corinth.* 3. *v.* 16. Et iterum, 1. *Corinth.* 6. *v.* 16. Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viua templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem. Neque enim minus est idoneus per se dare, qui potest per alium dare.] Dat ergo remissionem Deus, sed per hominem. An vero malus Sacerdos possit per claues peccata dimittere, paulo post videbimus. Asserit quoque Augustinus *de adult. coniug. lib.* 2. *cap.* 9. non esse dubitandum, in Ecclesia per claues dari remissionem peccatorum.] Nam reuera quorsum claues ligandi & soluendi datæ sunt à Christo suæ Ecclesiæ, nisi vt & vere ligarent, & vere soluerent? Et quid clauibus opus ad declarandum duntaxat aliquem esse vel ligatum, vel solutum?

L. Gregorius *in Euangel. homil.* 26. Apostoli principatum superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent — animarum iudices fiunt.] At si declararent tantummodo, certe tunc vice Dei neque retinerent ipsi, neque relaxarent; neque iudices essent, sed præcones: & tamen per claues iudicium exerceri iam sæpius monuimus in præcedentibus. Ac ne quis putet Gregorium solis Apostolis hanc tributam fuisse potestatem censuisse, sciat Gregorium statim ista subdidisse. Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent: ligandi atque soluendi auctoritatem suscipiunt; qui gradum regiminis sortiuntur.] ista melius Gregorius, quam *illa* quæ habet ibidem de solutione Lazari.

LI. Vidimus Patrum sententias, vidimus variosque opinionis, & longe inter se contrariæ fundamenta. Possunt tamen facile meo iudicio conciliari, si sola distinctio directi & indirecti adhibeatur. Directe enim profecto solus Deus remittit peccata, neque puto potestatem hanc directe peccata dimittendi, esse puro homini communicabilem: & consequenter in Theologia sana & accurata negandum esse arbitror, Sacerdotem aut sua propria potestate, aut à Deo commissa & delegata, directe peccata dimittere: indirecte tamen ex diuina concessione & promissione hoc fieri, mihi non est dubium. Indirectam actionem illam voco, quæ ad directam sequitur, & cum directa connexa est. Igitur Ecclesia, hoc est legitimi ipsius ministri, directe ligant per claues à Christo datas peccatorem, illum pœnitentiali externa excommunicatione Ecclesiastica ad satisfactionem redigendo, & pœnitentiis externis exercendo; vis vero clauium efficit indirecte, vt iste in cœlo interim sit etiam ligatus, & ne remittatur ei à Deo peccatum impeditus, stante Christi promissione. Matth. 18. *v.* 18. *Quæcunque alligaueritis. &c.* Similiter in reconciliatione. Ecclesia directe dimittit peccatum pœnitenti, quatenus Ecclesiam offendit, & scandalizauit, quæ tamen dimissio ex natura sua & directe reconciliat hominem tantummodo cum Ecclesia in humanis: at vero indirecte, ob vim clauium à Christo concessarum, sequitur in cœlo etiam à Deo directe, & immediate data remissio, quando hæc omnia fiunt claue non errante. Quod si aliquis peccator Ecclesiæ ignotus, & occultus, sua sponte iam bene contritus coram Deo, & interna pœnitentia sufficienter dispositus, accedat ad Ecclesiam, & prodito secreto suo peccato, petat illius per claues absolutionem, non tamen prius petat ligari; si ab Ecclesia absoluatur, absolutio illa tota otiosa est, & inutilis, quod spectat ad peccati remissionem: tum quia iam remissum est ei peccatum, antequam ad Ecclesiam accedat; tum quia Ecclesia soluere non potest quod ipsa non ligauit. Imo vero etiamsi iste petat ligari, & subdat se pœnitentiæ Ecclesiasticæ, ligeturque ab Ecclesia, ille profecto neque tali ligatione coram Deo ligabitur, neque solutione soluetur, quia coram Deo iam solutus est: & qui coram Deo solutus est, frustra ab Ecclesia ligatur, quoad peccati coram Deo remissionem; nam quoad Ecclesiæ ædificationem & bonum exemplum ista plurimum prosunt, quæ omnia iam *cap.* 7. declaraui.

LII. Quæ ergo vel Scripturæ, vel rationes, vel authoritates negant, Sacerdotem peccata dimittere, negant Sacerdoti facultatem remittendi directe peccata, prout sunt offensa Dei. Quæ vero Sacerdotem faciunt peccati remissorē, directe quidem eum remittere peccata prout sunt offensiua, & scandalizatiua Ecclesiæ intelligunt; indirecte vero & consequenter, per eundem peccata etiam, prout sunt offensa Dei, remitti volunt: quod est verissimum. Neque inuenio vllum discrimen inter ministerium Baptismi, respectu remissionis peccatorum, vt sunt offensa Dei; & ministerium clauium; vtrumque enim non nisi indirecte remissionem ipsam operatur. Indirecte remittit peccata Baptizans, quia ad ipsius directam actionem lauandi cum inuocatione Trinitatis, sequitur ex diuina promissione peccati remissio, nisi ficte quis ad Baptismum accedat; facit enim opus seu actionem, quæ siue instrumentaliter, siue vt conditio, secum fert peccatorum remissionem. Sacerdos similiter reconcilians peccatorem, directe dimittit ei peccatum, vt est offensa Ecclesiæ, indirecte vero etiam, vt est offensa Dei, quia Christus promisit,

promisit, se remissionem Ecclesiæ secuturum, & peccatum vt est offensa ipsius remissurum. Quid interest, *inquit Ambrosius de pœnit. l.1.c.7.* vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent?] Et solum discrimen est quod actio ministrantis Baptismum sit Sacramentalis, & verum Sacramentum; actio autem reconciliantis, neque est Sacramentalis proprie, neq; verum Sacramentum. In Eucharistia autem ministerium nihil simile habet. Minister enim Eucharistiæ, hoc est Presbyter, neq; directe, neq; indirecte pascit animam alterius communicantis, & corpus ad immortalitatem. Sed solam, & sane directe, præparat materiam. Ea vero præparata, hoc est, benedicta & consecrata, non statim sequitur Sacramentum communionis cum suis effectibus: hoc enim sequitur ex alia actione, hoc est comestione.

LIII. Superest dubium; num malus Sacerdos rite vtens clauibus remissionem det peccatorum? Rite vti clauibus intelligo, si minister earum secundum Ecclesiasticam prudentiam prius ligauit, necessariamque iniunxit pœnitentiam, & eam digne ac fructuose peractam intelligat; & tunc tandem absoluat. Quicunque, siue ipse Presbyter sit, dummodo sit legitime ordinatus, siue pœnitens, vel subditus, vel non subditus: nam validitatem solam nunc considero absolutionis. Circa hoc dubium varia sunt dicta Patrum, Maior eorum pars ad Christi dictum mentem intendit, vbi ait, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis, &c.* Ex quo colligunt, necessariam esse præsentiam Spiritus sancti, in eo, qui peccata ministerialiter per claues remittit. Nec solum dixit; *Accipite Spiritum sanctum*; sed etiam insufflauit in eos, vt tanto melius confirmaret se loqui de Spiritu sancto, qui in ipsis inhabitet, & ab ipsis recipiatur, sicut anhelitus eius corporeus intra eorum pectus inspiratione recipiebatur.] Itaque Cyprianus licet de remissione per Baptismum danda loqueretur, absolute tamen sic pronuntiat *lib.1. epist.6.* Probat & declarat in Euangelio suo Dominus, per eos solos peccata posse remitti, qui habeant Spiritum S. Et Origenes *in Matth. tract.1.* Portæ autem inferorum non debent præualere aduersus eum qui ligare vult & soluere: Qui si funibus suorum peccatorum constringitur, frustra vel ligat, vel soluit.]

LIV. Augustinus *de Baptism. lib.3.c.18.* Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus, *Si cui dimiseritis peccata, remittuntur eis. si cui tenueritis tenebuntur.*] Item [*Idem lib.50. hom.23.*] Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viua templa sunt.] Et quando malus Sacerdos bene dispositum rite baptizat, tunc, ait Augustinus; gemitum columbæ, & Spiritum sanctum qui in Ecclesia habitat, dimittere illi peccata, sed non Sacerdotem, vt vidimus *supra cap.5. nu.37.* &... Idem puto diceret etiam de malo Sacerdote rite absoluente. Eadem ratione Cyrillus etiam Alexandrinus *in Ioan. lib.12. cap.56.* dicit, Deum solum peccata remittere, at vero quia Spiritus sanctus habitat in Apostolis, eorumque successoribus, ideo homines etiam peccata remittere, quia Spiritus sanctus qui est in homine, per hominem peccata dimittit, ex quo sequitur, si Spiritus sanctus non sit in homine per talem hominem à Spiritu sancto peccata non dimitti.

LV. Nollem equidem plus sapere, quam hi docti & sancti Patres sapuerunt: quoniam tamen ipsi quoq; et potissimum Euangelij loco innituntur, in quo Christus ait: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* locum vero assistentiam solam Spiritus sancti in legitimo Sacramentali actu, & non gratiam gratum facientem, sed potius gratis datam secum ferre ostendimus *supra nu.10.* multo satius fuerit idem de malo clauium tractatore asserere, quod de malo Baptizatore, & consecratore supra asseruimus; ipsius nimirum malitiam effectum clauium nunquam impedire, si claue non errante procedatur. Actui enim per excommunicationem Ecclesiasticam ligandi; similiter per reconciliationem soluendi, à quocunque legitimo ministro fiat, quia non est actus ipsius priuatus, sed publicus Ecclesiæ, assistit Spiritus sanctus qui in Ecclesia perpetuo residet; quæ assistentia facit, vt ex promisso Christi, dum directe minister, etiam malus, rite tamen & ligat & soluit externe in facie Ecclesiæ, indirecte peccator coram Deo interne & ligetur, & soluatur, & sic per Spiritum sanctum & ligatur & soluitur peccator, ad ministri mali actionem, non quidem per Spiritum sanctum qui habitet in ministro, sed per Spiritum sanctum qui habitat in Ecclesia. Hæc de subiecto potestatis clauium quoad excommunicationes, & absolutiones pœnitentiales pœnitentium purgatiuas, sequitur vt proprium subiectum potestatis clauium, quoad excommunicationes pœnales, & Ecclesiæ purgatiuas, primum in ligando, deinde in soluendo inquiramus.

LVI. Excommunicationem pœnalem & purgatiuam Ecclesiæ *cap.9. huius libri* duplicem fecimus: alteram censuram, alteram non censuram, sed meram pœnam externam: & illam solam excommunicationem quæ est censura, quæ ligat peccatum apud Deum, ipsumq; facit irremissum coram Deo, quamdiu peccator non reconciliatur Ecclesiæ vbi potest, docuimus pendere à potestate clauium; pœnalem vero nequaquam: Nunc ergo asserimus, excommunicationem quæ est censura, & operatur in anima, quæque præscindit à corpore Christi quod est Ecclesia, facit hominem tanquam ethnicum & publicanum, eumq; tradit Satanæ, ac vocatur anathema, ab alio non posse ferri, nisi ab eo qui claues rite accepit in Ecclesia; sed simul cum regimine etiam externo, & Ecclesiæ gubernatione. Cum enim in hac excommunicatione necessario publica correptio debeat fieri & causa examinari, necesse est Episcopum legitimum esse qui tales ferat excommunicationes. Primum itaq; & proprium excommunicatorem hac excommunicatione anathematis, quam ego maiorem voco, Episcopum esse dicimus, siue etiam Episcopos in Synodo coniunctos: & sane Episcopum quemcunque: omnes enim Episcopi in hac potestate sunt æquales, neq; vnus est alio maior; quia ordo idem omnium; claues vero ordini sunt adnexæ, vt est in præcedentibus explicatum. Respectu tamen subditorum non sunt æquales; potestas enim sic excommunicandi intensiue eadem, æqualisque est in omnibus, extensiue non item; quia vnus habet plures subditos, quam alius; nempe quoniam diœceses non sunt æquales.

LVII. Ex hac diœcesium inæqualitate sequitur, quod potestas excommunicandi ad plures se extendat in vno Episcopo quam in alio: ita tamen vt nullus possit alienum subditum sic excommunicare: Et hoc de iure diuino; ita vt si attentet, factum coram Deo non teneat, quod explico: In hac excommunicatione, quæ censura sit, præter clauium potestatem, necessario exercetur potestas Episcopalis propria, quæ est regiminis externi particularis, & gubernationis Ecclesiæ, (nam generale externum regimen Ecclesiæ est Principum laicorum, vt *sequenti sexto lib.* patebit.) Hic vero potestas temporalis ad regimen & gubernationem ita à Deo data est Apostolis, non autem septuaginta discipulis, & consequenter Episcopis, & non presbyteris, vt docui *lib.2. c.3.* vt tamen non vnus eorum totam vniuersalem Ecclesiam gubernaret (sic enim vnum, non duodecim

Apostolos instituisset) neque vt quisque eorum totam similiter gubernaret; sed vt illi inter se conuenirent, & partes mundi inter se & inter Discipulos, quos sibi collegas assumerent, & successores ordinarent, distribuerent, ita vt quisque eorum suæ parti vacaret, & in solidum omnes totam gubernarent Ecclesiam, cum partium assignatione. Sic Paulus cauebat ne alium Apostolum interturbaret, neq; super alienum fundamentum ædificaret, *Rom.* 15 *v.* 20. & Cyprianus *supr. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 14. dicebat, vniuersam Ecclesiam ab omnibus Episcopis in solidum gubernari, ita tamen vt singuli suam haberent portionem assignatam. De iure diuino ergo est, vt Episcopi aliquam portionem Ecclesiæ, & non totam quisque gubernet: de iure vero humano est, portiones hasce separare, & declarare. Iam igitur facta iure humano assignatione, de iure diuino relinquitur, vt quisque suam portionem, & non alienam gubernet; nisi charitas & necessitas interdum aliud suadeat, vt explicaui *lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Cum itaque vnus Episcopus non habeat potestatem gubernatiuam Episcopalem in aliena diœcesi, neque poterit quenquam alienæ diœcesis maiori hac excommunicatione excommunicare, quia ad hanc excommunicationem non satis est sola potestas clauium, nisi adsit etiam potestas gubernatiua, quæ vniuersalis in actu non est in vnoquoq; Episcopo, sicut in vnoquoque potestas clauium est vniuersalis.

LVIII. Porro cum necessaria sit potestas gubernatiua ad istas excommunicationes, & consequenter subiectio illius qui debeat excommunicari, & superioritas respectu excommunicandi in excommunicante, planum est, nullum Episcopum posse ab vllo quocunque Episcopo sic excommunicari, quia par in parem potestatem gubernatiuam non habet, nisi iure Ecclesiastico, & Episcopi, cum sint pastores & gubernatores ouium, non amplius oues, nisi supremi Pastoris omnium Christi, illi gubernandi non sunt autoritatiue in functionibus Ecclesiasticis nisi à Christo, & charitatiue à confratribus; vt Petrus à Paulo, *Gal.* 2. cum nemo sit Episcoporum Episcopus, vt ait Cyprianus, & ego plene exposui. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 5.

LIX. Quomodo ergo Romanus Pontifex & Episcopos, & Episcoporum subditos audet excommunicationi subiicere? Vnde ei hæc facultas? Quis illius regimini externo commisit Episcopos, qui sunt illius confratres & comministri? Quis extra Romanam diœcesim Episcopalem ei tribuit potestatem? Metropoliticam potest habere iure Ecclesiastico, potest & Patriarchalem, non tamen Episcopalem. Hæc omnia fuse probaui libris præcedentibus. Igitur vsurpata est potestas ipsius quemlibet excommunicandi: & si id attentet, & excommunicet aliquem vel Episcopum, vel alienum diœcesanum extra propriam Romanam diœcesim, excommunicatio illa nulla est, nisi ex legitima deuolutione, & vt nulla penitus contemnenda. Neque habemus exemplum vllum in tota antiquitate incorruptæ Ecclesiæ, in quo pateat, vel Romanum, vel quemcunque alium Episcopum, extra propriam diœcesim quenquam magna hac excommunicatione anathematis ferisse; omnia enim exempla quæ in antiquitate occurrunt, vel sunt instructiones & admonitiones à Romanis Pontificibus datæ, vt aliquis à suis propriis Prælatis excommunicetur: & sæpe etiam sola pœnitentiali excommunicatione; vel excommunicationem solam pure pœnalem, quæ censura non sit, continent; vel demum, quod est maxime ordinarium, solam in se habent suæ communionis negationem, de qua inferius plura. Loquor de primis quingentis annis post Christum: nam postea Pontifices Romani paulatim hanc sibi in alienos, ac præsertim in Episcopos, de facto potestatem arripuerunt, verum non ita secundo vento deuecti sunt, quin frequentem resistentiam inuenerint.

LX. Frustra igitur Baronius *to.* 2. *an.* 198 *n.* 10. & *seqq.* in suo antiquissimo Victore, victo tamen ab Asiaticis, exultat, cuius factum licet nolit plene tueri, quando ille Asiaticos Episcopos tanquam Quartadecimanos excommunicauit, tamen potestatem illam, quoscunque excommunicandi nobis inspiciendam exhibet. Sed bonus senex solo excommunicationis nomine contentus, nihil pensi habet, quænam excommunicatio secum ferat in alios autoritatem & iurisdictionem, quæ nullam. Hæc enim excommunicatio mere negatiua fuit, ac re ipsa nihil aliud, nisi propriæ communicationis negatio: qua ratione infra videbimus, etiam Episcopum posse à sua plebe excommunicari, nempe populo, se subtrahente ab Episcopi sui communione. Sed prædictam à Victore Episcopo Romano latam discessionem, siue excommunicationem, non modo vt iniustam, sed etiam vt nullam, ac proinde sibi nihil obfuturam *Polycrates* Asianus contemnebat, vt vidimus *lib.* 4. *c.* 8 *n.* 2. Idem fecit longe post aduersus Ioannem 8. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, *Ioan.* 8 *ep.* 79. quem ille excommunicarat, eo quod Bulgariam prouinciam suo Patriarchatui subiectam detineret, quam sui iuris Romanus faciebat. Et tamen Ignatius firmus perstitit, & in ea excommunicatione mortuus est, vir sanctus, ac miraculis clarus, vel ipso teste Baronio *tom* X. *an.* 878. *num.* 44. 45. Quid si Episcopus in hæresim inciderit, vitiisq; contaminatus, & incorrigibilis Ecclesiam scandalizet? Nonne & ipse potest & debet excommunicari? A Synodo deponetur, & postea excommunicabitur. Sed dum manet Episcopus, nemo eum potest vera excommunicatione maiori, quæ sit censura, excommunicare; quia iure diuino in Ecclesia superiorem nõ habet.

LXI. Quod dictum est de potestate ligandi, idem dicendum est etiam de potestate soluendi; vt qui ligauit, idem etiam soluat, & non alius. Qui enim tanquam membrum putridum merito abiectus est à sua Ecclesia, à nulla alia Ecclesia est admittendus, nec reconciliandus, etiamsi resipuerit. De Appellationibus excommunicatorum dicam inferius; nunc loquor de Excommunicationibus, quæ claue non errante fiunt; & quoniam soluere tales excommunicatos, est actus clauium externæ gubernationi coniunctus, nullo modo absoluere poterit ab hac excommunicatione, nisi sit Episcopus ille idem qui ligauit, vel de eius commissione, aut licentia alius, etiam Presbyter. De absolutione ab excommunicatione agens Gelasius *to. de anath. vinc.* superiores & inferiores sedes considerat, vt superior sedes possit absoluere ligatos in inferiori, nõ è contra. & se in hac ratione suæ sedis super omnes esse gloriatur. [*Idem epist.* 11. *ad Dardanos.*] Non reticemus, *inquit*, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones Appellari voluerint, &c.] Hæc propter Acatium dicebat, ne quis eum absolutum fuisse putaret, quem semel Romana Sedes excommunicarat. Quænam ad Sedem Romanam iudicia ab aliis deducantur Ecclesiis, in octauo libro excutiemus: nunc, quod ad præsentem rem spectat, aio aliud esse loqui de iure humano Ecclesiastico, aliud de iure diuino. Iudicia quædam Ecclesiastica externa, etiam excommunicationum, quæ non sunt censuræ, sed pœnæ, possunt habere distinctiones, & Appellationes, & inferiores & superiores sedes. Vbi tamen agimus de excommunicatione censura ad solam

mam perringente, per clauium potestatem & se reoda, & soluenda, omnes Sedes sunt æquales : quia claues, & potestas gubernatiua temporalis æq; est in quocunque Episcopo. Supponimus vere, excommunicationem claue non errante fuisse latam, & excommunicatum optime scire in conscientia se fuisse vere & legitime excommunicatum, & coram Deo ligatū, ergo neque Appellatio locū habet, neq; Sedium superioritas, quæ solo iure Ecclesiastico est instituta, vt *lib.* 3. plene docui. Absolutio ergo Papalis in his nihil valet, neq; se potest Papa in alienum excommunicatum ingerere, & si se ingerat & attētet, nihil facit: nec absolutio quicquam valet coram Deo: ille enim qui rite ligauit, ille solus potest soluere, vel alius de ipsius commissione, qui tamen claues habeat; nam quod ille fecit, profecto tanquam Christi minister. & vicarius fecit. Et si alius velit alienum iustum factum reddere irritum, ille se supra Deum prorsus extollit, quod pulcherrime considerauit Cyprianus, vt sequitur.

LXII. Fælicissimum, & Fortunatum, suos Presbyteros eiecerat ex Ecclesia Cyprianus, meritaq; censura percelluerat. Illi Romam confugerant ad Cornelium, vt ab eo communionem Ecclesiasticam in ipsa Romana Ecclesia vl dolis sue extorquerent. Hac in re iam tum forte peccare solitos Romanos Pontifices sugillare nō destitit Cyprianus. ac generali quodam prudentique dicendi modo Cornelium submonere, ne illos à se excommunicatos in sua Ecclesia reciperet, sed penitus repelleret, ac reijceret. Argumentum ipsius ex iure diuino deductum, vehementissimum est. Potestatem Episcopalem ante omnia probat esse à Deo immediate, testimoniis scripturarum, tum hæc subdit; *l. 1. ep.* 3. Cum hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis autoritas, & potestas, diuina dignatione firmatur, quales putas eos, qui Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicii vltione terrentur? Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde. quod sacerdoti Dei nō obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, (*loco æterni sacerdotis, & iudicis Christi,*) & ad tempus iudex, vice Christi, cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret Fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum Collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsim foris nouā hæresim conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cum Dominus in Euangelio suo dicat. Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris vestri voluntate? Cum ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciente, aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, & Sacerdotes. id est, dispēsatores eius, non de eius sententia ordinari? Hoc est fidem non habere, qua viuimus; hoc est Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus.] Hæc Cyprianus aduersus Romanum Cornelium vere, sancte, intrepide.

LXIII. Alias etiam locum hunc in superioribus consideraui *Supr. l. 4. c. 10. n. 74. 75.* Ibi ita cum sum interpretatus, vt contra rebelles clericos dicta Cypriani militarent: sed iam Cypriani verbis adhuc pensiculatius consideratis, plane mihi persuadeo, ita quidem de clero rebelli illum loqui, vt etiā intermisceat sub modo illo generali loquendi, Romanorum Pontificū indebita attentata, dum excommunicatos ab alio Episcopo ipsi reciperent; & hoc pacto Episcoporum censuras irritas redderent, seque Episcoporum Episcopos & iudices facerent, quod non liceret, diuinæq; institutioni repugnaret. Hæreses, hoc est, sectas, & factiones, ac schismata hoc est, inter Ecclesias diuisiones tribuit illi errori Cyprianus, quod quæ vnus Episcopus vere Dei vice in sua Ecclesia fecerit, ea ab alio Episcopo contemnantur & discindantur, admissis in Ecclesiasticam communionem illis, quos alter Episcopus rite & merito excommunicauit, quasi legitimo iudicio nō sit vsus. *Cui si secundum magisteria diuina*, inquit, *obtemperaret Fraternitas:* per Fraternitatē nunc ego puto etiā intelligi alios Episcopos. & non modo proprium clerū: ita vt si alii Episcopi cuique Episcopo obtemperarent, hoc est, se accommodarent factis, ac iudicatis ab alio Episcopo. nec turbarent quod alii Episcopi cum suorū Sacerdotū proprio collegio effecerunt, sed sinerēt eorum iudicata circa propriū subditum vbiq; obtinere; sic profecto nemo Episcopus se Episcopi iudicem, imo reuera Dei iudicem faceret: siquidem Episcopus in sua Ecclesia, quod rite & legitime fecit, vice Dei fecit. Atque hinc Ecclesiam scindi asserit Cyprianus. Et tandem in fine epistolæ idem argumentum concludens rogat Cornelium, vt nulla cum illis à se excommunicatis commercia in Ecclesia Romana copulentur, nulla cum illis conuiuia, vel colloquia misceantur: sed ibi quoque habeantur tanquam ethnici, & publicani. Permittit tamen si velint resipiscere, & pœnitentiæ se subdere, locum obtineant pœnitentiæ. Si cum precibus, *inquit*, & satisfactionibus veniunt, audiantur.]

LXIV. Hic fortasse Romanæ Ecclesiæ in excōmunicatis aliarum Ecclesiarum recipiendis abusus, occasionem præbuit vt canon aliquis communis prodierit, abusum hunc corrigens, quem canonem Concilium Nicænum c. 5. ex eadem puto occasione, innouauit, stabiliuit, & ampliauit, huiusmodi dato decreto. De ijs qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis vniuscuiusque prouinciæ, seruetur hæc sententia secundum Canonem qui pronunciat, vt qui ab aliis abiiciuntur, ab aliis non recipiantur.] Sic ex Græco pene ad verbum. Vbinam, & quando canon hic editus fuerit, ante Nicænum non reperio inter eos quidem Canones qui Apostolorum esse dicuntur; sed fide non parum nutant, aliquis talis Canon habetur *Canon.* 33. in hæc verba: Si quis Presbyter, aut Diaconus ab Episcopo suo segregetur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab ipso qui eum segregasse cognoscitur.] Addit vero Canon Nicænus remediū quasi Appellationis, ijs qui iniuria abiicerentur, & ait; Inquiratur autē, ne simultate, aut contentione, aut aliqua alia molestia Episcopi sint excommunicati. Vt hoc ergo decentius examinetur, recte habere visum est, vt singulis annis per vnamquamq; prouinciam bis in anno Synodi fiant, vt omnes in vnum conuenientes Episcopi prouinciæ, eiusmodi quæstiones examinent, & sic qui manifeste offenderint Episcopum, iuste excommunicati ab omnibus esse videantur, donec Episcoporum cœtui visum fuerit pro ijs humaniorē ferre sententiā. Synodi autem fiant, vna quidem ante Quadragesimā, vt omni simultate sublata, munus purum Deo offeratur: secunda autē circa tempus Autumni. Huc facit etiam canon 16. Concilii Arelatensis primi, eodē magni Constantini tempore celebrati; qui sic habet; De iis qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, vt quibuscunq; locis fuerant exclusi, eodem loco communionem consequantur.] Hæc profecto, vt diuerterentur cursitationes errorū petentium Romam, iam tum Asylum improborū, quo nunc etiam confu-

gitur scelesti à suis Episcopis meritissime excommunicati: & nullus penitus eo accedit, quin statim marsupij solutione obtineat absolutionem. Fieri ne potest, vt nullus vnquam à quocunque etiam piissimo, & prudentissimo Episcopo fuerit, sitve iuste & legitime excommunicatus? siquidem omnes absoluuntur, & nemo vnquam ad proprium Episcopum remittitur ab eo gratiam consecuturus? Non causam sententiæ, sed nullitatem cauillos consectatur Romani pecuniarum aucupes. Frigidum vero prætextum. Quasi nullus vnquam Episcopus iuris apicibus se in processu accommodet. Ac sæpe ne has quidem tricas causatur Romana Curia, sed aduenientes omnes, spreta veteri disciplinæ norma ac forma, promiscue audacterque absoluit. Ipsi interim Episcopi, quorum iura ab his desertoribus ac transfugis sauciantur, quid agunt? quibus vindicijs? Lenitierunt, muti acquiescunt; suarū censurarum elusores ac contemptores Roma redeuntes, vere absolutos obuijs vlnis recipiunt, nec ius suum vendicant.

LXV. Canonem Concilii Nicæni superius allatum repetiuit Concilium Antiochenum; *c. 6. habetur 11. q. 3. c. 2.* Si quis, *an*, à proprio Episcopo fuit excommunicatus, nec prius ab alijs suscipiatur, quam suo reconcilietur Episcopo, vel Synodo quæ congregatur accedens se defenderit, & persuasa Synodo aliam sententiam retulerit. Hæc autem definitio aduersus Laicos & Presbyteros, & Diaconos, omnesque qui sunt in Canone obseruetur.] Idem remedium pro ijs, qui ab iracundo & præcipiti Episcopo ex Ecclesia sine iusta causa abijcerentur, statuit etiam Concilium Sardicense, *c. 17.* & confugium dedit etiam ad Metropolitanum: eius Canon ex Græco sic habet: Hosius Episcopus dixit: Quod autem me vndequaque commouet, tacere non debeo. Si quis Episcopus existat ad iracundiam procliuis (quod quidem à tali viro longe abesse debet) & cito aduersus Presbyterum, vel Diaconum commotus, ex Ecclesia quemlibet eijcere voluerit; prouidendum est, ne is repente condemnetur, & communione priuetur, omnes dixerunt. Qui eijcitur, facultatem habeat confugiendi ad Episcopum metropolis eiusdem prouinciæ: sin autem Metropolitanus absit finitimum adeundi, atque rogandi, vt ipsius causa diligenter cognoscatur. Minime enim decet aures non præbere rogantibus. Et ille vero Episcopus qui iure vel iniuria illum eiecit, generose ferre debet, causam cognosci, ipsiusque sententiam vel confirmari, vel corrigi. Verum priusquam diligenter ac fideliter singula quæque examinata fuerint, qui communionem non habet; ante causæ cognitionem non debet suo sibi iure communionem vendicare.

LXVI. Similem inhibitionem, ne quis ab alio expulsum recipiat, habet Conciliū Carthaginense quod vocatur secundum; *c. 7.* Si quis Episcopus communionem tenens Catholicam, *eos qui propter eorum facinora pulsi fuerint ab Ecclesia* vanis blandimentis incedentes temere susceperit, sciat, cum his se rectissime deprauatum, vel damnatum — Si ab aliquo Episcopo, aut Presbytero, vel clerico fuerint in communione suscepti; refugientes sui Episcopi regulare iudicium, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxios.] Posteriora etiam Concilia talibus decretis plena sunt. Et huc spectant Canones plurimi, qui communicantes cum excommunicatis eadem plectendos esse excommunicatione definiunt: & consequenter Episcopus quiuis, etiam Romanus, tenetur cum excommunicatis alterius Ecclesiæ non communicare, nisi legitima discussio, iuxta Canones præcedentes, ad eum deuoluatur: & sic ad alium quemcunque: vt propterea Paschalis secundus Henrico Imperatori enixe petenti absolutionem ab excommunicatione, qua ab Episcopis Germaniæ innodatus fuerat, negarit se eam posse, nisi ipsorum consilio, dissoluere. *Vrsperg. an. 1117.*] Ingens ergo abusus est, & vsurpatio intolerabilis quod spreta & conculcata tot Canonum reuerendorum Maiestate, Papa & reseruet sibi alieni subditi excommunicationes, & absoluat ad se aliunde accedentes. Et sane qui extra Romanam diœcesim vere & proprie excommunicati illa excommunicatione quæ censura est, à Papa absolutionem accipiunt, illi coram Deo non sunt absoluti, & in conscientia manent perpetuo excommunicati, quousque à proprio Episcopo, à quo excommunicati fuerunt, seruatis seruandis, vinculi obtineant relaxationem; saluo iure prouocationis, quando vere & in conscientia innocentem se esse coram Deo nouit excommunicatus, iuxta Canonum quos citaui præscriptum.

LXVII. Est tamen aliqua excommunicatio pura pœna, & non censura, à potestate sola ordinaria Episcopali, non à clauibus proficiscens, quæ in anima & coram Deo neque ligat, neque quicquam operatur, vt *cap. 7. num. 6. & sequentibus* ostendi; Huius potestatis ordinarium subiectum est Episcopus, quia talis pœna Episcopalem externam multum adiuuat gubernationem. Hæc excommunicatio quæ tota simpliciter humana est & Ecclesiastica, licet in se & quoad internum effectum longe leuior sit præcedenti, quæ est censura (quia animam hæc non attingit) est tamen quoad externa effecta consequentia priori multo periculosior, ac proinde longe cautius ista vtendum est Prælatis, propter grauissima schismatis pericula: vt non fiat corporalis separatio cuiusquam ab Ecclesia, nisi spes humilis obedientiæ affulgeat, aut plebis consensus, aut Principis subsidium habeatur, neque eradicatio frumenti simul cum zizanijs timeatur. Et propterea in tali excommunicatione, vt cum fructu succedat, plebis consensus prudenter semper requiri debet, frustra enim eijcitur ex Ecclesia, & consortio fidelium priuatur, quem populus abigere, & à quo abstinere recuset: sic Paulus simul cum tota Ecclesia Corinthiorum excommunicat fornicarium, vera quidem excommunicatione quæ erat censura, sed simul cum corporali eiectione; propter quam eiectionem ait Paulus, *1. Cor. 5. 4. 5. Congregatis vobis, & meo spiritu — tradere huiusmodi Sathanæ.* Sic vetus Ecclesiastica disciplina tenuit, vt qui excommunicandus esset, in publico cœtu Ecclesiæ; firmo & recto iudicio percelleretur, assidentibus probatis quibusque Senioribus, vt narrat Tertullianus. *Apolog. c. 39.*

LXVIII. Et quemadmodum populus ad hanc excommunicationem ferendam saltem tacite concurrit, & sine ipsius consensu effectum debitum ac [illegible] habere non potest, ita etiam eiusdem excommunicationis absolutio, populo præsente, & vel expresse, vel tacite consentiente dari deberet. Sane Cyprianus à schismate Donatistarum reuertentes recipere sine sua plebe non audet, nec eis suam tribuere communicationem: Vix plebi, inquit, *l. 1. ep. 3.* persuadeo, imo [illegible] torqueo, vt tales patiantur admitti; & iustior factus est Fraternitatis dolor ex eo quod vnus atque alius, [illegible] tente plebe, & contradicente, mea tamen [illegible] suscepti peiores extiterunt, quam prius fuerant.] Et ex eiusdem Cypriani sententia lapsos non esse reconciliandos, nisi consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus, & ipsis stantibus laicis, clerus Romanæ Ecclesiæ commemorat ad Cyprianum scribens *apud Cypr. l. 5. ep. 12.*

LXIX. Cum igitur illa excommunicatio censura non sit, nec à clauibus pendeat, quæ solam corporalem

lem intendit separationem, & consortii cum fidelibus prohibet consuetudinem; dubium non est, posse etiam laico ipsius ferendæ potestatem committi & delegari. Quinimo sicut Episcopus potest suam communionem alteri Episcopo subtrahere & negare, quæ etiam est huiusmodi quædam excommunicatio; & sicut vna integra etiam Ecclesia, prout complectitur etiam laicos, potest suam negare alteri communionem; ita sola plebs laicorum potest in hoc sensu negatiuo aliquem, vel aliquos, etiam proprium Episcopum excommunicare, se ab eius separans communione, si legitima adsit causa: quæ separatio nullo modo schisma dici debet. Habemus & dicta, & exempla non pauca in Patribus & historijs Ecclesiasticis laudabilia. Origenes *in Iosue hom.* 7. quomodo manus sit abscindenda, & proijcienda explicat dicens, Ego qui videor tibi manus esse dextra, & Presbyter nominor, & verbum Dei videor prædicare, si aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam & Euangelii regulam gessero, ita vt scandalum tibi Ecclesia faciam, in vno consensu Ecclesia vniuersa conspirans, excidat me dextram suam, & proiiciat à se. Expedit enim tibi Ecclesiæ, absque me manu tua, quæ male agendo scandalum feci, introire in Regnum cœlorum, quam mecum ire in gehennam.] Ecclesia tota, etiam cum laicis, proprium Presbyterum & Pastorem excommunicare debet, si adsit causa. Eusebio Samosatensi in exilium pulso, suffectus ei est Eunomius Episcopus Arianus: Tunc, ait Theodoretus *lib. 4. cap.* 14. Nemo ex vrbis incolis, vel pressus egestate, vel diuitiis affluens, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum Ecclesiasticum, vt moris erat, accedere voluit, sed Episcopus solus agebat: quippe nemo aut in eius venit conspectum, aut cum eo sermonem contulit, licet deceretur vitam apud eos valde modeste instituisse.] Plato Monachus à sui Patriarchæ Tarasij Constantinopolitani communione discessit, quia ille Imperatorem ob quædam crimina non excommunicarat. *Ex Theophane Baron. tom. 9. an. 795. nu.* 69. 5. Laudatur à multis: mihi tamen videtur factum impudentissimum, & schismaticum; ex indiscreto zelo, & non secundum scientiam profectum. Non enim est Monachi, facta Prælatorum Ecclesiæ iudicare, ob hæresim tamen manifestam id ei fateor licuisset. Sed verum est ac pene incurabile vitium Monachorum, vt extra cellam suam prorepent, extra sphæram suam euagentur, ac per summã insolentiam Episcopale munus & regimen vsurpent; sicut fecit etiam Theodorus Studita, archimandrita, qui Imperatorem ausus est excommunicare, id est negare ei cum suis Monachis communionem: *Ibid. n.* 93. 95. sed meritas suæ temeritatis pœnas dedit. *Ibid. nu.* 96. Alia exempla posui superius *cap.* 9 *nu.* 8. & sane celebria.

LXX. Hoc genus excommunicationis etiam in Romanum Pontificem aliquando cecidit, nempe vt aliqui se ab eius subtraherent communione, neq; propterea schismatici fuerint, si iusta ex causa id fecerint. Sic Valentinianus Imperator cum matre, & multus populus Romanus cœperunt vitare communionem Sixti Papæ huius nominis tertij, propter calumnias quas ei Bassus intentarat, & pro quibus se publico iudicio Sixtus expurgauit. *to. 1. Conciliorum.* Dioscorus primum, *Conc. Chalced. act.* 1. deinde etiam Timotheus, Alexandri Patriarchæ Leonem Romanum excommunicarunt. *Epist. Aegyptior. post Conc. Chalced.* Scio eos id quoad causam iniuste ac perperam fecisse: sed neque puto adeo insolentes ac stultos fuisse, vt auderent aliquid, quod omnino, & toto genere ab eorum potestate esset sine dubio remotissimum. Reprehenduntur certe ab omnibus, non quod sibi arrogassent indebitam potestatem, sed potius quod debita ac genuina abusi fuissent. Quid enim vetat quominus sit in potestate cuiusuis Episcopi, nedum magni Patriarchę, si causa legitima adsit, suam communionem Romano Pontifici negare, atque hoc citra notam schismatis? Potest ille legitime suam ex causa & citra schisma negare aliis; cur alii similiter non possunt illi? Alexandrina Ecclesia subdola traductione literarum Leonis ad Chalcedonense Concilium, in quibus Nestorius defendi videbatur, decepta, à communione Romanæ Ecclesiæ se seiunxit; & vice versa Romana se ab Alexandrina ex falsis relationibus separauit: narrant id ipsi Alexandrini *Apud Baron. to. 6. an. 497. num.* 15. His igitur causis, *inquiunt*, Deo amabilis populus noster offensus est, & de Græca translatione arbitratus est in Latino quoque sermone sensum similem contineri, ac sese ab vnitate Romanæ diuisit Ecclesiæ. Nec non etiam Romanus Antistes, existimans nos contra eam fidem, quæ tradita est à beatissimis Apostolis conspirasse à nostra se communione suspendit.] Quæ separatio cum mutua ista excommunicatione diu perseuerauit. Acatius quoque Constantinopolitanus nomen Fælicis Papæ ex albo suo abrasit. *Niceph. l. 16 c.* 17. Multi clerici & presbyteri & Romani (*profecto Cardinales*) ab Anastasii Papæ, sui Episcopi se communione subtraxerunt, *Liber Roman. Pontif. in Anastasio.* quia communicasset cum Acatianis. Laurentius Mediolanensis, & Petrus Rauennas Episcopi, à Symmacho Papa, accusato à suis clericis, & nondum purgato abstinuerunt. [*Ennodius in Apologia.*] Ac ne videatur pro excommunicato hinc declaratus Pontifex, Ennodius ipsius eximius patronus, ex coniecturis tantum ab se excogitatis, ait, eos propterea in mysteriis nomen Symmachi non reticuisse. Vigilius Papa Mennam Constantinopolitanum à comunione exclusit. Idem sane & Mennas aduersus ipsum fecit. *Niceph. l.* 17. *c.* 26.] Nicolaus demum Papa Photium Constantinopolitanum damnarat. Photius quoq; pro quibusdam criminibus, fortasse confictis, Nicolaum punit anathemate *Anastas. Biblioth. in præfa. ad 8. Syn.* Viginti & vnus Episcopi anathemati subscripserunt. Repræhendit hæc vehementer huius rei Scriptor Bibliothecarius, iurium Papalium defensor acerrimus. Ex odio fortasse & vindicta id factum; factum tamen, non vsurpato iure, sed ratione, & exemplis multis iam confirmato. Non igitur nouum erat, nec inauditum, nec ab aliquo impio attentatum, sed consuetum & ordinarium, vt Papa quoque ab aliis, etiam propriis subditis, hoc genere excommunicationis excommunicaretur.

LXX. Absolutio porro ab huiusmodi excommunicationibus nihil aliud erat quam prius denegatæ fraternæ communionis restitutio; quæ quia nullis indiget clauibus, potest per quemcunque non Episcopum, vel Presbyterum, puta per Diaconum, Subdiaconum, etiam laicum significari, & intimari. *Innoc. 3. l.* 1. *ep.* 408. Imo quia pœnitentialis quoq; excommunicatio solam interdum pœnitentiæ indictionem ad Ecclesiæ ædificationem, continebat, sed vere peccatum coram Deo non ligabat, iccirco inuenimus Diaconos interdum pœnitentes ad pœnitentiam acceptasse; interdum etiam laicos, & postea etiam reconciliasse *Cypr. l. 3. ep.* 17. hoc est respectu Ecclesiæ tantum, vbi præsertim vere contritus, & consequenter coram Deo absolutus adesset pœnitens.

LXXII. Hic demum subiectum potestatis indulgentias cõcedendi esset inquirendũ: nam in hac quoq; potestate noster D. Papa se supremum Dominum fecit huius ficti Ecclesiastici ærarii spiritualis, & thesauri dispen-

dispensatorem: vt ipse solus cum suis Curialibus tali monopolio ditaretur, ac insuper pro Deo & solo in terris peccatorum remissore, Purgatorijque supremo Iudice, haberetur. Si huiusmodi thesauri claues illæ essent, quas Petro Christus promisit (aliæ enim esse non possent) non sine graui nostrum reliquorum Episcoporum iniuria, ille se clauigerum faceret, & tyrannicum in hunc thesaurum dominium vsurparet: siquidem claues illæ æque omnibus sunt datæ Apostolis atque Petro; & consequenter æque omni Episcopo, imo etiam omni Presbytero, atq; Pontifici Romano; quod hactenus plenissime, *cap.* 7. & 8. me probasse existimo; Estque tota Tyrannica illa Innocentii tertii Decretalis, *De pœnit. & remiss. c. Cum ex eo*. qua prohibet omnibus Prælatis, ne vltra quadraginta dies, vel annum concedant indulgentias; vt sibi iam dictum constitueret monopolium. Oculatior Innocentio fuit Bonifacius 8. qui *Ex. c. fin. in 6.* addidit, indulgentias Episcoporum, si excedant annum, iuxta Innocentii statutum nullas vires habituras. Vtrusque vanissima decreta facile esset deprimere, & nullitatis arrogantiæque nimiæ, manifestæque tyrannidis arguere, ex æquali iure diuino in omnibus Episcopis & Presbyteris in clauium potestate, si indulgentiæ illæ essent aliquid; Cum vero sint mera somnia vt *cap.* 8. probaui, & auaritiæ inuenta, nullo veritatis nixa fundamento, à labore prorsus inani omnino est abstinendum. Atque hic nobis huius quinti libri iam finis esto.

***

DE

DE REPVBL. ECCLESIASTICA, LIBER VI.

Qui est

De Potestate temporali in Ecclesia.

PROOEMIVM.

I. SI potestas Ecclesiastica suis se limitibus contineret, talis, qualem iam in proxime præcedenti lib. 5. indagauimus, & reperimus; neq; in Principum temporalium autoritatem tanquam in alienam messem, præter fas, falcem immitteret; mira profecto vtriusq; potestatis consensione, mira concordia tanquam duabus alis fideles Christi subleuati, ad vtramq; felicitatem, temporalem, & æternam, rectis itineribus contenderent; & multa, ac grauissima scandala, publicæq; perturbationes, quæ subinde solent hinc exoriri, sedarentur facile ac omnino comprimerentur. Quotidianas videmus, & audimus contentiones inter Ecclesiasticos, & laicos proceres; dum alteri ab alteris in se potestatem, & iurisdictionem, vsurpari conqueruntur, ægre [illegible], & in apertas erumpunt simultates; amaroq; dissidio inter fideles scandala, ac schismata, & perniciem animorum; apud infideles vero risum, & illusiones nostræ fidei, excitant; & vbique [illegible]mas inducunt perturbationes.

[illegible] Tanta regnandi omnibus inest libido; tanta dominatus cupiditas, vt [*Cic. de off.*] si violandum [illegible], regnandi causa illud violandum esse, vix vllus sit qui non censeat. Ecclesiastica porro po[illegible] cum tota spiritualis sit, & interna, ac reuera seruiens potius quam dominans; terrenus vero [illegible]us, totus externus, ac visibilis, speciosus in se, illustris, ac eximius; iam nemo videtur sibi vere & proprie conspicuus, si visibili hac, quam maxime potest, non polleat, & niteat dominatione. Hinc nostra se erexit ambitio, vt qui Duces sumus in spiritualibus, anxie ad temporales etiam anhelemus præfecturas: & non modo nos ipsos à ciuili, & politica, cui, velimus nolimus, subiecti sumus, eximamus potestate; sed etiam rerum mere temporalium iudicia, propriis iudicibus vi eripere studeamus: & (quod in vltimo abominationis est collocandum) in Regum, ac Principum sceptra ac diademata, vim nostram quandam somniatam exerere non [illegible]ubitemus.

III. Peccant in hoc genere etiam Christiani Principes interdum, sed longe leuius, ac rarius: [illegible] enim ac propriè Ecclesiasticæ potestatis spiritualis, circa sacrorum administrationem, & fidei [illegible]ionem, vix vllus vsquam est, aut iamdiu fuit, quod sciam, qui sibi vsurpet. Quod vero Ec[illegible]æ bonum ipsum spirituale Principes & promoueant sæpe, & sua autoritate sartum tectum e[illegible]tur conseruare, id eis vitio verti non potest: sicut si Prælati Ecclesiastici etiam salutaribus pœnitentiis, & censuris, Principes ipsos Christianos in officio retinere cum debita prudentia co[illegible]tur, quoties à recto itinere æternæ salutis grauiter & cum scandalo deflectant, egregie laudan[illegible], & extollendi.

IV. Vt autem cuique manifestum sit, quid quisque possit, & quid iuris habeat in suo genere, potestas laica in Ecclesia duobus modis consideranda nobis erit: An videlicet in Ecclesia, aliqua sit potestas laica, id est, An Ecclesia potestatem vllam habeat in temporalia: Et, an laica potestas pos[illegible]t aliquid in Ecclesia, id est, An Principes temporales aliquam habeant Ecclesiæ gubernationem. Hoc in stadio studioque nobis sextus hic liber est elaborandus; cuius argumentum ad duo[illegible]cim capita more nostro reuocamus. Quod cum sit bimembre (de potestate nimirum Ecclesiastica in temporalia: & temporali in Ecclesiastica) ante omnia vtriusque potestatis radicem, & fundamentum penitus intimitusque perscrutabimur,

In Primo igitur capite Ecclesiasticæ potestatis fundamentum generale ponitur Christus: vt Dominus spiritualis Ecclesiæ, non temporalis mundi.

In Secundo vero ponitur radix laicæ potestatis in genere eam esse immediatè à Deo: Positis his fundamentis, tum deinde

In Tertio comparantur inter hæ duæ potestates, vt appareat num sint illæ inter se subordinatæ.

In Quarto seorsim laica potestas incipit considerari erga Ecclesiam, & Ecclesiasticos. Ac primum quoad temporalia Ecclesia quoque & Ecclesiastici omnes laicæ potestati subiiciuntur.

In Quinto deinde quoad spiritualia etiam, & quoad ipsum regimen Ecclesiasticum externum, potestas officiumque Principum explicatur.

In Sexto præterea potestas legislatiua laica in specie, res quoque, & personas Ecclesiasticas comprehendere ostenditur.

In Septimo Principum demum potestas alia specialis in Electionibus & inuestituris Ecclesiasticorum perpenditur.

In Octavo seorsim item Ecclesiastica erga Temporalia potestas explicanda assumitur, & primum Dominia temporalia suprema, gladiumque materialem Ecclesiam dedecere declaratur.

In Nono Principibus, etiam dum errant, magnam ab Ecclesia deberi reuerentiam, comprobatur.

In Decimo Ecclesiam in Reges, & regna prorsus nullam habere quoad temporalia potestatem conuincitur.

In Vndecimo Translationem Romani Imperii Occidentalis à Græcis ad Francos, & septem Electorum Imperialium institutionem, Papale opus non fuisse demonstratur.

In Duodecimo ad Monarchiam Siculam, ex iam explicatis, contra Baronium fit digressio, vt potestas laica in rebus quoque Ecclesiasticis inde magis stabiliatur.

CAPVT I.

Christum, vt hominem, dum in terris versaretur, non habuisse Regnum temporale.

Summa Capitis.

Ecclesiastica potestas sola est, quam Christus habuit vt homo, & Ecclesiæ concessit, num. 1. 2. 3.

Iure humano naturali, siue ciuili, Christus non habuit potestatem publicam in temporalibus, num. 4. 5. 6. *Hac occasione explicatur an Christi mater virgo Maria sit ex tribu Iuda, & stirpe regia Dauid; & Christi temporalis generatio & descendentia declaratur,* num. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

A Deo Christum hominem factum Regem mundi in temporalibus contendunt aliqui, & suis firmant argumentis ex scriptura, quæ omnia confutantur, à nu. 13 *ad* nu. 31.

Veritas ex sua radice, & locis scripturæ inquiritur, & exponitur, à nu. 32 *ad* nu. 56.

Christus homo vt homo neque habuit ius regnandi actu, neque habitu, in temporalibus, nu. 57. 58. 59.

Ex patribus confirmatur Christum non habuisse dominium temporale Regium, nu. 60. 61.

Rationes quibus Christi regnum temporale videtur niti, proferuntur, & soluuntur à nu. 62. *ad finem.*

1. TOTAM Ecclesiæ potestatem, quęcunque illa & quantacunque sit, aliunde non esse, quam à Christo Domino, & non nisi in quantum homo erat, acceptam, solidum mihi sit fundamentum. Is enim cum secundùm humanitatem factus sit & constitutus à Deo Patre Ecclesiæ nostræ Christianæ caput, Rex, & Dominus, vt iam à nobis est primo huius operis libro ostensum, & declaratū, nihil potestatis in Ecclesia esse potest nisi quod ab ipso Christo fuerit, prout ille homo erat, eidem tributum. Diuinam enim omnem potestatem, quam vt Deus habebat, sibi plene retinuit & reseruauit, quę profectò puro homini est incommunicabilis. Et cum tritum sit illud, neminem posse dare quod non habet, iccirco operæ pretiū, imo necessarium fuerit indagare ex sanctis scripturis, & patribus, an Deus Pater Christo filio homini, vt homo præcisè fuit, vllam in temporalia regna temporalem, Regum terrenorum propriam tribuerit potestatem; aliove modo Christi humanitas illam habuerit: vt hac quasi certa regula constituta, planum nobis & certum reddatur, quid potestatis potuerit Ecclesia erga temporalia, & quid non potuerit à Christo Domino obtinere: vt non frustra glorietur, & iactet se habere aliquam potestatem, quam ne Christus quidem ipse vt homo, habuerit in terris.

II. Atq; vt in hac quæstione distinctè procedamus, aduertendum est Christum Dominum etsi vnica[illegible] persona, duas tamen in *se naturas habere*, diuinam & humanam. Plenissimam itaq; potestatem Christum habere erga temporalia, secundum diuinitatem, dubium nullū est: quia *Psal.* 23. 1. Domini est terra & plenitudo eius.] Atqui Christus non vt Deus tantummodo, sed vt homo, etiam est caput, & institu[illegible] fundator Ecclesiæ sanctæ: nam vt Deus, Domin[illegible] vniuersi; & finis hominis; vltimaq; ipsius supern[illegible]ralis beatitudo: At vero Christus est Mediator, & [illegible]uator, vt homo Deus. Quod distinctius, & concep[illegible] verbis, explicat Paulus dicens; 1. *Tim.* 2. 5. Vnus n. Deus; vnus & Mediator Dei & hominum; homo; C[illegible]stus Iesus.] Et dum ipsemet Christus fatetur sibi *Matt.* 28. 18. Datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra: quis non videt ipsum de se homine loqui nam Christo Deo, vt Deus est à quo dabitur potestas? Christus ergo, vt homo, potestatem habet quancunque habet ad Ecclesiam gubernandam, per mod[illegible]m

capitis,

capitis, Rectoris, & Regis. Nam etiam, vt Deus, aut potius vt homo Deus, eandē gubernat; dum sacramētis visibilibus, inuisibilē vim & operationē concedit supernaturalem: & alia præstat, quæ à diuina pendent omnipotentia. Itaq; videndum est quænā Christo capiti competat potestas, vt homini, & an Christus homo, vt homo, in temporalia habuerit potestatem: nā de spirituali Christi Domini potestate, abunde egimus in præcedentibus; & agemus in sequentibus.

III. Rursum quæri potest de ipsomet Christo homine, vtrum habuerit potestatem secundum humanitatem, & dominium, ac iurisdictionem in temporalia, tam priuatim, quam publice: atque hoc, iure ne proprio & hæreditario: an vero ex priuilegio, & donatione à Deo habita. Et sane quod ad præsens negotium spectat, illud videndum est, quid potestatis habuerit Christus homo in temporalia, dum mortalis & passibilis inter homines vitam ageret: nam quod post resurrectionem iam gloriosus & immortalis, est consecutus; id totum ipsi soli competit, Ecclesiæ nequaquam communicandum. Quicquid enim Ecclesiæ communicauit, illis verbis communicauit: *Ioh. 20 21.* Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos.] Vt quod ipse visibiliter suæ præstitit Ecclesiæ, dum mortalis esset inter mortales, ad ipsos à Patre missus; idē, & non aliud Apostoli mortales, & ipsorum successores, possent in Ecclesia. Fatetur hoc & probat etiam Bellarminus, hoc pacto; [*Bellar. de Rom. Pont. l. 5. c. 4.*] Christus, vt homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit vllius prouinciæ vel Oppidi merè temporale dominium: summus autem Pontifex Christi Vicarius est, & Christum nobis repræsentat, qualis erat dum hic inter homines viueret; igitur summus Pontifex vt Christi Vicarius, atque adeo vt summus Pontifex est, nullius prouinciæ vel oppidi habet merè tēporale dominium.]

IV. Quod igitur spectat ad res priuatas & singulares, parū, vel nihil ad rē nostrā facit, siue dicamus, vt volunt multi, Christū hominē iure hæreditario tam matris suæ, quā patris putatiui, adeo pauperē fuisse, & fere mendicum, vt si factum spectemus, nulla habuerit prædia, nullas domos, nullā pene rem familiarē, iuxta illud: *Matt. 8. 20.* Vulpes foueas habēt, & volucres cœli nidos, filius autē hominis non habet vbi caput reclinet.] Et illud: *Luc 8. 1.* Iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans Regnum Dei, & duodecim cū illo, & mulieres multæ, q̄ ministrabant ei de facultatib. suis.] Siue dicamus habuisse, & vsum & proprietatē aliquarum rerū, quæ fuerint Patris legalis Ioseph, & Mariæ sanctissimæ genitricis. Vsum vero fuisse ope alterius, non vt mendicū, neq; solo indigentiæ titulo, sed iure prædicationis, quo 1. *Cor. 9.* seminantes spiritualia ius habent petendi tēporalia, vt volunt [*Iac. Almayn. de potest. Eccl. & lai. q. 1. cap. 8.*] theologi. Non n. inquirimus nunc quid priuatæ potestatis habeat Ecclesia in bona tēporalia, quod inquiremus postea *lib. 9.* Sed publicā indagamus potestatem iurisdictionis, & regiminis temporalis.

V. Regiam sane potestatē Regni Iuda, Christo Domini, vt homini, iure hæreditario & successionis cōpetiisse, cōtendit [*Armach. in 4. c. 16.*] Armachanus; assumitq; id q̄ habetur in Numeris; *Nu. 27. 6.* Homo cū mortuus fuerit absq; filio, ad filiā eius transibit hæreditas.] Cumq; vere & proprie, *inquit*, Virgo Maria Christi Mater descēdat ex Dauid; nā & ipse Christus dicitur *Luc. 1. & Ro. 1.* semē, & filius Dauid; profecto ratione matris: igitur in defectu masculorum, successit in Regnū Dauid ipsa Virgo Maria: ei vero hæreditatio iure successit Christus. Sed hæc est futilis sentētia & facile refutabilis: nā longo tēpore antequam Maria nasceretur (vt bene opponit [*Almayn. vbi sup. c. 8.*] Almaynus) erat ablata potestas regia à domo Dauid. Et Machabæi qui nō fuerunt tyranni, sed legitimi tandē Reges Iudæorū, erant de tribu Leui quia erant 1. *Mach. 2.* Sacerdotes. Et vt opponit Bellarm. [*Bellar l. 5. de Rom. Pont. c. 4.*] nō constat an Christus esset magis proximus Dauidi, q̄ alii multi, qui de eadē erant familia. Et in Iechonia Regalis dignitas in domo Dauid est extincta, iuxta Dei voluntatē, [*Hier. 22. 30.*] Hęc dicit Dn̄s (*de Iechonia*) scribe virū istū sterilē, qui in dieb. suis nō prosperabitur. Nec n. erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda. Si hæc prophetia naturalē intelligit sterilitatē, quoad liberorū procreationē, tunc Salathiel erit Iechoniæ filius legalis adoptiuus, q sane Salathiel, ēt cū filio Zorobabele, & posteris, Reges Iuda nō fuerunt, sed captiui, & ad summū Principes, vel Duces: quare sceptrum ēt regium in hac linea amissum, per hanc lineā ad Christum vsq; propagari, stāte prophetia, non debuit. An vero regnum ad aliā lineam stirpis Dauidicæ per Nathan filiū Dauid, & non per Salomonē, post Iechoniam transierit, per quā ad Christum, ex Lucæ genealogia peruenire potuerit, difficile est indagare, & difficilius probare. Certe Hieron. locū Hieremiæ exponens [*Hieron. in Hiere. c. 22.*] docet eum non pugnare cū verbis Lucę [*Luc. 1. 32.*] Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: quia, *inquit*, Hierem. loquitur de Regno tēporali, & carnali: Gabriel verò de spirituali & æterno. Et August. [*Aug. l. 17 de ciuit. Dei, c. 7.*] Qui populus, *inquit*, regnū fuerat amissurus, Christo Iesu Domino nostro, non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo.]

VI. His adde regnū Dauid q̄ à Deo per Angelū Christo promittebatur illis verbis ad virginē, *Luc. 1. 32.* Dabit ei Dominus Deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū: non fuisse Christo Domino re ipsa datū, nisi post resurrectionē; quando dictum est ei, *Ps. 109.* Sede à dextris meis: vt optime ostendit [*Ians. in c. 3. suæ concord.*] Iansenius. Christus ergo homo mortalis in terris, Regnū Dauid nequaquā habuit: Vnde Christū hominem Regem, ēt spiritualem, sanctæ Ecclesiæ facere ante ipsius glorificationē non est adeo facile. Nā dum mortalis fuit in terris, operarii & laboratoris ordinarie munus exercuit, non Regis, nec Domini; neq; in toto Euangelio reperies Christū potestatē Regiam & Dominium, cū vlla externa iurisdictione exercuisse; quæ n. à quibusdā afferūtur, ad hanc rē nihil faciūt; vt ostendā inferius. Cur ergo nobis homo purus obtrudatur in terris, qui locū Christi duntaxat mortalis gerat in terris, seque Caput visibile sanctæ Ecclesiæ militantis faciat, & Regē, ac Monarcham, si ne Christus quidē, cuius locum se occupare is profitetur, dum mortalis esset in terris, fuerit in Pontificio sensu Caput visibile, talisque Rex & Monarcha?

VII. Quod autē spectat ad Regnū Iuda id ad Christum per matrē nequaquam peruenire potuisse, præter illa, quæ paulo ante contra Armachanū sunt intorta, obiici ēt posse videtur, Mariā Deiparam cōuinci non posse ad domū & familiam stirpemq; Dauid pertinuisse, & ex tribu Iuda ortam esse. Id enim Scriptura nunquam clare aperteq; expressis verbis pronunciat: imo dat nobis coniecturā aliquam qualemcunque Beatam Virginem fuisse ex stirpe Aaronica, quia dicitur [*Luc. 1. 36.*] cognata Elizabet; quæ tamē Elizabet erat de [*Ibi. n. 1.*] filiabus Aaron. Illud tantum obstat quod Christus omnino fuit filius Dauid, & de tribu Iuda. Ego tamen miror quo pacto communis opinio inua-

inualuerit propterea Christum fuisse filium Dauid, quia mater Christi erat ex stirpe Dauid. Vnde tot tantopere laborant sacrorum Euangeliorum Theologi expositores vt genealogiā Christi à Matthæo & Luca positam ad sanctissimam Christi matrē deducant. Siquidem mulierū in genealogiis, vt [*Hier. in Matt. c. 1.*] ait Hieron. nulla ratio habeatur: neq; vnquam quisquam in certa tribu ponatur, quia matrem ex tali tribu habuerit: tribus enim per viros solos multiplicabatur, & conseruabatur, mulieres verò sæpissime & pluribus ex causis ex diuersis tribubus in vxores assumebantur. Dauid habuit vxorem *1. Reg.* 18. 27. Michol filiam Saul ex tribu Beniamin. Iosabeth vxor Iojadæ Pontificis fuit soror Ocoziæ *2. Paral.* 22. 11. Regis Iuda. Et prius Aaron habuit vxorem *Exod.* 6. 23. Elizabet filiam Aminadab de tribu Iuda. *Nu.* 1. *& 1. Paral.* 2. Multos alios recensere possumus: certe si *Num.* 36. lex firma & stabilis esset vt viri omnes ex propria tantum tribu sumerent vxores, & fœminæ non nisi viris propriæ tribus suæ paternæ nuberent, frustra *Iud.* 21. iurarent filij Israel in Maspha & dicerent, Nullus nostrū dabit filijs Benjamin de filiabus suis vxorem. Poterant ergo tunc viri Benjamin habere vxores ex alijs tribubus filiorum Israel. Profectò lex ipsa vt tribus non miscerentur non nisi propter possessiones data est, vt habemus in ipsa sacra Scriptura; *Num.* 36. 4. ne cum vxore possessio etiam in alienam tribum transiret. Quod si mulier haberet fratres, & nullam haberet in sua tribu & domo possessionem, nullum erat impedimentum quominus posset in quacunque tribu nubere. Ideoque Leuitæ ex omni tribu vxores ducebant, quia possessionum erant incapaces, & consequenter fœminas cum possessionibus accipere non poterant. Igitur non ex matre sed ex patre & genus & tribus & familia multiplicabatur, conseruabatur, ac denominabatur: Mater vero suo filio nunquam, & nullo in casu suam tribum propriam communicabat, sed solus pater, siue verus & naturalis, siue etiam tantum legalis: & quicquid mulier parit, citra adulterium, non patri suo parit, neque patris stirpem propagat, sed viro suo, siue viuenti, siue etiam mortuo, vbi frater viuus pro fratre mortuo *Gen.* 38. *& Deut.* 25. 5. supplet.

VIII. Cum itaque ex parte matris Christus non potuerit in vlla certa tribu censeri, patrem verò hominem nullum haberet, qui pater eius esset naturalis; per solum legalem patrem ipse Christus, qui naturaliter per matrem vere homo natus est, ciuiliter tamē, & tribum Iudæ sortitus est, & stirpem Dauid. Ac quēadmodum si frater, non relicta prole, decessisset, alius frater suscitabat semen fratri, supplens cum vidua relicta fratris, pro fratre, & hæc proles ad fratrem mortuum, qui tamen illam non susceperat, omnino pertinebat; & filius natus verè & propriè filius dicebatur illius mortui; perindeque erat in ciuilibus, atque si naturalis eius filius fuisset: cum Spiritus Sanctus suppleret pro Ioseph in suscipiendo ex virgine filio, quæ erat vera & legitima vxor Ioseph, certè ipse Christus erat verus & legitimus filius Ioseph, non naturalis, sed legalis, quia ex ipsius legitima vxore, sine adulterio, susceptus est, Spiritu Sancto proeo supplente: & ex hoc Christus meritò, propter Ioseph qui erat de [*Matth.* 1. 18. *Luc.* 2. 35.] domo & familia Dauid, erat verus & legitimus filius Dauid; non naturalis, sed legalis. Et quia filius naturalis nullius viri debuit esse Christus; & ex naturali progenie stirpem in terris nullam poterat habere, quæ tota, vt dixi, à patre, non à matre sumitur & propagatur, ideo quo poterat modo in humana stirpe erat collocandus: stirpem verò quam naturaliter sortiri nullo modo, nullaque ratione per hominem patrem poterat, eam legaliter plenè & perfectè per legalem patrem sortitus est.

IX. Propterea Euangelistæ tum Matthæus, tum Lucas, generationem Christi per ipsum Ioseph totā absoluunt, & meritò; quia generatio paterna humana in Christo naturalis nulla fuit: fuit verò sola legalis seu ad modum legalis, vbi alius pro alio supplet, & ei ex ipsius vxore suscitat semen: & per hoc liberamur ab omnino inexplicabilibus nodis, & irresolubilib. si per Mariā velimus Christi humanam generationē ab Euangelistis positam explicare, ipsamque literam Euangelij planam & clarissimam ad verbum retinemus. Et quando Paulus ait *Rom.* 1. 3. Christum factum esse ex semine Dauid secundū carnem, ad legale potius quā naturale, vt arbitror, Dauid semen respexit: Mulier.n. vt dixi, sui patris semen non multiplicat, sed sui viri duntaxat, aut naturaliter, aut legaliter; qua ratione dicitur in scriptura frater suscitare semen fratri, qui tamen frater cui semen est suscitatum naturaliter nihil proprij seminis habuit in illa prole, & nihilominus proles illa semen vocatur illius cui proles suscepta est, non illius per quem suscepta est. Ita Christus secundum carnē, id est non quoad diuinitatem, sed quoad humanitatem à Spiritu Sancto factus est, & susceptus in vtero vxoris Ioseph, & consequenter nō naturaliter, sed legaliter, secundum carnem ad semen Ioseph pertinuit. Indeque meritò Ioseph vocatur pater Christi non naturalis sed putatiuus; Iesus.n. erat, vt putabatur, filius Ioseph, vt ait Lucas; *Luc.* 3. 49. non tamen putatiuus eo sensu, quasi nihil iuris paterni Ioseph haberet, respectu Christi nisi in sola hominum opinione, & falsa suppositione; sed verus erat & proprius Christi pater, legalis tamen, & non naturalis, cum verò iure paterno pleno. Eo modo quo frater ille mortuus, erat plenè pater illius prolis, cuius pater iure non esset frater ille qui prolem suscepit fratri mortuo, cui semen suscitauir. Vt patet ex eo ꝙ de Onan filio Iudæ legimus, qui iussus à Iuda parēte suo vt suscitaret semē fratri suo Her, ex Thamar dicti Her primogeniti Iudæ relicta vxore vidua, *Gen.* 38. 9. Noluit tamen, quia sciebat non sibi nasci filios, & abstinuit ab ea, ne liberi fratris nomine nascerentur. Itaq; nulla nos necessitas cogit gloriosissimam Mariā facere de stirpe Dauid generatam: nam siue reuera sit ex ea stirpe edita, (vt est valde probabile, ordinarie enim vir ex eadem tribu vxorem ducere debebat, & credibile est Mariam nullum fratrem Germanum habuisse, & sui patris bonorum heredem fuisse. Et communis opinio Sanctorum ita tenet, quorum coryphæi sunt [*Iust. Mar. Apol.* 2. *& Tertul. l.* 4. *cont. Marcio. & Atha. de incarn. Christo.*] Iustinus Martyr, & Tertullianus, & Athanasius, quibus refragari ob firmato animo nunquam auderem) siue non sit; Christum nihilo secius Dauid filium esse, modo explicato, est certissimum.

X. Autor sane quæstionum quarundam Iustini nomine, inter opera Iustini Martyris positus (qui tamen Iustin. Martyr esse non potest, quia citat Origenē q. 82. & q. 86.) me ab audaciæ crimine facilè liberabit, quem explicationis meæ singularem fautorem summopere gauisus sum me postea reperisse. Obiecta erat quæstio, Si Christus ex virili semine non est genitus, cur ipse seipsum toties Filium hominis vocat virili genere? Autor non negat in virili genere Christum se hominis Filium vocare, sed propter Iosephū cuius filius legalis erat, explicat Autor Christum Filium hominis, virili genere se vocare. Ait verò, [*Iust. in quæstionib. gentil. posit. q.* 56.] Præterea si quemadmodum

Ioseph

Ioseph Eli filius lege, sine nuptiali copulatione factus est, quod Deus hoc modo Ioseph Eli filium dare voluerit; quid absurdum est ita dari Ioseph etiam sine maris & fœminæ cōcubitu? Huius enim rei causa hoc prouidit diuina gratia, vt virgo viro qui duos patres habuisset nuberet, vnum natura, ex nuptiali concubitu, alterum ex lege, sine maris & fœminæ concubitu; ante delineans & depingens in illa generatione Christi ortum, qui ex Spiritu Sancto generatus est Deo filius, ex vxore autem Iosephi, Iosepho filius generatus est. Spiritus, inquit, sanctus in te intrabit, & vis altissimi tibi obumbrabit: itaque id quod sanctum ex te nascetur vocabitur Dei filius. Quod si id quod generatur ab Eli vxore, ex Dei lege, Eli est filius, multo magis id quod ab vxore Ioseph generatur [illegible] voluntate, Ioseph est filius, sine nuptiali coniunctione.] Et rursum: *Ibid. q.133.* Christum porro [illegible], qui duos patres habuit, filium nominari di[illegible] gratia voluit: alterum quidem ex lege, vt cum Christum Ioseph quidem filium esse audimus, sed non ab eo natura generatum, nec alienum id nobis, nouumque videatur: alterum autem natura. Vt enim Ioseph ipse Eli quidem filius dictus est, sed ab eo nō est procreatus, quod diuinæ legi ita visum ex Leui vxore Leui dari filium: sic placuit Deo ex Ioseph vxore dare Ioseph filium, quem natura non procreasset. Ioseph, inquit, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim ex aliqua muliere extra stuprū procreatur, & paritur, necessariò est viri & vxoris filius: quomodo vult Deus dare filium viro, aut per concubitum, aut sine concubitu & copulatione. Nec vero Euangelistæ vsi sunt legatione cum eos commemorarunt, quorum in ortus descriptione expressa sunt nomina, sed scriptis historiis. Hebræi enim fuerunt ex Hebræis, sancti Euangelistæ, qui ortus rationem scripserunt, iique diligentiam en[illegible] magnam in eo posuerunt; vt originis regiæ [illegible] atque tribus rationem tenerent. Ob eamq; [illegible] Esdras post reditum à Babylone, quorum in sacerdotum Catalogo ortus commemoratos non inuenit, eos à sacerdotii munere exclusit; quod quidem ex libro Paralipomenon docetur.] Hæc ille. Quid igitur ab Euangelistis per Iosephum, & non per Mariam, ad Dauid, peculiari Iosephi genealogia, ducere debebat.

XI Concludendum itaque omnino ex dictis videtur, Christum vt hominem, ratione suæ stirpis, siue ex matre, quæ in scriptura non habet certam & euidentem à Dauide descendentiā; siue ex putatiuo & legali patre; Regem non fuisse Iudæorum temporalem. [illegible] tamen quæras an ex sua descendentia à Daui[illegible] per matrem, siue per Iosephum, habuerit [illegible] ius ad regnum temporale Dauidis, dicam [illegible] Christo Domino negari non posse, dummodo [illegible] prius certa sint, quæ tamen vix mihi videntur [illegible] ad tam notitiam reduci: imo quæ potius [illegible] veritate & certitudine abhorrere. Atque hæc [illegible] sunt: Alterum sceptrum ipsum regale Iudæ [illegible] non fuisse vsq; ad Christi natiuitatē, ex domo & [illegible] Dauid, tribuque Iuda in aliam familiam, aut [illegible] tribum legitime translatum, sicut, exempli gratia, coronam Franciæ ex Carolouingis, in Merouingios translatam legitime fuisse scimus: ita vt dicamus post Iechoniam, qui fuit vltimus Rex ex stirpe Dauid, Reges omnes Iudæorum, (qui tamen plene fuerunt Reges) etiam Machabæos fuisse intrusos, & illegitimos Reges: quod tamen videtur durum asserere, cum præsertim diuina voluntas & ordinatio videatur fuisse, vt sceptrum Dauidis in ipsius familia & descendentia vltra Iechoniam non extenderetur, iuxta illam prophetiam quam de Iechonia ex Hieremia superius protulimus. Nisi ad aliam lineam ex Dauide per Nathan sceptrum translatum fuerit quod non constat. Alterum quod certum esse deberet, est, vt supra cum Bellarmino innuimus, tempore Christi ex eadem stirpe & familia Dauidis, neminem alium fuisse superstitem, qui in sua descendentia propior Dauidi accederet. Duas profectò descendentias habemus in Euangeliis ex Dauide. Alteram in Mattheo *Matth.17.* per Salomonem: Alteram in Luca *Luc.3.23.* per Nathan; cum autem Dauid plures alios filios habuerit, quid obstat, quo minus aliæ etiam fuerint ex Dauide descendentiæ, cum suis ramis & propaginibus multiplicatis, vsque ad ipsa Christi tempora? Difficile ergo est ostendere nullum alium ex stirpe Dauidis, tempore Christi, fuisse superstitem, cui regnum Dauidicum potiore iure, quam Christo, competeret. Imo cum ex Euangelio & patribus facile cōuincatur, vt iam ostendi *lib.2. cap.2.* Iosephum ante natiuitatem Christi quatuor filios ex priori vxore suscepisse, Iacobum, Iosen, Iudam, & Simonem, qui fratres Domini sunt nuncupati, eosque aut omnes, aut saltem Iacobum Christo superuixisse sit manifestum, certè in iure regni Christo primum Ioseph, deinde hi eiusdem filii præferri debuerunt. Sed licet etiam in Christum hoc ius regni Dauidici peruenisset, illud tamen fuit penitus à Christo contemptum, neque tali iure voluisset vnquam vti.

XII. Et si etiam iure sanguinis Rex verus populi Iudaici fuisset, & actu sceptrum illud rexisset, quid hoc ad Ecclesiam Catholicam, quæ diruta Synagogæ maceria per omnes gentes diffunditur, quæ Christi Regis Regum, ac Domini Dominantium sponsa est spiritualis, non Augusta, & Imperatrix sæcularis? Ad Pontificem Romanum multo minus hoc attinebit; nisi Iudæis spatiis Hierosolymam reuocatis Regnum Israeli restituere, vt eorum protex, cogitet. Placuit tamen, hac data occasione, ista, quantum fieri potuit, pro mea virili, elucidare. Itaque explicare scripturas & prophetias de Christi regno, per hoc ius saltem dubium, si non manifestè falsum, & tantū potentiale, mihi visū non videtur. Scripturæ enim, quæ Christo promittunt solium, & regnum Dauidis, profectò loquūtur de regno actuali, per quod Christus, actu ipso, & non sola potentia, & sane potentia, quæ in actum nunquā esset reducenda, Rex futurus erat. Ideoq; communis sanctorum Patrum, & nostrorum Theologorum explicatio est, de regno Dauidis spiritualiter sumpto, & intellecto, & nullus est apud nos, qui prophetias illas de temporali Christi regno Iudæorum intelligat, excepto Armachano, contra quē omnes pugnant. Quare etiam Pilati titulus factus occasione accusationum, quibus fuerat de ambito regno Christus apud illum accusatus, ex diuina ordinatione verus fuit, sed in spiritualib. & in regno Ecclesiæ tantum. Christum igitur ex carnali successione Regem terrenum facere non possumus, nec debemus, multo minus ex humana electione, aut iure belli corporalis.

XIII. Ad priuilegiatam confugient concessionē, qua Deus Pater filium Christum, dum mortalis etiam in terris esset, totius mundi Regem, & Dominū, etiam in temporalibus, esse voluerit. Quod tametsi fateremur, nihil tamen pro Papa, nihil pro Ecclesia, quoad temporalia, haberem. Id enim Christo competeret vel vt Deo, vel vt filio naturali Dei, vel vt mediatoris Regio officio prædito; vel vt homini super omnia exaltato; vel vt Redēptori qui precio sui san-

guinis id acquisierit, &c. In hoc tamen regno & dominio eminentiali nec hæredē, nec proregē in terris instituit: nā nec Principes, & Dominos ipsos iū proprio iure spoliauit. Apostolis ministeriū solū, & ad sola spiritualia cōmisit: vt iā toties est à me explicatum. Sed neq; probant illi hanc priuilegiatā in Christo, à Deo Patre, concessionem: quod conantur non pauci, ex antiquiorib. Canonistæ puri, & ex modernis Theologi leuiores, qui verā & propriam Regiam, qualis est in terrenis Regib. potestatē, conantur in Christo collocare: idq; probare se putant in primis ex Scripturis; deinde ex Sanctorum Patrum dictis. Horum omniū colligit argumenta Paulus Comitolus Iesuita, [*in libello cont. 7. Theolog. Venet.*] vir satis farraginosus; qui multa solet congerere, sed pauca digerere. Is pro pleniori suo farcimine, viginti excogitauit, & superaddidit rationes, vt Bellarminum, [*de Rom. Pon. l. 5. cap. 4.*] arbitror, contrariā sententiā, & docentē, confutasse videretur, & superasse. Socium eodē tēpore, & in eadem causa, habuit Sermarinū Seruitam; qui fuse & ipse scripsit cōtra Venetos, de Regno Christi tēporali: & Bozius omniū insulsissime. Et quamuis vnus Bellarmin. satis sit ad illos cōpescendos; [*Ib. vbi sup. c. 5.*] apud quē præcipua ipsorum argumenta optime soluta iā viderant; ne tamen nimium sapere ipsi sibi videantur, integram hanc aduersus eos hic absoluā quæstionē, sed breuissime. Ex sacra Scriptura aliquas producunt illi autoritates; quibus tēporalia diademata Christi capiti conantur imponere; earum prima est *Heb. 1. 2.* Quem constituit hæredem vniuersorum: per quem fecit & sæcula.] Paulus fateor equidē, illis verbis, *per quē fecit & sæcula*, agnoscit Christi diuinitatem, & ipsum Verbū æternum; *Io. 1. 3.* Omnia n. per ipsum facta sunt: & illis; *quē constituit hæredē vniuersorum*; agnoscit Christi humanitatē; & hoc fateor. Habuit n. à Deo Patre Christus homo regnum & dominium, hæreditatemq; vniuersorum; sed dominium, & regnum ac hæreditatem spiritualem; iuxta illud, *Ps. 2. 8.* Dabo tibi gentes hæreditatem tuā; & possessionem tuam terminos terræ. Quatenus nō solos Iudæos esset habiturus sibi in fide, & religioso cultu obsequētes; sed in vniuersam terrā esset fidem suam propagaturus. Et *Heb. 1. 6.* adoratio Angelorum, q̄ ad suum argumentū Comitolus affert, terminabatur ad Verbum ipsum incarnatum, ratione diuinæ personæ, & vnionis hypostaticæ; nā homo Christus est adorandus, nō simpliciter vt homo, hoc est ratione puræ humanitatis (sic n. patraretur idololatria) sed ratione coniunctæ diuinitatis, in persona Verbi, in qua, seu per quam, illa humanitas subsistebat. Et sane Christus, vltra dignitatem prædictā, habuit etiam vt esset caput & Rex totius Ecclesiæ, siue militantis in terris, siue in cœlis triumphantis, secundum humanitatem, in Verbo tamen subsistentem: & consequenter ab Angelis adoratur, vti cœlestis etiam Ecclesię Rex, & caput. Intelligat etiam, si vult, Christum dici hæredem vniuersorum à Patre constitutum propter dominium illud vniuersale, eminentiale in omnes creaturas, ratione filiationis: & sic hæres idem erit, quod possessor. Siue propter exaltationem supra omnes Angelos. Siue quod recuperarit Christus plenum illud dominium, plenamq; potestatem in omnes creaturas, quam primus Adam, suo lapsu, & sibi, & nobis perdidit. Sed hæc omnia sunt puro homini nunc incōmunicabilia.

XIV. Altera autoritas est, *1. Cor. 15. 24.* Cū euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.] Sermo est de Christo homine, vt homo; hic enim, etiam vt homo, dicitur euacuaturus omnem principatum, & potestatem; & non ratione regni spiritualis, inquit Comitolus, nam regnum spirituale Christi nō destituit principatus & potestates terrenas. Siccine bonus Theologus Scripturas diuinas intelligit? An non loquitur Paulus de virtute Christi, qui euacuaturus erat primū omnem vim Diaboli; omnem videl. principatū & potestatem malignorum Spirituū? Legat Chrysostomum, [*hom. 39. in 1. Cor.*] qui sic scribit: Sed & imperium, quodnam abolendum esse dicit? Angelorumne? Absit. Sed fidelium? Neq; hoc. Quid igitur? Dęmonū: de quo loquens, *Eph. 6. 12.* Non est, inquit, lucta nobis aduersus carnē, & sanguinem; sed aduersus principatus, aduersus potestates; aduersus mundi Dominos, rectores tenebrarū sæculi huius.] Deinde euacuabit principatus & potestates ēt terrenas, ad finē; quādo vel omnes mundi potestates colla subdent iugo fidei; nec eā amplius oppugnabunt: vel, manifestando, inquit Anselm. [*in 1. Corinth. 15.*] regnū Patris, vt omnib. notum sit, nullū Principum, nullamq; potestatū, & virtutē, siue cœlestiū, siue terrestriū, p se habuisse aliquid principatus, vel potestatis, aut virtutis, sed ab illo à quo sunt omnia, non solū vt sint, sed ēt vt ordinata sint. In illa manifestatione nulli spes aliqua remanebit in quoquā Principe vel in quoquā homine: q ēt propheta canit; *Psal. 117.* Bonū sperare in Domino quā sperare in Principib. Vt ista meditatione anima iā in Regno Patris assurgat, nec cuiquam potestatē præter illū magnificans; nec de sua sibiipsi perniciosissime blandiēs. Euacuabit ergo omnē Principatum, & omnē potestatē, atq; virtutē, vt nulli Patrē intuenti per filiū, opus sit, aut libeat cuiusquā creaturæ, vel in sua eō quiescere potestate.] Hæc de euacuatione terrenarū potestatū Anselmus. Sed & cœlestes potestates bonas, in fine mundi, euacuatū iri, eodē sensu, per Christū, idem Anselm. persequitur, subdens. Quandiu ergo præsentis vitæ conuersatio tenetur, necessarios hactenus Angelicos principatus, & potestates, & virtutes habemus, per quorū dispensationē gubernemur, & bona operari & mala superare possimus, ac virtutib. illustremur. Sed & homines necesse est vt nobis præsint sicuti Pōtifices, & presbyteri, ac diacones; & sicut, Reges, & Cōsules, aliiq; Principes. Sed in futuro sæculo euacuabuntur omnes huiusmodi prælationes, vbi iam nulla earum nobis erit necessaria.] Nihil ergo ex hoc loco habet p se Comitolus, qui sacras Scripturas maiori adhibita, tractare deberet, diligentia. Et si aduertisset Pauli sermonē esse de Christo in ipsa extrema mundi clausula: pfecto intellexisset locū Pauli destruere ipsius opinionem; si n. Christus euacuabit principatus post finē mundi duntaxat, & nō prius; certe quandiu mortalis fuit, nondum euacuatis potestatibus mundi, ipse mundi Rex non erat; Sed terrenæ potestates nondum euacuatæ, suum principatum tenuerunt, tinebant, & retinent adhuc.

XV. Tertia autoritas est, q & ad *Heb. 2. 7.* Paulus, eodē loco Christo homini applicat illud Ps. *Ps. 8. 6.* Minuisti eū paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eū, & cōstituisti eū super opera manuū tuarū; omnia subiecisti sub pedibus eius: In eo n. addit Paulus, *1. Cor. 15. 27.* quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.] Planum est, inquit Comitolus, hæc de Christi dominio, pro vt homo fuit, super omnes creaturas mundi proferri: omnes tamen, inquit, creaturæ non subsunt dominio spirituali; nā & multæ earum deficient; Christi autē regnū est perpetuū: & plurimæ earum, quippe irrationales, & inanimes, incapaces sunt regiminis spiritualis.] Sed neq; hinc habet quicquam, nam q dicitur, Omnia subiecta esse Christo homini, intelligendum est de omni populo,

& natio-

& natione quæ sub cœlo est, & de tota Angelica natura. Hoc enim etiam est esse hæredem Vniuersorū. Vnde & ipse Christus *Marc.16.15.* Euangelium prædicari mandauit omni creaturæ: Potest, *inquit Gregorius homil. 29. in Euangel.*] omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium designari.] Ac sane Christo homini assignare dominium omniū rerum inanimatarū, pugnat cum illis eiusdem Christi verbis, cui magis quam nostro cerebro credendū est, quibus ait, *Matt.8.20.* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autē hominis non habet, vbi reclinet caput suum.] Et aliis de quibus supra, & infra. Sed obiicit verba Psalmi expresse nominantis oues, & boues, & pecora campi. Respondeo hæc ad literam dici à Psalmista de tota humana natura: nam literaliter & temporaliter hominem Deus constituit Dominum rerū creatarum omnium, ipso inferiorum: figuraliter autē mystice, typice, non literaliter, ad Christum referentur, & ipsius dominium tantum spirituale. Nam & ipse Paulus explicās seipsum, subiectionem illam omnium rerum, declarat in multis filiis per Christum sanctificatis, *Hebr.2.10.* Decebat enim, *inquit*, eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorē salutis eorum per passionem consummare: qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes: propter quam caussam non confunditur fratres eos vocare.] Possumus etiam cum Theophylacto [*in Matth.* 28.] agnoscere in Christo potestatem quandam summam in omnes creaturas, non temporalem, sed diuinam, vel diuinæ simillimam: quæ non potest communicari homini mortali: de qua infra cum Nysseno, & Cyrillo.

XVI. Quarta autoritas est, *Philip.* 2. 8. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomē, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.] Agitur, *inquit* Bellarminus, de supremo Christi dominio, non modo, quod ei ex vnione hypostatica competebat, vt homini, sed etiam merito obedientię, & passionis, quibus redemit mundum.] Si inde facit Christum Dominum mundi temporalem, quia passione sua redemit mundum, hoc est, sibi comparauit, profecto in meridie cæcutit, quia hinc solum dominium spirituale Christi explicatur. Sua enim obedientia, & sua passione, non redemit homines quoad temporalia, neque eos eruit a potestatib. huius mundi, nā, [*vt ait Sedul. hym. de vita Christi*] Non eripit mortalia, Qui regna dat cœlestia: sed redemit nos spiritualiter à potestate dæmonis, & a captiuitatis peccati, vt est iam vel puerulis notissimum. Nam & Isaias dixerat, *cap.* 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.] Quod nam semen? Illud quod in Abrahamo fuit typice benedictum, [*Genes.* 22. 18.] Quia benedicentur in te omnes gentes, Christus vero, vt inquit Paulus *Gal.3.8.* nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno; vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.] Et postea Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est CHRISTVS.] Et postea concludit. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.] Christus igitur sua passione & cruce, dominium spirituale, & regnum per fidem, & conuersionem gentium acquisiuit. Quod si de dominio Christo in ipsius exaltatione dato hic loquitur Comitolus, hoc est, hominibus puris incōmunicabile, neq; ratione huius dominij Christus in terris eget prorege. Est enim dominium eminentiæ, quod relinquit Regibus & Dominis terrenis sua regna, & dominia integra.

XVII. Quinta autoritas est, *Ioh.* 13. 3. sciens quia dedit ei omnia Pater in manus.] Cui adiungitur etiam illa, *Matth.*28.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.] Sed Hieronymus & Anshelmus hunc locum exponentes, potestatem hanc totam ad solam reducunt spiritualem, [*Bellar. de Rom. Pontif. l. 5, c. 5.*] eo sensu, nimirum, data est mihi potestas in cœlo, & in terra, vt sicut in cœlo Rex sum Angelorum, ita per fidem regnem in cordibus hominum. Et cum statim subdat: Euntes ergo docete omnes gentes, profecto explicat potestatē illam esse ad hoc vt omnes gentes ipsius fide & religione imbuantur. Quod si illam potestatem intellexisset etiam in temporalibus, præter Euangelij prædicationem, etiam temporale regnorum omnium regimen ipsis, vel aliis, commendasset. Quanquam Theophylactus, vt paulò ante monui, potestatem hic quandam summam addat Christo in omnes creaturas, diuinam, non temporalem, vel diuinæ simillimam, & puro homini prorsus incommunicabilem.

XVIII. Sed Gregorius, *inquiunt*, Nyssenus & Cyrillus Alexandrinus, eandē Christo homini hic traditā volunt potestatē, quam prius habebat vt Deus. Deus autē verus est Rex, & verus Dominus, etiam temporaliū.] Nyssenus porrò nihil aliud voluit, nisi per communicationem idiomatum, Christo homini ea iā attribui, quæ diuini Verbi ratione diuinitatis essēt propria. [*Nyss. orat. 1. de Resur.*] Nam quæ naturaliter, *inquit*, habebat tanq̄ Deus, hæc dicitur accipere, tanquam homo certo consilio factus.] Imo diuinā potestatem humanæ naturæ incommunicabilē censet, nisi ex sola diuinitatis hypostatica coniunctione: nam subdit de Christo: Quamobrem ēt dicebat, *Ioh.*17.5. Glorifica me Pater apud temetipsum claritate, q̄ habebam anteq̄ mundus esset, apud te. Nisi enim hanc propriā haberet vt Deus, fieri nō posset, vt eam tanq̄ alienam acciperet, Deo & Patre per Prophetā dicente, *Is.* 42.8. Gloriam meam alteri non dabo.] Hucusq; Nyssen.⁹ Explicat ergo Christum hominem, nō vt hominem, sed vt Deum, habere summam illam potestatē in cœlo, & in terra: & ex sola Idiomatum communicatione, eandem ēt Christo homini conuenire. Itaq; Christus, homo quidem, sed non formaliter vt homo, secundum Nyssenum, summam illam habuit potestatem, sed formaliter vt Deus: &, vt ita dicam, denominatiue tantum, eam habuit etiam vt homo.

XIX. Ad eandem Idiomatum communicationē, seu denominationē, spectant ea quę etiā dicit Cyrill. Ait enim: *Matt.*11.27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.] Et rursus, *Matth.*28.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.] *Cyril. l. 2. in Iohan. cap. 73.*] Hæc quia data sibi potestas est, idcirco dante Patrę minor videbitur. Accepit enim vt homo, quando humiliauit seipsum: aliter quomodo ab æqualitate Dei Patris descendisse humiliatus diceretur? An non vides ex istis, Patrem quidem vt DEVM dare, filium autem vt hominem accipere illa, quæ vt Deus habebat? Non ergo ita dat Pater vt initium potestatis filio præbeat, sed ita vt cum carne filius, ad potestatem, quam absq; carne semper naturaliter habet, recurrat.] Et post pauca, factus enim homo, vt homo incipit dominari, qui nunquam conuenientem Deo dignitatem amisit: sed cum carne ad id quod semper est, factus homo, ascendit.] Et post nonnulla,

concludit his verbis. Quare quando vt homo accipere illa videtur quæ habuit, & semper habet vt Deus; non conturbemur; sed dispensationis memores, absque detrimento, integram mentem nostram conseruemus.] Et prius idem ita scripserat: *Cyr. l. 11. in Io. c. 15.* Qui omnia possidet vt Deus, omnia recepit vt homo; cui regnare aduentitium est, id est, non naturale; creaturæ namque dicitur, *1. Cor. 4. 7.* Quid habes quod non accepisti? Creatura autem certe Christus in quantum homo.] Considerat igitur Pater hic, non tam illa quæ humanitas in Christo à diuinitate acquisiuit; quam quibus diuinitas ex assumptione carnis, quasi per quandam apparentem indignitatem, videatur depressa; mutatione quadam, non in se facta; sed ex carnis temporali coniunctione, apparenter ostensa: ex qua sicuti Deus, qui est immortalis, cœpit dici & vocari mortalis in Christo secundum carnem; & qui erat impassibilis, passibilis; ita qui à nemine acceptam habebat omnipotentiam, cœpit iam dici accipere potestatem. Non ergo Christus, vt homo, habuit vere, & propriè diuinam potestatem; sed verbum æternum, ex temporali coniunctione cum carne, de nouo habuit vt diceretur accepisse potestatem & incepisse dominari; quia ante incarnationem nunquam filius Dei dominatus est vt homo; id est factus homo; nisi post incarnationem. Hoc sibi voluit etiam Basilius dum dixit; *Basil. schol. in Psal. 2.* Christum non super Sion solum regnum obtinuisse; sed super vniuersam creaturam; cum sit *inquit*, vt Deus omnium Dominus, vt homo tamen horum dominium à Patre accepit.] Id est, Verbum æternum, vt Deus, semper fuit Dominus; idem vero Verbum, vt incarnatũ, cœpit de nouo dici Dominus. Et hoc sibi voluit etiã Theophylactus supra: & Hilarius, atque Theodoretus in Psalmum 2.

XX. Sed etiam Athanasius rem egregiè explicarat; nam de ipso Verbo æterno, sed incarnato loquens, ait; *Athan. serm. 4. cont. Arian.* Non ideo qui homo factus est desiit esse Deus, neque quia Deus subsistit abducit se ab eo quod humanum est, absit: sed potius cum Deus erat, assumpsit carnem; & in carne existẽs, Deificat carnem. Et quemadmodum in ea interrogationes faciebat (quasi ignoraret) ita quoque & in ea mortuum excitabat.] Ac pergit in his; & temperi ipsum verbum Dei facit ignorare multa, quæ ratione carnis ignorabat, quæque seclusa carne erant ei apertissima, & notissima, etiam occulta cordium. Et cum dixit: Data est mihi omnis potestas: &, Glorifica filium: & similia, hoc intellectu, *inquit Athanasius*, omnia interpretemur, humanitus illum ob corpus suum ista omnia loqui; non quod necessitate adigeretur, sed tamen ipse sibi, quasi data, confitetur, quæ humanitus acceperat, vt eo, qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest: cuius rei specimen in Adam vidimus; quippe qui illud quod acceperat, perdidit. Vt autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem vt propriam sibi *ipsum Verbum diuinum* arrogat: dicitque se potestatem accepisse vt hominem, quam semper habet vt Deus: dicitque, Glorifica me, qui alios glorificat, vt ostenderet carnem se habere istarũ rerum indigam; ac proinde carne suæ humanitatis hanc glorificationem accipiente ita loquitur, quasi ipse eam accepisset.] Et paulo post idem Athanasius subdit; verbum vt liberaret hominum genus descendit, hominesque sanctificaret Deificaretque, caro factum est: Cum ea de causa caro factum sit, cuiiam, quæso, obscurum fuerit cum, quæ dicit se accepisse, tum demum accepisse, cum caro factum esset, neque sibi accepisse sed carni? In qua enim erat cum hæc diceret, huius illa dona æstimanda sunt, quæ per ipsum à patre deferebantur.] Et concludit, Christum quæ habebat vt verbum, ea tum demum cum homo factus esset, & postquam resurrexerat, humanitus accepisse. Ac sanè semper Athanasius de ipso verbo loquitur, & nunquam de pura humanitate Christi; nõ enim est pura humanitas quæ dicit: Data est mihi omnis potestas, hoc enim de pura humanitate falsum est, sed persona Christi id loquitur; persona verò Christi est verbum diuinum, & hoc verbum quatenus incarnatum dicitur accipere de nouo id, quod ab æterno habebat, quia de nouo est incarnatum, & quatenus incarnatum nondum habuerat, quod ante incarnationem habebat, sed verbum ipsum diuinum cœpit habere, seu accipere in carne; quod ante assumptam carnem habuerat ab æterno. Non ergo homo Christus, vt homo, dicit: Data est mihi potestas: sed verbum ipsum diuinum hoc dicit, ratione carnis assumptæ.

XXI. Sexta autoritas sumitur ex Apocal. *Apoc. 17. 14.* Cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regũ. *Apoc. 19. 16.* Et habet in vestimento & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.] Verba, *inquiunt*, illa, agnus, femur, vestimentum, significant humanitatem. Et pugna illa est de regno temporali.] Ego vero non nego Christum hominem esse Regem Regum, & Dominum Dominantium: sed est Rex & Dominus spiritualis: temporalis etiam, modis supra explicatis, ratione personæ. Habuit sane Christus, vt homo, totum diuinum dominium erga temporalia, & fuit vere & proprie Rex Regũ, & Dominus Dominantium, eo modo quo Deus ipse est Rex Regum, & Dominus Dominantium, quia Christus vt homo, erat diuina persona: cum tamen dominium hoc eminentissimum diuinum non auferat regna & dominia Regibus terræ, qui vere & propriè sunt Reges, & dominium habẽt proprium legitimũ, vt merito dixerit Christus, *Matth. 22. 21.* Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris; non enim approbasset regnum Cæsaris, si illud fuisset sibi, vel vt Deo, vel vt homini ereptum, ac vsurpatum; idcirco clarum est, aliud & valde diuersum genus dominii esse in Deo & Christo, à dominio & regnis Regum terrenorum: de quibus regnis & dominiis solis tota lis est & controuersia. Et meminerimus hoc diuinum dominium eminentissimum, quo Deus potest regna dare & auferre Regibus mundi, non esse puro homini, vt supra docuimus, communicabile. Et si fuit in Christo, fuit, vt dictum est; ex adiuncta diuinitate. Pugna vero illa tota erit ratione fidei, & puri cultus diuini, vt lib. 4. c. 3. ad finem explicaui. Agnus enim vincet Reges, vt pro fide pura, & ipsius agni cultu, expugnent [illegible] temporaliter fornicariam. Sed illos Reges Agnus non vincet in temporalibus.

XXII. Septima autoritas est, *Io. 5. 22.* Neque Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] Si igitur, *inquit Comitolus*, Christus vt homo iudicabit mundum; quomodo ipsius non erit Dominus?] Respondeo, Quale iudicium, tale & dominium: Erit ne iudicium de possessionibus & prædiis; de hæreditatibus & legatis; de feudis; & finibus? Iudicium erit de fide: *Marc. 16. 16.* Qui non crediderit condemnabitur: de caritate & eleemosynis: *Matth. 25. 42.* Quia non dedistis mihi manducare, ite

in

in ignem æternum,&c. Hæc verò ad dominium temporale nihil faciunt. Et hoc ipſum iudicium ad Christum paſſibilem, & mortalem, non pertinebat: ſed ad ipſum iam immortalitate donatum, *Ioh.* 3. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.] Dictum eſt de Chriſtu mortali.

XXIII. Addit Comitolus ea loca, ex quibus colligitur poteſtas Chriſti legiſlatiua, & Regalis. *Hier.* 31. 33. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi mihi erunt in populum. *Iſa.* 42. 4. Legem eius inſulæ expectabunt. Dominus legifer noſter, *Iſa.* 33. 22. Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos, *Iſa.* 2. 3. De Sion exhibet lex, & verbum Domini de Hieruſalē: Omnes Reges ſeruient ei, & obedient. *Dan.* 7. 27. Omnes populi tribus & linguæ ſeruient ei. *Pſal.* 2. 9. Reges eam virga ferrea. *Pſal.* 71. 11. Adorabunt eū omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.] Ex quibus [illegible] ſic argumentantur. Chriſtus fuit & Propheta, & Sacerdos, & Pontifex. *Deuter.* 18. *Pſalm.* 109. *Hebr.* 5. 7. & ſane Regia poteſtas in Chriſto, vt homine diſtincta eſt à Sacerdotali & Pontificia: ad poteſtatem porrò Sacerdotalem ſpectat regnum ſpirituale & ſupernaturale: ſpectabit ergo ad regalem Chriſti poteſtatem regnum temporale, & naturale ſuper omnes creaturas. Ideoq; *Matth.* 2. 2. à Magis, tanquam Rex temporalis, fuit adoratus, & oblatione auri, vt exponunt doctores, Regem agnouerunt. Hæc illi: quibus ſane ſi negocium eſſet cum puerulis abecedariis, in ipſorū huiuſmodi argumentationibus poſſent exultare: ſed ſtupidus eſt, qui non videt eorum vanas captiunculas. Chriſtus enim idem & Sacerdos eſt, & Propheta, & Pontifex, & Rex, & legislator, ſed ſpiritualis, & in ordine ſemper ad ſpiritualia. Nonne ipſemet Comitolus affert dictum Hieronymi [*Hieron.* [illegible] 12. per legem à Chriſto ferendam, intelligi, nō [illegible] Moyſis, ſed Euangelium? Euangelium ne igitur lex temporalis, & ad temporalia? Et quis Rex temporalis ſcribit leges in corde, & viſceribus? An vet[illegible]dis nominibus volunt nobis illudere, videlicet, quod Sacerdos & Pontifex ſignificent poteſtatē in ordine ad ſpiritualia; Rex verò & legislator in ordine ad temporalia? Quaſi verò paſſim & in Scripturis, & apud doctores, Chriſti regnum non explicent regnum ſpirituale, quo regnat in cordibus hominum per fidem. Et Petrus in Chriſtianis nonne expreſſe [illegible] 1. *Petr.* 2. 9. Regale ſacerdotium? Magi verò errabant putantes Chriſtum natum, eſſe Regem temporalem Iudæorum: non tamen errarunt in myſticis [illegible] quæ non ex ipſorum directa intentione, ſed ex [illegible] ordinatione, myſtica fuerunt: & aurum ſigni[illegible] Regem tam ſpiritualem ſecundum humani[illegible] [illegible]uam ſupremum etiam in temporalibus, ſe[illegible] diuinitatem. Notus tamen eſt libellario[illegible] [illegible] Venetos error ordinarius, qui propterea Chri[illegible]tvm faciunt Regem temporalem mundi [illegible] quia paſſim inueniunt Chriſtum, ſecundum [illegible]d eſt homo, eſſe Regem totius mundi. Sed [illegible]o diſtinguunt inter Regem ſpiritualem, & tem[illegible]lem; quia Chriſtus etiam, vt homo fuit & ſacer[illegible], & Rex, in ordine ad Spiritualia. Inaniter ergo laborant in locis Pſalmorum, *Pſalm.* 44. 8. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Et *Pſal.* 109. 3. Virgam virtutis tuæ emittit Dominus ex Sion.] Solum enim Chriſti hominis regnum ſpirituale hæc, & alia multa confirmant. Neque hodie etiam Iudæi maius obſtaculum habent quo minus Chriſtum agnoſcant pro Meſſia, quàm quòd cum iſtis noſtris putidis Monarchicis loca illa, & alia diuinæ Scripturæ de regno intelligunt temporali.

XXIV. Probant adhuc, Chriſti regnum temporale ex patribus, & doctoribus; ac congerunt multos; qui tamē re vera nihil aliud volunt, niſi aut Chriſtum, vt hominem, fuiſſe regem ſpiritualem, & in ſpiritualibus; aut ad ſummum Chriſtum hominem, ratione perſonæ, habuiſſe dominium diuinum ſupremum in omnes creaturas, modis explicatis. Adſcribam hic dicta Patrū, vt quiſq; ex ſe iudicet nihil minus eos affirmare, quam Chriſti regnum temporale. Afferūtur in primis expoſitores illius dicti Apoſtoli, *Hebr.* 1. 2. Quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Theophylactus *in Epiſt. ad Hebr. cap.* 1. Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, hoc eſt mundi totius dominatorem effecit. Verum quo pacto hunc Dominum fecit, nempe vt hominem: quemadmodum & in ſecundo Pſalmo hunc alloquitur: Poſtula me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.] Quid haberur hic amplius quam regnum ſpirituale Chriſti hominis, quo gentes ſibi fide ſubdidit? Anshelmus *in eundem locum* ait: Quem ipſe Pater ſecundum humanitatē, cōſtituit in immutabilē hęredem vniuerſorū, id eſt, poſſeſſorem omnium creaturarum.] Verbum enim nondum humanatum, æque cum Patre eſt Dominus vniuerſorum; ſed Verbum iam humanatū, ex aſſumpta de nouo humanitate, nō dicitur Dominus, ſed hæres. Humanitas verò, ex coniunctione Verbi acquirit hanc hæreditatem, imo & dominium illud ſupremum excellentiæ, de quo ſupra. Videtur etiam loqui Anshelmus de hæreditate, quam Chriſtus homo acquiſiuit, non niſi poſt reſurrectionem: nos vero inquirimus regnum Chriſti dum fuit inter homines mortalis; nam quæ poſt reſurrectionem iam glorioſus eſt conſecutus, ea mortalibus hominibus non fuerunt communicanda.

XXV. Haymo *in eundem locum* ait: Conſtituit Devs Pater Filium ſuum hæredem vniuerſorum, hoc eſt, totius mundi, ſeu omnium creaturarum, non tantum ſecundum diuinitatem, qua coæternus eſt Patri, & coæqualis eſt illi in omnipotentia Deitatis, & in quo æternaliter ipſe poſſidet omnia cum Patre; ſed potius ſecundum humanitatem aſſumptam à verbo, conſtitutus eſt ille Dominus, & hæres ſuper omnem creaturam, ſicut illi Devs Pater promiſit dicens: Poſtula à me, &c. & ipſe filius reſurgens à mortuis ſic loquitur ex perſona humanitatis, data eſt mihi, inquiens, omnis poteſtas in cœlo, & in terra.] Hic etiam Autor & de Regno ſpirituali locum exponit, & de diuina ſuprema poteſtate Verbi, poſt aſſumptam humanitatem. Seu ſi mauis, de ſuprema poteſtate humanitatis Chriſti, quam habebat ex Verbi coniunctione, quod autem Chriſti humanitas habebat ex vnione hypoſtarica, eſt puræ creaturæ incommunicabile.

XXVI. Caietanus *in Epiſt. ad Hebr.* Deinde conditiones huius filij adiungit: Quarum prima eſt, Quem conſtituit hæredem vniuerſorum: & hæc proprie ſpectat ad filium, ſecundum quod homo, ex ratione tamen diuinæ filiationis: Conſtitui enim hæredem, hominis eſt: conſtitui autem hæredem vniuerſorum, eſt quidem hominis, ſed non puri, ſed hominis filij Dei; ex eo namq; quod eſt filius Dei cōuenit eidem, quod ipſemet homo conſtituatur hæres vniuerſorum: ita quod naturale ius filiationis parit in eadem hypoſtaſi hominem ius hæreditandi vniuerſa, abſq; exceptione aliqua.] Caietanus cum ſit ſumme Monarchicus, ſi de more in Papæ gratiam aliquid male interpretaretur, non eſſet mirum: Exſcripſimus tamen etiam

ipſius

ipsius expositionem, quia plurimum nobis facet, dum regnum vniuersi aliud non cognoscit in Christo, nisi quod habet ex diuina hypostasi; quod est puro homini prorsus incommunicabile; vt iam toties monui.

XXVII. Idem prorsus & sentit, & explicat Dionysius Carthusianus, ratione diuinæ personæ: quem ipsi immerito pro se afferunt: ait enim [*Carthus. in Epist. ad Hebr.*] Quem constituit Deus Pater hæredem vniuersorum, id est, possessurem ac Dominum omnium rerum creatarum, loquendo de Christo secundum naturam assumptam. Sic enim constitutus est omniũ Dominus, nam eo ipso, quod Christi humanitas à Verbo assumpta est ad esse increatum, conuenit ei toti creaturæ præferri, ac dominari. Propter quod ipse ait: *Matth.* 28.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: & iterum, *Iohan.* 3.35. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Hoc & in Psalmo cantatur, *Psalm.* 2.8. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.]

XXVIII. Ambrosium Catharinum, fratrem Dominicanum, nostrorum temporum, addit Comitolus: cuius & si autoritas nondum tanta sit, nec adeo carens suspicione, vt magni fieri debeat; nihilominus tamen, quia & ipse nostram confirmat sententiã, potius quàm aduersam, ipsius non grauate expositionem loci eiusdem proferimus. Ait enim, Quem constituit, &c. Itaq; iam sit hoc expositum, ipsum Dominum Iesum, non secundum quod erat Deus, fuisse constitutum hæredem à Patre; sic enim ab æterno fuit Dominus cum Patre; & non via successionis.] Et postea, Ergo hæreditatis nomine vniuersum Dei patrimonium, quod est extra ipsum Deum intelligitur; scilicet hic mundus, & omnis creatura, quæ subiecta fuit Christo, & illi hæreditario nomi..e acquisita; quanquam non sine lachrymis, & sudore, & sanguine; quoniam ita fuit disposita paterno testamento.] Subdit Christo, certe hominis, Autor hic, totum mundum; sed post peractam passionem, & factam resurrectionem: vult enim regnum hoc Christo non tam debitum ex vnione hypostatica Verbi, quam laboribus & passionibus suis promeritum, & acquisitum. Non ergo fuit Christus Rex mundi, dum mortalis ageret inter mortales. Hoc eo enim, quod *Isa.* 53.10. posuit pro peccato animam suam, vidit semen longæuum.

XXIX. Deinde afferunt varia plurium Patrum & doctorum dicta, aliis occasionibus de Christi regno prolata. Optatus, [*Optat. l.* 2. *contr. Parm.*] Quid tale infringitis promissum? vt à vobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum? Quid tantæ pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? Permittite filium possidere concessa, permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites, cum à Deo Patre tota terra promissa sit? non est quicquam in aliqua parte terrarum, quod à possessione eius videatur exceptum; tota donata terra cum gentibus suis.] Hæc sane Optati oratio nihil prorsus spectat ad Christi regnum temporale: sed tota est de regno Christi spirituali, quod est Ecclesia. Debebat Sermarinus, antequam eam pro se adduceret, inquirere & cognoscere contra quos scriberet Optatus, & quinam erant illi qui metas ponebant Christi possessioni, & Regnũ ipsius in angustum coarctabant. Ii pusto erant Donatistæ, qui apud ipsos solos in vnico Africæ angulo constitutos, totam esse Christi Ecclesiam, in reliquo vero toto mundo eam periisse audacter affirmabant. Contra eos surgit Optatus (quod & sæpe facit Augustinus) & eos inde conuincit, Quod Christo facta promissio est de ipsius regno, quod est Ecclesia, in vniuerso mundo fundando. Vnde & ipse mandauit Apostolis, *Matth.* 28.19. Euntes docete omnes gentes, *Actor.* 1.8. Incipiendo à Hierusalem, vsque ad vltimum terræ. Nihil igitur ista faciunt ad Christi regnum temporale. Ecclesia enim est Christi regnum spirituale.

XXX. Eusebius Emisenus, [*Emisen.*] Qui enim secundum diuinitatem semper simul cum Patre, & Spiritu Sancto, omnium rerum potestatem habuit; nunc etiam, secundum humanitatem, omnium rerum potestatem accepit vt homo; ille qui nuper passus, & cœlo, & terra dominetur; neque iam solummodo Iudæorum, verum & omnium gentium, & Deus & Dominus esse credatur.] Hæc ille apertissime; (inquit Sermarinus) quę tergiuersari à proteruis nõ possunt.] Ab ipso tamen veritas apertissime tergiuersatur; qui ideo tergiuersatur, vt *Psalm.* 9.11. auertat faciem suam, ne videat in finem: Vbi enim aperte Christus homo, & Deus, & Dominus vocatur, homo sumitur simul cum diuina persona; atque hoc post passionem, & resurrectionem; Sed post resurrectionem, inquiunt, manifesta duntaxat facta est omnimoda Christi potestas, nec eam tunc tantũ accepit, eam enim etiam ante passionem plenissimam habebat, sed tamen non ita manifestam: & ad hoc proferunt Aquinatem ita scribentem, [*Aquin. in Matthæum, cap. vlt.*] Vnde dico, quod potentia est data, nõ quia potentia sit data, sed data est secundum quod est vnita Verbo, vt filio Dei per naturam: sed Christo per gratiam vnionis. Sed quare magis dicit post resurrectionem, Data est mihi omnis potestas, quam ante resurrectionem? Dicendum quod in scriptura dicitur aliquid fieri, quando primo innotescit: Sic ergo ante resurrectionem non fuit ita manifesta omnipotentia, licet eam habuit, sed tunc fuit maxime manifesta, quando potuit totum mundum conuertere.] Sed hic etiam sermo est de omnipotentia diuinitatis in Christo, quam Christus homo ratione personæ diuinæ, habuit tam ante, quam post resurrectionem. Quod verò afferunt ex eodem Aquinate in libris de regimine Principum, non moramur: Siquidem etiam Bellarminus [*Bellarm. de Rom. Pontif.* 5. *c.* 5.] opusculum illud reiicit ab operibus Aquinatis. Et merito sane est reiiciendum, vt ego aliis locis in hoc opere ostendo, & plures etiam alii ita sentiunt. Illud non est dubium confectum esse ab aliquo magni Hieromonarchico; cuius dictis, & auctoritati nõ assentimur. Congerit multa etiam alia Patrum & Doctorum dicta Sermarinus, quæ non est operæ pretium hic adscribere, quia omnia apertissime, vel loquuntur de suprema diuina potestate quam habuit humana in Christo natura, ratione diuinæ personæ vel expresse continent spiritualem Christi Dominii, quã vt homo à Deo concessam habuit, potestatem.

XXXI. Sed Comitolus antiquiores aliquos refert Monarchicos Doctores: Antoninum, [illegible]uensem, Aluarum, Pelagium, Augustinum, Anconitanum, Ioannem de Turrecremata; Almaynum Nauarrum, & similes. Ex his tamen Canonistas puros, in re maxime Theologica infantes esse prorsus, quis ignorat? qui psittacorum instar, non ex mente propria, atque interno spiritu; sed ex aliorum instructione externa, balbutientes linguam mouent; & quicquid dixerunt Pontifices seipsos extollentes & sibimet propriam struentes auctoritatẽ; quicquid glossæ cum assentatione protulerunt, id siue verum, siue falsum sit, siue conforme sacræ scripturæ, siue cum

sacra

sacra scriptura pugnans, patris canonistis est oraculũ, à quo ne vnguem quidem latum fas est ipsis abscedere. Eos verò ex illis, & alios moderniores Papæ pugiles, qui Theologicè procedentes, hanc tractant quæstionem, sua autoritate nihil nos mouere debere planum est; nisi quatenus ex sacra diuina scriptura, & doctrina Patrum, Monarchiæ Romanę veneno nondum corruptorum, ad indagandam veritatem conantur accedere. Certe tamen, quod spectat ad Iacobum Almaynum, stomachum mihi facit Comitolus dum audacter asserit hunc Doctorem proponere quæstionem; An Christus habuerit supremam potestatem in temporalibus, & eam resoluere, omnino habuisse: Nam ille *de pot. Eccl. & lai. q. 1. c.* 8. in vtramq; partem disputat, & ponit tantum vt probabile, Christum habuisse potestatẽ etiam in singulis rebus temporalibus: (nimirum diuinam) nam & statim expresse negat, Christum hanc potestatẽ Petro & successoribus contulisse. Sed nos rem à prima radice cum Theologis Theologice inquiramus.

XXXII. Certa atq; infallibilis illa regula est, vt nihil de diuinis rebus affirmemus, nisi quod vel sacra nos docet scriptura; vel ex eadem scriptura potest plana & facili ratione deduci, & est à sanctis Patribus deductum & explicatum; atque in Ecclesia vniuersa receptum. In eo porrò conuenimus omnes, Christum non habuisse dominium vllum; seu regnum temporale, de facto, iure hæreditario carnalis successionis; & licet aliquod ius hæreditarium ad regnum Iudææ habuisset, tale tamen ius si quod habuit, penitus respuisse, illudque ad factum reducere nullo modo voluisse: quod si etiam voluisset, ergo Papa Christi prorex Iudæorum: & abesset ad illos Iudæos, qui vltra flumen Sabbatinum habitant, neque vllo alio iure, aut titulo humano regnum terrenum ipsi competiisse: puta electionis, &c. Si itaque Christus, vt homo, habuit potestatem in temporalia, profecto aliunde illam habere non potuit, nisi ex priuilegio, & concessione à Deo facta, cum enim Domini sit terra & plenitudo eius, *Psal.* 23. 1. & ipse transferat regna atq; constituat, *Dan.* 2. 21. potest cui ipsi placet, & quandocunq; ipsi placet, regnandi atq; imperandi in terris tribuere potestatem, eamque eidem auferre, & in alium transferre. Iam igitur cum hoc sit liberæ diuinæ voluntatis, quid ipse velit, quidq; in hoc genere [illegible], & concedat, non est humanæ audaciæ explicare, nisi quatenus ipsemet Deus reuelat, significat, & palam facit. Omnia verò quæcunque in scripturis tam Veteris, quam Noui Testamenti habentur de Christi regno, & ipsius iurisdictione, & potestate, manifestissime intelliguntur de regno spirituali in [illegible]: aut si quod maius & eminentius dominium [illegible] tradunt scripturæ, etiam restringendo se ad [illegible] vt homo est, id totum ratione diuinæ personæ [illegible] omnino est intelligendum, vt iam à me [illegible] explicatum.

XXXIII. Patres pariter omnes, & tota antiquitas, aliud regnum, præter spirituale, & præter diuinam potestatem, in Christo non agnoscunt. Vnde ergo [illegible] audacia tantopere se potest erigere, vt quod scriptura non ponit, & patres non docuerunt, & Ecclesia nunquam tenuit, ipsa audeat affirmare, nimirum Christum, vt hominem, fuisse Regem, seu Imperatorem mundi in temporalibus vniuersalem? Dicant obsecro, si Deus Christo homini ab instanti Incarnationis tradidit regna mundi, abstulit igitur ius regnandi in terra Regibus omnibus: siquidẽ in Christum illud iam transtulerat: non ergo amplius iure regnabant, neq; nunc infideles iure regnant: Christus tamen *Matth.* 22. 21. & Paulus *Rom.* 13. 1. omnino contrarium docuerunt, & tradiderunt.

XXXIV. Dicent fortasse, statim post incarnationem, Reges omnes amisisse ius regnandi, retinuisse tamen regimen, non tanquam Reges, sed tanquam proreges, & Vicarios Christi. Deberemus igitur diplomata videre huius Vicariæ substitutionis: & quis infidelium Regum fuit vnquam, aut est Christo subiectus; aut se Christi magistratum & ministrum est professus? Ac quemadmodum Christus, quia erat Rex spiritualis, eripuit Ecclesiam de manibus Synagogæ, ipsamque Synagogam in Ecclesiam transtulit, eamque nouis Sacramentis, legibus, & institutis firmauit & stabiliuit, Synagoga destructa; cur non etiam tanquam Rex temporalis, temporalia regna de manibus gẽtium eripuit, & temporalem Rempublicam bonis legibus & institutis non exornauit? Vbinam, quæso, ne verbum quidem habemus à Christo pro temporali regimine prolatum?

XXXV. Nullum vidimus hactenus in sacra Scriptura locum, nullum habuimus sanctorum Patrum dictũ, quo temporale Christi hominis regnũ ostenderetur: nunc vero & sacræ Scripturæ, & Patrum testimonio, oppositum omnino conuincamus, nempe Christum, vt hominem, regem temporalẽ nullo modo fuisse. Cui vero magis in hoc credendum, quam ipsimet Christo? cuius confessio illa negatiua & exclusiua est manifestissima. Regnum meum nõ est de hoc mundo, *Ioh.* 18. 36.] Audite ergo Iudæi & gentes, inquit Augustin. *tract.* 115. *in Ioh.* audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, nõ impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnũ meum non est de hoc mundo.] Et paulò post: Quid vultis amplius? venire ad regnũ, quod non est de hoc mundo, venire credendo, & nolite sæuire metuendo. Dicit quidem Propheta de Deo Patre, *Psal.* 2. 6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montẽ sanctum eius: sed Sion illa, & mons ille, non est de hoc mundo: quod est enim eius regnum, nisi credentes in eum? quibus dicit *Iohan.* 17. 14. De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo, &c.]

XXXVI. Huius loci veritate conuicti duo insignes nostrorum temporum Iesuitæ, expresse fatentur Christum, vt hominem, non habuisse sibi subiecta in temporalibus regna temporalia, Maldonat. & Bellar. Maldonati verba audiamus: Sunt, *inquit, in Matt. cap.* 27. qui quodammodo inuitum facere velint Regem (Christum) hæreticosque eos putent, qui temporalem etiam regem fuisse negant; cum ipse in iudicio interrogatus palam responderit: Regnum meũ non est de hoc mundo: id est, non est mundanũ, non est terrenum, non est temporale, sed cœleste, & spirituale.] Ac pluribus probat Christi regnum beatorum societatem, & fidelium congregationem, id est, Ecclesiam esse; quæ in mundo quidem sit, non tamen de hoc mundo; quia originem ex cœlo habet, cum eius caput Christus de cœlo descenderet, cum fides quæ Ecclesiæ forma est, & charitas quæ eius vinculum, & spes quæ præmia illa promittit, de cœlo dentur. Docetque Christum, quatenus Deus est, totius mundi & superioris & inferioris Regem esse: & huc reducit verba illa Scripturæ, *Apocalyps.* 19. 16. Rex Regum, & Dominus Dominantium. Eundem vero Christum qua homo est, Regem esse spiritualem totius Ecclesiæ, pluribus confirmat, tam ex Scriptura, quam etiam ex Augustino. Idem facit etiam Bellarminus, *de Rom. Pontif. lib.* 5. *cap.* 4.

XXXVII. Co

XXXVII. Comitolus tamen nimium in sua opinione obfirmatus, ne hac aperta Christi confessione se moueri permittat, in varios, atque distortos sensus eam flectere nititur. Ac primum, *inquit*, Christum non negare se esse Regem.] Non negat profecto, quia erat Rex spiritualis; & regnum suum, nempe Ecclesiam, habebat in hoc mundo, sed nō de hoc mundo. Explicat Comitolus de hoc mundo non fuisse Christi regnum, hoc est, non per electionem mundanam, neque sub forma & more mundanorum regnorum, quæ exercitibus, ærario, ministris, præsidibus, & proregibus, gubernentur.] Primo vanissimū est, quod dicit de electione: aliud enim est Rex, aliud Regnum: Rex quidem alicubi electione solet constitui, non ita regnum: & Christus negat regnū ipsius esse de hoc mundo, quod de regnis temporalibus dici nō potest, nam omnia sunt de hoc mundo, quomodocunque Reges ipsorum seu eligantur, seu hæreditario iure constituātur; etiamsi à Deo ipso immediate Rex aliquis temporalis crearetur, adhuc haberet regnum de hoc mundo, hoc est, mundanū: quod verò ait de exercitibus, ærario, & ministris, est omnino vanissimum; nam si subsunt Christo regna temporalia tanquam proprio Regi, quo pacto administrari possunt sine ministris, ærario, & exercitibus? Alioquin dicendum est, Christum terrenum ē esse Regē, sed qui neq; ministris neq; pręsidib. neq; proregibus, neq; ærario indigeat in suo temporali regimine, si actu velit regnū suum temporale administrare. Atqui hoc est omnino impossibile: ponunt enim Christum, non vt Deum, sed vt hominem præcise, regem mundi temporalem: & de Christo Deo nulla est controuersia. Quid plura? eorum regnorum, quæ sunt de hoc mundo, cuiusmodi regna se nequaquam possidere professus est Christus, conditiones necessarias ministrorum, & exercitus, ipsemet numerauit dicens, *Iohan.* 18.36. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.] Atq; ex hoc, tanquam signo necessario, quia non haberet milites, neque ministros regios, confirmat se temporalia Regna non habere.

XXXVIII. Explicat secundo Comitolus, regnū Christi dici non esse de hoc mundo; Quia, *inquit*, Regna mundi tunc erant fere omnia, vel vsurpatione Dominii; vel vi & armis, vel fraudibus acquisita; iniustisque legibus, ac idololatriæ ritibus gubernata: cuiusmodi regnum Christi non est.] Quæro tamen, Annon potuerint illa Regna tunc legitime, & iuste in temporalibus gubernari, ab illis Regibus, qui ipsis præerant: non puto id absolute negaturum: Ideo enim dixit, fere omnia, nam aliqua saltem potuisse rite & legitime regi agnoscebat. Illa porrò Regna, quę legitime possidebantur, & iuste gubernabantur ab infidelibus, secundum præscriptum luminis naturæ & doctrinæ naturalis, tum ex Platonica Republica, tū ex Aristotelica politica, erāt ne adhuc de hoc mundo? Erant profecto: igitur Christus non erat eorum Rex; siquidem aperte fatetur, Regnum ipsius non esse de hoc mundo. Et ita non erat Rex totius mundi, sed illorum tantum Regnorum, si Comitolum sequimur, quæ perperam & impiè suis Regibus gubernabantur. Sed & hæc ipsa Regna quatenus temporalia, erant ne de hoc mundo? Certe Regum probitas vel iniquitas, non facit vt ipsa Regna sint vel nō sint de hoc mundo. Illud enim duntaxat dicitur non esse de hoc mundo, quod neq; originē de hoc mundo trahit, neq; finem in ipso mūdo habet; sed de cœlo, & in cœlo: iuxta illud Christi, qui mundanos, & carnales homines alloquens, ait, *Iohan.* 8.23. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.] Et ad [illegible] discipulos, *Ioh.* 15.19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suū erat diligeret: Quia verò de mundo nō e[illegible], &c. Terrena vero Regna omnia, à quocunq; tandem regantur & administrentur, in temporalibus ad mundanos fines proxime referuntur, ciuilemque respiciunt fœlicitatem, quatenus temporalia sunt: Quomodo ergo omnia terrena Regna vt temporalia vere & proprie non sunt de hoc mundo? Sed fugam hanc Comitolo totam melius adhuc præcludamus.

XXXIX. Iudæi Pilatum in Iesum concitaturi, omnem mouerunt lapidem, vt ipsum affectati Regni suspectum redderent; & consequenter Romani Imperatoris hostem ac rebellem: dicebant vero, *Ioh.* 19.12. qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Hoc [illegible] sæpius eos inculcasse par est credere. Ideoq; P[illegible] hac in re solicitus, interrogabat tertio, *Iohan.* 18.33 [illegible] es Rex Iudæorum? Hac suspicione vt se liber[illegible] agebat Christus, & ad hoc ipsum respondeq; Se [illegible] dem esse Regem, ac Regnum habere, Regnum tamē ipsius non esse de hoc mundo, sed generis [illegible] terius, ac altioris. Vnde Augustinus locum hunc [illegible] plicans, ait, [*August. tract.* 1.15. *in Ioh.*] Nolite me[illegible] metu vanissimo, quo *Matth.* 2. Herodes ille [illegible] cum Christus natus nunciaretur, expauit, & [illegible] fantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis, quàm irascendo crudelior.] Et Cyrillu[illegible] *ril. l.* 12. *in Ioan. cap.* 19.] Liberauit, *inquit*, à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæsaris à Iudæa seruare debebat: credidit enim forsan, more hominum, rebellionem à Christo cogitatam fuisse. Christus au[illegible] Pilato respondens, Regem se esse non negat: me[illegible] ri enim non poterat: sed regno Cæsaris non esse h[illegible] stem ostendit: Quia principatus suus mundanus non est, sed cœli terræ cæterarumque rerum omnium.] Quomodo obsecro suspicionem hanc à se serio [illegible] moueret, nisi à sua Regia potestate excluderet om[illegible] Regna temporalia, quæ tunc Cæsari suberant; aperte profitendo Regnum ipsius non esse, quale Cæsareum erat, de hoc mundo? Erat ne igitur Christus Rex temporalis regni Iudææ, & aliorum regnorum, quib. Cæsar imperabat? Erat, *inquiunt*, sed iust[illegible], sed verus, sed mitis, sed sapiens, sed legitimus; non [illegible] rannus, non violentus, non fraudulentus, no[illegible] litibus stipatus.] Quid tum? satis est, quod [illegible] Rex illorum Regnorum: merito ergo Pilatu[illegible] dum hominem, laborat suspicione, ment[illegible] merito anxius est. An verò Christus illum [illegible] cipit: negat se mundanum esse Regem, vt [illegible] spicionem, negat ergo se Dominium habere [illegible] tale in Regna Cæsaris, alioquin fallaciter, & dec[illegible] ptorie loquitur, non vere, & proprie: quod [illegible] spicabatur Pilatus, id ipsum erat Christus, [illegible] istos: Cum verò neget se esse illum, quem Pila[illegible] spicabatur, aut mentitur, aut decipit, & illud [illegible] est magna blasphemia. Erat igitur Christus [illegible] cœli, terræ, & cæterarum rerum omnium, [illegible] tur Cyrillus, intellige quatenus Deus: quaten[illegible] men homo, non erat, *inquit*, Princeps m[illegible], hoc est temporalis.]

XL. Ita & Chrysostomus, quia videbat ex [illegible] te Christum non negare se esse Regem, neq; neg[illegible] se habere Regnum, hoc interpretatur de d[illegible] Christi; nam quod spectat ad humanum Regnu[illegible] & ipse docet Christum in hoc tutum voluisse [illegible] reddere: sic enim scribit in ea verba, Regn[illegible] m[illegible] non est de hoc mundo: [*Chrys. homil.* 82. & 8[illegible] *in Ioh.*]

Ergo

Eiigit Pilatum: & vult ostendere, se non purum hominem, sed Deum, & Dei filium esse: tollit tyrannidis videlicet suspicionem. An non est mundi huius Christi regnum? Quidni? Quomodo inquit non esse. Non quod hoc etiam non possideat, sed quod in cœlo habeat imperium, non humanum, sed longe maius atq; præstantius.] Item: Iudęi, *inquit idem Chrysost. hom. 87. in Matth.* quoniam videbant nullam à Pilato de legalibus curam fieri, ad publica crimina accusationem reduxerunt. Sic etiam aduersus Apostolos faciebant, eadem ipsa semper clamantes. Quia circumuagantur, Iesum quendam Regem esse prædicantes, *Actor. 17. 7.* Hinc patet hac de caussa & ipsum tributa detulisse, & aliis deferre iussisse, vt nullum hæc suspicio locum haberet. Quando etiam Regem constituere ipsum voluerunt, confestim fugit.] Terrena itaque regna non alia ratione Christo [illegible] Chrysostomus, nisi propter supremum dominium, quod ei ex diuina persona competebat. Humanum vero dominium, de quo nunc disputamus, aperte negat Christo Domino.

XLI. In eodem prorsus sensu accipienda sunt etiam illa Ambrosij verba *in Luc. l. 3.* Qui dicit, nō esse de hoc mundo regnū suum, ostendit esse supra mundū. Ita & erat regnum eius, & non erat: non erat in sæculo, erat supra sæculum.] Hoc est humanum Dominium nullum habebat: habebat tamen diuinum. Hoc idem vult etiam Theophylactus *in Iohan. cap. 18.* illis verbis, quæ ex Græco translata profert Comitolus. Dicit enim: Regnum meum nō est de hoc mundo & rursus, non est hinc: non enim dixit, non est in mundo, & non est hic; Propterea quod regnat in mundo, atque ei prouidet, suoque arbitratu versat [illegible] non est è mundo regnum eius, sed è supernis, & sempiternum: neque hic deorsum, inquam, constitutum, licet hic ab Imperio curationeque, minime vacet, hinc tamen non existit, neque inferna est [illegible] constitutio, neque caduca.] Quis non videt Christum vt Deum mundum regere, & suo arbitratu [illegible] omnia, Imperiumque ac curationem in hæc [illegible] inferiora exercere? temporalem tamen & humanam dominationem Christo aperte negat. Vnde & subdit idem autor, sibiq; obiicit, dicens: Quod si [illegible] eius ditione non est proprie mundus, quænam illis verbis *Iohan. 1. 11.* subiecta notio erit: *In propria venit.*] Solutio obiectionis est, vel CHRISTVM venisse in propria, hoc est in mundum, qui per ipsum diuinum verbum factus est, suos tamen, hoc est Iudæos, eum non recepisse, pro saluatore, & Domino spiritualibus, ac verè Filio Dei: vel ipsum ratione [illegible] assumptæ venisse in propria, Iudæum carne, ad [illegible]: qui tamen eum non receperunt. Ita intelli[illegible] passim Patres Augustinus *tract. 2. in Iohan.* [illegible] 20 *cap. 3.* Cyrillus *lib. 1. in Iohan. cap. 11.* Gregorius *lib. 4. moral. cap. 19.* & non de proprio regno mun[illegible]nipotali.

XLII. Tertia fuga Comitoli est, Christum dixisse, *Regnum meum non est de hoc mundo*: hoc est, *inquit*, non est [illegible] tantum globi terreni, vt sunt regna mundi, sed amplectitur cœlum, terram, & omnes creaturas.] At Christus non dixit: Regnum meum non est de hoc mundo tantū, sed absolute negauit, esse de hoc mundo. Partes ergo illæ globi terreni non spectant ad Christi regnum: illę enim ratione temporalitatis sunt de hoc mundo. Neq; suspicionem Pilato abstulisset, si dixisset, se quidem non solum esse Regem portionum globi terrestris: sed pręterea etiam totius cœli, & totius terræ, ac totius creaturæ: imò vehementer auxisset suspicionē de affectata absoluta monarchia, qua prætenderet, non modo sibi subiici debere regnum Iudææ, sed cætera etiam totius mundi regna: qua ratione longe magis iniurius visus fuisset Pilato contra Cæsarem, quam si de solo regno Iudęæ ageretur; si eo sensu, quo Comitolus interpretatur, suam Christus adornasset responsionem.

LXIII. Quarta Comitoli explicatio est, seu potius implicatio, ideo Christi regnum non esse de hoc mundo, quia regna mundana sunt pure temporalia, & non spiritualia, super corpora tantum & bona caduca, & non super animas: non ita Christi Regnum.] Sed illa corporalia, & caduca, sunt ne de hoc mundo? Sunt certe: super hęc ergo Christus negat se esse regē: & solum sibi tacite reseruat regnum spirituale. Christus conceptis verbis distinguit & separat inter se duo regnorum genera: alterum de hoc mundo: alterum non de hoc mundo. Comitolus vero ea commiscet & confundit. Quamuis statim, quintam subdat expositionem, omnino præcedenti contrariam: separat enim & distinguit hæc duo regna, & docet, Christi regnum non esse de hoc mundo, quia mundanum regnū poscit vt Principem temporalem agnoscamus, & ei pareamus: Christi verò regnū requirit cognitionem Principis æterni, & erga ipsum obedientiam.] Cogitur itaque, vel inuitus, in vero sensu locum Euangelij accipere: vt Christi regnum, quia cognitionem Dei, & obedientiam erga Deum (puta via, & ordine supernaturali) exposcit, iccirco non sit de hoc mundo: nam regna huius mundi temporalia, hominibus, quæ eis præsunt, parent.

XLIV. Postremum subterfugium quod sibi videtur Comitolus apparasse, tale est; Regnum Christi dici non esse de hoc mundo: quia Regna mundana omnia extinguit aut mortis necessitas, aut maior vis, aut subditorum rebellio, aut sæculi consummatio: quod non contingit regno Christi, quod est perpetuum, inextinguibile, & inamissibile, quantum ad essentias illarum creaturarum quæ sint superfuturæ.] Sed iterum vel inuitus cogitur pro veritate contra se ipsum laborare: dum optimum ac verissimum discrimen ponit inter Christi regnum proprium, quod est spirituale, perpetuū ac immortale; & temporalia, quę sunt fluxa, caduca & mortalia; ideoq; ad Christi regnū non spectant: quęcunq; enim regna caduca sunt & fluxa, ea vere & proprie de hoc mundo sunt.

XLV. Alter locus quo Christus ipse abdicat à se Dominium, & regimen temporalium, est ille: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? *Luc. 12. 14.* Rogatus autem fuerat à quodam, vt cum ipsius fratre ageret, vt ad diuisionem hæreditatis cum illo deueniret. Hæc verò responsio totam iudiciariam potestatem tollit. Quatuor huic loco expositiones Comitolus excogitauit. Prima est: Christum hoc responso recusasse iudicium compromissarium arbitrandi inter illos fratres. Sed hæc prima expositio est intolerabilis, ex duplici saltem capite: Primum quia petitio illa supponit in Christo autoritatem iudiciariam coactiuam: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, Luc. 12. 13.*] Renuebat alter frater, neque diuisioni consentiebat; compromissum vero vtraque fit parte consentiente. Nisi dicas rogatum Christum, vt amicabiliter persuaderet fratri diuisionem: sed hoc non est arbitrum constituere: Deinde quia respōsio Christi explicat, mentem petentis fuisse, vt iudiciaria potestate procederet.

XLVI. Altera expositio est, verba illa Christi, significare ipsum non esse iudicem ordinarium, vt sunt iudices terreni, cum officio necessario, & obligatione iudicandi caussas, & controuersias ciuiles, sed in-

risdictionem ipsius esse arbitrariam, & voluntariam. Sed si Christus erat Rex temporalis, imperceptibile est, quomodo non erat iudex ordinarius, cum necessaria obligatione iudicandi ciuilia: & quomodo iurisdictio ipsius fuerit arbitraria, & voluntaria. Esto tamen modus iudicandi in Christo fuerit diuersus à modo reliquorum Regum terrenorum: certe ipse ostendit se iudiciariam potestatem in rebus temporalibus nullam prorsus habuisse, siue ordinariam, siue quamcunque aliam temporalem: hoc enim clare exprimunt verba illa: *Quis me constituit iudicem super vos?*

XLVII. Tertia ipsius expositio est; Christum ita respondisse, quia significare voluerit potestatem iudiciariam ipsius non esse ex humana concessione. Qui tamen actum iudiciarium à Christo petebat, satis habebat, quod esset iudex, siue à Deo, siue ab hominibus constitutus, & ita responsio Christi fuisset omnino puerilis, potuisset enim ille replicare, nihil refert siue sis iudex ab hominib. factus, siue Deus, siue homo hypostatice Deo vnitus; dummodo potestatē habeas iudiciariā in temporalia, in mea causa hæreditatis exerce illam. Et Christi responsio est vniuersalis, quis me constituit iudicem? quasi dicat nemo, neq; Deus, neque homo; ego enim vt homo nullam talem accepi potestatem.

XLVIII. Quartam addit expositionem, Christum in terra non venisse vt temporalia iudicaret, quamuis potestatem haberet plenam iudicandi etiā temporalia. Atq; hoc ipsum nos vrgemus, Christū, vt Deum, habuisse iam tum, plenam etiam temporalia iudicandi potestatem: at verò vt Mediatorem & Ecclesiæ caput, non fuisse missum ad regenda temporalia, sed finem aduentus ipsius in mundum, fuisse humani generis redemptionem ac spiritualem Ecclesiæ gubernationem, ad quod nulla erat Christo necessaria regia huiusmodi autoritas, neq; certe vtilis: id enim sola potestate spirituali absq; temporali, egregie potuit præstare, & reipsa præstitit: imò fuisset Impedimento non leui, siquidem debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deliciarum, opum, & omnium rerum terrenarum. Et quorsum habuerit potestatem hanc quam nunquam esset exerciturus? *Bellarmin. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 4.* Frustra enim est potentia, quæ nunquam reducitur in actum. Ipsa tamen hæc eadem Christi responsio, non tam negat actum, & exercitium, quam ipsammet potestatem. Quis me, inquit, constituit iudicem? quasi dicat, nolo in his me ingerere: quia ad hæc potestatem non accepi in incarnatione, qui propter sola spiritualia descendi.

XLIX. Audiamus Ambrosium *in Luc. 12.* in hunc locum: Bene terrena declinat qui propter cœlestia descenderat: nec dignatur iudex esse litium, & arbiter facultatum.] Et glossa: Dedignatur *inquit*, esse iudex litium, aut arbiter facultatum, qui viuorum & mortuorū habebat iudicium, & meritorū arbitrium.] Et Bonauentura *in Luc. cap. 12.* Verum est vtique, sicut dicitur in *Psalmo 2.* quod ipse constitutus est Rex ab eo super Sion Montem sanctum eius: & quod in ditione eius cuncta sunt posita, *Esther. 2. 3.* sed quia Deus miserat eum ad spiritualia cōmunicanda, ideo descendere recusabat ad temporalia diuidēda.] Hæc sane sicuti tribuunt Christo summam iudiciariam potestatem ratione coniunctæ diuinitatis: ita Christo homini relinquunt potestatem omnem spiritualem, remouent vero ab eo curam temporalium: sed Christus ipse non curā solam actualem à se remouit temporalium, verum etiam ipsammet potestatem habitualem, vt est à me iam expositum.

L. Addit Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 116.* aliam ex Glossa expositionem, sed moralem, nempe Christum noluisse diuidere hæreditatem illam, & tollere communitatem inter illos fratres: cum sit officium diaboli communitatem auferre, & diuidere fraternitatem: ille enim est autor dissensionis.] Quasi verò hæreditatum diuisio inter plures fratres, nō sit & iusta, & vbi leges non contradicunt necessaria, & Deo accepta, atq; à sanctis antiquis Patribus vsitata. Et Christus non respondit se nolle diuisionem illam facere: aut sibi non necesse esse in talibus occupari: sed respondit se non esse illorum iudicem, hoc est, non esse officij ipsius & potestatis ista agere.

LI. Obijcit Sermarinus, si Ecclesia potest iudicare temporalia iuxta Apostoli præceptum, *1. Corin. 6. 3.* vt de se testatur Augustinus *in Psal. 108.* Non possum, inquit, dicere, quis me constituit iudicem & diuisorem inter vos; constituit enim talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos. Cur non potuit etiam Christus? Ac certe si Christus non potuisset, neq; Ecclesia posset.] Respondeo, hanc potestatem iudicandi fideles circa negotia temporalia, non esse in Ecclesia propriam, sed ex solo consensu litigantium; atq; hoc ex consilio Pauli: de quo plura postea: Addit idem: Apostoli si voluissent mensis ministrare potuissent, & tamen grauioribus occupati noluerunt: sic Christus, si voluisset inter fratres diuidere, potuisset: Respondeo: agimus de iurisdictionalibus in ordine ad temporalia: non de Oeconomia priuata circa bonū vsum temporalium: hæc enim non requirit potestatem publicam: quam & Christo & Ecclesiæ & Apostolis negamus.

LII. Sunt qui & illum proferant locum, vbi Christus *Ioh. 6. 15.* fugit ne raperetur, & fieret Rex; ad probandum Christum non fuisse Regem temporalem. Et sane merito: cur enim recusat curam ipsam actualem regiminis temporalis, cur mundo inuideret summam hanc vniuersi orbis fœlicitatem, si omni in re ad ipsum spectant regna omnia temporalia? Quodnam autem regnum vt à se alienū hic declinauerit, ex Augustino constat, qui *tract. 25. in Iohan.* solum spirituale regnum dat Christo, dum ait: quid enim? Non erat Rex, qui timebat fieri Rex? Erat omnino, nec talis Rex, qui ab hominibus fieret, sed talis Rex, qui hominibus regnum daret.] Et postea. An fortè hoc erat rapere eum, præuenire velle tempus regni eius. Etenim venerat modo non iam regnare, quomodo regnaturus est in eo, quod dicimus: Adueniat regnum tuum: semper quidem ille cum Patre regnat, [illegible] dum quod est Filius Dei, Verbum Dei, Verbum, per quod facta sunt omnia. Prædixerant autem [illegible] phetæ regnum eius, etiam secundum id, quod homo factus est Christus, & fecit fideles suos Christianos. Erit enim regnum Christianorum, quod modo colligitur, quod modo comparatur, quod modo emitur sanguine Christi. Erit aliquando manifestum Regnū eius, quando aperta erit claritas sanctorum, post iudicium ab eo factum: quod iudicium supra ipse dixit, quod filius hominis facturus sit: de quo etiam Apostolus dixit: Cum tradiderit regnū Deo & Patri, vnde etiam ipse ait, venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Discipuli autem & turbæ credentes in eum putauerunt illum sic venisse, vt etiam regnaret. Hoc est velle rapere, & regem facere, præuenire velle tempus eius, quod ipse apud se occultabat, vt opportune proderet, & opportune in fine sæculi declararet.] Hæc Augustinus de Christi regno spirituali.

LIII. Solet præterea ad confirmationem nostræ sententiæ afferri aliud Christi dictum coram Pilato, *Ioh.* 19.11. nimirum: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.] Hoc tamen ego dictum ad rem nostram parum facere ingenue fateor; nam si vere, proprie & re ipsa, Christus non fuit subditus Pilato, secundum humanam naturam, non possumus hinc ei negare Dominium, & regnum temporale: tunc enim bene sequitur, Christũ secundum se, non esse regem temporalem, si fuit vere, & proprie subditus Cæsari, & eius ministris. Christum verò non fuisse vere & proprie subditum Pilati, mihi dubium non est. Non sane ex eo, q. Christus esset summus Pontifex, vt vult Bellarminus *in libello contr. Marsil.* & caput omnium: erat enim caput spirituale: spiritualis vero potestas & pontificatus, non eximit quemquam à potestate temporali, vt suo loco, infra ostenditur: sed ex alia longe altiori caussa. Si enim humanitas Christi habuisset subsistentiam creatam humanam, nempe personam, sic Christus fuisset homo purus, & consequenter verus, & proprius subditus Pilati: quia tamen humanitas Christi subsistebat Hipostasi diuina Verbi, & Christus non erat homo perfectus, nisi ex coniunctione humanitatis cum diuina persona: ideo hic homo, etiam vt homo, necessario dicit & includit personam diuinã: hinc fit vt humanitas illa, propter personam, eleuetur ad hoc, vt homo ille sit etiam Deus: ac propterea subiectionem veram & propriam nullo modo potest habere ad quemcunq; hominem. Atque ita sine blasphemia hęreticali dici non potest, Christum, etiam vt hominem, subiectum fuisse potestati laicali, si de vera & propria subiectione loquamur, quæ iuris solet appellari, verè enim ob dictam caussam neq; Cęsar, neque Pilatus, vllum ius habuerunt in Christum, etiam vt hominem.

LIV. Sunt Theologi, & sane meo iudicio doctissimi, qui ponunt in Christo subiectionem sub Pilato, non tamen necessariam, sed voluntariam; ita vt Christus ipsius propria voluntate, & non necessitate ad eam se sponte redegerit: Quemadmodum sponte & libere assumpsit alios defectus, & imperfectiones naturales: faciuntque catholicam hanc propositionem: Christus habuit veram subiectionem ad Pilatum: sed voluntarie assumptam. Quam ego propositionem condemnare nolo: sed neque illam asserere auderẽ: videtur enim significare Christum voluntarie contulisse Pilato potestatem & iurisdictionem erga seipsum Christum hominẽ: & consequenter posita hac libera concessione Christi, Pilatum habuisse verum ius, & veram potestatem iurisdictionalem, in Christum hominem: & hanc concessionem [illegible]cari per illa verba: *Datum desuper.* Ego tamen [illegible]mum horreo assentiri, Pilatum habuisse verum [illegible] totum Christum hominem, quia tale ius extenderetur etiam ad diuinam personam; quia Christus non existit homo per naturam humanam, sed per diuinam personam: & ius Principum non extenditur ad humanitates in abstracto, sed in supposito & consequenter in personas. Propterea omnino puto & incocessibile, & incommunicabile puto homini, vt possit de iure exercere Dominium & potestatẽ in hominem Deum. Non diffiteor fuisse in Pilato potestatem quandam iuris in Christum hominem, non tamen proprie iuris, sed ex sola legitima præsumptione: quia neq; poterat, neque tenebatur scire, tanquã Præses temporalis, Christum non esse purum hominem, & Christi humanitatem in verbo diuino subsistere: ex hac igitur legitima præsumptione Pilatus, si spectes ordinem iudicij, iustè contra Christum procedebat, *Caiet.* 22. *qu.* 67. *art.* 1. quamuis ex iniquitate iudicij, quia innocentem condemnauit, fuerit iniustissimus. Itaque quod dixit Christus: Non haberes in me potestatem, nisi tibi esset datum desuper, nõ est omnino id intelligendũ quo ad ius, de potestate permissiua: quia ex illa pręsumptione, iure diuino omniũ legitimorum Principum communissimo, ordinariã habebat Pilatus in Christum autoritatem, modo explicato; nam hinc etiam & Augustinus, & Bernhardus, & Thomas Aquinas, vt mox videbimus, colligunt ex iure dinino Principum potestatẽ in suos subditos emanare. Quoad factum tamen, fateor de sola permissiua potestate verba hæc Christum protulisse. Videlicet: Tu non posses tuam ordinariam potestatem in me facto ipso exercere, tametsi ex legitima præsumptione tu illam iure in me ipsum habeas, quia veritas est, me ratione personæ & per diuinam omnipotentiam habere potestatem ligandi, & coercendi tuam in me potestatem, ne quicquam in me possis, nisi desuper ab ipsa diuinitate tibi permittatur: à qua permissione iam habes, vt possis actu ipso tuam in me potestatem exercere.

LV. Ac propterea probanda non est omnino illa locutio, qua aliqui dicunt, Pilatum habuisse potestatem facti, non iuris: quia præsumptiue habuit potestatem iuris, vt iam explicaui: potestatem verò facti habuit ex sola permissione. Potestatem hanc Pilati, cum dicta præsumptione, tanquam vere iuridicam, considerabat Augustinus *tract.* 116. *in Iohan.* quando dixit, explicans ea verba: *Non haberes in me potestatem.* Discamus ergo quod dixit. Quod & per Apostolum docuit, *Rom.* 18. quia non est potestas nisi à Deo. Et Bernhardus *Epistol.* 42. Sæcularitatem, inquit, contemnitis? Sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus astitit iudicandus: Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper: Iam tunc per se loquebatur, & in se experiebatur, quòd post per Apostolos clamauit in Ecclesiis: Non est potestas nisi à Deo, *Roman.* 13.1. Et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.] Aquinas etiam *in Epist. ad Rom. cap.* 13. ex hoc ipso loco confirmat potestatem Principum esse à Deo. Vident sane Pilatum, iudicando CHRISTVM non peccasse peccato vsurpati iudicij; ex iusta enim præsumptione sibi subditum iudicabat, quamuis peccauerit peccato iniqui iudicij, damnans innocentem: Potestatem tamen illam, quam à Deo habent omnes terreni Principes, stante legitima illa præsumptione, Christum esse vnum hominem ordinarium, ac Iudæum, iure in Christum, tanquam in ipsius subditum exercebat: nec indigebat ad hoc noua concessione, vt posset iure agere; ad quod ei iusta præsumptio satis erat. Neque placet, quod ait Sermarinus, Pilatum non potuisse iure procedere contra Christum, quia erat iustissimus; & in iustum ac innocentem iudex, inquit, non habet potestatem.] Id enim mihi falsum videtur: nam potestas Rectoris, non modo se extendit ad puniendos sontes, sed etiam ad regendos insontes, eisque præcipiendum quicquid opportunum fuerit pro bono communi. Nonne absoluere innocentem, si calumniam coram iudice passus fuerit, est actus iudiciarius? Vnde si Pilatus Christum per sententiam absoluisset, suam in illum potestatem, absq; vllo peccato, imo cum laude virtutis, exercuisset.

LVI. Factum etiam Christi dum personale tributum voluit soluere Cæsari, *Matth.* 17. 27. solet adduci ad confirmãdam Christi in carne subiectionem: & consequenter ad negandã Christo homini regiam

temporalem potestatem. Quod sane factum si fuit, circa Cæsaris tributum: sicut egregie probat in Cæsare fuisse ius legitimum illud petendi à Christo homine, quia ex præsumptione legitima Christus merito à Cæsare haberi debebat pro vero subdito, ita, remota hac præsumptione, neq; vere Cæsar habebat ius in Christum vllũ: neq; Christus tenebatur soluere tributum: Cum enim Christus, etiam vt homo, ratione personæ esset verus, & naturalis filius Dei, nullam habebat humanam subiectionem; Vt ipsemet explicare voluit, se tanquã filium supremi Regis Regum, qui est Deus, ad tributa non teneri, *Matt.17.26.* Nam quod ait Thom. Aqu. *in Matth. c.17.* & cum ipso plures, Christum se liberum esse significasse, etiam secundum carnem, quia esset de stirpa regia Dauid, non videtur approbandum: quia filij Regum qui immunitatibus gaudent, sunt filij ꝓximi Regis regnantis. Qualis non erat Christus in regno Iudæorum: & nullum affertur indicium ex Scriptura quo stirps tota Regia in infinitum, etiam post extinctionẽ Regni in illa stirpe, immunitate à tributis gauderet. Quia tamen noluit Christus præsumptionem tũ Cæsari, tum Pilato tollere; sed consensit vt & Cæsar suo iure, quod à Deo habebat, vteretur, ex iusta præsumptione, in exactione tributi etiam in ipsummet Christum; & Pilatus iudiciariam in ipsum exerceret potestatem; magnum argumentum est Christum, vt hominem, non habuisse regalem temporalem potestatem: quia illam intactam, & illæsam, etiam vbi solam haberent pro se præsumptionem, terrenis Regibus voluit conseruare: & tam verbis quam factis, tanquam legitimam, & à Deo datam ipsis approbare. Quod si de iure ad ipsum iam peruenisset, certe aliqua ratione, tot se offerentibus grauissimis occasionibus, id significasset: neque vsurpatam Principum autoritatem toties tanquam legitimam approbasset. De hoc plura infra.

LVII. Mirabile tamen est illud, quod asserit Bellarminus, nimirum Christum non habuisse quidem, vt hominem, temporalem hanc regiam in temporalibus potestatem; potuisse tamen, si voluisset, eam assumere; & imperia, ac regna Regibus, & Imperatoribus eripere, *Bellarm. contr. Barcl. c.27.* Nihilominus tamẽ, *inquit*, securus affirmo, potuisse Dominum nostrum Iesum Christum, tempore mortalitatis suæ disponere de temporalibus omnibus: & Reges ac Principes, regnis, Dominijsq; priuare.] Si hanc potestatem tribuit Christo Bellarminus, tanquam Deo, nihil noui dicit: fatemur id omnes: pessime tamen pergit, dicens: Et hanc potestatem Vicario suo sine dubio concessisse.] Quæ enim Christus potuit vt Deus; siue etiam vt homo Deus, ea puro homini fuisse prorsus incommunicabilia, quis non fateatur? scimus profecto in Christo duas fuisse vnitas naturas, in vno supposito; diuinam & humanam; Sed sicut naturæ ipsæ non fuerunt in Christo permixtæ, neque confusæ, sed perfectissime distinctæ, ita neque proprietates dictarum naturarum fuerunt in eo confusæ & permixtæ, sed diuinæ ab humanis separatæ: Proprietates porro diuinæ, siue diuina attributa, in ordine ad externa, possunt à Deo, per quandam participationem, creaturæ etiam communicari; vt sapientia, bonitas, potentia aliqua: alia vero quæ sunt propria diuinæ naturæ quarto modo; non quod sint accidentia in Deo (nihil enim in Deo est, quod non sit Deus, & diuina substantia) sed nostro modo loquendi, & intelligendi; ea nullo modo possunt creaturæ communicari, nisi creatura eleuetur aliquo pacto ad esse diuinum; quod fit per hypostaticam vnionem: vt est omnipotentia absoluta & perfecta. Quæ igitur possunt participatione, licet imperfecta, communicari à Deo creaturæ, & communicari de lege ordinaria non solent, eatenus possunt à nobis dici fuisse alicui communicata, quatenus ex diuina reuelatione, quæ ordinaria est, per diuinam scripturam canonicam, id nobis innotuerit; sine qua quidpiam tale asserere, & stultitia est, & magna temeritas.

LVIII. Si quid igitur in Christo homine obseruamus, quod extraordinarium sit, & hominibus nequaquam commune, proculdubio id aut Christus habebit ex eo, quod sit Deus, hoc est persona diuina, aut ex eo quod Christi humanitati à Deo fuerint singulari priuilegio communicata. Quando ergo Christus dimittebat peccata; quando sacramenta instituebat, quando occulta cordium patefaciebat; quando mortuos propria virtute, ad vitam reuocabat; id apertissimum est ab eo non sine diuina virtute, quia Deus etiam erat, factitatum: quando vero ventis imperabat, & mari, & illa obediebant; quando super mare gradiebatur; quando scripturas reconditas, sine præcedenti disciplina, interpretabatur, quando ægrotos curabat; Dæmones eiciebat, & similia præstabat, fateor difficile est pro certo affirmare, an hæc quoque sola & propria diuina virtute, vt Deus, faceret, an verò vt homo, sed per virtutem humanitati ipsius à Deo concessam, & communicatam: hæc enim & huiusmodi, non sunt adeo propria solius diuinæ omnipotentiæ, quin etiam per participationem creaturæ possint à Deo communicari. Ac propterea sancti Patres Ecclesiæque pij doctores sępe in huiusmodi Christi actionibus, ad Christi diuinitatem recurrunt: sæpe etiam eas humanitati Christi immediate tribuunt, sed ex diuina concessione. Eam tamen mihi in hisce regulam videor merito posse præstituere, Vt illa ad diuinam in Christo naturam omnino reducantur, quæ puro homini communicari nequeant: quæ verò Christus potuisset, ex Dei concessione, etiamsi purus homo fuisset, ea vere, & propriè ad Christum, vt hominem, reduci posse, sine refugio ad ipsius personam, seu diuinitatem. Quamuis in Christo multa etiam fuerint, quæ ei neq; vt Deo simpliciter, neque vt homini soli, sed vt Deo homini conueniebant; vt mundum redimere, esse Mediatorem, esse caput Ecclesiæ: sacramenta instituere, &c.

LIX. Iam igitur quod spectat ad assertionem Bellarminianam paulò ante positam, duas grauissimas patitur obiectiones: altera est, quod Christo vt homini tribuit id, quod nullum prorsus factum, ne remotissimum quidem, indicat in Christo fuisse, ac propterea nulla est prorsus occasio coniecturas quærendi, num id Christus habuerit vt Deus, an vero vt homo; & de Christi priuilegijs humanæ naturæ extraordinarijs inepte affirmat, qui nullum prius effectum cernit priuilegialem. Altera verò est, si factum spectemus, esse omnino impossibile, vt vnus purus homo via ordinaria humana possit sine pecuniis, sine exercitibus, & sine maximis talibus humanis adiumentis Principes omnes, omnesque Reges terrenos debellare & extinguere, eorumque regna & dominia in se transferre. Cumque purus homo sit tantæ potestatis incapax, iuxta regulam superiorem, ab omni bono Theologo, vt puto, approbandam, talem potestatem Christo homini, vt homo erat, ex diuina concessione tributam fuisse, non possumus affirmare: nisi ex aperta diuina reuelatione constaret, diuinam omnipotentiam

hac

hac in re, si Christus voluisset Rex esse mundi temporalis, insigni miraculo cum eo fuisse concursuram, de quo cum nihil constet, certè temerarium erit id asserere. Quod si de iure loquamur, verisimile non est, Christum hominem habuisse à Deo tale ius, vt posset Reges deponere, sibique eorum sceptra assumere, id enim mihi videtur non posse absolutè affirmari: cur enim humanitati Christi detur ius, quod nunquam sit in actum reducendum? Addo verò ab ipsa humanæ naturæ institutione Reges & Principes, diuino iure sua habere dominia, suamque temporalem potestatem. Constare ergo deberet, hoc ipsum ius regnandi à Deo Regibus omnibus ablatum esse, & in Christum hominem translatum. Quod quia non constat, imò quia constat oppositum, nempe idem ius perseuerare, & ab ipso Christo, sanctisque Apostolis agnitum fuisse, & confirmatum, assertio Bellarmini redditur imbecillis. Quod igitur Christus vt homo habere non potuit, multo minus id potuit cuicunque puro homini communicare, vt fusius infra à me ostendetur. Atque ita neque à posteriori, neque à priori habemus, in Christo homine fuisse supremam rerum temporalium potestatem. Meritò ergo negamus Christum, vt hominem, potuisse de temporalibus disponere, & Reges suis regnis spoliare.

LX. Sed vt iam melius quisque videat, nos meritò pugnare contra paucos, eosque non magni nominis Theologos modernos, (nam Canonistas prorsus in hac caussa contemnimus, ne sutor vltra crepidam) ac contendere, temporalium in Christo homine Dominium non fuisse, grauissimorum Patrum aperta testimonia idipsum attestantium proferam, nō omnia, sed præcipua. Hilarius *in Psal.* 2. Hic ergo Rex, *inquit*, super Sion montem Sanctum Dei constitutus est; præceptum Domini annuncians: non super illum vtique terrenæ Ciuitatis montem, comploratæ scilicet, & homicidæ, & parricidæ Hierusalem: sed Hierusalem eius quæ in cœlis est: quæ mater est nostra, quæ Ciuitas Regis magni est: cuius, vt existimo, hodie incolæ sunt in passione Domini resurgentes.] Cyrillus Alexandrinus *de ador. in spir. l.* 11. explicans, quid significaret mitra Aaronis ex Hyacintho, ait. Est autem Hyacinthus cœli signum: recordare igitur Christi dicentis. *Iohan.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo, neque enim Christus Rex terrenus, sed cœlestis est; vniuersamque creaturam sub pedibus habet.] Augustinus *contr. Priscil. & Orig. ad Oros. cap.* 7. De regno enim Christi, *inquit*, non secundum id quod in principio Verbum Deus apud Deum: nam illinc nemo vnquam dubitauit, quod Rex omnium sæculorum; sed secundum hominis assumptionem, & mediatoris Sacramentum, & ex Virgine incarnationem, apertissime dictum, quod finem non sit habiturum: vbi Angelus loquens ad Mariam ait, *Luc.* 1. 32. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.] Et paulò pòst: Nunquid autem regnum in domo Iacob, & in sede Dauid, intelligi potest, nisi in Ecclesia, & in eo populo qui est regnum eius. de quo etiam dicit Apostolus, 1. *Corinth.* 15. 24. Cum tradiderit regnum Deo & Patri, id est, cum perduxerit sanctos suos ad contemplationē Patris, &c.] Ecce Christi regnum tantummodo spirituale agnoscit Augustinus. Chrysostomus *hom.* 87. *in Matth.* Fatetur, *inquit*, se regem esse, sed cœlestem: quod alibi clarius ad eundem Pilatum respondens dicebat, *Ioh.* 18. Quia regnum meum non est de hoc mundo.] Item *homil.* 39. *in* 1. *Corinth.* 15. Regna Dei, *inquit*, Scriptura duo nouit, alterum adoptionis, & familiaritatis; alterum creationis: Omnium igitur Iudæorum, Ethnicorum, Dæmoniorum, & aduersariorum opificij, & creationis lege Rex est: fidelium vero, & eorum qui se ei committentium, subiectorumq; familiaritate & cura. Hoc regnum etiam principium habere dicitur: de hoc enim *Psalmo* 2. Postula, inquit, à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et Discipulis, *Matt.* 28. 18. Data, inquit, mihi omnis potestas à Patre est.] Hic Regia potestas temporalis nulla agnoscitur, aut commemoratur. Anshelmus *in* 1. *Cor.* 15. ita scribit: Nam secundum id quod verbum Dei est ipse (*Christus*) tam sine fine, quam sine vitio, & sine intermissione, regnum eius est, sicut & Patris. Secundum id autem, quod verbū caro factum est, cœpit regnare in credentibus per fidē incarnationis suæ.] Bernhard. *hom.* 4. *super Missus*, quod de stirpe, ait, Dauid duxerit originem Dominus Iesus, nemo dubitat. Quæro autē quomodo dederit ei Deus sedem Dauid Patris sui, cū ipse in Hierusalem non regnauerit: quinimo turbis eum volentibus constituere Regem, nō acquieuerit. Sed & ante faciem Pilati protestatus sit, *Regnum meum non est de hoc mundo*: Sed nouimus quandam aliā Hierusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnauerit Dauid, significatam, multo nobiliorem multo ditiorem.] Et pergit pluribus explicare, Regnum Christi totum esse spirituale, æternum, & cœleste. Quis autem audebit in hoc etiam regno dare Christo hominem successorem, vel Proregem?

LXI. Prolixus nimium fuerim, si omnes vellem proferre: tota enim antiquitas vno ore Christi solum spirituale, aut diuinum regnum extollit: & de temporali nemo prorsus vsque ad moderna tempora assensit. Cur verò Patres adeo solicite monent atque inculcant Christi regnum non esse temporale, sed spirituale? Ne erraremus cum Iudæis, & cum filiis Zebedæi, *Matth.* 20. Quod si putassent in Christo esse vtrumque regnum, & spirituale, & temporale, non tacuissent, sed explicassent. Nouum igitur hoc, & satis insulsum commentum est plusquam Iudaisantium Hiero-Monarchicorum, Christum, non vnico tantum, sed omnibus sceptris corruptibilibus onerantium; vt hinc suum mitratum simul sceptrigerumque in Ecclesia, imo orbe vniuerso Monarcham stabiliant. Sed iam videamus rationes quibus ipsi, præsertim Comitolus, Christum conantur Regem efficere temporalem.

LXII. Prima ratio est huiusmodi: *Christus secundum vtramque naturam, etiam humanam, erat verus, & naturalis Filius Dei: igitur Christo homini competebat potestas, & Dominium super omnes creaturas.*] Respondeo, nos non negare Christo homini supremum diuinum Dominium, propter personam: quia Christus, homo perfectus non est, nisi natura humana Christi sumatur coniuncta cum diuina Hypostasi: atque ita Christus, in quantum homo, necessario includit personam diuinam: iam verò nos illa dicimus propriè spectare ad Christum hominem, quæ posset habere etiam si esset purus homo: qui enim distinguit in Christo Deum, & hominem, nunquam hominem à Deo separatum poterit percipere, nisi puram & nudam sumat humanitatem: homo enim in Christo includit etiā diuinam personam verbi. Hanc vero diuinam potestatem, purus homo, nullo modo habere potest: & est merum somnium Comitoli, quo fingit Dominium quoddam medium inter proprie increatum, & pure creatum, ac proprie Christi. Hoc enim supremum dominium est mere diuinum: & alia ratione in Christo non fuit, nisi quia Christus, etiam vt homo,

includit, vel connotat personam diuinam. Addo, hanc supremam diuinam potestatem, & diuinum hoc supremum Dominium in creaturas, vere & proprie dici non posse, Dominium temporale; sed esse longe diuersum ab illo Dominio temporali, quod est in Regibus & Principibus huius mundi; atque illo longe excellentius, & eminentius: vt supra *num.* 60. Chrysostomus explicabat: dum fundamentum diuini Dominij super creaturas ponebat in ipsa rerum creatione: quod fundamentum terrena Dominia non habent: ideoq; limitata sunt, subordinata Deo, ad nutum diuinum, &c. At verò diuinum Dominium est primarium, absolutum, &c.

LXIII. Secunda ratio: *Christus, in quantum homo, præsidet omnibus Angelis, qui omnes eum adorant, eique parent: quanto magis natura inferiores?*] Respondeo, Christus non vt purus homo, sed vt homo Deus est caput in Ecclesia, tam triumphanti, quam militanti; & sane caput spirituale; & ratione diuinæ personæ merito adoratur etiam ipsa humanitas, quatenus in Verbo subsistit. Sed si excludas diuinam personam, iam Christus ratione naturæ humanæ præcise sumptæ; neque est caput, neque Dominus; neque adoratur, neque ei siue Angeli, siue homines, parere tenentur.

LXIV. Tertia ratio: *Principes omnes catholici, se Christi ministros, & in regimine temporali eius seruos, fateri tenentur: igitur Dominus ipsorum temporalis est ipse, etiam quatenus homo.*] Respondeo in termino illo, *homo*, respectu Christi, magnā latere æquiuocationem: quia vt toties dixi, Christus homo non est, nisi sumatur etiam diuina persona: atque ita Christus etiam quatenus homo, habet omnia diuina attributa propter diuinam personam inclusam, quam si excludas, Christus non est amplius Christus, neq; caput, neq; Dominus, &c. Principes itaque Catholici ministri sunt, & serui Christi hominis, propter personam Verbi, propter quam solam Christus homo habet Dominiū illud supremum diuinum in omnia mundi regna: quod tamen temporale non est, sed æternum durante mundo. Qui sane Principes, vt Principes, veram subiectionem temporalem nō habent, respectu humanitatis Christi, sed tantum quatenus substant Christo Deo, sub illo diuino Dominio supremo excellenti & eminenti, quo Deus potest dare, & auferre regna, fortunas, & vitam ipsam, vt vitæ & necis singulorum Dominus. Quatenus tamen fideles & catholici sunt, subiiciuntur omnes Christo, non in temporalibus, nisi quoad bonum vsum, in foro conscientiæ, sed in spiritualibus tantum; vt melius postea suo loco docebo.

LXV. Quarta ratio: *Omnes homines redempti sunt à Christo ipsius sanguine pretioso: quicquid ergo habent, Christi est, nam seruus nihil proprij possidet, sed totus est sui Domini*] Respondeo sicut Christus neminem redemit, quoad temporalia, sed tantum quoad spiritualia; ita neq; factus est Dominus hominum, nisi in spiritualibus: sed esto, factus sit Dominus post resurrectionem, nihil est ad rem: quærimus enim, quod dominiū Christus habuerit mortalis inter mortales: Imo factus sit noster, & omniū nostrarum rerū in redemptione Dominus, q̄ pie conceditur, & creditur, quis alius nisi Redemptor, potest sibi dominium hoc vendicare, aut in eo succedere? Proreges ipsius sunt Reges temporales.

LXVI. Quinta ratio, *Christus vt homo extremum peraget iudicium, sua potestate ordinaria: tanquam Princeps supremus omnium hominum iudicandorum.*] Respondeo, hinc nihil haberi de Christi dominio, dum esset mortalis. Et nunquid iudicabit de prædijs, de possessionibus, de hæreditatibus, de dominijs, & proprietatibus rerum, &c? totum iudicium erit de fide, charitate, & meritis, culpis, & peccatis, in ordine supernaturali; & ita Christus ostenditur esse Princeps spiritualis, non in ordine ad temporalia. Ad propterea illud symboli spectat: *Inde venturus est iudicare, viuos & mortuos.*

LXVII. Sexta ratio: *Sua humilitate meruit exaltationem supra totum mundum, vt fieret ipsius Dominus, & monarcha.*] Respondeo, id quoque ad Christum, dum mortalis esset, nihil pertinere. Habuerit post resurrectionem quicquid placet, nihil ad rem. Sed sane exaltatio humanæ naturæ in Christo, non est ad regnandum in temporalibus. Dominium verò illud diuinum eminentissimum, etiam supra temporalia, toties explicatum, huc nihil facit, etiam B. Virgo exaltata est super omnes homines in gloria, imo forte etiam super omnes Angelos, sed non propterea illa disponere potest de regnis Franciæ, Hispaniæ, &c. & illa Christi exaltatio fuit præmium insignis ipsius humilitatis, & obedientiæ, quam prærogatiuam quis prætendat?

LXVIII. Septima: *Humana Christi natura habuit quicquid potest in humanam naturam conferri à Deo. Ergo habuit Dominium in temporalia.*] Respondeo, vt suprà iam explicaui; natura humana in vno homine, secluso diuino supposito, incapax est Dominij & regiminis vniuersalis totius mundi: & humana in Christo natura habuit totum id, quod ei conferri poterat officio mediatorio accommodum, & in ordine ad mundi redemptionem: non aliud quod ad hoc nihil conferebat; & ita absolute negatur propositio. Non enim habuit diuitias, non prolem, non magnam familiam, & similia, quæ naturæ humanæ à Deo conferuntur; &, Deo benedicente sunt bona maximi momenti.

LXIX. Octaua: *Deus vnus est, inuisibilis, & autor, & gubernator totius creaturæ, ita par fuit vt haberet vnum visibilem totius creaturæ Rectorem.*] Respondeo, est argumentum topicum, vix probabile; imo certe prorsus improbabile. Nam vnus purus homo est incapax tantæ molis, nimirum regiminis temporalis totius mundi. Satis verò Deus prouidet, dum multos Reges, multos Principes, multas Respublicas ad hoc instituit: & regna diuisit, vt commode, secundum vires naturæ, quæ finitę sunt, & in vno homine imbecilles, totus mundus in humanis, humano more regi possit, & gubernari, vt declarauit infra *cap.* 10. *nu.* 88. Christus verò homo, cum diuino supposito, omnia habuit subiecta sub pedibus eius: & est caput supra omnem Ecclesiam, *Ephes.* 1. 22. Ecclesia vero non est regnum temporale, sed spirituale; vt norunt etiam nouitij in Theologia.

LXX. Nona: *Christus redemit mundum: est igitur ipsius Dominus, & Princeps absolutus.*] Hęc est eadem ratio quę quarta. Eadem etiam sit responsio.

LXXI. Decima: *Habitu fidei infuso, & educatione Christiana, coferimur omnes, imo rapimur ab infantia, vt Christum, siue in cunis, siue in cruce, siue resurgentem, siue ascendentem in cælum contemplemur, libenter adoremus, vt verum Dominum animæ nostræ, & corporis, ac rerum nostrarum omnium.*] Respondeo, Adoramus ex eo, quia fide instruimur, eum esse hominem quidem, sed hominem Deum: & totius Ecclesiæ caput. Cui vt Deo, ex iustitia subijcimus omnia nostra, etiam temporalia; ex amore verò, & charitate, etiam vt homini. Et si in terras rediret, nemo fidelis ei quicquam negaret: nunc tamen in cœlis bonorum nostrorum non indiget.

LXXII. Vndecima, *Orationes omnes Ecclesiæ terminantur; Per Dominum nostrum: & ora fidelium semper plena sunt, Christum esse Dominum nostrum; & Catechismus Romanus, multis titulis docet, Christum habere in nos Dominium.* Respondeo, Aut magna premitur vir hic inopia bonorum, & solidorum argumentorum; aut loquacitate abundat, dũ ex ipsis puerilibus instructionibus, sua depromit argumenta satis puerilia, & ea inaniter multiplicat. Quis enim negat Christo Dominium, siue supremum & vniuersale, vt est Deus, siue speciale ac spirituale, vt est Mediator.

LXXIII. Duodecima. *In nomine Iesu omne genu flectitur,* Phil. 2.10. *& fideles omnes se inclinant. Quæ adoratio, & inclinatio debetur Christo vt homini,* inquit, *ex Augustino* 2. cont. Maxim. Aria. c. 5. & l. 3. c. 2. *& ex Magistro Sentent.* 3. d. 18. *ac Bonauent.* in eum locum: *ac alijs Theologis.* Dixi ne vobis, hunc hominem esse farraginosum? qui sane nõ tam inspicit quid dicat, quam quot impleat paginas. Verba multiplicat, sed argumenta noua nulla promit. Christum hominem propter diuinam personam adorari par est; & quia noster Redemptor est, autorque nostræ salutis spiritualis, cur non eum omni prosequamur obsequio & reuerentia, qui in sua exaltatione accepit nomen quod est super omne nomen, quæ exaltatio est aliis prorsus incommunicabilis.

LXXIV. Tertiadecima. *Dominium vniuersale mundi triplici titulo ad Christũ ptinuit.* 1. Vnionis hypostaticę. 2. merito obedientiæ. 3. peractę redemptionis: *sed ipsum non exercuit, ad exemplum humilitatis; retinuit tamen in habitu, & actu primo.*] Respondeo, ex vnione hypostatica habet Dominium excellentiæ diuinitatis proprium: quod verò ex merito passionis & redemptionis post resurrectionem sit aliquid Christus secundum humanitatem consecutus, ad rem præsentem nihil facit. Adhuc tamẽ respondeo, nihil vlterius consecutum q̃ Dominium actuale spiritnale per conuersionẽ totius infidelium: & Dominium itẽ actuale super omnes creaturas, ratione adiunctæ diuinitatis, post humanitatis glorificationem. Nam ante resurrectionem, *Phil.* 2. 8. humiliauit semetipsum, formam serui accipiens: vtrumque enim Dominium ante passionem habuit, in habitu tamen, & actu primo; & post resurrectionẽ in effectu, & actu secundo. Dominium verò temporale Christi, sicut nunquam exiit ad actum secundum, neque est vnquam exiturum; ita non nisi vane & inepte ponitur in habitu & actu primo: Tota in hoc philosophia reclamante; & Theologia nihil prorsus in contrarium conferente. Redemptionis autem titulus nullum dat mundi Dominium. Redemptor enim redemptione fit, non mundi, sed redemptorum Dominus.

LXXV. Decima quarta. *Christus toti mundo fert leges, & per Apostolos promulgat ipsius mandata seruanda: & hoc [illegible] homo. Habuit ergo iurisdictionem in omnes homines, & ipsorum regna, ac Imperia.*] Respondeo primum, hæc à Christo præstari post resurrectionem. Deinde quod ad rem attinet, nullam hinc temporalem in temporalia, sed solam spiritualem in ordine ad spiritualia colligi potestatem: vt supra *nu.* 23. & leges fert vt caput mystici sui corporis, ex officio Mediatoris, alteri incommunicabili.

LXXVI. Decima quinta. *Si Christus vt homo nunc alicui Principi auferret regnum; vel, vt argumẽtatur Almaynus,* de potest. Eccl. & lai. q. 1. c. 8. *Si Christus homo, aliquid alicui sententialiter adiudicasset, alter certe debuisset parere. Ergo erat in ipso superioritas, & iurisdictio.*] Respondeo propterea Christum ista neque fecisse, neque facere, quia vt homo præcise ea non habuit in sua potestate. Si tamen fecisset, aut faceret, fecisset, & faceret vt Deus, siue vt homo Deus: nõ vt homo, & ideo tenerentur illi ei obedire. Et ex hac etiam ratione adiunctæ diuinæ personæ, potuit obligare homines, etiam ad mortale.

LXXVII. Decima sexta. *Ecclesia est proprium Christi regnum, cuius ipse caput est & Monarcha: Sed hoc regnum cõstat principatu spirituali, & terreno; ergo in vtrumque ius habet.*] Respondeo, quando syllogismi non suppetunt, sophistas libenter vti paralogismis. In Ecclesia si Reges sint fideles, vtraque reperitur potestas, sed per accidens, fateor: quia Rex fidelis, non vt Rex, sed vt fidelis, membrum est Ecclesiæ; potestas tamen temporalis vt temporalis, etiam existente Rege fideli, non est in Ecclesia, vt Ecclesia. Ecclesia enim vt Ecclesia, solùm includit spiritualitatem, & non temporalia, nisi illa habeant etiam adiunctam spiritualitatem, quod est ipsis per accidens, vt docui libro præcedente. Hoc tamẽ argumentũ melius explicabitur *infr. c.* 3.

LXXVIII. Decima septima. *Christus filius Dei, non potuit absque vlla ipsius culpa, qui nullum vnquam fecit peccatum* 1. Pet. 2. 22. *suo patrimonio Dominij in omnes creaturas spoliari.*] Respondeo, quicquid habuit Christus ex Dei filiatione, adhuc habet, & habebit in perpetuũ, etiam supremum diuinum Dominium super omnes creaturas: Sed hoc Dominium non est illud quod habent Reges temporales, neque eiusdem rationis, vt supra exposui.

LXXIX. Decima octaua. *Christus, vt Patris hæres, Dominium creaturarum debuit habere.*] Respondeo hanc esse iam tertiam, vel quartam repetitionem eiusdem per diuersa, ad ostentationem fœcunditatis ingenii in multiplicandis argumentis, siquidem statuerat vicenarium numerum implere. Et nemo negat Christo homini, propter diuinam personam, diuinum Dominium in creaturas: quod non est temporale.

LXXX. Decima nona. *Deipara Virgo vocatur Regina & Domina mundi ab Athanasio, Damasceno, Anselmo, ac alijs: potiori ergo iure Rex erit eius filius.*] Respondeo, Hoc esse vndequaque argumenta mendicare: Deipara sola quadam honoraria participatione, seu potius simplici denominatione, oratoriè, & valde impropriè, respectu filii qui Rex erat, & Dominus mundi spiritualis, vocatur Regina & Domina; & ob sublimitatem, & superexaltationem in gloria cœlesti: sic Angeli, & Archangeli dicuntur potestates, & principatus, absque vllo in regna terrena dominio, & absque potestate despotica; ad summum tutelam quandam, & subsidium præbentes, ex mandato Dei.

LXXXI. Vigesima ratio; *Tot Scripturæ & Doctores ac Theologi id sentientes de regno Christi temporali, rem omnino conuincunt.*] Deerat vigesimum argumentum, repetitiones iam etiam ipsi Comitolo putidę visæ sunt, consensus doctorum nouum excudit argumentum: sed nos & Scripturas, & Patres ei eripuimus omnes: Monarchicos modernos Theologos, ac multo magis inualidos Canonistas valere iussimus.

LXXXII. Quis ad extremum non mirabitur huius hominis conatus, dum seorsim contendit idem Comitolus potestatem hanc dominatiuam in Christo homine, ad actus interdum etiam exiisse? vt quãdo, *inquit*, Christus *Matt.* 2. 3. nouam stellam apparere fecit: Idololatriam Iudæorum extinxit *Zaccar.* 13. 2. Dæmones ab obsessis eiecit *Matt.* 8. 30. *Mar.* 1. *Luc.* 8. 13. Mari & ventis imperauit *Matt.* 8. 26. Dæmones porcos alienos vt perderent permisit *Luc.* 8. 32. Negociatores è templo eiecit *Matt.* 21. 12. Arborem fici arefecit *Matt.* 21. 19. Asinam ad se tanquam Dominum adduci iussit *Marc.* 11. 12. Equitans quasi triumpho Hieroso-

rosolymam innectus est *Matt.* 21. 7. Adulteram absoluit *Ioh.* 8. 11. Vno verbo, *ego sum*, tot hostes prostrauit, *Io.* 18. 6. Mandat Apostolis vt leges ipsius in toto mundo promulgent *Matth.* 28.] Sed & Bellarm. *cont. Barcl. c.* 24. aliquos ex his actibus, exercitiū potestatis temporalis in Christo fuisse, intellexit. Ego vero breuiter respondeo: Stella noua, signum, seu vexillū fuit illius manu exertū, qui fecit cœlū & terrā. Idololatriæ extinctio nihil spectat ad regimen tēporale; Dæmones inter bona, imo mala tēporalia, non recensentur, sunt n. spiritualia nequitiæ in cœlestib. *Eph.* 6. 12. eos Christos eiecit potestate plusquā temporali. Cur nō adiicit Comitolus noster, Curauit Christus omnigenos morbos, ergo Ecclesia habet potestatē in Medicos: Mari & ventis, vt Deus, imperat: porcorū perditionē permisit, non iussit, & si iussit, iussit vt Deus, aut saltē vt homo Deus: Purgando templū, Prophetā se esse extraordinariū ostendit, & zelo plenū: q etiam discipuli agnouerunt. Igneum n. quiddam, *ait Hieron. in Matt. c.* 21. atq; sydereum radiabat ex oculis eius; & diuinitatis maiestas lucebat in facie.] Arborem vt Deus arefecit; Asinæ Dominum vt eam non negaret, nec impediret, tanquā Deus, interne disposuit: Triumphus Hierosolymitanus mysticus fuit, & Prophetalis, imò Regius, sed Regis spiritualis, non temporalis; nam neq; quo diuerteret habuit. Adulterā sine actu iudiciario absoluit, vt Propheta; & à peccato potius spiritualiter, quā à supplicio tēporaliter; & ab hoc non nisi negatiue: Neq; ego te condemno, & ad eū non fuit adducta vt ad iudicē forensem, sed vt ad Doctorē & legis interpretē; vt quando de censu Cæsaris fuit interrogatus. Prostrauit illos, virtute diuina. Mādat per totum mundum tanquam Ecclesiæ per Mundum disseminandæ Rex spiritualis, prædicari Euangelium, q totum continet leges spirituales. Christus igitur neq; habitu, neq; actu, fuit in terris Rex & Dominus temporalis. Neq; n. Verbum caro factum est, *Io.* 1. 14. vt tēporalia regeret; sed à Patre datus est filius mundo, *Io.* 3. 15. Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: ideo venit non ministrari sed ministrare; & dare animam suam in redemptionem pro multis *Matth.* 20. 28.

LXXXIII. Sic igitur constat, Christum potestatem ordinariam iurisdictionalē in temporalia non habuisse, quatenus præcise homo erat; & consequēter neque eam potuit aliis hominib. cōmittere. Aut si quā habuit, illa vel erat Christi vt Dei, vel vt hominis simul Dei, & consequenter puro homini erat incōmunicabilis. Nulla ergo ratione Ecclesia, quæ puris hominibus, sub Christo capite constat, hanc potestatem in temporalia potuit habere. Quicquid o. habet, à Christo, & per Christum habet. Imo tametsi Christus etiā præcise vt homo, habuisset verā, & propriam, ac plenissimam in temporalia potestatem, adhuc tamen eā Ecclesia non posset prætendere, nisi expresse constaret Christum eam suæ Ecclesiæ concessisse: non enim quærimus quid fieri potuit, aut ex opinione nostra debuit, sed quid factum sit. Christum vero facto ipso temporalem potestatem Ecclesiæ nullam penitus concessisse, iam constat ex libris meis præcedentibus; constabit in hoc expressius, & sequentibus capitibus fusè explicabitur.

CAPVT II.

Potestatem laicam Regum ac Principum, a Deo esse immediate.

SVMMA CAPITIS.

Necessarium esse inter homines regimen ius naturæ docet, nu. 1. 2. 3. *Et Chrysostomus confirmat, ac explicat*, nu. 4.
Potestatem Regiam esse à Deo Paulus docet, nu. 5. *Christus in potestate Pilati idem innuit*, num. 6. *Idem colligitur ex mutatione Reipub. Hebræorum in Regnum*, numer. 7. 8. *Idem probatur ex summa potestate, quam Patres tribuunt Regibus*, à num. 9. *ad* 16. *Idem explicatur ex quibusdam Conciliis* num. 17. *Ex Gregorio Turonensi*, num. 18.
Rationibus res distinguitur, & corroboratur, num. 19. 20. 21.
Doctorum Parisiensium doctrina in hoc expenditur, à num. 22. *ad* nu. 25.
Bellarmini distinctio oppugnatur, nu. 26. 27.
Argumentum contrarium ex facto resoluitur, nu. 28. 29.
Almayni dictum contrarium impugnatur, nu. 30.
Argumentum ex ratione libertatis tractatur, & soluitur, nu. 31. 32.
Electiones quoque personarum in Reges, Deo immediate multa tribuuntur, nu. 33. 34.
Obiectio ex Iustiniano, & Iurisconsultis soluitur, nu. 35.
Magnum incommodum ex contraria sententia deducitur, nu. 36. 37.
Obiectio ex Bellarmino ponitur, & resoluitur, numero 38. 39. 40.

I. TEmporalem Principum terrenorum Potestatem quatenus ad res & personas quoq; Ecclesiasticas, & ad negotia spiritualia se possit extendere, & quatenus etiam Ecclesiastica potestas ad temporalia vice versa possit suas vires exercere, sumpsimus considerandas. Et quia vim ipsam potestatis laicæ per sua propria principia explicare oportebit quā Pontificii libenter deprimunt, vt tāto altius Papatum extollant, hic mihi hoc secundo capite ante omnia erit quasi fundamentum reliquis huius libri tractatibus substernendum, quo radicem, & originem ipsam secularis potestatis inueniam, & stabiliam. Posito itaq; præcedenti Capite suo Ecclesiasticæ potestati fundamento, nunc laicæ potestati suum est similiter assignandum. Ac sane si in hac quæstione tractanda, nulla suppeterent nobis ex sacra Theologia adiumenta; nullasque haberemus sancti diuini Spiritus assertiones, nulla Christi Domini documēta; nullas Sanctorum Patrū explicationes; vel ipsa sola recta ratio, ac sana Philosophia satis esset propemodū, nostræ propositioni stabiliendæ. Si n. natura humana ipsa ex se illud requirit ipsomet iure naturali, vt societas humana aliquo duce, & rectore gubernetur; quis adeo mentis inops erit, qui non statim fateatur, Reges & Principes in humana societate dominantes, naturæ ipsius interna dispositione institui, & ordinari? Quæ verò firma, & constanti naturæ propensione fiunt, ea ad ipsum naturæ autorem referri quis ignorat? Et quæcunque ratio naturalis, in creatura rationali dictat, ea ius sunt, & dicuntur, naturæ: ius verò naturæ, ius esse diuinum, quicunque ratione, & fide pollet, & scit, admittit. Atque in hac ipsa causa, id fatetur Bellarminus *de Laic. c.* 6.

II. Homines porrò si solitarii viuerent, neque in societates coirent, nullam ciuitatem facerent, nullam Rempublicam; & ita neque Duce, neq; Rectore indigerent. Quoniam tamen homo naturaliter est animal sociale, ac ciuile, *Aristot.* 1. *polit. cap.* 2. & ciuitates sunt effectus naturalis: Omnis ciuitas, *inquit Aristoteles*, est natura.] Hoc est, ciuitates, natura ipsa sic impellente, constituuntur. Qui verò homo ciuilis non est, sed solitarius, is profectò, ex eodem Aristotele, extra naturam humanam est collocandus; vt potius

tius, vel supra eam Deus sit, vel bestia infra illam, quam homo: ideirco natura ipsa humana quæ naturaliter ciuilis est, Rectoribus indiget, & gubernatoribus; & eos suo iure postulat, & requirit. Societas enim humana & ciuilis, quæ sine gubernatore est, consistere nullo modo potest: vt est per se manifestissimum. Nam & bruta animalia quæ turmatim viuunt solius naturæ instinctu habent supra se imperium: vt apes, grues, & similia.

III. Nonne idem Aristoteles *ibidem*, inter homines, alios natura ipsa seruos esse, alios verò natura Dominos cognoscit, & probat, ac confirmat? Docetq; sapientem stulto, natura ipsa, debere dominari: & hunc esse seruum natura, illum verò natura dominum, asseuerat. Quotumcunque, *inquit*, est opus, in corporis vsu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui, quibus melius est vt imperetur.] Si ergo inter homines sunt qui natura ipsa aliorum indigent directione, profectò etiam natura ipsa requirit, vt adsint qui eos dirigant, & eis debeant imperare. Opus itaque diuinum est, vt in ciuili hominum societate, quæ sine regimine esse non potest, adsit qui imperet. Quod verò natura dictante facimus, hoc Deo ipso dictante facimus: Merito ergo Philo sapiens, sic Regem alloquitur. [*Melissa Ant. Monachi serm. 1. Biblio. SS. PP. tom. 5.*] Rex iustissime, cùm missus sis à natura ad supremam puppis partem occupandam, cumque gubernacula teneas, guberna communem hominum scapham fœliciter, cum salute omnium.] Et Augustinus *l. 3 confes. c. 8.* Generale, *inquit*, pactum est societatis humanæ, obedire Regibus suis.] Hoc generale pactum intelligit, ius gentium: hoc est, ius humanæ naturæ proprium. Pactum nimirum quod natura ipsa humana tota, & vniuersalis, contrahit: atque hoc necessarium, non liberum. Sed agamus etiam Theologicè, si tamè prius, quanta sit necessitas, vt in Mundo sint Principes temporales, cum Chrysostomo ostendamus. Ait enim, *ad populum Antiochiæ homilia sexta*, ita:

IV. Quoniam igitur, & vos terruerunt Principes, & anxios reddiderunt; Ecclesia cõmunis omnium mater nostra sinus aperiens, & supinis suscipiens manibus, quotidie cõsolatur dicens; quod vtilis est & Principum metus, & quod vtilis etiam hinc correctio. Illorum enim metus nõ sinit nos corpore dissolui: huius autem consolatio, sub tristitia succumbere non permittit: & per vtraq; Deus salutem nostram disponit. Et Principes enim ipse armauit, vt lasciuiẽtes terreant, & Sacerdotes ipse elegit, vt dolentes consolentur. Et hæc vtriq; scripturarum exempla, & ipsa rerum experientia docet. Si n. cum sint Principes, & milites in armis viuant, furor paucorum hominum, promiscuorum, & aduenarum, in breui temporis momentaneum nobis incendium inflammauit, & tamen extremam procellam, & de naufragio cunctos metuere compulit; si Principum metus omnino sublatus fuisset, ad quid furoris isti non venissent? Nonne à fundamentis hãc nobis vrbem euertissent, & omnes confundentes, ipsas demum animas nostras abstulissent. Si enim iudicialia sustuleris tribunalia, omnem nostræ ordinem sustulisti. Et sicut si gubernatorem à naui separaueris, scapham submersisti: & si Ducem ab exercitu abducas, vinctos hostibus tradidisti milites; ita si Principes de ciuitatibus abstuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam; inter nos mordentes, & nos deuorantes; pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior. —— Quod enim in domibus faciunt lignorum contignationes, hoc Principes in ciuitatibus: & sicuti si illas sustuleris, dissoluti parietes per se se corruunt, sic & si ex mundo Principes tollas, & horum metum, & domus, & ciuitates, & gentes, cum multa inter se licentia, corruent, nemine existente qui contineat, & repellat, & pœnæ timore, eos quiescere persuadeat.] Et alibi idẽ *Chrys. serm. de Principatu. tom. 6. & citatur ab Anastasio Nican. in scriptur. q. 15.* Sapientiæ diuinæ opus est, *inquit*, quod Principes, & Magistratus sint: atque alii imperent, alii vero seruiant: & quod non temere, ac fortuito omnia ferãtur, populis huc illuc agitatis, more fluctuũm.] Optime vero, in hoc genere Irenæus iam disseruerat. Sed inferius *num. 11.* opportunius producetur.

V. Sed dicat Paulus diuino illustratus lumine, clarè, & explicatè, quod ratio, & lumen naturale obscurius significarunt: exponat ille nobis, quæ sit illa natura, quæ hominem ciuilem esse voluit, & ciuitates instituit, iussitq; aliquos imperare, alios parere. Non est, *inquit*, *Rom. 13. 1.* potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.] Potestas igitur non est, si Paulo credimus, nisi à Deo: quasi dicat, Vbicunq; hominem videris, cum potestate rectiua, & gubernatiua, illum scias à Deo, & non ab alio suam accepisse potestatem. Sed hoc non fuit satis Paulo proloqui, adhuc explicatius voluit suam sententiam aperire: Quæcunq;, *inquit*, adsunt potestates, illæ sunt à Deo ordinatæ. (Hæc n. est vera lectio, non illa quæ dicit: quæ n. à Deo sunt, ordinata sunt.) Ac vt omnis tolleretur cauillus, addit: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Certè Pauli hæc verba asserunt, humanas potestates, esse immediatè à Deo: Sunt à Deo, inquit, & Dei ordinatione sunt institutæ: Non ergo eas alius instituit, non alius ordinauit, nisi Deus per se ipsum: iuxta illud Sapientis, *Sap. 6. 4.* Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finiũ terræ, præbete aures —— quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis.] Deus igitur instituit Reges, & Præsides, qui ipsius nomine humanas, humano modo regant societates. Idẽ quoque Deus qui autor est totius creaturæ, autor etiam est ordinis necessarii in creatura: Ordo verò necessarius erat inter homines, quos natura voluit esse ciuiles, vt essent qui imperarent ipsius nomine: & multitudo eis pareret, vt optime monet Augustinus, seu quis alius: *serm. 5. ad frat. de here.* Nam natura, *inquit*, omnes æquales genuit: sed inæqualitas quæ accessit ex vitio, est ordinata ex Dei iudicio, vnde nos oportet obedire hominibus.] Et verius Augustinus ait *cont. Faust. l. 22. c. 78.* Æterna lege iuberi, vt ordo naturalis conseruetur.] Æterna ergo lege, non humana, Principes dominantur: quia ita ordo naturalis deposcit, & ita æterna sapientia disposuit. Et Anselmus *in 1. Cor. c. 15.* Omnibus, *inquit*, notum sit nullum Principum, nullamque potestatum, & virtutum, siue cœlestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid principatus, vel potestatis, aut virtutis; sed ab illo, à quo sunt omnia, non solum vt sint, sed etiam vt ordinata sint.] Et cum idem Paulus subdat *Rom. 13. 4.* Potestatem esse Dei ministrum; adhuc melius explicat ipsum immediatè à Deo habere officiũ, & munus, quod exercet loco Dei, vt proximus, non multitudinis, sed Dei minister.

VI. Quinimo Christus ipse potestatẽ Præsidis Pilati in Iudæam, aperte fassus est, aut saltem supposuit esse à Deo *Io. 19. 11.* *Non haberes*, inquit, *potestatem aduersum me vllam, nisi tibi data esset desuper.*] Protectò immediate concessa Tiberio, cuius loco Pilatus regebat Iudæam: imo fortasse nec à Tiberio quidem, sed à

Deo

Deo immediate, qui non modo Regi, sed etiam Magistratibus à Rege positis immediate tradit potestatem. Ostendimus verò cum Augustino, Bernardo, & Thoma, cap. primo præcedenti, *nu.* 53. 54. 55. hunc locum idem continere, quod continent verba prędicta Pauli; nempe non esse potestatem nisi à Deo. Nam quamuis, absolutè loquendo, potestas illa fuerit diuina permissio, quia Christus ratione personæ, non suberat Pilato; nihilominus tamen ostendi, ex iusta & legitima præsumptione, Christum fuisse Pilato subditum; voluisseque vt Pilatus ordinariam suam potestatem, quam à Deo vt Iudex terrenus legitimus habebat, in ipsum etiam exerceret; vt est à me iam expositum.

VII. Sed multò prius, Deus ipse & verbis, & factis, apertè ostendit, Reges huius mundi, ab ipso esse institutos, quoad potestatem: & non ab hominibus, vbi legitimi sunt Reges, cum legitima potestate dominantes. Deus sane ipse immediate, se ipso, fuit Rex, etiam in temporalibus totius populi Iudaici: qui tamen suis ministris hominibus vteretur, in illius populi regimine; vt Moyse, Samuele, & aliis: Ipse tamen Deus leges ferebat, iudicia formabat, ministros instruebat, & modum totius regiminis minutissime præscribebat, vti verus & specialis proprijssimus ac immediatus Rex etiam in temporalibus. Et quando populus voluit proprium Regem habere, abiecto Samuelis imperio, dixit Deus 1. *Reg.* 8. 6. *Non enim abiecerunt te, sed me, ne regnem super eos.*] Et Samuel increpabat eos dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Israel*, 1. Reg. 10. 18. *Ego eduxi Israel de Ægypto, vos autem proiecistis Deum vestrum, & dixistis: Regem constitue super nos.*] Item 1. *Reg.* 12. 12. *Videntes autem quod Naas Rex filius Amon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.*] Hic proculdubio sermo non est de proiectione Dei, quoad fidem, & dominium generale diuinum, quia petierunt duntaxat Regem temporalem, & Deus condescendit ipsorum petitioni; nunquam autem condescendisset, vt sibi tanquam Deo rebellarent: & dato eis Rege, diuinam protectionem non subtraxit. Igitur proiecerunt Deum in eo tantum, ne ipse immediate amplius eos regeret in temporalibus; sed hominem substitueret, qui plena id faceret, loco ipsius, autoritate. Saul itaque primus illius populi Rex, plenam & legitimam habuit Regiam potestatem, in temporalibus; non aliunde, quam ab ipso Deo, cui proxime & immediate successit in regimine temporali. Vnde & ab ipso Deo ius ei regium, & successoribus confirmatum esse non improbabiliter videtur, & potestas data, ac explicata 1. Reg 8. 6. *Contestare eos, & prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos, &c. Hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, &c.*] Iura Regis, hoc est potestatem legitimam, non tyrannicam nec violentam; sed quæ Dei confirmatione Regem deceret, hic videtur prædicere & explicare diuina iussione Samuel: Nisi verbum illud, *Ius*, in fonte aliud sonet.

VIII. Quemadmodum igitur Deus, peculiari, insignique priuilegio, voluit ipsemet immediate Regiam specialem potestatem exercere in populo Israel, ab ipsius ex Ægypto eductione vsque ad Samuelem; ita cum primum consensit populo eidem, vt hominem aliquem, de more aliarum nationum, Regem haberet, Regiam sanè potestatem non transtulit in ipsum populum, seu communitatem; sed in Saulem, quem immediate, loco sui, voluit esse Regem: solam nescio quam electionis speciem, populo reliquit 1. *Reg.* 10. 20. vbi Samuel cōgregato populo in Maspha, per tribus & familias, sortito fecit ad Saulem vsque, electionem peruenire. Quare & postea dixit populo Samuel, *ib.* 12. 13. *Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis.*] Vera tamen traditio Regiæ potestatis Sauli fuit, vt puto, quando iussu Dei, Samuel tulit lenticulam olei, & effudit super caput eius; & dixit ei: *Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in Principem*, Ibid. 10. 10.] Quod si ipse Deus in naturæ humanæ institutione, potestates has populi rectiuas cōmunitati tradidisset, vt nostri volunt scholastici; certe in hac mutatione, vbi iam statuerat Deus regimen illud speciale deponere, ad naturalem statum illum populum statim reduxisset; mandassetque vt ipse sibi Regem statueret quem vellet. Cùm vero solam personæ approbationem populo dimiserit, potestatem tamen ipse immediate Sauli tradiderit, indicat se esse illum, qui omnibus Regibus immediate dat suā potestatem; licet populis interdum relinquat personæ electionem. Atque hinc est, vt inferius apparebit, quod supremi Principes, Dei in terris Vicarij sæpius nuncupentur; quia nimirum Deus immediate per illos humanas in temporalibus regit & gubernat societates.

IX. Ac profecto nisi Principes terreni immediate à Deo suam acciperent potestatem, non illos venerandæ Antiquitatis Patres Christianorum soli Deo immediate in terris subiecissent: ita vt nemo penitus sit in terris, qui supra illos sit collocandus; in eo videlicet, quod Principes terreni sunt. Si vero potestas Regia à Deo prius & immediate populo tribueretur, populus vero eam Regi communicaret, procul dubio ipse populus, seu communitas, esset Rege in terris potior, & superior; & ita non Deo immediate, sed prius populo Rex subderetur, quod non negant scholastici, dum plures asserunt Regem non esse suo Regno congregato superiorem, de quo infra. Soli vero Deo immediate Regem subdi, & non vlli alij in terris pronunciant Patres apertissime.

X. Tertullianus, de Imperatore Gentili adhuc, & Christianorum persecutore, ita scribit ad Scapulam: *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit, tandiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic quo modo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem, hoc & ipse volet, sic enim omnibus maior est, dū solo vero Deo minor est.*] Explicat annotatio Feuardentij solo Deo minorem cuius est, *inquit*, Vicarius in temporalibus.] Nos vero obseruemus in Tertulliano, Imperatorem à Deo constitui; non dicit esse constitutum: vt indicet se de Imperatore particulari loqui, non de imperio in genere. & Imperatorem aitque, quicquid est, id à Deo esse consecutum; non ergo à communitate, non à populis: Et solo Deo minorem esse, non ergo minor est vllo Pontifice terreno. Et Optatus l. 3. cont. Parm. *Super Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.*] Respondet Bellarminus *cont. Barcl. c.* 8. tunc Imperatores erant ethnici, & nondum Christo & Ecclesiæ sua scepta subiecerant.] Lex tamen Christi neminem suo priuat iure, neque Imperator Gentilis, si cōuertatur ad fidem, subiicit vlli suam potestatem Imperialem; licet vsum dictæ potestatis, & omnes suas actiones morales, in quantum peccatum, & vitam æternam concernunt, Ecclesiasticæ in foro sacro solo, subdat potestati, Sacramenta, & claues tractanti. Alibi etiam Tertullian. *in Apolog. aduers. Gent. c.* 30. ita loquitur: Nos enim pro salute Imperatorum Deū vocamus æternum, Deum

verum, & Deum viuum; quem & ipsi Imperatores propitium sibi propter cæteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium; sciunt, qui homines, qui & animas: sentiunt eum Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi ante omnes ---- Inde est Imperator, vnde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, vnde & spiritus ---- *Ibid. cap. 32.* Nos iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui Gentibus illos præficit, id in eis scimus esse quod Deus voluit.] An non à Deo immediate potestatem habere terrenos Reges hæc verba explicant apertissime, dum dicunt, Imperatores a Deo constitui, à Deo præfici, & inde eos habere potestatem vnde habent spiritum, & eundem dare singulis Imperatoribus Imperium, qui & homines, & animas dat in terris? An solo Deo minores essent, si vel à populo haberent suam potestatem, vel a P[illegible]ntificibus possent Regnis spoliari? Sane etiam Chrysostomus *hom. 2. ad pop. Antioch. Imperator*, inquit, *læsus est, qui non habet parem vllum super terram: summitas & caput omnium super terram hominum.*] At vero si populus daret Imperatori potestatem, populus aut maior, aut par esset Regi. Ignatius quoq; *ad Smyrn. Honorare oportet*, inquit, *& Regem, nec enim Deo quisquam instantior est, aut similis ei in rebus omnibus creatis: nec Episcopo qui Deo consecratus est, pro totius mundi salute, quicquam maius in Ecclesia; nec inter Principes quisquam similis Regi; pacē & æquitatem subditis procurans.*] Regem facit similem Deo, quia Diuinam exercet, vt Vicarius Dei, in homines in rebus temporalibus potestatem.

XI. Grauissime omniū, & explicatissime Iren. *l. 1 adu. hæres.* ab Apostolorū discipulis, & Auditorib. instructus, & eruditus, hac de re disserit, & ait: *Non n. Diabolus determinauit huius sæculi Regna, sed Deus.* Prou. 21. 1. *Regis n. cor in manu Dei.* Et per Salom. *Prou. 8. 5.* ait verbum: *Per me Reges regnant, & Potestates tenent iustitiā, per me Principes exaltantur, & tyranni terra.* Et Paulus Apostolus hoc ipsum ait: *Omnibus potestatib. sublimiorib. subiecti estote; non est n. potestas, nisi à Deo:* Quæ autem sunt, à Deo dispositæ sunt. Et iterū de ipsis ait: *Non n. sine causa gladiū portat; Dei n. minister est, vindex in iram ei qui male operatur.* Quoniā autem hæc non de Angelicis potestatib. nec de inuisibilib. Principibus dixit, quomodo quidā audent exponere; sed de ijs quæ sunt, secundū homines, potestates, ait: *Rom. 13. 6. Propter hoc n. & tributa præstatis; ministri n. Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Hoc autē & Dñs confirmauit, nō faciens quidem quod a Diabolo suadebatur: tributorū autē exactorib. iubēs, pro se, & pro Petro dare tributū; *Matth. 17. 26.* quoniā ministri Dei sunt in hoc ipsum deseruientes. Quoniā [illegible] ſtens a Deo homo, in tantū efferauit, vt etiam [illegible] sanguineū hostem putaret, & in omni inquietu[illegible] & homicidio, & auaritia, sine timore versaretur, [illegible] illi Deus humanū timorem. Non n. cognoscentes timorē Domini, vt potestati hominū subiecti, & le[illegible]um astricti aliquid assequantur iustitiæ, & m[illegible] ad inuicē, manifesto positū gladium timentes, sicut Apostolus ait; Non n. sine causa gladiū portat. Dei n. minister est, vindex in irā ei, q male operatur. ---- Ad vtilitatē ergo Gentiliū terrenū Regnū po[illegible]ū est a Deo, sed nō a Diabolo, qui nunquam o[illegible]no quietus est, imò qui nec ipsas quidē gētes vult in tranquillo agere, vt timentes Regnū humanū, non se alterutrū homines, ad instar pisciū, consumant, sed per le[illegible]ū positiones, repercutiant multiplicē Gentiliū iniu[illegible]ā. Et secundum hoc Dei ministri sunt, qui tributa exigunt a nobis, in hoc ipsum seruientes: Quæ sunt potestates a Deo ordinatæ sunt. Manifestum est, quoniam mentitus Diabolus dicens *Luc. 4. 6. Mihi tradita sunt, & cui volo do ea.* Cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu & Reges constituuntur.] Hucusque Irenæus.

XII. Si ego solus ad probandum, huius mundi Regna ab ipso Deo immediate institui, protulissem illa Scripturæ loca, quæ prius protulit Irenæus, protulerunt & alij Patres, vt statim videbimus: nimirum *Regis cor in manu Dei: Per me Reges regnant: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est potestas nisi à Deo: Quæ sunt, à Deo ordinata sunt, &c.* statim contradictores haberem nostros Principum depressores, in alios sensus violenter illa flectentes, *Bellar. cont. Barcl. cap. 18.* quæ tamen Principum potestati immediate inseruire patebit ex sequentibus. Irenæo addamus Didymum Alexandrinum *in ep. Pet. c. 2.* His, *inquit*, ordinationibus, ab eo quod bonorum est causa constitutis; ipse enim constituit, & destruxit Reges; cuius sapientia dixit: *Per me Reges regnant, &c.*] Neque vlli horum venit vnquam in mentem per populum, & Communitates, Deum, regnandi potestatem, Regibus tribuere.

XIII. Hosius Cordubensis ad Constantium Imperatorem ista scribit, *apud Atha. ep. ad solit. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.*] Chrysostomus, *in 1. Tim hom. 6.* Deus, *inquit*, pro vtilitate communi, huiusmodi Principatus instituit.] Et semper supponit se non tantum in genere loqui, sed etiam in ipsis Principum indiuiduis. Ambrosius *in epist. ad Rom. c. 13.* Sciant, *inquit*, non se esse liberos, sed sub potestate degere; quæ ex Deo est. Principi enim suo, qui vicem Dei agit, sicut Deo subiiciuntur.] Principes similiter, Dei Vicarii, passim in Ecclesia Christi, fuerunt agniti, & vocati. Anastasius sane Romanus Pōtifex 2. *ep. vn.* Anastasium Romanum Imperatorem, sic alloquitur, Pectus clementiæ vestræ, sacrarium est publicæ felicitatis; vt per instantiam vestram, quā velut Vicariam Deus præsidere iussit in terris, &c.] Ideoque Aquinas *inf. cap. 5. nu. 2.* & Nicolaus de Lyra *in Sapient. 6.* meritò Imperatores, & Reges apertè Vicarios Dei esse asserunt. Vicarius autem ab eo immediate accipit potestatem, cuius vices gerit.

XIV. Augustinus potestatem à Deo immediate Regibus dari, non semel asseruit *de ciuit. Dei, l. 4. c. 33.* Deus ille felicitatis autor, *inquit*, quia solus verus est Deus, ipse dat regna terrena, & bonis, & malis. Neq; hoc temere, & quasi fortuito, quia Deus est, non fortuna, sed pro rerum ordine, ac tempore, occulto nobis, notissimo sibi.] Item *ibid. l. 5. cap. 21.* Non tribuamus, *inquit*, dandi regni, atque imperii potestatem, nisi Deo vero. ---- Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit: qui dedit Assyriis, vel etiam Persis. ---- Qui Mario, ipse Cajo Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suauissimis Imperatoribus; ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Cōstantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano. ---- Hæc planè Deus vnus, & verus regit, & gubernat, vt placet.] Monarchiæ mundi à Deo datæ sunt, vt audis, Assyriis, Persis, & Romanis: & sanè non mediantib. populis, vel communitatib. quæ plurimę vel inuitę, subactę sunt: ergo à Deo immediatè, & Assyrii, & Persæ, & Romani Imperiū in remotissimas etiam Nationes, habuerunt. Neq; solam Regiā potestatē in vniuersum, Deus ipse instituit in mundo; sed particularium etiam, si credis Augustino, personarum, qui regant mundum, electionem occultam, & deputationem in ipsum Deum immediate vides esse referendam:

per quas, quasi per Vicarios suos, regat ipse, & gubernet Mundum in temporalibus. Vnde & illa Augustini eiusdem verba, *tract. 6. in Ioan.* Iure ergo humano, iure Imperatorio (*Hæc villa mea est*) quare? quia ipsa iura humana, per Imperatores, & Reges sæculi, Deus distribuit generi humano.] Videsne Reges sæculi, esse proximos & immediatos Dei ministros, & Vicarios, per quos ipse Deus legibus regit, & moderatur mundum? Et ad Macedonium idem Augustin. *ep. 54.* ita scribit. Nam hominum iniquitatem etiam Apostolus Paulus, non tantum de iudicio futuro, verum etiam de vestris sæcularibus potestatibus terruit, asserens & ipsas ad dispensationem diuinæ prouidentiæ pertinere: Omnis, inquit, anima potestatibus subdita sit.] Dum ergo Paulus illa intimat, explicat Augustinus id Paulũ assumere, quod ex diuina prouidentia dispositum erat, vt Reges nimirum potestatem, contra iniquitatem exercerent. Cyrillus Alexandrinus *l. 12. in Io. c. 15.* Et homines quidem, *inquit*, à Deo accipiunt, vt aliis possint dominari: Per eum enim Reges regnant, & terræ Tyranni dominantur, vt scribitur *Prou. 8. 15.*] Et Bernardus de Sacerdotio & Imperio loquens ait *ep. 243.* Non enim vtriusque institutor Deus in destructionem ea coniunxit, sed in ædificationem.] At certè in communitate ista coniuncta non sunt, sed in ipsis personis.

XV. Sed & Romani Pontifices prisci, nec pauci, eandem sæpius sunt confessi veritatem: Liberius Constantium his verbis alloquitur *apud Athan. epist ad solitar. Ne pugnes contra eum, qui tibi hoc Imperium dedit.*] Innocentius primus super illis consultus, qui post baptismum iudicia criminalia exercuerunt, & capitales etiam sententias protulerunt, De his, *inquit*, 23. q. 4. c. *Quæsitum*, nihil legimus à maioribus definitum: Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei esse ministrum.] Ioannes Papa & ipse sic loquitur *Dist. 95. c. Si Imperator.* Habet Imperator priuilegia suæ potestatis: quæ administrandis legibus publicis diuinitus consequutus est.] Et Symmachus ad Anastasium Imperatorem, *in Apolog.* Memento, *inquit*, te hominem, vt possis vti concessa tibi diuinitus potestate.] Et postmodum concludit: Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te.] Hoc est, sicut tu deferendo nobis in rebus fidei, & spiritus, immediate ipsi Deo defers, à quo nos nostram habemus spiritualem potestatem: ita nos deferendo tibi in rebus temporalibus, Deo ipsi deferimus, quia à Deo pariter te habere immediate tuam potestatem, nouimus & fatemur. Ad eundem vero Anastasium Sabas quoque *apud Cyrill. in vita S. Sabæ* ita scripsit; Dominus noster Iesus Christus, omnium Rex æternus, & Deus, excelsi post illũ regni sceptra piæ vestræ potestati, sua benignitate tradidit.] Et ad eundem Gelasius, *epist. 10.* Si n. quantum ad ordinem pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi, superna dispositione, collatum, legibus tuis ipsi quoq; parent religionis Antistites, &c.]

XVI. Gregorius Magnus, vehementer in Imperatorem commotus, quod videretur ei simoniaca labe Ecclesiam Romanam vastare; negare non potuit, ipsum à Deo suam accepisse Imperialẽ potestatẽ: ait enim: *in Ps. 5. pænit.* Quanto melius foret sibi Dominã suam agnoscere; eiq; religiosorum Principũ exemplo deuotionis obsequium exhibere: nec contra Deum, fastum extendere dominationis, à quo suæ Dominiũ accepit potestatis. Ipse est n. qui ait; Per me Reges regnant.] Et rursus idem, *l. 2. ind. 11. ep. 61.* Ad hoc n. ait, potestas super omnes homines Dominorũ meorum pietati cœlitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur.] Item *l. 4. ind. 13. ep. 32.* Piissimus, atq; à Deo constitutus Dominus noster, &c.] Papa Imperatorem Dominum nostrum vocat. Item, *Idem ib. ep. 34.* Vestra itaque pietas, quam omnipotens Deus, cum serenissimo Domino vniuerso mundo præesse constituit, illi per fauorem iustitiæ famulatum suũ reddat à quo ius tantæ potestatis accepit: vt quanto verius in executione veritatis, Auctori omnium seruit, tãto securius commisso sibi mundo dominetur.] Gregorius alter, epistolis fere omnib. suis, tẽpus, illis verbis adscribit: imperante Domino piissimo Augusto Leone à Deo coronato, magno Imperatore. Ita Zachar. Adrianus, & alii Stephanus vero sextus, ad Basiliũ Imperatorem ita scribit, *apud Barr. to. 10. ann. 885 n. 11.* licet n. ipsius Christi Imperatoris similitudinem in terris geras; rerum tamen mundanarum & ciuilium tantum curam gerere debes. Quod etiam precamur vt ad multos annus præstare valeas. Quo igitur pacto à Deo largitus es nobis, terrenis rebus præesse. Ita etiã nos, per principem Petrum, spiritualibus rebus Deus præfecit.] Nullus horum Pontificum, vel à longe innuit, Imperatores à Deo, mediante populo suã habere potestatem: sed omnes se absolute, & immediate ad Deum, proximum potestatis Regiæ concessorem, reducunt.

XVII. Concilia quoq; à Deo immediate agnoscunt Regiam potestatẽ. Sane septima Synodus generalis, habet ad initium hæc verba: Attamen clementissimi nostri Imperatores, qui à Deo gubernacula mundi acceperunt, &c.] Toletanum sextum, de proprio Rege loquens; *Concil. Tolet. 6. c. 14.* Nefas, *inquit*, est, in dubium deducere eius potestatẽ, cui omniũ gubernatio, supremo constat delegata iudicio.] Fusius vero sententiam nostram & tenet, & explicat Concilium Parisiense *l. 2. c. 5.* dicens: Nemo Regum à progenitoribus regnum sibi administrari, sed à Deo veraciter, atq; humiliter credere debet, dari, qui dicit, *Prouer. 8. 14.* Meũ est consilium, & æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & Potestates iustitiam discernunt: Quod autem nõ ab hominibus, sed à Deo, regnum terrenũ tribuatur, Daniel Propheta testatur *c. 4. 14.* dicens, In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio, donec cognoscant viuentes quod dominatur excelsus in regno hominum: & cuicunque voluerit, dabit illud; & humilimũ hominem constituit super illud. Item idem loquens de Nabuchodonosor ad Balthassar *c. 5. 25.* Donec cognosceret, inquit, q potestatẽ haberet Altissimus in regno hominum, & quemcunque voluerit suscitabit super illud. Et per Hierem. *c. 27. 5.* Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad Dominos vestros: ego feci terram & hominẽ, & iumenta quæ sunt super faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extenso; & dedi eã ei qui placuit in oculis meis. Hi verò qui a progenitoribus sibi succedere Regnũ terrenum, & non potius a Deo dari putant, illis aptatur q Dominus per Prophetã improbat dicens, *Ose. 8. 4.* Ipsi regnauerunt, & nõ ex me; Principes extiterunt, & nõ cognoui. Ignorare quippe Dei procul dubio reprobare est. Quapropter quisquis cæteris mortalib. temporaliter imperat, non ab hominib. sed à Deo sibi Regnum commissum credat. - - - Constat ergo quia nõ actu, non voto, neq; brachio fortitudinis humanæ, sed virtute, imo occulto iudicio dispensationis diuinæ, Regnum confertur terrenũ.] Hæc Patres Concilii illius celeberrimi de singulis regnantib. non de Regno in vniuersum

uersum

vertim loquentes asserunt ab hominib. nullo pacto accipere regnum, sed immediate à Deo. Profectò si Deus immediate potestatē Regiam cōmunitati, quæ est in Regno, traderet, cōmunitas verò illā primo à se electo Regi cōmunicaret, ita vt per successionē in eadē stirpe illa cōseruaretur, proculdubio primus ille Rex traderet eandē potestatem suo filio, & hic suo, & sic deinceps: Atque hoc pacto Reges isti per successionē regnantes, vere & proprie ab hominibus immediate Regiam acciperent potestatem; quod expresse Concilium hoc reprobat: reprobat ergo etiam primam illam communitati à Deo factam concessionem, & dū contendit idem Concilium Reges illos, qui se putēt per successionem, à progenitoribus, Regnum accipere, & non immediate à Deo; ex illis regibus esse, de quibus conqueritur Deus: ipsi regnauerunt & non ex me; Deum profectò considerant vti proximum & immediatum Regiæ potestatis concessorem, & non tanquam causam remotam & vniuersalem.

XVIII. Gregor. Turonensis *hist. Fran. l. 5. c. 18.* his verbis alloquitur Regē Francorum: Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si vero excesseris, quis te corripiet? loquimur n. tibi: sed si volueris audis: si autē nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?]Hic profectò non agnoscebat Regem Franciæ habere potestatem à suo Regno simul congregato, posset n. ipsum Regnum illum corripere, & si ille non audiret, etiā regno priuare, vt iam sentiunt isti Principū depressores. Sed Gregor. in ipso regno hanc potestatē non esse certo sciebat; Idē asseruit Regem esse supremū, & in terris neminem habere, qui sit ipso cum potestate coactiua superior. Non placuit hoc dictum Bellarmino, nā & Principibus id dat potestatem erga Episcopos: & Principes neminē in terris habere superiorem fatetur; Quibus solus Deus immediate præsit. Ideo vana de more quærens diuerticula, hoc satis distorte interpretatur *Bellar. cont. Barcl.* ... Reges de facto posse quemquam cogere, priuatū vero nullā habere vim contra Regē ad eum ... Videat tantū & consideret hoc loco cōparari à Gregorio fieri per antithesin, hoc pacto: Tu Rex quia Rex es, habes regiam potestatem erga quemcunq; in tuo regno errantem; nam omnes priuati tuæ ditionis tuæ publicæ subsunt potestati: nos enim omnes te habemus de iure nostrum superiorē à Deo datum: Tu vero si erraueris cum superiorem nō habeas, nisi solum Deum, qui se pronunciauit esse iustitiam, neminem habes qui te cum autoritate coactiua corripiat. Ecclesiastica enim potestas potest te monere, & arguere; sed interim tuum est & audire, & non audire. Et dum Gregorius solum Deum dicit ... illum ita corripere, vt possit etiam cogere, planè agnoscit, & veram potestatem supra aliquem non esse ... simul sit coactiua, qualē supra Reges in terris nullam esse cognoscebat, nisi immediate diuinā: & consequenter in populo, seu cōmunitate, potestatem Regiam residere nullo pacto animaduertebat. Ac verū est posse Reges de facto sua abuti potestate, ... ste illam contra innocentes exercentes; iniustitia tamen non erit ex parte vsurpatæ iurisdictionis, quā à Deo immediate iure habent, sed ex parte abusus & iniquitatis, si absq; iusta causa contra aliquē procedant. Pro qua iniustitia superiorem non habent vllū hominem, neq; vllam communitatem qui, vel quæ de iure possit eos autoritatiue, & cum iurisdictione coactiua corripere, & punire. Ita Irenæus multo ante Gregorium expresse asseruit, vt habes *infra c. 3. num. 13.* qui similiter non de facto, sed de iure dat Principi supremam in omnes potestatem; & superiorem quicum in terra possit coactiue corripere, habere negat. Quo igitur sensu negat Gregorius esse in terris hominem, qui possit coactiue Regem errantem corripere; eodem prorsus sensu affirmat Regem posse omnes corripere: certe de iure: nam de facto etiam priuatos homines posse contra Regē increpationibus ex charitate præsertim insurgere, Gregorius non negaret.

XIX. Ex his omnibus clare liquet, totam potestatem ciuilem in quoscunq; illa sit, à Deo immediate cōcedi, & proxime: opinionem vero iam factam communem nostrorum scholasticorum, & ferme aliorum Theologorum quæ in toto Reip. corpore, seu in tota cōmunitate, ac societate hominum integrarū Prouinciarum, seu Nationum, ponit ipsam potestatem gubernatiuam, ei à Deo immediate concessam; quā deinde ipsa cōmunitas, cui velit, tribuat, esse falsam, ac penitus reijciendam. Quod ego iam ex intimis huius rei principijs probandum assumo. Reuelatio sane nulla adest, quæ id ita esse de communitate credendum proponat: naturalis vero ratio dictat tantummodo, necessarium esse, vt multitudo regatur, *Bellar. de laic. c. 6.* & eadē ratio conuincit homines, & cogit, vt regi & gubernari ab aliquo consentiant. Iure ergo diuino naturali conuincitur duntaxat multitudinē regi ex necessitate debere, non regere. Ille vero autor naturæ, qui propensionē dedit multitudini ad hoc vt regatur, dat ēt potestatē rectiuam suo loco certis hominib. quos ipsa vt plurimum eligat sibi, & deputet multitudo. Propterea verò illa deputat & eligit, quia sentit esse necessarium vt regatur; non autē quia habeat in se potestatē rectiuam, quā debeat alicui communicare, quā nullā habet; & nemo dat q̄ nō habet. Quod si talē potestatē rectiuam in se haberet multitudo iure ipso naturæ, vt contendunt nostri, proculdubio iure ipso diuino naturali, omnis Respub. esset Democratica; & non nisi iure positiuo humano, ex libera voluntate multitudinis, Aristocratica, vel Monarchica. Dicendum n. esset Deum quidem iure naturæ dare multitudini potestatē rectiuam, cum hoc tamen, vt ipsa multitudo libera sit, vel eā penes se retinere; vel ēt in alium Monarchice; vel in alios Aristocratice, transferre. Quod si nolit eā in alios transferre, multitudo sane, cū dicta potestate, iure naturæ, erit sub forma Reip. Democratica. Et sic Deus inter homines instituisset, iureq; naturę collocasset, omnium pessimam formam regiminis, & imperfectissimā; quod verū non est; determinatio enim circa has formas, etiam Democraticæ, pendet vt plurimum a populi electione, & positiua deliberatione; vt prius determinet se velle Democraticè gubernari, & inde postea accipiat potestatem rectiuam. Cum igitur determinatio hæc præcedere debeat, quis non videt in ipsa multitudine potestatem rectiuam nullā esse iure naturæ, sed eam acquiri, post factam determinationem, qua multitudo eligit seipsam, ad gubernandam se ipsam? Et omnes consentiunt in multitudinis libertate consistere, saltem vt plurimum, vt vel Democratice, vel Aristocratice, vel monarchice, gubernetur.

XX. Quod si iure diuino naturali, Respub. Democratica, esset Democratica; non posset illa, se inuita, iuste a quoquam homine, suo Democratico priuari regimine, neq; ciuili rectiua exui potestate: & tamen exempla plurima contrarium conuincunt, & docet expresse August. priuato etiam homini prudenti, ac potenti, concedi potestatē hanc, vt, ex legitima causa, possit eripere populo Democraticū regimen, & Aristocraticū, seu Monarchicum, inducere: At quæ quis

iure naturæ obtinet, ab iis non potest iuste per quenquam hominē detrudi, ac spoliari. Verba Augustini sunt *l.1. de lib. arb.* Ex eo n. quod homines, & populi, eius generis rerū sunt, quæ mutabiles sunt, & tempori subiectæ, si populus sit bene moderatus & grauis, communisq; vtilitatis diligentissimus custos; in quo vnusquisq; minoris rem priuatam, quā publicam prodat, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi Magistratus, per quos sua res, hoc est publica, administretur? Recte prorsus. Porro si paulatim deprauatus idē populus, rem priuatam, reipublicæ prætulerat, atq; habeat venale suffragiū, corruptusque ab eis qui honores amant, regnum in se factiosis consceleratisq; committat, non ne item recte, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatē dandi honores, & in paucorū bonorum, vel etiam vnius, redigat arbitrium? & id recte.] Non igitur Augustino semper tyrannus est, qui priuata sua potestate eripit populo libertatem. Id enim factum potest sæpe defendi, diuino iure naturali, vt explicauit Augustin. Qui etiam hoc nomine oppressionem Romanæ Reip. per Augustum factam, potius laudat, quam reprehendit: ait n. de ipso *Idem de ciu. Dei l.3. c.21.* Hic videtur, non adhuc, vel ipsorum opinione, gloriosam; sed contentiosam, & exitiosam, & plane iam eneruē, ac languidam libertatem, omni modo extorsisse Romanis, & ad Regale arbitrium cuncta reuocasse: & quasi morbida vetustate collapsam, veluti instaurasse, ac renouasse Rempublicam.] Non ergo Respub. Romana iure diuino naturali erat Democratica: sed iure humano: & ex Democratica facta est Monarchica, Deo suam potestatē immediate primū populo, deinde Imperatorib. conferente. Facta n. mutatione personarū regentium, Deus etiam statim suam potestatem prioribus aufert, & in posteriores transfert. Qua facta translatione, iam in populo nihil penitus remanet siue in actu, siue in habitu rectiuæ potestatis.

XXI. Deus itaq;, cuius solius proprium est regere, & gubernare suā creaturam, & id præstiturus erat per Vicarios homines, indidit ēt humanæ naturæ propēsionem illam, qua naturaliter assentimur bonum esse vt regamur, & gubernatoribus pareamus; vnde & cognitū à natura Principi parere: ꝗ non est habere in se à natura vim rectiuam, & gubernatiuam, nisi valde remote, quatenus habemus naturalem prudentiam etiam politicam, quæ est rectiua in potentia tantum, & qua Deus ornauit naturam nostram, vt possent ij, qui actu assumerentur ad regimen naturale, commode naturali quoque prudentia, regimen ipsum exercere. Imo potius habet à natura populus, non tam vim actiue rectiuam & gubernatiuam, quam inclinationem passiue regibilem (vt ita loquar) & gubernabilem, qua volens & lubens se submittit rectoribus. Quæ quidem in plebe postulatio, admissioque Magistratuum sibi induendorum, tantum abest vt naturæ humanæ vel ciuilis societati deroget, vt plane faciat ad perfectionem ipsius populi. Non secus ac in materia vaga & incomposita appetitus formæ, per quam actuatur: aut in sexu debiliore appetitus sexus masculi nobilioris, per quem regatur, ac perfectionem acquirat cum indiuidui, tum speciei. Cum ergo populus inconditus, & [illegible] ex ipsius naturæ instinctu feratur ad rectorē vnū, vel plures sibi induendos, non inde sequitur penes se eundē retinere libertatē, vt sit postea [illegible] iuris, aut habere potestatē rectores ad nutū suos exuendi, magis quam materiæ dominiū datur in formā acquisitā, aut vxori in maritum assumptum, quem Deus ipsi coniunxit, & coniungēdo eum potestate rectiua superimposuit. Prorsus itaque statuo, vt in matrimonio vir sit mulieris caput, non à muliere sed à Deo, ita populus in capite assumpto Majestatem agnoscit, non quam ipse per actum vllum tralatitium, contulit, sed quam caput hoc politicum immediate à Deo; vt fontali sæcularis potestatis lumine, per irradiationem quandam accepit. Vtitur quidem Deus opera humana multitudinis, (nec tamen semper) in eligendis & deputandis certis personis, ad regimen seu Magistratus: sed nemine vtitur ad communicandam actualem potestatem regendi, & gubernandi, quam ipse solus immediate communicat, personæ, humanis modis, & medijs, deputatæ. Et ita communitas initio potuit statuere, num Monarchicè, num Aristocraticè, num Democraticè, num mixtim regi debeat: sed potestas rectiua, tam in populo, quam in optimatibus, quam in Rege, eadem est, & sane diuina, & à Deo immediate semper prodiens, vt expositum est.

XXII. Conuicti sunt ēt Doctores Theologi scholæ Parisiensis, & coacti in Concilio præsertim Parisiensi supra adducto, admittere, Politicā potestatē esse immediate à Deo. Iacobus sanè Almaynus *de autor. Eccl. c.2.7.8. & de potest. Eccl. & laic. q.1. c.1.6. & q.2. c.3.5.* potestatē Principum circa tēporalia, asserit quidē ita esse à Deo, vt tamen per prius intelligatur fuisse concessa à Deo immediate cōmunitati hominum: communitatē vero eam tradere huic & illi Regi, Principi, Imperatori, &c. Quem secutus est Nauarrus *in c. Nouit. de iudic. not.3. n.85.* qui potestatē laicam sic definit. Potestas naturaliter à Deo immediate data mortaliū communitati, ad se se gubernandū in rebus naturalibus, vt bene beateq; viuant, secundū rationē naturalē.] Sed velint nolint, in horū explicatione, nobiscū esse coguntur. Nos enim quærimus originē veram, & radicem propriam, ac proximā, vnde temporales potestates ortum habeant, & vim suam retineant. Hanc vero radicem & originem dicimus esse ipsammet diuinam institutionem, & concessionem: neq; contrarium dicunt Parisienses, quia & ipsi potestatē gubernandi societates humanas, in temporalibus, immediate à Deo procedere consentiunt. Quamuis enim proxime communitati, à Deo concessam putent, & per communitates Regibus, non tamen ideo putant tantam esse & tamdiu potestatem in Regibus, quantā & quandiu concedit illā communitas, ita vt regula & radix potestatis Regalis, sit voluntas libera, & determinatio communitatis. Ita vero ponunt potestatem hanc in communitate, vt illa ex necessitate naturali, absq; vlla libertate, omnino applicet eam, vel sibi toti, vel vni, vel pluribus, cui placuerit: liberam itaque faciunt circa electionem formæ regiminis, vel Democratici, vel Aristocratici, vel Monarchici, vel mixti: Sed necessario ipsam à natura cogi, vt vnam ex his formis eligat, neq; potest non eligere, & se in libertate conseruare. Sed hoc non impedit quominus potestas Regia, in quocunque singulari Rege, sit immediate à Deo: sicuti si per nuncium suum Rex transmittat dignitatem alicui, in cuius nuncij potestate non sit illam dare, vel nō dare, sed necessario debeat dare, non impedit quominus dignitatē accipiens, vere & proprie dicatur illā immediate à Rege habuisse. Et qui ab huiusmodi deputato Nuncio vel Prorege dignitates, vel possessiones datas acceperit, ita eas Regi soli refert acceptas, vt nō possint eorum arbitrio, per quorū manus delatæ sint, auferri, aut transferri; agnoscit nempe se hæc in feudo tenere à solo Rege. &

non à subordinatis Magistratibus, vel fæcialib. quorum ministerio, ac opera, honoribus hisce inuestitus est: Itaque communitati solam tradunt determinationem & electionem formæ regiminis, ac personarum regentium potestatisq; applicationem, non libere, sed necessario.

XXIII. Quemadmodum igitur lumen, quo terra illustratur, merito dicitur immediate esse à Sole; etiamsi prius, saltem natura, idem lumen recipiatur in multis inferioribus sphæris & elementis; quæ deinde terram immediate illuminant; nam lumen vbicunque est, proximè & proprie soli acceptum refertur Soli; quia per nihil aliud lumen est lumen proxime effectiue, nisi per solum Solem: & si aer illuminatus proxime & immediate illuminat terram, id est, delatiue tantum, illa tamen vere, proprie & immediate à Sole dicitur illuminari, & aer non est nisi applicatiuus Solaris luminis terræ: Ita potestas Regalis in quocunque sit, non est nisi immediate à solo Deo, quamuis ab hominibus & per homines applicetur; quia ab ipso solo & non ab alio tota formaliter & effectiuè est id quod est, & potest id quod potest. Ita quando applicantur ligna ad ignem, certe ligna comburentur & ex lignis fit ignis. Si quæras a quo proxime & immediate lignum factum est ignis; numquam ob sapiente respondebitur ligna illa immediate ab applicante, seu imponente illa in ignem, habere vt sint ignis: sed planum est ligna illa proxime, & immediate facta esse ignem ab igne illo, cui applicata sunt, quique de potentia materiæ ligni, immediate eduxit formam ignis: atque hoc multo magis, vbi applicans ex necessitate ligna illa igni applicaret, & non libere; neque posset non applicare. Eodem sanè pacto communitas, etiamsi per prius reciperet potestatem a Deo, alij applicandam (quod non est verum) non propterea Rex diceretur a communitate immediate accepisse potestatem, quam cõmunitas ei tantum dedit, & a Deo missam necessario per modum nuncij & applicantis consignauit. Sed reuera communitas, quando eligit personam, ipsam potius personam seu personas applicat potestati diuinæ, quam potestatem diuinam personis. Quemadmodũ si quis è multis speculis leuigatis in loco tenebroso positis vnum depromat, ac in apricum producens ita soli obuertat, vt iam fulgeat, solaresq; radios reflectat, nõ ille dicendus est lumen speculo, sed speculum lumini applicasse; nec fulgor hic ad hominem producentem referendus, nisi occasionaliter, & specifice quoad hoc indiuiduum, sed directe ac immediate ad solem radios immittentem; Ita plane in designando primo electitio Rege (a quo ius posteris ad regnum hæreditarium immobiliter deriuatum) populus tantum personam in medium producunt, ac Deo ipsi proponunt, qui eum, stirpemque semper proximam maiestatis suæ radijs renetendum ac augustum reddit. Nec dici potest, multitudinem hanc autoritatem huic personæ applicasse, sed personam autoritati, directe a Deo in personam designatam emananti.

XXIV. Hunc verò esse Scholæ Parisiensis sensum, confirmat Ioan. Gersonius, vir doctissimus *de vit. spiri. an. lect.* 3. dum ait: Donauit igitur Deus aliquibus potestatē hanc super alios regitiuam, atq; coactiuã, seu per se immediate, seu per medium aliorum, sub aliquo signo cognoscibili; quale est electio, aut quale est hæreditaria successio, aut quale est voluntaria ad eum subiectio, aut quale est quandoque prudentia magna, potentiaq; ciuilis super alios idiotas.] Potestatem igitur ipsam, quantum in se, totam a Deo esse immediate in Mundo, & non ab alio, sentit Gerson. Nam explicat Deum per medium aliorum dare alicui potestatem, quatenus humano interdum vtitur medio in personarum determinatione. Obseruent itaque bene recentiores nostri, nihil ipsorum errori prodesse, id quod Parisienses, & Nauarrus dicunt de Communitate; nam Communitas nihil sui confert Regibus, nihil ad summum personam determinat, vel verius, vt dixi, personam applicat diuinæ potestati, quam diuinam potestatem personæ. Atque in omnibus prorsus, & per omnia, pares in proportione faciunt Ecclesiasticam, & Laicam potestates; nam etiam Ecclesiasticam supremam potestatem à Deo immediate datam esse dicunt Communitati Ecclesiæ, & per electionem huius Communitatis, eam volunt Papæ applicari, vt vidimus *lib. 4. c. 5. 7. & 11.* Nam immediate à Deo nullum habuisse Papalem potestatem aiunt, nisi solum Petrum; reliquos omnes Papatum habere per electionem Communitatis Ecclesiasticæ contendunt; hoc est, nullam certam & determinatam personam ad Papatum, iam à Deo ordinatum, & institutum, vt sit in Ecclesia, fuisse assumptam à Christo, nisi solum Petrum. Successores verò omnes, per Ecclesiæ Communitatem esse assumendos: id est, personas quidem esse per Communitatem determinandas; sed potestatem Papalem talibus personis ab Ecclesia assumptis & determinatis, à Deo immediate esse concedendam. Impropriè itaque loquuntur, dicentes, potestatem ipsam esse Communitati à Deo immediate datam, vt eam certæ personæ ipsa Communitas applicet, & communicet; quia nõ potestas, sed personæ potestatem accepturæ determinatio, à Deo est Communitati cõcessa; neque hoc semper. Eodẽ verò pacto, potestatem etiam laicam, immediate à Deo datam fuisse humanæ Communitati, ita contendunt; vt videlicet, facta electione personæ per Communitatem, electus statim accipiat à Deo potestatem, *Almayn. de pot. Eccl. & lai. q. 1. c. 3.* Atq; ita non potestas ipsa; sed personæ cui sit à Deo danda hæc potestas, determinatio, data est Communitati. Non quidem eiusmodi pacto, seu conuentione: do tibi potestatem Regiam, vt tu Communitas vel eam tibi retineas, vel des cui placet: sed sic: Communitas, propone tu mihi quem, vel quos velis, vt te regant: & ego ei, vel eis dabo rectiuam potestatem.

XXV. Alioquin, si Cõmunitas Reges & alios Principes institueret, certè & liberè id faceret, & Reges iure diuino non regnarent; sed iure humano; quod non negat Bellarm. *de laic. c. 6.* Hoc tamen est contra tot loca sacræ Scripturæ superius adducta; & contra naturalem rationem, & contra communissimum totius Ecclesiæ sensum; quem iam fusius explicuimus. Iure enim diuino naturali Reges regnant, regunt, & imperant, & iure diuino naturali homines à Regibus regi debent, *Aquin. 22 q. 10 art. 10. & q. 12. art. 2.* Qui Reges licet varijs modis iure humano fiant ab hominibus, *Bellar. cont. Barcl. c. 21.* semper tamen immediate à Deo suam accipiunt potestatem; qui per ipsos, humanum genus, in temporalibus, tanquam per proximos, vt vidimus, Vicarios, regit & gubernat. Ideoq; iure diuino naturali omnes homines sunt suis subiecti Principibus; eisque in temporalibus parere tenẽtur. Sicut & in Ecclesia iure humano fit Episcopus & Papa, id est, eligitur, & consecratur, iure tamen diuino, Episcopalem accipit & exercet potestatem. Atq; ita tam Rex, quam Episcopus ordinariè, iure humano fiunt, hoc est, quoad has personas designantur & specificantur: iure tamen diuino, tam Rex, quam Episcopus, postquam iam facti sunt, quisque propriam habet & exercet potestatem.

XXVI. Fatetur quidem Bellarminus *de laic. cap.* 6. potestatem ciuilem esse de iure naturæ, & eam non pendere ex consensu hominum: nam velint nolint, *inquit*, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturæ inclinationem.] Et ita à Deo immediate esse hanc potestatem inter homines, non negat: sed ait *Ibid. & cont. Barcl. cap.* 12. illam in vniuersum consideratam, esse à Deo; non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam.] Verumque & proximum subiectum huius potestatis vult esse ipsam multitudinem; cui immediate illam Deus communicarit, Principibus tamen tradendam; siue vni Monarchicè, siue pluribus Aristocraticè; siue toti multitudini, sibi ipsi, Democraticè. Errat tamen, quia potestas hæc, non modo in vniuersum considerata, est à Deo immediate, sed etiam semper in particulari, vt explicatum est. Quicunque enim siue in Monarchia, siue in Aristocratia, siue in Democratia hanc actu exercet potestatem, eam loco Dei, non multitudinis, exercet, & proxime ac immediate, illam à Deo habet. Multitudo etenim, vt dixi, naturaliter regi debet, non regere: est ergo naturaliter regenda, non rectiua; & frequentissimi sunt casus, in quibus multitudo alicui iuste subijcitur penitus inuita, & nolens, & dissentiens. Quod vero interdum alicubi etiam ipsa multitudo se ad eam formam regiminis redigat, quæ ei ex tribus dictis, aut ex eis mixta, magis placet; nihil aliud conuincit, nisi in multitudine esse potestatem deputandi, seu eligendi personam, vel personas, à quibus regatur. Facta vero electione, seu deputatione, Deus immediate, vt iam explicatum est, electis concedit politicam potestatem: cuius potestatis verum & immediatum subiectum est, non multitudo, sed Rex, Senatus, populus, prout ipsa multitudo vni ex his formis subest, nec eam potest amplius in inferiorem formam mutare.

XXVII. Et rationes Bellarmini, quibus conatur potestatem laicam, in Communitate proxime collocare, æque probant etiam Ecclesiasticam potestatem proxime à Deo ipsi Communitati Ecclesiæ tribui, & applicari; quod volunt Parisienses; sed Bellarminus nunquam admittet; & reuera est falsissimum, vt lib. 4. ostendi. Rationes Bellarmini pro laica potestate, in Communitate ponenda, sunt hæ: Nam hæc potestas, *inquit, de laic. cap.* 6. est de iure diuino; at ius diuinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem; ergo dedit multitudini. Præterea, sublato iure positiuo, non est maior ratio, cur ex multis æqualibus vnus potius quam alius dominetur:, ergo potestas est totius multitudinis. Denique humana societas debet esse perfecta respublica, ergo debet habere potestatem seipsam conseruandi, & proinde puniendi perturbatores pacis.] Sic ego de Ecclesiastica potestate arguam & dicam: Potestas Ecclesiastica & ipsa, tota est de iure diuino: at ius diuinum nulli homini particulari dat Papatum, vel Episcopatum: Et si Petro, ac Apostolis dederit primum, postea tamen nulli successorum dedit. Ita etiam Moysi olim, & Sauli, & Dauidi, & Cyro, & quibusdam alijs Deus immediatè dedit regnum; sed non sic reliquis omnibus, per publicam attestationem. Et sublato iure positiuo Ecclesiastico, non est maior ratio, cur ex multis Cardinalibus æqualibus, vnus potius, quam alius, sit Papa: ita de Episcopis. Et Ecclesia debet esse perfecta Respublica, debet ergo habere potestatem seipsam conseruandi, & proinde prouidendi de proprio regimine. Et nihilominus potestas Ecclesiastica non est humana, neque ab hominibus vlli confertur proximè, sed à Deo immediatè, facta solum personæ, per Communitatem, electione, seu deputatione. Eodem modo ciuilis potestas, facta per Communitatem, personæ, vel personarum determinatione, immediatè à Deo ijs confertur, quos Communitas sibi præficiendos elegerit. Et ita sufficit, vt Communitas possit personas eligere & deputare; quibus electis & deputatis, Deus immediatè conferat rectiuam potestatem.

XXVIII. Quoniam tamen cernimus, ipsam Rempublicam siue Communitatē, non modò variare solere formam regiminis *Molina de iust. & iur. tract.* 2. *c.* 23. sed etiam initio suis Regibus, modo maiorem, modo minorem concedere ipsam regiam potestatem; & interdum facto Rege, nihilominus quædam iudicia sibi reseruare, siue suis Parlamentis, aut alijs comitijs: aut ærarium apud se retinere, & similia: inde vel maximè colligunt nostri, potestatem hanc ciuilem, primario, in ipsa Republica residere. Sed qui id ex his colligit, decipitur: dixi enim, solam applicationem personæ, vel personarum, fieri sæpius à Republica, facta vero applicatione, seu electione, seu deputatione, electū, vel electos, à Deo statim accipere potestatem; vt fit etiam in Ecclesia. Vbi igitur ipsa multitudo se ipsam totam eligit, & deputat ad se regendam Democraticè, tunc Deus ipsi toti tribuit regendi potestatem. In Democratia porro, ab ipso toto populo eliguntur Magistratus, & varia officia, ad tempus, cum determinata, & limitata ac diuisa potestate; quia populus non abdicat à se potestatem ipsam regendi; sed eam, quantum ei libet, varijs communicat magistratibus; pro suo libito etiam auferendam, mutandam, ampliandam, restringendam, &c.

XXIX. Vbicunq; itaq; Reges, non sunt plenissime absoluti Reges, sed subduntur in totum, vel in parte, Reipublicæ, illi non sunt vere & propriè Monarchæ absoluti, nisi ex ea parte, qua liberi sunt, & plenū exercent dominium. Ex ea vero parte qua subsunt legibus regni, sunt in Republica adhuc Democratica. In vera autem Aristocratia, multo magis in vera Monarchia, nihil tale obseruatur: quia populus penitus subijcitur, neq; quicquam habet iuris in suos Rectores, eorumve potestatem. Cum enim non se totum elegerit ad gubernandum actiue, sed quosdam paucos, seu quendam solum, cum tota posteritate; potestatis rectiuæ nullam habet participationem. Ac proinde, sola excepta Democratia, in omni alia regiminis forma, populus nihil penitus potest erga suos Reges, vel Rectores; qui cum iure diuino, immediate secum habeant totam potestatem; eam nemo eis auferre potest, nisi solus Deus, qui eam concessit. Vnde & Bellarminus nobis dat manus, dum contendit ex Cypriano, plebem habere quidem quandam potestatem approbandi, reprobandive, vbi fit electio Pastoris: non tamen propterea illam habere potestatem in ipsum Pastorem, sed in eum dūtaxat qui Pastor est instituendus. Quemadmodum, *inquit, cont. P. Paulum Venet. consid.* 8. exercitus poterat approbare, aut reprobare, personam, quæ in Imperatorem proponeretur; vbi tamen Imperator factus esset, illum judicare non poterat; neque in illum vllam habebat potestatem. Et ipse Gerson concedit, Cardinales habere potestatem approbandi aut reprobandi personam in Papam eligendam, sed potestatem eos non habere ad Papam judicandum aut deponendum, postquam ille iam est Papa.] Hæc Bellarminus plane nobiscum consentiens, sed postea & à se, & à nobis recessit, vt inferius *num.* 37. apparebit. Nunc vero consen-

consensus, parem esse rationem inter electores Papae, & electores Imperatoris: quoad hoc nimirum, quod neutri ius, aut potestatem vllam habent in suum electum post adeptam potestatem. Quanquam, quoad depositionem, ego postea suo loco infra *cap.* 10. *num.* 83. magnum discrimen sim positurus, ostensurusque, Praelatum quemcunque Ecclesiasticum, posse ab Ecclesia ex causa deponi directe; & a Principe indirecte: Non ita Principem temporalem. Sed nunc mihi satis est, ex eo, quod Communitas vtraque, in electum & potestatem assecutum, non habet ius, aut potestatem, colligere necessario, electum ab electoribus suam non accipere potestatem, neque in Regno neque in Ecclesia. Quod etiam inde confirmatur, quia populi, bello, praesertim iusto, ab aliquo Principe subiugati, nullo ipsorum consensu, imo summa renitentia, vel inuiti, illius Principis potestati iure subduntur. Ita ciuitas aliqua alicuius Regis, vel Prouinciae, nullo eiusdem ciuitatis, vel Prouinciae expectato, aut experito consensu; vel venditione, vel donatione, vel permutatione, vel alio contractu, etiam inuita in alterius solet transire Principatum. In Democratia tamen, etiam depositiones possunt fieri ad arbitrium populi; qui penes se perpetuo retinet sibi iure a Deo concessam potestatem; non quidem iure naturae, sed post electionem ac deputationem sui ipsius ad regimen Democraticum; vbi se populus iure tali applicuit regimini.

XXX Non fuit ergo integrum Almayno *de autor. Eccl. c. 8. ad 1.* asserere: Regem non esse, suo Regno congregato, superiorem. Quam quidem opinionem iam plurimi sequuntur Theologi; sed falsissimam. Siquidem, ex doctrina etiam Parisiensi, potestas Regia à Deo immediate tribuitur Regi: qui cum Vicarius proximus & immediatus sit Dei, vt est ostensum; necesse est toto Regno etiam congregato erit superior. Regnum enim etiam congregatum subest Regi, regiaeq; potestati, quae in ipso Regno etiam congregato nulla est, vt hactenus fuse probaui. In eo vero deceptus videtur Almaynus & sequaces, quod potestatē regiam rectiuam & dominatiuā, non aduerterint distingui à potestate electiua, & personae deputatiua; sed putarint in electione personae regiae, potestatis et regiae cōcessionem contineri. Quod tamen in potestate Ecclesiastica plane vidit & agnouit non esse verum; quia electio personae in Episcopum, non est concessio Episcopalis potestatis; quae immediate à solo Deo per ministerium humanae ordinationis tribuitur, vt est declaratum. Et tamen eodem modo etiam de laica potestate, eadem schola Parisiensis philosophabatur. Non negamus profecto, Communitatem indirecte tradere Regi Regiam potestatem: quia facta per ipsam personae electione, Deus statim dat ei directe de lege ordinaria potestatem. Sed eodem pacto indirecte homines dant spiritualem quoq; potestatem Ecclesiae ministris; quia ad electionem & ordinationem per homines factam, consequitur de lege ordinaria concessio à Deo statim & directè Ecclesiasticae potestatis. Atque hinc eorum aperitur error, qui Regem à Regno congregato, deponi posse, dixerunt. Quia Regnum eligit quidem personam, quae sit futura Rex, sed ei Regiam potestatem non tribuit: Et qui nō dat potestatem, neq; eam de iure auferre potest. De facto vero alia est ratio; vt infra considerabo *c.* 10. *nu.* 82. *& seqq.*

XXXI. Dices, si potest quilibet singularis homo, quantumcunque liber & sui iuris sit, cedere huic iuri suo, & se in seruum alteri tradere; & ille statim acquirit dominium, & potestatem in illum; quae potestas immediate est illi tradita ab eo, qui se sponte ei subiecit; cur idem non potest efficere Communitas, suapte natura libera, subiiciēdo se sponte vni, vel pluribus? *Bellar. de Laic. c. 6.* Respondeo neminem esse naturaliter seruum, sub potestate herili: imo hoc repugnat naturae humanae; quia omnes nascuntur liberi ab hac seruitute naturaliter: ideirco nisi quis, aut vi, aut ex nimia hebetudine, & stoliditate; aut se sua sponte subdat, dum liber est; nemo potest naturaliter in illū herilem habere potestatem. Atq; ita posset integra Cōmunitas sigillatim, si vellet, (velle autem vix hoc potest) libere huiusmodi se subiicere seruituti: & ille cui illa se subiiceret, acquireret in illam herilem potestatem: quae potestas esset immediatè ab ipsa Cōmunitate, prout à singulis. Sed potestati ciuili tenetur ex vi naturae vnaquaeq; Communitas se subijcere; non ex propria, & libera voluntate singulorum, quia vtcunq; natura suadeat, bonum esse vt homines in societate viuentes regantur, & id natura humana in vniuersum, tanquā necessarium, suo iure reposcat, singuli tamen ex naturali amore propriae libertatis, naturalē quoq; ad hoc habent repugnantiā. Rex, inquit Hierony. *epist.* 1. nolentibus praeest. Quae tamen repugnantia cedit vniuersali illi propensioni, quod minor debeat cedere maiori. Ex vi igitur ipsa, & necessitate naturae, quam Deus indidit hominibus, vt regi debeant, iidem etiam renitentes in regimen necessario cōsentiunt. Qui consensus in Communitate est mere passiuus: Actiuus verò non est, neq; dat cuiquam actualem potestatem rectiuam: nam velit nolit, tenetur, natura ipsa ad hoc necessitatem imponente, consentire. Ideoque spontaneus consensus Cōmunitatis in hoc nihil efficit: & est mere per accidens, quod spontaneè quis & ex libera animi electione in politicum dominatum consentiat: adest n. in hoc consensus naturalis, & necessarius, qui à Deo autore naturae est; quo & Apostolus respexit, quando dixit *Ro.* 13. 2. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

XXXII. Demus verò, aliquā Cōmunitatem nolle omnino vllam inter se, seu supra se habere politicam potestatem; num propterea ad ipsius beneplacitum erit libera? minime verò. Nam sine tali potestate consistere non poterit; & multae sunt viae, quibus illa, vel inuita, alicui publicae potestati subijciatur: cui illa parere teneatur, vt toties accidit. At si vera esset contraria assertio, inuita Communitati nemo legitime praeesse posset: atque adeo iam pauci essent singulares homines, qui in politicos Magistratus sponte consentirent. Sed natura, hoc est Deus, aliter instituit, & quod singuli nollent, vniuersi volunt.

XXXIII. Habemus itaq; nō modo in vniuersum, ciuilē potestatē esse a Deo in mundo positam, & institutam; sed etiam in particulari, vnumquemq; Regē, siue Senatum, siue populum, eam a Deo immediate accipere; & nunquam ab hominibus: solam verò electionem personae, vel personarum, interdum a Cōmunitate pēdere. Nunc addo, etiam personarū particularium electionem saepissimè, & fortasse vt plurimū, Deo ipsi deberi, qui electiones, haereditarias successiones, bella, caeteraq; huiusmodi, quibus Reges regna acquirunt, suo arbitratu regit, & occulta vi disponit, non permissiua tantū voluntate, & per modū causae primae & remotae, in quo nullum est dubium; sed etiam voluntate absoluta, & per modū causae proximae. Hoc n. apertè fatebantur supra viri doctissimi, ac S. Patres: praesertim Aug. *de ciu. Dei, l. 5. c. 21. sup. n. 14.* & diuina scriptura non obscurè ostendit. Nā Deus, licet concedat populo Iudaico vt possit sibi Regē aliquando constituere; sibi tamen adhuc reseruat ipsam

personæ electionem, siue significationẽ. Cum ingressus fueris, *inquit Deut.* 17. 14. terram, quã Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eã, habitaueris'q; in ea, & dixeris; Constituã super me Regẽ, sicut habẽt omnes per circuitũ nationes, eũ constitues quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum.] Iterum monet Moyses *Deut.* 33. 5. Erit apud rectissimum Rex, congregatis Principibus populi, cum tribubus Israel.] Ecce populi autoritas in constituendo sibi Rege, sed iam præceptum habuerat; Non constitues, nisi eum, quẽ Dominus Deus tuus elegerit. Et ita factum est in Saulis electione 1. *Reg.* 9. 15. Dominus autẽ reuelauerat auriculam Samuelis; Cras mittam virum ad te, de terra Benjamin, & vnges eum Ducem super populum meum Israel.] Et nihilominus *Ibid.* 10. 17. Conuocauit Samuel populum ad Dominũ, in Masphat: & ait ad filios Israel. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & familias.] Populus peragit electionem, sed personam iam Deus designauerat. Quod igitur Deus reuelauit aperte Samueli, hoc quotidie præstat, absq; aperta reuelatione.

XXXIV. Et de electione Dauid in Regẽ, illam facit August. *de correp. & gr. c.* 14. consideratione; Itẽ, *inquit*, paulo post ait eadẽ scriptura, 1. *Paral.* 12. 38. Omnes hi viri bellatores dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, vt constituerent Dauid super omnẽ Israel. Sua voluntate vtiq; isti constituerunt Regem Dauid? Quis non videat? quis hoc neget? non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur. Propter quod præmisit scriptura; & ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo: & per hoc Dominus omnipotens, qui erat cum illo, adduxit istos, vt eum Regẽ constituerẽt: & quomodo adduxit, nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosq; voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quã ipsi suas, quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cœlesti constituatur in Regno?] Cyrus suam ẽt habuit immediate à Deo & potestatẽ, & electionẽ, non minus quam Saul, Dauid, Salomon, & alij: Hæc dicit Dñs (habemus in Isaia *c.* 45. 1.) Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexterã, vt subijciam ante faciẽ eius gentes, & dorsa Regum vertã.] Deus ergo assumpsit Cyrum, & fecit Regẽ supra Reges, & vt monarchiã consequeretur effecit. Ita Nabuchodonosor *Hier.* 27. 6. Et nunc itaq; dedi omnes terras istas, in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei.] Item apud Danielem *c.* 2. 37. Nabuchodonosor tu Rex Regum es: & Deus cœli regnum & fortitudinẽ, & imperium, & gloriam dedit tibi] Mitto multos alios, ne nimium sim prolixus: quod enim de his affirmat Scriptura, cur non etiam de aliis est affirmandum? Concilium Parisiense supra *n.* 17. ex Danielis Propheta idem egregie demonstrat: & ex Hieremia & alijs Scripturis.

XXXV. Neq; mihi obijciant Iustinianum *Instit. de iure nat. gen. & ciu.* asserentẽ potestatem laicam, à populo in Principem effundi, *Senec. l.* 5. *epist.* 14. *Vlp.* 1. *instit. l.* 1. *de constit. Princ.* nã vel de sola potestate eligendi est intelligendus: vel loquitur de institutione Principis à Senatu Romano, *ff. de orig. iur. l.* 2. § *Nouissime.* cuiusmodi esset vel Dictator, vel Imperator exercitus, ab ipsa tamen Republ. dependens, tanquam supremus ipsius Magistratus, cum potestate suprema, quamdiu Resp. erat Democratica. Vel demũ, quicquid dicant Legistæ, aut Gentiles, cũ non sint Theologi, exigui sit momenti. Aliter tamen scribitur in Pandectis *ff. de iust. & iur.* nimirũ: ex hoc iure Gentiũ introducta bella, discretæ gentes, Regna condita; dominia distincta, &c.] Bellarm. quoq; *de Laic. c.* 6. iure Gentiũ Principes constitui admisit; ius vero Gentium in *ff. loco citato* explicatur, quo Gentes humanæ vtuntur, & re vera idem est quod ius naturæ humanum, siue ius diuinum naturale, in natura humana: nã ius naturæ simpliciter in omnibus ponitur animalibus. Quanquam diuisionẽ gentium in varia Regna, initio præsertim mundi, diuina Scriptura Deo tribuat immediate *Deut.* 32. 8. Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, &c.]

XXXVI. Iactant aduersarij Principum, signum illud à posteriori, quo efficiant, laicam potestatem nõ esse à Deo immediate, sed ab hominibus. Quia, *inquiunt*, & minui, & mutari solet potestas ciuilis, vt sæpe ex Monarchia se ipsos reducant populi ad Aristocratiam vel Democratiam: & è contra, *Bellar. in libello cont. Marsil.*] Sed hoc, vt iam vidimus, nihil est: Primum quia vna & eadem prorsus est potestas ciuilis, in quocunque Reipub. genere. Variatur enim subiectum potestatis, non potestas. Electio porro seu deputatio vnius, vel plurium personarum ad regimen communitatis, potest initio fieri & variari à populo, imo & à priuatis sapientioribus, vt supra *nu.* 20. vidimus ex Augustino. Atque id sæpe volente, non raro etiam permittente Deo: non quod populus habeat in manibus suis potestatem Politicam, vt eam ipse tradat cui vel quibus voluerit, & rursus eam possit auferre pro suo arbitratu: sed quia aut Minister est, & executor diuinæ voluntatis, per solam electionem, aut cooperator propriæ iniquitatis per exclusionem iniustam, & violentam regiminis quod habebat, & alterius electionem: hoc etiam iusto, & occulto Dei iudicio permittẽte. Per solam vero personæ, aut personarum electionem, etiamsi nobis appareat iniusta, & violenta, legitimus tamen consurgit Gubernator in Monarchia, seu Gubernatores in Aristocratia, potestatem ipsis Deo immediate, vt explicatum est, & vlterius *cap.* 10. explicabitur, conferente. Ac profecto, si populus, siue Communitas, aut Respub. extra Democratiam, tradere posset libere ciuilem potestatẽ, eandem posset ẽt auferre, & hoc pro suo libitu, ne dicam libidine: ex quo & rebelliones, & conuulsiones Regnorũ, instabilitas omnis, ac perpetua diffidia orirentur, quæ Prouincias omnes, omnes Communitates, Regna omnia, fœdarent, perturbarent, euerterẽt: & quod vnum publicæ tranquillitatis remedium est à Deo generi humano prouisum, politicæ potestatis, hoc ipsum esset occasio maxima, & potissima, omnis publicæ dissensionis, bellorum ciuilium, & maximarum perturbationum, exclusioq; omnis publicæ pacis, otij, & tranquillitatis, si potestas politica esset, præcipue in multitudinis manibus collocanda.

XXXVII. Huic grauissimo incõmodo, vt videantur occurrere Regum depressores, potestatem hanc politicam, in Communitate primatiò ponentes, ne quis illos publicæ pacis hostes, & defectionum, ac rebellionum fautores esse censeat, vt re vera sunt, negant, verbotenus, posse iuste populos, suos deponere Principes, ipsorumve minuere potestatẽ *Bellar. cont. Marsil.* siquidem, *inquiunt*, iam suam autoritatem transtulit populus in suum Principem.] Nunquid vero ita transtulit, vt se omnino, & irreparabiliter sua autoritate, si eam haberet, spoliauerit? Bene habet. Sed cur reseruationem adhuc ponunt, vt vbi ait Scotus

de inst.

de iust. & iur. l. 4. quæst. 4. art. 1. Nisi fuerit Princeps in tyrannidem corruptus? Et Bellarminus *in recogn. l. 3. quæst. de Laicis.* Populus, *inquit*, nunquam ita suam potestatem in Regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat: vt in certis casibus etiam actu recipere possit.] Nunc verò nobis satis sit euidenter ostendisse, potestatem ciuilem, siue laicam, totam esse immediate à Deo, & populum, siue communitates nullo modo posse potestatem hanc cuiquam conferre, cuius institutio ad solum Deum, autorem Naturæ, tota est ita referenda, vt etiam singularibus populorum Rectoribus, ab eodem immediate conferatur, modis iam supra hic explicatis. In sequentibus verò suis locis, præsertim *cap.* 10. de priuatione Regum & Principum depositionibus, disputabo. Interim moneo, ex iam dictis, ad impietatem eos vergere, *Greg.* 7. *l. 4. Epist. 2. & postea Anabaptistæ, & Trinitarij*, qui Regiam dignitatem, ab humana superbia, Episcopalem verò à diuina pietate repertam esse asserunt: quique satis imperite initium regnandi in terris, in violentũ Nembrot reducunt; cum tamen manifestissime constet, Deum ipsum, post corruptam præsertim naturam, esse humani Imperij autorem, *Roman.* 13. 1. Quamuis Nembrot, primus dicatur, suo Regno legitimo non contentus, ad aliena circumuicina Regna occupanda suas vires extendisse. Basilium quoque proferre possent, potestatem Regiam ab humanis legib. haberi asserentem. Nos de Basilio inferius, *cap.* 4. *nu.* 7.

XXXVIII. Obiicit præterea nobis Bellarminus *in libello contr. Anonymum Venetum propos.* 1. discrimen, inter Regiam & Papalem potestatem; vt inde colligat illam non esse sicut istam à Deo immediate: Si interroget quis, *inquit*, Regem Franciæ quo iure Regnũ Franciæ possideat, respondebit: non iure diuino, sed iure hæreditariæ successionis: Dux Venetus, iure electionis, &c. Et hoc est, *inquit*, discrimen inter Principatum Papæ Ecclesiasticum, & Principatus sæculares ac Politicos, quod Papa habeat suum Imperiũ in omnes Christianos, non modo ratione vniuersali à Deo data, vt superiores inferioribus imperent; sed etiam, quia Papa à Deo immediate accepit fideles omnes [illegible] dos, quos omnes ei Deus immediate subdidit [illegible] quamuis ipse Papa à Cardinalibus eligatur, ab ipsis tamen non accipit potestatem, sed à Deo, qui dixit ei in Petro, *Pasce oues meas.* Hoc verò, *inquit*, euidentissima ratione probatur; Quia Papa non potest à suo primatu Apostolico abalienare Prouinciam vllam, aut Ciuitatem, aut personam Christianorum; neq; fieri potest, vt verus Papa non sit omniũ Christianorum Præses, quia titulus Papalis potestatis, est [illegible]us. Principes vero sæculares, possunt amittere [illegible] subditos, vel omnes, vel in parte: & possunt ipsimet in se abalienare Ciuitates aliquas, aut Prouincias [illegible] alteri supponere Principi, suumq; ius in illis a[illegible]: quia titulus diuinus nõ est, sed humanus. Sim[illegible]te Potestatem, *inquit*, Papalem nemo potest imminuere, siue Cardinales, siue Concilia: quia cum sit illa immediate à Deo, creaturæ nulli subest; contrarium verò, *ait*, apparet in Principibus sæcularibus: sæpe enim eorum potestas, vel à populis, vel à Principibus maioribus imminuitur, & mutantur Monarchiæ in Respublic. liberas, & contra Respubl. liberæ in Monarchias. Quæ omnia ideo contingunt, quia horum potestas non est à Deo immediate, sed ab Hominibus.] Hæc ille.

XXXIX. Respondeo, Nullum penitus in hoc esse discrimen, inter Ecclesiasticam, siue Papalem, siue Episcopalem, potestatem, & laicam: cum æque vtraq; a Deo sit immediate: & iam ostendi, iure quidem humano, quoad personam, fieri æque Episcopos atq; Reges: vtrosq; tamen iam factos, iure diuino suam exercere potestatem. Si quis itaque interroget etiam Romanum Pontificem quo iure suum teneat Pontificatum, respondere debet, se illum iure legitimæ electionis, & suæ Canonicæ ordinationis, tenere. Cur enim Papa conferens Episcopatus, Bullas Episcopis à se factis, cum maximis eorum impensis, conficit? Nisi vt illi, quærenti quo iure suos teneant Episcopatus, statim, productis bullis, respondere possint, se illos iure Pontificiæ collationis, tenere? Episcopalis tamen potestas est immediate à Christo. Quod si quæras tam ex Papa, quam ex Rege, quo iure ille excõmunicet, iste vero gladio feriat? Vterque æque respondebit, id iure diuino se facere: quia à Deo talẽ obtinent potestatem. Et si Deus immediate omnes fideles subiecit Papæ (quod tamen non concedimus) etiã omnes homines, tam fideles, quam infideles, temporalis Monarcha mundi totius, si detur, à Deo immediate accipit regendos, vt datum est Cyro, & Nabucdonosori, & consequenter alijs eorũ successoribus. Et si potest Rex aliquos subditos, vel Ciuitates aliquas, vel Prouincias, imò & totum Regnum, vel de iure, vel de facto amittere, potest etiã Papa, tam de iure, quam de facto, siue penitus deponi, siue multos subditos, multasq; Ecclesias amittere. Papa enim, vt docui *lib.* 4. vt Episcopus, solã Romanam habet Diœcesim: vt Metropolitanus, solã Prouinciam Romanã: Vt Patriarcha, solum Occidentẽ; De iure igitur, vt malus Episcopus, potest deponi: vt tractabo *lib.* 8. Potest etiam partem Diœcesis amittere, si Concilia eam auferrent, & nouum Episcopatum erigerent in eadem Diœcesi: Potest, vt Metropolitanus, Suffraganeos aliquos de iure amittere, si erectione nouæ Metropolis, ei auferrentur: Potest demũ etiam occidentis partẽ, vt Patriarcha, amittere, & ex ipsius culpa, pluribus modis: & sine culpa ẽt ipsius: si Concilia generalia, ex caussa alicuius nouæ Imperialis Ciuitatis, aut propter alias Ecclesiasticas commoditates, alium aliquẽ Patriarcham, vel plures Patriarchas in Occidente, cũ pleno Patriarchali priuilegio, constituerent. De facto similiter quàm multas Ecclesias Rom. Pont. iam amiserit, norunt omnes. Tota enim potestas, tã Metropolitica, quam Patriarchalis, est de iure humano Ecclesiastico positiuo: vt docui *lib.* 3. *c.* 2. & *c.* 10. Episcopalis quoq; potestas, licet sit de iure diuino in vnoquoq; Episcopo vniuersalis, vt *eod. lib.* 3. probaui, Iure tamen Ecclesiastico, illius vsus certis locis arctatur, & restringitur. Quare in hoc etiam potest facile non minus quam laica variari.

XL. Quæ omnes variationes humanum supponũt ius positiuum: Quod tamen non facit, vt ipsa in se potestas Ecclesiastica sit humana, vel ab hominibus accepta. Quæcunq; enim regiminis forma humanis legibus in Ecclesia collocetur, semper potestas Ecclesiastica in Ecclesiæ ministris erit immediate à Deo: sola verò personarũ regentium electio & deputatio, aut distributio, aut limitatio, erit ab hominibus. Ita in laico regimine omnis variatio personarum, & formæ regiminis, erit ab hominibus & per homines: Cõstituto tamẽ multitudinis Rectore, vno, vel pluribus; is, aut illi, semper à Deo immediate suam accipient potestatem. Neq; quisque potest eam imminuere; nisi vbi Respub. est Democratica: & suis Magistratibus limitatam, pro suo libitu concedit potestatem, vt est iam a me, *num.* 29. explicatum: quia tunc potestas nõ est propria Magistratuum, sed populi: iuxta bene ordinatæ Democratiæ normam, sublata confusione: & consequenter Deus illam tantũ, & tamdiu tribuit

Magistratui populari, quantam, & quandiu ipse populus eidem censeat esse tribuendam. In ipso tamen proprio subiecto considerata, tota est, & integra, neque vllam à quoquam homine, de iure, pati potest imminutionē. Habemus itaq; Principum quorumcumque, etiam in singulari, & particulari, potestatē, esse à Deo immediate, & non ab hominibus. Et hoc nobis necessarium fuit discutere, & stabilire; vt Ecclesia promptiorem eis in rebus temporalibus exhibeat obedientiam: neque se supra illos tantopere conetur erigere.

CAPVT III.

Potestates, Laicam & Ecclesiasticam, disparatas esse inter se, neutramq; alteri subordinatam.

SVMMA CAPITIS.

Distinctio harum potestatum ponitur, & probatur ex Gelasio, qui etiam declaratur, & exponitur contra Baronium, à num. 1. ad num. 5.

Subordinatio non est inter has duas potestates, nu. 6. 7. 8. 9.

Potestas Laica ex diuina institutione independens est ab Ecclesiastica, à num. 11. ad num. 16.

Duæ sunt Respublicæ, Politica & Ecclesiastica, num. 17. 18.

Similitudo animæ & corporis, seu carnis & spiritus impugnatur, & explicatur; sicut & similitudo Solis ac Lunæ, à num. 19. ad num. 23.

Obiectiones soluuntur, & remouentur absurditates, quas inferunt aduersarij, num. 24. 25. 26.

I. DIVERSITATEM, & sane non exiguam, etiam nostri Papalini agnoscunt, & ponunt inter Ecclesiasticam & Laicam potestates, non tamen eam, quæ subordinationem dependentiamque excludat; ita nempe, vt laica Ecclesiasticæ subiiciatur, ab ea corrigatur, & si opus fuerit, etiam auferatur, & transferatur. Nos verò tantam demonstramus inter has duas potestates distantiam; vt nulla prorsus vel minima sit inter ipsas essentialiter consideratas, aut subiectio, aut dependentia, aut colligatio, sed ipsæ inter se sint se totis diuersæ, ac, vt loquitur schola, disparatæ. Hoc scilicet semper, & posuit tota, & sensit antiquitas: hoc ratio suadet, & contra hoc excogitatæ modernorum nihil efficiunt subtilitates, vt iam ostendo.

II. Inuehitur Gelasius Romanus Pontifex in Anastasium Imperatorem, quod se ille aliquando ingessit in absolutionem Petri Episcopi Alexandrini, Ecclesiastica censura icti: ea occasione egregie disserit ipse Gelasius, *tomo de anath. vinc.* distinguens duas inter se potestates, Pontificiam, & Imperialem. Sic vero scribit: Quod si hæc tentare formidant, nec ad suæ cognoscunt pertinere modulum potestatis, cui tantum de humanis rebus iudicare permissum est, non etiam præesse diuinis: quomodo de iis per quas diuina ministrantur iudicare præsumunt? Fuerint hæc ante aduentum Christi, vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerent, & pariter Sacerdotes. Quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit Historia. Quod in suis quoque Diabolus imitatus est, vtpotè qui semper, quæ diuino cultui conuenirent, sibimet, tyrannico spiritu, vendicare contendit; vt pagani, Imperatores iidē, & maximi Pontifices, dicerentur. Sed cum ad verum ventum est (CHRISTVM) eundem Regem, & Pontificem, vltra sibi, nec Imperator Pontificis nomē imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vendicauit. Quamuis enim membra ipsius, id est, veri Regis, atque Pontificis, secundum participationem naturæ magnifice vtrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, vt simul regale genus, & Sacerdotale subsistant, 1. *Pet.* 2. 6. attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret dispensatione magnifica temperās, sic actionibus proprijs, dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi; vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, imperialibus dispositionibus vterentur; quatenus spiritualis actio à carnalib. distaret incursibus: & ideo militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, 2. *Tim.* 2. 2. ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus: vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroq; suffultus: & cōpetens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.] Hæc Gelasius. Totidem vsus est verbis, ad discernendas has duas potestates, etiam Nicolaus Papa primus *l. 1. Epist.* 8. Obseruo igitur, Christi Dei institutionem esse, vt potestas sacra, & laica, nullo modo in vnam conueniant personam: & actionibus propriis, dignitatibusque distinctis, officia vtriusque potestatis Deum discreuisse: noluisseq; vt quisquam homo vtraq; potestate suffultus, nimium extolleretur: & altera potestas ad æternam vitam homines dirigeret; altera verò pro temporalium cursu rerum laboraret: temporalia verò & æterna se totis distinguuntur: vt melius infra etiam docebo.

III. Sed insurgit Baronius *tom. 6. ann.* 496. *n.* 25. & opponit, dicens: Atqui ita voluit vtramque potestatem ad inuicem omnino esse discretam, nunquid negauit ciuilem potestatem Ecclesiasticæ subiiciendam? minimè gentium, nam ad eundem Anastasium Imperatorem idem, vt vidimus, Gelasius scribens, hæc de regia potestate Christi sacerdotibus subiicienda addit: Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis. Et de ipso Romano Pontifice hæc inferius: Et si cunctis, *inquit*, generaliter sacerdotibus rectè diuina tractantibus fidelium conuenit corda submitti, quanto magis Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Intelligis ex his (*pergit Baronius*) ita distinctam à Gelasio ciuilem, & Ecclesiasticam potestatem, vt tamen ciuilis subiiciatur Ecclesiasticæ in his, quæ sunt ad Deū, pro vt inquit sanctus Apostolus, *Hebr.* 5. 1. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominib. constituitur, in his quæ sunt ad Deum. Subordinatam subiectamq; sibi habeat ad hoc ipsum potestas Ecclesiastica politicam præfecturam, & in his quæ ad hæc pertinent sacerdotes illis præcipiant, atque ius dicant, & eosdem in omnibus moderentur. Nam ad hoc spectat, quod idem Apostolus ait, 1. *Corinth.* 6. 3. Nescitis quia Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Non ergo Gelasius ea distinctione discreuit regiam à Pontificia potestate, vt negaret, hanc illam esse subiectam: neque cum ait ex Apostoli sententia, 2. *Timoth.* 2. 4. Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus: voluit sæcularium illis inhibuisse ius, ac potestatem, in his, quæ ad Deum pertinent: non enim sententia Apostoli potuit vetuisse, quæ illorum esse iudicare, nimirum sæcularia, idem Apostolus tradit.]

Hæc

Hæc Baronius; qui mox digreditur in Ecclesiasticam potestatem super bona temporalia: de qua nos peculiarem sermonem postea instituemus: sicut & de subiectione politicæ potestatis sub Ecclesiastica, statim aggrediar disputationem.

IV. Interim, quod spectat ad Gelasium, miror quomodo Baronius se nobis impositurum sperauerit, explicationes prorsus impertinentes nobis obtrudendo. Sed arbitror ipsum sibi ipsi imposuisse inscienter, qui nescinerit, aut, quod peius est, noluerit distinguere, inter potestatem, & subiectum habens potestatem. Sed æquiuocatione, nescio an deceptus, decipere voluerit. Imperator etenim ratione personæ suæ, in quantum Christianus est, subiicitur Ecclesiasticæ potestati: sed Imperatoria potestas, nullã habet subiectionem ad Ecclesiasticam potestatem, vt infra fuse explicabo: Itaque sicut Pontifex, quatenus homo est, in humanis subiicitur Imperatoriæ potestati, vt & de iure, & de facto inferius confirmabimus; ita vice versa Imperator, vt homo fidelis, Pontificiæ subijcitur potestati: Sed sicut Ecclesiastica Pontificis potestas nõ subiicitur Imperatoriæ, vbi persona Pontificis, vt homo est, ei subijcitur; ita neq; Imperatoria potestas Pontificiæ subijci dicenda est, licet homo Imperator, nõ vt Imperator, sed vt fidelis, Pontificiæ subiaceat potestati. Tam ergo falsum est, quam quod falsissimum, subordinatam, subiectamq; esse Ecclesiasticæ potestati politicam præfecturam; licet is qui politica fulget præfectura, Ecclesiasticæ subsit potestati, non vt præfectus, & in quantum præfectus, sed vt fidelis, sicut si medicus in castris stipendia merens militaret; certe Imperatori exercitus subiectus erit, vt miles, & ars militaris, quæ est in ipso, tota erit subiecta, & obligata Imperatori, sed non propterea ars medica, quæ est in ipso, erit subiecta Imperatori, si nõ est conductus tanquam medicus, sed vt simplex miles: imo si ipsius opera, tanquam medici, vti voluerit Imperator saucius, ipse Imperator subijcietur medico, non vt Imperator, sed vt homo vulneratus: idque voluntarie, & absq; coactione, cum tamen medicus militans subsit Imperatori etiã coactiuè, ac propterea stultum, affirmare, Imperatoriam potestatem medicæ arti subijci, licet Imperator vulneratus medico sit subiectus. Ita etiam optimè obseruant, alij *Fulg. cont. Bon.* patres, maritos, heros, subdi Regi; sed non propterea potestatem paternam, maritalem, herilem subdi Regiæ potestati. Quicunque verò Doctores (nam non desunt) *vt Aquin. & Caiet. 2.2. quæst. 60. art. 6. ad 3. Alm. q. 3. 9. tom. 2. Hugo de sacr. fidei l. 2. c. 4. Dried. de lib. Chr. l. 1. c. 9. &c.* dicunt, potestatem ipsam laicam subiici Ecclesiasticæ, impropriè loquuntur, & significant, ipsosmet Principes fideles, in quibus illa viget Potestas. Mihi Berengarii Abbatis, ante 1000. annos dictum perplacet, à Gelasij dicto nihil discrepãs, dum ait *lib. de myst. signi. in Biblioth. SS. PP. to. 2.* Sciendum est quod nec catholicæ fidei, nec Christianæ contrarium est legi, si ad honorem Regni, & Sacerdotij, Rex Pontifici, & Pontifex obediat Regi.] Hosque Soli, & Lunæ comparat, &c.

VI. Tam magnam distinctionem inter potestates, laicam, & Ecclesiasticam, ore summi Pontificis Gelasij prolatam; & quod maius est, à Nicolao primo, tam toto spiritu Monarchiæ tumenti, confirmatam; tolerare nostri Hiero-Monarchici nõ possunt: sed omnino laicam Ecclesiasticæ subordinatam, & subiectam contendunt: vbi tamen Gelasius, & Nicolaus, ipsi Pontifices, illas, & dignitatibus, & officijs, & actibus discretas esse contendunt: quod si inter ipsas esset subiectio, & subordinatio, licet actibus essent discretæ, dignitatibus tamen, & officijs dici non possent, discretæ. Nam, vt optime obseruauit Barclaius *de pot. Pa. c. 2.* contra Bozium, dignitas, itemq; officium quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante, cum ab eo in subordinatum deriuetur: inde est, *inquit*, vt Princeps se violatum putet, dum eius ministri in exsequendis officiis impediuntur; & Papa se ac sedem Apostolicam contemni, ex spreta Legati à se missi auctoritate, arbitratur. At verò res omnes, & personæ præsumuntur esse liberæ, & non subiectæ, nisi contrariũ probetur.] Hæc Barclaij optima obseruatio, in dictis Gelasij & Nicolai rem conuincit.

VII. Sed Bellarminus *contr. Barc. cap. 2.* fugam inutilem Baronij imitatus, eo se recipit, vt dicat: Hanc subordinationem duobus modis posse intelligi; vno modo, vt potestas quæ est in subordinato, deriuetur à subordinante, qualis est potestas Vicarij, quæ deriuatur ab eo, cuius est Vicarius, & Legati, quæ deriuatur à Principe, qui eum legauit: & iudicis siue præsidis, quæ deriuatur à Rege, & tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatẽ subordinati: Altero modo, vt vna non deriuetur ab altera, sed ob id solum subiecta & subordinata sit alteri, quia finis vnius subiicitur, & subordinatur fini alterius; qualis est subordinatio & subiectio variarum artium, ad artem regendi populos, quæ regia dici potest.] Exemplificat in artibus ex Virgilio, vt ars regendi populos distincta est, *inquit*, ab artibus sculptoria, oratoria, astronomica, & alijs similibus, neq; vna deriuatur ab alia, neq; vna propriè alteram includit; & tamen omnes subordinantur, & subiectæ sunt arti regendi populos, vt possit Rex omnes dirigere ad communem populi vtilitatem, & nisi pareant, exterminare de regno suo, vel remouere quoslibet artifices, & alios substituere; quoniam fini artis Regiæ subiiciuntur, & subordinantur fines artium cæterarum.] Et post pauca; quemadmodum enim, *inquit*, ars Regia non includit artẽ sculptoriam, neq; sculptoria deriuatur à Regia, & tamen ars regia imperat sculptoriæ, eamq; subiectam, & subordinatam habet, & potest, ac debet Rex sculptori iubere, vt non sculpat statuas obscœnas, quæ corrũpant iuuentus, neq; ex auro vel argento, vt ea metalla seruentur ad vsum magis necessariũ, neq; statuas suas nimis magno precio vendat, ad exercendã auaritiã: sic ars Ecclesiastica regendi animas, q̃ est ars artiũ, & pcipue residet in Papa, nõ includit necessario artẽ regiam; neq; necesse est, vt omnia regna deriuentur ab Ecclesia, & tñ quia finis eius est vita æterna, ad quã subordinantur omnes alij fines, subiecta & subordinata est illis ars politica regendi populos, & potest ac debet summus Pont. Regib. imperare, vt non abutantur potestate regia, &c.] Hucusq; Bellarm.

VIII. Quod Baronius, forrasse deceptus artis logicæ inscitia, crassũ sophisma vorauerit, vt paulò antè vidimus, mirũ nõ est: sed dũ Bellarminus, ille Bellarminus insignis & Philosophus & Theologus, trabem adeo ingentẽ in oculos incurrentẽ non videt, prorsus mihi suspectus est velle decipere, nec bona fide agere. Inprimis verò teneamus ipsius cõfessionẽ, laicam potestatẽ non subordinari Ecclesiasticæ, eo modo quo subordinatur deriuata potestas ei à qua deriuatur. Non n. defuerunt inepti adulatores, ac palpones, qui Reges, & Principes potestatẽ suam à Papa habere effutierint: æquiuocationẽ tñ maximã Bellarmini tolerare nõ possumus: qua & ipse confundit artẽ cũ subiecto, seu habente artem. Fini artis regiæ, *inquit*, subiiciuntur, & subordinãtur fines artiũ cæterarũ.] Hoc tñ est falsissimũ: finis cuiuscũq; artis optime dicitur subordinari fini artis superioris, q̃ sit Architectonica, sicut

finis

finis frænifactoriæ, subordinatur equestri, quæ equestris præscribit modum quo frænifactoria fræna efficiat; eiusmodi nimirum, quæ apta sint ad equos regendos. Sed inter artem Regiam gubernandi populos: & sculptoriam artem; nulla est talis subordinatio, neq; finis sculptoriæ potest vllo modo seruire fini artis regiæ, alioqnin ars regia, tanquam indigens, vt ipsa perfecte exerceatur, arte sculptoria, præscribere deberet arti sculptoriæ, quomodo statuas efficere deberet, vt ipsæ statuæ commode inseruirent arti Regiæ, ad hoc vt ipsa ars Regia suum finem, regendi populos per dictas statuas, consequeretur. Si sculptoria efficeret statuas animatas: hoc est, efficere posset homines, variis virtutibus ornatos: hunc militem, illum Ducẽ, hunc præsidem, illum Iurisconsultũ, &c. Tunc optime diceretur finis statuariæ subordinari fini artis regiæ, nam pro necessitate, & opportunitate iam dicta artis regiæ, quæ in actum exire non potest, sine Præsidibus, Ducibus, militibus, &c. ad ipsius præscriptum modo conflaret milites, modò Duces, modò Præsides, ideo & ipse Bellarminus *de Rom. Pontific. l. 5. cap. 6.* reprobat hanc subiectionem architectonicam inter has duas potestates, & expresse negat eam in nostro casu esse, &c. Fateor equidem arti regiæ subiici sculptorem, non tamen artem sculptoriam: quia sculptor cum sit subditus Regi, tenetur etiam circa vsum, vel abusum suæ artis parere Regi: vnde & bene dixit Bellarminus, Regem sculptori iubere, vt non sculpat quasdam statuas, quod est habere imperium in sculptorem, & vsum, siue abusum artis sculptoriæ, non tamen in artem ipsam, quia si haberet Imperium in artem, deberet posse dirigere ipsam artem, vt tales, vel tales efficiat statuas, quibus regia ars suum consequi posset finem: & dum corrigit sculptorem, ne obscœnas faciat statuas, quibus iuuentus corrumpatur, non corrigit artem, sed ipsum artificem, idq; per accidens, nempe ne abutatur arte: æque enim perfecta est ars sculptoria, dum efficit obscœnam statuam, atque dum effecit modestam; neque in hac habet correctorem Regem: & si sculptor errat sculpendo obscœnam statuam; non errat vt sculptor, sed vt ciuis, nec omnino peccat contra formam aut finẽ suæ artis, cuius perfectio est in vera cuiusuis rei, siue bonæ, siue moraliter malæ, repræsentatione. Imo eum perfectius assequetur quo obscœniorem faciet, hoc est, quo illud quod sibi proponit exprimendũ, magis ad viuum, in statua imitabitur, ideoq; finis artis sculptoriæ non subiicitur fini artis regiæ; si enim subiiceretur, posset ars regia ostẽdere errorem artis sculptoriæ, nempe quoties illa à debito partium situ, aut à iusta Symmetriæ proportione deuiauerit, aut alia artis præcepta ad amussim non obseruauerit.

IX. Hinc etiam intolerabilis est Bellarmini positio illa; Omnes alios fines subordinari vitæ æternæ: at quis sanus dicet, finem artis sculptoriæ, nauigatoriæ, sutoriæ, & innumerabiles alios rerum humanarum fines, ex se subordinari vitæ æternæ? igitur ars nauigatoria habet pro vltimo fine homines conducere ad portum æternæ salutis? & Statuarius habet pro vltimo fine, vt statuæ ipsius vitam æternã consequantur? & sic de cæteris. Ecce verò ineptissimam æquiuocationem: Statuarius quidem ipse, & nauta, si sunt fideles, debent vsum etiam artis ipsorum, ad æternam vitam consequendam dirigere; ipse enim Statuarius, & nauta, & quilibet artifex fidelis, habent pro vltimo fine vitam æternam; quæ vita æterna, est finis vltimus ipsorum artificum fidelium; non tamen est finis artis ipsorum: quia ars ipsa statuaria nullum alium finem habet, nisi statuam perfectam; quæ statua perfecta nullum alium finem habet in se, quod spectat ad artem qua facta est, nisi imitationem; licet artifex ipse pro fine habeat lucrum; & emptor statuæ, similiter pro fine habeat ornamentum sui atrij, vel oculorum delectationem. At hi fines non sunt fines artis, sed hominum vtentium arte, operæue artis, & eam alio dirigentium. Manet igitur ex Gelasij, & Nicolai confessione, duas has potestates, Ecclesiasticam, & laicam, dignitate, officio, & actibus prorsus inter se adeo esse discretas, vt nec subordinatio quidem vlla inter ipsas possit assignari, licet ipsi habentes has potestates possint inter se alter alteri subiici: nam potest Pontifex Regem, vt hominem fidelem, regia potestate ad perniciem animarum abutentem corripere, & corrigere; & vice versa, potest Rex Pontificem vt hominem subditum, si sua potestate Ecclesiastica pacem turbaret ciuilẽ per abusum, corrigere, cõpescere, & coercere: sed tunc neq; Rex contra Ecclesiasticã, neq; contra regiam potestatem Pontifex quicquã facit, vt adhuc melius infra explicabitur.

X. Idem porrò Gelasius, rursum ad eundem Anastasium Augustum scribens, *Epistol.* 10. ita loquitur: Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur: Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.] Et post pauca. Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis, ipsi quoque parent religionis Antistites, &c. Adeo cognoscit Gelasius (Romanus quidem Pontifex, sed nondum totius mundi monarcha) etiam in temporalibus, distinctas esse inter se has potestates, vt vere sint duæ, & non vna; quod si essent inter se subordinatæ, duæ non essent, sed vnica, sicut Regia potestas, & Præsidis duæ neq; sunt, neque dici possunt, sed vna: ex qua magna diuersitate harum potestatum sequitur, vt etiam ibi Pontifices in humanis, vere, & proprie subsint, & parere teneantur Imperatori, tanquam Dei supremo Vicario in terris in temporalibus, & è contra Imperator, vt Christianus, in spiritualibus parere Pontificibus teneatur, quod hic aperte fatetur Gelasius, Symmachus quoque & ipse Romanus Pontifex, nondum in hoc, vt posteriores, corruptus, Conferamus autem, *inquit*, *in Apologet. adu. Anast. Imper.* honorem Imperatoris, cum honore Pontificis; inter quos tantum distat, quantũ ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum.] Quæ igitur distantia est inter diuina & humana, eadem erit inter potestates Laicam, & Ecclesiasticam, cumque spiritualia, & temporalia, se totis differant: Potestates etiam circa temporalia & spiritualia se totis differant necesse est, vt etiam infra clarius ostendemus: & *libro* 5. non pauca proposuimus. Stephanus quoque sextus ad Basilium Imperatorem scribit hoc pacto, *apud Baron. tom.* 10. *an.* 885. *num* 11. Nouerit pia potentia tua, quod manui Regiæ non subiciatur Sacerdotalis & Apostolica nostra dignitas: licet enim ipsius Christi Imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum & ciuilium tantum curam gerere debes, quod etiam precamur, vt ad multos annos præstare valeas. Quo igitur pacto à Deo datus es nobis terrenis rebus præesse, ita etiam nos per Principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit.] Dei immediatum ministrum in temporalibus agnoscit Imperatorem, & separat ipsius potestatem à potestate Ecclesiastica & spirituali. Meritò itaq; Ioannes Maior Doctor Parisiensis *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. illud protulit: Potestas terrena, & potestas spiritualis, sunt duæ potestates non subordinatæ, quarum neutra pendet ab altera.]

XI. Sub-

XI. Su[illegible] ordinationem tamen inter has duas potestat[illegible], & subiectionem laicæ ad Ecclesiasticam, moro [illegible] construere conantur nostri: Sed frustra. A Deo enim vtraq; est, & sanè immediatè, vt probauimus: & neutrio alteram est imperium: & fines vtriusq; sunt inter se disparati, nisi velimus politiam ex se facere essentialiter religionem: & religionem essentialiter politiam, vbi è contra Christus regnum suum spirituale nonquam passus est temporalibus permisceri; qui verò religionem essentialiter ad temporalitates etiam vergere contendunt, ij proculdubio Christum bona ex parte mundanum faciunt. Ac quemadmodum oculus corporalis nunquam potest adeo perfici, & eleuari, vt sensata visione possit percipere substantiam immaterialem abstractam, quia potentia & obiectum sunt longe diuersi ordinis: & è contra intellectus nudus & abstractus nunquam adeo poterit deprimi & incrassari, vt manens in sua natura intellectuali, possit qualitates sensibiles, sub propria ipsarum materiali sensibilitate sentire; esset enim materialis, & in ordine materialium: Ita potestas spiritualis, & temporalis, cum sint inter se diuersissimi ordinis, nullo modo possunt sibi inuicem commisceri. Est enim [illegible] maior distantia inter ipsas, quam inter po[illegible] puram intellectiuam, & sensitiuam: vtraq[illegible] enim hæc est inter naturalia: at potestas spiri[illegible], tota est de se supernaturalis: supernaturale [illegible] & naturale, multò magis distant, quam materiale & immateriale; & solus Deus, qui est Dominus tam naturalium quam supernaturalium, habet im[illegible] in vtrumque, sed ministros vtriusque, voluit [illegible] d[illegible] retos, & diuersos.

XII. Seorsim itaque Deus ipse posuit potestatem naturalem in ordine ad naturalia: & seorsim supernaturalem, in ordine ad supernaturalia: vt vtraque ad [illegible], quæ sui ordinis sunt, per se extendatur, & ad [illegible] alterius ordinis suo non possit se extendere. [illegible]ue etiam in suo genere perfectam instituit [illegible] ad consecutionem perfectissimam sui [illegible], alterius ope, neque vtatur, neque in[illegible] Finis Reipublicæ humanæ ciuilis est fœlicitas [illegible], pax & tranquillitas, quæ prudentiâ humanâ & naturæ solius viribus possit comparari: finis R[illegible] Ecclesiasticæ est æterna beatitudo supernaturalis gratia, fide, charitate, & virtutibus infusis supernaturalibus, consequenda. Respublica ciuilis potest perfectissimè institui, & gubernari, & ad [illegible] proprium finem naturalem regi, ac perduci [illegible] vlla ope Ecclesiasticæ potestatis. Nemo enim negat, inter gentiles, & olim, & nunc esse [illegible] eandem perfectam à Deo institutam, in [illegible] quoad ij finis ciuile perfectum regimen, indigam [illegible] Ecclesiasticę potestatis, sicut & in Rebus-publicis [illegible] omnes fatentur, eandem potestatem [illegible] ngere, neque posse circa adeptionem [illegible] æternæ, nisi velimus esse Pelagiani quod [illegible] Pontificij conantur adducere; dum volunt [illegible] naturalem ciuilis potestatis, ex sua natu[illegible] respicere, & ordinari ad finem æternæ beatitudinis consequendum.

[illegible]II. Si potestas laica non est de se absoluta, & in suo genere perfectissima, ac prorsus independens ab [illegible] qualicumque potestate à Deo inter homines posita, & [illegible] ia, cui Tertullianus *ad Scap.* Imperatorem [illegible] Deo secundum vocat, & solo Deo minorem, [illegible] & *in Apol. adu. gen. c. 33.* in solo [illegible] potestate illum esse, à quo sit secundus, & post quem Deum, primum [illegible] omnes? Cur [illegible] lib. Mundi Participes iodumentum [illegible] stitiæ leges habentes, quæcumq; iustè & legitime fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt, si quæ verò ad eorum iussi, iniquè, & contra legem, & more tyrannico exercuerint, in his iudicio Dei reseruantur, Deo nempe soli peccantes, de his quę Regibus à Deo commissa sunt Deo rationem reddunt?] Cur etiam Dauid Rex cum Deo loquens, ait *Psalm 50. 5. Tibi soli peccaui*? nisi quia potestas laica in suo genere ex diuina institutione est suprema, neque præter Deum habet vllum superiorem? quod sponte fatetur etiam Innocentius tertius, *Extra qui fil. sint legit. c. Per Venerabilem.*

XIV. Quicquid verò afferunt in contrarium Pontificij, nihil aliud conuincunt, nisi Principem Christianum duntaxat teneri vti sua potestate, ita vt religionem & conscientiam non lędat, sed regulas fidei, morumq; Christianorum seruet; ac vitet peccatum in suæ potestatis vsu, atque in hoc posse eum doceri, instrui, & moneri ab Ecclesia: sed de iurisdictionali ac potestatiua subiectione nihil concludunt. Subest igitur Rex Pontifici directiuè, non coactiuè, nisi per solas pœnas Ecclesiasticas spirituales, quæ coactiones veræ non sunt, sed diuini iudicij tantum interminationes: & hoc ipsum non nisi cum maxima moderatione & circumspectione, vt patet ex antiquo vsu Ecclesiæ, & libro præcedenti declaraui, infraque melius declarabo.

XV. Subiectio sanè hæc quam intendunt, omnino est inexplicabilis; cum neque sit deriuatio, neque subalternatio, neque subordinatio: Non est per deriuationem, vt concedunt: Non per subalternationē, quia subalternata potestas deberet habere omnia sua principia in subalternante, *Arist. l. 1. post.* at quis dicet, laicam potestatem principia sua, saltem analoga, habere supernaturalia, quæ illa habet naturalia, & maxime propria ac ipsi sufficientissima? Non est subordinatio, vt inter architectonicam, & ipsi famulantes, quam posuit Gasp. Contar. *tract. de pot. Pontificis*, & Molina *tract. 2. disp. 21. de Iust. & Iur.* sed immeritò; sublata enim architectonica, corruunt omnino omnes subordinatæ: sicut si tollas equestrem, frustra est frænifactoria: at sublata Ecclesiastica potestate, quis dicet Respublicas politicas corruere? imò prior natura est politia, quam Ecclesia: *Ecclesia enim est in Republica*, inquit Optatus, lib. 2. *non Respublica in Ecclesia.*] Et prius natura homo ordinatur ad fœlicitatem naturalem, quam ad supernaturalem: architectonica tamen prius est quam subordinata. Quomodo ergo quæso politica subiicietur Ecclesiasticæ? si dignitate, nobilitate, & excellentia, tunc neque subordinatio, neque subiectio erit vlla propria, neque enim quod dignius est, & excellentius, statim habet imperium, & ius in id, quod est illo ignobilius, & minus dignum, in humanis præsertim: maior est, vt somniant Romanenses, dignitas vnius Cardinalis, quam vnius Episcopi, imo quam cuiusuis etiam Primatis, aut Patriarchæ: nondum tamen eo vecordiæ deuenerūt, vt propterea dicant in Ecclesia maiorem esse potestatem dicti Cardinalis, quam Episcopi, vel Patriarchæ. Et nobiles dignitate præcedunt plebeios, non tamen habent in illos vllum imperium. Possunt igitur homines ipsi politici, imo & debent dirigi ad beatitudinem supernaturalem: ipsa tamen potestas politica dirigi ad eum finem non potest, esset enim transcendere de genere in genus: quod leges metaphysicæ nunquam permittent. Ideoq; mihi nullo modo probatur id, quod Bellarminus vt certū posuit, seu supposuit, *cont. Barcl. c. 5.* Politicam nempe Rempublicam, vt spiritualem, vnicam, & eandem

fa. e[illegible]

Ecclesiam: Hoc ego falsum puto, etiam inter Christianos, nā sola Respublica spiritualis facit Ecclesiam, non politica: & verum duntaxat est, homines illos eosdem, qui sunt in Republica politica, si sint fideles, constituere vnam Ecclesiam, ratione spiritualitatis, baptismi, & fidei; nō ratione politiæ, quæ politica nunquam extrahi potest ex suo genere, neq; eleuari ad aliū finem, qui non sit totus naturalis, & quem puræ naturales vires possint consequi.

XVI. Potius ordinationem quandam vlteriorem extrinsecam humanæ politiæ ponerem ad finem supernaturalem, quam subordinationem intrinsecam. Sicut lignum vt naturale ex se perfectū est, si habeat, vt faciat fructum in genere suo, & ad hoc habeat radices, ramos, folia, & alia ita, vel ita disposita: quia tamen hoc totum lignum ab arte vlterius ordinatur extrinsece, vel potius applicatur ad opera fabrilia, quis dicet, naturam arboris productricem in formando illo ligno obligari, vt ipsum formet tale, quale ars requirit? deberet enim natura præscriptum artis audire, eiq; obtemperare, ac dare ligno alicui curuitatem, vt possint ex eo fieri costæ nauis, temo, carina, &c. & alij rectitudinem, vt tabulata, malus, antenna, &c. Nunc vero, & si natura producat aliud lignum curuum, aliud rectum, aliud molle, aliud durum, hoc tamen non facit ad præscriptum artis naufactoriæ, sed ex necessitate materiæ, & iuxta requisitum formæ talis arboris, sua sibi accidentia præscribentis, ad finē suum proprium purum naturalem. Ita politica quicquid facit & potest facere, nihil aliud spectat, neque spectare potest, nisi suum proprium finem fœlicitatis naturalis: sed ab extra homines in politica bene instituti, à Deo vlterius ordinantur ad finem supernaturalem sub alia potestate spirituali.

XVII. Obijcit Bellarminus, *de Rom. Pontif. l. 5. ca. 7. & cont. Barcl. cap. 14.* *Itaque potestas regia, quæ in suo genere principalis est, si cum potestate Pontificia, quæ etiam in suo genere principalis est, in vnum corpus coalescat, necessario debet aut subesse, aut præesse, ne sint in vno corpore duo capita.*] Ego verò coalescentiam illam nego: sed dico, Rempublicam ciuilem totam iam in suo statu perfecto completam & absolutam, vlterius extrinsece ordinari ad alium finem supernaturalem, ex qua extrinseca ordinatione aliud genus Reipublic. resultat, toto genere à priore diuersum, cum noua alia & præsidentia & subiectione: ita vt Rex ipse, qui in sua ciuili Republica primus est, & in ciuilibus nemini prorsus subiectus, ex hac noua extrinseca ordinatione, vt fidelis, iam subdatur Pontificiæ potestati; potestas tamen regia ei non subijcitur: atque ita non in vno corpore, quod vnum non est nisi materialiter: sed in corporibus formaliter duobus, duo capita actualia reperiri non est absurdum, imo est necessarium; & hoc absque vlla subordinatione, aut subiectione: eadem enim multitudo, vt ciuilis, constituit vnum genus Reipublicæ, cuius caput solus sit Rex, & cuius membra sunt omnes homines, quatenus pars sunt Reipublicæ ciuilis, neque membrum vllum est, quod suo non subdatur capiti: Et rursus eadem multitudo, vt fidelis, & Christiana, aliud toto genere diuersum à priori constituit Reipublic. genus, quod est Ecclesia, cui præest Sacerdos, & non Rex, qui Rex, respectu huius secundi generis, Reipublicæ membrum est, & non caput, sicut prioris Reipublicæ Pontifex membrum est, & ipse, & non caput: ideoq; in priori Republica Pontifex subijcitur Regi, in posteriori verò Rex subijcitur Pontifici. Quare & optimè Glossa *in cap. Hadrianus, dist. 63.* scripserat, *Apud Cusan. lib. 3. concord. Cath. cap. 3.* *Patricium fuisse patrem Papam in temporalibus, sicut Papa eius est pater in spiritualibus.*] Quam Glossam, expungendā curarunt Romani Pontifices, quia ipsos pungere videbatur. Potestates tamen ipsæ inter se nō subijciuntur, sed vtraq; in sua Republica supremum tenet locum: sicut in productione ligni, natura sola dominatur, & ars nihil potest: in dolatione tamen eiusdem prorsus ligni, vt ex eo nauis fiat, sola ars dominatur, quæ sibi subijcit lignum à natura productum, non tñ subijcit ipsam naturā, quæ apta nō est obedire arti, sicut neq; potestas politica apta est obedire potestati Ecclesiasticæ: vt est a me explicatum.

XVIII. Optimè etiam comparantur *à Barcl. c. 17.* hæ duæ potestates duobus amplissimis magistratibus in eodem regno, & sub vno Rege: quorum alter iuris ac iudiciorum curam gerat: alter armorum habeat administrationem, ac totius disciplinæ militaris præfecturam: certe neuter in alterum potest suam exercere potestatem, & vterque supremam habet in suo genere autoritatem; nec alter in alterius messem falcem immittit: & si vterque errauerit, vterque a solo Rege est corrigendus, coërcendus, & puniendus: ita si Pontifex in spiritualibus errauerit soli Deo debebit respondere, vt ostendi *lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 1.* similiter si Rex in temporalibus errauerit, solum Deum habet cognitorem, & censorem, vt Irenæus, & Tertullianus, & alij expressè docuerunt. Frustra verò quærit Bellarminus, vt detur in Ecclesia vna tertia potestas, cui subordinentur Rex, & Pontifex; & quæ vtrumque in officio contineat: hæc enim tertia potestas est ipsemet Deus: & similitudo non tota semper potest quadrare: & quod diximus de duobus magistratibus sub Rege in terris posito intelligimus de duabus potestatibus in terris positis, sed sub eodem Rege Deo, a quo vtramque immediate docuimus proficisci. Se quidem inter se iuuant amice hæ duæ potestates, quando Princeps est fidelis, non autoritatiue, vt egregie disserit Theodosius iunior Imperator, infra *cap. 5. num.* 145.

XIX. Non habet quo se magis & frequentius recipiat Bellarminus, *de Rom. Pont. lib. 5. cap. 6. & de laic. l. 3. cap. 18. & cont. Barcl. cap.* 14. vt subordinationem illam suam defendat & explicet, quam similitudinem spiritus & carnis, ex Gregorio Nazianzeno *orat. 15. ad subd. tim. percul. &c.* desumpsiam. Sed nouerit similitudines, præsertim in declamationibus oratoriis, non in omnibus conuenire, & Nazianzenus potestatē suam Sacerdotalē, maiorem vocat, & perfectiorem, quam sit potestas imperialis: Imperatoremque, seu potius Præsidem ouem suam compellat, quæ ei sub[...] spiritualibus, dignumq; esse, vt maior, & perfectior dicatur potestas Sacerdotalis, quam imperial[...], nisi æquius sit, *inquit*, vt spiritus subsit carni & cœlestia terrestribus.] Digniorem nempe facit potestatem Ecclesiasticam, quam Laicam, ex eo, quod Ecclesiastica sit spiritualis, laica carnalis: Ecclesiastica versetur circa cœlestia, laica circa terrestria. Vbi per Spiritum intelligit ipsum hominem, quatenus ad finem ord[...]tur supernaturalem, per regulas æternas gratiæ, [...] charitatis, & similiū donorum homini a Deo supernaturaliter infusorum, & reuelatorum, ad æternam beatitudinem consequendā: per carnem verò intelligit totum eundem hominem, in solo naturali statu constitutum: hoc enim idem exprimit per cœlestia, & terrestria: cœlestia enim non intelligit virtutes cœlorum naturales, lumen, calorem, motum, & influentias; sed intelligit ea quæ sunt æterna, & ad salutem æternam hominē conducentia: per terrestria verò intelligit quicquid temporale est, & transitorium: alioquin similitudines nihil faciunt ad propositum spiritualis

tualis & temporalis potestatis. Si enim per spiritum intelligas animam, & per carnem corpus, similitudo erit ineptissima: tum quia vtraq; potestas, tam laica, quam Ecclesiastica in totum exercetur hominem viuum, & tam in animã, quam in corpus: sacerdos baptizando, lauat corpus, & mundatur anima, quam mundare aqua non posset, stante lege baptismi, nisi corpus lauaretur; & Principes viuos homines regunt, non exanima cadauera: præcipiuntq; suis Ducibus, ac militibus fortiter agere in bello, manus conserendo; sed cum prudentia, prudentia verò, sicut & aliæ morales virtutes, à Principibus procurandæ, & fouendæ in hominibus, non sunt in solo corpore, sed potissimum in anima. Totum ergo hominem ad fœlicitatẽ [illegible]lem dirigit Princeps: & totum hominẽ ad supernaturalem fœlicitatem sacerdos dirigit. Tum vero [illegible] similitudo hæc inepta erit, quia anima informat corpus, efficitq; cum ipso vnum quid, id est, hominem. At quis dicet ex potestate Ecclesiastica & laica fieri vnum quid per se, sicut ex forma, & materia? Forma profectò seorsim, & seorsim materia sunt in se imperfecta, & inter se essentialiter subordinata, ad faciendum compositum essentialiter vnum, [illegible] his duabus potestatibus asserere summæ im[illegible]æ, adeoq; stultitiæ est, cum vtraq; seorsim per se [illegible] sit in suo genere perfectissima. Per animam [illegible] intelligitur spiritus in ordine ad supernaturalia: [illegible]us caro in naturalibus: alioqui sola compa[illegible] in dignitate, qua vsi sunt idem Nazianzenus in apolog. Chrysostomus hom. 15. in 2. Corinth. 2. & Iuo C[illegible]tensis Epistol. 106. Innocentius tamen tertius [illegible] vsus est similitudine & comparatione in pro[illegible] su literali, sed vanissimo, ac plurimum impertinenti: Ita enim scribit, lib. 1. epist. 401. & c. Solita, de ma[illegible]. & obed. Nobilibus viris Acerbo Priori, & aliis [illegible]ribus Thusciæ & Ducatus. *Sicut vniuersitatis [illegible]or Deus, duo magna luminaria in firmamento cæli [illegible]tuit, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, [illegible] præesset: sic ad firmamentum vniuersalis Ecclesiæ, quæ [illegible] nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates: maiorem, quæ quasi diebus animabus præesset, & minorem quæ [illegible] præesset corporibus: Quæ sunt Pontificalis auctoritas [illegible] regalis potestas.*] Si Ecclesia in solas animas ius habet, quomodo perficiet baptismũ? quomodo se ingeret circa matrimonium, aut iniunget pœnitentias corporis afflictiuas: Imò quã frõte prætendimus ius carcerandi, exilio mulctandi, cruciandi, torquendi, &c. & Principib. solum putridum cadauer relinquetur. Peius est, quod idem Innocentius ibidẽ pro[illegible]tur de similitudine Solis, & Lunæ, dicens:

[illegible] *Porrò sicut Luna lumen suum à Sole sortitur, quæ re[illegible] minor est illo, quantitate simul, & qualitate, situ pari[illegible] [illegible]: sic regalis potestas, ab auctoritate Pontificali, sui [illegible] dignitatis splendorem: cuius conspectui quanto magis [illegible]et, tanto minori lumine decoratur: & quo plus ab eius elongatur aspectu, eo plus proficit in splendore.*] Scite pr[illegible] & eleganter: si res ita se haberet; & quod in propriæ dignitatis affirmat exaltationẽ, ve[illegible]s al qua confirmaret. Doceret profectò deberet, quo pacto Nero à Petro habuerit potestatem; si[illegible] Luna splendorem à Sole, ita Imperator à Pon[illegible]ce suam acciperet potestatem. Domitianus, & Traianus à Clemente, & Anacleto; Hadrianus ab E[illegible] & Alexando, Antoninus à Thelesphoro, Higino, & aliis: Marcus Aurelius à Pio, Aniceto, Sothere: Commodus ab Eleuthero: & alij gentiles: qui tamen erant veri, & legitimi Imperatores: quod nemo sanæ mentis negabit. Quod si Nero, Domitianus, Traianus, Hadrianus & alij Ethnici Imperatores à Pontificibus suam nõ habuerint potestatem, sed à Deo immediate, vt iam ostendimus, cur quæso Christiani Imperatores eam à Pontificibus accipere debuerunt? & vbi constat, eos aut accepisse, aut accipere debuisse?

XXI. Sed & illud Innocentius valde eleganter; videlicet Principes laicos, quo sunt Romano Pontifici propiores, eo, ad instar lunæ, minori pollere potestate: quo verò remotiores, eo majori. Si hoc de iure intelligit, est vanissimum; diplomata enim extarent, quibus remotiores ampliorem, propinquiores angustiorem, ex commissione Pontificis, acceperint potestatem, si illam omnes non habent æqualem. At quis vnquam vidit huiusmodi commissiones, & diplomata? Si de facto, nesciens profectò quid diceret, prophetauit. Generatio enim summi Pontificis, hoc est summi Monarchæ, vt loquar cum Philosophis, fuit corruptio, aut saltem maxima depressio omnium viciniorum Potentatuum. Vbi tot Duces, tot Reguli, Romæ vicini, Beneuentanus, Spoletanus, & alij? Quò tandem deiectus, & Roma atq; ex Italia abiectus est Romanorũ, nomine & voce duntaxat nunc, nõ re & facto Imperator? Persa & Indus, Hispanus, & Gallus, & Anglus, & alij, quia remotiores, adhuc splendent, neq; sunt à Papa absorpti, aut extincti, sicut extincti sunt Potentatus Romæ viciniores. Sol hic iam vere Sol, & solus lucere cupit & nititur, splendoreq; suo, non modo præstringere, sed & extinguere satagit omnes vtriusque hemisphærij stellas, lampadas scilicet tam spirituales, quam temporales, tam Regum solia, quam Episcoporũ cathedras. Nimius certè Phœbi huiusce, radiante curru prouecti, fulgor, ac pompa *clara micante auro, flammasque imitante pyropo*, quocunq; radios iaculatur, omnia lucida marcore ferrugineo obducit. Nec contentus suo in diem dominio, iam etiam nocti præesse conatur, ac ne Luna, vel Stellæ splendeant, ipse vim naturæ facit; ipse, tellure interposita, & vt interiaceat per vim sedibus suis conuulsa, hoc est, terrena potestate per nefas arrepta, eis perpetuam minatur eclipsin. Vtinam Sol hic nouus, vtcunq; nouus, intra diurnũ suum circuitum, hoc est spiritualium curam, & regimen se contineret, noctem, hoc est, temporalia, Lunæ relinqueret, & Stellis, ac relicto proprio qualicunq; lumine naturalis potestatis ipsi Lunæ, & Stellis eisdem, superadderet splendorem luminis supernaturalis, sacræ doctrinæ, & deuotionis spiritualis. Hæc mihi fere nolenti, & plurimum repugnanti, extorsit Innocentius. Redeamus ad susceptam similitudinum examinationem.

XXII. Iam igitur, si per spiritum intelligas partem in homine rationalem: & per carnem, appetitum sensitiuum; similitudo adhuc non cohæret: est enim in homine naturalis, essentialis, & necessaria subordinatio inter sensum & rationem: & ratio optime potest sensibus præscribere leges, vt non tanquam in brutis soli dominentur, sed vt in homine seruiant, & obtemperent rationi. Qui sane sensus in propriis operationibus in homine errarent plurimum, nisi perpetuo eos ratio cohiberet, & instrueret: ac per se sine ratione ipsi sibi non sufficiunt, vt recte humano modo operentur. Et hoc potissimum intendunt nostri illa Nazianzeni similitudine. Nihil tamen horum est in dictis potestatibus: nam æque perfecte Politica regit suam multitudinem, si non adsit Ecclesiastica, atq; si adsit: diximus enim & ostendimus, vtramq; in suo genere esse perfectissimam, & neutram alterius ope indigere. Imò verò totum hoc quod cernimus, partem sensitiuam, à rationali parte regi, contineri,

gubernari, ad solam politicam optime potest accommodari potestatem: quemadmodum enim ratio regit sensus & moderatur in homine, vt si gustus appetit cibum, non ei concedat, nisi quando & quantum decet: non quando, & quantū ille appetit: Ita homo, vt solitarius, sua sola commoda quærens, est instar carnis, hoc est instar sensuum: potestas verò politica illum ordinans, ad bene, & pacifice in societate humana viuendum, regit, & corrigit legibus, & pœnis, ne in præiudicium alterius sibi soli vacet: sed ijs solis commodis sit contentus, quæ alterum non lædant, quæque toti communitati non faciant iniuriam & præiudicium. Quæ tota regulatio, ad solam spectat politicam potestatem: & huc Ecclesia, vt Ecclesia, nihil inseruit.

XXIII. Restat itaq; vt similitudo spiritus & carnis aliter applicetur, nempe vt per spiritum intelligamus id gratiæ, & luminis supernaturalis, quod habet à Deo homo sibi supernaturaliter concessum, quo ad æternam dirigatur beatitudinem: per carnem verò intelligamus totum hominē iam in Ethicis, & politicis optime instructum, & egregie ad fœlicitatem naturalem ordinatum: qui sanè homo si bene in naturali politica instructus, totus deinde alia externa vlteriori ordinatione ad æternam beatitudinem dirigatur, quę directio respectu naturæ, & naturalium omnino externa est, & accidentaria: quia in statu politico perfectissimus esse potest, absq; hac supernaturali vlteriori ordinatione: ex qua accidentaria & externa directione vlteriori habet, vt fide, spe, & charitate, gratiaq; imbuatur, q̄ fides, spes, gratia, charitas, neq; regunt neq; corrigunt in vllo statum politicum, is enim ad summam propriam perfectionem proprijs viribus potest peruenire, sola solius politicæ potestatis directione, solius ope luminis naturalis. Sumpto ergo spiritu pro donis supernaturalibus, vt necesse est in nostra causa sumatur: & carne, pro homine in statu naturali & humana politia perfecto. nulla est subiectio, nulla subordinatio inter carnē, & spiritum. Superadditur enim carni, hoc est, homini ethico & politico perfecto, gratia supernaturalis, auxiliumq; nouū, ac noua potentia, quæ exequatur id quod ad æternā ducit beatitudinē. Quinimò hinc adiuuatur etiam ad exequendū id quod ratio dictat naturalis, sed hoc nō est regere, neq; corrigere, neque instruere, sed duntaxat adiuuare, auxiliū verò hoc totū externum est, & mere, respectu naturę, accidentariū: à quo natura nō habet vt regatur, sed vt opere compleat, quod tenetur. Igitur Ecclesiastica potestas, ad summum potest esse auxilio, & adiumento ciuili potestati, vt ad propriū tendat finem: sed hoc non est habere in illam Imperium, & iurisdictionem, & in hoc sensu spiritus & caro non sunt quidē duo homines, sunt tamē duæ res diuersissimæ, neq; faciunt vnum quid per se, hoc est vnū hominem, sed sunt vnus homo completus, cum aliquo adiuncto à se valde diuerso, quod adiunctum nō facit hominē esse hominē, sicut spiritus & caro, hoc est ratio & sensus, sine anima & corpus, faciunt hominem esse hominem. Male igitur Bellarminus *contr. Barc. c. 17.* vnam facit Rempublicam totalē, duas partiales, Ecclesiasticam & Politicam: quia sunt duę totales, licet in vnicam conueniant Communitatē eorundem hominum, nam semper Ecclesiastica supponit politicam, per illam vlteriorem ordinationem totius Reipublicę ciuilis, ad alium finem vlteriorem diuersi ordinis: sed non è contra: potest enim esse, vt vidimus, politica perfecta sine Ecclesiastica: sicut natura perfecta est absque arte: ars tamen necessario supponit naturam, quę illi suppeditat materiam, in quā inducatur opus artis: ex arte tamen, & natura non fit vnum per se, sed aggregatum per accidens: neque natura subijcitur, aut subordinatur arti, sed tantum supponitur ab arte: ita in nostra caussa: In qua potius apparet dependentia, & subordinatio spiritualis potestatis à temporali, quatenus hanc illa necessario supponit, non è contra: qua ratione possumus etiam dicere, Gratiam subordinari naturæ, non naturam Gratiæ, in esse naturali: quia Gratia nihil operatur, nisi in natura: natura verò sine gratia omnia sua opera peragit. Et hoc est, quod dicebat Optatus: Ecclesiam esse in Repub. non Rempub. in Ecclesia. Solam igitur dignitatem, non iurisdictionem considerabat Nazianzenus: Et similitudine illa sua, solam dignitatis prælationem in potestate spirituali, non iuris & Imperij, prætendebat; ac nihil plus contendebat, quā contenderit eodem tempore etiam Ambrosius, in comparatione vtriusq; dignitatis. Honor igitur, *inquit Ambrosius de dignit. sacerd. c. 2.* & sublimitas Episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longe erit inferius, quàm si plumbi metallū ad auri fulgorem compares; quippe cum videas Regum colla, & Principum, submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri.] Non dicit, Reges & Principes sua sceptra & diademata submittere Pontificis voluntati, & arbitrio; sed colla, & corpus, in petendis orationibus Sacerdotum, eorum genibus, humili inclinatione, submittere, ac manus, non pedes deosculari, spiritualem duntaxat opem implorantes.

XXIV. Neq; est cur timeant confusionem aduersarij; si adeò distinctæ sint hæ duæ potestates, vbi vnica, & eadem est Communitas. *Quid si*, inquit Carmelita contr. Fulg. *duæ hæ potestates præcipiant contraria, vtri earum obediet subditus?* Respondeo: faciat id quod per tot sæcula factum est, quando Ecclesia erat sub Principibus Ethnicis: & quod nūc facit ipsa sub Turcis, & Idololatris: Regula est, *Actor. 5. 29. Oportet Deo magis obedire quam hominibus*; si contingat vt alterutra potestas præcipiat peccatum. Sed vbi Princeps est Christianus, sufficit illa directio, quam supra posuimus, vt non vtatur sua potestate, nisi ad amussin fidei per rectam conscientiam. Addo, vix contingere posse positum casum, etiam vbi dominantur gentiles: supponimus enim eos legem naturæ sequi, & iustas leges in lege naturæ ferre, iustaq; edicta promulgare: iustum autem lege naturæ fundatum non est contrarium Deo. Et si contingat esse contrarium legi humanæ Ecclesiasticæ, cum hæc non possit auferre ius Principum, in iure diuino naturali fundatum, obediatur Principi: & Ecclesiastici caueant, ne suis legibus lædant ius Principum naturale. Quod si loquamur de præceptis Ecclesiasticis proprijs, id est, circa fidem & spiritualia: quæ ad salutem æternam spectēt animarum, nunquam poterit contingere, vt aut Ecclesia præcipiat contraria Principi, aut Princeps contraria saluti animarum, si extra limites proprios non exsiliant. Quia sicut potestates sunt inter se plurimū toto ordine distinctæ, ita materia vtriusq; longe diuersa est ab altera. Si ergo neutra ingrediatur fines alterius, & neutra in alterius materiam pedem ponat; nunquam occurret periculum confusionis.

XXV. *Quod si*, inquit idem Carmelita, *super aliqua re contingat dubium, sit ne spiritualis, & spectet ad Ecclesiam, an temporalis, & spectet ad Principem, quis rem definiet si vna potestas non subsit alteri? Ac sane si velis vtraque cogere, Pontifex excommunicabit non parentem, parentem verò eundem Princeps trudet in carcerem, &c.*]

Respon-

Respondeo, non esse ad hæc incommoda quærendum remedium ex iudicio vllius tribunalis externi, nam si alterutrum facies iudicem in hoc, siue Ecclesiasticam, siue laicam gerentem potestatem; certum est pro se quemq; pronunciaturum, & in propria caussa iudicium dicturum, cui alter merito stare nolit. Si vero vtrique superiorem quæras, hic in terris non datur, nisi solus Deus. Satis ergo est tribunal internum rectæ rationis: cum præsertim per se notoria sint ea, in quibus dubium ordinarium proponitur. Pure enim spiritualia ad laicum non spectant principem: sicut nec temporalia ad Ecclesiasticum: & mere spiritualia sunt à temporalibus omnibus distinctissima, ac per se notissima. Dices: *Laicus Princeps admittit matrimonium intra gradus prohibitos: Ecclesia non admittit, quid faciet subditus? cui obtemperabit.* Respondeo: Principes Christiani cum Ecclesia iam libenter in hoc conueniunt. *Quod si nollet aliquis conuenire, sed suo iure vti*; Respondeo: Ecclesia circa matrimonia tenetur sequi consuetudines locorum, vt docui *lib. 5.* præcedenti. Et matrimonium requirit voluntarium consensum; subditus ergo Christianus non consentiat matrimonio à Deo prohibito, etiam lege laica concesso; neque enim iure cogi potest à Principe laico quispiam liber, vt inuitus matrimonio se iungat, vel talem aut talem ducat, cui ille nunquam se obligauit. Et si cogeret ille, esset tyrannus, & contra legem naturæ abuteretur potestate: nos vero loquimur de vsu legitimo vtriusque potestatis. Nonne interdum etiam in Ecclesia contingere possunt casus perplexi? vt si in foro externo constaret matrimonium validum inter iugales, in secreto [illegible] alter coniugum sciret impedimentum, & nullitatem matrimonij. *c. Litteras, de test. spol. & Inquis. de sent. excomm.* Ecclesia coget illum sub excommunicatione ad coniugem accedere; ille vero peccabit, si obediet, nec obedire tenetur. Ita erit in omnibus [illegible] casibus qui fingi possunt: sed resolutio fiat [illegible] ad legem diuinam naturalem, & tolletur [illegible]. In matrimonio autem lex ciuilis præfe[illegible] Ecclesiasticæ.

XXVII. Fallitur vero plurimum idem Carmelita, [illegible] posse eidem subdito præcipi contraria ab Ec[illegible] Principe: *Vt si, inquit, Ecclesia velit adhibere [illegible] subditum in vna functione: & Princeps in alia.*] Ecclesia enim proprie versatur circa spiritualia, quæ sunt omnia [illegible] interna, ac propterea non potest eripere subditum Principi, quem ipse adhibeat in functione corporali: sicut neque Princeps, quantumcunque [illegible] teneat hominem fidelem sibi subditum functionibus corporalibus, potest vllo modo impedire [illegible] actus internos spirituales. Et si Ecclesia præci[illegible] actus externos corporales, vt accedere [illegible] sacris interesse, &c. si Princeps tunc eo[illegible] præcipiat custodiam mœniorum, pu[illegible] Ecclesiæ præceptum cedit, quia actus externi [illegible] corporei non possunt præcipi fidelibus ab Ecclesia [illegible] præiudicio laicæ potestatis: quæ plenum [illegible] habet in actus externos corporales ad bonum regiminis [illegible], quod totum externum est, & maxima [illegible] corporale. Neq; hinc inferas, parendum esse Regi prohibenti Synaxes Christianis, & sacros ad Sacramenta conuentus, conciones, baptismum, & [illegible]: cum hæc sint [illegible] externa. Vbi enim Princeps temporalis, non [illegible] ad locum aut tempus, aut modum [illegible], sed quoad rem ipsam, in [illegible] persecutionem Christianæ fidei, impedit illas [illegible] actiones, quas [illegible] Christo institutæ, [illegible], ac necessariæ ad animæ salutem & [illegible] propagationem per euangelizationem, seu stabilimentum per Christianas Synaxes, & Sacramentorum participationem, obediendum magis est Deo, quam hominibus. Si vero actiones illæ, præsertim frequentes conuentus, non sunt necessariæ ad salutem animæ (quæ salus potest sine talibus conuentibus haberi) ad vitandum scandalum illæ omittendæ sunt; & Principi parendum: præsertim vbi Princeps, quod facile constabit, non in odium fidei, sed ad ciuile Reipublic. bonum alias actiones corporeas præciperet: vel ex iusta, aut saltem probabili caussa boni communis, conseruationis sui status, etiam aliquas actiones, vt sibi suspectas, vitaret & prohiberet, quæ possent rationabiliter malas inijcere Principi suspiciones. Sunt igitur adeo inter se hæ duæ potestates Ecclesiastica, & laica, separatæ & seiunctæ, vt ne minima quidem sit inter ipsas subiectio, aut subordinatio; sed vtraque intra ambitum suum sit suprema.

CAPVT IV.

Principibus ab omnibus parendum, & omnes eis subiectos esse in temporalibus.

SVMMA CAPITIS.

Loca Scripturæ varia producuntur, num. 1. *Sed potissimum ponderatur, explicatur & defenditur locus Pauli*, Omnis anima, &c. *à* num. 2. *ad* num. 18.

Sancti Patres se perfecte Principibus subiectos in temporalibus agnouerunt, à num. 19. *ad* num. 21.

Insigniter tamen Gregorius subiectionem hanc agnouit, à numer. 23. *ad* num. 42.

Confirmatur eadem subiectio ex Concilijs, & legibus publicis, ac Patrum dictis, num. 43. 44. 45.

Fit comparatio inter obedientiam priscorum Pontificum, & duritiem posteriorum, num. 45. 46. 47.

Ex Bellarmino eadem subiectio confirmatur, num. 48.

Item ex vsu & praxi Ecclesiæ, & exemplis, à num. 49. *ad* numer. 77.

Ecclesiastica Decreta eandem sanciunt subiectionem, à num. 78. *ad* num. 89.

Obiectiones aliquæ soluuntur, num. 90. 91. 92.

PRINCIPATVS terreni, cum à DEO sint immediate instituti, & Principes sint in terris Vicarij Dei in regimine temporalium, quis non videt, ex ipsa diuina ordinatione, humanum genus totum subijci terrenis Principibus, eisque ab omnibus parendum esse? Hoc plane totum est Apostoli Pauli argumentum, *Rom. 13. 1. Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*] Et affert caussam quare quisque Principibus debeat esse subiectus; *quia non est*, inquit, *potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Dei minister est. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo & tributa præstatis. Cui tributum tributum, cui honorem honorem.*] CHRISTVS vero *Matth. 22. 21. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*] Et voluit ipsemet didrachmum soluere, *Matth. 17. 23.* quod tamen signum erat manifestum subiectionis. Et rursum Paulus, *ad Tit. 3. 1. Admone*, inquit, *illos, Principibus, & potestatibus subditos esse.*] Et Petrus *1. Petr. 2. 13. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis.*] Iudas denique in *Epist. sua cap. 8.* inter aliquorum impiorum grauissima vitia illud numerat, quod Dominationem spernerent. Referunt hoc Constitutiones Apostolicæ, *Constit. Apost. l. 4. cap. 12. & l. 7. cap. 17.* cuiuscunque illæ sint. Quæ

sanè loca sacræ scripturæ, nisi moderni Theologi aliqui essent pertinaciores, satis sola esse deberent, ad Principum generalem erga quoscunq; homines potestatẽ stabiliendam. Quia tamen ea conantur plurimũ distorquere, vt generalem hanc auferant Principibus potestatem, eamq; minuant non parum, eis, & multos homines, & multa negotia eripientes, parumper his immorandum, vt absolutam, & eam generalem agnoscamus Principum potestatem, in omni negotio temporali, & in omnes personas, in ipsorum Regnis constitutas.

Certè hæc omnia ferè, & alia sacræ scripturæ loca, Augustinus de Principum terrenorum potestate intellexit, ita scribens, *in Psalm.118. conci. 31.* Principes persecuti sunt me gratis. Quid enim Christiani læserant regna terrena (*vt Principes in eos persecutionem excitarent omnino sine caussa*) quamuis eis Regnum cœlorũ promiserit Rex eorum? quid, inquam, læserant regna terrena? Nunquid eorum Rex milites suos prohibuit impedire & exhibere, quæ debentur Regibus terræ? Nonne de hoc sibi calumniam molientibus Iudæis, ait, *Matth.22.20. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt?* Nonne tributum de ore piscis etiam ipse persoluit? *Matth.17.23.* Nonne præcursor eius militibus regni huius, quod facere deberent pro æterna salute quærentibus, non ait: *Cingulum soluite, arma proijcite, Regem vestrum deserite, vt possitis Domino militare:* sed ait: *Luc.3.14. Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum?* Nonne vnus militũ eius, & dilectissimus Comes eius, commilitonib. suis, & quodammodo Christi prouincialibus dixit, *Rom. 13.1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit?* & paulò post ait: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c.* Nonne *1.Tim.2.2.* præcepit, vt pro ipsis etiã Regibus oraret Ecclesia? Quid ergo eos Christiani offenderunt? Quod debitum non reddiderunt? In quo Christiani non sunt terrenis Regibus obsecuti? Ergo terreni Reges Christianos gratis psecuti sunt.]

III. Item alibi, quid significauerit olim Babylonica seruitus, explicat *idem Aug. l. de Catech. rud. c.21.* hoc pacto, dicens: Hoc autem totum figurate significat, Ecclesiam Christi in omnibus sanctis eius, qui sunt Ciues Hierusalem cœlestis, seruituram fuisse sub Regibus huius sæculi. Dicit enim & Apostolica doctrina, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, & cætera, quæ, saluo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddimus, quando & ipse Dominus, vt nobis huius sanæ doctrinæ præberet exemplũ, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum soluere nõ dedignatus est.] Audis sanctos omnes Regibus seruituros, iuxta sanctam doctrinam Pauli: *Omnis anima, &c.* Putasne in numero Sanctorum Ecclesiasticos reponendos? Imò fortassis Monarchici nostri solos Ecclesiasticos dicent esse Sanctos, reliquos omnes mundanos. Audis Augustinum fatentem, se constitutionibus humanis Principũ stare: Audis Christum dedisse nobis exemplum, vt Principibus subiecti essemus? Tu vide an in illo verbo, *Nobis*, includat Augustinus etiam Ecclesiasticos? nam si non includit, Christus ergo non dedit omnibus exemplum subiectionis: expecto vt hoc etiam impietatis à nostris admittatur. Nonne Ecclesiastici omnes sunt Pauli commilitones? & tamen audiuimus ex Augustino, Paulum commilitonibus suis dixisse, *Omnis anima, &c.* Quomodo verò Patres hunc locum intellexerint, iam expressius ostendamus.

IV. Irenæus *lib.1.cap.24.* ita scribit: Non Diabolus determinauit huius sæculi Regna, sed Deus; Regis enim cor in manu Dei: & per Salomonem ait: Per me Reges regnant: & Paulus hoc ipsum ait: Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti estote.] Et Tertullianus *de Idolat. cap.25.* Quod attinet ad honores Regum vel Imperatorũ, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptum, subditos Magistratibus, & Principibus.] Hinc Glossa interlinearis: Omnis anima, *inquit*, potestatibus sublimioribus subdita sit: id est, sæcularibus, bonis vel malis: in hoc quod sublimes, id est, in mundanis.] Chrysostomus quoq; *homil.23. in Ep. ad Roman.* illud habet: Sed eas *Paulus mouet rationes*, quæ Potestatibus ex debito obedire iubent, ostendens, q; ista imperentur omnibus, & Sacerdotibus & Monachis, non solum sæcularibus: id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit: *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita sit: etiamsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatem subuertit ista subiectio.*] Exclude tu Ecclesiasticos ab illa propositione vniuersali Apostoli, si melius sapis quam Chrysostomus.

V. Scio diuerticula: Generalis, *inquiunt*, est propositio, vt omnes suis superioribus subdantur, nempe, Ecclesiastici Ecclesiasticis, & Laici Laicis. At verò supra Augustinus de sola potestate laica illud à Paulo prolatum intellexit: & Chrysostomus nihilo secius: nam tota illa illius loci explicatione semper de solis terrenis loquitur Potestatibus. Vnde & alio loco hæc habet idem Chrysostomus, *hom. 6. in epist.1. ad Tim.* Vt quietam, & tranquillam degamus vitam.] Ac si dicat: In illorum *Regum* salute securitas nostra consistit: Quemadmodum & in Epistola ad Romanos, cum eos hortaretur obedire Principibus, ait: Nõ propter necessitatem, sed propter conscientiam. Deus enim pro vtilitate communi huiusmodi principatus instituit. Quam igitur absurdum est, cum illi idcircò militent, & arma circumferant, vt nos in tranquillitate atq; otio simus, nos pro periclitantib. ac nostri caussa labores subeuntibus, preces effundere detrectemus. Non igitur assentandi gratia huiusmodi mandatum dedit, verum iustitię seruauit leges: nisi enim illi seruarentur, atque inter bella, & hostes prospere agerent, necessario & nostra omnia turbis tumultibusq; plena essent. Nam siue militare opus fuisset, ac per nosmet eadem subire pericula concisis illis; siue fugere, vagosque per orbem terrarum ferri. Sunt enim, *inquit*, huiusmodi (*Reges*) veluti obices quidam hostibus oppositi, per quos nos in pace seruemur.]

VI. Hæc Chrysostomus: vt intelligas de quibus principibus loquatur: & an par sit, vt Ecclesiastici etiam in temporalibus illis subijciantur, à quibus non minus ipsi, quam laici, beneficio summo gaudent propriæ pacis, quietis, securitatis, & tranquillitatis. Et alibi explicatissimè locum hunc de solis potestatibus laicis intelligit idem Chrysostomus *in 2. ad Corinth. hom.15.* Sunt enim, *inquit*, Principatus genera multa: nam in vno genere populis, & Ciuitatibus imperant homines, ciuilem hanc vitam moderantes; id quod Paulus manifestans, dicebat: *Omnis anima, &c.* In alio autem genere vnusquisque mentem habens sibi ipsi imperat: quod & illic manifestauit, dicens: Si autem non vis timere Potestatem, bonum fac: insinuando sibi ipsi imperantem. Hic autem est etiam alius Principatus, ciuili sublimior: Quis igitur est ille? is qui in Ecclesia, cuius & Paulus *in epist. ad Hebr. cap.13.* meminit, dicens: *Obedite præpositis vestris, &c.*] Separatum facit

hunc

huncab illo primo, & illum ponit solum sub illis verbis Pauli: *Omnis anima, &c.* hunc verò in illis verbis non vult contineri, sed in aliis nimirum, *Obedite, &c.* Habet & illa idem Chrysostomus, *serm. de Principatu, tom. 6. Antuerp.* Iam verò qui præfectis, & Principibus obtemperat, non illis Imperantibus se submittit, sed Deo, qui hoc ita constituit, paret: At qui illis morem non gerit, Deo bellum infert; Nulla enim potestas, inquit D. Paulus, nisi à Deo.] Eundem ergo Pauli locum ipsis temporalibus Principibus applicat, quibus tanquam Deo ab omnibus sit parendum.]

VII. Basilius quoq; *in Constitut. monast. cap. 22.* verba hæc Pauli ad solos Principes temporales spectare expresse asserit: Paulus, inquit, Apostolus, in ea epistola quam ad Romanos scribit, ipsis præcipit, vt excellentioribus illi Potestatibus omnibus subiecti sint: Potestatibus, inquam, mundi, non spiritualibus: atq; hoc ex iis quæ deinceps adiecit declarauit, cum de tributis, & vectigali locutus est.] Formatque inde suum argumentum à minori: si potestatibus laicis omnino, præcipiente Apostolo, parendum est, quorum tamen vita tota, inquit, erat impietas: quanto magis obedientia præstanda est ei, qui Antistes, & Præpositus est rerum spiritualium; iuxta eiusdem Pauli aliud præceptum, *Obedite præpositis vestris, &c.*] Fateor equidem, nec dissimulo, Basilium ibidem, ex lege humana Principes imperandi potestatem habuisse, affirmare: sed non video quo pacto dictum hoc Basilij possit consistere: siquidē Paulus aperte docet, à Deo potestatem illam politicam proficisci, & id fusius ego cap. 2. probaui. Nisi Basilius sit pie interpretandus, de electione humana Principum, vt per leges humanas, hoc est, vel hæreditatis, & successionis, vel liberæ electionis Rex Regi substituatur. Sed Ambrosius quoq; *in Epist. ad Rom. c. 13.* de sola potestate laica locū hunc Pauli totum exponit. Ait enim: Principes hos, Reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa, creantur.]

VIII. Augustinus quoq; *cont. Epist. Parm. l. 1. c. 7.* vanum hoc diuerticulum nostris Monarchicis, non sine eorundem irrisione, aufert, dicens: Propter quid ergo gladium portat, qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis qui male agunt? Nisi forte, quemadmodum nonnulli eorum, tam imperitissimi, hoc intelligere solent, de honoribus Ecclesiasticis dictum esset, vt gladius intelligatur vindicta spiritualis, qui excommunicationem operatur; cum prudentissimus Apostolus consequenti contextione lectionis, satis aperiat, quid loquatur: ille quippe addit: propter hoc enim, & tributa præstatis: ac deinde subiunxit: reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem; hoc ergo iam restat, vt istis disputationibus suis prohibeant Christianos tributa persoluere, cum & Dominus talia sentientib. Pharisæis, quos imitantur isti, nummo inspecto, responderit: *Reddite*, inquit, *Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est*: hi verò in vtroq; inobedientes, atq; impij, nec Deo reddunt amorem, neq; Regibus humanum timorē.] In hoc tantū differūt nostri Monarchici ab illis imperitissimis, & impiis quos arguit Augustinus, quod illi locum Pauli ad solas Ecclesiasticas potestates trahendum conarentur: hi verò æque vtramq; potestatem in verbis Pauli generalibus inclusam esse velint. Cæterum si nō omnes fideles, saltem partem eorū, nimirum omnes Ecclesiasticos, etiam sola prima tonsura insignitos, à regali subtrahunt potestate. Et Augustini ratio, ex contextu lectionis, æque conuincit illos, atq; istos, de Ecclesiastica potestate hic sermonem esse non posse.

IX. Sed nostri, *vt Carmelita contra Fulg.* sic insurgūt, & aiunt; Anshelmus, Symmachus, Bernhardus, & alii includunt etiam Ecclesiasticas potestates.] Fateor includunt, sed non eo sensu generali quo locum nostri intelligunt supramonarchici: applicant enim duntaxat proportione, & quasi per argumentum à minori, vt nunc Basilius, hoc sensu: Si Paulus iubet omnes homines, ratione humanæ politiæ, subditos esse debere Principibus mundi; quantò magis fideles in rebus spiritualibus subiici debent suis præpositis Ecclesiasticis? Ita plane etiam Symmachus *in Apolog.* à minori suum format argumentum: Anastasium enim Imperatorem alloquens: Fortassis, *ait*, dicturus es, scriptum esse omni potestati nos subditos esse debere? Nunquid huic obiectioni respondet, eximendo se ab illa propositione, quatenus humanas continet potestates: vt se in alio membro collocet, nempe Ecclesiasticæ potestatis? minime verò, sed in humanis seipsum etiam subiicit Imperatori, quo ad spiritualia tamen, adhuc magis docet Imperatorem subdi debere Ecclesiasticæ potestati. Pergit enim & ait: Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates: Cæterum si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta diuinis. Defer Deo in nobis: & nos deferemus Deo in te.]

X. Ita quoque se ipsum explicat Anshelmus *in Ep. ad Rom. cap. 13.* vbi enim dixit: Omnis anima, id est, homo, sit humiliter subdita potestatibus vel sæcularibus, vel Ecclesiasticis, sublimiorib. sc: hoc est, omnis homo sit subiectus superpositis sibi potestatib.] Explicat, inquam, statim, se intelligere vt omnes Christiani, nemine excepto, primum subiiciantur ratione temporaliū potestatibus sæcularibus: deinde omnes item ratione spiritualium subiiciantur etiam Ecclesiasticis. Cum enim constemus, *inquit*, ex anima, & corpore, & quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium eiusdem vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, res humanas cum aliquo honore administrantibus: ex illa vero parte qua Deo credimus, & in Regnum eius vocamus, non debemus subditi esse cuiq; homini id ipsum in nobis euertere cupienti.] Ac pergit explicare, ita Christianos omnes ratione vitæ humanæ subdi debere potestatibus laicis, eisq; vectigal & tributa pendere, iuxta illud Christi: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: vt tamen eis non subdantur in iis quæ ad fidem & vitam spectant spiritualem, sed Ecclesiasticis.

XI. Eodem modo Bernhardus *Epist.* 183. ad Conradum Regem Romanorum scribens, ait: Legi quippe: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ sedi.] Quod non est nisi applicare dictum Pauli per argumentum à minori: vt si par est, vnumquemq; ex præcepto Pauli, laicis potestatibus esse in temporalibus obsequentem: quanto magis etiam ipsi Reges in spiritualibus, potestatibus Ecclesiasticis debent obsequi? Hunc verò habere intellectum verba Bernhardi, ex ipsomet Bernhardo satis intelligitur; qui *Epist.* 44. ad Senonensem Archiepiscopum ita scribit: Intelligitis quæ dico? Cui honorē honorem: Omnis anima, inquit, potestatibus sublimioribus subdita sit. Si omnis, & vestra. Quis vos excipit ab vniuersitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.] Vult sane Bernhardus persuadere Archiepiscopo pleniorem obedientiā erga Sedem Apostolicam, &

argumentatur, si diuino præcepto humanis potestatibus iubemur omnes subijci, quanto magis eodem diuino præcepto etiam spiritualib. subijci iubemur? Vnde & subdit idem Bernhardus, monens non esse audiendos illos, qui Archiepiscopo suadebant, vt propriam dignitatem contra Sedem Apostolicã tueretur: Hæc, *inquit*, isti: Christus aliter iussit, & gessit: *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quod ore loquutus est, mox opere implere curauit. Conditor Cæsaris Cæsari non cunctatus est reddere censum: Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis. Quomodo verò Dei Sacerdotibus debitã negaret reuerentiam, qui hanc sæcularibus quoq; potestatibus exhibere curauit? Porrò vos, si Cæsaris successori, id est Regi, seduli in suis curis, consilijs, negotijs, exercitibusq; adestis, indignũ erit vobis cuicunq; Christi Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est?] Apparet ergo Bernhardum non explicare locum Pauli de Ecclesiastica potestate, quam à solo iure positiuo Ecclesiastico pendere asserit; sed eum applicare à fortiori etiam Ecclesiasticæ potestati. Idem dicendum est de alijs, si qui ex antiquis in hoc loco Pauli includunt Ecclesiasticam potestatem. Relinquitur tamen illi dicto Pauli tota vniuersalitas in humanis, ita vt nemo prorsus, quo ad temporalia, ab illo eximatur.

XII. Communi diuerticulo nõ contentus Bellarminus, aliud nouum & admirabile excogitauit, vt ab hac vniuersali propositione, *Omnis anima, &c.* eximat Ecclesiasticos, præsertim summũ Pontificẽ, quem in ea inclusum dixerat noster Dalmata Illyricus; Cui sic opponit Bellarminus, *de transl. Imp. l. 1. c. 2. nu. 7.* Nec enim Paulus ait: Omnis anima potestatibus politicis subdita sit: sed *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quocirca antequam Principes Politicos exaltare incipias super omnem animam, ac proinde super ipsum etiam summum Pontificem, (de hoc enim potissima quæstio est) demonstrandum tibi erit, sublimiorem esse potestatem Magistratus politici, quàm Ecclesiastici.] Et post pauca: Num S. Paulus non apertè omnes fideles, ne Magistratu quidẽ excepto, Episcopis subiecit, cũ ait: *Obedite præpositis vestris, &c.*] Profert etiam Nazianzenum, Ambrosium, Chrysostomum, & Bernhardum, qui Principes subijciunt Ecclesiæ. Mira profectò subtilitas, & in verbo captiuncula? Potestatem hîc Bellarminus sumit in abstracto, & S. Paulus in concreto: & nomine potestatis intelligit ipsummet Principem terrenum, qui potestate pollet terrena: ait enim: Qui potestati resistũt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et statim subdit, Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali; idem ergo est Paulo hoc loco, *Potestas*, quod, Princeps, qui cum potestate est: quali loquendi forma vtimur hodie, cũ Præfectum ciuitatis Italicè vocamus, *il Podestà.* Et Postea: Vis autem, *inquit*, non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: statimq; subiungit, Dei enim minister est. Potestatis ergo nomine ipsum ministrum, & Principem intelligebat. In verbo etiam (*sublimioribus*) posuit offendiculã Bellarminus. Comparatiuum enim comparatiuè sumit, vbi Apostolus ipsum positiuè ꝓtulit. Nec nomine vtitur comparatiuo, sed positiuo: ὑπερεχόυσαις, *supereminentibus*, quod bene nouerat Bellarminus, sed maluit in voce latina pueris illudere. Si verò voce secundum grammaticalem terminationem comparatiua vsus fuisset Apostolus, non tamen inde comparationem innuisset, sed nudam relationem, in puro sensu positiuo, respectu subditorum, non respectu alterius potestatis cum qua comparetur: qui mos vtendi in sensu positiuo voce comparatiua, est ordinarius: vt, *Superior*, *Maior*, *Senior*, *&c.* Sublimioribus itaq; hoc est, sublimibus, & maximis, quæ solent etiam à sanctis Patribus Principales sæpe vocari. Quasi extra istas nullæ sint Potestates. Verum enim potestatem intelligit Paulus coactiuam, & illã quæ gladio armatur, & gladio ferit. Et ita comparari non potest cum potestate Ecclesiastica, quæ nulla talis est, & comparatio fit inter ea, quę sunt eiusdem generis. Admittamus tamen tantisper Paulum comparatiuè loqui, & in abstracto, & potestatem Ecclesiasticam esse laica sublimiorem. Igitur sensus Apostoli erit: Omnis anima subdita sit Ecclesiasticæ potestati, quę est sublimior laica. Et ita de sola Ecclesiastica potestate illud edictũ euulgauit, si stemus Bellarmino. Quid hoc stultius? an Ecclesiastica ista sublimior potestas gladium portat? An Episcopi sunt illi Principes qui sunt timori mali operis? Num Episcopis tributa debentur? Non igitur negamus potestatẽ Ecclesiasticã esse in suo, hoc est, alio genere laica sublimiorẽ, ratione obiecti immediati; sed negamus hic ab Apostolo vllam fieri comparationem: de sola enim laica potestate, quæ respectu temporalium suprema est, illud pronuntiauit, solam enim laicam potestatem Apostolus vocauit potestatẽ sublimiorem. Et quamuis, si comparentur inter se in quodam analogo superiori potestatis, superior sit Ecclesiastica in abstracto, in concreto tamen aliter res habet: Nam Princeps, vt homo fidelis, seclusa eius potestate, subiectus est Ecclesiæ, etiam quoad bonum vel malum vsum suæ potestatis, si per illam peccaret; atque ita Omnis anima fidelis est subiecta Ecclesiasticæ potestati, & obedire tenetur in rebus spiritualibus Præpositis Ecclesiasticis. Sed etiam è contrario omnis homo, vt homo, quicunq; ille sit, siue fidelis siue infidelis, siue laicus, siue sacerdos, aut Pontifex, ratione humanitatis, seclusa potestate Ecclesiastica ab iis qui illam habent, subditus est laicæ potestati: & hoc vult Apostolus. Ac sicut loquebatur cum omnibus fidelibus, quando eos, ne Magistratu quidẽ excepto, præpositis subijceret Ecclesiasticis, ita cum omnibus etiam loquitur, imò & exprimit per terminum vniuersalitatis, *Omnis*, quod non facit erga Præpositos, quãdo eos, ne Pontifice quidem excepto, potestati sublimiori, hoc est, laicæ subijcit. In temporalibus enim nulla alia potestas datur in mundo, quæ sit sublimior potestate Principis: & in spiritualibus nulla est sublimior potestate Pontificum. Ac sicut potestas laica non eximit Principem fidelem, respectu spiritualium, à potestate Ecclesiastica; ita sacerdotem & Pontificẽ, hominem, Ecclesiastica potestas non eximit à potestate sæculari, vt in sequentibus fusius explicabitur.

XIII. Quod si ratio etiam consideretur quæ mouit Paulum ad illud edictum promulgandũ de subiectione omnis animæ potestatibus sublimioribus, quam considerãt, Origenes, Chrysostomus, August. Anshelmus & alij, manifesto apparebit, Paulum de sola & vniuersali cuiuscunq; hominis fidelis subiectione, laicis potestatibus præstanda, edictum ipsum promulgasse. Ea verò ratio est, quiam facile potuissent noui Christiani putare, se gratia Christi liberatos à iugo Regum, præsertim gentilium. Quæ cogitatio quia poterat magna scandala excitare, & graues persecutiones Principum gentilium contra fidem Christi commouere; vt tanto malo occurreret D. Paulus, edicit omnibus, vt in subiectione permaneant erga Principes temporales. Quia igitur nullum erat periculum, nullaq; suspicio, ne fideles ab obedientia Ecclesiastica descisceerent, idcirco nihil erat ad rẽ Paulo,

vt de

ut de obedientia Ecclesiastica loqueretur; sed insistendum erat, ut fideles in subiectione temporalibus potestatib. debita perseuerarent. Quinimo, si ad nouum sensum nostrorum Paulus vniuersali illo edicto seorsim Ecclesiasticos Ecclesiasticis, seorsim vero Laicos Laicis subiecisset; errori & periculo quod imminebat, satis non occurrisset; nam Principes ægerrime ferunt, ut vel vnus subditus ipsis rebellet, & ab ipsorum sese eximat potestate: quanto magis in Christianam fidem incensi fuissent, si Presbyteri omnes, Diaconi, Prophetæ, Doctores, Euangelistæ, & alij plurimi, sese liberos esse ab ipsorum potestate professi fuissent? Vt igitur etiam istos compesceret, istos etiam in edicto suo generali monuit, ut in subiectione debita Principibus sæcularibus permanerent. Quo tota fere Chrysostomi supra posita respicit expositio.

XIV. Sed in hoc audiamus Origenem *in epist. ad Rom. l. 9. in cap. 13.* qui explicans locum Pauli de subiectione debita potestatibus, scripsit hoc pacto: Ordinat quidem per hæc Paulus Ecclesiam Dei, ut nihil aduersi Principibus, & potestatibus sæculi gerēs, per quietem, & tranquillitatem vitæ, opus iustitiæ, & pietatis exerceat. Si enim ponamus, verbi gratia, credentes Christo, Potestatibus sæculi non esse subiectos, tributa non reddere, nec vectigalia pensitare, nulli timorem, nulli honorem deferre, nonne per hæc Rectorum ac Principum merito in semetipsos [illegible] conuerterent; & persecutores quidem suos excusabiles, semetipsos vero culpabiles redderent? non enim iam fidei, sed contumaciæ causa impugnati viderentur, & esse eis causa quidem mortis, meritum vero mortis indignum.] Et ante ipsum Ignatius *epist. 7.* prudentissime monuit fideles, ita scribens ad Antiochenos, de Cæsare gentili & idolatra: Cæsari subiecti estote, in ijs in quibus subdi nullum animæ periculum est: Principes nolite irritare, ut exacerbentur, ne ansam detis eis qui illam contra nos quærunt.] Audiamus etiam Augustinum, ex quo ad verbum Anselmus suam deprompsit expositionem: Augustini verba sunt, *in lib. expos. quarundam proposit. ex Epist. ad Rom.*

XV. Quod autem ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo:* rectissime admonet, ne quis ex eo, quod à Domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, ut potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet non se esse subdendum. Cum enim constemus ex anima & corpore, quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ huius vitæ vtamur, oportet nos [illegible] ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est; hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte qua credimus DEO, & in Regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis euertere cupienti, quod DEVS ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant Potestatibus, in magno errore versatur: item si quis putat se esse subdendum, ut etiam in sua fide habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iste seruandus est quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & DEO quæ DEI sunt.] Hucusque Augustinus: qui & de solis humanis potestatibus Paulum loqui intelligit, & neminem prorsus Christianum inde putat eximendum. Alibi vero *Epist. 164. & cont. epist. Parm. lib. 1. cap. 7.* ex eodem Pauli loco idem Augustinus probat Principes sæculi ex officio proprio contra Schismaticos Donatistas Episcopos, legibus, & pœnis corporalibus agere, & in causa Ecclesiastica, nempe Schismatis. Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit; Ex regula, *inquit*, terrenæ potestates eum Schismaticos persequuntur, se defendunt. An Apostolum delebimus?] Atque ex hoc Pauli edicto dat Augustinus Principibus potestatem propriam, qua ex officio proprio procedant, etiam contra Episcopos, & clericos, qua Schismatici sunt, & pro causa schismatis. Augustino annectere possumus Theodulum Cœlesyriensem, qui dicit, Paulum *in illo cap. 13. ad Rom.* multa prouidentia monstrare, Christi Euangelium, non ad publicæ bonæ ordinationis subuersionem datum esse, eo quod satis esset hostium qui veritatis nomine sint nos oppugnaturi: & quod nos aduersus tot hostes, eosque superfluos, cogitare oporteat.]

XVI. Opponit se Bellarminus *cont. Barcla. cap. 3.* & ait: *Etiamsi non eximebat Apostolos ab illa subiectione professio Christianæ religionis, eximebat tamen Principatus Apostolicus, qui sublimior est omni principatu naturali.*] Alij vero insurgunt *cont. Fulg.* discrimen ponentes inter Baptismum & Ordinem; *Baptismus*, inquiunt, *relinquit hominem in communi hominum cœtu: Ordo vero eleuat ad paternitatem etiam supra Principem.*] Sed quod spectat ad Apostolatum, cum is in solis, ut concedunt ipsi, reperiatur Episcopis; imo, fortasse ex eorum placitis, in solo Papa; vel solus Papa, vel, ad summum, soli Episcopi erunt, per Bellarminum, exempti à potestate laicorum; cur ergo eximunt etiam coquos monachorum, *cap. Parochianos, de sent. excom. in 6.* nullo sacro ordine, imo ne minori quidem insignitos, dummodo incedant cucullati? O Venerandos lixas, & extra omnes sæculi potestates positos: qui scilicet è monachali culinâ vncti adeo pulchri emergunt, ut & sacram ordinis Ecclesiastici vnctionem æquiparent, & ipsos vnctos Domini Reges dominos suos non agnoscant. Noui ipse pagum in Insula Vegliensi vilissimum centum domos, ut plurimum stramineas vix excedentem, in quo presbyteri & clerici sint supra sexaginta, qui ingenue fateri solent, se tam multos ad clericatum accedere, ut immunes sint ab oneribus quibus rustici illi à Principe suo iuste premi solent, ac præsertim ne in triremes trudantur ad remigandum. Ita, prætextu sacrorum ordinum, Principes à proprijs subditis deluduntur, ac interim Ecclesia repletur quisquilijs otiosorum, imo & sordidorum sacerdotum.

XVII. Directè tamen respondeo, si Baptismus non debet esse iniurius Principibus temporalibus, ab ipsorum subiectione subditos eximendo, neque Apostolatus, neque quicunque Ordo sacer similiter debet ipsis esse iniurius; alioquin merito in fidem Christianam succenserent: ac propterea vel ipse CHRISTVS, & in se, & in suis Apostolis subiectionem illam, quam præsumptiue, ut supra docui, ipse, Apostoli vero naturaliter tenebantur obseruare, & à se & ab ipsis seruari voluit, in tributorum solutione, *Matth. 17.* ac iudiciorum toleratione *Ioh. 18.* claraq; præceptione, ut ab omnib. quæ sunt Cæsaris, Cæsari redderetur, *Matt. 22. 20.* Si igitur Christus neque

se ipsum, neque Apostolos, ac præsertim Petrum, ab hac subiectione voluit eximere; meritò Paulus omnes inclusit; ne Principes temporales in fidem nostram initiarentur; cùm præsertim, vt optimè notauit Chrysostomus, pietatem huiusmodi subiectio non subuertat. Vnde ergo propter Apostolatum, vel ordinem, Ecclesiastici audent se in rebus humanis, & ciuilibus ab obedientia Principum subtrahere? Si Apostolatus vel Ordo, humanitatem ab homine nō aufert, certe quandiu homo homo est, quantumcunque sit ordinatus, & ad ecclesiasticas dignitates prouectus, adhuc tamen homo est, & naturaliter ciuilis; ac propterea de iure diuino naturali in rebus humanis, huius mundi potestatibus est subiectus: cū præsertim & Apostolatus, & Ordo sacer, nudum & purum dicant ministerium, ac seruitutem, vt fuse docui huius operis libr. 2. vbi ipsum Ordinem ostendi vix aut ne vix esse sacramentum, ac propterea Baptismo longè inferiorem: & si Baptismus non remouet hominem à statu naturali, neque eum liberat ab obligationibus, quas secum fert humana natura: multominus Ordo Ecclesiasticus illum remouebit, & liberabit.

XVIII. Sensit se Bellarminus vrgeri illō argumento à Barclaio: *Lex Christi neminem priuat iure dominioque suo*: Respondetque; *contr. Barcl. c.34. Verum est*, inquit; *per se ac propriè*: quasi hoc ipsum intendat, nisi aliquis culpâ suâ priuari mereatur; sed tamen dum euehit laicos ad ordinem altiorem, id est, clericorum, non est mirum, si consequenter priuet Principes iure quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiori: neque desunt exempla in alijs rebus tam profanis, quam sacris.] Exemplificat in priuato subdito Comiti, & facto Principe à Rege; & Principe qui sit superior, & Dominus illius Comitis: in Presbytero simplici subdito suo Episcopo, & mox creato Metropolitano illius eiusdem Episcopi: in marito infideli, qui priuatur iure suo maritali, in ipsius vxorem conuersam: in viro Christiano, qui per ingressum vxoris in religionem illa priuatur: in filio facto Episcopo, in quem pater amittit patriam potestatem.] Sed hæc omnia nihil faciunt contra propositum argumentum. Quæro enim, quæ sit, proportione, maior euectio, & gradus eminentior, Christianismus ne respectu infidelis, an clericatus respectu Christiani laici? certè in priori euectione homo filius Diaboli, seruus peccati, euehitur in adoptionem filiorum Dei: in posteriori verò quid amplius habet clericus à laico? nudū ministerium; vt docui libro secundo: & tamen illa maxima euectio, non eripit Christianum à potestate, & subiectione sæcularis Principis, etiam infidelis. Nihil ergo habet Bellarminus quod vel minimam contineat probabilitatem. Exempla verò sunt diuersæ plurimum rationis: in illis enim tota prior destruitur subiectio, quia & potest facilè destrui, ipsius destructo fundamento; cuius destructio est in humana potestate. Subditus enim Comitis, factus Princeps, nihil àmplius retinet subiectionis, quæ tota destruitur voluntate Principis, ex cuius delegatione solâ is illi subdebatur: subdebatur verò tanquam priuatus, & Rex tollit ab eo esse priuatum, per subleuationem ad Principatum. Ita presbyteri tota destruitur subiectio, dum priuatus amplius non est; neque in eo quisquam ipsius remanet, dum fit Episcopus: sic in illis vxoribus destructo contractu, destruitur subiectio: & in filio facto Episcopo, subiectio tollitur filialis, quæ est quiddam legale, non naturale: nam tollitur etiam lege humana per emancipationem: & Principes, qui sunt legalium Domini, statuerunt, Episcopatum habere vim emancipationis *Nouell. 81.* At verò subiectio hominis cuiuscunque, ad suum Principem naturalem, est de iure diuino; cuius fundamentum est natura humana; & hæc subiectio destrui non potest, nisi natura ipsa humana, quæ est fundamentum subiectionis, in illo, qui non debet subijci Principi, tota destruatur; aut saltem expresse Deus illum eximat, qui solus eum subiecit. Si Episcopus, ordinādo presbyterum, posset consequenter destruere, vt presbyter non sit amplius homo; sicut Princeps absolutè destruit, vt priuatus non sit priuatus; & vt filius non habeat vinculum legale sub Patre; & sicut leges destruunt, vt est in vsu, contractum matrimonialem in certis casibus, quia omnia ista facilè ab hominibus possunt destrui: exempla iam valerent. Imò addo Regem posse eximere à subiectione priuatum Comitis subditum; etiamsi maneat priuatus, neque loco mutetur. Cùm enim Rex sit supremus ille Princeps, qui habet subditos suos, tam Comites, quam subditos Comitū; iam illum priuatum sibi subijcit immediatè, & priuat Comitem iure illo, quod tanquam delegatum habebat: ita Deus posset (quis negat?) clericos eximere, etiam non destructa natura humana in ipsis: sed de hoc nihil constat. Interim est regula generalis: *Rom. 13.1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: & ratio naturalis diuinam hanc esse patefacit institutionem. Certè Catholici Autores Occam, & Almaynus *de Eccl. & Laica potest. q.2. cap.7.* asserunt. Si seruus Imperatoris Papa fieret, quantum est ex iure diuino, secluso jure humano, Papam illum mansurum adhuc nihilo secius seruum Imperatoris. Malè ergo Bellarminus eodem loco ait, *Deum, qui Papam in terris Vicarium suum constituit, in hoc ipso eum exemisse ab omni potestate Principum terræ.*] Hoc enim gratis dicitur, nam per Papatum humana natura in Papa non destruitur; & Deus se illum eximere nunquam declarauit, imò contrarium apparet in Scripturis, vt est iam ostensum, & vlterius ostendetur, tam in persona Christi, quam in personis ipsius sanctorum Apostolorum.

XIX. Censuerunt antiqui sancti Patres, & apertè testati sunt, se naturaliter, in humanis, Principibus esse subiectos. Iustinus Martyr *apol. 2. ad Ant. Imp.* sic alloquitur Imperatores: *Nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus alijs læti inseruimus; Imperatores ac Principes hominum esse profitentes.*] Athanasius *in apol. ad Constan.* Constantium Imperatorem, etiam Arianum, sic alloquitur: Nequaquam restiti mandatis tuę pietatis. Minime gentium; Absit. Non enim ego is sum, qui vel quæstori ciuitatis restitero, nedum tamen Imperatori. Certè me profectioni adornabam. Nam & huius quoque rei conscius est Montanus, vt literis tuis acceptis, si dignatus fuisset scribere, statim decederem, & promptitudine obsequendi mandatum tuum anteuenirem. Non enim ita insanio, vt istiusmodi præceptis contradicendum putarim. Ex decreto tuæ Majestatis voluntatem tuam cognoscere studebam: sed neque tum accepi quod iure postulabam, & iam in præsentiarum nulla alia de causa accusor. Non enim restiti decreto tuæ pietatis, neque Alexandriam ingredi conabor, quandiu id per tuam humanitatem non licebit.] Et tamen agebatur de iniusto exilio Athanasij, & de iusta ipsius in suam sedem restitutione; ille verò insaniam in se agnouisset, nisi Imperatori è sua sede illum pellenti, paruisset; neque sine eiusdem iussis ad suam sedem reuerti audet. Adeo infixum habebat Pauli præceptum, Omnis anima, &c. Ambrosius quoque ad Eugenium Augustum *in epist. 88.* ita scribit: In his in quibus vos rogari decet, etiam &

me

me exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut & scriptum est, *Rom.* 13. 7. Cui honorem honorem, cui tributum tributum: nam cum priuato detulerim corde intimo, quomodo ei non deferrem Imperatori? sed qui nobis deferri vultis, patimini vt deferamus ei, quem Imperij vestri vultis autorem probari.] Vides in Ambrosio Episcopo distinctionem, vt sit, & homo, & Episcopus: vt homo, defert Imperatori debitum obsequium, ex Apostolico præcepto, vt Episcopus verò, qui diuina curabat, Imperatori subijci in diuinis detrectat. Sed quæ melior, quam ipsorum Romanorum Pontificum attestatio? Gelasius *in epist.* 10. Si, *inquit Imperatori Anastasio*, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, &c.] Fatetur ergo, quæ pertinent ad publicarum rerum ciuilium disciplinam, etiam religionis Antistites obedientiam ei præstare debere: & dat rationem, quia à Deo habet imperium. Symmachus similiter *in Apolog.* Nos quidem, *inquit*, potestates humanas suo loco suscipimus. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te.] Vtraq; sane potestas à Deo: deferre ergo Deo in Pontifice tenetur Imperator in diuinis rebus vt fidelis: & Pontifex, vt homo, in humanis deferre tenetur Deo in Imperatore. Quid clarius?

XX. Archimandritæ Constantinopolitani ad Agapetum Papam ita scripserant contra Eutychianos, *in quinta Syn. act.* 1. *tom.* 2. *conciliorum*, licenter omnia accedent, non contra Ecclesiasticos solos, sed etiam contra ipsum piissimum Imperatorem, nostrum & vestrũ honorabile caput.] Gregor. *lib.* 4. *epist.* 31. ad Mauritiũ Imperatorem ita scribit: Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius seruitorem, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.

XXI. Iam vero rem factis ipsis comprobemus. De Eusebio Samosatensi Episcopo, viro sancto, & admodum laudabili, narrat Theodoretus *hist. l.* 4. *cap.* 5. Cum, *inquit*, edictum Imperatorium, quo iubebatur in Thraciam proficisci, ad eum esset perlatum, a[illegible] ijs, qui eius retignari sunt, percecessarium ad cognoscendum; sub crepusculum enim venit nuncius, qui hoc edictum afferebat: Quem Eusebius tacere, & causam aduentus occultare iubet. Nam si plebs, *inquit*, studio pietatis educata, intellexerit, te demerget in flumen, & à me certè pœnæ tuæ mortis expetentur. Hæc locutus, & vespertino precum ministerio de more perfunctus, tempore quo somnus solet obrepere, senex solus, fide vnius famuli [illegible] eius, ex vrbe egreditur. Sequitur famulus, ceruical [illegible] atum, & librum secum deportans. Cum autem [illegible] entum est ad ripas fluminis (nam muros vrbis præterlabebatur Euphrates) conscensa naue, iubet remiges recta traijcere Zeugma. Vbi illuxit dies, iste Zeugma appulit. Samosata querelis, & luctu redundarunt. Nam eius discessu per famulum illum, qui necessarijs Eusebij quædam exposuerat mandata, & quinam essent eum comitaturi, qui etiam libri vna exportandi, indicauerat, patefacto, omnes se pastore orbatos lamentabantur. Itaque frequenter per flumen nauigare, quo eum quærant, cœperunt. Atque vt primum ad eum veniunt, videntque pastorem suum desideratum, conqueri, gemere, & ingentem vim lachrymarum fundere, quo persuadeant ei, vt apud ipsos maneat, vt minime sinat oues lupis tradi. Verum cum persuadere non possent, audiuissentque eum recitantem præceptum Apostoli, quo perspicuè iubemur Magistratibus & potestatibus obtemperare: pars aurum, pars argentum, vestem alij, alij famulos ei offerunt; vtpote in regionem peregrinam, & longe illinc sitam profecturo. Iste autem paucis quibusdam rebus, ab ijs, qui erant familiaritate coniunctiores, acceptis, vbi omnes tum doctrinæ; tum precationis armis communiuerat. & magnopere cohortatus fuerat, vt dogmata Apostolica viriliter propugnarent, ad Istrum contendit. Illi ad vrbem suam reuersi, se ipsi mutuo excitare, & luporum incursiones fortiter depellere nituntur.] Hucusq; Theodoretus.

XXII. Et mihi sanè admirabilis prorsus videtur hæc Historia: dum vir, Nazianzeno *in epist.* 28. *&* 30. teste, sanctissimus, longè pluris sibi faciẽdum duxit naturale & Apostolicum præceptum de præstanda Principibus obedientia, quam vel proprium, vel etiam gregis sui grauissimum incommodum, præsertim quod iniustissimo exilio, ab impio Ariano, Valente, ab Ecclesia sua pelleretur. Et quamuis populi gratia & feruore resistere poterat: impio tamen edicto Imperatoris parere voluit, non tam ex necessitate, quam ex conscientia. Recitabat enim, *inquit Historia*, præceptum Apostoli, quo perspicuè iubemur Magistratibus & potestatibus obtemperare.] Athanasius ab hoc, vt paulo ante vidimus, non dissensit. Sed nostrorum temporum Episcopi classicum statim canerent, populum ad seditionem concitarent, & fulminibus armati, contra huiusmodi Principes, ad eorum deiectionem vsque decertarent.

XXIII. Gregorius etiam Primus, alioquin suæ eminentiæ Ecclesiasticæ non parum tenax, prodest in exemplum subiectionis & obedientiæ, in rebus humanis erga Principes, celeberrimum. Mauritius Augustus legem tulerat, in qua erat, Vt nulli, qui in manu signatus est, conuerti liceat. Quæ lex impediens Milites ne possint fieri in Monasterijs religiosi, visa est Gregorio iniusta, & nihilominus ei ipsi, vt eam promulgaret, mandarat Imperator. Gregorius *vero l.* 2. *ind.* 11. *ep.* 61. vt Deo, & conscientiæ satisfaceret, de iniustitia legis monet modeste Imperatorem, interim tamen propter subiectionem, & debitũ obedientiæ, voluntatem exequitur, & mandatum implet Imperatoris. Christum etiam inducit his verbis Imperatorem compellantem: Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis?] Ac concludit Gregorius: Ego quidem IVSSIONI SVBIECTVS, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordet, ecce per suggestionis meæ paginam, serenissimis Dominis nunciaui. Vtrobiq; ergo, quæ debui, exsolui, qui & IMPERATORI OBEDIENTIAM PRÆBVI, &, pro Deo quod sensi minime tacui.]

XXIII. Duo sanè maxima exempla, & tanto maioris momenti, quod in vtroq; præceptum videbatur contra Deum, & contra veram Ecclesiæ libertatem: Eusebius tamen, imo & Athanasius, & Gregorius præceptum diuinum obediendi Principibus maluerunt exequi, quam fidere proprio iudicio, & debitam obedientiam in dubium reuocare. Nunc vero propter leges Principum, in quibus multo minus Ecclesiasticæ apparent iniuriæ, excommunicationes, interdicta, comminationes, bella, priuationes, deiectiones, iaciuntur, promuntur, infectantur. O tempora! ò mores! Gregorius legẽ nõ approbat, imo reprehendit, & tamẽ non modo eã non cassat, nec annullat, sed etiam ipsemet vt pateat Principi eius promulgationis autor est præcipuus. Quod igitur dicebat

Gelasius

Gelasius Imperatori Anastasio; *Legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites,*] hoc facto ipso Eusebius, & Gregorius, non ex quadam sola æquitate, & decentia, vt interpretantur nostri moderni; *Carmelita cont. Fulg.* sed ex vera iustitia, & obligatione propter Principum iurisdictionem, & potestatem à Deo habitam, ita esse omnino exequendum, comprobarunt. Nam propterea etiam Gregorius dicebat, Christum, Sacerdotes quoque manibus Imperatoris commisisse: Ac ne dicant Gregorium significare voluisse, Sacerdotes illis verbis Imperatoribus commendari (hanc enim nostri aliqui ineunt fugam) considerent eiusdē Gregorij verba, qui *ibid. ep. 64.* de eadem lege scripsit ad Theodorum intimum Medicum Maurîtij Imperatoris: *Valde autem mihi durum videtur, ait, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat: qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit.*] Audio dominium, quod significat iurisdictionē, non solam æquitatem, & æquè in Sacerdotes atque in milites extensum.

XXIV. Maximum tanti viri testimonium contra se ægerrimè nostri ferentes, laborant plurimum, vt ipsum corrumpant, & vanis interpretationibus in alienos distorqueant sensus. Fusior, vel iure grauior, fuit inter cæteros in hoc Baronius; cuius tota hæc de re disputatio omnino hîc est inserenda, & diligentius expendenda. *Sed amabo te, hic, pie Lector,* inquit *tom. 8. an. 593. nu. 16. siste gradum: etenim, ni fallor, dum hæc audisti, te admiratum vidi, & subindignatum obduxisse supercilia, eò quod absolutè nimis visus sit tibi locutus sanctus Gregorius, dum præter alia, tum in Epistola ad Mauritium, tum in ista ad Theodorum data, quodammodo professus appareat, Sacerdotes à Deo subiectos esse Imperatori, verbis illis imprimis, cum ait ex persona Christi: Sacerdotes meos tuæ manui commisi: & de Imperatore ad Theodorum: Ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit.*] Ego vero Baronium ipsum, ita perlegentem hîc interpello. Qui indignatus super hæc Gregorij dicta obduceret supercilia, is prius indignetur Paulo, & super ipsius, imo etiam super Christi & dicta, & facta, indignatus ea obducat. Potius à sapiente & pio quoquam ac Catholico viro super hasce Baronij à pietate remotissimas interpretationes, & eas vanas atque imperitas, obducantur cum stupore supercilia, vbi religiosissima Gregorij dicta ad varios ac penè impios distrahit ac distorquet sensus. Pergit ipse:

XXV. *At hæc Nouatores, non vt tu, mærentes accipiunt, sed hilari vultu exultantes, imo & insultantes, quasi irrefragabili vallati sint testimonio viri sanctissimi, atque doctissimi, cui nefas sit contradici, qui docentis cathedram cum ascenderit, tam apertis verbis videatur esse testatus, subiectum à Deo Imperatori Sacerdotium esse, vt non nisi contumelia tanti Patris id negari, & astrui contrarium videri possit, nempe ipsum hallucinatum, & non vera locutum, vel saltem Imperatori turpiter adulatum.*] Enimuero hallucinatur miser senex, & imperite, vt est mos ipsi, ex Gregorij verbis potuit asseri, Sacerdotium ipsum à Deo subiectum fuisse Imperatori: non enim Gregorius dicit Sacerdotium commissum & concessum Imperatori, sed Sacerdotes: illud falsum, hoc verò verissimum est, & absque vlla adulatione prolatum. Pergit adhuc Baronius impetere, & ait; *Sed laruis istis absterreant nouatores ipsi insanientes, & clamoribus istiusmodi pueris pauorem incutiant, non tibi, Lector, si bene nosti vim sanctionum Ecclesiasticarum, atque traditionum robur, & fortitudinem doctrinæ Patrum: sed ridebis nobiscum insultantium impudentiam, & imprudentiam.*] Ego Nouatores non moror; potius veteratores huiusmodi dolosos persequor: veritatem amo, & inquiro; puerilibus laruis me à Baronio exterritari non patiar. Nos sanè ex sanctionibus Ecclesiasticis, ac doctrina Patrum iam satis explicata, atque explicanda, omnino vidimus, & videbimus in Baronio hoc loco, sicut & in plurimis alijs, & peritiam, & prudentiam, & modestiam desiderari. Sic enim scribit; *Ibid. num. 17. Dum nulla habetur ratio rerum gestarum, & temporum, id efficitur, vt frustra isti insultent, vel timeant pauide. At cum accuratè ista perspecta habuerint, planè intelligent, Sanctum Gregorium acerrimum fuisse vindicē Pontificiæ æstimationis, & assertorem immunitatis Ecclesiasticæ.*] Vtinam Romani Pontifices pluris fecissent Christi gloriam, & Ecclesiæ propagationem, quam vanam Pontificiam æstimationem, & humanam in rebus temporalibus Ecclesiasticam immunitatem. Pergit ille; *Hæc, vt omnes percipiant, in primis meminisse oportet, quæ superius dicta sunt, quantum idem Gregorius deplorauit hæc infelicissima tempora, quibus licet sub Imperatore Catholico, ipsa tamen Ecclesia fuerit, nō secus ac sub Nerone, & Diocletiano, captiua.*] Exaggerat rem parum pie, ac minus prudenter; deposita nimium (vt ei mos) omni modestia, imò & conscientia; cum nullam prorsus fidei, aut fidelibus vnquam intentauerit Mauritius persecutionem; imò de fide & Ecclesia fuerit in multis optimè meritus, *Euagr. l. 6. c. 20. 21. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 64. & l. 9. ep. 40. ind. 4. & l. 8. ep. 2. ind. 3. & Niceph. l. 18. c. 42.* Et à Deo protectus, in expeditione præsertim Persica: neque Baronius censor audax, & verè flagellifer, quicquam affert, aut afferre potuit, quod magni nominis Imperatoris semper Catholici famam & existimationem adeò denigrare possit, vt Neroni & Diocletiano mereretur comparari; quamuis in eo solo reprehensibilis inueniatur, quod noluerit plurimos captiuos vili precio redimere, quos Chaianus, Auarus, omnes trucidauit. *Theophan. in miscella apud Baron. tom. 8. anno 600. num. 8.* Vlterius pergit tamen Baronius:

XXVII. Reuocanda hic tibi sunt in memoriam (quod rerum sic exigat argumentum) quæ idem Sanctus Gregorius de his habeat, iam à nobis anno primo eius pontificatus superius recitata; vbi inter alia *Greg. in Ep. syn.* Concitauit enim (Diabolus scilicet) aduersus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dicere, potestatem: nulla enim ratio sinit vt inter Reges habeatur qui destruit potius, quam regat Imperium. Et paulo post: Ecclesiam quippe, quam suo sanguinis precio redemptam saluator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ iura transcendēs, facere conatur ancillam. Hæc & alia sunt à nobis superius recitata.] Hic dolum, & malam fidem hominis non possum non accusare. Mauritium sanè impudenter turpi commaculat nota; audacter affirmans & supponens, querimoniam hanc satis acrē Gregorij, in Mauritium fuisse vibratam, cum tamen Gregorius nunquam illum nominet. Immemor senex Annalista oblitus est eorum, quæ ipsemet paulò antè scripserat; nimirum: *Baron. tom. 8. ann. 590. n.* *Cum tamen siue de Mauritio, siue eo qui ipsi successit, Phoca, vel Tiberio, vel Iustino, qui hunc præcesserant, Augustis cu*stodijs horum temporibus velit scripsisse Gregorium commentarium illum) *omnes reperiantur fuisse fide Catholica orthodoxi, &c.*] Cum itaque certum sit Gregorij temporibus, quibus ille scribere poterat, Imperij gubernacula texisse saltem Iustinum, & Tiberium, ante ipsius Gregorij Pontificatum; in pontificatu vero, Mauritium, & Phocam: cur in Mauritium Gregorij querimoniam iaculatur? Imo quia in hac Epistola, cum maxima reuerentia, & submissione Gregorium

gorius Mauritium alloquitur; & alibi eum egregiè laudat, quod ipse etiam obseruauit Baronius *tom. 8. an. 599. n. 18. 19. & an. 601. n. 33.* Ideoq; eunijcere memo debuit cum de Mauritio illa non scripsisse. Quod si tam teirã de Mauritio opinionem imbibisset Gregorius, certè noluerat sacerdotali suo muneri deesse, sed quod pij erat Episcopi, sincerè procul dubio fecisset, sine ambagibus eum, sed modestè, reprehendendo potius, quam per epistulas blandas assentando, & peccanti oleum affundendo. Et sicut legis iniustitiam ei aperuit liberè, ita simoniam proculdubio ei, &, si causa flagitasset, tyrannidem exprobrasset. Cum tamen ille, quem Gregorius perstringit, Iustinus sit, vt ostendi *lib. 4. c. 11. n. 31.* non Mauritius, præcluditur tota hæc fuga Baronio. Nam neq; Gregorius erat Pontifex, neq; Mauritius Imperator, quãdo illas Gregorius scribebat querimonias, vt ibidem docui.

XXVIII. Gregorius igitur obedit Mauritio, non [illegible] tyrannide eius adactus, quæ nulla est, & cuius [illegible] vmbram habemus, sed sponte, & voluntariè, solemoris conscientiæ obligatione. Ita ne ex incertis, & maximè dubijs, imò falsis assertionibus, certæ & constantes ponũtur explicationes, cum tanto præsertim honoris maximorũ Principum præiudicio. Quãquam non improbabile sit, Mauritiũ, versus vltima prope [illegible] sui Imperij tempora, factum fuisse Gregorio [illegible] acceptum. Ad Phocam enim proximũ Mauritij successorem scribit totus lætus, *Greg. lib. 11. ind. 6. ep. 43.* quod remoto iugo tristitiæ ad libertatis tẽpora peruenerit Ecclesia, quodq; responsales nõ tenuerit in Curia Imperiali sub Mauritij exitum, quia ministri Romanæ Ecclesiæ contrita asperaq; tẽpora cum fortitudine declinarent, atq; refugerent. Et ad Leontiam Augustam scribẽs, *Ibid. ep. 44.* Gratias agit Deo, quod tam dura longi tẽporis pondera ceruicibus ipsius amota sint, & leue iam iugũ subierit sub Phoca, quod portare libeat, & Ecclesiam Petri eousq; insidijs laborasse.] Dum tamen Phocæ scelestissimo parricidæ, [illegible] oque tyranno, fortè nonnihil de iure Imperiali (vt solent qui malis artibus in solia irruunt) remittenti, ac populariter blandienti blanditur Gregorius, certè humanum quiddam passus est. Non ita mirum igitur, si fortè si, inquam, aliquando idem simile quiddã, in causa dissimili, passus, in Mauritiũ legitimũ Imperatorem iura Imperialia tuentem, ac ab Episcopis, etiam Romano ipso, subiectionem debitam exigentem fuerit aliquanto commotior.

XXIX. Esto autem fuerint illæ Gregorij querelæ contra Mauritium intentatæ, fuerint contra quemcunque ex Imperatoribus, qui tempore Gregorij vixerunt, cum illæ in solam simoniam intendantur (vt habes à nobis locum productum, & explicatum *lib. [illegible] 1. nu. 30. 31.*) nihilque penitus de impedita Sacerdotali iurisdictione, aut per Imperatorem vsurpata [illegible], tantus Baronij labor redditur penitus inutilis. In electione enim, aut cõfirmatione electionis Romani Pontificis, Imperatores illorũ temporũ ius exercere volebant: hoc ægerrimè Gregorius ferebat. Pecuniam pro electione, aut confirmatione expetebant, hoc videbatur ei prorsus intolerabile, [illegible] amque Ecclesiæ simoniacam hæresim continere. Atque hic erat maximus, imò & totus Imperatorum illius simoniacus excessus, vt in ipsis Gregorij ardentioribus verbis apparet, manifestissimus, vbi nihil habemus de vsurpatu aliquo, & tyrannico dominio erga Sacerdotium, aut Sacerdotes. Neque hoc fuit Baronii oignotum, qui de illis Imperatoribus ad quos Gregorij querelæ pertingere poterant, ita loquitur *tom. 8. an. 590. nu. 6. Illas partes tantum damnandi, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem sibi* (vt vidimus) *vindicarent.*] Imo adde: *ita vindicarent, vt ex ipsa electione, & confirmatione pecuniam etiam aliquam vellent exigere.* Audiamus tamen Baronium vlterius progredientem, *Ibid. tom. 8. an. 593. nu. 18.*

XXX. *Quibus inprimis,* inquit, *vides sanctum Gregorium definire, non solum non esse subditam Regibus aliquo modo Ecclesiam, verum etiam firmiter asseuerare* (cum de his agit) *non habendum esse Mauritium inter Imperatores, dum aduersus Dei Sacerdotes regiam potestatẽ exercet.*] Quid ais Baroni? ita ne bona fide agis? ita ne decipis auditores? Regibus Ecclesiam non esse subditam, verissimũ est: sed in electionib. Reges habere suam autoritatẽ, ostensum est partim *sup. l. 3. c. 3. n. 54. & l. 4. c. 11.* & partim infra *c. 7* ostendetur: neq; inde Ecclesia Regibus fit subdita. Illum tamen Imperatorem, de quo loquebatur, inter Imperatores non habẽdum esse, propterea, quod aduersus Dei Sacerdotes regiam potestatem exerceret, nũquam dixit neq; somniauit Gregor. sed propterea, quod destrueret potius, quam regeret imperium. Obseruabat ergo Gregorius defectũ aliquem in illo Imp. circa ipsum met regimen tẽporale sui Imperij: qui vero hic defectus fuerit, quærẽt alij: ad rem nostram non facit. Sequitur Baronius.

XXXI. Rursum eiusdem Gregorij sententia reddi firmum intelligis, Christi Ecclesiam ab ipso liberam factam esse, quam Imperator iniquissimè redigere studuerit in seruitutẽ.] Quomodo hoc firmũ reddatur ex sententia Gregorij, prorsus ego non intelligo: in Gregorij dicto, nihil habemus de recuperata libertate Ecclesiæ, perpetuo n. queritur Regem simoniacum sua cupiditate ancillam tenere Ecclesiam, & Ecclesiæ Romanæ peculiariter ipsum velle dominari. Somniat ergo Baronius, & pergit: *Adeo, vt, quod dicit in duabus recitatis epistolis, à Deo subiectos fuisse Sacerdotes Imperatori, ne ipse sibi contrarius Gregorius fuisse dicatur, necesse sit, vt aliud diuinæ tribuere voluerit voluntati, permissioni vero aliud.*] In Gregorio nulla est contrarietas, hoc enim loco reprehendit Iustinum iuniorem, quod per simoniam, seruam faciat Ecclesiam, non enim libere videbatur ei eligi Episcopus, sed redimi electio, vbi solutum precium absoluebat electionem. In epistolis verò illis, Regem dicit diuina potestate, & edicto Apostoli, vel ipsis Sacerdotibus, in humanis præesse: quæ omnia vera sunt, & nihil inter se contraria. Ante Gregor. Facundus Episcopus in Ecclesia laudatissimus scripsit, *apud Baron. tom. 7 an. 547. n. 35.* Theodos. quando ab Ambros. fuit obiurgatus, optime sciuisse: *Quod non ex temporali potestate, qua fuerat etiam sacerdotibus Dei præpositus, sed ex ea peruenire posset ad vitam, quod illis erat ipse subiectus.*] Subterfugium tamen Baronii, dum interpretatur commissos, siue concessos à Deo esse sacerdotes; hoc est, permissum à Deo, vt ipse, licet tyrannice & iniuste, in sacerdotes potestatem suam exerceret, etiamsi ex iam dictis tota euanescat, nobis tamen est & melius intelligendũ, & exquisitius ventilanda. Nam & Bellarm. *cont. Barcl. c. 3. n. 10. & cont. Apol. P. Pauli*, eodẽ ferè se recipit, vt dicat, obedientiã, quam se exhibuisse scribit S. Gregorius, fuisse coactã & de facto nõ de iure p̃stitã: & in signum huius coactæ obedientiæ, profert querimoniam Gregorij cõtra Mauritiũ; quem & ipse, non sine aliqua leuitate, dicit esse illũ, de quo querebatur Gregorius, Imperatorẽ; iam à nobis allatã, præsertim vbi dicit: *In tantum autem sua temeritatis extendit vesaniã, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet.* Baronius vero *tom. 8 an. 589. num. 19.* permissionem illam suam sic explicat:

XXXII Sed

XXXII. Sed quomodo permissionis? Cum videlicet permitteret Deus, vt ipse deplorat, non posse exequi munus suum summum vniuersæ Ecclesiæ sacerdotem, nisi etiam persoluta pecunia electioni factæ de se consensisset Imperator: sic igitur Deum subiecisse tradidisse sacerdotes Mauritio Imperatori, vt olim eosdem subiecerat persecutoribus, Neroni atque Diocletiano, quos in eos etiam gladio agere permisit. Cum iisdem quidem certe constat Gregorium adnumerasse Mauritium, vbi in Psal. penit. 5. ver. intret in Dom. &c. Quid Nero? Quid Diocletianus? Quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? Nunquid non omnes portæ inferi? Habes ergo, inquit, ex Gregorio ipso, sensum verborum ipsius, qua interpretatione nulla verior nec germanior esse potest: vt sic dixisse voluerit subiectos à Deo sacerdotes Imperatori; quemadmodum Christus redemptor noster fatetur, se diuina permissione subditum potestati Pilati; & sicut itidem dixit iis, qui ipsum neci tradere satagebant; Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Quamobrem si res iure agatur, non violentia, vt solent latrones in syluis, non subiectos esse sacerdotes Imperatoribus, sed Imperatores sacerdotibus, eiusdem Gregorij, sicut & aliorum sanctorum Doctorum omnium constans est firmaque sententia.] Hæc Baronius.

XXXIII. Certè hoc Baronij est merum, in hoc genere, latrocinium; quo Lectorem inuadere nititur ac spoliare, non patrocinium, quo causam debilem sustineat: *Omnium*, inquit, *Doctorum hæc est sententia*; & nullum profert: nam nec habet, quem proferat, ex antiquis, qui negent subiectionem sacerdotum in temporalibus potestati temporali, sed sua nuda & simplici assertione simplicioribus conatur imponere. De Gregorio verò, cum nihil prorsus ex ipsius scriptis protulerit, quod huic faueat sententiæ; nonne erit latrocinium in Vrbe, & in Vaticano, peius quam in syluis commissum, ita Imperatorem, ex prætenso Episcopi dicto, magna subditorum suorum parte spoliare, asserere, Gregorij hanc esse sententiam, qui contrarium apertissimè docuerit? & in Mauritium Gregorij querelas, & comparationem cum Nerone, & Diocletiano detorquet; cũ de Mauritio Gregorium loqui non sit certum, imo neque certo simile. Fugam tamen, qua elabi conantur & Baronius & Bellarminus, vt Gregorium non habeant sibi aduersantem, facile est eis præcludere. Nam puer vix grammaticæ prima rudimenta edoctus, in verbis Gregorij ipsissimam nostram sententiam cognoscet, constantissimè, & firmissimè, & intimo Gregorij sensu ab eo prolatam. Doceat Baronius, Gregorium alicubi conqueri de sui & aliorum sacerdotum illegitima ab Imperatore oppressione, vt hinc appareat non ex animo & proprio sensu Gregorium dixisse, à Deo concessos ac lege perpetua naturali cõmissos esse sacerdotes Imperatori, sed hic diuinam tantũ permissionem significasse; hoc, inquam, ostẽdat noster Annalista, & nos ipsius libenter admittemus interpretationem. Doceat Bellarmin. Gregorium alias conquestum de sui violenta ab Imperatore oppressione, vt credamus; ipsum coactè & de facto, non de iure, se Imperatori subiectum profiteri. Sed neuter quicquam protulit, quod hasce ipsorum subleuet interpretationes. Conquestus quidem est Gregorius, quod Iustinus Imperator per Simoniam oppressam tunc teneret Romanam Ecclesiam; sed quod erga ipsius personam iniurius esset quispiã Princeps nunquam est conquestus, qui à Mauritio confirmationẽ expectandam sibi esse æquissimo animo ferebat, imo & sperabat ex negatione confirmationis libertatem, vt lib. 4. c. 11. n. 29. reddidi manifestum. Et quando subdit se Mauritio, dicit apertè se exoluere quod debebat: & agnoscit, ac fatetur, se debere ei obedientiam. Vbi nulla apparet violentia, nulla coactio, sed debitũ obedientiæ de iure. Verba Gregorij l. 1. ind. 11. epist. 63. sunt: *Vtrobiq; ergo, quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui*: Et fatetur se iussioni Imperatoris subiectum. Glossa igitur Bellarmini non est admittenda; quippe omnino cõtraria Gregorij verbis.

XXXV. Baronius similiter protulit quidem Gregorij querimonias contra Mauritium, vt ipse perperam supponit, prolatas; quod per simonias oppressam teneret Romanam Ecclesiam. Sed quod in personam ipsius, vel aliorum Sacerdotum, fuerit Mauritius vnquam iniurius, eumve impediret, ne exequeretur munus suum Pontificium; nihil prorsus habuit quod proferret. Habemus tamen clarissima & apertissima verba, quibus non conquerendo, sed affirmando & consentiendo insurgit Gregorius, l. 2. ind. 11. ep. 61. primum in persona Christi, nõ obmurmurantis, neque exprobrantis, sed laudantis prius, vt postea ingratitudinem ei obiiciat; recensetq; beneficia, quæ in ipsum contulit, dicens; *Ego te, de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem; de Cæsare Imperatorem: Nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci; Sacerdotes meos tua manui commisi: & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis?*] Ecce ingratitudo post beneficia: & sicut beneficij loco commemoratur quod de Notario factus sit Comes; & de Comite Cæsar, ac Imperator: ita inter eadem beneficia cõmemoratur, quòd Sacerdotes fuerint eius manui commissi: quæ omnia non diuinam permissionem, sed diuina beneficia à CHRISTO voluntariè in Mauritium collata, nobis repræsentant. Eodem modo in altera Epistola ad Theodorum Medicum, ipse Gregorius beneficia commemorat diuina in Mauritium collata; & inter ipsa ponit etiam super Sacerdotes dominatũ, vt melius ipsius arguat ingratitudinem: ait enim: *Ibid. ep. 64. Valde autem mihi durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit.*] Non possum sane ruditatem non admirari in huiusmodi sanctorum Patrum nouis interpretibus, vt *concedere*, velint esse, *permittere*; & vt *concessio* quæ dicitur dominij in Sacerdotes, intelligatur *permissiua*; vbi simul ponitur eum dominio erga milites, & erga totum Imperium: qui DEVS scilicet ei Mauritio & omnia tribuit, proculdubio vt legitimo Imperatori, non permissione, sed concessione, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit. Dominabatur ne Mauritius militibus iustè & legitimè, non ex permissione, sed ex vera & propria concessione Dei? Stultus est qui id neget. Legitimè ergo, & ex vera Dei concessione, etiam Sacerdotibus dominabatur, ex Gregorij attestatione. Et sola Grammatica, absque Logica, aut Theologia, sensum hunc Gregorij aperit manifestissimum, Qui & alibi l. 4. ep. 15. sic alloquitur Mauritium: *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.*] Agnoscit profecto Gregorius in Mauritio dominium erga Sacerdotes, quatenus homines sunt, & pars ciuilis Reipublicæ. Quibus tamen propter sacrum ordinem etiam ab eo reuerentiam deberi assumat. Quæ verba Gregorij an possint trahi ad potestatem Principum solam legislatiuam, qua possunt obligare etiam Sacerdotes,

dores, vt leges obseruent politicas; reuerentiam verò debeneis, vt non propterea eos puniant, si non obseruent (ita enim posse intelligi verba Gregorij asserit Bellarm. *cont. Barc. c. 15.*) viderit prudens Lector, & consideret, num *dominari* significet *legibus obligare*, & *reuerentiam exhibere*, significet *non punire*? Addit Bellarminus, etiam mirum non esse, *si Gregorius ita loquatur, vt iugum tyrannicum Mauritij, si auferre non poterat, mitigare saltem, & moderari niteretur.*] Sed vt in alijs, ita etiam in hac epistola ex se loquitur Gregorius, & ex proprio animi sensu. Neque illud erat mitigare, aut moderari, sed fouere tyrannidem, & augere, præsertim cum adulatione adeo præjudiciali Ecclesiæ vniuersali. Neque illa prior Gregorij comparatio, quam videtur facere, etiam si esset de Mauritio, cũ Nerone & Diocletiano, hæc quicquam vel prodest, vel obest: nam nihil habetur de oppressione Sacerdotũ in speciali, neq; comparat eum cum illis; sed tantum exemplis gratia numerat aliquos, qui fuerunt portæ inferi aduersus Ecclesiam, ex eo, quod illam fuerint persecuti; *vt fuit*, inquit, *Nero, fuit Diocletianus, & eius tempore tuus Princeps*: quisque videlicet in suo genere, Nero in suo, Diocletianus in suo, & pro suo modulo etiam iste qui suis simonijs duntaxat putabatur turbare Ecclesiam.

XXXVI. Hisce Gregorij verissimis dictis, si addas factum, de quo supra, obedientiæ, in promulganda illa lege, quamuis iniquam sentiret, eum insigni illa professione suæ obedientiæ verbis illis significata; *Ego quidem iussioni subiectus, &c.*] Quis amplius dubitabit de mente Gregorij in hac parte? nimirum Apostolico præcepto humillime, vt tenemur, esse obsequendũ; & obedientiam Principibus in rebus humanis ab omnibus, etiã ab ipsis Ecclesiasticis, vel ab Ipso quoq; Romano Pontifice, esse præstandam: neque verba illa DEBITÆ SVBMISSIONIS habent in se quicquam humile, aut flaccidum, & eneruatum, indignumque Apostolico vigore, vt ineptè parumq; piè conatur ea excusare Baronius *ibid. an. 593. n. 20.* Ostendam enim multo fusius in sequentibus, perpetuum morem Ecclesiæ nondum corruptæ in suis rectoribus, fuisse, vt humillimè & cum maxima subiectione semper cum Imperatoribus & Principibus terrenis tractaret; eisq; etiam malis, & errantibus plurimum deferret; vt fecit Christus, & Apostoli, plurimiq; ex primis sanctissimis Pontificibus; priusquam typhus ille tumidissimus, superbiaq; incredibilis, & ambitio rabida dominatus, in Ecclesia succreuissent. Qui typhus, & quæ superbia, præsertim Romana purpurata, fecit, vt Baronio veneit in mentem, suspicari, ne quis pius in Gregorio aliquid humile & flaccidum & eneruatum indignumq, vigore Apostolico agnosceret. Vigor enim Apostolicus, nerui, & robur, nõ consistunt in vana ac superba ambitione dominatus, & imprudenti duritie, ac obstinatione erga Principes temporales, pro rebus temporalibus; sed in prædicatione Euangelij, in propagatione fidei, in Verbo Dei disseminando, etiamsi inde à Principibus mundi contingeret virum Apostolicum & contemni & cædi; nam *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*] *Actor. 5. 21.*

XXXVI. Gregorius itaque plurimum est etiam in hoc laudandus, quòd in propria persona Pontificali, non comica, aut scenica, modestissimè Imperatorem alloquatur. Nam quòd initio præposuerit, se non vt Episcopum ea scribere, sed iure priuato; id fecit tantum, vt beneuolentiam facilius conciliaret apud Mauritium, cui jure antiquæ amicitiæ se scribere profitetur. Atq; vt indignationis ei præcideret occasionem, si suspicari potuisset, Gregorium agere cum ipso, tanquam Episcopum cum sua oue, velleq; eum corrigere, ac increpare: ne itaq; id, quod de reprehensione legis dicturus erat, putaret Mauritius ad ipsius autoritatiuam spectare reprehensionem; sed id ipse æqui bonique consuleret: idcirco se initio protestatur non vt Episcopum, sed vt amicum ad amicum illa scribere: quod non est tanquam in scena personam agere, quod vanissimum excogitauit Baronius, quem nimium debita Gregorij modestia & subiectio, nostris temporibus admodum contraria, vrebat. Obseruent porrò nostri, potuisse Gregorium acrius corripere Imperatorem, & ad id autoritatem habuisse; toties enim etiam Imperatorem, vt fidelẽ, si peccat, subjecimus Ecclesiasticæ increpationi; & nihilominus Gregorius maluit modestissimè tantum innuere legis illius, vt ipse putabat, iniquitatem; quã, cum eo acrius agere. Et de hoc plura infra.

XXXVII. Ad extremum pati non potest Baronius, quod Gregorius in promulgatione illius legis, quamuis innuerit ipsius iniquitatem, interim nihilominus paruerit Imperatori; quid excogitauit? Gregorium fecit legis non modo censorem, sed etiam correctorem, atq; emendatorem; in cuius emendatione ediderit Gregorius speciẽ sacerdotalis vigoris, Pontificiæ autoritatis, & super Imperiũ potestatis. Dũ accedens, *inquit Baron. tom. 8. an. 593. n. 21.* censor, & arbiter, constitutionis Imperatoriæ; & admouens ad sacram, quam vocabãt, tabulã stylum, edicti illius quędam expunxit, quædã addidit; iungens, ac minuens pro arbitrio, vt ad rectã Catholicę Ecclesiæ normã, & disciplinã aptaret, nihilq; penitus in eo, quod Ecclesiasticæ officeret libertati, & sacris canonibus contradiceret, prætermittens intactum: posteris egregium relinquens exemplum, quicquid leges sanciendo delirant Imperatores, ac Reges, à Romanæ Ecclesię Põtificibus esse protinus emendandũ, & corrigendum; sicq; ab ipsis fauendũ eorum votis, vt eos errantes cũ mansuetudine, vt vidimus fecisse Gregorium, corrigant, & Pontificia potestate, quod perperã factũ nossent, Apostolica censura castigent, seque exhibeant eorum magistros, doctores & correctores, iuxta illud diuinum oraculum, *Hier. 1. 10.* non illi tantũ Prophetæ pronunciatum, sed omnibus, qui pro Deo ad populum diuina legatione funguntur: Constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.]

XXXVIII. Sed viderit ne ipse hæc scribẽs deliret: Imo vtinam merum hoc esset ex morbo, vel senio deliriũ: Tunc n. misericordiam, non odium, excitaret. Sed peior hic est, & perniciosior animi morbus, voluntaria scilicet & fucata vesania, dolo malo cõtexere longos logos, consuere mendacia, ac luscis decipiendis propinare. Commẽtitium sane, ac fictum, & futile est, quod pro vero nobis obtrudit Baronius, de correctione, & emendatione legis illius, per Gregorium autoritatiue facta; ac proinde venusta illa Romani Pontificis autoritas, ex conficto facto, per insomnium coagmentata tota corruit: nam re vera Gregorius legem illam, totam, prout ab Imperatore præscripta fuerat, vt vir obediens, & Imperatori in hoc subiectus, promulgauit: audi verba ipsius: Ego quidẽ iussioni subiectus, eandem legem, per diuersas terrarũ partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nunciaui.] Legẽ igitur adhuc Deo non concordantẽ, vt cẽsebat Gregorius, ipse tamen promulgauit. Quam si correxisset, &

correctam promulgasset, cur post correctionē nunciaret Imperatori eam omnipotenti Deo non concordare? addit etiam: *Vtrobique ergo, quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minime tacui.*] Si eam correxisset, non dixisset, *pro eo, quod sensi, minime tacui*, sed de correctione facta Imperatorem monuisset. At verò super legis iniquitate nihil aliud se fecisse significat, nisi quòd Imperatori id non tacuerit, sed id ei significauerit. Nec dicat Bellarminus, id Gregorium vi coactum fecisse. Nam ipse fatetur, se iussioni illi esse subiectum, dicitque se fecisse, quod debuit. Quæ verò debemus facere, ea non coactè facimus; aut si cogimur ea facere, laudabiliter & meritò cogimur. Sed præterea promulgatio illa si erat mala, stultè & impiè obediuit Gregorius; nec coactio excusat, cum nemo ad peccatum vnquam possit necessitari: si verò bona, frustra recurritur ad coactionem. Bonam tamen fuisse docet ipsemet Gregorius, qui dicit, se id, quod debuit, fecisse: quia in eo debitum agnouit obedientiæ. Reuertamur ad Baronium.

XXXIX. Gratias agit Deo, quod in quandam impegerit eiusdem Gregorij epistolam, *l. 7. ind. 1. ep.* 11. qua suum posset, quoquo modo, obtegere commentum. Epistolam ipsam ad multos metropolitanos tam Orientis, quam Occidentis datam, quia breuis est, operæ precium est referre: Legem, *inquit*, quam pijssimus Imperator dedit, ne fortasse ij, qui militiæ, vel rationibus sunt publicis obligati, dū causarum suarū periculum fugiunt, ad Ecclesiasticū habitū veniant, vel in monasterijs conuertantur, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maximè exhortans, quòd ij, qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt, quia dū in Ecclesiastico habitu non dissimiliter, quā vixerant, viuunt: nequaquā student sæculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quoq; monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi priùs actionibus publicis absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus viris in monasterijs conuerti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorū vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normā regularem, debent suo habitu per trienniū probari, & tunc monachicū habitum, Deo auctore suscipere. Qui si ita probati, atq; suscepti, & pro anima sua pœnitentiā de perpetratis culpis agere student: pro eorū vita, & lucro cœlesti, non est eorū conuersio renuenda. Qua de re etiam serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnimodo placatur, & libenter eorum conuersionē suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognouit.] Hactenus epistola Gregorij.

XL. Nos verò iam conuicimus, legem non correctam, neq; emendatam, à Gregorio fuisse promulgatam; igitur aut multò pòst, habito cum Imperatore colloquio, siue per se; siue per literas, tum priores illas, tum alias posteriores, & obtēta ab eo legis moderatione, de illa monet per hanc epistolam metropolitanos: cum præsertim priores primæ promulgationis literæ datæ notentur tertio anno Pontificatus Gregorij, qui fuit indictione vndecima: posteriores verò hæ literæ correctionē continentes, indictione prima, hoc est quinquennio post, scriptæ perhibeantur. Quòd verò Epistola hæc non suo loco collocata à Baronio dicatur, *vt de multis alijs*, inquit *nu. 22. accidisse vidimus.*] Id mihi videtur esse diuinare. Sed neque contendo, non fuisse tunc scriptam hanc epistolam, quando & illa facta est promulgatio: & fortasse hæc ipsa epistola fecit promulgationē legis illius, quæ lex in hac ipsa epistola insita fuerit; non tamē propterea Baronius potest, vt facit, triumphare, legem enim totam & integrā, qualē habuit ab Imperatore, his literis inseruit; quamuis & amicitia & benignitate fretus Imperatoris, nec non sedulitate & officijs Theodori Medici, circa ipsius obseruantiā, aliquas apposuerit, non in lege, sed in suis monitorijs literis, moderationes; ne tantopere obesse posset, vt putabatur, saluti animarū. Confidentiam hanc erga Imperatorē, in ipsa epistola ponit, qua saltem se plurimum confidere significat, Imperatorem has moderationes, circa vsum illius legis, æqui bonique consulturum, & ratas gratasque habiturum. Imò fortasse gratiam moderationis illius legis se iam obtinuisse significat ab Imperatore, illis verbis; *Qua de re etiam Serenissimus, & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnimodo placatur, & libenter eorum conuersionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse agnoscit.*] Tu igitur, Lector, considera, an hæc moderatio, quam placuit Gregorio in suis literis adijcere, ex dicta confidentia, & cum omnimoda dependentia à voluntate Imperatoris, aut fortè etiam ex ipsius Imperatoris expresso consensu, habuerit à Gregorio admotionem styli ad sacram tabulam; cum expunctione partium edicti; cum additione & diminutione, pro arbitrio ipsius; cum emendatione, & correctione legis, quam sanciendo delirarit Imperator, & cum magna super Imperium potestate? Plenissimus est Baronius huiusmodi imposturis, vt, quod vno modo factum est, id alio & longè diuerso factum fingat, & pingat, vt perstringat oculos imbecilles.

XLI. Sed & ipsemet parum sibi constat: Qui enim hic cuixè contendit legem à Gregorio non fuisse, vt erat ab Imperatore præscripta, promulgatam, sed correctam, & emendatam; paulò pòst fatetur, Gregorium coactum fuisse ad tempus legem illam iniquam Mauritij perferre; idque colligit ex verbis quibusdam Gregorij, quæ habet in præfatione primi libri Dialogorum; & sunt ista; *Quadam de nimijs quorundam sæcularium tumultibus depressus, quibus in suis negotiis plerunque cogimur soluere etiam, quod nos certum est non debere.*] *Ista dicens*, inquit Baronius, *videtur plane alludere ad controuersiam illam, quam exercuit cum Mauritio Imperatore de iniqua lege ab ipso edita, quam ad tempus perferre cogeretur, licet ea minime posset obstringi.*] Si perferre ad tempus legem hanc Gregorius coactus est, non igitur illam correctam à se & emendatam tum publicauit. Hic mihi præter inconstantiam, videtur Baronius etiam aliqua inscitia laborasse. Nam nihil minus hæc verba Gregorij continent, quam illam Baronij allusionem. Loquitur enim Gregorius de molestijs, quas ei exhibebant occupationes in audiendis fideliū litigijs, & controuersijs, quibus ex charitate, & documento 1 *Cor. 6.* Pauli componendis, etiamsi non teneretur, neq; deberet, interdum tamen vacare cogeretur. Quod etiam aliquando Augustinus queritur, vt suo loco videbimus. Et hic est sensus ibi manifestissimus.

XLII. Explicando, & ab iniurijs nostrorum vendicando memorabili huic valdeq; insigni Gregorij dicto & facto, fuit nobis diutius insistēdum; nec immerito: est enim testimonium subiectionis etiam Ecclesiasticorum, imò etiā ipsiusmet Romani Pōtificis in rebus ciuilib. Principibus debitæ, irrefragabile; tāto maioris momenti, quanto Gregorius fuerit vnus ex antiquioribus ac probiorib. Romanis Pontificibus, quos monarchiæ Ecclesiasticæ pruritus nonnullus titillauerit. Is tamē nō hoc vno, alterove loco, suam subiectionem Imperatori confirmauit; sed & eorundem Imperatorum iurisdictionem, etiam erga

Ecclesia-

Ecclesiasticos, sibi laudauit, & approbauit. Iobinus, *inquit l. 1. ind. 9. ep. 43.* excellentissimus vir, filius noster, præpositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicib. destinatis, iussum fuisse, Episcopos, quos è propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc vsq; in locis proprijs degunt, pro sustentatione, & stipendiis præsentis vitæ esse iungendos. Et licet ad hoc paternitatẽ vestrã iussio Principalis admoneat, habemus tamen maius mandatum æterni Principis, quo ad hæc terribilius peragenda cõpellimur. — Oportet ergo vos ad hanc rem & cœlesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus iussionib. consentire.] Et ad Constãtiam Augustã idẽ, de meo prædecessore Maximo Episcopo Salonitano ita scribit: *l. 4. ep. 54. Atq; ad me venire secundum iussionem Dominorum noluit: Ego autem præceptionis eorum obediens, eidem Maximo ex corde laxaui.*] Mauritium Imperatorem frequenter suum Dominũ vocat. Et ad Episcopos siue milites Neapolitanos: *l. 12. ep. 24. Vnde scriptis vos præsentibus curamus admonendos, vt prædicto magnifico viro tribuno, sicut & fecistis, omnem deuotionem, pro serenissimorum Dominorum vtilitate, vel conseruanda Ciuitate, obedientiam exhibere.*] Quid dicent nostri? Imperator Episcopis iubet, vt Episcopos exules recipiant, & facultatibus suis sustentent: Gregorius Papa hanc iussionem (post diuinam iussionem) vocat Principalem; hoc est à Principe profectam, & ei intimat esse consentiendum; neque ipse propriam vllam addit præceptionem, sed solam vrget Imperialis præcepti executionem. Nunquid hoc coactus fecit, aut de facto, non de iure? nunquid iussionem hanc correxit, expunxit, emendauit? nunquid rebellas excitauit contra Imperatorem, quod Episcopis mandata daret, & de eorum Ecclesiasticis bonis disponeret? Propter hoc tamen nostris temporibus monitoria, interdicta, & excommunicationes multiplicarentur. Sed iam tandem, omisso Gregorio, vlterius procedamus.

XLIII. Concilium Aurelianense primum, tantum autoritatem cognoscit habere Reges in omnes suos subditos, vt ne ordinare quidem quempiam ex laicis audeat, sine Regis, aut iudicum licentia: *De ordinationibus, inquit conc. Aurel. 1. c. 6. clericorum, id obseruandum esse decreuimus, vt nullus sæcularium ad clericatus officiũ præsumat accedere, nisi aut cũ Regis iussione, aut cũ iudicis voluntate.*] Alioquin non arbitratur hoc Concilium Ecclesiam acquirere ius in personas clericorum, etiam si aliquem ex laicis sacris ordinibus initiaret, nisi iussio præcedat Regis, aut voluntas iudicis: etiam si ordinati filij sint Clericorum, quos placuerit Ecclesiæ in Patrum locum sufficere: Vnde & subdit: *Ita vt filij Clericorum, id est, patrum, auorum, ac proauorum, quos in prædicto ordine parentum constat obseruationi subnixos, in Episcoporum potestate & districtione consistant.*] Id vero etiam autoritate Regis Clodouei sancitum est. Longe etiam ante ea tempora Constantinus quoque legem edidit, qua prohibebat, laicos Curijs obligatos ad clericatum confugere. Quam legem alia superaddita declarauit, ita sanciens: *C. Theod. de Episc. & Cler. l. 3.* Cum cõstitutio emissa præcipiat, nullũ deinceps decurionẽ, vel ex decurione progenitũ, vel etiã instructum idoneis facultatibus, atq; subeundis publicis muneribus opportunũ, ad clericorum nomen, obsequiumq; confugere; sed eos de cæteris in defunctorum duntaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neq; muneribus ciuilib. teneantur obstricti: cognouimus illos etiam inquietari, qui ante legis promulgationem clericorum se consortio sociauerint. Ideoque præcipimus, Eos ab omni molestia liberatis, illos, qui post legem latã obsequia publica declinantes, ad clericorũ numerum cõfugerunt, procul ab eo corpore segregatos, curiæ, ordinibusq; restitui, & ciuilib. obsequijs inseruire.] Vides potestatẽ Principũ in suos subditos tantã, vt ne ordo quidẽ sacer eos eripiat, aut excipiat. Imò si absq; Principis permissu fiat aliquis clericus, posse Principẽ eum ex numero clericorũ auellere, & publicis seruitijs restituere: Hanc legem non est ausus Baronius reprehẽdere, aut improbare; sed Non puto, *ait, tom. 3. an. 320. nu. 19. & 326. nu. 84.* sine Episcoporũ consilio eam sancitã.] Hæc tamen est ipsius solita diuinatio, nullo stabilita documento; imo ne leuissima quidem coniectura. Sed concedamus Episcoporum consilium; nunquid propterea lex nõ est tota sola autoritate laica, à Principe facta & publicata? Est & alia eiusdem Constantini in hoc genere lex, impediens etiam diuites, ne clerici fiant, & si facti sint extrahantur; quæ sic habet: *C. Theod. de Episc. & Cler. l. 6. Neque vulgari consensu, neque quibuslibet postulantibus, sub specie clericorum, à muneribus publicis vacatio deferatur, nec temere, & citra modum populi clericis connectantur, sed cum defunctus fuerit clericus, ad vicem defuncti alius eligatur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare. Ita vt si inter Ciuitatem, & clericos, super alicuius nomine dubitetur, si eum æquitas ad publica trahat obsequia, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignoscetur, exemptus clericis, Ciuitati tradatur, opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum diuitijs sustentari.*]

XLIV. Concilium etiam Coloniense sub Rabano, tantam tribuit Regi autoritatem in quoscunque subditos, etiam Ecclesiasticos, vt ei liberum relinquat, posse etiam Abbatissam extra clausuram euocare, nulla expectata neque requisita licentia Episcopi: ita enim statuit: *Synod. Mogunt. sub Rabano cap. 16.* Abbatissa, quæ in Ciuitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui; aut qui eius vicem obtinet: nisi forte regali iussione cogatur.] Audiamus quod scribit Bibliothecarius de Constantino Romano Papa: *Anast. Bibl. in Constantino Papa.* Misit Imperator (*Iustinianus posterior*) ad Constantinum Pontificem sacram, per quam iussit eum ad Regiam ascendere Vrbem. Qui sanctissimus vir, iussis Imperialibus obtemperans, illico nauigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur marinum.] Non erat igitur res insolita, vt Romani etiam Pontifices iussis Imperialibus essent obedientes, vt ad eos euocati, longo, & incommodo itinere, Roma se Constantinopolim transferrent. Adalbertus Episcopus Hamburgens. vir sanctus, & Sedis Apostolicæ Legatus celeberrimus, *Adam l. 4. c. 46. apud Baron. tom. XI. an. 1097. nu. 17.* gloriabatur se duos tantum habere Dominos; hoc est Papam, & Regem; quorum dominio iure subiaceant omnes sæculi, & Ecclesiæ potestates: Illos nimirum sibi esse timori & honori.]

XLV. Gerbertus Rhemorum primum, deinde Rauennatum Archiepiscopus, ac demum Romanus Pontifex Syluester secundus, ad Othonem Imperatorem scribens: *epist. 154.* Paremus ergo, *inquit*, Cæsar, Imperialibus edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcunque diuina Maiestas vestra decreuerit: non enim deesse possumus obsequio, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro Imperio.] Libet excresceret in immensum, si vellẽ huc omnia adscribere, quæ de subiectione vniuersali omnium, etiã Ecclesiasticorum, huiusmodi Principibus à Viris sanctis & doctis scripta reperiũtur; sed abstineo vitandæ

molis causa. Non possum tamen non ostendere, aliqua facta comparatione inter aureos primos, aut saltem argenteos Romanos Pontifices: & posteriores iam factos ferreos, imo terreos, quam sit deturpata facies Ecclesiæ in istis, & quam sint diuersi, & longe mutati ab illis. Nicolaus primus, & Innocentius tertius, ne se subijciant Imperatoribus, malunt corrumpere distortis sensibus diuinam scripturam, quam cedere. Audiamus Nicolaum ad Aduentium Episcopum Metensem scribentem: *Apud Baron. tom. 10. anno 863. nu. 66. Illud vero*, inquit, *quod dicitis, Regibus & Principibus vos esse subiectos, eo quod dicat Apostolus* 1. Petr. 2. 13. siue Regi, tanquam præcellenti, *placet. Veruntamen videte, vtrum Reges isti & Principes, quibus vos subiectos esse dicitis, veraciter Reges & Principes sint, videte si primum se bene regunt, deinde subditum populum. Nam qui sibi nequam est, cui alij bonus? videte si iure principantur, alioqui potius tyranni credendi sunt, quam Reges habendi, quibus magis resistere, & ex aduerso ascendere, quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi, & non prælati fuerimus, nos necesse est eorum vitijs faueamus. Ergo* Regi quasi præcellenti, *virtutibus scilicet, & non vitijs, subditi estote*: sed Apostolus ait, *Propter Deum*, & non, *Contra Deum*.] Paulus Neroni etiam obediendum præcipit; in humana nimirum politia; neque inquirit quo iure regnet, aut principetur: Hic vero vult, nos, antequam Principibus temporalibus pareamus, inquirere debere, num veraciter Reges sint, & Principes. Sancti Patres, & Pontifices, malis etiam Principibus, hæreticis, ac tyrannis, & obediunt, & obediendum esse cum Paulo docent; hic vero in nostra situm esse voluntate ait, vt, si quem se bene regere, & subditum populum, non perspexerimus, ei nequaquam pareamus; imò vt ei resistamus, & ex aduerso ascendamus; hoc est, vt rebelles facti, iugum ab ipso Deo nostris ceruicibus in humana politia impositum, pertinaces, & refractarij, excutiamus. Hæc non est doctrina Spiritus Sancti, sed pestifer serpentis sibilus, Romani tamen Pontificis ore prolatus. Contra Deum Principes non esse audiendos quis dubitat? sed in humano regimine, sunt omnino audiendi, vbicunque peccatum non præcipiunt; vbicunque peccatis ipsi sint obnoxij.

XLVI. Nugatorias ineptias sacræ diuinæ scripturæ, & sanctissimis Patribus hactenus à nobis productis, & explicatis, prorsus contrarias effutijt Innocentius tertius; qui & ipse, nolens vt homo humanis subdi potestatibus, ne verbis Petri Apostoli ad id cogeretur, imperitas omnino, & futiles excogitauit interpretationes *in c. Solitæ benignitatis, de maior. & obed.* quas hic recitare tædet, vel eo maxime nomine reijciendas, quod & Sancto Paulo, & communissimæ totius sanctæ Ecclesiæ purioris sententiæ, aduersentur. Subtiles fortè, sed plurimum distortas scripturæ interpretatiunculas: quales certe non venabantur antiqui Patres, qui spiritu humilitatis, ac debitæ subiectionis ducti, ab humana obedientia non sunt vnquam ausi recedere.

XLVII. Bonifacius octauus huc addatur, vt comparatio, quam facimus, emineat conspicua. Dixerat Paulus. *Rom. 13. 7. Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*: docebant Patres verbo, & confirmabant exemplo, quod & Christus docuerat verbo *Matt. 22. 21.* Reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & confirmauerat exemplo soluendo ipse tributum personale, *Matth. 17. 27.* Hic vero maior penè Deo effectus, quod iure diuino poscunt Reges, id eis eripere ausus est audacissimè, vt etiam excommunicationi Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Potestates, Capitaneos, Officiales, Rectores, &c. supposuerit, si collectas, aliasque tallias, ex bonis Ecclesiasticorum assumere voluerint *in cap. Clericis, de immun. Eccl. in 6.* Huius tamen hominis nimiam audaciam, & agnouit, & correxit Clemens Quintus, cum Concilio Viennensi, qui totum Bonifacij decretum, cum omnibus ipsius declarationibus, expunxit, & aboleuit. *Clement. quoniam, de immun. Eccles.* Et sunt qui fateantur, Bonifacium illud in odium Philippi Regis Franciæ statuisse, quia ferre nō poterat, vt Rex de more conferret sui Regni beneficia: Vnde Papa indignatus, *inquit Glossa in Extrauag. Quod olim, de immun. Eccles.* fecit illam constitutionem clericis; & ex illa constitutione fuerunt orta multa scandala: vnde Clemens Papa *in Clem. Quoniam de immun. Eccles.* voluit, quod antiqua iura seruarentur, & non illa constitutio.] Ita profectò fit, vt, dum secundum formam antiquæ Ecclesiæ, Christi spiritu pleni Prælati Ecclesiastici humillimè parent, & libenter subijciuntur Regibus in temporalibus, pax & tranquillitas maximè fulgeat in Ecclesia; dum vero ijdem Prælati spiritu huius mundi pleni, contra Principes erigunt cornua, & cum ipsis de dominio temporali decertant, scandala, & perturbationes non paucæ exoriantur. Sed de his satis.

XLVIII. Subiectum fuisse etiam Papam in temporalibus Imperatori, neque Pontificatum ab hac subiectione illum eximere, nescio quò pacto Bellarminus, nisi ex magna vi veritatis, conceptissimis verbis pronunciauerit. Vbi enim primorum Conciliorum conuocationem per Imperatores factam obseruabat, ne illa in præiudicium Romani Pontificis possit adduci, quatuor protulit causas, seu rationes, cur eo tempore Pontifices opera Imperatorum vti cogerentur in generalium Conciliorum cōuocatione: quartam vero, *inquit, de concil. & Eccl. l. 1. c. 13.* illam esse: Quia eo tempore Pontifex, etsi in spiritualibus caput esset omnium, etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subijciebat se Imperatoribus; & ideò non poterat, inuito Imperatore, aliquid agere: & cum tantum debuisset petere ab Imperatore auxilium ad conuocandam Synodum, vel vt permitteret Synodum conuocari, tamen quia Dominum suum temporalem eum cognoscebat, supplicabat vt iuberet conuocari Synodum.] Postea vero docet, rationem hanc esse immutatam, & Papam liberatum fuisse ab ista subiectione; cum etiam ipse in suis prouincijs, *inquit*, sit Princeps supremus temporalis; sicut sunt Reges & Principes alij: id quod diuina prouidentia factum est, vt Pontifex liberè munus suum exequi possit.] Ita Bellarminus. Pontifex ergo iuxta confessionem Bellarmini non habet ex Pontificatu, vt sit liber, & exemptus à subiectione in temporalibus Imp. Sed hoc habet ex Principatu temporali, quem etiam ipse possidet: quo Principatu à Papa remoto, fatetur Bellarm. Papam subdi in temporalibus Imp. Atq; hoc ipsum est, quod nos contendimus. Igitur Episcopi reliqui omnes, & Presbyteri, ac Clerici vniuersi, quicunque non habent principatum terrenum supremum, erunt plenè subiecti Principibus; & Principes tanquam suos Dominos in temporalibus debent agnoscere. Hæc apertissimè ponit Bellarminus.

XLIX. Quoniam tamen nihil melius Principum ius erga omnes subditos in humanis, etiam Ecclesiasticos, confirmat, quam ipse antiquissimus vsus, & longissima praxis in Ecclesia, Ecclesia ipsa nō modo non repugnāte, sed & consentiēte, atq; approbante; idcirco in factis ipsis, vltra factū Eusebij, & Gregorij

iam

iam adductum, debemus, & sane non parum immorari. Exempla erunt non pauca per singulas ferme Ecclesiæ Christi ætates: Ac ne tibi Lector sint fastidio, quæ placuerint excerpe; alia aut percurre, aut prætercurre.

L. Primus omnium Imperatorum Christianorum, atque is sanè piissimus, & de Ecclesia optimè meritus Constantinus, se mihi dat obuiam; quem de vsurpata iurisdictione aduersus Ecclesiasticos, non puto ab Hieromonarchicis accusandum: & si stultè accusaretur, haberet ille cōmunissimum totius sanctæ antiquæ Ecclesiæ patrocinium. *Theod. hist. l. 1. c. 11. & Sozom. l. 1. c. 16.* Is porrò criminationum & accusationum libellos aduersus Episcopos & Sacerdotes, tanquā eorum iudex in criminalibus legitimus, proferri iussit, & eos accepit: quamuis conciliata postea inter eos concordia noluerit procedere, sed libellos igni tradiderit, ratus æquum & pium esse, vt Episcoporum lapsus humani omnino tegerentur, ne vitia ipsorum, si populo aperirentur, offendiculi causas, & licentiam in populo peccandi præberent. Fatetur sane apud Sozomenum Constantinus, sibi vt homini fas non esse earum causarum cognitionem atrogare, vbi & accusari, & accusatores essent Sacerdotes; id tamen propter merè Ecclesiastica crimina, puta hæresis, & similia, dixisse est censendus, & vt facilius eos ad concordiam reuocaret, vt expeditius tractaretur causa fidei in Concilio, impedimentumq; hoc criminationū primariū amoueret. Si tamen se iudicē eorum incompetentem agnouisset, libellos accusatiorum non accepisset, sed eos ad propria Episcoporum tribunalia reiecisset. Quinimo Episcopi etiam ipsi eū monuissent, ne Episcoporum accusatores audiret, eorumve libellos acciperet: quia in se neque monitus fuit, neq; reprehensus. Arium vero Presbyterum ob hæresim pestilentissimam & turbulentissimam quis in exilium expulit? profecto Constantinus: nam licet Concilium eundem tanquam hæreticum condēnauerit, & ab Ecclesiæ communione separauerit; exilij tamen pœnam corporalem à solo habuit Imperatore: & vbi de ipsius restitutione actum est, non Concilium, non Episcopi, sed Constantinus eum ab exilio reuocauit. *Athan. de Synod. & Socr. l. 1. c. 25. & Sozom. l. 1. c. 28.*

LI. Sed & plures alios Episcopos ex eadem Ariana causa in exilium misit idem Constantinus, vt ipsemet fatetur de Eusebio, & Theognide, alijsque ad Nicomedienses scribens: *Theo. l. 1. cap. 20.* Sed isti, *inquit*, honesti bonique scilicet Episcopi, qui vera Concilij dijudicatione ad pœnitentiam agendam reseruati fuere, non solum eos admiserunt ad se, & secum in tuto collocarunt, verum etiam illorum deprauatis moribus communicarunt. Quamobrem erga istos ingratos aliquod supplicium censui statuendum, & propterea mandatum dedi, vt à suis abrepti sedibus, quàm longissime relegarentur.] Hæc Constantinus: qui sine aperte dicit, se supplicium hoc statuisse, & se mandasse, vt relegarentur. Baronius tamen id nō patitur. Ait enim *tom. 3. an. 329. n. 13.* Cæterum quod spectat ad Constantinum, non nouā in Episcopos depositionis & exilij sententiam protulit, sed quā sciebat olim latam à Niceno concilio, suis vero precibus reuocatā, voluit iterū validari: depositos hos namq; in Niceno concilio constat, tū ex ijs quæ superius suo loco sunt dicta, tum etiam ex his quæ habentur in Epistola synodali Concilij Alexandrini (apud Athanasium apologia secunda) vbi hæc legitur: Postquā de Eusebio Theognide Arianis Episcopis depositis in Niceno Concilio plura Patres locuti fuerant, &c.]

Sed discernere nescit, aut renuit Baronius, depositionem quidem à Concilio factam, sed exilium atq; exterminationē à Constantino iniunctā: nunquam n. inuenies, Concilium ex Ciuitatibus Episcopos expulisse, sed tantum de suis sedibus deposuisse: Principis vero semper fuit, exilio etiam Episcopos mulctare. Et sæpe, nulla præcedente Ecclesiastica depositione, ipsa sola in exilium expulsio, etiam deponebat à sua sede Episcopum.

LII. Idem Constantinus Athanasium expulit in exilium, *Theod. hist. l. 1. c. 31.* Et quāuis & ipse Athanas. & alij iniquam agnouerint hāc expulsionē, eo quod innocentē exilio mulctauerit, nemo tamen de vsurpata iurisdictione est conquestus, imo à plurimis excusatur, *Baron. tom. 3. an. 336.* quod ab Arianis deceptus, id effecerit bona fide. Certe Theodoretus causam ponit temporalem: *accusatus enim fuerat Athanasius, minatum esse*, inquit Theodoretus, *se prohibiturum, quo minus frumentum vt solet, Alexandria Constantinopolim adueheretur.* Iudicium tamen inter Athanasium & Episcopos accusatores, plane ipse Imperator assumpserat: scribit n. ibidem Theodoretus: *Postquam vero Athanasius ad eum venit, de iniquo iudicio conquesturus, Episcopos quos ea de re accusabat, ad se aduentare iubet Imperator.*] Et Ægyptij Episcopi de eodem Athanasio hæc scribunt: [*apud Athan. apol. 2.*] *Cum nihil culpæ in comministro nostro Athanasio reperirent, Comesq; summa vi imminens plura cōtra Athanas. moliretur, Episcopus Comitis violentiam fugiēs, ad religiosissimum Imperatorem ascendit, deprecans, & iniquitatem hominis, & aduersariorum calumnias, postulansq; vt legitima Episcoporum Synodus indiceretur, aut ipse audiret suam defensionem. Imperator rei indignitate motus scriptis suis accusatores citat, suamque ipsius audientiam promittens, simulque Synodum indici iubet.*] Hic videmus Athanasium se penitus, non solum Synodi, sed etiam Imperatoris iudicio plene submittere, Imperatoremq; iudicium incepisse, & sua autoritate Synodum indixisse. Idem quoq; Imperator Constant. *Ibid.* vbi audiit Athanasium de homicidio accusati, literas Antiochiam ad Dalmatium Censorem misit, vt cognosceret de causa homicidij. Et Episcopi Ægyptij Catholici Synodi Tyrensis ad Flauium Comitem huiusmodi scribunt protestationem: *Libellum hunc tibi porrigimus, cum multis obsecrationibus, vt Dei metu in animo seruato, qui Imperium Augustissimi & piissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarum nostrarum ipsi Augustissimo Imperatori reserues. Æquum enim est te ab Imperatore missum negotium hoc integrum Imperatori retinere.*] Cum verò à nemine videam reprehensum Constantinum, quod audacter iudicia Ecclesiastica vsurpare voluerit, qui in Concilio Niceno Episcoporum causas Ecclesiasticas, & merè spirituales in Deum solum iudicem reijciendas esse sit professus: plane apparet hasce causas aut fuisse de criminibus humanis, aut si de hæresi fuerunt, Imperatorem eas iudicandas admisisse, non quod esset iudex de hæresi, sed quod turbationes, & pericula in ciuili gubernatione hæreses hæ & schismata soleant excitare, quo nomine ostendam postea, merito Principes suam circa hæc exercere potestatem, iuxta Canonem Cōcilij Chalcedonensis *Act. 4. Si autem*, inquit, *permanserit turbas faciens, & seditiones Ecclesiæ, per extraneam potestatem, tanquam seditiosum debere corripi.*]

LIII. In Cæciliani Episcopi Carthaginensis, totius Africæ Primatis, nec non aliorum Episcoporum Donatistarū causis iudicandis, idem Constantinus non semel, atq; iterū, sed etiam tertio suam interposuit autoritatē: *Aug. ep. 68.* Planum enim est, Episcopos Donatistas Cæcilianum accusasse Anulino pro-

consuli, & per Anulinum Imperatori Constantino, de sacrorum præsertim librorum exustione: & non tam petierunt, vt ipse causam judicaret, quam vt eis Ecclesiasticos decerneret judices: Cuius sicut vere fuit illa vox: *Petitis à me in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem, Opta. l. 1. cont. Parm.* ita etiam verum est, vt habet & Augustin. & Optatus, datos eis fuisse à Constantino judices Maternum Agrippinensem, Rhetitium Augustodunensem, & Marinum Arelatensem Episcopos: *Euseb. l. 10. c. 5.* Quos ex Gallijs Romam misit, vt simul cū Melchiade Pontifice Romano totam causam discuterent, & debito fine terminarent: Et quamuis ipse causam non iudicauit, ipse tamen sua autoritate causam commisit, & iudices delegauit, & vnum ex iudicibus delegatis voluit esse Melchiadē: *Aug. ep. 166.* qui sane Melchiades, simul cū tribus illis Gallis Episcopis, ex cōmissione Imperiali iudicium hoc agitaret, *Aug. de bapt. cont. Petil. c. 16.* Excusatio vero Baronii *tom. 3. an. 313. n. 22.* vana est, quod inuitus, quod rudis in fide id fecerit, & quod ad Rom. Pont. causam detulerit. Aliud n. est, se Iudicem incōpetentem agnoscere, & partes ad suos Iudices remittere: aliud vero est partibus iudices assignare, & delegare, quod fecit Constantinus: neque in hoc ab illis tribus Episcopis Gallis, neque ab ipso Melchiade fuit instructus, aut correptus, cum tamen & pius esset, & audire atq; obedire paratissimus. Congregatumq; fuit Romæ Concilium à Melchiade, vt debita consultatione causam melius & tutius discuterent, *Optat. l. 1.* sed tamen in eo Iudices à Constantino delegati, qui absoluerunt Cæcilianum, & Donatistas condemnauerunt, fuerunt Melchiades, Maternus, Rhentius, & Marinus. *Aug. in breuic. coll. di. 3. c. 12.*

L I V. Imo Augustinus innuit iudicium in hoc Papæ Melchiadis futurum fuisse vsurpatum, nisi ex Imperatoria delegatione illud cum collegis assumpsisset. Agens enim contra Donatistarum pertinaciam, nolentium cedere tot iudicijs Cæcilianum absoluentibus, ipsa iudicia conatur ab omni oppositione vendicare; ipsemet sibi ipsorum nomine objicit *ep. 162.* An fortè nō debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus, cum collegis transmarinis Episcopis, illud sibi vsurpare iudicium, quod ab Afris septuaginta, vbi primas Tisigitanus præsedit, fuerat terminatum?] Ad hoc quid respondet Augustinus? certè non negat iudicium hoc posse meritò censeri vsurpatum, sed excusat illud & defendit dicens: Quid quòd nec ipse vsurpauit? rogatus quippe Imperator Iudices misit Episcopos, qui cum eo viderent; & de tota illa causa, quod iustum videretur, statuerent. Hoc probamus, & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.] Ita Augustinus.

L V. Subsecuta est Donatistarum appellatio, à Iudicio Episcoporum, ad ipsum Imperatorem Constantinum, *Optat. l. 1. cont. Parm.* Is quanquam in ea admirationis verba proruperit! *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*] Hoc tamen non significat Imperatorem abominatum fuisse inscitiam appellantium, quod Episcopi & Ecclesiastici ad tribunal Laicum recursum haberent; sic enim eos à se dimisisset, & ad proprios Ecclesiasticos Iudices transmisisset; appellationem tamen admisit: igitur miratus est, quod in Ecclesiasticis causis, more secularium, appellaretur. Docebo enim *lib. 8.* iudicia Ecclesiastica esse longe diuersi generis, à secularibus; & præsertim quo ad appellationes. Admissa porrò appellatione Constantinus in Arelatensi Cōcilio in Gallijs, vbi ipse aderat, eius iussu congregato, voluit rursum Cæciliani & Donatistarū causam discuti; & iudicium Melchiadis, Romanique Concilij, dicto Concilio Arelatensi examinari, *Eusēb. l. 10. c. 5. & Aug. ep. 68.* Durū hoc videtur Baronio *tom. 3. an. 314. n. 35.* inuitū tractū fuisse aut Constantinū, vt iniustæ deferret appellationi. Augustinus tamē nunquam reprehendit hoc factū: Episcopi illius tēporis non reprehenderunt: si tyrannicè, licet inuitus, in res Ecclesiasticas suā extendebat potestatem, cur tacent Romani Pontifices: cur Cæcilianus non excipit, sed paret? cur Episcopi maximi nominis ad nutū Imperatoris cōgregantur, Concilia magna celebrant, & eius iussu iudices sedent? igitur aut Episcopi pecudes erāt stupidissimæ: aut Constantinus tyrannus immanissimus, & Ecclesiæ conculcator. Vtrumq; verò cū dici nequeat; ne faciamus Constantinū rerū Ecclesiasticarum Iudicem competentē, dicimus nos, Imperatorem cū sit supremæ potestatis, in omni cōmuni bono promouendo, habere à Deo etiam potestatē, vt vel ipsa Ecclesiastica curet rectè peragi: non potest ergo iudicare negotiū fidei, sed potest compellere Ecclesiasticos, vt fidem etiam sartam tectam conseruent; vbi præsertim ex negotio fidei, pendet etiam publica externa ciuium tranquillitas. Quo respectu se plurimū motū ad cōplectenda hæc negotia fidei, scribit ipsemet *apud Baron. tom. 3. an. 312. nu. 37.* ne dissentiones ac turbulētias periculosas, in suo Imperio pateretur, ac inde existimationi ipsius nota aliqua inureretur. Et de alio simili Constantini iudicio loquens Augustinus *ep. 162.* sic ait: Quasi vero ipse sibi (*Felix Aptungitanus*) hoc comparauerit, ac non Imperator ea quasi iusserit, ad cuius curam, de qua rationem Deo redditurus esset, res illa maxime pertinebat.] Sed de hac Regum autoritate, & superintendentia in Ecclesia, dicam postea. Quod igitur Constantinus, & causam Cæciliani sit amplexus toties, & Iudices deputauerit; fecit autoritate Imperatoris, & Imperatoris Christiani; qui vbi Ecclesiastici soli non possunt dissidia componere, componat ipse, aut compositioni assistat, & eam promoueat; quod laudat, & approbat Conciliū Mileuitanum illo canone 19. *& ponitur 11. q. 1. c. 11.* Placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.] Quod vero postea amplissimis priuilegijs circa iudicia ciuilia Ecclesiasticos exornauit; non fecit, vt Baronius *tom. 3. an. 314. n. 37.* autumat, quasi in correctionem horum iudiciorū, quæ ipse immeritò arbitratur fuisse perperam & indebitè ab Imperatore vsurpata; sed fecit ex sola liberalitate, & pietate: nihilominus suam sibi reseruans generalē autoritatē, prouidendi etiam Ecclesijs, vbi opus esset.

L V I. A iudicio etiam Concilij Arelatensis iterū appellant Donatistæ, contra Cæcilianum, ad ipsum Imperatorem; qui appellationem & admisit, & ipsemet voluit judicare, Cæcilianumque absoluit, & Donatistas condemnauit. Narrat rem Augustinus; *ep. 48. & ep. 162.* neq; accusat, aut reprehendit Imperatorē; Cæcilianus non excipit, sed paret, & sponte sistit se iudicio Constantini. Erat enim iudicium criminale. Imò ipsos accusatores & appellantes Episcopos, atq; ad iudicium seculare negotium Episcoporum trahentes, Augustinus apertè asserit non fuisse eo nomine reprehendendos: sic enim ait: *epist. 48.* Si autē, sicut falso arbitramini, verè criminosum, *Cæcilianum*, iudicādum terrenis potestatibus tradiderunt, quid nobis obijcitis, quod vester totum præsumptio primitus fecit! (*loquitur cum posterioribus Donatistis*) quod eos non arguerimus, *inquit Augustinus*, quia fecerunt si non animo liuido & noxio, sed emendandi, & corrigendi

rigendi voluntate, fecissent.] Sentit itaque Augustinus, vbi agitur de correctione, & emendatione Ecclesiasticorum, non esse reprehensibile si Principum terrenorum quæratur iudicium, & potestas inuocetur: modo id non fiat animo inuido, & nocendi cupiditate.

LVII Inepta verò est Baronij *tom. 3. ann. 316. nu. 58.* excusatio, qui Constantinum illegitimis, & iniustis appellationibus detulisse propterea asserit: *Vt sic victi, schismatici, à caussa desisterent, penitusq; conquiescerent, & Ecclesia Africana schismate scissa, pace atq; concordia vniretur: quodque existimaret, haud facile posse sub Romano Imperio contineri Africam, tam potenti factione labantem.*] Cui excusationi opponimus primum, nō esse facienda mala, vt eueniant bona: deinde politicam rationē regnandi, Principem pium non excusare, vbi libertatem interim læderet Ecclesiasticam. Et mirum est, Baronium presbyterū, & Cardinalem, politicas hoc loco admittere rationes in Constantino, contra Ecclesiæ libertatem, quam hic tamen lædi putat. Laudat *tom. 5. anno 400. num. 41.* & merito, postea Chrysostomi vigorem, & pietatem, in dissuadendo Arcadio Imperatore, ne Gainæ Ariano Templum donaret, quod ille postulabat, *Theod. l. 5. c. 32.* quanquam Imperator inclinaret vehementer, & commemoraret Gainæ potentiam, ac suspicaretur eum moliri tyrannidem, oraretq; Chrysostomum, vt, templo dono, furentē eius animum placaret; sed frustra. Melius igitur defenditur Constantinus, quod pio Principi, qui portat gladium, & iustitiam administrat vindicatiuam, conueniebat sedare tumultus sacerdotales; & fidei atque pacis & tranquillitatis Ecclesiasticæ assumere protectionem.

LVIII. Mitto Ioannem Episcopum Meletianū, & multos alios Episcopos Ægyptios à Constantino in exilium pulsos, [*Baron. tom. 3. anno 336. n. 16, 17.*] Sed ait Baronius, *Ibid. nu. 18.* executorem tantum fuisse, & Episcopos illos prædamnatos fuisse in Concilio. Cōcilium tamē damnabat duntaxat declarando quempiam esse hæreticum, & communione, ac, ad summum, sede sua, priuandum. Nusquam verò apparet in Concilijs illa prædamnatio, præsertim ad exilium. Imo Hieronymus *in Chro. vbi de Maximino Treuiren.* has prædamnationes non agnoscens, Constantinum asserit quæsiuisse ad pœnam Athanasium.] Certe Fœlicis Aptungitani Episcopi, qui fuit ordinator Cæciliani, caussam, ex eorundem Donatistarum accusatione, suo Proconsuli Heliano, in Africa iudicandā, mandauit idem Constantinus. [*August. post collat. ep. 33. & ep. 152. & Opt.*] Et Photinus damnatus Sardicæ impetrauit a Constantino nouos Iudices, *Epiph. hæres. 71.*

LIX. Athanasium eundem Meletiani accusarūt Imperatori, tanquam homicidam, quod Arsenium interfecisset. Caussam hanc homicidij, vt planè cognosceret & iudicaret Delmatius, tanquam iudex delegatus, iussit Constantinus. Ac sane Athanasius ipse *Apolog.* ita rem narrat, vt suam quidem defendat innocentiam; non tamen Imperatori improperet iudicium vsurpatum, cuius se iudicio, vt vidimus, & videbimus, haud difficulter subijcerat.

LX. Hæc quidem omnia Constantinus ille, qui tamen in Concilio Nicæno illud dicitur protulisse: Deus constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium.] *Ruffin. lib. 1. c. 2.*] Si verum est, ista Constantinum dixisse, cur facta ipsius dictis non respondent? vel igitur ex abundantia quadam pietatis illud protulit, si tñ protulit, vel de solo iudicio in caussis propriè Ecclesiasticis & spiritualib. illud intellexit: quod ex Cypriano aut audire ab alijs, aut ipsemet discere potuerit, ita dicente *in Concil. Afric. de hæret. bapt.* Neque enim quisquam nostrūm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare: sed expectemus vniuersi iudicium D. N. Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.] Hac de re nos plura suis locis. Relinquamus tandem Constantinum, & ad alios accedamus.

LXI. Constantius eius filius caussam criminalem Stephani Antiocheni Episcopi, de vi publica, & lege Cornelia de sicarijs, laico iudicio in Palatio Principis, & non in Ecclesia agitari voluit: Prætor, *inquit Theodoretus, l. 2. c. 9. 10.* maximè omnium cœpit aduersus Stephanum clamare: orare Imperatorem, vt de iniquo indignoque eius facinore, non in Episcoporum concilio, sed pro tribunali iudicium quæratur: seque pollicetur primum Episcoporum clericos, qui facinoris conscij erant, supplicio coercendos tradituros. Stephani quoque ministros, ait, eodem modo puniendos esse. At cùm Stephanus petulanti ore illis contradiceret, affirmaretque plagas clericis non infligendas esse, placuit Imperatori & Magistratibus, vt quæstio de facto in Regia haberetur. — Ad hunc modum ergo intellecta Stephani improbitate, primum Episcopis, qui tum aderant, mandatum dant *Iudices*, vt hominem abdicent Episcopatu, deinde illi ipsi eum Ecclesia penitus expellant.] Obserua non remitti iudicium huius Episcopi ad Ecclesiasticum tribunal, vt videat essetne deponendus; sed præcipitur Episcopis, vt illum deponant, quem ipsi laici iudices deponendum esse iam per sententiam statuerant: actualem vero illius expulsionem ab Ecclesia laici iudices sibi reseruant.

LXII. Athanasius, & simul Paulus Episcopus Constantinopolitanus, ad Constantem Imperatorem Romam confugiunt, ipsisque instantibus, & id petentibus, Imperator literas ad fratrē Constantium dat, perque illas ei significat, *inquit Socrates lib. 2. cap. 14. Sozom. l. 3. cap. 9.* vt tres Episcopi rationem de Pauli, & Athanasij abdicatione reddituri, ad ipsum mittantur. Missi sunt igitur Narcyssus Cylix, Theodorus Thrax, Maris Chalcedonius, & Marcus Syrus.] Neque hic video iudicium vsurpatum, vbi Athanasius, & Paulus, Episcopi admodum religiosi, & Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantissimi, autores sunt Imperatori, vt Episcoporum iudicium assumeret: & de ipsorum indebita à sedibus proprijs expulsione iudicaret.

LXIII. Valentinianus Chronopium Episcopū, eo quod prouocauerat à iudicio septuaginta Episcoporum, argentariam mulctam pati coëgit, *l. 2. Quorum appel. C. Theod.* Idem, Vrsicinum Episcopum, nec non Gaudentium, Vrsum, Ruffum, & alios, relegationibus varijs, pœnas dare voluit, quia ipsorum schismata publicam pacem, & tranquillitatem perturbabāt. Iure mansuetudinis, *inquit*, nostræ sensibus vel diuinitus damnatum est, vel tranquillitate naturæ, ne cū delinquentium facinore legū seueritate certemus, ac spe emendationis futurę mitiorem esse vellemus correctionis iniuriā, quam prouocat meritum nostrum, Ampeli pater carissime Augustorū. Dudū Vrsicini in-

quietudine prouocant fauentes concordiæ populi Christiani; quieti etiam Vrbis sacratissimę prouidentes, vno interim loco intra Gallias duntaxat perturbatorem tranquillitatis publicę, statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione motum latæ dissensionis incommodū spargeretur. Verùm naturæ nostrę mansuetudine leuigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad Vrbe Romam, vel certe suburbicarias regiones, pedem inferat, neq; nequitię suæ cogitationem conetur infundere. Id etiam de cæteris erroris consortibus, Gaudentio videlicer, Vrso, Ruffo, Auxanone, Auxanio, Adiedo, & Ruffino, sancimus, &c. *Apud Baron. tom. 4. an. 371. nu. 1.*] Sicut itaq; Principes in id maxime incumbere ex officio & munere suo publico debent, vt in ciuitatibus suis quies publica, & tranquillitas salua sit inter ciues: ita etiam Ecclesiasticos si sint perturbatores publicæ tranquillitatis possunt & debent cohibere.

LXIV. Gratianus eadem caussa Instantium, Saluianum, & Priscillianum Episcopos, non modo ex Vrbibus, quarum erant Episcopi, sed etiam extra omnes terras expulit. Et paulò pòst de eisdem restituendis, male persuasus, rescriptum dedit. *Seuerus hist. lib. 2. in fine.* Placet quod Baronius *tom. 4. an. 381. num. 110.* non eum in hoc reprehendat tanquam Iudiciorum Ecclesiasticorum vsurpatorem; sed quod hæreticos atq; schismaticos Ecclesiis suis restituerit. Ex quo quidem facinore, *inquit Baronius*, Gratianus sibi necem comparauit.] Sed hæc sunt inania & insulsa, qualia ex Baronij tripode nimis frequenter sonant vaticinia satis confidenter prolata. Instantium & Priscillianum non multò pòst Maximus Imperator, quem vocant tyrannum, ad ipsum prouocantes, iterum euocauit in iudicium, Episcopis accusatoribus id exposcentibus; & demum alterum capite, alterum perpetua deportatione pœnas luere coegit: & plures alios, aut neci dedit, aut exterminauit, *Prosp. in chr. & Seuer. l. 2.* Improbat Seuerus Episcoporum nostrorū inconstantiam, hoc est, Catholicorum, quod Priscillianum permiserint ad Imperatorem prouocare, & à Iudice sæculi Ecclesiæ causas iudicari. Causa tamen mihi non videtur horum fuisse Ecclesiastica solum: nam de ipsorum criminibus humanis, & quęstionem habitam, & Priscillianum conuictum, ac fatentē obscœnitates suas, fuisse damnatum, narrat idem Seuerus. Criminum verò cognitores & vltores fuisse perpetuo sæculares potestates, & edicit Paulus, & vsus non interruptus in Ecclesia docet egregie.

LXV. Arcadius Imperator accusationes aduersus Ioannem Chrysostomum, per ipsius æmulos oblatas, & admisit, & iudicium instituit; ac tandem etiam in exiliū procul eum amandauit, *Socrat. l. 6. c. 16. & Pallad. in dial.* Ac sanè Innocentius Papa, vt fertur, dum in Arcadium, & Eudoxiam, tanquam in graues maximi Viri persecutores, inuehitur, non ei opponit, quòd vsurpato iudicio laicus in Episcopom exercuerit violentiam potius, quam potestatem: sed illum reprehendit, q; iniuste processerit, nullo seruato iudicij ordine: *Eiecisti*, inquit, *è throno suo, re non iudicata, magnū totius orbis Doctorem, Niceph. l. 13. c. 34.*] Sed & Ioannes ipse, licet querulas admodum in Arcadium ad diuersos scripserit literas, præsertim ad Innocentium: nunquam tamen de vsurpato iudicio contra Imperatorē conqueritur: sed semper legitimū iudicem, quamuis iniquum, illum agnoscit, aut saltem supponit. Cyrillus Alexandrinus *Epist. 6.* Nestorij extirpationē à solo Imperatore expectandam, & petendam scribit ad Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum: *Necessarium autem*, inquit, *erit, vt Christi amanti, ac religiosissimo Regi, & vniuersis magistratibus scribamus, consulamusq; ne pietati in Christum hominem præponant sed Largiatur vt hæretica fidei firmitudinem, ac greges Domini à malo pastore liberent, nisi vniuersorum consiliu obtemperauerit.*] Theodosius tunc iunior ipsum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, & Memnonem Episcopum, seductus à conciliabulo Ephesino, per Ioannem Antiochenum congregato, carceri manciparat; sed à magna Ephesina Synodo caussa cognita, & damnato Ioanne, cum cæteris, innocentes sunt illi quidem declarati: ex vinculis tamē in libertatem asseri ab eadem tota œcumenica Synodo non potuerunt; sed id ab Imperatore per Legatos & literas postulare Synodus ipsa non destitit, illis verbis: *Nunc verò his scriptis, & per hos legatos pientissimos Episcopos, vestra pia genua protensis manibus attingimus, vt quæ violenter acta sunt cum sanctissimis & pientissimis Episcopis Cyrillo & Memnone, nullumq; canonibus robur habentia, prorsus irrita sint, &c. Relat. syn. Ephes. apud Cyr. in apologetico.*] Et concludit: *Oramus igitur vestram maiestatē, soluite & vos, & illos à vinculis: vinctis enim fratribus, ac præsidibus sancta nostra Synodi, etiam nos quodammodo vincti sumus.*] Concilium generale protensis manibus genua attingit Imperatori, rogans, & obsecrans vt liberum è vinculis reddat ipsi totius concilij Præsidē Patriarcham; & deceptum quidem Imperatorem conqueritur modestissimè, libertatem tamen Ecclesiasticam ipsum comprimere, neq; sentit, neq; queritur concilium, neq; contra eum monitoria relaxat, neq; fulminat excommunicationes.

LXVI. Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum in eodem Concilio hæresis condemnatum, Imperator idem, per suum Prætorio Præfectum, in exilium expulit, vt est in Actis eiusdem Synodi. Episcopos quoq; nō paucos Nestorianæ perfidiæ suspectos idem Theodosius afflixit grauiter. Inter hos Theodoretus Cyri Episcopus dicat ipse quomodo in ipsum Imperator animaduerterit: nos verò audiamus an conqueratur, quod Laicus in Episcopū inquirere voluerit: an tantummodo quod iudicij ęquitatē cum ipso non seruauerit: Cum enim, *inquit, epist. 81. apud Baron. tom. 6. an. 440. nu. 11.* ad Nomum Consulem semel & iterum scripserim, literas nondum accepi, & Imperatoris decreto Cyrensium regionis terminos præterire prohibeor. Nulla verò alia caussa huius damnationis videtur, præter quām quod Synodos Episcoporum congrego: & licet neq; accusatio ostenderetur, neq; actor appareret, neq; reus conuictus, decretum tamen editū fuit, &c.] Mox allato exemplo Festi cō Paulo, *Act. 25.* addit: Et hæc quidem dicebat homo, qui Christo non credebat, sed idolorum errori seruiebat: Ego verò, neq; interrogatus an Synodos congregē, necne, & quorū causa congregem, & quid mali afferam vel rebus Ecclesiæ, vel publicis, ac si in maximis deliquissē, ab aliis arceor ciuitatibus. Quinimò aliis quidē omnibus omnis aperta est ciuitas, non solū Arij, & Eunomij sectatoribus, sed & Manichęis, & Marcionistis, & illis qui Valentini & Montani morbo laborant, nec nō & Ethnicis, & Iudæis: Ego verò qui pro dogmatibus Euangelicis pugno, ab omni excludor ciuitate.] Idem quoq; Theodosius Irenæū Tyri Episcopum deposuit, vt habes infra, *cap. 5. nu. 122.* Et Martianus Imperator causam Ibæ Episcopi Edessenī à Patriarcha Antiocheno, presbyteris ipsius Ibæ subditis, & accusatoribus sic instantibus, & suspectū Antiochenum allegantibus, auocauit, eamq; aliis Episcopis iudicandam commisit, eisq; cognitorē assistentē addidit Damasciū Tribunū, & Notariū, *Concil. Chal. act. 9.*] Agebatur verò ile excommunicatione ab Iba lata in presbyteros illos ipsius accusatores.

LXVII. Leo

LXVII. Leo Papa ad Leonem Imper. de coërcendis clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hæreticorum fautoribus ita scribit, *Epist.* 81. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius cum nimis benighe parcit, segnior inuenitur; dignamini pro fide vestra, etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab Vrbis habitatione pellantur.] Requirit vt potestatem suam exerceat, non delegat potestatem. Episcopi Syriaci de Timotheo Æluro, Episcopo Alexandrino, variorum criminum humanorum, præsertim adulterij, & homicidij, reo, ita scribunt ad eundem Leonem Imperatorem, *post Concil. Chalced.* De delictis autem, & præsumptiuuibus, quas nefandè commisit, Reipublicæ legibus, & earum præsolibus, secundum rationem, iudicio competenti subdetur.] Vides dictum competens contra Episcopos criminosos esse iudicium sæculare. Et sanè Timothei exilium ab Imperatore est datum, *Liberat. Breu. cap.* 13. de propria potestate, vt colligimus ex Epistola 100. Leonis Papæ, in qua hæc habet ad Gennadium: Dilectio tua eniti & elaborare debet, ne redeundi integram capiat libertatem; de quo iam dictis suis Princeps Christianissimus iudicauit.] Et Simplicius Papa *Epist.* 9. 11. precatur Zenonem Imperatorem, Vt quod per nos, *inquit*, Ecclesia seriò postulat, imò quod ipsi specialius supplicamus, Petrum Alexandrinæ Ecclesiæ peruasorem, ad exteriora transferri piissima præceptione iubeatis.]

LXVIII. Theodoricus Italiæ Rex, accusationem Symmachi Papæ admisit, & discussit: de quo ita narrat Anastasius Bibliothecarius, *in Symmacho.* Post annos verò quatuor, aliqui ex cleru, zelo ducti, & aliqui ex Senatu, maximè Festus, & Probinus, calumniauerunt Symmachum, & subornarunt falsos testes, quos miserunt Rauennam ad Regem Theodoricum, accusantes beatum Symmachum, & occultè [illegible] carunt Laurentium, post libellum Romæ factum, & fecerunt schisma, & diuisus est iterum clerus, [illegible] alij communicauerũt Symmacho, alij Laurentio: Tunc Festus, & Probinus Senatores miserũt [illegible] Regi, & cœperũt agere, vt Visitatorẽ daret Rex Sedi Apostolicæ: tunc Rex dedit Petrum Altinæ Ciuitatis Episcopum: quod canones prohibent.] De hoc in Symmachum iudicio, postea nobis erit alio loco tractandum, in huius operis libro octauo. Quamuis enim tandè negotium hoc purgandi Symmachi Rex in Synodum reiecerit, accusationes tamẽ admisit, & actus iudiciarios exercuit, neque Symmachus restitit, neq; fuit Rex à quoquam reprehensus. Imò iam audiuimus Symmachum apertè profitentẽ, se delatum Deo in Imperatore, nimirum per obedientiam in rebus humanis; quærentemque vt Deo [illegible] deferat Imper. in ipso Pontifice, proculdubio in rebus spiritualibus, & diuinis.

LXIX. Iustinus Imperator, in criminali casu Dorothei Thessalonicensis Episcopi, seditionis, & homicidiorum plurium rei, ac præsertim necis in personã Ioannis Episcopi, Legati Apostolici, commissę, iudicium exercuit; in quo alij Legati Apostolici, illius collegæ, eiũ iussu ipsiusmet Romani Pontificis, consecrati Legati, Hormisdæ accusatores egerunt. *Suggestio inter epist. Hormisdæ post epist.* 56. Promittit, *inquiunt illi*, Sancta Clementia (*hoc est Imperator*) vindicare, & citare Dorotheum, quia nos contestati sumus pietatem eius, &c.] Homicida verò *Epist.* 57. ad eosdem Legatos hæc scribit: Nam eundem Dorotheum Constantinopolim, iussu Principis, didicimus euocatum, aduersus quem Domino & filio nostro Clementissimo Principi debetis insistere, ne ad eandem Ciuitatem denuò reuertatur; sed Episcopatus, quem nunquam benè gessit, honore deposito, ab eodem loco, ac Ecclesia longius relegetur: vel certe huc ad Vrbem, sub prosecutione congrua, dirigatur.] Cur non iubet Papa suis Legatis, vt insistant, ac pro iure suo postulent Episcopum reum sibi tradi iudicandũ, & puniendũ? alioquin fulmen exerãt in eum excommunicationis? rogat & obsecrat, vt eum plectat pœna exilij, imò ne obtinere quidem potuit, vt eum Romam transmitteret. Audiamus autem, quomodo respondeat Iustinus Legatis: *Inter hæc*, inquiunt, *secundum ea, quæ præcepistis, authoritatem Apostolatus vestri Principi insinuare curauimus, vt ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis, Romam præfatus Dorotheus, vnà cum Aristide, mitteretur. Qui respondit, caussam non esse, pro qua Romam delegarentur audiendi, vbi sine accusatorum controuersia sese possent liberius excusare. Suggestio. 2. post ep. Hormisd.* 64.] Significant verò in hac eadem suggestione iidem Legati, Dorotheum fuisse ad Heracleã deductum Ciuitatem, donec eaossa reminium reperiret: & mox ab ea dimissum. Et in indiculo qui ibidem sequitur videntur innuere, iudicium Imperatoris fuisse auro corruptum. Sed neque ipsi Legati, neq; Hormisda vnquam conquesti sunt, de iudicio vsurpato à Iustino, cui toties consenserunt: etsi fortasse illi vtcunque de iniquitate, & corruptione iudicij conqueri potuerint.

LXX. Iustinianus Imperator, de Catholica Ecclesia optimè meritus, suam tamen iudiciariam potestatem, in quascunq; personas, etiã sacras, & retinuit penes se, & semper exercere voluit: vt nimirum, quos Ecclesiastica censura Ecclesiasticis percelleret pœnis, præsertim depositionis, eos ipse Imperiali potestate ex ciuitatibus eiiceret, & in exilium amandaret. Sanè Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham, & Seuerum Antiochenum, & Petrum Apameę Episcopum, & Zoarã Presbyterũ, iudicio Ecclesiastico prius depositione condemnatos, ipse ex Ciuitatib. expulit in exilium. *Nouell.* 42. *ponitur in concil. general.* 5. *Act.* 1. *Interdicimus*, inquit, *ei* (Anthimo) *cõmorari in hac felici Ciuitate, & eius districtu, ac in quacunq; alia insigni Ciuitate.*] Condemnatus autẽ, & depositus fuerat ab Agapeto Romano Pontifice primùm, ac deinde etiam à Synodo, tanquam intrusus in sedem Constantinopolitanam, & in quibusdam dogmatibus fidei male sentiens. *Ibid. Act.* 1. Iisdem culpis conuictum Seuerũ sua etiam percellit sententia Iustinianus: *Similiter antem*, inquit, *& huic interdicimus omnino regiam Ciuitatem ingredi, aut districtũ eius, nec aliquã aliam de insignibus, &c.*] Eandẽ pœnam sancit in alios duos, Petrum, & Zoaram. Ac ne quis suspicari posset Iustinianum esse merum executorem contra istius sententiæ sacerdotalis, vtitur in hac nouella verbis valde Imperialibus: Ad præsentem, *inquit*, venimus legem: nostrum Imperium contra istum præsentem scribit legem: nec vtiq; extra Imperialem confirmationem relinquimus sententiam iustè contra Seuerum (*ab Episcopis*) latam, falsa dogmata vt publicentur, nullo modo fieri in Christiano ouili Dei, & orthodoxo populo iustũ est, neq; ab Imperio permissum est — sacrã sententiam, quam propriam & ipsam in se ipsa existentem, adhuc magis firmiorem Imperium facit — interdicimus omnibus istos suscipere; — abijce ergo ipsos sancimus de Ciuitatibus: — Hæc pro communi pace sanctissimarum Ecclesiarum statuimus. — Hæc sententiauimus, sequentes sanctorum Patrum dogmata, vt omne sacerdotium imperturbatum de cætero nobis permaneat; quo in pace seruato reliqua nobis exuberabit politia.

defu-

desuper pacem habens.] Quid poterat efficacius, magisq; ex proprijs proferri? sed expressissimè habet Iustinianus in eadem Nouella, iudicium Ecclesiasticum circa solam horum depositionem fuisse occupatum, se verò propria autoritate pœnas exilij irrogare: ait enim contra Zoaram: Et hunc de hac regia Vrbe, & eius districtu abiicit, *imperium* & habitationem in alijs Ciuitatibus ipsi omnino interdicit. Itaq; cum illis solis habitet & consulat, qui à nobis antè memorati sunt, qui similia quidē blasphemāt, similia patiuntur, & similiter in exilio ponuntur: si quid verò aliud in sententia sanctissimorū Episcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat, hoc firmius ponimus, & diutius, ac Imperialibus nostris legibus ipsum corroboramus, ac si ab Imperio ipso prouenisset.] Si quid, *inquit*, aliud sit in sententia Episcoporum: puta depositio, & excōmunicatio: aliud hoc dicit esse ab exilio: aliud ergo continebat sententia Episcopalis, quod non erat exilium, sed depositio & excommunicatio; quibus etiam ipsis addit Imperator robur executionis. Iulianum Alicarnassensem Episcopum quia Chalcedonense Concilium non recipiebat, de ipsius sede expulit idem Iustinianus. [*Liberat. in breuiar. cap.* 19.]

LXXI. Nonne etiam Paulus Patriarcha Alexandrinus, homicidij ipsius iussu facti reus, per Liberium Augustalem, eiusdem Imperatoris Iustiniani mandato, in exilium missus est, Zoilo in ipsius locum subrogato? *Liber. Diac. in Breu. c.* 2. Siluerium item Papam ab exilio ita reuocauit idem Imperator, vt tamen iudicium in ipsum instituerit, super quibusdam literis p oditoriis: Vt si approbaretur, *inquit Liberatus, in Breuiar. c.* 22. ab ipso fuisse scriptas, in quacunq; Ciuitate Episcopus degeret, si autem falsæ fuissent approbatę, restitueretur suæ sedi.] Hic ridiculam non possum dissimulare Baronij obseruatiunculam. Ita quidem, *inquit tom.* 7. *anno* 538. *n.* 13. sentiens Iustinianus Imperator, non esse cuiuslibet potestatis damnare Romanum Pontificem, quem etiam si errasse conuinceretur, Romanum tamen Episcopum, licet non Romæ, voluit permanere: ne videlicet quod obiectū ei fuerat, ipso moliente, daretur Vrbs Gothis: Sed vt aliis in locis eandem, qua fungebatur, retineret pontificiā dignitatem.] Hęc Baronius. Eijcere igitur Romanū Pontificem Roma, & exilio eum mulctare, ac sede sua priuare, non est eum damnare? mihi certè videtur damnatio, & grauissima. Certè si Cardinalatu Romano eijceretur Illustrissimus Baronius, ita tamen, vt cuiuis alteri Ecclesiæ extra Romam incardinari ei liceret, grauissimè damnari se cōquereretur. Quod verò permittatur degere Episcopus in quacunq; Ciuitate, sensus est, & vt mihi videtur planissimus, ei Romanam sedem auferri: optionem verò dari, vt quemcunq; Episcopatū alterius Ciuitatis malit, (intellige ex vacantibus, seu cùm primū vacauerint) eum possit accipere. Nam quomodo Romani, hoc est, vt vult ille, vniuersalis Episcopi dignitatem retinere potest, qui ipsa Romana sede, ex qua sola habet, si quam habet, vniuersalitatem, priuatus existit? cùm præsertim iam Vigilius eam occuparat: si autem Imperator voluisset, Siluerium retinere quidem dignitatem Romani præsulis, sed procul ab Vrbe, Vigilium in sede Romana pati non debuisset: quem sanè Vigilium, si innocens repertus fuisset Siluerius, de sede deturbasset, & in eam ipsum Silueriū reposuisset: *quod si reū tenuisset*, significat Vigilium in Sede Romana permansurum. Siluerio verò se permissurum vt aliam sedem alterius ciuitatis posset eligere, & eam retinere.

LXXII. Quid plura? Si penes Iustinianum non fuisset plena propria ipsius potestas, circa corporales pœnas, præsertim exilij, erga Ecclesiasticos; Ioannes secundus non porrexisset ei supplices libellos, pro Episcoporum reuocatione ab exilio? Æquum quippe est, *inquit Epist.* 2. vt qui nostris minimè obedientiam accommodāt statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres. Sed quia gremium suum nunquam redeuntibus claudit Ecclesia, obsecro clementiam vestram, vt si proprio deposito errore, & praua intentione depulsa, ad vnitatem Ecclesiæ reuerti voluerint, in vestra cōmunione recepteritis, indignationis vestræ remoueatis aculeos (*audi indignationis, inquit, vestra, non condemnationis nostra*) & nobis intercedentibus, benigni animi gratiam condonetis.] Idem ab eodem supplex petiit Synodus Constantinopolitana, inter cuius decreta in relatione Patriarchæ Ioannis illud habetur: *Actor.* 1. Secundum capitulum in libellis continebatur, vt qui (*ex Episcopis & Sacerdotibus*) banniti fuerant, & fugati, conuersi restituantur propriis gradibus. Quoniam igitur iusta petitio est, deliberauimus, vt prædicti adiuuentur, & adducantur ad piissimum & Serenissimū Imperatorem nostrum.] Et in ciuilibus caussa inter Episcopum & Diaconum discutitur coram prouinciæ præside, & appellatio ad Iudices item laicos deuoluitur; super qua appellatione dedit Iustinianus responsum, quod habetur in eius Nouellis, *Nouell.* 115. *init.*

LXXIII. Iustinus alter iunior, Anastasium Sinaitam Patriarcham Antiochenum de sede deturbauit, & expulit in exilium: veris ne an confictis criminibus, quis scit? *Euag. lib.* 5. *c.* 6. Gregoriumq; virum prorsus egregium, & admirabilem, Sanctitate insignem, in locum eius substituit. *Baron. tom.* 7. *an.* 572. *num.* 19. Quod verò Iustinus propria imperiali autoritate effecit in Anastasio expellendo, id miror Baronium, *ibid. nu.* 17. ad Synodum, nescio quam, retulisse: Verum, *inquit*, cum à Iustino depositus dicatur Anastasius, non tamen sine coacto ad hoc Episcoporum cōuentu id esse factum scias.] Ante mille annos facta sunt hæc, & de Synodo hac ne verbum quidem antiqui Historici: qui scis? Docet id, *inquit tom.* 7. *an.* 564. *num.* 13. Eutychij Constantinopolitani Episcopi superius enarratum exemplum.] A singulari igitur facto, ad aliud singulare factum, valet Baroniana consequutio. Sed non considerauit persecutionem Eutichij fuisse ex sola causa dogmatum fidei, quorum iudicium non spectat ad laicos, sed ad Ecclesiasticos: Anastasio verò obiecta crimina erāt dilapidatio thesaurorum Ecclesię, & conuitia iacta in Imperatorem, *Euag. l.* 5. *c.* 6. quæ non sunt crimina Ecclesiastica, sed laicò examinanda iudicio. His placet addere obedientiam Amandi Episcopi: qui dum reuocaretur à Dagoberto Rege, à quo fuerat impie è regno pulsus, memorans, *inquit Baudemundus*, illud Apostoli præceptum, potestatibus sublimioribus se subdi debere, tandem peruenit ad Regem, *apud Surium die 6. Febr.*] Vt hinc etiā pateat, quandiu impressum fuerit Apostoli præceptum in mentibus sanctorum Episcoporum, quo se potestatibus laicis omnino subditos in temporalibus agnouerunt.

LXXIV. Bonifacij Sacerdotis valdè criminosi iudicium, committit Gregorius Theodoro Episcopo Libitano, simul cum Prætore: *De Bonifacio verò*, inquit, l. 2. ind. 11. ep. 49. *quædam grauis ad nos accusatio peruenit, cuius scelera volumus, vtrum vera sint, fraternitas tua cum loci Seruatore Prætore examinet.*] Et duos Episcopos criminosos, ob male factas consecrationes, idem Gregorius 11. *quæst.* 1. *c. istud est*, cōprehendi iubet, Aquilegiensem, & Mediolanensem, vinculisq; constrictos

Impe-

Imperatori præsentari, vtique ab eo puniendos. Et Episcopum Hortensem ab Hexarcho carceratum non repetit, neque turbas ciet; sed curat duntaxat, vt in Synodo, sit ne deponendus, & alius substituendus, examinetur. *Gregor. l. 2. epist. 32. infr. cap. 8. num. 3.* Iustinianus alter Callinicum Constantinopolitanū Patriarcham vinctum, & oculis orbatum in exilium Romam profligauit. *Theophan. & Cedren. apud Baron. tom. 8. ann. 703. nu. 2.* Sed cur obsecro tantæ rei indignitate commotus Baronius, in tyrannidem, & vsurpatam auctoritatem non est inuectus? imò rem ferme laudauit, & approbauit, inferens: Vt qui adeo superbè in Romanum Pontificem caput extulerat, ab eodem vitæ stipem humiliatus acciperet: Hæc dignè perpessus, qui primus ausus est, absque consensu Romani Pontificis, vniuersale congregare concilium, centurias edere canonum, &c.] Ita solet Baronius facta laudabilia reprobare, & reprobanda laudare, pro vt Romanæ fauent, vel repugnant Monarchiæ: & propria animi perturbatione, non iustitia & æquitate historicas metiri veritates. Hic est morbus eius frequentissimus, certè vrendo & secando vix curabilis.

LXXV. Habes, Lector æquissime, hactenus selectiora aliquot, atq; insigniora exempla continuatę per quingentos & vltra Christiani Imperij annos, fermè ad millesimum post Christum, possessionis Principum temporalium ipsorum iuris, in iudicandis & puniendis etiam Ecclesiasticis, vbi eos humana delicta, & contra publicam quietem, & tranquillitatem committere contigisset: aut ĕt vbi pro Ecclesiasticis delictis pœna ipsis corporalis esset irroganda. Si vis aliquod adhuc exemplum eiusdem continuatæ possessionis, etiam post millesimū à Christo annum, memineris Conradum Imperatorem præsente ĕt Benedicto nono Papa Romano, contra Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, Imperij perduellem, inter insurrexisse, manusq; in ipsum iniecisse; qui tū fuga sibi salutē comparauit: tres verò Episcopos, eodem Papa præsente, audiente, & vidente, Placentinū, Cremonensem, & Vercellensem, in exiliū expulisse. *Hermannus in Chron. an. 1037. & Baron. eod. an. tom. 11.* Sed diuinat de more Baronius, id eum nequaquam incōsulto Romano Pontifice, fecisse: & quod scriptores illorum temporum ignorauerunt, quia factum non est (non enim id prætermisissent) id ipse factum esse somniauit. Sicut & pro more suo inanissimus Propheta, pestilentiam in huius facti vltionem proximè subsecutam fuisse, comminiscitur. Sed si consulto Rom. Pontifice id factum est: cur pestilentia à Deo vindicatum? Ita sibi parum constat hic noster diuinus iudiciorum ac plagarum interpres.

LXXVI. Henricus etiam Rex, qui postea fuit Imperator huius nominis secundus, in eadem possessione tum propè mille annorum, cum suis prædecessoribus perseuerans, Vuidgerum Archiepiscopum Rauennatem, dignitate priuat: & Gregorium sextum exuit Pontificatu. *Herman. in Chron.* De alijs Henricis nihil dico, horum enim temporibus Romani Pontifices, per summum abusum reuerentiæ & patientiæ, imò forsitan etiam socordiæ Principum, nec non benignitatis & Priuilegiorum ipsis indultorum, in magnam potentiam elati, cœperunt Imperatoribus, & Regibus in faciem resistere: de quo lib. 4. satis egi. Quod cœpimus prosequamur.

LXXVII. Principum potestatem vniuersalem erga quoscunque, etiam Ecclesiasticos, in rebus, ac pœnis temporalibus, sacra Scriptura, ratio naturalis, dicta Patrum, & facta ipsa ab Ecclesia nō reprobata, imo admissa, & recepta, satis, vt arbitror, confirmarunt: nunc Ecclesiastica de hac ipsa re decreta inspiciamus. Extat Canon in Decreto, *dist. 17. c. Hac licuit.* quo præcipitur, vt ab Apostolica sede doceatur, qui dubitationem aliq̄ habet de reb. fidei: *Quod si*, inquit, *ita obstinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab iisdem Apostolicis sedibus aut attrahi ad salutē quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum Canones* [Concil. Antio. c. 3. & Chalce. act. 4.] *per seculares comprimi potestates.*] Ex Pelagio *ep. 5.* canon est collectus. Vnde clarissimè cōstat clericos (nam de Aquilegiensi, & Mediolanensi Episcopis scribebat Pelagius ad Narsetē Patricium) si sunt supplicio plectendi, à secularibus potestatibus esse plectendos: Ecclesia enim sola excōmunicatione & depositione in pœnam vti pōtest; vt iam toties hactenus ostendi.

LXXVIII. Idem Pelagius adhuc melius hanc exprimit Principum potestatem, in aliis ad Narsetem literis? ait enim, *Epist. 4. & ponitur 23. qu. 5. c. Relegentes.* Quamuis igitur vestra per illorū scelus vtilitas facta sit, nolite tamē impunitam præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere. Si enim hoc quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum, q̄ in minoribus non valeant puniri, ambigi vltra non debet. Exercete igitur in talibus debitā autoritatem, & ne eis amplius talia committendi spiritus crescat, vestris coercitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem DEI nutu etiam contra vos talia præsumpserunt, vt alia vobis corrigentibus, ab eodē scelere alios possitis Deo propitiante munire.] Et ad finem: Auferte tales ab ista Prouincia, vtimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione; quod tunc plenius fieri poterit, si autores scelerum ad Clementissimum Principem dirigantur: & maxime Ecclesiæ Aquilegiensis inuasor, qui & in schismate, & in eo maledictus, nec honorem Episcopi poterit retinere, nec meritum.] Iterum: Nolite ergo, *inquit idem Pelag. epist. 3.* dubitare huiusmodi homines principali, vel iudiciali autoritate comprimere, quia Regulę Patrū hoc specialiter constituerunt; vt, si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est, restiterit, vel seorsim collegerit: aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur, atq; damnetur. *Ecce tota pœna Ecclesiastica, etiam in Ecclesiasticos excommunicatio, & depositio, & ex numero fidelium eiectio:* Quod si forte & hoc contempserit, & permanserit diuisiones, & schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur.] Hoc verò, ait, esse legem Ecclesiasticam: nam totidem pene verba sunt in Canone quinto Antiocheni Concilij: & in regula approbata in Concilio Chalcedonensi, in Epistola Archimandritarum ad ipsum Concilium, actione quarta: & in collectione Martini Bracarensis, c. 37.

LXXIX. Leo quartus *dist. 10. c. De capitulis.* illis se verbis subdit Lothario Augusto: De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumq; Pontificum, & prædecessorū, irrefragabiliter custodiendis, & conseruandis, quantū valuimus, & valemus, Christo ꝓpitio, & nunc, & in æuū nos conseruaturos, modis omnibus ꝓfitemur.] Similiter & Ludouico: Nos, *inquit, 2. q. 7. c. Nos si.* si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitē non conseruauimus, vestro, ac missorum vestrorū cuncta volumus emendare iudicio, &c.] Nam Regum est, *inquit Gratianus, 2. q. 7. §. Item.* corporalem irrogare pœnam; Sacerdotum spiritualem inferre vindictam.]

LXXX. Optime distinguit canon Concilij Carthaginensis, vt in clericis possit esse, & crimen laicum, & crimen Ecclesiasticum: *11. quæst. 1. cap. Si quis cum.*

cum. in criminalibus, *inquit*, caussis, non aliter puniatur clericus, nisi obnoxius repertus, Sacerdotio nudatus fuerit ab Episcopo suo, vel clericatus honore. Sin autem crimen Ecclesiasticum est, tunc, secundum canones, ab Episcopo suo caussæ examinatio, & pœna procedat: nullam communionem aliis iudicibus in huiusmodi caussis habentibus.] Nam superius dixerat: Quod si de criminali caussa litigium emerserit, tunc competentes iudices terminum caussæ imponant.] Intelligit iudices sæculares, siue Ciuitatis, siue Prouinciæ. Sed & in eodem Concilio 3. Carthaginensi Episcopi intrusi commonitiones Ecclesiasticas contemnentes, omnino ad iudicium laicum pertinere declarantur, 11. *quæst.* 1. *c. Petimus.*

LXXXI. Inter Ecclesiasticos canones recensetur illud Isidori *de summo bon. cap.* 53. *& ponitur* 23 *quæst.* 5. *cap. Principes*, dictum: Principes, *inquit*, sæculi, nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, vt quod non præualet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit: vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere nō præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat: & vt venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ, per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.]

LXXXII. Videmus hîc non ex commissione, aut delegatione Pontificum, Principes exercere suæ potestatis districtionem, etiam intra Ecclesiam, hoc est, in Ecclesiasticos, & in rebus Ecclesiasticis, sed ex propria ipsorum autoritate, quam à Deo acceperunt. Vides etiam Ecclesiam propter suam humilitatem non posse exercere pœnalem disciplinam, sed ad hoc Principum potestate eam indigere. Neque dicas in hoc Principes fieri ministros, & executores Ecclesiæ, *De sent. excom. cap. Vt fama.* quia & satis ostendimus Principes propria autoritate, nulla habita commissione contra Ecclesiasticos iure processisse, & à Deo eos hanc potestatem vniuersalem accepisse, & vidimus Ecclesiæ absolute negari potestatem infligendi pœnas corporales: quod si ipsa eas non potest infligere, neque potest ministros ad hoc adhibere. Et celebre est quod ait, Principes in Ecclesia suæ potestatis culmina tenere, & Deum ipsorum potestati Ecclesiam quoque commisisse: Sicut & Leo Magnus ad Leonem Imperatorem, *Epist.* 81. iam scripserat in hæc verba: Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi, non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Ad summum igitur Ecclesiæ conceditur, vt Ecclesiastici non petantur à Principibus ad pœnam, si pro solo Ecclesiastico delicto corporalibus pœnis sint puniendi, nisi prius Ecclesia, quod in ipsa est, faciat, per depositiones, & censuras. Nam & quando degradatus ab Ecclesia traditur curiæ sæculari, non traditur tanquam ministris & executoribus suæ sententiæ, quam capitalem ipsa ferre non potest, sed relinquitur sub ordinaria laicorum potestate, quæ reum iam potest, si vult, & ita æquū ei visum fuerit, vel absoluere, vel propria sententia condemnare. Pœnam porrò Ecclesiasticam esse longè diuersam à Laica, fatetur etiam Cœlestinus, *c. Cum non ab homine, de iudic.*

LXXXIII. Distinctionem criminum in clerico, vt alia possint esse merè Ecclesiastica; alia verò laica, à laico cognoscenda, & punienda, ponit etiam Concilium primum Matisconense, *cap.* 7. Vt nullus clericus, *inquit*, pro qualibet caussa, extra discussionem Episcopi sui, à seculari iudice iniuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicunque iudex, cuiuscunq; clericū, absq; causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quandiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.] Fuit hoc Concilium circa tempora Pelagij: Quinto igitur toto à Christo seculo adhuc Principes in sua potestate puniendi crimina humana, cuiusmodi sunt homicidium, furtum, maleficium, etiam in clericis perseuerabant.

LXXXIV. Episcopi Africani agnoscentes hanc potestatem in Principibus temporalibus, hoc pacto scribunt ad Imperatorem: Vt nouellæ præsumptionis scandalum, quod aduersus fidem nostram attentatum est, auferatur, fratremq; nostrum Paulum Cōstantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum Regali autoritate vt nobiscum, id est, cum omni generalitate, orthodoxe sapere debeat, coarctare dignemini. *Concil. Later. consult. 2. sub Martino.* 1.] Petunt vt pœnis corporalibus ad rectam fidem adigatur vir non modò Sacerdos, sed in humano Ecclesiastici ordinis fastigio constitutus.

LXXXV. Agnoscit eandem autoritatem Principum Concilium Toletanum 9. *c.* 1. Nam contra clericos fraudatores oblationum communium, ita statuit: Vt si Sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus præuiderint defraudare: aut commonitionis honestæ conuentione compescant: aut Episcopo vel iudici corrigendā denuncient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuare procurent: Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.] Vides excessus Prælatorum, tandem ad Regium iudicium deuolui?

LXXXVI. Multa ex hactenus à nobis recensitis videras, si non etiam omnia, Gratianus Hieromonarchiæ Romanæ insignis assertor, & tamen conuictus tandem 11. q. 1. *c. Sicut enim.* § *ex his.* ita concludit: Ex his omnibus datur intelligi, quod in ciuili causa clericus ante ciuilem iudicem conueniendus est. Sicut enim Ecclesiasticarum legum Ecclesiasticus iudex, est administrator, ita & ciuilium non nisi ciuilis debet esse executor. Sicut enim ille solus habet ius interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos; ita ille solus ciuilium legum debet esse interpres, qui eis ius & autoritatem impertit.] In eo vero quod post subdit de criminali, non nihil hallucinatus Gratianus.

LXXXVII. In Synodo Rauennati à Papa Ioanne nono conuocata, præsente etiam Imperatore Lamberto, circa nongentesimum à Christo Saluatore annum, ipse Lambertus in alternatione cum Pontifice, suum primum proposuit capitulum, à Synodo comprobatum, *Acta Syn. Rauen. apud Baron. tom.* 10. *anno* 904. *n.* 17. quod est huiusmodi: Si quis Romanus, cuiuscunq; sit ordinis, siue de clero, siue de senatu, seu de quocunq; ordine, gratis ad nostram Imperialē maiestatem venire voluerit, aut necessitate cōpulsus ad nos voluerit proclamare, nullus ei cōtradicere præsumat. — Donec liceat Imperatoriæ potestati eorum causas aut personas aut per Missos nostros deliberare.]

Hæc præsente & approbante Romano Pontifice sanciuntur, vt inde constet, iam explicatis legibus Ecclesiasticis, voluisse Imperatores integrum suum ius, in iudicando etiam clero, in caussis temporalibus, conseruare.

LXXXVIII. Nemo mihi adducat in exemplum Ambrosium, *lib. 1. epist. 64.* iudicium Ecclesiasticum circa stuprum Deo consecratæ Virginis instituentem, & in appellatione renouantem, aduersum iudicium Syagrij Episcopi Veronensis: Non enim instituit illud iudicium, tanquam crimen ipsum corporali pœnâ vlciscens; sed peccantem solâ Ecclesiasticâ & spirituali pœnâ eiectionis & excommunicationis corrigens. Nam & ad finem Virginem absoluit, vt indebitè accusatam, accusatores verò excommunicatione percellit.

LXXXIX. Ex Apostolo etiam non proferant verba illa *1. Cor. 10. 6. In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam:* Et, *1. Cor. 4. 21. Quid vultis, in virgâ veniam ad vos?* Et, *1. Tim. 5. 19. Accusationem aduersus presbyterum noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus:* Et alia similia: omnia enim intelliguntur de solo iudicio Ecclesiastico, & de sola potestate Ecclesiastica, qua poterat Paulus, & solebat tradere Sathanæ, *1. Corin. 5. 5.* vt libro quinto pleniùs docuimus; & sequenti capite adhuc plura in hoc genere explicabuntur.

XC. Solent nonnulli, vt huic veritati odium infamiamq; offundant, obstrepere, ac exclamare, hanc esse doctrinam Marsilij de Padua, quem dicunt fuisse ab Ecclesia, tanquam hæreticum, condemnatum. Ego verò miror, qua fronte audeant isti misellum illum Marsilium, vel potius eius manes ac laruam, tantopere vexare; iam enim turgent libri modernorum his terriculamentis, Marsilium esse hæreticum condemnatum, à Marsilij dogmate, tanquam à scopulo, esse cauendum, de cuius tamen condemnatione nihil vsquam apparet, nisi quòd vna simplici relatione vnius Autoris id habeatur, nempe Ioannis de Turrecremata, qui Marsilium illum refert *lib. 2. de Eccle. c. 22. & lib. 4. epist. 2. c. 37.* fuisse à Ioanne XXII. condemnatum. Ex priuata verò vnius hominis relatione, neque præiudicium adeo graue alienæ famæ creari debuit, neque doctrina vlla quasi recepta ac publica astrui, vt monui etiam *lib. 1. huius operis, cap. 10. n. 12.* confirmari. Sed quicunque fuerit Marsilius hic, certè in hac doctrina hæreticus non fuit, quin potius contraria doctrina moderna Romanorum, vt omnino pugnans cum Sacra Scriptura, & cum cõmunissimo antiquioris totius Ecclesiæ sensu, sapit hæresim: & fatetur quidem Iacobus Almaynus Doctor Parisiensis, *de potest. Eccles. & laic. q. 1. c. 8.* Marsilium de Padua docuisse, clericos esse de iure diuino subiectos potestati coactiuæ Principum, & eum dicit exaltasse nimium potestatem laicam: sed in hoc nulla eum perstringit censura seueriori: imò affert doctrinam hanc vt probabilem, licèt contrariam putet ipse esse probabiliorem. Dicunt nonnulli, Marsilium etiam asseruisse, Reges non posse quemquam Christianum ab ipsorum potestate eximere. Quod dictum mihi non videtur adeò absurdum, vt putatur communiter: si sensus ipsius sit (vt videtur) Reges non posse suis priuilegiis efficere, vt subditi ipsorum non sint ipsis subditi de iure diuino, in ipsorum ditione manentes, nisi se, quoad illos, abdicent Regali potestate: priuilegia enim exemptionum neminem, vt vidimus, adeò eripiunt à iurisdictione Regis, vel Reipublicæ, quin semper sit in summi Magistratus concedentis potestate ea reuocare. Et delegare aliquem in iudicem, qui ordinarius non sit iudex, non est illum facere Principem super illos, qui ei in delegatione subduntur: sed iudex delegatus semper est sub delegante, & non proprio, sed delegantis nomine iudicat. Ita faciunt Episcopi in iudiciis fori, vt non sint nisi iudices delegati. Et si quem Reges vel Respublicæ à tributis eximunt, possunt tamen semper iterum ab eo tributa reposcere. Quidquid dicat Bellarminus, *cont. Barcl. c. 25.*

XCI. Maneat igitur intacta & illæsa Principum potestas vniuersalis, erga omnes & singulos homines, quotquot in ipsorum ditione commorantur, cuiuscunque gradus, dignitatis, professionis, & conditionis sint, in caussis omnibus humanis, ac politicis; imò etiam in Ecclesiasticis, vbi agitur de irrogandis pœnis corporalibus, & humanis. Non possunt igitur meritò meæ aures non plurimùm lædi ex quodam Romani Breuiarij Responsorio, in quo de Apostolis illa proferuntur: *Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes iussa Principum meruerunt præmia æterna, De communi Apost. R. 6.*] Contemnere enim iussa Principum, est contra diuinam legem: neque id absolutè deberet proferri, tanquam laudabile, multò minùs quasi meritorium præmij æterni. Sed propter scandalum meritò datum, explicatiùs loquendum erat, præsertim in publicis Ecclesiæ vocibus, ac sacris. Neque satis fuisset dixisse, iussa impiorum Principum, vel infidelium; cùm etiam eorum iussis non impiis sit obtemperandum: sed expressè poni oportuit, *Iussa iniqua Principum*, nempe fidei abnegationem, aliudve mortale peccatum iubentium, quæ quidem sunt, semperq; fuerunt contemnenda, omittenda, ac violanda. Quoties enim aliò vocat Deus, aliò trahit vel impellit homo: proculdubio Deo potiùs, quàm hominibus est obsequendum. Absolutè verò si loquamur, & sine mala operis circumstantia, Principibus est ab omnibus, etiam Apostolis, parendum.

XCII. Quoniam tamen Ecclesiastici tùm in personis, tum in rebus habent aliquas fori immunitates, & eas sanè omnes à Principibus concessas: consequens hoc loco erat, vt de his immunitatibus proprium caput huc adduceretur, vt Principum, quoad hoc, in Ecclesia potestas adhuc meliùs explicaretur. Sed quia immunitas hæc inter libertates Ecclesiæ solet referri, in decimum & vltimum librum est coniicienda.

CAPVT V.

Principes Christianos ex officio ipsorum proprio teneri super Ecclesias etiam, & Ecclesiastica inuigilare.

SVMMA CAPITIS.

Ratione propositum conuincitur, & autoritatibus ex Augustino, Iustiniano, & Zenone corroboratur, num. 1. 2. 3. 4.

Idem factis in Ecclesia celeberrimis comprobatur; ac primum ex eo, quòd Conciliorum conuocatio & directio ad Principes potissimùm semper spectârit, & ipsa Concilia à Principibus conuocata plurima numerantur à n. 5. ad n. 71. Patres quoque conuocationem hanc ad Principes spectare fatentur, à n. 72. ad n. 77. Quinimò etiam dimissio Conciliorum ad eosdem spectat Principes, num. 78. Obiectiones contra hanc conuocationem Conciliorum proferuntur, & soluuntur, à num. 79. ad num. 104.

Propositum principale ex eo confirmatur, quòd Ecclesia in maximis suis necessitatibus semper ad Principes recurrerit, à num. 104. ad num. 115.

Factis Regum Iudaicorum, & Principum Ecclesiam moderantium ab ipsa Ecclesia laudatis & approbatis idem comprobatur, à num. 116. ad num. 155.

Idem confirmatur ex eo, quod Principes Metropoliticum ius Ecclesiis contulerint, à n.136. ad num.142.

Ex dictis Imperatorum, & Patrum, ac Conciliorum, cura Ecclesiastica Principum confirmatur, à num.143. ad num.161.

Idem ex cura Principum in haereticorum punitione, & compressione, à num.162. ad num.173.

Non tamen in pure spiritualibus diiudicandis, ac definiendis, debent se Principes ingerere, num.174.

Adhortatio ad Principes, à num.175. ad finem Capitis.

I. Qvicqvid humanæ politiæ proficere, officereve potest, in eo sanè vel promouendo vel amouendo, modò non sit contra Devm, habēt Principes ex officio ipsorum plenam, de iure diuino, potestatem. Qui enim Deus dat Principibus officiū regendi populos ad felicitatem naturalem, dat etiam iisdem potestatem omnem, in his omnibus; quæ ad dictum regimen, secundùm rectam rationem, visa fuerint necessaria. Cū verò religio, & recta in Deum fides, ac diuinus, siue internus, siue externus cultus, atque sacrorum vsus, maximè externam humanam iuuent politiam, maximeq; homines contineant in officio, & incredibili sint Principibus adiumento ad bene sibi subditos populos regendos, eosq; ad felicitatem humanam temporalem dirigendos, planum & manifestum est, ea etiam, quæ ad religionem & diuinum cultum spectant, suo modo, vt ad felicitatē etiam humanam & naturalem conducentia, ad Principes terrenos pertinere. Sed paulò adhuc altiùs oculos eleuare vellem Reges, ne putent sibi adeò solam temporalem politiam esse à Deo commendatā, vt illa purum & nudum commodum spectet sensuale, quasi brutalis vita, ad brutalem quandam solam felicitatem directiua, prout corruptio naturę humanæ cupit, & dictat, parsq; inferior in homine oblatrat. Deus enim vices suas ita committit Regibus, iisque, qui Respublicas administrant, vt præscriptâ sibi illâ humanâ naturali felicitate, quam lumen diuinū rationis exposcit, quæq; iuxta vsum rectæ rationis hominem, qui per eandem rectā rationem à belluis distat, & homo est, decet. Cùm verò lumen naturæ ad vnius Dei, supremiq; numinis cognitionem rectè deducat; & recta ratio suadeat, in Deum summum nostrum bonum eodem lumine cognitum, vitam nostram, omnesq; nostras actiones esse ita dirigendas, vt ipsi summo nostro bono non sint aduersa, sed eidem complaceant, & conformentur: ideo eo politia, Regibus & Principibus à Deo commissa, ex tali recta ratione & lumine naturæ & leges fert, & societatem humanam gubernat: & consequenter ex proprio Regis officio, Rex, Dei Vicarius, homines vice Dei gubernans, & regens, etiam quæ religionis sunt, quatenus lumen naturæ docet, & potestas ipsius se legitimè extendit, curare tenetur. Itaq; & idololatriam debet amouere, & veri Dei cultum promouere, & peccata omnia moralia, quæ vel numinis cultui in communi, vel trāquillitati publicè obesse possunt, tenetur ille & legibus & pœnis impedire: & ea hoc ipso officio proprio Regis, vt minister est immediatus & Vicarius Dei in terris. Atq; hæc cuicunque Regi conueniunt, vt Rex simpliciter est, etiā infideli.

II. Quod si præter nudum lumen naturæ, & naturalis solius rationis dictamen, adsit in Rege terreno, ex Dei beneficio, etiam lumen fidei, adeoq; dictamen hoc rationis supernaturalibus etiam virtutibus infusis dirigatur: tunc similiter ex eodem Regis officio, religionis quoq; custos, ita suam debet ordinare politiam, primū negatiuè, vt illa cum fide moribusq; fideli homine dignis nō pugnet; deinde positiuè per actus externos (qui soli ad ipsius spectant potestatem) externum diuinum cultum foueat, promoueat, & quando vtile ac necessarium viderit, ea se etiam iubeat. Tum verò etiam vt apti ministri sacrorum non desint, satagat; negligentesq; extimulet, moneat, etiam compellat ad munus suum exequendum; ac vniuersè circa totam disciplinam Ecclesiasticam inuigilet: & vniuersè religionem ipsam sibi à Deo potissimum commēdatam sciat, in quantum per exteriores actus illa possit cōseruari, & promoueri, etiamsi nihil ad politicam felicitatem pertineret; puta si non minùs falsa religio, quàm vera politicū iuuaret regimen; aut si etiam plus falsa, quàm vera, illud iuuaret: Christianus enim Princeps adhuc tenetur veræ religionis patrocinium sumere, & eam, quantum fieri potest, tueri ac promouere, viis ac modis legitimis à Christo adhibitis & institutis; superstitionesq; persequi, etiamsi ea illis plurimum in suo regimine iuuaretur. Vera enim nostra sancta religio suppeditat ei vera & solida ac plurima in regenda ciuili Repub. adiumenta. Quare & ipse tenetur sanctæ religioni exactissimè inseruire. Ideoque Augustinus *de Ciuit. Dei, lib.5. cap.15.* præclarè agi cum Repub. asserit, vbi pium illa sit sortita gubernatorē: *Illi enim*, inquit, *qui verâ pietate præditi bene viuunt, si habent scientiam regendi populos consultati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quàm si, Deo miserante, habeant potestatem.*] Docet verò idem Augustinus *ibid. lib.4. c.32.* malos Principes Romanæ ciuitatis falsas religiones, quas sciebant esse falsas, docuisse populum, ad ciuilem societatem meliùs stabiliendam & conseruandam, ac sibi proinde subiiciendam.] Hoc verò, quod isti dolo & præstigiis, Princeps Christianus facit veritate & soliditate religionis: nō modò vt politiam iuuet; sed etiā vt proprio muneri satisfaciat, quod, vt Princeps Christianus, à Deo iniunctū habet, de ipsamet Christiana religione tuenda & propaganda. Ait enim idē Augustinus *cont. Cresc. Gram. lib.3. c.51. & epist.50. In hoc Reges Deo seruire*, Ps.2. *in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona iubeant, mala prohibeant; non solùm, quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam, quæ ad diuinam religionem.*] Et *præcedenti cap. n.83. huius*, Leo Imperatori datam esse à Deo Regiam potestatem asserebat, *non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium.*] Et Isidorus *ibid.* similiter dicebat, *Principibus Christianis Deum Ecclesiam quoq; commisisse.*] Thomas Aquinas, (seu quis alius) *de regim. Princ. lib.2. ait, Regem & Principem toto conatu & sollicitudine diuino cultui incumbere teneri, non solùm quia homo; sed etiam, quia Dominus & Rex est, & Dei vices gerit, à quo maximè pendet.*]

III. Hoc sanè ita verum est, vt tamen sola externa sint ei commissa, etiam quoad pietatē & religionem; & consequenter Regis, vt Rex est, non sit, suos subditos ad æternam beatitudinem supernaturalem dirigere; ad hoc enim Regia potestas, quæ tota naturalis est, non se extendit: sed ad solam naturalem felicitatem suos ducit subditos, ita tamen, vt adiumenta externa eis suppeditare teneatur, ad ipsam quoq; beatitudinem æternam consequēdam. Sicut patria potestas de se solam temporalem vitam filiorum respicit, vt ritè educentur, interim tamen Pater tenetur, vt Pater, omnia externa adiumenta præstare filiis, vt æternam quoq; vitam consequantur, instruendo eos in bonis moribus, & curando vt in syncera fide instruantur, & spirituales virtutes sectentur. Sicut igitur Deus omnium & singulorum verus Pater vices suas suæ patriæ erga singulos potestatis Patribus terrenis committit, vt filios non sibi, illi, sed ipsi Deo, in quantū ad eos spectat, educēt: ita Deus,

Rex

Rex coeli & terrae, vices Regiae suae potestatis commisit Regibus terrenis, vt Reges non sibi, sed Deo populum Dei regant & gubernent. In quantum eorum se potestas, tota purè externa, extendit, siue ex se aliqua externa praecipiendo, quod ad cultum diuinum externum pertinent, aut disciplinam Ecclesiasticam externam concernentia; siue per Ecclesiam bene statuta & ordinata, propria autoritate stabiliendo, corroborando, exequendo, &, vt illa executioni mandentur, compellendo. Interna verò, hoc est, spiritum hominis regere, fide instruere, Sacramentis munire, verbo Dei pascere, ligare, & soluere, ad gratiam praeparare, &c. ad Regiam potestatem nihil pertinent: haec enim potestas temporalis non attingit, sed spiritualis sola, & suâ naturâ supernaturalis, quam fusè explicaui *libro 5. praecedenti*. Atque hisce nefas est se Reges politicumque magistratum immiscere: alioquin timeant Oziae lepram, *2. Paralip. 26* timeant quoque abiectionem Saulis, *1. Reg. 15.* iisque, quae Caesaris sunt, *Matth. 22. 21.* sint contenti.

IV. Est sanè tanti momenti religio & fides, atque cultus sacrorum in omni humana Republica, vt ab illa vel imprimis potissimum pendeat pax & tranquillitas cuiusque Regni; neque iam sit, nostris praesertim temporibus, quod magis susque deque vertat regna & imperia, quam causa fidei & religionis: Vt meritò legislatores Christiani, imitati prisco a gentiles, initiò semper praemittant leges sacras; *de summa Trinitate, & fide Catholica. De sacrosanctis Ecclesiis: De Episcopis & clericis*, & similia. Et nos *capite sequenti*, non paucas leges Principum temporalium proferemus, quae res Ecclesiasticas concernunt, & spirituales, easque defendemus vt bonas, legitimas, laudabiles, & ab Ecclesia receptas, magnaque cum reuerentia obseruatas. Vt ex hoc vel maximè liquidò pateat, Principes temporales meritò in Ecclesiasticis etiam rebus occupari, cùm praesertim inde humanae quoque politiae status felicior consequatur; quo in genere pulcherrimum habemus Iustiniani dictum: *Nobis*, inquit *Orat. ad Mennam, apud Baron. tom.* [illegible] *538. n. 33. semper studio fuit; atque etiam nunc est, & irreprehensibilem Christianorum fidem, statumque sanctissimum* [illegible] *Catholicae & Apostolicae Ecclesiae, perturbationum expertem* [illegible] *vsquaque custodiri. Hac nobis prima & antiquissima* [illegible] *per quam & nobis in praesenti seculo Imperium à Deo traditum esse, & conseruari credimus; & Republica nostra inimicorum subdi, &c.*] Pulcherrimum etiam Zenonis Imperatoris, cuius verba *apud Liberat. in breu. c. 18. & Euag. lib. 3. cap. 14.* sunt ad Episcopos & populos per Alexandriam, Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim: Principium & statum, virtutemque; & scutum inexpugnabile nostri scientes Imperij, solam rectam veramque fidem, quam aduentu diuino exposuerunt soli, qui in Nicaea congregati sunt, 318. Sancti Patres; firmauerunt autem & qui Constantinopolim conuenerunt [illegible] similiter Sancti Patres; noctibus ac diebus oratione, & studio, & legibus nitimur multiplicari per [illegible] sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam incorruptam, & sine obitu matrem nostrorum sceptrorum. In pace verò & concordia, quae circa DEVM est, pios populos perseuerantes acceptabiles pro nostro Imperio supplicationes offerre, cum sanctissimis Archiepiscopis, & DEI cultoribus clericis & Archimandritis. Magno enim DEO, & Saluatore nostro IESV CHRISTO, ex Sancta Virgine DEI genitrice Maria incarnato, & nato, ex concordia glorificationem atque culturam laudante, pariterque suscipiente, hostium quidem generationes conterentur; omnes autem inclinabunt post DEVM suam potestati nostrae ceruicem. Pax autem, & bona, quae ex ea sunt aëris temperantia, & fructuum vbertas, sed & alia hominibus vtilia largientur. Cùm sic ergo immaculata fides, & nos, & Romanam seruet Rempublicam: supplicationes nobis oblatae sunt, &c.] Agnoscebat Zeno ex bene compositis rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus, consequi plurima bona temporalia, & Reipublicae conseruationem; ideoque curam suscipit rerum Ecclesiasticarum, vt eas pro sua virili promoueat, quo tali cura suscepta, quod ipsius muneris erat, in temporalibus etiam consequenter, suo consuleret Imperio. Carolus Magnus hinc Episcopos suos vocat adiutores ad Rempublicam bene gerendam, & regendam, ita in *Capitul. l. 2. c. 4.* eos alloquens: Sic in hoc maximè elaborare studentes, & per vosmetipsos, & per vobis subiectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adiutores, in administratione ministerij nobis concessi, existatis.] Ab hoc non dissonant passim etiam alij Principes, vt in sequentibus videbimus: iam verò rem effectam comprobemus.

V. Conciliorum sanè conuocatio per Principes facta saepissimè, ad comprimendas turbas, quas haereses, & schismata excitare, etiam in humana politia; sint solita, Principum curam & potestatem circa negotia Ecclesiastica, ostendit vel maximè. Incipiamus à primo Generali Concilio Niceno: Hoc sanè à Constantino, ipsius Imperiali autoritate, & conuocatum & congregatum fuisse, nimis est plus quàm manifestum. Sic enim Eusebius scribit *in vita Constant. lib. 3. cap. 6.* Deinceps igitur Concilium generale, tanquam quendam DEI exercitum instruens, in vnum locum coëgit; & Episcopos vndique per literas honorificè scriptas, vt eò maturarent, acciuit.] Ruffinus *lib. 1. hist. cap. 1.* ita scribit: Tum Constantinus apud Vrbem Nicaenam Episcopale Concilium conuocat.] Sozomenus *lib. 1. cap. 16. & Theod. lib. 2. cap. 5.* Constantinus, *inquit*; indicit Concilium Nicaeae Vrbis Bithyniae, scribitque ad omnes Ecclesiarum Praesides, vt ad diem praestitutum adsint.] Mitto alios multos. Huic Concilio se, ex officio ipsius proprio interfuisse fatetur ipsemet Constantinus, ad Nicomedienses scribens: [*Theod. lib. 1. histor. cap. 20.*] Non vos praeterit, *inquit*; Concilium Nicaeae celebratum, cui ipse, sicut conscientiae meae munus postulabat, interfui: non alio sanè animo, quàm vt tum concordiam inter omnes constituerem; tum maximè omnium eam Ecclesiae perturbationem, quae ex Arij Alexandrini amentia orta est, reprimerem, penitusque inde summouerem.] Videmus hic Constantini finem in cogendo & celebrando Concilio, fuisse pacem & concordiam Ecclesiarum; & de se solo, non de Syluestro, non de Episcopis, ait, vt concordiam constituerem, & perturbationem summouerem: ergo & Concilium hoc, & Concilij effectus, totum fuit solius Constantini opus; vt meritò Pighius Conciliorum Generalium conuocationem esse inuentum Magni Constantini asserat, *lib. 6. cap. 1. de Eccles. Hierar.* Quem immeritò falsitatis arguit Bellarminus *lib. de Concil. & Eccles. cap. 13.* ex eo, quod Ruffinus *lib. 10. hist. cap. 1.* indicat, Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse. Quod enim, communicato cum Sacerdotibus consilio suo, de cogendo Concilio, & eorum habita approbatione, quasi inuentum hoc, & consilium Constantini laudantium, intentionem suam sit executus; non facit quo minus verè ipsius inuentum esset & consilium, Generalis Concilij congregatio.

VI. Diuinationes de more, & vanissimas suas nobis venditat coniecturas Baronius *tom. 3. an. 324. in fin. & 325. n. 13.* Constantinum, authore Syluestro, Concilium Nicaenum conuocasse. Sed nihil profert, quo suum stabiliat aut confirmet commentum; nisi quod ait, par

esse credere, id esse verisimile; aliter esse non potuisse, & canone Ecclesiastico, à Socrate relato, sua munit vaticinia: qui tamen canon, vt *inferius* ostendam, nihil facit ad Conciliorum conuocationem: Bellarminus tamen, vt ad Syluestrum Nicæni Concilij conuocationem reuocet, explicatus est *de Concil. & Eccles. lib. 1. cap. 13.* dictum quoddam, quod *in Sexta Synodo, act. 18.* legitur, quod tale est: *Arius diuisor atq; partitor Trinitatis insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis; magnam atq; insignem in Nicæa Synodum congregabant.*] Meminerit tamen Bellarminus, quid ipse huic Sextæ Synodo opposuerit, vt tueretur Honorium Primum Romanum Pontificem, in eâdem Synodo & actione, tanquam Hæreticum Monothelitam, anathematizatum; corruptam enim ipsam Synodum contendit. & ipse *de Rom. Pont lib. 4. c. 11.* & Baronius *tom. 7 an. 680 n. 36.* cui insertum sit ab æmulis Romanæ Ecclesiæ nomen Honorij: aut certè, ex defectu informationis, Synodum errasse, dum inter hæreticos Honorium numerarit. Cur igitur non æmuli, sed studiosi Romanæ Ecclesiæ, non potuerunt corrumpere eandem Synodum, atq; inserere nomē Syluestri? Aut ex falsa suggestione, seu historiæ ignoratione, Syluestrū addere Constantino; si ex ignoratione & malâ intelligentiâ Epistolæ Honorij potuit errare, (q̄ cōtendit Bellarminus) in Honorij anathematizatione? Certè in eâdē actione sexta hæc Synodus nimiū affectatè primorum Conciliorum conuocationem ad Imperatores & ad Romanos Pōtifices conatur reducere; etiā non sine apertis, quoad historiam, falsitatibus. Nam quintā Synodum à Iustiniano & Vigilio cōgregatam asserit, & tamen, vt *inferius* patebit, Vigilius in ea Synodo nullas partes habere voluit. Vt meritò suspicādum sit, acta sextæ Synodi revera corrupta fuisse & falsificata; aut satis imprudenter & inscitè cōposita, vbi de factis & historiis acrebus gestis ageretur. Damasi etiā librum Pontificalem affert Bellarminus, asserentem, Syluestri consensu habitum fuisse Nicænū Conciliū: sed si qua est huius libri authoritas & fides, nihil aliud significat, nisi Syluestrū etiam in Nicæna decreta consensisse: aut Syluestrum à Constātino consultū, Constantini consilium laudasse, & approbasse. Sed hæc nō tollunt Imperatori Concilij conuocandi potestatem. Mitto nunc Sozomenum *lib. 1. c. 17.* & alios, *Athan apol. 2. Niceph. lib. 8. c. 14. Beda in Chron.* negantes, Syluestri tempore fuisse Nicænum Concilium celebratum.

VII. Eusebiani Athanasio plurimum infensi Concilium contra ipsum, sine expresso Imperatoris cōsensu, congregare nō audent; sed persuadent Imperatori, *inquit Theodoretus lib. 1. c. 28.* vt Cęsareæ Palæstinæ Concilium conuocetur, iuberetq; in ea vrbe iudicium de Athanasio exerceri. Imperator autem illis, vtpote Sacerdotibus obsecutus (siquidem ignorabat penitus fraudulentos eorum conatus) q̄ postulauerant, fieri mandauit.] Et secutū est Tyrium Diabolicum Conciliabulum: sed Imperator omni curâ & cogitatione in Deum defixa, *ait Sozomenus lib. 2. c. 24.* collegit ex omni Ægypto, Asia, Africa, Europa, frequentē Episcoporum cœtum: eumq; tanquam Dei exercitum armis confectum, obiecit huic mundo Diabolo: mandauitq; primùm, vt quàm celeriter renouatæ cōtentionis finē facerent.] Atq; vt videamus quantopere inuigilarit Constātinus, vt, sedatis Ecclesiasticis turbulentiis, pax publica cōciliaretur, appono hîc ipsius literas ad Synodum Tyri cōgregatam ab eo conscriptas, quæ sic habent: [*Euseb. in vita Const lib. 4. c. 42. & Theod. lib. 1. c. 29.*] Victor Constātinus Maximus Augustus, ad Sanctam Synodum Tyri congregatam. Erat fortasse consentaneum, & ad præsentis temporis opportunitatē maximè accommodatum, carere omni contentione Ecclesiam Catholicam, & Christi seruos ab omnibus nunc solutos ac liberos esse. Sed quoniā nonnulli sceleratæ cuiusdam cōtentionis furore incitati, (ac ne quid grauius dicā) virā suâ professione indignā agentes, omnia turbare & miscere conati sunt, q̄ scelus super omnem calamitatem mihi sanè positū esse videtur; propterea vos vestrā (vt est in prouerbio) sponte currētes hortor, vt nullâ interpositâ morâ, sed omni, quâ possitis, celeritate, in vnum locū confluentes, Synodū instituatis, & egentibus opem feratis, in periculo positis fratribus medicinā adhibeatis, diuulsa membra ad consensionē reuocetis, errata omnia interea emendetis, dum ipsum tēpus ferat, vt hisce tantis prouinciis, quæ maximè decet, concordiam restituatis, quam (ô futiles ineptias) paucorū hominū deleuit arrogantia. Nam hoc & Deo totius huius vniuersitatis Domino gratum; & nobis quauis re, vel optatissima, magis iucundum, & vobis ipsis, si concordiā & pacem reuocaueritis, magnæ gloriæ, vel omnium mortalium iudicio consensuq; futurū planè arbitror. Nolite igitur cūctari, sed acerrimo studio, his quibus decet terminis, præsentes cōtrouersias definite; vtpote qui cum omni puritate & fide coistis, quā in omni cœtu prope, clarissimâ voce, Saluator noster, cui seruimus, inprimis flagitat. Nihil verò, quod est nostrarū partium nostræq; prudentiæ, deerit: nam quæ literis mihi vestris significastis, omnia curaui ... ipsi ad quos volebatis Episcopos, vt vestras curas & sollicitudines, præsentiâ & laboribus suis adiuuarēt. Misi etiam Dionysium Consularem, vt omnium rerum gerēdarum eos admoneat, qui vestræ Synodo adesse debēt: maximè verò vt idem animaduersor sit, & custos, cōseruandæ æquabilitatis & ordinis. Quod si quis (q̄ equidem non futurum arbitror) reiecto & spreto mādato nostro, adesse noluerit; delegabimus aliquē, qui Regiâ illum authoritate in exilium eiectum docebit, hominem minimè decere Summi Imperatoris præceptionibus, ad tuendam veritatē editis, repugnare. De cętero vestræ sanctitatis partes sunt, non odio, vel gratiā vllâ, sed consentientibus studiis, secundùm Ecclesiasticam & Apostolicam regulam, omnibus erratis, errore aliquo admissis, propriam curationem adhibere; vt omni alienâ contumeliâ Ecclesiam liberetis, & meas curas alleuetis, & rebus turbatis, per vos constitutis, maximam vobis ipsis gloriam comparetis. Deus vos conseruet fratres dilecti.]

VIII. Vides, Lector, & vtinam viderent & considerarent Principes omnes Christiani, pium Constantini animum, suæ curæ esse reputantem, Ecclesiastica dissidia componere; non quidem de religione ipsa statuendo, aut declarando, vel dogmata discutiendo; Sed suâ authoritate, imò vi etiam & pœnis corporalibus, Concilia cogendo, & Episcopos piè ac laudabiliter compellendo, eisq; Gubernatorem laicum assignando, vt, quæ sunt ipsorum muneris, debitè exequantur; hæreses & schismata auferant, pacem ineant, & concordiam vniuersalem; ex qua etiam status Reipublicæ totius quietus componatur.

IX. Cùm verò indictum hoc Tyri Concilium per Constantinum, per abrupta ferretur, & transuersum, ex odio in Athanasium, ageretur; idem Constantinus, sui muneris ratus, errantes etiam Episcopos in Conciliis compescere, idem Tyrense Concilium ad se Constantinopolim euocandum esse censuit. Cuius literas dicti Concilij euocatorias Athanasius recitat *apo. 2.* his pręmissis: Nos autem adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsederat, Eusebianorū scelera patefecimus: quibus ille auditis, grauiter cōmotus, in hęc verba scripsit: Victor Constantinus

nus

nus Magnus Augustus. Ego ignoro, quid sibi velint illa, quæ à vestra Synodo per tumultum & tempestatem iudicata sunt. Mihi sanè videtur, nescio quo pacto, Veritas per immodestiam opprimi; dum per vestram contentionem, quam inuictam cupitis, ea, quæ Deo placent, non consideratis. Sed erit diuinæ prouidentiæ officium, & explorare scelera istius contentionis, & explorata dissipare; vobisq; clarè ostendere, quantam in vestro congressu Veritatis curam habueritis; & an vestra iudicia citra gratiam & odiũ, calculum suum prompserint. Quocirca festinanter ad meam pietatem accurrite; vt rerum istarum excussam exactamq; fidem coram me in præsentia, ipsi præsentes doceatis. Quare autem ista scribere voluerim, & quapropter literis meis vos accersendos putauerim, ex sequentibus cognoscetis. Ingredienti mihi cognominem ac felicem patriam meam Constantinopolim, (eram autem in equo) subitò Athanasius Episcopus in media via, cum nonnullis aliis, quos circum se habebat, ita inexpectatus occurrit, vt non leuem mihi causam admirationis præberet. Testis mihi Deus omnium speculator, me, quisquis esset, primo aspectu cognoscere nequiuisse; nisi nostrorum quidam, quisnam ille, & quanam iniuriam passus esset, iam antea audiram (vt fieri solet) mihi indicasset. Ego igitur per illud temporis verba cum illo nõ habui, neq; colloquium miscui. Cùm autem ille se audiri postularet, & hoc recusarem, & propemodum eum summoueri iuberem; magnâ libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari iuberem; quo vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cùm mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denunciatũ volui, vt quotquot Synodũ Tyri absoluistis, sine omni tergiuersatione, ad Prætoriũ nostræ clementiæ conueniatis; re ipsa quantum seueritatis integritatisq; sit in vestris sententiis, coram me ipso sincero famulo Dei (quod ne ipsi quidẽ abnegaueritis) declaraturi. Certè per meum erga Deum cultum obseruantiamq; iam vbiq; terrarum pax est, & à barbaris ipsis nomẽ Dei sincerè benedicitur, qui hactenus veritatẽ ignorabant: Nihil dubij autem est, eum, qui veritatẽ ignorat, etiam Deum ignorare; sed tamẽ (vt antea dixi) barbari per me sincerũ Dei famulum, Deum agnouerunt, & iam metuere didicerunt; ideò quòd illum mihi protectorẽ esse, meiq; curã gerere re ipsa experti sunt; atque ita in nostris rebus Deum agnitum, nostri formidine, barbari reuerentur. Nos contrà, qui mysteria clementiæ eius ostẽtare & præferre videmur (non enim dixerim, tueri:) nos, inquã, nihil facimus, nisi ea, quæ ad discordiam & odium pertinent, & vt semel dicam, quæ ad humani generis perniciem referũtur. Quapropter vos meo Prætorio adsite, quemadmodum dixi; & festinate huc quàm celerrimè: certiq; sitis, me omni ope studioq; adnisurũ, vt ea, quę sunt legis Dei, quàm maximè inoffensa illabefactaq; seruentur, quibus nullum nec probrũ nec infamia allini possit; profligatis scilicet & cõtritis semel inimicis legis, qui sub specie sancti nominis multiplices & diuersas blasphemias afferunt.] Hæc Constãtinus. Tu verò obserua, Lector, Athanasium Episcopum iniurias ad Imperatorem deferre, & ab eo contra Episcopos & Synodum, iudicium postulare. Ab eodem porrò Constantino fuisse Concilium Arelatense iussum congregari, iam vidimus in præcedentibus c. 4. n. 53.

X. Eusebius deniq; Cæsariensis de ipso Constantino, *de vita Constant. lib. 1. c. 37.* ita scribit: Ecclesiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibuit; cùm quidam inter se in diuersis locis dissensione discordarent, tanquam communis Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei coëgit Concilium; & in media istorum frequentia ac congressu adesse, & vnà considerare non est dedignatus, rerum in deliberationem vocatarum se fecit participem: easq; res, quæ ad diuinam pacem spectabant, omnibus procurauit.]

XI. Sardicense Concilium, quod & ipsum Oecumenicum à multis nostrorum censetur, ab Imperatoribus Constante & Constantio, Constantini Magni filiis, & indictum & conuocatum est: atq; precibus Catholicorum Episcoporum, ab ipsis Imperatoribus postulatum. Sic enim scribit Athanasius ad Constantium, *Apolog. ad Constant.* Post trienniũ, quarto deniq; anno literis iussit, vt ad se venirem: agebat autem per id tempus Constans Mediolani: sciscitabar, quid causæ esset, cur euocarer, quippe ignarus omnium, testis est mihi Deus. Comperiebam autem, quosdam Episcopos, qui eò profecti erant, precibus ab eo postulasse, vt tuæ pietati de Synodo facienda scriberet; mihi crede, Imperator, res ita acta est, vt dico, & nihil mẽtior: Cùm igitur venissem Mediolanũ, expertus sum illius mirificã humanitatẽ, dum & me suis oculis dignatur, verbisq; indicat, se ad te de celebrãdo Cõcilio literas misisse.] Hæc Athanasius.

XII. Sed ecce tibi rursus commenta Baroniana, & per somnium diuinationes, *tom. 3. an. 346. n. 5.* nimirũ illos Episcopos à Iulio Romano fuisse missos ad Cõstantem, vt cogendi Concilij Sardicensis, apud fratrem Constantium, per literas autor esset.] Hos autem Episcopos à Iulio missos, nulla est alterius vel cuiusquã assertio, vel leuissima coniectura. Sed fuerint missi, demus & hoc Baronio: certè dum Papa ad Imperatores, pro cogẽdo Concilio, recurrit, in ipsorum potestate cogendorum Conciliorum vim sitam agnouit. Recurrit, *inquit*, ad Imperatorem, vt Ariani etiam ad Concilium Imperiali autoritate compellerentur. Debuit igitur priùs Iulius indicere Conciliũ, & postea rogare Imperatores, vt detrectantes Episcopos ad Concilium venire, ipsi eos sua compellerent potestate. Athanasius tamen fuit potissimus autor Constanti, vt de cogendo Concilio in Oriente scriberet ad Constantium. Ita enim scribit Theodoretus *lib. 2. c. 5.* Athanasius verò ad Constantem accedens, (Constantinus enim filios Constantini natu maximus in bello interemptus erat) de factionis Arianæ insidiis conqueri, bellum cõtra fidem Apostolicam excitatum lamẽtari, & tum Patris, tum magni Cõcilij Nicæni, quod ille conuocauerat, eum in memoriam reducere cœpit, quin etiam decreta Patrũ, quib. ille vnà interfuerat ab eo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lachrymis apud Constãtem Imperatorem elocutus, eum ad Patrem æmulãdum excitauit. Nam simulatq; ista audiuit, literas scripsit ad fratrẽ, quibus eum hortabatur vti hæreditatẽ pietatis paternæ integram inuiolatamq; seruaret. Illum enim Imperium pietate stabiliuisse, Tyrannos, qui Romanos oppresserant, profligasse, & barbaros vndique in suam potestatem redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, vt Episcopi, tàm Orientis, quàm Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria, Vrbs Daciæ primaria, aduentarẽt: Nam aliis multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur.] Hactenus Theodoretus; qui præclarè innuit curam Imperatoris circa morbos Ecclesiæ, quam illi, conuocatione potissimum Conciliorum, exercerent.

XIII. Verùm ipsemet Athanasius apertè fatetur, Concilium Sardicense ad edictum religiosissimorũ

Principum Constantis & Constantij fuisse coactum. Visâ enim audaciâ Eusebianorum ab religiosissimis, *inquit Apol.* 2. Imperatoribus, Constantio, & Constante, iussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Sardicam conuenire.] Et Socrates, Edicitur ergo, *inquit lib.* 2. *cap.* 16. Concilium generale, vt omnes Sardicam commeent (est autem hæc Ciuitas Illyrij) idq; de sententia duorum Imperatorum, alterius per literas illud flagitantis; alterius, qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eisdem obtemperantis.] Ipsamet quoque Synodus *apud Athanas. apol.* 2. in suis literis ad Ægyptios & Africanos, fatetur, se ab Imperatoribus conuocatam.] Et Athanasius *de Synodis*, Omnibus ipse, *inquit*, expectantibus, vt in locum conuenirent, quos Imperatoris diplomata euocabant.] Non dicit, compellebant. Et Osius Cordubensis, ad Constantium scribens: Fui, *inquit apud Athanas. epist. ad Solitar.* ipse in Sardicêsi Concilio, cùm tu, tuusque frater beatus Constans, nos omnes eò conuocabat. Saltem Osius profectò non erat potestate Imperiali compellendus ad Concilium: & tamen ipse etiam fuerat ab Imperatore ad hoc Concilium conuocatus: Conuocabant ergo Imperatores Concilia, & non tantum detrectantes compellebant.

XIV. Vt tamen Iulium Papam faciant nostri Hieromonarchici, *Bellarmin. de Concil. & Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. autorem Concilij Sardicensis, sumunt ex Socrate, *lib.* 2. *cap.* 16. Orientales Episcopos culpam absentiæ suę à Sardicensi Concilio, in Iulium contulisse: *Nam alij*, inquit Socrates, *corporis infirmitatem causantur, alij de temporis præstituti queruntur angustiâ, culpamq; illius rei in Iulium Episcopum Romanum conferunt.*] Sed Socrates iam solos Imperatores fecerat huius Concilij conuocatores, absque vllâ Iulij operâ. Quæ igitur subdidit de culpâ Iulij, intelligit Imperatores angustum nimium tempus præstituisse huic Concilio, ita à Iulio rogatos, & persuasos, vt Episcopi illi causabantur: qui in Iulium causam dictæ temporis angustiæ, ab Imperatoribus præstitutæ, refundebant.

XV. Liberius Papa, insurgentibus nouis Arianorum motibus, cùm summoperè Concilio pleniore indigeret, illud ipse indicere nunquam est ausus; sed binâ instructâ legatione, ad Constantium Imperatorem, quamuis Arianum, plurimum laborauit, vt ab eo Concilij indictionem & conuocationem impetraret. Scribit enim ipse primùm ad Osium Cordubensem, & ait, *apud Baron. tom.* 3. *ann.* 353. *num.* 19. *Quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire: multi ex Italia Episcopi conuenerunt, qui mecum religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, vt iuberet, sicut ei placuerat dudum, Concilium Aquilegiense congregari.*] Deinde ad Eusebium Vercellensem: *Subire*, inquit *ibid. n.* 20. *Voluit* (Lucifer Callaritanus) *iustum laborem, & ad comitatum religiosi Principis pergere, vt tandem exposito ordine totius causæ, impetraret, vt omnia, quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari.*] Vides, conatum Liberij esse, vt impetretur Concilij indictio ab Imperatore; non vt iam indictum intimetur, quod insulsè Monarchici interpretantur. In eiusdem Liberij literis ad Constantium, altera legatione datis, hæc habentur, *ibid. ann.* 354. *Non Athanasij tantùm negotium, sed multa alia in medium venerant, propter quæ Concilium fieri, mansuetudinem tuam fueram deprecatus.*] Et post pauca: Dignum fuerat Dei cultore, dignum Imperio suo, quod Christi pietate regitur, & augetur, specialiter hoc ipsum, pro reuerentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare.] Et postea ibidem: Vnde iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum, rogo, per eius virtutem, qui se in defensione tua, quantus sit, vniuersis mortalibus approbauit, habens ante oculos eius beneficia, qui Imperium tuum in omnibus regit, hæc in cœtu Episcoporum diligenter faciat omni cum consideratione tractari; vt pacatis per te, Deo fauente, temporibus, tranquillitate tuâ consentiente, sic omnia discutiantur, vt quæ fuerint iudicio Sacerdorum Dei confirmata, cùm constiterit omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam, præsente sanctæ memoriæ Patre tuo, confirmata est, vniuersos consensisse, cum exemplo possent in posterum custodiri. Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem, & Coëpiscopum meum sanctum Virum Luciferum, cum Pancratio Compresbytero meo, & Hilario Diacono, placuit proficisci: quos credimus de clementia tua, ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum, non difficulter posse Concilium impetrare. *Ita etiam apud Theod. lib.* 2. *c.* 16. *in dialog.*]

XVI. Consideremus in his Liberij dictis, num petat ab Imperatore solam imitationem Concilij, & compulsionem Episcoporum detrectantium venire; an verò illud contendat precibus ab Imperatore, vt ille non modò consentiat, sed etiam indicat, & congreget Concilium. Habet enim, deprecatus sum mansuetudinem tuam fieri Concilium — dignum est clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare — in cœtu Episcoporum faciat ista tractari: tranquillitate tuâ consentiente iudicio Sacerdotum omnia discutiantur — credimus nos non difficulter posse à clementia tua Concilium impetrare.] Qui modi loquendi, & rogandi, supponunt clarissimè, in Imperatoris potestate fuisse Concilium, potissimum generale, indicere, & congregare: curæ enim generali, quam gerere tenentur Principes Catholici Ecclesiæ vniuersalis, additur potestas etiam ipsorum coactiua: vt propterea ipsorum conuocatio sit semper effectum habitura. Potest quidem Patriarcha quilibet, & Primas, seu Metropolitanus, ac vniuersè loquendo potestas Ecclesiastica indicere, & conuocare Concilia; sed tamen cogere Episcopos potestas ipsa Ecclesiastica cum effectu non potest, præsertim si conuocandi sint Episcopi alterius prouinciæ, seu Regni aut Patriarchatus. Censuris siquidem potest agere Ecclesia, & detrectantes communione priuare, si non venerint; non tamen propterea, si censuram contemnant, venient ad Concilium: vt igitur nemo possit resistere, necesse est autoritate coactiuâ eos vocari, quæ & exiliis, & corporalibus pœnis potest renitentes cogere, & non modò vnius prouinciæ, sed totius etiam Regni aut Imperij Episcopos compellere ad conueniendum; sicut eadem vis coactiua potest eosdem in Concilio retinere, ne discedant, vt infrà videbimus. Propterea Patriarchæ ipsi, vbi videbant necessitatem Concilij generalis, illud conuocare non audebant, quia cogere non poterant, sed conuocationem ab Imperatore impetrabant.

XVII. Quatuor prætextus, seu excusationes, affert Bellarminus, *de Concil. & Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. cur Imperatorum operâ vsi fuerint Pontifices in Conciliis indicendis. Prima, *inquit*, erat, quia tunc adhuc vigebat lex illa Imperialis antiqua, quæ prohibebat omnia Collegia, & frequentes hominum conuentus, sine Imperatoris autoritate; eò quòd metuerent Imperatores, ne seditio aliqua fieret, *ff. de colleg. illicit. l.* 1. *& Leon-*

& l. communicata, C. de episcop. & cleric. Secunda, quia etiam lex illa, *inquit*, non fuisset, cùm Imperatores eo tempore in magna pace orbi terræ imperarent, non poterat fieri Concilium, nisi in aliqua Vrbe Imperiali; nulla autem ratio sinit, vt in aliquo loco, ex toto orbe conuentus fiat, sine licentia Domini illius loci. Tertia, quia, *inquit*, eo tempore Concilia Generalia fiebant sumptibus publicis, præsertim quo ad transuectiones Episcoporum, ad locum Concilij: vehebantur enim equis, aut vehiculis ciuitatum, sine dispendio Ecclesiarum. Quarta ratio est, *inquit*, quia eo tempore Pontifex, etsi in spiritualibus esset caput omnium etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subijciebat se Imperatoribus; & ideo non poterat, inuito Imperatore, aliquid agere: & cùm tantùm debuisset petere ab Imperatore auxilium ad conuocandam Synodum, vel vt permitteret Synodum conuocari; tamen quia Dominum suum temporalem eum agnoscebat, supplicabat, vt iuberet conuocari Synodum. At post illa tempora istæ omnes causæ mutatæ sunt.] Ita Bellarminus.

XVIII. Hæc tamen omnia, si alioquin penes Imperatores non fuisset plena congregandorum Conciliorum autoritas, ipsorum propria, nunquam efficerent, vt ad ipsos esset Ecclesiæ recurrendum, ad Concilia impetranda. Prima enim causa illud tantum efficit, vt Concilia sine licentia Imperatorum non indicantur: sed, ea obtenta, ab ipsa Ecclesia conuocentur: Non tamen ex ea sequitur, Principes debere Concilia conuocare, sed ad summum sequitur, Principum esse permittere, & concedere, vt conuocentur. Idem dico de secunda causa, quæ nil aliud cogit, nisi vt postuletur licentia ab Imperatore, vt in illa vel illa Vrbe liceat Episcopis conuenire. Tertia etiam causa adhuc minus efficit, vt Imperator debeat Concilia indicere. Si enim sine ipsius munificentia & ope transuectiones fieri non poterant, nec ali Sacerdotes, satis erat ab Imperatore impetrare mandatum, circa vecturas, & alimenta. Quasi verò non posset Imperator ista concedere, etiamsi ipse Concilium non indiceret; aut ex indictione Concilij statim sequeretur necessitas Imperatori, vt & vecturas publicas & alimenta præberet. Adde tamen, Episcopos illorum temporum ex hac causa se minimè cuiquam subdendos esse, pro Conciliorum celebratione, censuisse. Cùm enim idem Liberius proponeret, vt pro causa Athanasij, Alexandriæ Episcoporum conuentus ageretur, & Epictetus Episcopos Arianus illud obijceret: At ad Episcopos eò conuehendos equi, iumenta, & rhedæ, quibus cursus publicus confici solet, non satis erunt. Respondit Liberius: Negotia Ecclesiastica publicam vecturam non desiderant: quandoquidem Ecclesiæ ad Episcopos suos ad mare vsque deducendos, satis habent facultatum. *Theod. lib. 2. cap 16.*]

XIX. Quartam verò Bellarmini causam, seu rationem cur Pontifices vterentur operâ Imperatorum in Concilijs congregandis, aut mihi satis perspecta non est; aut planè subdit Pontifices Imperatoribus, etiam in iis, in quibus nullo modo, secundùm ipsum Bellarminum, subdi aut possunt, aut debent. Placet interim, quod veritate compulsus, vt *suprà* monui *cap. 4. nu. 48.* vel inuitus fateatur Bellarminus, Pontifices etiam Romanos in temporalibus fuisse subiectos Imperatori; & ex vi Pontificatus ab hac subiectione eos non liberari: sed quòd propter hanc subiectionem in temporalibus congregare Concilia non possint Episcopi pro rebus spiritualibus, & negotiis merè Ecclesiasticis, sed ea tunc ab Imperatore fuisse petenda, prorsus non intelligo. Ac multò minùs percipio ibidem in Bellarmino, quod ait, nunc esse mutatam hanc rationem, & iam posse Pontifices Romanos congregare Concilia sine Imperatore; quia cùm sint etiam Principes temporales, & sanè supremi, qui supra se temporalem Principem non agnoscant, ac propterea non ampliùs subdantur Imperatori etiam in temporalibus, posse iam sine Imperatore Concilia generalia conuocare: Hæc, inquam, non percipio: vel enim conuocat Concilia vt Pontifex, vel vt Princeps temporalis; si vt Pontifex, est merum accidens, quòd sit etiam Princeps nemini temporaliter subditus: & secluso hoc eius Principatu temporali, certè adhuc manet subiectus Imperatori, etiamsi summo niteat Pontificatu: igitur vt prisci, ita moderni Pontifices Romani, in conuocatione Conciliorum pendebunt ab Imperatore, & aliis Principibus temporalibus, qui priscorum Imperatorum & regna tenent, & potestatem. Si verò hoc iam potest Pontifex, non vt Pontifex, sed vt Princeps temporalis, nostram tuetur sententiam. Hoc enim & nos contendimus, Principum temporalium esse, & ex cura eorum propria, & propter vim, quam habent, coactiuam, Concilia, præsertim pleniora, congregare. Quod si spectat ad Papam, non vt Papa est, sed vt Princeps temporalis, non poterit cogere Concilium, nisi solos Episcopos suæ ditionis temporalis: & cur idem non poterit quilibet alius Princeps in sua ditione? & omnes simul Christiani Principes in suis? Nam reuera nunc, cùm Regna sint diuisa, Concilium generale propriè cogi non potest, nisi simul omnibus Christianis Principibus illud indicentibus, & qui Episcopi sunt sub Principibus infidelibus, inuitari possunt, & rogari, vt conueniant, cogi non possunt, si detrectent.

XX. Quia igitur soli Principes temporales habent vim hanc coactiuam, vt manifestum reddidimus in præcedentibus, quæ sola potest cogere Episcopos, vt cum effectu conueniant ad Concilia: hinc meritò sequitur, eorum potissimùm muneris esse, cogere Concilia, vbi, præsertim stertentibus Episcopis, ipsi viderint Ecclesiæ necessitates remedium generale postulare, quod in talibus Conciliis facillimè reperitur: nam & possunt in talibus necessitatibus, & debent Principes cogere Episcopos, vt accurrant: & si in hoc negligentes fuerint Principes Christiani, sciant, se Deo strictissimam rationem reddituros; neque enim debent expectare, vt à Papa vel Episcopis rogentur semper, vt iam vidimus exempla, & videbimus in sequentibus; sed vbi Papa & Episcopi negligunt, ex proprio id debent conari munere, & propria exequi autoritate. Sed iam, quod cœpimus de conuocatione Conciliorum per Principes, prosequamur.

XXI. Idem Imperator Constantius paulò pòst dat mandatum, *inquit Sozomenus lib. 4. cap. 15.* vt ineunte æstate Episcopi omnes Nicæam conueniant.] Sed statim, mutato consilio, mandatum hoc reuocauit, & sequenti anno Oecumenicum Concilium, pro rebus fidei, indixit: tamen diuisit, vt in Oriente Seleuciæ, in Occidente verò Arimini celebrentur. *Ammian. lib. 19. & Athan. lib. de Synodis, & Seuer. lib. 2.*

XXII. A Gratiano aliqui Episcopi Ariani impetrarant Concilium Generale, pro confirmatione Concilij Ariminensis, in quo astutè Arianismus fuerat fermè approbatus; isq; iam consenserat, vt indiceretur. Sed tamen meliùs consultus, agente Ambrosio, Aquileiæ mandauit finitimorum tantùm conuentum fieri Episcoporum; qui apertè confitentur, *Concil. Aquil. initio*, se iussu Gratiani conuenisse.

XXIII. Secundum Generale Concilium, quod fuit Constantinopolitanum primum à Theodosio Imperatore seniore, & indictum fuisse, & congregatum, Ec-

clesiasticæ fatentur historiæ. Sic enim scribit de hoc Concilio Socrates: *l.5.c.8.* Imperator, nulla mora interposita, Concilium Episcoporum, ipsius fidem amplectentiū, conuocat: quo tum fides Concilij Nicæni corroboraretur, tum Constātinopoli designaretur Episcopus.] Et Sozomenus *l.7.c.7.* de eodē, & Concilio & Imperatore loquens: Breui, *inquit*, deinde Conciliū Episcoporū sibi consentientiū conuocauit; partim vt Nicæni Concilij decreta confirmarentur; partim, vt ordinaretur aliquis, qui Constantinopolitanæ Sedis Episcopatum administraret.] Et Nicephorus: *l.12.c.10.* Proinde, *inquit* Imperator Theodosius, primo quoq; tempore, Synodum Episcoporum, in locum vnum conuenire iussit.] Et ipsimet Patres eiusdem Concilij ad eundem Imperatorem scribentes, & confirmationem decretorum in eodem Concilio factorum petentes, ita loquuntur: *Synodica eorum constit. Libell. tom. 1. Conciliorum.* Ea quę acta sunt in Sancto Concilio, ad tuam referimus pietatem; nempe quod, ex quo tempore ex mandato tuæ pietatis Constantinopoli cōuenimus, primum quidem mutuam inter nos cōcordiam renouauimus, &c.] Et post pauca: Rogamus igitur tuam clemētiam, vt per literas tuæ pietatis ratum esse iubeas confirmesq; Concilij decretum; & sicuti literis quibus nos conuocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam summam eorum quæ decreta sunt conclusionem, sententia atque sigillo tuo corrobores.]

XXIV. Insurgit contra Bellarminus, & ait: *de Concil. & Eccl. l.1.c.13.* De Constantinopolitano primo, Theodoretus refert, Theodosium non tam illud indixisse, quam literas Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur, ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt, Episcopi congregati in illo Concilio ad Damasum Pontificem: *l.5.cap.9.* Mandato, inquiunt, literarum superiore anno à vestra reuerentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque faciendum, nos præparauimus.] Licet ergo Theodosius indixerat Concilium, tamen indixit ex mādato Apostolicarum literarū: quare in sexta Synodo actione 18. Patres dicunt, Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio, per secūdam Synodum; sicut paulo ante dixerant, Constantinum & Syluestrum coegisse primam synodum, vt obsisterent Ario.] Hæc Bellarminus.

XXV. Sed in his paucis, multa peccat: Primum enim falsum est, esse literas illorum Episcoporum, qui in hoc primo Constantinopolitano Concilio fuerunt congregati, illas quas apud Theodoretum legimus. Literæ enim illæ sunt eorum Patrum, qui sequēti anno (quamuis fere omnes iidem fuerint) post primum Concilium Constantinopolitanum, iterum Constantinopolim, contra Macedonianos & alias sectas, conuenerunt: de quo conuentu ita scribit Socrates: *lib.5.c.10.* Nam non diu passus est (*Imperator Theodosius*) Ciuitates his tumultuum procellis agitari; sed quantum in ipso situm erat, breui temporis curriculo, Concilium omnium sectarum cogere laborauit.] Et paulo post: Vndique cuiusque sectæ Episcopi eo aduentarunt, eisdem Consulibus (*Merogaudo & Saturnino*) mense Iunio.] Et Theodoretus ipse: *l.5 cap.18.* Sequenti, *inquit*, æstate (*post Concilium primum Constantinopolitanum*) quā plurimi eorum, ad eandem Vrbem denuo regressi, necessaria enim Ecclesiæ negotia eos illo reuocarunt, Epistolā à Concilio Episcoporum in Occidente coactorum accepere, &c.] Atq; hos ipsos in hoc secundo Concilio Constantinopolitano congregatos, literas illas, seu libellū Synodicum, in Occidentem dedisse asserit. Idem prorsus affirmat Nicephorus *l.12.c.16.* de altero hoc Concilio, cuius libellum eundum ipse quoque describit. Deinde fallit Bellarminus, dum ait, ad Damasum Pontificem datas fuisse illas literas; & fallitur, dum asserit à Damaso scriptum fuisse Imperatori, pro conuocatione Concilij Constantinopolitani. Nam & literæ, seu libellus illorum Patrum, non est ad Damasum solum, sed ad totum Concilium, quod Romæ, cum Orientis & Occidentis Episcopos, *inquit Hieronymus ep. 27.* ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam, Imperiales literæ contraxissent, collectum, sub Damaso celebrabatur; vt constat ex inscriptione dicti libelli: & non Damasus, sed dictum totum Concilium per literas Imperiales inuitabat ad se Orientales. Vt immerito Bellarminus has huius Concilij Romani literas vocet Apostolicas, quasi à solo Romano Pontifice datas. Etsi enim Theodosius his Occidentalibus literis motus Concilium indixisset: non propterea ad Romanum Pontificem Damasum id esset referendum; sed ad totum illud Concilium Romanum. Scribit enim Theodoretus; *lib. 5 cap. 8.* Patres illos Orientales Epistolam, à Concilio Episcoporum in Occidente coactorum, accepisse. Et ipsimet Patres; mandato, *inquiunt*, literarum, superiore anno à vestra reuerentia, ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, &c.] Vestram reuerentiam intelligunt Episcopos omnes, ad quos scribebant; non Damasum solum. Fallitur vero, dum putat sensum illorum verborum, quæ ex dicto libello profert, esse, vt dicant illi Patres Orientales, se mandato literarum Romanorum per Imperatorem intimatarum, ad Concilium Constantinopolitanum conuenisse: Nam & vere illud non fuit mandatum, sed mera adhortatio, & amicabilis inuitatio; non ad Concilium Constantinopolitanum, sed Romam ad illud Concilium Romanum. Ait enim Theodoretus, *lib. 5. cap. 8.* Epistolam à Concilio Episcoporum in Occidente coactorum accepere; quæ illos hortabatur, vt Romam, vbi iam maximus Episcoporum cœtus congregatus erat, accederent.] Et Nicephorus: *lib. 12. cap. 15.* Cum Synodus Constantinopoli iterum, sicuti dictum est, sub Imperatore Theodosio ageretur, ex Occidente literæ venerunt vt ipsi quoque Romam, ad Concilium ibi maximum institutum, in quo de rebus etiam Antiochenis inter Paulinum & Flauianum decideretur, venirent.] Quin imo illi iidem Patres in eodem libello id aperte testantur, dum inquiunt: Iam vero quoniam vos, quo fraternam vestrā erga nos charitatem declararetis, concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris sanctissimi literas accersiuistis.

XXVI. Nihil ergo ista faciunt ad conuocationem Concilij Constantinopolitani; & solam significant hortationem, & inuitationem, non intimationem aut præceptum: quamuis in versione latina apud Theodoretum habeatur verbum illud; mandato literarum; alia enim versio apud Nicephorum sic habet: *Conuenimus namque Constantinopolim literis proxime adductis: quas reuerentia vestra ad Imperatorem dedit, &c.*] Vbi nihil habetur de mandato, ἐκ τῶν γραμμάτων, habet Theodoretus: *Ex literis*: quę possunt æque rogatoriam, & hortatoriam, ac mandatoriam sonare Epistolam. Imo si etiam adsit mandatum, significant tamen Imperatorem recepisse quidem literas ab Occidentalibus, quibus rogaretur, vt eos inuitaret, & si volumus etiam, vt mandaret, Episcopos Orientales Romam se conferre: ipsum tamen Imperatorem indixisse eisdem, vt Constantinopolim tantum conuenirent: atque ita fatentur se mandato Imperatoris, post acceptas Occidentales literas, Constantinopolim tantum ad hoc alterum Cōcilium conuocatos: & nō prius se inuitationē hanc cognouisse, nisi postquam iam Constantinopoli essent congregati.

XXVII. Errat ad extremum in his Bellarminus; imo data opera fallit, dum Patres sextæ Synodi refert asserere, Theodosium & Damasum, per secundam Synodum, obstitisse Macedonio. Nam nullam ibi nominant Synodum Patres illi; Aiunt enim *Sexta Syn act.18.* Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, & Dominantem conseruum prædicabat: sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas, protinus obstiterunt; quorum solidam mentem aggressiones atque conflictus alienarum sectarum nullatenus sauciarunt.] Vbi nihil de Synodo: & his verbis significatur duntaxat contra Macedoniũ Damasum in Occidente, Theodosium vero in Oriente acriter pugnasse, vtrobique Conciliis cógregatis; per Damasum Romæ; per Theodosium vero Constantinopoli. Vnde & subdunt iidem Patres: Gregorius & Nectarius, in hac regia Vrbe, conuentum congregabant; & sacrilegam quidem linguam à Sacerdotio abscindebant; quæ blasphemias execrabiles in Spiritum Sanctum iaculabatur; fidei vero symbolum denuo explanabant, & quod Deus est spiritus confirmantes, per ea manifestius exposuerunt.] Sub Gregorio enim Nazianzeno Constantinopolitanam Ecclesiam administrante, congregatum est Concilium primum Constantinopolitanum; & alterum sub Nectario. Et sola Spiritus Sancti diuinitas, contra Macedonium, In priore dicto Concilio fuit confirmata, *Socrat. lib.1.c.8. & Sozom.l.7.c.12.* Macedonianis tamen Episcopis in obstinatione permanentibus; & à dicto Concilio recedentibus. *Socrat.l.5.c.10 & Sozom.l.7.c.12.* In altero vero, congregatis in eo & Macedonianis, & Arianis, & aliarum Sectarum Primatibus cum Catholicis, illud obtentum est, vt Imperator, re decisa, legibus, & edictis seuerissimis, Hæreticos profligarit, & Catholicis Ecclesias restituerit, & confirmarit. Hanc vero alteram Synodum à Thodosio congregatam asserunt expresse, & Socrates, & Sozomenus vltimo loco citati: & in eo congregando, Nectarij potissimum Episcopi Constantinopolitani vsum consilio affirmant, non Damasi. Errorem [illegible] suum agnouit merito ex parte, & fassus est postea [illegible] in suo Recognitionum libello.

XXVIII. Opponit Baronius Testes etiam domesticos [illegible] Bibliothecis, Vaticana, S. Mariæ Maioris, & Baroniana, *tom. 4. ann. 381. num. 19.* librum nimirum de rebus gestis Damasi; in quo haberi dicit, præcepto & authoritate Damasi secundam Synodum apud Constantinopolim fuisse celebratam. Nos vero Domesticos testes huiusmodi merito suspectos habemus, vbi præsertim contrarium esse euidenter demonstratur. Præterea dicimus, aliud esse celebrari Concilium; aliud indici: indictum igitur fuit sola Theodosij authoritate; celebratum tamen, etiam fortasse in eandem sententiam Damaso concurrente, cuius aliquis de rebus fidei in eo [illegible]o tractandis & discutiendis liber plurimum cõ[illegible] authoritatis & adiumenti: de quo eius libro, seu volumine profert Baronius *ibid. num.26.* coniecturas, vt [illegible]mptius aliquid Concilium definierit, quanto [illegible] Occidente & in Ecclesia potissimum Romana iam cerneret definitum.

XXIX. Præter istos domesticos testes, confugit mox ad generalia: nempe, Absque authoritate Romani Pontificis eiusmodi Synodos congregari minime licuisse; quod etiam ipsum per alios domesticos iterum testes conantur comprobare, nimirum per dicta Legatorum Romanorum, in Concilio Chalcedonensi; *act. 1.* & per dictum ipsiusmet Damasi: *apud Theod.l.2.cap. 22.* Frustra tamen regula generalis producitur, vbi non de iure, sed de facto disputatur: & si constat aperte factum, nempe Concilium hoc sola Imperiali authoritate conuocatum; frustra recurritur ad ius, & ad regulas. Sed ne dicta quidem aut Legatorum, aut Damasi, quicquam obsunt nostræ positioni. Illi enim, non de conuocatione conciliorum, sed de tractatione & definitione conciliari loquuntur: & Synodum prædatoriam Ephesinam à Dioscoro Alexandrino Patriarcha celebratam nullam esse contendunt; non ex ipsius conuocatione, quam non Dioscorus, sed Theodosius, vt iam vidimus, indixerat, & conuocarat; ac cui Legati Apostolici, tanquam legitime conuocatæ, interfuerant; sed ex mala celebratione, ac rerum definitione, in qua sedes Apostolica non concurrerit; imo Hilarius Diaconus Romanus, & legatus Leonis contradixerit. *In actis Conc. Chalced act.1.* Dum ergo Lucentius & Paschasinus legati Apostolici in Concilio Chalcedonensi, reprehendunt Dioscorum, quod ausus fuerit Synodum facere, sine authoritate sedis Apostolicæ, quod, *inquiunt*, & nunquam factum est, nec fieri licuit.] Non intelligunt non licuisse Dioscoro Synodum congregare, quam neq; ipse congregauerat; sed non licuisse facere, hoc est, tractare, concludere, & definire, non concurrente sede Apostolica in illis definitionibus, Imo contradicente: & hoc, inquiunt, nunquam licuisse. Quia necessarium arbitrantur, in omni Concilio, etiam sedis Apostolicæ concursum, & consensum: de quo nos agemus libro sequenti. Et sane Damasus à Baronio contra nos allatus, hanc ipsam nostram expresse ponit explicationem, dicens: nullius esse momenti decreta Synodi. cui ipse per se, vel per legatus consensum nõ præbuisset. Quid obsecro hoc ad Concilij conuocationem? Addit demum Baronius, Canonem Ecclesiasticum ex Socrate, *lib.2.cap.13.* & Sozomeno; *l.3.c 9.* de quo nos inferius agemus.

XXX. Tantam vero potestatem agnouit illis temporibus Ecclesia in Principibus Christianis in Conciliis congregandis, vt sine expressa eorum facultate Episcopi coire non auderent ad tractandum de fide, & religione. Qua de re insigne habemus exemplum in Episcopis Catholicis Thraciæ, de quibus ita scribit Sozomenus: *lib.6.cap.7* Vbi decessit Constantinopoli Valentinianus, perque Thraciam, Romam versus iter fecit, Episcopi Hellespont, & Bithyniæ, & alij omnes, qui filium Patri consubstantialem asserendum putabant, mittunt ad eum pro se legatum Hypatianum Heracleæ (quod est oppidum Perinthi) Episcopum, oratum vt sibi de doctrina fidei rite constituenda, in vnum conueniendi potestas permitteretur. Qui sane Imp. sicut libenter concessit, vt vbicunque ipsis libitum fuerit eo in vnum conuenirent; ita in tractationibus eorum aperte professus est *infra num.103.* sibi non licere, se, qui laicus esset, immiscere. Nam, vt modo diximus, in solam conuocationem & directionem Concil. Principes ius habuerunt, non in tractationem rerum fidei, aut decisionem: sed postea etiam ad eos pertinuit executio. Quamuis Nicolaus Primus Principibus locum det etiam in conciliaribus de rebus fidei tractationibus. Ait enim ad Michaelem Imperatorem scribens: *epistol.8.* Dicite, quæsumus, vbinam legistis Imperatores antecessores vestros, in Synodalibus conuentibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos. & ad omnes omnino pertinet Christianos?] Et VIII. Synod. General. IV. Constantinopolit. *can. 17.* ait: Vnde nec interfuisse Principes Synodis, exceptis Conciliis vniuersalibus, inuenimus.] Sed de hoc nos in sequenti libro plura.

XXXI. Non multo post Ioannes Chrysostomus, persecutiones varias, & eiectionem à suo Throno Constantinopolitano passus, ac postea in suam sedem restituins,

tutus, cum Synodo opus esse videret, vt earum turbarum iudicia exercerentur, ipse Synodum conuocare nō est ausus; sed eam ab Imperatore petendam, & impetrandam esse censuit. Ita enim ipse scribit ad Papam Innocentium: Cum vero triginta nos Episcopi & clementissimi Imperatoris Notarius ad hæc missus redoxissent, ingressi ad Regem orauimus, vt ad vlciscenda facinora Synodum cogeret.] Et paucis interiectis: Nos conscientiæ nostræ fiducia nihilo segnius institimus apud piissimum Imperatorem, vt Concilium congregaret.] Et Episcopi Italiæ Romæ congregati, inquit Theodorus diaconus, *Apud Pallad. dialog. de reb. gest. Chrys.* Imperatorem orant (*Honorium*) rescriberet Arcadio fratri suo, vt iuberet Thessalonicæ Concilium fieri, &c.] Quod & præstitit Honorius ita scribens: *Ibid.* Stribo pacis Ecclesiasticæ auidus, & ingenti cura solicitus (pacatis enim Ecclesiis Imperio quoq; nostro pax prouenit) vt Episcopos Orientales iubeas Thessalonicæ conuenire.] In schismate etiam Romanæ Ecclesiæ, post obitū Zosimi, Honorius idem satis amplam cogit Synodum, vt ex pluribus eius constat literis, quas recenset Baronius, *tom. 5. an* 419.

XXXII. Ephesinum primum Concilium, quod fuit tertium œcumenicum, à Theodosio Iuniore indictum & coactum fuisse, & sane propria ipsius authoritate, facile demonstramus. Sic enim de eo Socrates: *l. 7. c. 33.* Imperatoris mandato, Episcopi ex locis omnibus Ephesum conueniunt.] Euagrius, *l. 1. c. 3.* Cyrillus postulauit, vt authoritate ac nutu Theodosij Iunioris qui tum Orientis administrauit Imperium, primum Concilium Ephesi cogeretur.] Itaq; literæ Imperatoris erant ad Cyrillum, & ad alios omnes vbique sanctarum Ecclesiarum præsides missæ; quæ diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer spiritus ad nos descendit, conuentui præstituerunt.] Sed audiamus ipsummet Imperatorem ad Cyrillum scribentem: *Apud Cyril. epist. 4.* Volumus enim, *inquit*, illam (*pietatis doctrinam*) coacta sacra Synodo ventilari.] Sed melius & clarius iterum explicat idem Imperator, se illam Synodum ex proprio munere, & officio cogere; & ex animi sui deliberatione: sic enim scribit.

XXXIII. *Ibid epist. 17.* A pietate, quæ in Deum est, Reipublicæ nostræ cōstitutio pendet, & multa vtrinq; est cognatio, & societas; cohærent enim inter se, & altera alterius crescit incremento: Ita vt vera religio iustitiæ studio, Respublica vero ab vtrisque adiuta resplendeat. In Regnum itaque à DEO constituti, cum pietatis ac prosperitatis subditorum curam ab eo acceperimus; societatem harum perpetuo indiuulsam; tam prouidentia nostra, quam etiam humano præsidio freti hactenus conseruare enitimur: & propter salutem Reipublicæ in conseruanda & nutrienda pietate subditorum, eorum commodo perpetuo intenti, enixe inuigilamus, illudque maxime contendimus vt pie viuant & conuersentur, sicut pios decet, vniuersi; vtriusque, vt conuenit, curam gerentes, (neque enim fieri potest, vt alteri studentes, non similiter & alterius curam geramus.) Præ ceteris in hoc incumbimus, vt Ecclesiasticus status, & qui Deum deceat, & nostris temporibus conueniat, firmus permaneat, tranquillitatemque ex omnium consensu retineat, sitque per Ecclesiasticarum rerum pacem, quietus, & pia religio seruetur irreprehensibilis, eorumque vita, qui ad clericatum, & magnum Sacerdotium delecti sunt, ab omni sit culpa libera. Cum autem ista intelligeremus, cum per dilectionem erga Deum ac pietatem, tum per animos veritatis amantes obtineri posse, iam quidem sæpenumero propter ea, quæ subinde accidunt, Deo dilectissimam omnium eorum, qui vbique sunt, sanctissimorum Episcoporum Synodum necessariam esse duximus: verum cunctati sumus hactenus, ne eorum pietati molestiam exhiberemus: At nunc vero tam Ecclesiasticarum, quam publicarum rerum iis cohærentium disceptationes, eam adeo necessariam declarant, vt iam differri non possit. Quapropter ne quæ tam vtilium rerum quæstionem concernunt, si negligantur, in peius dilabantur, id quod ab Episcoporum nostrorum est pietate alienum: curabit pietas tua, vt post imminens Sanctum Pascha, volente Deo, circa S. Pentecostes diem, ad Ephesiorum Asiæ ciuitatem aduenias, & paucos, quos probaueris, ex prouincia sibi subiecta, sanctissimos Episcopos, ad eandem Ciuitatem conuenire facias; vt nec qui sanctissimis prouinciæ tuæ Ecclesiis sufficiant, nec qui Concilio sint accommodi desint: sunt enim exemplaria à nostra Maiestate de prædicta sanctissima Synodo Dei dilectis per vniuersas Metropoles Episcopis scripta; vt hoc facto & perturbatio, quæ ex cōtrouersiis istis accidit, secūdum Ecclesiasticos canones dissoluatur, & quæ indecenter committuntur corrigantur, sitq; & pietati erga Deum, & publicis rebus commoda firmitudo; nec aliquid, quacunq; in re, ante Sanctissimam Synodū, & futuram illius communem sententiam, à quoquam separatim innouetur. Et persuasi quidem sumus, vnumquemq; Deo dilectissimorum Sacerdotum, vbi resciuerit, cum Ecclesiasticarum, cum publicarum rerum gratia hac nostra sanctione accitū ad sanctissimam Synodum diligenti studio properāter accursurum; & rebus ita necessariis, atq; ad beneplacitum Dei pertinentibus pro viribus consulturum. Nos autem multam harum rerum curam gerentes, neminem desiderari impune patiemur: nec vllam siue apud Deum, siue apud nos excusationem habebit; si quisquam non confestim ad prædictum tempus, loco determinato sedulus comparuerit. Quisquis n. ad Sacerdotalem vocatus Synodum non prompte accurrit; esse se cōscientia non bona declarat. Deus te multo tempore custodiat Pater sanctissime ac religiosissime.] Hæc Theodosius; cuius etiā aliæ extāt *apud acta Conc. Ephes.* Epistolæ ad Cyrillum, eum ad Synodum euocantes. Et Synodus ipsa hoc ipsum profitetur: Dum enim intimat Nestorio sententiam damnationis, ea inscriptione vtitur: *ibid.* Sancta Synodus, iuxta religiosissimorum, Christianissimorumq; Imperatorum nostrorum præscriptum, in Ephesiorum Metropoli, per gratiā Dei coacta, Nestorio nouo Iudæ. &c.] Item in encyclica: Cum essemus Ephesi secundū Imperatorum literas congregati, &c.] Idem fatetur *ibid.* Io. Antiochenus in epist. ad Sixtum Papam, & in alia ad Cyrillum.

XXXIV. Integram tamen hic libenter Imperatoris, Concilium Ephesinum indicentem, sacram exscripsi; in ea enim expressam & scite explicatam cerno causam à me supra cōsideratam, Cur Imperatores indicendorum Conciliorum, præsertim generaliū semper habuerint authoritatem, & magnam in rebus etiā Ecclesiasticis superintendētiam; quia nimirū vtriusq; Reipublicæ quietus & tranquillus status iis à Deo est cōmendatus: & quia à pietate & religione bonum etiam ciuilis Reip. plurimum pendet: & quia vis coactiua est necessaria, quę & in seqq. videbimus sæpe Principes vsurparunt. In eadem etiam sacra Imperiali cernimus, nequaquā ex Cyrilli, aut Cælestini mādatis, Imperialem huius Concilij pendere indictionem, quod Bellarminus nobis conatur persuadere: inquit enim, *de Conc. & Eccl. l. 1. 13.* De Ephesino primo Prosper in Chronico indicat, Synodū Ephesinam factā esse Cyrilli industria, & Cælestini authoritate. Constat etiam, *inquit*, ex Euagrio *l. 1. c. 4.* & ex ep. Cælest. ad Cyrill. quæ habetur inter opera Cyrilli; & ex Photio in lib. de 7. Synodis, Cyrillum præfectū esse ad Concilium tanquā Legatū Apostolicæ Sedis: quod est argumen-

gumentum certum eam Synodum non sine consensu *Pontificis coactam esse.*] ista Bellarminus.

XXXV. Fuga sane hæc & leuis est, nec euadit periculum, Cyrilli industria in eo magna fuit, quod *Nestorij hæresim* maxime detexerit, aperuerit, publicauerit, & primus omnium in suo prouinciali Concilio damnauerit, & anathematizauerit: in quo non leuiter, etiam apud Imperatorem, initio offendit: tandem nihilominus ipse causa potissima fuit, vt Imperator Concilium hoc conuocaret: in quo ipse primas tulit. Hæc fuit ipsius industria; cui etiam Cælestinus magnam tulit opem: sed in ipsa cõuocatione Conc. generalis, nullas habuit partes; nisi persuasiuas; vt propterea Imperator, ipsi etiam det mandatum, vt ad Concilium, cum suis, conueniat. Cælestinum vero nihil in eo conuocando authoritatis suæ interposuisse, ex ipsa sacra est manifestum; quę tota à sola Imperiali pendet authoritate. Et argumentum est admodum inane, Cælestinum autorem fuisse huius Conc. ex eo, quod Cyrillum, suũ fecerit Legatum: Neq; alium Cælestini agnosco consensum, nisi quod ipse etiã vocatus ad Synodũ, & laudauerit, & approbauerit Imperatoris consilium de generali celebrando Concilio; & in sententiam Cyrilli totus abierit, vt Nestoriana hæresis condemnaretur. Et hoc nihil obstat, quominus Imperator solus sua propria authoritate Concilium hoc conuocarit. Sed de hac Cyrilli Legatione, erit nobis sermo exactior lib. seq. Ostendam enim Cyrillum nihilominus pręsedisse in Ephesino Concertatione suæ proprię *Sedis Alexand.* & legationem hanc ad hæresis duntaxat confutationem vberiorem respexisse.

XXXVI. Baronius, quia facile facit, quod sæpe facit, sua nobis hic obtrudit commenta: *tom. 5 an. 430. n. 61. 62. 63.* Theodosium, visa necessitate Concilij, egisse anno prius apud Cælest. de hoc Concil conuocando. Et postea indictum Conc. authoritate Cælestini, requirente id Theodosio, per Petronium, virum Illustrem, qui postea fuit Episcopus Bononiensis. Quod ex Actis dicti Petronij à Sigonio restitutis, & editis confirmat. Cur igitur Theodosius in suis sacris Concilium indicentibus [illegible] meminit Cælestini? cur se iussu Cęlestini non edicit Concilium conuocare? frigida sunt ista: & vbi Imperator etiam Romani. Pont. ad Concilia euocabat, dicũt Romanistę id fuisse à Roman. Pont. petere Concilium, vel licentiam conuocandi Concilij. Et hoc inferius melius explicabo. Quod autem in sua Epistola Cælestinus ad hanc Synodum scripta significauerit, ipsius voluntate eam fuisse collectam: nihil aliud inde habemus, nisi ipsum quoque optimum censuisse, vt Imperator Synodum congregaret.

XXXVII. Et vt nobis melius innotescat, ipsam Ephesinam Synodum à solo Imperatore, & ipsius solius iussu, congregatam, adduco testem ipsammet sanctam Synodum ad Cælestinum ita scribentem: *Tom. 1. Conciliorum post acta Syn. Ephesin. in libello Synod. constitut.* Quoniã vero necessitas postulauit, vt quæ consecuta sunt in hac sancta Synodo, omnia ad sanctitatis tuæ cognitionem referantur necessario scribimus, q; secundum voluntatem seruatoris nostri omnium, & sanctionem piorum issimorum ac Christi amãtium Imperatorum, in Ephesiorum Metropoli, ex multis, & variis Prouinciis, plusquã ducenti numero Episcopi cõgregati sumus, idq; ad diẽ Pentecostes; quem piæ Christi amantium Imperatorũ sanctiones, quibus conuocati sumus, terminum conueniendi sanctæ Synodo præfixerunt. Cum autẽ vniuersi conuenissemus, propter Imperatorum denunciationes ac comminationes, &c.] Sane si præcipuus huius Synodi indictor, & conuocator fuisset Cælestinus, Patres illi ad eum scribentes, non tacuissent se ipsius voluntate & iussu per Imperatorem intimato, ad Synodum conuenisse. Cum vero solius Imperatoris iussionem cõmemorent: quis dubitat, Cælestinum in hac cõuocatione nullas partes habuisse? qui etiamsi formam Ephesino Concilio præscripserit, vt ex Firmo profert Baronius, ad conuocationem hoc nihil facit: solam enim indictionem, conuocationem, & coactionem huiusmodi Conciliorum, tribuimus Imperatori; non autem tractationem, & discussionem rerum Ecclesiasticarum; quam ipsimet Imperatores, vt vidimus, coacto per ipsos Concilio, in Episcopos eorum iussu congregatos, totam reiiciunt; vt iuxta Ecclesiasticas regulas ipsi decidãt omnia. Quod vero affert idem Baronius ex Concilio Chalcedonensi, inferius à nobis expendetur. Interim accipe quę idem sacrum Concilium ad Imperatores rescripsit: *apud Cyrillum inter Epistolas Synodales, ep. 9.* Regia quidem, *inquit*, vestra, & Christi amans Maiestas, pientissimi Reges, à pueris zelum circa fidem & canones declarauit, cuius etiam gratia, orbis Episcopos, ad Ephesiorum Ciuitatem concurrere, pia sanctione, præcepit, &c.]

XXXVIII. Alterum etiam Generale Concilium Ephesi celebrandum, conuocauit idem Theodosius Imperator, nouis exortis non multo post tumultibus in Ecclesia ex noua hæresi Eutychetis: *In Concil. Chalced. act. 1.* Sancimus, *inquit scribens ad Dioscorum Alexandrinum*, in vnum sanctissimos, & Deo placitos conuenire Viros, &c.] Et inferius: igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem Romanis Metropolitanis Episcopis, qui sub tua degunt diœcesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis, sermone & vita ornatis, q in doctrina & sciẽtia rectæ & immaculatæ fidei præ cunctis apud cunctos eminẽt, proximis Kal. Aug. Ephesum Metropolim Asiæ conuenire, absq; vlla dilatione festinet.] Et ad Episcopos iam congregatos: *Ibid.* Cogitantes non esse tutum absque vestra sancta Synodo, & vbique sanctorum Ecclesiarum præsulibus huiusmodi quæstionem de fide renouari, necessarium duximus vestram conuenire sanctitatem, &c.] Et in Synodo Dioscorus ita est prolocutus: Manifestæ nobis factæ sunt piissimæ literæ Christianorum Imperatorum: & quis aliquibus Constantinopoli motis Synodum præceperunt fieri, &c.] Et post pauca; Piissimus & Christianissimus noster Imperator pro aliquibus, quæ emerserunt, iussit hanc congregari Synodum.]

XXXIX. Ad hoc Concilium ab Imperatore euocatus fuit etiam Leo Roman. Pontifex, qui sane neque sentiebat opus esse Concilio generali, neq; ad illud voluit se conferre: Legatos tamen suos, qui ipsius loco dicto Concilio interessent, eo transmisit. Ita enim Leo ipse ad Theodosium rescribit: *Leo epist. 21. tom. 1. Epistolarum Roman. Pontif.* Acceptis clementiæ vestræ literis, & multum vniuersali Ecclesiæ gaudendum esse perspexi, quod Christianam fidem, qua diuinitas honoratur, & colitur, in nullo dissimilem, in nullo vult esse discordem. Vnde quamuis ad diem Concilij Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere Ciuitatem; præsertim cum tam euidens fidei causa sit, vt rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum; tamen in quantum Dominus iuuare dignatur, meum studium commodaui, vt clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc patribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ æquitate sufficiant, quique præsentiæ meæ impleant vicem; quia non talis quæstio orta est, vnde aut possit, aut debeat dubitari.]

XL. Quid dicent nostri aduersarij de indictione huius Cõcilij generalis, per Theodosium iuniorem facta?

quomodo

quomodo ad commissionem Romani Pontificis, ipsiusque voluntatem confugiens? certe Leo expresse *epist.* 26. sentit & explicat, nullam esse Concilij necessitatem: & non requiritur ipse Leo à Theodosio, vt velit Concilium fieri; sed vt ad Concilium conueniat: & licet se excuset, paret tamen, *Leo ep.* 14.15.18.19. legatos vice sui transmittens, Iulianum Episcopum, Renatum presbyterum, & Hilarium diaconum. Qui in ipso Concilio aperte fatentur, etiam Leonem ab Imperatore fuisse vocatum, eodem prorsus tenore literarum, quo alij etiam Patriarchæ vocati fuerunt. Sic n. legimus: *In Conc. Chalc. act.* 1. Iulianus Episcopus agens vices sanctissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Leonis, & interpretante eum Florentio Episcopo Lidiæ, dixit: Eodem tenore à piissimis & Christianissimis Imperatoribus, sanctissimus noster Papa, Romanæ Ecclesiæ præpositus Leo, vocatus est. Hilarius Diaconus Romanus, interpretante eum Florentio Episcopo, dixit: Gloriosissimi, & Christianissimi Imperatores, charitate circa Catholicam fidem & affectum tenentes, Beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ sedis præsulem, vt huic venerabili, & sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicârunt; cuius pietati placere potuit, si in hac re teneretur aliqua similitudo: Nā melius vestra potest cognoscere sanctitas, quia neque in Nicæa, neque in Ephesina sancta Synodo, neque in alio tali sancto Concilio, Papa perpetuæ sanctissimæ sedis adfuit. Pro qua re huius formæ sequens consuetudinē, nos direxit. Qui sanctissimus nō dubitās se in nobis hic adesse, &c.] Bene obserua, inuitatum fuisse Leonem ad hoc Concilium generale, vt adesset, non autem vt præesset; & per Legatos ipsum in hoc Concilio adfuisse, non præfuisse. De quo plura alio loco. Nec potuit negare Baronius, *tom.* 6. *an.* 449. *num.* 36. inuito Leone, hoc Concilium fuisse & conuocatum, & celebratum.

XLI. Obiici nobis posset ipsemet Leo, ita ad eandem Ephesinam Synodum scribens: *epist.* 17. Religiosa Clementissimi Principis fides, sciens ad vestram gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectū; autoritatem Apostolicæ sedis adhiberet; tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in eius confessione laudatum sit, &c.] Exultat in his Baronius, quasi thesaurum reconditum inuenerit, pro Romana Monarchia confirmanda; & ab illa graui obiectione vindicanda, quod Imperatores Concilia conuocarent. Audiamus, quæso, ipsius exultationem; *tom.* 6. *an.* 450. *n.* 61. In qua quidem, *inquit*, epistola illud velim lector; quam diligentissime expendas, & tenaci memoria nunquam abolendū conserues: non sine autoritate Romanorum Pontificum, Imperatores consueuisse indicere Synodos. Quantumlibet enim, ipso ægre ferente sancto Leone, Theodosius, vt vidimus, instituerit cogendum Ephesinum conuentum, cui nec cuperet ipsum per suos interesse legatos, haud tamen id ausus prolequi, neque perficere absque ipsius Romani Pontificis authoritate; prout declarant verba illa Epistolæ exordio collocata; quibus ait: Hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum authoritatem Apostolicæ sedis adhiberet; tanquam ab ipso B. Petro cuperet declarari, &c. Sic igitur cum audis vel legis Imperatorum mandatis esse sacra Concilia conuocata, eiusmodi pernoscas exemplo, nunquam id absque Romani Pontificis authoritate executioni fuisse mandatum.] Hæc Baronius. Cuius ego (cogor inuitus dicere) stupiditatem nunquam satis mirari possum, qui vel Leonis verba, etiam grammaticastro cuique obuia, & aperta, non intellexit; vel nos adeo stupidos censuit, vt speraret, sua verborum circuitione nobis fucum se facturum, vt ne nos quidem, quid sibi vellit Leo, talibus fucis obcœcati, essemus percepturi.

XLII. Thesaurum, inquā, inuenire sibi visus est bonus senex; sed thesaurus versus est ei in carbones. Non dicam Leonem potuisse oratorie in propriam authoritatem deflectere, & Imperatoris literas, vel inuitas, ad ipsi gratū sensum flectere, & interpretari: libenter enim solet, vir alioquin egregius, plus æquo suam frequenter extollere dignitatem. Dico tamen Leonem laudare in eo Theodosij pietatem, quod requirens Romanæ sedis authoritatem, (hoc est dignitatem, ac summam apud omnes existimationem) ad hoc vt per illam, sana doctrina, quæ in Ecclesia Romana præcipue florebat, controuersiæ exortæ melius sedarentur. Petrum ipsum quodammodo consulendum esse censuerit: nihil ergo hæc ad Conciliorum indictionem, & conuocationem; sed tantummodo ad tractationem pertinent; & negotiorum fidei discussionem, vt nimirum in Cōcilio Romanæ doctrinę tunc vis magna fuerit ad dogmata confirmanda. Poterat bone senior, bis distortis oculis hæc intuitus esset, optime cernere Baronius, in verbis, *tanquā a Petro cuperet declarari*, nō dicit, intimari, indici, cōuocari, &c. Cum præsertim apertissime pateat, ex hactenus à nobis prolatis, conciliū hoc iam fuisse indictum, & sane præter Leonis voluntatem, quādo Theodosius inuitatorias, vel potius citatorias, ad eum scripsit literas.

XLIII. Ac certe Leo in hac ipsa epistola fatetur Cōcilium hoc fuisse ab Imperatore iussum congregari, & de ipsius concessione aut mandato, cuius executor fuit Imperator, vt vult Baronius, ne verbum quidem: Ait enim: Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis possit error aboleri: fratres nostros Iulianum, &c.] Audis Imperatorem voluisse haberi Concilium; vt tamen error etiam adiuncta sanctæ sedis authoritate, in eo aboleretur. Et quamuis hæretici in hac synodo vi ac dolis præualuerint, vt merito prædatoria fuerit postea appellata, nihilominus quod ad nostrum spectat negotium, conuocatio ipsius fuit bona, & legitima, licet finem pessimum sortita sit. Ex ea itaque vel maxime habemus authoritatem Imperatorum in Conciliis generalibus conuocandis, etiam vbi Papa Romanus non sentit Concilium esse conuocandum.

XLIV. Quartum generale Concilium, ab Ecclesia Catholica receptum, est Concilium Chalcedonense. Viso enim pessimo fine Concilij Ephesini, de quo hactenus egimus, à quo fuit Theodosius etiam deceptus, tota Ecclesia Catholica, & Leo Romanus potissimum alterius generalis Concilij necessitatem maximam agnouit: quod vt iudiceretur, & conuocaretur in Italia, plurimum Leo ipse apud Theodosium laborauit; ad quem ita scribit: *epistol.* 11. Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma peruersum merito anathematizauimus; ita iuste etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Iesu Christo susceptam esse, damnamus. Vnde si pietas vestra suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Episcopale Concilium, cito (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari: vt per vniuersum Regnum vestrum Catholicæ fidei integritate seruata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus.] Non requirit Leo vt per Imperatorem intimetur Concilium ab ipso Leone iussum; sed po-

stulat

stulat, vt ipse Imperator iubeat haberi Concilium; & causam à nobis priùs consideratam affert, quia pax subditorum Christianorum, ac ciuilis Reipublicæ, Principibus commendatæ, sine fidei integritate haberi non potest. Idem Leo *epist.* 28. ad Pulcheriam Augustam ita scribit: Et quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset, de habendo intra Italiam Concilio, & locus constitueretur, & tempus, ad Gloriosissimum Principem scripsimus.] Id nimirum ab eo postulando.

XLV. Cum autem in hoc Theodosius cunctaretur, atque interim è viuis decessisset, Martianusque in ipsius locum ad Imperium ascendisset, renouauit preces suas Leo apud nouum Imperatorem, vt in medelam vulnerum per prædatoriam Synodum Ecclesiæ inflictorum, nouum generale Concilium cogeretur. Ad eum igitur destinatâ legatione scribens *epist.* 44. ita concludit: *Vnde piissimæ solicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confestim ad Clementiam vestram, Deo annuente, perueniet, quicquid ad causæ vtilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur.*] Item *epist.* 46. *Synodum verò fieri, vt meminit Clementia vestra, etiam ipsi poposcimus; sed Sacerdotes prouinciarum omnium congregari, præsentis temporis necessitas nullâ ratione permittit, &c.*]

XLVI. Martianus verò Concilium generale non [illegible]talia, vt volebat Leo, sed in Oriente congregandum Nicææ indixit. Huius indictionis sacra eius ad [illegible] Epis. opostlic habet, *ante Concil. Chalced.* Omnia [illegible] veram fidem, & Christianam orthodoxam religionem tendentia, præponenda aliis rebus existimamus. Deo enim propitio existente, & nostrum Imperium, & communes causas meliores fore confidimus: [illegible] igitur dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant & literæ sanctissimi [illegible]chiepiscopi felicissimæ Romæ Leonis, placuit no[illegible] propriè Sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithy[illegible] Ciuitate. Vnde Sanctitas tua ad memoratam Ni[illegible]m Ciuitatem, proximis Kalend. Septembr. aduc[illegible] festinet.] Vtinam hodierni Imperatores Papam [illegible] compellare Archiepiscopum Romæ, & de [illegible] dicere: Placuit nobis: & monere Papam, vt [illegible] festinet ad Synodum. Et ad Anatolium Constantinopolitanum speciatim: Id, *inquit ibidem*, præcipuè nostræ Clementiæ placuit, vt venerabilis Synodus in Nicæna Ciuitate prouinciæ Bithyniæ celebretur.]

XLVII. Leo sanè differendam esse Synodum, etiamsi ab ipso petita fuerit, iam & sentiebat, &, vt vidimus, de dilatione scripserat ad Martianum: quando verò resciuit Martianum eam iam indixisse, huiusmo[illegible]deum dedit literas, *epistol.* 45. Poposceram quidem [illegible]loriosissima Clementia vestra, vt Synodum, quam [illegible]parandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à vobis [illegible] petitam, (*hoc est, quam nos etiam petieramus*) necessariam iudicastis, aliquantisper deferre ad tempus opportunius iuberetis; vt liberioribus ab omni perturbatione animis, ij quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, conuenirent. Sed quia pro studio [illegible]nis negotiis diuina præponitis, & rationabiliter ac religiosè Regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Euangelij prædicatione discordia; ego etiam vestris dispositionibus non renitor.] Si Imperatores autem licentiam tantùm concedebant Sacerdotibus coeundi, aut Pontificis Romani voluntatem intimabant, & cogebant ad Synodum venire detrectantes: cur suâ sponte & suâ autoritate non differt Leo Concilij iam ipsius autoritate indicti celebrationem? imò cur potiùs Imperatoris, quàm Papæ, voluntas impletur? An verò in dilatione Concilij licentia erat necessaria Imperatoris? ad quid? an ille debebat præconis Papæ officium duntaxat exercere? & cur non paret Papæ, etiamsi post indictum iam Concilium literas illas Leonis, dilationem petentes accepisset? & cur non in Italia, vt volebat Leo, sed in Oriente Concilium Imperator coegit? Quod ergo, *inquit Leo ad Pulcheriam, epist.* 35. Synodum Chalcedonensem haberi Clementia vestra præcipit, cùm à me, vt in Italia haberetur, mansuetudo vestra [illegible] postulatum, adeò tamen non aspernanter accepi, vt binos (*Legatos*) ordinarem, &c.] Cur igitur Papa cogitur Imperatoris potiùs obsequi iussionibus? quia nimirum in Principis potestate sitam intelligebat Conciliorum conuocationem: propterea quòd rationabiliter, & religiosè, *inquit Leo epist.* 45. Imperator credebat, Synodum hanc Regni ipsius viribus profuturam.]

XLVIII. Pulcheriam Augustam, Martiani coniugem, fœminam piissimam, & de Ecclesia Catholica optimè meritam, ad quam, tanquam ad sacram anchoram, toties confugerunt Catholici Episcopi, præsertim Leo ipse Romanus, Romanenses nostri spero, suspectam non habebunt, de vsurpata Ecclesiastica potestate. Illam igitur etiam, obsecro, audiant, quanam vtatur verborum forma, dum scribit ad Consularem Bithyniæ Strategium, vt curam habeat circa disciplinam Synodi Nicææ congregatæ exhibendam, *ante Concil. Chalced. Vnde dudum,* inquit, *praua quadam emergente discordia, multam curam habuimus, vt vndique multitudo sanctorum Episcoporum simul congregaretur in Nicæa.*] Et post pauca: *Quia ergo secundùm vestram sanctionem, Reuerendissimi quidem Episcopi vniuersi conuenerunt, &c.*] Sanctionem solam Imperialem commemorat; & non Papalem; quia Imperatoris, non Papæ fuisse sciebat Oecumenicas Synodos congregare.

XLIX. Theodoretus exul, afflictus, & profugus, nuper solutus ab exilio, sed nondum propriæ Ecclesiæ redditus, non tàm propriis, quàm Ecclesiæ, fidei, ac religionis, damnis vt occurreretur cupiens, atque ad hoc Generalem Synodum necessariam esse optimè intelligens, non censuit ad Papam, sed ad Imperatorem recurrendum. Sic enim ad Vicomalum Magistrum officiorum inter alia scribit, *epist.* 141. Tuam verò magnitudinem oro, pro nobis gratias Christo dilecto & victorioso Imperatori agas, & religiosissimæ & piissimæ Augustæ, qui pro suo Imperio radices ac fundamentum posuerint pietatem: & eorum Maiestatem rogate, vt securam pacem, & firmam Ecclesiis largiantur, & Synodum congregari præcipiant.] Et ad Anatolium Patricium, *epist.* 139. *apud Baron. tom.* 6. *ann.* 450. *n.* 41. Rogate propterea, *inquit*, dilectum Deo ipsorum caput, vt finem imponant iis, quæ rectè sancita sunt: & Synodum congregent.]

L. Indictum iam Nicææ Concilium, imò etiam eò congregatum, mutato consilio, Martianus ipse transtulit Chalcedonem, binis ad hoc datis ad Patres Nicææ congregatos, literis; in quibus solam ipsius vrget iussionem, *ante Concil. Chalced.* Vnde, *inquit*, si propitia vestra religio, in Chalcedonensium Ciuitatem venire dignemini: illic enim præcurremus, licèt nos hic publicæ causæ retineant.] Item expressiùs in aliis, *ibid.* Dudum quidem, & per alias diuinas nostras literas, indicauimus vestræ religioni, quatenus in Chalcedonensium Ciuitatem veniretis, vt ea, &c.] Et paulò pòst: Et nunc propriè vestram venerationem per has nostras sanctissimas literas adhortamur, quatenus sine vlla dilatione accedatis Chalcedonensium Ciuitatem.] Indictio igitur Conciliorum, dilatio & translatio

ſtatio, imò & dimiſſio, tunc citra vllam controuerſiam, pertinuit ad Imperatores; *Concil. Chalced. act.* 16. & à ſola ipſorum pendebant autoritate, & voluntate.

LI. Patet adeò claré, Chalcedonenſe Concilium, ſola Imperiali authoritate, conuocatum (quod iam oſtendimus) vt Baronius, qui in Conciliorum antiquorum indictione ſolertiſſimè ſolet vndequaque, quicquid poteſt, colligere, quo ad Romanos Pontifices eam reducat, in hoc nihil habuerit, quod proferret, ſola ſua (qui mos eſt hominis frequentiſſimus) commentitiis etiam falſitatibus ombixia aſſertione. Sic enim ait *tom. 6. anno* 451. *n.* 5. Poſt hæc agi cœptum de Synodo vniuerſali cogendâ: quod quidem magnâ induſtriâ, ſummaq; diligentiâ à Leone Romano Pontifice Martianus Imperator expetiit, ſed ipſe Pontifex, ob ingruentes Hunnorum exercitus, Galliam deuaſtantes, & iam Italiam cogitantes, ad opportunius tempus exiſtimabat differendum eſſe vniuerſale Concilium; Verùm quod Martiano in optatis eſſe videret, quamprimùm ab his diſſenſionibus, cauſa Eutychetis obortis, pacatum reddere Romanum Imperium, alios decreuit mittendos Conſtantinopolim Legatos, qui Synodo intereſſent.] Hæc Baronius.

LII. Aſſerit quidem, Martianum ſummoperè expetiiſſe à Romano Pontifice, vt Concilium generale fieret; ſed nihil probat. Nos verò contrarium probauimus, Leonem ſummoperè initio expetiiſſe, imò & petiiſſe enixè à Martiano, vt iuberet Concilium haberi in Italia; quod poſtea etiam in Oriẽte indictum differri ſtuduit. Sed reſpondeat mihi Baronius; Si Martianus id à Papa expetiit, & Papa tamen non conſenſit, qui in Italia Concilium volebat, & poſtea differendam cenſuit Concilij œcumenici congregationem; Cur non expectato Leonis pleno aſſenſu, Concilium tamen & indixit Nicææ ipſe Martianus, & congregauit; & inde Chalcedonem tranſtulit? & quæ hactenus de indictione huius Concilij protuli, prorſus conuincunt contrarium; & vanæ imaginationis arguunt Baronium. Protulerat literas Martiani ad Leonem, *ibid. anno* 450. *n.* 21. in actis Concilij Chalcedonenſis ſcriptas, illud continentes; Inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, ſtatuque noſtri Imperij æternam Diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt & tale propoſitum atq; deſiderium habeamus, quatenus omni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum, te autore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat.] Neſcio, an illa verba (*te autore*) vellet Baronius referri ad præcedentia; hoc eſt, ad Synodum celebrandam: Cùm tamen reuera ad ſequentia referantur, vt nimirum, ſi interſit Synodo, per Martianum indicendæ, & congregandæ, author ſit futurus ipſe Leo, vt pax conilietur. Eodem modo loquendi, ſed clariùs, vtitur etiam Pulcheria ad Leonem, *ante Concil. Chalced.* Vt Epiſcopi, *inquit*, in Concilio, ſicut fides & Chriſtiana pietas exigit, te autore, decernant.] Protulerat & alias Martiani ad Leonem literas; de quibus mox agemus cum Bellarmino. Cui fugam præcludam; Baronij verò vanas *tom.* 6. *ann.* 450. *num.* 27. reprimam exultationes; & ineptas notabo obſeruationes.

LIII. Cautiùs in hoc fortaſsè agit Bellarminus. Laborat ſanè, & ſudat, ſed fruſtrà. Rogat, *inquit de Concil. & Eccl. lib.* 1. *c.* 13. Martianus, indicturus Concilium, Pontificem, vt ipſe veniat, & Concilium faciat, vel, ſi nolit venire, per literas ſignificet, quid agi velit: & in fine concludit, ſe ſcripturum ad omnes Epiſcopos, vt ad certum locum conueniant.] Significauerat profectò Leoni Papæ Martianus, ſe omninò de Concilio conuocando cogitare, & ex ipſiſmet Leonis literis, ipſius neceſſitatem cognouiſſe: atq; hac piâ pij Principis intentione motus Leo, *epiſt.* 44. 45. 49. ad eum ſtatim Legatos miſit, qui Concilio intereſſent, ſalutaribus monitionibus inſtructos, ne ſemel deciſa ampliùs in diſputationem venire permitterentur. Exceptis benignè Leonis Legatis, & literis acceptis, cum ſolis prædictis monitionibus, Martianus illius præſentiam plurimum cupiens, ipſum primum, licèt modeſtè & benignè, vocat ad Concilium; aut ſaltem inuitat, illis verbis, *ante Concil. Chalced.* Quapropter Reuerendiſſimos Viros, quos ad noſtram Pietatem Sanctitas tua direxit, libenter, & ſicut decebat, animo grato ſuſcepimus. Supereſt, vt ſi placuerit tuæ Beatitudini, in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: noſtris vtique deſiderijs veſtra Sanctitas ſatisfaciet; & ſacræ religioni quæ vtilia ſunt decernet. Si verò hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum nobis proprijs literis tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum, ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes Sanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire; & quæ Chriſtianorum religioni, atq; Catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definiuerit, ſuâ diſpoſitione declarent.] Huculq; literæ Martiani.

LIV. Hîc in primis habemus, Leonem vocari, vt veniat ad Concilium; non rogari, vt velit cogi Concilium; & ſanè vocatur à Martiano, vt veniat, & Concilium faciat: hoc eſt, vt interſit Concilio, & in ipſo Conciliaria peragat, nimirum, vt negotium fidei iuxta regulas Eccleſiaſticas tractetur, & definiatur. Hoc enim ſenſu ipſemet Leo *epiſt.* 49. declarat ad ſe ab Imperatore fuiſſe ſcriptum. Æquiuocauit verò Bellarminus, dum, facere Concilium, putauit eſſe cogere Concilium. Quomodo enim Martianus, qui hac ipſa Leonis vocatione incipiebat iam indicere Concilium, petit à Leone, vt veniat, & Concilium cogat? Deinde neſcio quàm bonâ fide refert Martianum ſcribere ad Leonem, vt, ſi nolit venire, per literas ſignificet, quid agi velit. Hoc enim addit ex ſe Bellarminus: Cum Martianus, vt vidimus, dicat, ſi Leo non vult venire, hoc ipſum per literas ſignificet, nempe, ſe non poſſe venire; nõ autem, quid agi velit: Quia nimirum tempus & locum conueniendi ſtatuiſſet, pro ipſius Leonis commodo & opportunitate, ſi eſſet venturus, alioquin ſe & locum, & tempus conueniendi, pro ſuo arbitru Epiſcopis Orientalibus indicturum. Ita euanuit primum Bellarmini ſubterfugium.

LV. Alterum eiuſdẽ ſubterfugium eſt, vt ad quaſdam ſe recipiat literas Epiſcoporum ſecundæ Meſiæ, ad Leonem Imperatorem; in quibus illud [illegible] gloriatur: *In Chalcedonenſium ciuitate multi ſancti Epiſcopi conuenerunt per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.*] Quam verſionem ipſe legerit, ego neſcio: quas enim ipſe in varijs Conciliorum editionibus legi, omnes eodem modo ſic habent, *ante Concil. Chalcedon.* Super hæc autem, & quæ ad peremptionem Eutychianæ veſaniæ, de humanatione Saluatoris, in Chalcedonenſium ciuitate, multis ſanctis Epiſcopis conuenientibus, per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, (qui verè caput eſt Epiſcoporum,) & venerabilis Sacerdotis & Patriarchæ Anatolij, Cõcilio celebrato, ſub duobus Imperatoribus confirmata eſt.] Si ſenſum illum hæc verba haberent, quem facit Bellarminus, dicerem, eos Epiſcopos in hiſtoria plurimũ hallucinatos: Quia iam de veritate hiſtoriæ longè aliter ſe habente, nobis conſtat apertiſſimè. Sed reuera peiore adhuc dolo decipit nos Bellarminus, qui verba illorum Epiſcoporũ inuertit, peruertit, mutilat,

ulat & corrumpit. Sensus enim verus, & per se apertissimus illorum verborum est, Eutychianam vesaniam, conuenientibus Chalcedonem plurimis Episcopis, Concilioq; inibi per iussionem Leonis & Anatolij celebrato, fuisse peremptam. Iussio enim ad celebrationem Concilij huius, non ad conuocationem & conuentum referetur: & ad doctrinae in eo tractatae & decisae autoritatiuam tractationé: iussio etenim hic potiùs significat praesidentiam, & quasi moderationem rerum Conciliarium, quàm mandatum conuocans Concilium. Alioquin etiam Anatolij iussu conuenisse dicendi essent illi Patres, siquidè literae illae perhibeant, iussu Leonis, & Anatolij, ibi Côcilium fuisse celebratum. Adeoq; quod ipsis Romanensibus tetrum sapit, consortem imperij admittet haec Hieromonarchia.

LVI. Tertium quoque habet confugium Bellarminus ad Gelasium, asserentem, *solam Romanam sedem, vt Concilium Chalcedonense fieret, decreuisse.*] Respondeo *Primò*, magis in hoc Leoni credendum, & tot Actis eiusdem Concilij, quàm soli Gelasio. Respondeo *Secundò*, Gelasij sensum esse longè alium ab eo, quem sumpsit, & proposuit Bellarminus. Verba Gelasij sunt *ad Dardanos epist.* 13. Ioannem Constantinopolitanum (*Chrysostomum*) Synodus etiam Catholicorum praesulum certè damnârat, quem simili modo (vt Athanasium) sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemq; Ian. men. Flauianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit; potiusq; qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundae sedis praesulem, suâ autoritate damnauit, & impiam Synodum, non consentiendo submouit, ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio correrant Ephesino, veniam poscentibus, sola concessit; & in sua perfidia permanentes, nihilominus suâ authoritate prostrauit; quam congregatio, quae illic pro veritate [illegible]randa collecta fuerat, est secuta: quoniam sicut [illegible], quod prima sedes non probauerat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit.] Ita Gelasius.

LVII. Hic primùm videmus hunc Pontificem in suae Sedis laudem ingressum, multa amplificare. Quomodo enim sola Sedes Romana Chrysostomum, quia non consensit eius damnationi, absoluit? Quasi verò etiam in Oriente non fuerint multi Episcopi, qui iniustae damnationi Ioannis nô consenserint. Quid illi quadraginta, qui ei aderant, flebant, gemebant, vbi ille ad poenam quaerebatur? *Pallad. dial. de reb. gest. Chrys.* Deinde in Gelasij verbis alium ego sensum cerno, & non eum, quem intendit Bellarminus. Respicit enim G[illegible]tius ad acta praedatoriae Synodi Ephesinae, in qua damnatus fuit Flauianus Pontifex Catholicus, & côfirmata haeresis Eutychiana; nam in ea Synodo, etiamsi [illegible] Orientales in Flauiani *apud Concil. Chalcedon. act.* 1. condemnationem non consentirent, & Dioscorum Alexandrinum, qui in Concilio praesidebat, rogarent, & genua ipsius tangentes obsecrarent, ne Flauianus Catholicus, & Eusebius Dorilei, condemnarentur; nihilominus tamen minis, & catenatum per satellites expositarum ostensione, quibus vincti in exsilium ducerentur, inducti, omnes dictae damnationi subscripserunt. Soli verò in toto illo Concilio Legati Romanae Ecclesiae contradixerunt, & iniustae damnationi sese opposuerunt. Hoc itaque est, quod dicit Gelasius, solam Sedem Apostolicam non consensisse in Flauiani damnationem; ex quo non praestito consensu, sed facti contradictione, secutum est, vt Flauianus verè non fuerit condemnatus, & consequenter fuerit per solam Sedem Apostolicam absolutus, quia illa sola restitit per Legatos. Imò addit Gelasius, potiùs in ea Synodo intelligi damnatum Dioscorum, autoritate solius Romanae Sedis, & totam illam Synodum submotam; quia sola Sedis Romanae intercessit contradictio; quae causa fuit, vt alia generalis Synodus congregaretur, quae postea Chalcedone optimum finem est sortita. Sicut igitur sola Sedes Romana à Gelasio dicitur & absoluisse Flauianum, & Dioscorum damnasse, & impiam Synodum submonisse, eo sensu tantùm, quòd soli Legati Romani non consenserint; sed restiterint, ex quo ista secuta sint: ita dum dicit, solam Sedem Romanam decreuisse, vt Synodus fieret Chalcedonensis; significat Gelasius, ex solius Romanae Sedis illâ resistentiâ, & non consensu, in impiam Synodum Ephesinam, secutum omninò esse, agente praesertim id acriter Leone Papa per literas ad Imperatores, vt generalis Synodus decerneretur, & tandem Chalcedone absolueretur. Sicut enim nulla Sedes Episcopalis restitit Concilio Ephesino, nisi sola Romana; ita post errores deploratae illius Synodi, nulla Sedes acriùs institit, vt alia ampliori & meliori Synodo errores illi corrigerentur, quàm Romana.

LIX. Habet profectò Leo in quadam Epistola 63. hoc dictum, de hoc Concilio Chalcedonensi: *Propter quam (fidem) generale Concilium, & ex praecepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicae Sedis, placuit congregari.*] Cùm tamen Martianus in indicendo hoc Concilio, vt vidimus, propriâ tantùm, de more aliorum praedecessorum suorum, vsus fuerit autoritate; ne dicamus Leonem haec gratis asserere potestatis suae extollendae gratiâ, omninò dicendum est, sensum horum verborum esse, indictionem huius Concilij, & congregationem placuisse Leoni, imò verò etiam à Leone fuisse petitam. Ita vt hic consensus necessarius quidem non fuerit Martiano pro Concilio indicendo; sed tamen ipsum satis permouerit, vt ad Concilij indictionem deueniret.

LX. Anastasius Imperator generalem Synodum & ipse conuocare statuerat; verène, an fictè, parum interest; vbi constat penes ipsum fuisse potestatem eam conuocandi. Sic enim ad Hormisdam scribit, *ante epist. Hormis. tom.* 2. *His igitur praefatis initiis hortamur, vt ad ea, quae de Scythiae partibus mota sunt, vnde & Concilium fieri conuenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas sanctae restituatur Ecclesiae.*] Mediatorem cupit Papam, vt in Concilio per ipsum Anastasium conuocando Papa laboret, vt vnitas Ecclesiae concilietur. Ac sanè Hormisda non reprehendit consilium Imperatoris, quòd Concilium indicere statuerit, non communicatâ re cum ipso, aut non expectatâ ipsius licentiâ; sed tantùm, antequam respondeat, sitne ipse venturus ad Concilium, necne, aut missurus Legatos, scire cupit causam, quae sit tractanda in Concilio. Sic enim respondet, *Hormis. epist.* 1. *Praeterea directis ad nos sacris affatibus, commemorationem sancti Concilij facere pietas vestra dignata est. De qua vt tunc plenissimam poteritis praebere responsum, dum causam congregationis nos volueritis euidenter agnoscere.*] Falluntur, qui putant, Papam his verbis suspendere, ne congregetur Concilium, nisi causâ ab eo cognitâ: namque Anastasius non proposuerat Papae, essetne congregandum Concilium, necne; sed significauerat, se quidem in animo habere Concilium conuocare, & ad ipsum Papam inuitabat; ad inuitationem respondet Hormisda, se responsurum, an sit venturus, cùm causam cognouerit, quam Imperator in Concilio tractandam esse statuerit. Ideoq; mox idem Imperator absolutè indicit Concilium, non expectato Papae con-

consensu; & illum etiam vocat ad Concilium, ita scribens, *inter epist. Hormis. post epist. 2.*

LXI. *Omnibus negotiis diuinæ res præponendæ sunt: Deo enim omnipotente propitio, Rempublicam & conseruandam, & meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quadam de orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter Clementiæ nostræ placuit, vt venerabilis Synodus in Heracleotana ciuitate prouinciæ Europæ celebretur.— Quapropter Sanctitas tua, cum quibus sibi placuerit Reuerendissimis Episcopis. — ad præfatam Heracleotanam ciuitatem, intra diem Kal. Iul. venire dignetur.*] Hæc est vera & propria indictio Concilij: per quam etiam autoritatiua euocatione submouetur Romanus Pontifex. Qui & laudat Imperatoris consilium, & conuocationi paret, mittens suos Legatos; & ita respondet Imperatori, *Hormis. epist. 3.* De iis verò, quæ pro Synodali congregatione præcepistis, quid fieri oporteat, per fratres, & Coëpiscopos meos, qui propere subsequentur, gloriæ vestræ insinuanda mandaui. Quorum suggestione, si diuinus fauor mea vota prosequitur, competentiùs poteritis vniuersa cognoscere.] Sed neque hîc intelligas cum Baronio *tom. 6. an. 515. num. 17.* mitti Legatos, non vt intersint Synodo, sed vt explorent, num res seriò agatur, quasi postea licentiam congregandi Concilij concessuri: Nam Legati in mandatis habuerunt, non vt viderent, essetne congregandum Concilium, necne; sed vt ante Concilij congregationem, iam in præcedentibus Conciliis statuta firma & stabilia esse censeantur, & declarentur: sic enim habet Indiculus, *inter epist. Hormisd. post. epist. 10.* Si dixerit inde, & ad Synodum inuitauit Sanctum Papam, vt si est aliquid ambiguum, tolleretur è medio, respondendum est. Agimus Deo gratias, & pietati vestræ, quia hunc vos affectum & animum habere cognoscimus, vt ea, quæ à Patribus constituta sunt, generalitas seruet: quia tunc vera & sancta vnitas potest esse inter Ecclesias Christi, si nos Deo iuuante, hoc quod præcessores vestri Martianus & Leo custodierunt, elegeritis esse seruandum. Si ille dixerit: & quæ sunt ista, quæ dicitis, respondete. Vt Synodus Chalcedonensis, & Epistolæ Sancti Papæ Leonis, quæ scriptæ sunt contra hæreticos Nestorium & Eutychem, & Dioscorum, nullatenus corrumpantur.] Et in literis, quas per Legatos dedit Hormisda ad Imperatorem, ita habetur; *epist. 4.*

LXII. Ergo quia mansuetudo vestra futuram Synodum, scriptis sacratissimis indicauit; cui nos interesse debere iisdem paginis, Deo, vt credimus, sibi imperante, commouit; Gaudemus, scientes, quoniam directarum mentium est venerabiles Ecclesiæ Magistros expetere. Soli enim declinant examen conscientiæ, qui vitæ sunt non continentes: nam & feriato ore splendorem bonæ voluntatis enuntiat, qui per Apostolicam immaculatamq; fidem, & per competentes prædicatores, aut confirmari se optat, aut corrigi. Veruntamen licèt in his nullum seculi præcedentis existat exemplum, neque senioris facti qualitas, aut commissa libris, aut memoriis inserta teneatur; nihil ad nos, quibus dulce est beneficio Dei pietate vestra inuitante inchoare meliora: & hoc, quod non accepimus à parentibus, tàm clari operis institutum, nobis ipsis imponere; quia totum pro reintegratione fidei Ecclesiarum pace facere libenter amplectimur: si tamen maiorum nostrorum definitio, & Sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat; si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, &c.] Hîc facilè quisque videt, Papam sibi nihil reseruare circa Concilij indictionem; imò ipsum iam pro indicto ab Hormisda teneri, qui se ad Concilium vocatum fatetur. Et quamuis se posse prætendere excusationem asserat, quòd nullum sit exemplum, quo personaliter Romani Pontifices ad Concilia Orientalia accedere sint coacti, nihilominus se ad hoc etiam inchoandum paratum esse profitetur; modò pax Ecclesiæ esset consequutura. Fatetur etiam, Imperatorem Deo solo, & non Romano Pontifice impellente, Synodum indixisse. Et in eo tantùm insistit, vt quæ sunt decisa in præcedentibus Conciliis, nô retractentur. Huius tamen Synodi congregatio tota euanuit.

LXIII. Quinta Synodus generalis Constantinopoli fuit per Iustinianum Imperatorem collecta. Iustinianus ipse in forma, quam eidem Synodo initio exhibuit legendam, vbi morem antiquum ipsius prædecessorum recensuit, qui præcedentes quatuor Oecumenicas Synodos congregarint, se quoque eorum vestigiis insistentem docet hanc Synodum conuocasse, *Quint. Syn. collat. 1.* Vocauimus vos, *inquit*, ad Regiam vrbem, hortantes communiter conuenientes, &c.] Actiones omnes eiusdem Synodi eiusmodi describuntur in actis principio: Post Consulatum, &c.— In Christo amantissima & Imperiali noua Roma Côstantinopoli; præsidente, &c. — Et à dextra quidem parte considentibus & coaudientibus, iuxta pium iussum Christi amantissimi, & à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani, sanctissimis & Dei amantissimis Episcopis, &c.] Et Nicephorus ita scripsit *lib. 17. c. 27.* Imperator Iustinianus sanctam quintam Oecumenicam Synodum, Episcopis Ecclesiarum omnium euocatis, coëgit.]

LXIV. Vigilij tamen Papæ Romani sententiæ, nempe necessariam esse Synodum generalem, Iustinianum acquieuisse, tradit ex cerebro suo, vt solet, Baronius, *tom. 7. an. 553. n. 20.* vt hoc pacto innuat, potiùs ad Vigilium, quàm ad Iustinianum huius Synodi conuocationem esse referendam. Iustinianus tamen in eâdem formâ de Vigilio ita scribit: Mandauimus illi etiam per nostros Iudices, & per quosdam ex vobis, vt vnà cum omnibus conueniret, & communiter disceptaret.] Et ex actis eiusdem Synodi planè apparet, Vigilium tunc quidem Constantinopoli degentem, nunquam Synodum ingressum, noluisseq; cum cæteris ad eam conuenire. Neque vllum dubium est, eam solâ Iustiniani autoritate indictam fuisse & congregatam.

LXV. Sexta Synodus generalis, quæ fuit tertia Constantinopolitana, contra monothelitas, congregata est iussu Constantini Pogonati; Cuius sacra ad Romanum Pontificem ita habet, *init. sext. Synod.* Postquam igitur tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam Beatitudinem, per præsentem nostram piam sacram, dirigere Viros vtiles, modestos, notitiam habêtes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, eiusq; Concilij, differentes & libros quos oportet proferri, & omnê autoritatem habentes, quatenus conuenientes, &c.] Addit & illud ex pia quadâ benignitate: Inuitare enim & rogare possumus ad omnem commêdationem, & vnitatem omnium Christianorum; necessitatem verò inferre nullatenus volumus.] Non dicit, *Non possumus*; sed, *Non volumus*: sciebat enim, se etiam posse, si velit, necessitatem inferre, & cogere. Idem etiam scribens postea ad Leonem II. de hac huius Synodi congregatione ita loquitur, *Epist. Leonis 2. tom. 2.* Christum imitantes, à quo sitmus corona redimiti, quiq; in seipso omnia Deo reconciliauit, ad pacem & concordiam adducere studemus nostram Christi amantissimam Rempublicam: præcipuè

apud verò nobis curæ est sanctarum Dei Ecclesiarum ordo, assiduèq; hoc prospicimus, vt vnitatem fidei cõciliemus.] Et post nonnulla: Non aliter igitur morbum Ecclesias opprimentem curare in animum induximus, quàm vt Dei Sacerdotes, & cultores, talium que curatores malorum, ad deliberationem & Concilia habenda hortaremur.]

LXVI. Obedit ei promptissimè Agatho Papa, ita rescribens, *epist.1.tom.2.epist.decr.Rom.Pont.ex act.4.sext. Syn. Ideoq; Christianissimi Domini filij, secundùm piissimam iussionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ, pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientia, quos dirigimus, præsentes consamulos nostros Abundantium, &c. curauimus demandare.*] Vide, Lector, an hæc verba Agathonis possint eò flecti, & illud pati, vt ipse Agatho dicatur Concilium hoc indicendum mandasse Imperatori; aut licentiam concessisse: vbi se Imperatori obedire in hoc profitetur. Quinimò & postea Leo Secundus, ad eundem Imperatorem scribens de reditu Legatorum: Cum personis, quæ, *inquit epistol.1.tom.2.* cum eis profectæ fuerant, quæ à Prædecessore meo Apostolicæ memoriæ Agathone Papa, per octauam indictionem pro causa fidei, vestrâ pietate iubente, illuc directæ fuerant, &c.] Iubebat ergo Imperator Papæ, vt veniret, vel mitteret ad Concilium. Item ad Episcopos Hispaniæ: Sciat, *inquit idem epist.2.* vestra sinceritas, & Christianis omnibus innotescant Dei omnipotentis mira magnalia: quia in Constantinopolitana Vrbe, Clementissimus noster, imò Beati Petri Apostoli filius, Imperator, armatus zelo Dei, ac desiderio pietatis accensus, Episcopis ex totius mundi partibus aggregatis, quod ex multo tempore fideliter cupiebat, dum censuit Maiestas superna, per nuper elapsam nouam indictionem expleuit.] Scio Baronium *tom.8. anno* 683. has Leonis Epistolas satis audacter respuisse: nos verò eas inferiùs confirmabimus.

LXVII. Quinisexta Synodus, ab altero Iustiniano Constantini Pogonati filio, & Imperatore, indicta fuit, & congregata Constantinopoli in Trullo, vt Patres ipsi in ea congregati, in oratione, quam canonibus præmiserunt, confitentur: Septimam Synodum à nostris repudiatam, planum est à Constantino Copronymo fuisse Constantinopolim conuocatam.]

LXVIII. Septima, quæ nunc vocatur *Synodus generalis*, secunda nimirum Nicæna, à Constantino & Irene conuocata fuit, & congregata: Ita enim habetur initio eiusdem Synodi: Conueniente sanctâ & œcumenicâ, hoc est, vniuersali Synodo, quæ per gratiam diuinam, piumq; illorum Imperatorum, sanctè orbem terrarum gubernantium, decretum, congregata est in c[...]tissima Nicensium Metropoli.] Hanc Synodum contra Iconomachos Tarasius, nuper creatus Episcopus Constantinopolitanus, impetrauit. Habemus ipsius dictum in literis Imperatoris, narrantibus eius renitentiam in Episcopatu accipiendo; quod est huiusmodi: Quandoquidem video, & considero, supra Petram Christum Deum nostrum fundatã Ecclesiam, nunc esse discissam, dissipatam, & ruptam, nos quoq; modò hoc, modò illud, diuersis loquentes, Orientis autem vnanimi fide præditos Christianos, nostros verò aliter animatos; cumq; illis consentientes Christianos Occidentis nos à diuerso in singulos dies ab omnibus illis anathematizari; vniuersalem Synodum postulo fieri, eorum omnium, qui tum ex omnibus locis gubernatoribus à Papa veteris Romæ, tum ab Orientis summis Sacerdotibus mitti possunt.] Subdit statim Imperator, de clero & populo loquens: Libenter hominem acceperunt; postulantes simul nostram pacificam & piam dominationem, vt Synodum Vniuersalem indiceremus. Huic igitur petitioni annuere tum visum est, meoq; nutu iussi conuenire: imò vt veriùs loquar, Deo sic volente, nobis verò præeuntibus, congregaui vos.] Audis Imperatorem rogatum quidem, sed tamen proprio nutu, & annuisse petitioni, & iussisse, vt Concilium congregaretur. Ad hanc Synodum vocatus fuit ab Imperatore etiam Hadrianus Romanus Pontifex, *apud Anastas. Biblioth. in proœm. sept. Syn.* Rogamus, *inquit*, vestram paternam beatitudinem, imò verò Dominus rogat, qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt det seipsum, nec tarditatem faciat, & ascendat huc, &c.] Qui misit Legatos.

LXIX. Impedita tamen [*Baron. tom.9. an.786.*] ac dissoluta & dissipata fuit initio Synodus hæc, zelo quodam Iconoclastarum; & ab Imperatrice Irene & filio eius Constantino in aliud tempus dilata, sequentiq; anno iterum iussu eorundem conuocata: Attamẽ, *inquit Tarasius sept. Syn. init.* Clementissimi nostri Imperatores, qui à DEO gubernacula mundi acceperunt, cùm rectæ fidei acerrimi propugnatores essent, malæ verò & minùs sinceræ impugnatores, non potuerunt somnum dare oculis suis, nec palpebris dormitationẽ, donec Dei tabernaculum, hoc est, illius Ecclesiam in vnitatem reduxerint, & pacificum conuentum eidem induxerint; quâ de causâ consilio & diuinâ voluntate rursus in idem illud, quod agebatur, nos congregauerunt.] Et rursus Hadriano scribens, *apud Anast. & Baro. tom.9. an.787. n.82.* cõgregatos fuisse asserit per zelum & iussionem Imperatorem. Hic etiam adeò clarè & manifestè patet, solâ & simplici Imperiali iussione fuisse hoc Concilium cõgregatum, vt nullâ ratione possit ipsius conuocatio ad Hadrianum seu Tarasium reduci autorem. Quale verò fuerit hoc Concilium, *libro* 7. discutiam.

LXX. Octaua demum Synodus Generalis, & ipsa à Basilio Imperatore fuit Constãtinopoli congregata. Sic enim ipse loquitur, *Append. post oct. Syn. init.* Siquidẽ munito diuinitus Imperio nostro, semper hoc desiderium gerente, ac ab aliis Patriarchalibus sedibus Vicarios adducere, propter iam dictam causam iudicante, cooperatus est intentioni gubernari diuinitus Imperij nostri, solus infinitæ potentiæ Rex, &c.] Et Hadrianus Papa ad eundem Basilium ita scribit *Oct. Syn. init.* Volumus per vestræ pietatis industriam, Constãtinopoli numerosum celebrare Concilium.] Vult Papa Concilium haberi, sed per industriam Basilij, Concilium nimirum conuocantis & congregantis. Hæc de maioribus Conciliis. In quibus ferè omnibus iudices semper fuerunt laici ab Imperatoribus deputati, qui contentiones dirimerent, & sententiis interlocutoriis totum Concilium, amotâ omni confusione, moderarentur. Nunc venio ad Concilia minora.

LXXI. Agathense Concilium ex permissu Regis fuit congregatum.

Concilium Aurelianẽse primum à Clodoueo Rege congregatum fuit. Id ipsimet Patres illius Concilij affirmant, Regem sic alloquentes, *Concil. Aurel.1. init.* Quia tanta ad religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, vt Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos, in vnum colligi iusseritis, secundùm vestræ voluntatis consultationem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visa sunt, definitione respondimus.] Idem Clodouëus cõgregauit Concilium Clypiacense, *Aimoin. lib.4. c.41.* Aurelianense verò secundum præceptionem gloriosissimorum Regum conuenit. Quintum etiã, & quoddã Parisiense, à Childeberto Rege fuerũt conuocata.

Arvernense, de Regis Theodeberti consensu factum est.

Turonica Synodus secunda, & ipsa iuxta conniventiam gloriosissimi Domini Chariberti, siue Arithberti Regis in vnum conuenit.

Sigismundus Burgundionum Rex Concilium Epaonense congregauit, *apud Baron.tom.6.an.509.n.13.*

In Lucensi Vrbe in Hispania, Rex Galliciæ Theodomirus iussit Concilium congregari, *Baron.tom.7.an.572.n.11.*

Toletanum tertium à Rege Reccaredo coactum fuit, vt acta ipsa tam initio, quàm in fine testantur.

Matisconense primum & secundum ex euocatione Guntramni Regis coiit, vt acta ipsa testantur. Tertium verò à Rege Clothario fuit indictum, *Baron.tom.8.an.617.n.8.9.*

Pictauiense Concilium collegit Childebertus Rex, *Greg.Turon.hist.lib.10.c.11.*

Valentinum secundum, ad imperium Gutramni Regis; tertium à Lothario Imperatore fuit congregatum.

Toletanum Quartum studio & diligentia Sicennandi, siue Sisebutti Regis: Quintum verò & sextum Shintillani collectum fuit.

Bracarense primum & secundum ex præcepto Ariamiri Regis coiit.

Toletanum septimum Chindasuindo Regi maximè debetur. Octauum verò & decimum ex præcepto Recesuinthi Regis fuit congregatum.

Clodouæus Cabilonense Concilium collegit.

Toletanum vndecimum, & Bracarense tertium, vt in eius fine habetur, Vuambanus seu Bamba Rex conuocauit. Toletanum verò duodecimum & decimumtertium ab Eringio Rege fuit congregatum.

Carolomannus Synodū Francicam collegit. Childericus Suessionensem; Pipinus Vernensem haberi mandauerunt.

Francfordiense, *init.Concil.Paris.* Arelatense quartum, Turonense tertium, Cabilonense secundum; Moguntinum, Rhemense; à Carolo Magno Imperatore sunt congregata, vt in Tomis Conciliorum, & apud Baronium *tom.9.an.813.n.16.* est manifestum, imò in initio Rhemēsis conuentus expressè dicitur, ipsum fuisse à Domino Carolo, piissimo Cæsare, more priscorum Imperatorum congregatum. Baronius tamen *to.9.an.770.n.30.* vt solet, somniat, autoritate Romani Pontificis id fecisse.

Ludouicus Pius Aquisgrani tres collegit Synodos, einsq; iussu quatuor aliæ sunt congregatæ Parisiis, *Concil.Paris.init.* Moguntiæ, Lugduni, Tolosæ.

In Oriente Michaël Balbus Imperator Constantinopoli iussit Synodum amplam conuenire, *Baron.tomo 9.n.821.n.51.52.*

In Meldensi Concilio, *c.32.* huiusmodi ponitur canon: Vt Principes iuxta decreta canonum, per singulas prouincias, saltem bis aut semel in anno, à Metropolitanis & diœcesanis Episcopis Synodicè conuenire concedant.]

Episcopis iuxta canonem Synodum celebrare volentibus, innuit Rex Carolus Ludouici filius, eosque apud Vrbem Suessionem, in Monasterio S.Medardi, & Sebastiani, conuenire præcepit.] Hæc verba habentur initio eiusdem Synodi.

Ludouicus alter Vormatiense Concilium congregauit.

Coloniensem Synodum Episcopi illi celebrare non audent, sine consensu Caroli Crassi. Carolus verò Caluus apud Carisiacum Synodum & ipse voluit celebrari, *Baron.tom.10.an.856.n.11.*

Rothaldus Episcopus Suessionensis ad Nicolaum Primum ita scribit, *inter epistol. Nicol.post epistol.3.tom.3.* Dumq; ad Synodum, iussu Gloriosi Regis Caroli, pro vtilitate S.Dei Ecclesiæ conuocatam, Episcopi conuenissemus, &c.]

Ludouicus Rex Germaniæ, Episcopos ad Rhemēsem conuocauit Synodum. *Baron.to.10.an.858.n.21.*

Fridericus Imperator & ipse in schismate Romano conuocat bis Concilium, & Papæ celebrat: sed nimium renitentem, & in hoc ipso eum acriter obiurgantem, sensit Alexandrum. *Radeuic.lib.2.c.54.62.* Iam enim Monarchia Romana cornua apertè erigebat.

Emmanuel Comenus Synodum Constantinopolim conuocauit. *Villelm.tyr.apud Baron.tom 12.an.1180.*

Carolus deniq; Quintus quatuor magni nominis Synodos iussit in Germania celebrari, Augustensem, Treuerensem, Coloniensem, & Moguntinam. Quarum prima habet Actorum suorum tale exordium: Reuerendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps & Dominus, D.Otho, S.R.E. tit. S. Balbinæ presbyter, Cardin. & Episcopus Augustanus, memor communis Ecclesiasticorum Sacri Rom. Imperij Statuum consensus, Inuictissimo & Potentissimo Principi & Domino D.Carolo V. Romanorum Imperatori Maximo, in proximis Comitiis Augustanis, de reformandis cleri & populi moribus, deformitatibusq; Ecclesiarum tollendis, præstiti, etsi calamitatum superiorum reliquiis sanandis apprimè distractus, summo tamen studio atq; labore annisus est, vt & Cæsareæ Maiestati, cui hanc Synodorum congregandarum facultatem Germanorum Ecclesiæ, veluti olim Constantino Imperatori totius ferè orbis, acceptam ferunt, satisfaceret; & quod muneris sui esset, pro viribus adimpleret, &c.] Confessio hæc potentissimæ veritatis, in ore vnius Cardinalis nostrorum fermè temporum, mihi videtur nobilissima; nimiū, Imperatoribus facultatem conuocādorum Conciliorum, sicut olim Constantino, nunc etiam acceptam ferendam: & eos ex proprio munere Concilia congregare. Quid Patres?

LXXII. Conciliorum conuocandorum autoritatem propriam fuisse Imperatorum, & agnoscit, & testatur Hieronymus. Is enim, vt explodat figmentum quoddam Ruffini, qui dixerat, Hilarium tanquam hæreticum, propter quendam libellum ipsius, hæreses docentem, in Synodo fuisse excommunicatum; insurgit contra ipsum, ita scribens, *Apolog.ad. Ruff.lib.2.* Et tantæ authoritatis se putat, vt, cùm hoc familiaribus suis narrat somnium, nemo ei contra confessorem ista simulanti, audeat contradicere. Responde quæso: Synodus, à qua excommunicatus est, in qua *Vrbe* fuit? Dic Episcoporum vocabula: profer sententias, subscriptionum vel diuersitatem, vel consonantiam, doce, qui eo anno Consules fuerint, quis Imperator hanc Synodum iusserit congregari.] Supponit itaque Hieronymus, Synodum conuenire non posse, aut saltem non solere, nisi Imperatores iussernit eam congregari. Et Leo ad Theodosium Augustum illud scribit, *Epist.35.* Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei, atque Patrum autoritate dissentiant, Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus, quę ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, Clementia vestra concedat.]

LXXIII. Ad rem nostram plurimum etiam facit supplex libellus quorundam Episcoporum, quos Romani tunc schismaticos vocauerunt, ad Mauritium Imperatorem, nuperè à Baronio *tom.8.an.590.n.40.* in lucem editus; in quo Episcopi illi sic Mauritium ad Romanam Synodum eos accedere cogentē, compellant: Ergo mitissime dominator, totius Cōcilij nostræ

paru-

paruitatis hæc est deliberatio, sicut & eidem Patri, & Archiepiscopo nostro (*Aquilegiensi*) scripsimus, vt pro reddenda ratione communionis nostræ, contenti Dei iudicio, in iugo barbarico, opportuno tempore ad vestræ pietatis vestigia occurramus, habentes præ oculis exempla fidelia, quibus edocti sumus, cum omnes contentiones sopitæ sunt. Sic Theodosij senioris Constantinopolitana Synodus, Deo propitiante, sedatis est scandalis confirmata: Sic deinde Ephesina I. Synodus Diuæ mem. Theodosio iuniore disponente, bene noscitur definita; sic ad postremũ præsentia Martiani Diui Principis, abscissis omnib. scandalis pax Catholica in Chalcedonensi Concilio reformata est. Nam per absentiam Christianissimorum Principum, in Ephesina II. Episcoporum cõgregatione, à Dioscoro Alexandrino, Flauianus Sanctissimus Regiæ Vrbis vestræ Episcopus, veritatem Catholicæ fidei defendens, occisus est; aliique Episcopi assertores Orthodoxæ fidei, iniuste deiecti sunt, & scandalum Ecclesiæ pessimum generatum est: quod cum magno labore postea diuæ memoriæ Martianus Imperator Auus vestræ pietatis, suæ præsentiæ in sancto Chalcedonensi Concilio antiputans, Catholicam pacem vniuersalis Ecclesiæ restaurauit.] Et post pauca: Siue induciæ, & cum iussione sacratissimi Imperij vestri, parati erimus ad pedes vestræ pietatis occurrere, & nostræ fidei atque communionis plenam reddere rationem. Nam cum quo nobis ipsa caussa est, & quem in communione vitamus, iudicem experiri non possumus: quod etiam sacratissimis legibus vestris statutum est, nullum posse iudicem esse in caussa, qua aduersarius comprobatur. Sed sicut semper Deus præsentia Christianorum Principum contentiones Ecclesiasticas sedare dignatur, hoc & nunc fieri supplicamus.]

LXXIV. Agnoscant hi Episcopi, quicunque illi sint, certe hæretici non sunt, nec contra communem Ecclesiæ sensum nouas excogitarent falsitates, quibus facile Catholicus quisq; posset errorem obiicere, agnoscunt, inquam, & fatentur Principum authoritate prisca Concilia congregata fuisse, atque in iis præcipuos moderatores Episcoporum, & actorum Conciliarium, vt Orthodoxa stabiliretur doctrina, ipsosmet fuisse Imperatores, ex quorum absentia, Ephesinam prædatoriam Synodum in errores turpissimos lapsam esse, fortasse nec immerito, censuerunt. Vt propterea præsentiam Principis in eorum caussis discutiendis summopere necessariam sibi esse sint arbitrati.

LXXV. *Separauerant se hi Episcopi Istriani, cum multis aliis, à Romana Ecclesia,* occasione trium capitulorum in quinta Synodo damnatorum; timentes ne si & ipsi ea damnarẽt, id in præiudicium Concilij Chalcedonensis facerent: atque vt reducerentur ad vnionem cum Romana Ecclesia, Mauritius Romanam Synodum à Gregorio congregari voluit. Gregorius igitur Episcopos hos Istrianos ad Synodum vocauerat: *lib. 1. ep. 16.* sed eorum audita legitima excusatione Mauritius iterum scripsit ad Gregorium in hæc verba: *apud Baron. tom. 8. an. 59. n. 44.* Quia igitur & tua Sanctitas cognoscit præsentem rerum Italicarum confusionem, & quod oportet temporibus competẽter versari; iubemus tuam sanctitatem nullatenus molestiam eisdẽ Episcopis inferre; sed concedere eos ociosos esse, quousque per prouidentiam Dei, & partes Italiæ pace aliter constituantur, & cæteri Episcopi Istriæ seu Venetiarum, iterum ad pristinum ordinem redigantur. Tunc enim perfectius omnia pro pace & diuersitate dogmatis cum antecedẽtibus tuis orationibus corrigentur.]

LXXVI. Vides Imperatoris authoritatem: Iubet Romanum Pont. Synodum congregare. Episcopos ad Synodum per Romanum Pont. vocatos se excusantes audit, & exaudit, liberatq; ne ad Synodum conuenirẽt & consequenter disturbat Synodum: non rogat, sed iubet Gregorium, ne molestiam eisdem Episcopis inferat: Gregorius humiliter paret, neque reclamat, neq; reluctatur, neque conqueritur: & Baronius nimium audax, in Principes præsertim pios & Catholicos, acuis linguã tanquam serpentis, vt Hieromonarchiam priscis incognitam, siue per fas, siue per nefas, tuetur. Dicitque Mauritium Imperatorem præter consuetudinem plurium Augustorum, arrogansi fastu, non rogare, sed præcipere Pontifici; & id quidem minime iure Imperatorio, sed tyrannico eum facere consueuisse.] Quæ est Baronij mera calumnia: nam Mauritium iam in præcedentibus satis defendimus cap. 4. num. 34. & et Gregorium sponte ac libenter se subiecisse docuimus. Miror equidem Principes Christianos tantam etiam charitis consignatam Maiestatis diminutionem pati: miror eos libere voluntatem hominis importuni tolerare audaciam, qui Principes valde pios & Catholicos, diris exagitat modis; & in eos falsa ac improba impune iactat conuicia, ex eo tantum, quod illi, iure suo vtentes, Romanos sibi subiectos esse voluerint Pontifices; quos Christus ipse in temporalibus eis subiecit, & suo modo etiam in spiritualibus; vt hactenus explicatum est, & explicabitur adhuc melius in sequentibus.

LXXVII. In Octaua Synodo Generali, Elias Presbyter Legatus Patriarchæ Hierosolymitani apertis verbis pronunciat, *Oct. Syn. gen. act. 5.* Omnes præteritis annis ab Imperatoribus Synodos esse coactas.] Et Concilium quoddam Carthaginense fatetur similiter contra hæreses, Concilia venerabilium Pontificum, per sacras Christianissimorum Principum iussiones congregata fuisse, *apud Concil. Lateran. sub Mart. secret. 2.* Theodorus Studita, viz ante octingẽtos annos in Ecclesia alicuius nominis docens, quo pacto posset pax inter Catholicos & hæreticos conciliari, eam securam ait, *Theod. Stud. apud Baron. tom. 9. an. 823. num. 14.* Si excedant Ecclesiis Dei heterodoxi, & propriam sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conuentu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, vt ab aliis Patriarchis adsint Vicarij: (quod certe fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui (*nempe Imperatori*) & potestas summa defertur Synodi œcumenicæ) attamen pacem conficiet, &c.] Fatetur Theodorus in potestate esse Imperatoris si velit cogere Occidentalem Patriarcham, procul dubio Romanum, vt intersit Synodo. Quamuis in rerum tractatione, ac iudiciis Ecclesiasticis, nihil amplius relinquat Imperatori idem author potestatis, quam in hoc maximam tribuit Pontifici Romano. Et Patres Concilij Parisiensis, sine licentia Ludouici. & Lotharij Imperatorum, non audent Concilia celebrare quotannis, vt canones præscribunt: Cum sacri, inquiunt, *lib. 1. cap. 15.* canones bis in anno Concilia celebrari iubeant, obnixe à vestra pietate deposcimus, vt saltem vel semel in anno, libertas opportuni temporis concedatur.] Cusani Cardinalis demum confessio, hæc est; *de Concord. Cathol. l. 3. c. 13.* Ex superioribus habetur, Imperatores sanctos Congregationes Synodales Vniuersalium Conciliorũ totius Ecclesiæ semper fecisse. Ita ego perlustrans gesta omnium Vniuersalium Conciliorum vsq; ad octauum inclusiue Basilij tempore celebratum, verũ esse reperi.] Idque toto illo capite per plura exempla probat.

LXXVIII. Non sola indictio & conuocatio Conciliorum, sed etiam dimissio ad Principes ipsos spectauit, ita vt neque Concilium dissoluere, neq; ad propria se meare possint Episcopi, nisi dimissione habita à Principe, qui eos conuocauit. Patrum Concilij Ephesini

illæ sunt voces in literis ad Constantinopolitanos scriptis, *Act. Concil. Ephes.* Hæc itaque obsecrare pientissimum, ac Deo dilectissimum Imperatorem de omnibus certiorem facite, totius Synodi nomine supplicantes, vt ij nobis restituantur, qui nullo modo sunt à Canonibus condemnati, sanctissimi videlicet, ac Deo dilectissimi Episcopi, Cyrillus & Memnon. Tum vt nostri misertus primo quoque tempore ex hoc ergastulo clementer nos liberet; & si quidem digni sumus, qui pientissimi, Christique amantissimi Imperatoris faciem videamus, hanc ille nobis gratiam faciat: Si vero indigni iudicamur, quibus hoc concedatur, saltem bona venia ad Ecclesias nostras redire nos sinat, ne hic vniuersi alij morbis, alij mœstitia consumpti pereamus.] Et ad ipsum Imperatorem, *apud Baron. tom. 5. an. 441. num. 103.* Quia ergo negotium, *inquiunt*, finem accepit optabilem, vestræ potentiæ & vniuersis Ecclesiis cautelam præbentem, & fidei firmitatem, supplicamus vestræ pietati, iam nos à solicitudine requiescere, & habitatione peregrina, alios quidem paupertate constrictos, alios autem languore depressos, alios vero senectute grauiter incuruatos, & in peregrinatione habitaculum ferre amplius non valentes, ita vt etiam quidam ex nobis Episcopi & Clerici morerentur, vt tandem requiescentes à tali solicitudine curam Ecclesiæ magnæ ciuitatis habeamos.] Episcopi etiam in Concilio Ariminensi, iussu Constantij congregati, Concilij solutionem, & ad suas Ecclesias reditum ab ipso Imperatore requisierant, *Theod. lib. 2. c. 19. 20.* neque ante obtentam ab eo facultatem discedere potuerant: eorum preces ad Imperatorem tales fuerunt: Iterum te nostris supplicationibus conuenimus, vt iubeas Episcopos peregre commorantes, quos & grauitas ætatis, & paupertas affligit, quam facillime in patriam deduci. *Athanas. de Synod.*] Et in Concilio Chalcedonensi, *in fine sextæ Actionis*, Episcopi sic rogant Imperatorem: Hæc sancta te custodiat, supplicamus, dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos.] Quibus respondet Martianus: Multum quidem ellis tenere fatigati, laborem perferentes; veruntamen sustinete tres adhuc, aut quatuor dies, & præsentibus magnificentissimis nostris iudicibus, quæcunque vultis mouere, competens adepturi solatium. Nullus vestrum antequam perfecti termini ex omnibus proferantur, à sancto Concilio discedat.] Et ad finem Concilij omnes rursus exclamant ad iudices: *ibid. act. 16.* Quæ constituta sunt valeant. Hæc iusta sententia. Omnia ordinate decreta sunt: supplicamus, dimitte nos, Per salutem Imperatorum dimitte nos.] Planum ergo est dimissionem quoque Concilij ad Imperatorem pertinuisse. Nunc proponamus & soluamus obiectiones circa Principum authoritatem in Conciliis indicendis.

LXXIX. Nihil magis inculcat ac repetit Baronius, quam Canonem quendam, quem vocat Ecclesiasticum; qui in tabulis Ecclesiasticis nullis apparet; neque vnquam à quoquam visum inter vllius Concilij canones, aut legimus, aut scimus: à solis Socrate & Sozomeno idque obiter, relatum inuenimus: *Socrat. lib. 2. cap. 13. & Sozom. lib. 3. cap. 9.* quo vetitum fuisse asserunt, ne decreta, absque sententia Episcopi Romani, Ecclesiis sanciantur. Ex hoc canone, quem neque Socrates, & Sozomenus ipsi ex se adducunt, sed referunt duntaxat, Iulium Papam aliquando Synodum quandam Antiochenam, hoc etiam nomine, vt nullam, arguisse, quod ipse ad eam vocatus non fuisset; siquidem canonem esse Ecclesiasticum asserebat Iulius, vetantem, ne decreta, absque sententia Episcopi Romani, sanciantur: ex hoc, inquam, canone Baronius Syluestrum Nicænæ Synodi *tom. 3. an. 325. num. 13.* & Constantinopolitanæ primæ Damasum facit conuocatores. *to. 4. an 381. n. 20.* Quod religio, *inquit*, esset, absq; Rom. Pontific. autoritate vniuersale Conciliũ congregare.] Et tamen canon hic, si cuius fidei sit, & authoritatis, & ipse nihil prorsus continet, quod ad Conciliorum spectet conuocationem. Ad summum enim habet, nullum Conciliũ generale fieri, ad q; Rom. etiam Pontifex non sit vocandus; & in Conciliis nihil statui, nihil definiri, nihil decerni debere, nisi sedes etiam Apostolica suum præbeat consensum, & confirmationem. Vnde & Sozomenus ait, Iulium incusasse Antiochenos illos Episcopos, *Soz. l. 3. c. 9.* quod clam, contra fidem Concilij Nicæni, nouas res moliti fuerant; quodque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant.] Non queritur, quod eo inscio Concilium conuocarint; sed quod ipsum ad Concilium non vocarint. Pergit vero Sozomenus referre Iulij obiectiones: nam legem esse (*dicebat scil. Iulius*) ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.] Hic nihil de cõuocatione. Ipsa tamen Iulij verba, Iulij sensum, & canonem ab eo Antiochenis obiectum, egregie explicabũt, vbi enim cõquestus est, Athanasio, & Marcello, & pluribus alijs, graues fuisse iniurias irrogatas; O dilecti, *inquit, apud Athan. apolog. 2.* non iam vlterius Ecclesiæ iudicia, secundum Euangelium; sed vel ad exilium, vel ad mortem instituuntur. Nam si, vt dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundũ canonem, & non isto modo, iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustũ esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & nõ vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli, suamet opera, ad fidem instruxerant. Cur igitur & inprimis de Alexandrina ciuitate nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis hanc cõsuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri posset? quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nũc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam iam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt.] Quid hic, obsecro, de conciliorum conuocatione, per Romanum solum Pontificem facienda habemus? Canon, & consuetudo à Iulio proponitur, vt in grauioribus Orientalis Ecclesia certiorem faciat & consulat Occidentalem: & vt eiusdem occidẽtalis Ecclesiæ (non solius Papæ) definitio prius habeatur Oportuit, *inquit*, secundum canonem, omnibus nobis scribere. Includit igitur Iulius reliquos etiam Occidentis Episcopos; sine quorum consensu, & consilio, non quidem debeant Concilia indici & conuocari: sed non debeant grauiora in Conciliis definiri. Imo pauciora dicit Iulius (nisi aliam quoque hac de re scripserit ad Antiochenum Concilium, epistolam, quæ non extet) quam referant Socrates & Sozomenus: nihil enim de inualiditate actorũ in his Iulij verbis habemus. Sed de hoc canone, & de hac lege nonnihil inferius nu. 98. & de authoritate sedis Apostolicæ in Conciliaribus decretis & definitionib. erit mihi exacte libro sequenti disputandum.

LXXX. Collectio Gratiani, quæ est sagena de omni genere piscium congregans, *Matth. 13. 47.* neque secernens bonos à malis; habet huiusmodi canonem, ex Marcello desumptum: *Dist. 17. c. Synodum* Synodum Episcoporum, absque huius sanctæ sedis authoritate (quanquam quosdam Episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere.] Non considerauit tamen collector, Marcellum hunc esse Apocryphum, nulliusque fidei, & authoritatis; quod etiam fa-

tetur

tetur & probat Baronius, *tom.3. an.308. num.24.* qui propterea huiusmodi noluit vti authoritate.] Sed etsi dictum hoc admittamus, sensum habebit eundem, quem modo exposuimus, non licere conciliaria statuta promere, sine sedis Apostolicæ consensu. Quem sensum habet etiam dictum Iulij, apud eundem Gratianum *3. quæst. 9. can. Dudum.* Et poteras ex Iulio Apocrypho illud etiam referre: *Iulius epist. 1. part. 1. epist. Decret. Roman. Pontif.* Ipsi vero primæ sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio Euangelicis & Apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis.] Hanc tamen Epistolam sciolus aliquis Papicola composuit, & Iulio appinxit satis profecto frigide & insulse. Nam neque in Euangelicis, neque in canonicis institutis quicquam habetur, ex quo soli Romanæ Ecclesiæ Conciliorum generalium conuocatio debeatur: & nos contrarium iam probauimus. Has vero epistolas Iulij Baronius quoque reiicit, *tom.3. an.341. n.54.59.*

LXXXI. Adducunt pro se nostri acta quartæ Romanæ Synodi sub Symmacho & Theodorico; quam licet Theodoricus ipse Rex *Theod. lect. collect. lib.2.* congregauerit, opposuerunt tamen Episcopi congregati, *Sym. Rom.4. sub Sym.* ipsum Symmachum Papam, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare; scientes quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta iussione Domini, Conciliorum venerandorum authoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.] Hac obiectione audita, quid responderit Rex, habetur in actis hoc pacto: Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo, voluntatem suam literis demonstrasse significauit: Vnde à mansuetudine eius paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat, hasque dati Sacerdotibus sine tarditate constituit.] Ecce, *inquiunt*, Episcopi non admittunt conuocationem Synodi à Rege factam, tanquam legitimam: imo expresse asserunt, ad Romanam sedem spectare ius conciliorum. Et Rex concedens, docet se de licentia Papæ, & ex ipsius expressa proprijs ipsius literis commissione, Synodum conuocasse.] Respondeo Italicos tantum aliquot Episcopos in ea Synodo fuisse congregatos, Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiarum, vt in iisdem actis constat. Hi igitur suum Romanum Patriarcham iam monarchiam affectantem, libenter extollebant: eorum vero authoritate non mouemur, nisi quæ dicunt etiam probarint. Petri adducunt primatum; ex quo tamen nihil habent, vnde hoc inferant, vt fuse ostendi in libris præcedentibus. Canones Conciliorum id ita iussu Domini, statuisse dicunt: Nos nisi canones hos, & hanc Domini iussionem viderimus, eis plenam fidem adhibere non possumus. Scimus vero in Romana præsertim Itala Ecclesia iamdiu fuisse, etiam à temporibus Iulij, vt paulo ante tradidi, qui iactarent, hanc ei competere potestatem: quid mirum igitur si Episcopi Itali, & fortasse magna pars Occidentis eam imbuti opinione, talia obtrudant, ac profiteantur? De Rege merito forte quis miretur, quod propriam non exercuerit potestatem: Cum tamen ipse Rex tantum esset, & non Romanorum Imperator: & nouus in ea potestate, non ita mirum si vel suam potestatem non agnouerit; vel ea vti ad modum Imperatorum, noluerit: sed potius sibi Rom. Pont. ac alios Episcopos demereri sategerit; si forte eorum ope ascendere posset ad Imperium. Sed & illa erat Synodus prouincialis, non generalis. Scimus etiam *Ennod. in Apologet. & nos lib. 4. cap. 8. num. 58.* Clerum ipsum Romanum Symmachi aduersarium, his Episcopis postea obiecisse, eos perperam Regiæ iussioni fuisse refragatos; ac immerito Regi potestate absolutam Conciliorum conuocandorum negasse.

LXXXII. Simile quiddam exaggerat Baronius de Ludouico Imperatore, quod de rebus fidei tractationem à Viris doctis institui ex se iubere non sit ausus, nisi petita per legatos, & obtenta facultate ab Eugenio Secundo Romano Pontifice: Verba Legatorum ad suum Regem scribentium profert illa: *tom. 9. ann. 824. num. 33. 34.* Aperuit nobis Dominus ostium, iuxta optatum vobis desiderium, vt licentia vobis ab eadem tribueretur authoritate, tantæ rei cum vestris quærendi familiariter veritatem. Vt quoniam inerat vobis voluntas consulendi, & deerat authoritas quærendi, eius authoritate quæreretis veritatem, cuius authoritas deuiare videbatur ab ipsa veritate.] Adducunt etiam Ludouicum suis literis profitentem, se petiisse licentiam à Papa, & obtinuisse, vt liceret ei congregare Sacerdotes, & in doctorum conuentu tractare de rebus Ecclesiasticis: ex quibus colligit Baronius, non solum non licere Imperatoribus Synodos celebrare, inconsulta Apostolica sede; sed nec inter suos familiariter de his disputare, quæ spectant ad fidem Catholicam, & Ecclesiasticam disciplinam; nisi impetrata ab ipso Romano Pontifice licentia; & impertita ab ipso authoritate.] Hæc Baronius.

Non possum hic hominis non demirari inconsultam leuitatem, ne dicam vanitatem, qui Romani Pontificis supremam in conuocandis Conciliis & rebus fidei tractandis potestatem huic Ludouici exemplo superstruere nixus, statim tamen ipsemet totum huius exempli destruere conatur & demoliri fundamentũ; quo sublato non viderit totam ipsius, quam superstruxerat molem, corruere. Nam Synodum Parisiensem nuper editam, in qua sola habentur ea quæ protulit de Ludouico, confictam, fide cassam, ac plenam mendaciis esse ipse & censet, & contendit, *Baron. ibid. an. 825.* Luditque eam in lucem absque luce prodiisse. Docet quoque collatores illos, & Ludouici consultores, confecisse literas, quas & ipsum tum ad Papam, tum ad Græcos in Orientem, pro concilianda pace in dissensione de vsu sacrarum imaginum; & Papam similiter ad eosdem Græcos scribere volebant: eosdemque collatores expresse facit Iconomachos. Sicut ergo vti non posset exemplo illarũ literarum, quas illi à Papa volebant scribi in Orientem, tanquam iure à Papa scriptarum, quia ex illis colligeremus imagines non esse colendas; cur vtitur exemplo literarum ab illis iisdem confecto, tanquam genuinę essent literę Ludouici, & vere ad Papam missæ, si nihil constat, admiseritne eas Ludouicus, necne? sit ne vsus illorum consilio, necne? Cur Legatorum rescripta producit, si omnino illa acta apud ipsum male sonent, & figmentum oleant?

LXXXIV. Esto, admittantur acta vt vera, & literæ vt admissæ à Ludouico, & scriptæ ad Pontificem: Verum sit, Legatos Ludouici à Papa licentiam illam petiisse, & impetrasse; Respondeo Collatores illos optime cognouisse, ipsorum sententiam in collatione tractandam & confirmandam, fuisse omnino aduersam sententiæ Romanæ Ecclesiæ, quam in hoc errare putabant; quamque in ipsorum sententiam inducere sensim satagebant: & ideo petere licentiam à Papa, nihil aliud fuit, quam persuadere ei, nondum esse adeo clarum & decisum illud negotium, quin de de eo dubitari possit, & vlterius inquiri, ac perfici: eoque reducere Papam, vt præstito in hoc suo consensu de quæstione hac retractanda, si adoratio imaginum illicita esse concluderetur, ipse etiam illicitam esse consentiret: quo eius cõsensu habito, simul omnes, authore Ludouico Imperatore, Orientales Ecclesias inter se, & cum Occidentalibus pacificarent. Ideoq; dicebant Regi; vt eius authoritate (*Romani Pontificis*) quære-

quæreretis veritatem; cuius authoritas deuiare videbatur ab ipsa veritate.] Et quia hoc erat maximum impedimentum, ne possent concludere, tollendam esse imaginum adorationem, si Papa resisteret; fuit eis omnino tentandum, vt suam opinionem in mentem Pontificis insinuarent. Quorsum enim Legatos mitteret Romam Rex, si solam licentiam vellet conferendi cum doctis: nam & quis hoc impedit? & si impediret scrupulus aliquis, per solas literas poterat facillime auferri.

LXXXV. Pelagius secundus nobis quoque obiicitur, vbi is vel illa apocrypha, vel suum proprium affectum, vel vtrumque secutus, in Ioannem Constantinopolitanum, qui se Oecumenicum cœperat vocare, plus æquo commotus, ita ad Orientales Episcopos scribit: *epist.* 1. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem; cum generalium Synodorum conuocandi authoritas Apostolicæ Sedi, Beati Petri singulari priuilegio sit tradita: & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta.] Et statim magnis verborum ampullis turgens, cassat & annullat, quicquid illi in quadam Synodo Constantinopoli factitarant. Quod si quis ab eo quærat: In qua potestate hæc facis? Ad Christi dictum se recipit: *Quodcunque ligaueris*, &c. Quasi vero conuocare Concilia sit ligare, vel soluere: aut solus Petrus habuerit hanc ligandi potestatem, & non etiam cæteri Apostoli, & consequenter Episcopi omnes, vt fuse libro primo probaui: sicut & in præcedentibus libris secundo & quinto iam docui, non minus Petro succedere alios Episcopos, quàm Romanum: & Romanum Pontificem parum admodum supra alios Episcopos habere specialis cum Petro communicationis: vt immerito toties passim glorientur Romani Pontifices, se solos esse Petri successores. Addit vero Pelagius: Multis denuo Apostolicis, & canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.] Hæc tamen possunt cum Iuliano illo canone ad bonum sensum duci. Licet tam quæ supra dicit, quam quæ hic addit, affectata nimium sint, & parum aut nihil probata, vel fundata. Sola autem ipsius autoritate, in caussa præsertim propria, non mouemur: cum præsertim contraria his prorsus documenta plurima & clarissima iam protulerimus.

LXXXVI. Longe cautius, quod spectat ad Synodi conuocationem, paulo post Gregorius est locutus; Cum enim Synodum Constantinopolim congregari audisset, timeretque ne in ea nomen Oecumenici Ioanni confirmaretur, supposuit quidem eam authoritate Imperatoris congregari, sed monuit, ne quicquam in ea indebite attentaretur, ita scribens ad Eusebium Thessalonicensem: *lib.* 7. *epist.* 69. *ind.* 2. Præterea peruenit ad nos, quod fraternitas vestra ad Vrbem Constantinopolim sit conuocata. Et quamuis piissimus noster Imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne peruersi homines, conuentus vestri occasione reperta, aut pro huius nominis superstitione locum correptionis requirant; aut ob aliam rem facere Synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus indocant: quamuis sine Apostolicæ Sedis authoritate, atque consensu nullas, quæcunque acta fuerint, vires habeant, &c.] Noluit dicere cum Pelagio, Synodum conuocari non posse, sine authoritate suæ sedis; hoc enim & falsum sciebat esse, & iniuriũ Imperatori: sed acta nulla futura esse protulit, sine assensu Romanæ sedis. De quo nos nunc non disputamus. Erit nobis hac de re sermo in libris sequentibus. Pergamus in obiectionibus.

LXXXVII. Nicolaus sane Primus, vbi sapuit & ipse, Gregorium secutus, caute scripsit ad Imperatorem Michaelem illa verba: *epist.* 1. Multoties conuentus factus est sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum ac obseruatum exsistit, qualiter absque Romanæ sedis Romanique Pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur à vobis Constantinopoli congregatum Concilium (vt vestris apicibus nostris intimatum est auribus) huius tenoris seriem paruipendens, Ignatium Patriarcham, sine consultu Romani Pontificis, ibidem cœtus conueniens, proprio priuauit honore.] Vbi vero desipuit postea idem nimium sibi blandiens, tanto incautius illud protulit, scribens ad eundem: *epist.* 8. Attendat clementia vestra, quantus fuerit erga sedis Apostolicæ reuerentiam Antecessorum vestrorum piorum Imperatorum amor & studium; qualiter etiam legibus suis, pro adunandis eis Ecclesiis, promulgauerint, pro colligendis Conciliis, ac pro ferendis sententiis non imperauerint, sed precati & hortati solum exstiterint, &c.] Non legerat historias; non acta Conciliaria; non Patrum confessiones: quæ sunt à nobis iam fuse enarrata, quæque prorsus euincunt contrarium. Ex quibus etiam habemus defendi non posse eiusdem dictum illud, quo reprehendit Episcopos Gallicanos, quod generale Concilium (hoc est, illius Regni) contra Rothaldum Episcopum conuocarint: asserens *epist.* 38. nulli fas esse, sine Apostolicæ sedis præcepto, tale Concilium conuocare. Longe vero incautius & contra tot documentorum fidem, & veritatem, Alexander Tertius. *Radeuic. apud Baron. tom.* 12. *anno* 1159. aduersus Fridericum Imperatorem illud protulit: Quod ipse audita dissensione, quæ in ipsa Ecclesia emerserat, de quinque regnis personas Ecclesiasticas conuocauerat, *infra. num.* 184. 185. nimirum longe à consuetudine prædecessorum suorum recessisse videtur, & dignitatis suæ terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium conuocauit; & nos ad præsentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, præcepit conuenire.] Non ita Gregorius: non ita Leo, non ita in simili casu *apud Baron. tom.* 5. *ad.* 419. Bonifacius Primus: non ita reliqui, vt vidimus, pij Pontifices: qui iussis & præceptis Imperatorum ad Concilia vocari, humiliter parebant; & saltem per Legatos, vbi de publica fidei caussa agebatur, accedebant. Et de hoc alias.

LXXXVIII. Isidorus maxime potest obiici, vbi in præfatione in opus Conciliorum, hos omnes secutus, ita scribit: Synodorum vero congregandarum authoritas, Apostolicæ sedi priuata commissa est potestate: nec vllam Synodum ratam esse legimus, quæ eius non fuerit authoritate congregata, vel fulta. Hæc canonica testatur authoritas: hæc historia Ecclesiastica roborat; hæc sancti Patres confirmant.] Hic tamen Isidorus non est Hispalensis; sed alius, cognomento *Mercator*: non exactæ fidei, vt ait *tom.* 3. *an.* 515. *num.* 62. Baronius: is quidem satis imperite ista protulit: cum & Concilia, & Historiæ, & Patres contrarium semper, vt videmus, docuerint. Et Hieromonarchici in eo falluntur, quod, vbi Romanæ Ecclesiæ doctrina laudaretur, & consensus in Conciliis, vt primæ sedis, requireretur, ad ampliorem eorum authoritatem, id ipsi confirmationem esse somniarunt, & conditionem quandam necessariam, sine qua Conciliorum nulla esset authoritas. De quo agam libro sequenti.

LXXXIX. Afferri possunt, & solent, exempla plurima, in quibus Romani Pontifices Concilia collegerunt

runt

runt. Nos vero etiam attulimus insignia exempla, in quibus Pontifices Romani Concilia ab Imperatoribus poposcerunt: & non negamus Papam, & Metropolitanos, Primates, & Patriarchas reliquos in suis prouinciis, posse & solere Concilia congregare, neq; defendimus ita hocius conuocandi Concilia ad Principes pertinere, vt nullo modo possint Prælati Ecclesiastici vel mutuo consensu in vnum coire, vel Metropolitani, Primatis, Patriarchæ authoritate conuocari. Apostoli enim Concilia celebrarunt, absq; vlla Principum conuocatione. Tot Concilia celebrata sunt ante primum Nicænum, procul dubio sola opera Ecclesiasticorum congregata: quibus enim directe commissa est plene Ecclesia, illi Ecclesiæ curam gerere debent. Principes tamen quodammodo indirecte, in adiumentum, & auxilium, negligentibus præsertim Prælatis, aut viribus ad id destitutis, iam ex officio solent & possunt Concilia conuocare. Sicut etiam ex caussa suspicionis rationabilis possunt ea, ne coeant ipsis inconsultis, impedire. Quod si neque ex tali legitima caussa cœtus Episcoporum lege lata prohibuerint, neque dum volunt conuenire, impediant, Ecclesia certe suo iure potest se ipsam in cõcilium cogere, sed sine præiudicio supremæ Principũ authoritatis, qui, vt dixi, ex caussa possint ea etiam impedire, aut differre, vt vidimus in Mauritio & Gregorio, & paulo post in aliis videbimus. Possunt, inquam, Episcopi soli multi inter se in hoc conuenientes, se in Concilium congregare, etiam nemine particulari Conciliũ indicente: quod exemplis plurimis cõfirmare possem, nisi me nimia prolixitas reuocaret. Certe ratio ipsa suadet indictionem, & conuocationem, nihil aut addere, aut demere authoritatis ipsis Conciliis; quia etiamsi casu conuenirent in vnum multi Episcopi, seu occasione aliqua, absq; intentione Concilij, puta ad Ecclesiæ dedicationem, vel Episcopi consecrationem, &c. quid prohibet quominus res etiã Ecclesiasticas tractare possent, & definire? *Matth. 18. 20.* *Vbicunque enim duo vel tres fuerint in nomine Christi congregati* (non dicitur cõuocati) *in medio eorum est ipse Christus.* In nomine vero Christi illi dicuntur congregati, qui ad ea, quæ sunt Christi, tractanda conuenerunt. Concedit hoc nobis Almaynus, *de dom. ciu. & Eccles. part. 3.* Et Concilium Antiochenum tempore Iulij, occasione encæniorum factum est, *Athanas. de Synod. Socrat. lib. 2. cap. 5. Soz. lib. 3. cap. 5.* cuius Canones ab vniuersa Ecclesia sunt accepti, & hoc plene lib. 3. cap. 8 iam defendi.

XC. Sicut ergo errant, qui putant Concilij authoritatem cõcidere, si ab Imperatore non fuerit congregatum, vt aliqui interdũ inepte opposuerunt: *apud Bellar. lib. 1. de Conc. & Eccles. c. 12.* ita non minus errant, qui contemnenda putant esse concilia, quæ à Papa Rom. non fuerunt indicta: Indictio enim & cõuocatio est omnino accidentaria & externa concilio; & quomodocunque conueniant Episcopi siue conuocati, siue nõ conuocati, vbi de rebus Ecclesiasticis simul tractare incipiunt, faciunt Concilium: quamuis de iure positiuo Ecclesiastico prærogatiuam quandam habeant Patriarchæ, Primates & Metropolitani, in suis prouinciis: de quo alias egimus & agemus. Audiamus, quæso, quid in hoc senserit & scripserit Gersonius de Concilio Pisano, in quo, ardente schismate, Benedictus XIII. & Gregorius XII. abrogati fuerunt, & Alexander Quintus substitutus: Nam cuius est, *inquit, sermone in die Ascens. Dom. coram Alexand. P. P.* ista substitutio, P. B. nisi CHRISTI, vnde conuocatio Concilij tam mira? vnde prius discordantium suauis consensio? Vnde tot præsulum, ac præsapientum concursus tam celer? non caussa certe dissensionis, sed pacis. Non vocauit Papa, fuit conuenticulum. O ridenda ac irrationalis nimium ratio. Neque vero ad quatuor illa Concilia, quæ in actibus Apostolicis describuntur, Petrus vocasse memoratur: Neque Synodus Nicæna iussu Syluestri, sed Constantini conuenisse legitur: Ad quintum vniuersale Patrum Concilium, contra Theodorum Nestorij discipulum, nemine conuocante sese certatim Patres exhortati sunt. Fuere ergo conuenticula? caue dixeris. Coluntur ab Augustino tanquam Euangelia.] Ac pergit docere, multas sequi absurditates, si non aliquando sine Papæ vocatione conuenire possit Ecclesia.

XCI. In propositione etiam facta ab eodem Gersonio coram Anglicis, Parisiis, euntibus ad Concilium Pisanum, ex parte vniuersitatis Parisiensis, Consideratione quarta, Veritate duodecima; idem argumentum tractans, ita scripsit ipse Gersonius: Congregatio Ecclesiæ licite, & meritorie potest in casu fieri sine Papa, vel authoritate sua. Itaque cum possit dupliciter fieri congregatio; vno modo concordatiue, vel assensiue, seu charitatiue; alio modo authoritatiue: constat de primo congregandi modo, quod sine Papa possibilis est, imo fuit sæpissime practicatus, tam apud Apostolos, quam apud Imperatores sanctos, & Catholicos, qui sæpe conuenerunt in vnum, priusquam essent euocati, vel authorizati à Papa. Patet de quatuor primis Conciliis memoratis in Actibus Apostolorum. De primo nondum erat adhuc Petrus factus Papa, quum simul erant congregati ad examinationem testimoniorum de Resurrectione. Vnde, & quælibet congregatio libera non subiecta tyrannidi, habet hanc facultatem & ipsam congregandi. Patet in confraternitatibus, & aliis multis conuentionibus charitatiuis. Secundus modus conuocationis habet maiorem quæstionem; nihilominus oportet eum concedere possibilem; alioquin periclitaretur Respublica Ecclesiæ, si necesse esset authoritatem Papæ prius interuenire.] Atque hic etiam pergit absurda enumerare, si absque Papæ authoritate non possent Concilia etiam Generalia congregari. Habet vero idem Geson in sermone facto Constantiæ coram Concilio, propositionem huiusmodi vniuersalem: Ecclesia, vel Generale Concilium, potuit & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ, etiam rite electi & viuentis in multis casibus.] Et nonnullos ibi numerat, inter quos est casus, vbi materiæ, *inquit*, grandes concernentes regimen Ecclesiæ, veniunt terminandæ per generale Concilium, & Papa renuit illud euocare.

XCII. Legatis profecto à latere Romani Pontificis missis, in remotis prouinciis Concilia plenaria congregare Apostolica authoritate volentibus, facta est interdum magna resistentia. Hoc in Galliis semel atque iterum factum ego legi. Sub Gregorio sane Septimo, vbi scribit Lambertus; *apud Baron. tom. 11. ann. 1074. nu. 2.* Eius Legati à Rege Henrico verbis Romani Pontificis petierunt, vt Synodum tenere intra Gallias pace Episcoporum, sinerentur: Vehementer hoc abnuerunt omnes Episcopi, tanquam inusitatum, longeque à suis rationib. alienum; nec se huius authoritatis priuilegiũ vlli alij, præterquam ipsi Roman. Pontifici, vnquam delaturos affirmabant.] Petrus vero Bibliothecarius de eadem hac agens legatione, hæc habet: *ibid.* Synodum vero in regione ipsa celebrare Legatis nequaquã (*Rex*) permisit.] Iuo etiam Carnotensis, nimiam Conciliorũ importuniorum frequentiam stomachatus, ad Regem Philippum breuem, sed acrem scripsit Epistolam, in hæc

verba:

verba; *epist.* 56. Deo, eo, quod paruitati meæ mandauit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno à Domino Papa celebrata, nunc Legatum eius Lugdunensem Archiepiscopum, infra eundem annum, tertium generale conuocare, & ad hoc Regni vestri Episcopos inuitare; Serenitati vestræ respondeo, quia cum nuper literas eius habuerim, nihil tale ibi legi, vel à misso eius audiui. Quod tamen si faceret, non esset hæc Apostolica, vel Ecclesiastica consuetudo. Si autem aliquis pro culpis suis, indulto sibi congruo spacio, à Legatis Apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima caussa detineat. Quod si quis eos vltra terminos à Patribus constitutos angariare voluerit, Vos, habito cum eis communi consilio, iniustis oppressionibus, pro persona vestra, resistite sic, vt quæ Dei sunt Deo reddantur, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittatis.] Confugit Iuo ad Regiam potestatem, vt impertinentia Concilia disturbet, & Impediat ne congregentur; etiamsi Apostolica authoritate fuerint indicta.

XCIII. Iam vero cum Bellarmino est nobis tantisper bellandum. Is ad solum Romanum Pontificem Conciliorum Generalium conuocationem, & non ad Principes spectare contendit, & pluribus rationibus comprobare, *de Concil. & Eccles. cap.* 12. Primo, Quia Concilium non est legitimum, nisi congregetur in nomine CHRISTI: in nomine vero CHRISTI congregari nihil aliud est, quam ab eo congregari qui habet à CHRISTO authoritatem congregandi: Hic vero *inquit*, primo fuit Petrus, non Tiberius: & postea Petri successores: Pastoris enim est oues in vnum congregare: & Imperator est ouis, non Pastor.] In hac tamen collectione multa, & fere omnia assumuntur, quæ aut falsa sunt, aut indigent probatione. In nomine porro CHRISTI congregari proprie est, vt supra exposui, eos, qui quoquomodo vocati & collecti sunt, inter se de diuinis rebus optima intentione conferre. Possent enim & legitime conuocari, & tamen facere conciliabulum: & male atque ad finem malum conuenire, & absque legitima, secundum Bellarminum, conuocatione, facereque optimum & sanctissimum Concilium. Secunda Synodus Generalis, quæ fuit prima Constantinopolitana, fuit absque vllo aut mandato, aut consensu Romani Pontificis conuocata, & adunata, vt iam probaui; imo cum expressa intentione expellendi è sede illa, magnum illum Gregorium Nazianzenum, & alium ordinandi. Scribunt enim Socrates *libro quinto, capite octauo &c.* & Sozomenus *libro septimo, capite septimo*, eo conuenisse illos Episcopos à Theodosio vocatos, vt & Nicænæ Synodi fidem stabilirent, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum ordinarent: & tamen Gregorius tunc illam Ecclesiam administrabat: & in eodem Concilio compulsus fuit se abdicare; in cuius locum idem Concilium, imo potius Imperator, Nectarium substituit. Et nihilominus hoc Concilium est tantæ authoritatis in Ecclesia, vt *Gregorius libro secundo, ind. vndecima, epistola decima*, Euangelio comparetur.

XCIV. Rursus altera Ephesina Synodus legitime fuit conuocata, neque abfuit Papæ Romani, ita, quem Bellarminus requirit, vt vidimus, assensus; nam & Legati ipsius huic Synodo interfuerunt: & tamen data est in reprobum sensum; nec habuit CHRISTUM præsentem, sed merito cognominata est λῃστρική, *Prædatoria*; vbi nempe non pugno logico, aut Theologico, sed pugna latrocinali certatum est: ac passim hæretica censetur. In medio autem Synodi Constantinopolitanæ CHRISTUS affuit, quæ tamen à Papa nequaquam, neque de eius assensu, sed à solo Imperatore fuit conuocata. Satis vero est, *inquit Bellarminus*, quod tandem Papa ratam habuerit.] At nos quærimus, quid faciat, vt CHRISTUS sit in medio alicuius Concilij? Si conuocatum, *inquit*, fuerit ab habente à CHRISTO ad id authoritatem. Atqui Concilium primum Constantinopolitanum non fuit à tali vocatum; & quando à Papa ratificatum fuit, iam erat absolutum: quomodo ergo hæc subsequens ratificatio fecit, vt CHRISTUS fuerit in medio dictæ, dum celebraretur, Synodi, sine quo certe illa non damnasset Macedonium? Præterea Papa non habuit ratam Synodi huius indictionem; neque conuocationem; sed decisiones in ea factas approbauit. Nihil hoc itaque ad conuentus ipsius legitimationem.

XCV. Ad hæc, neque Petrus habuit hanc potestatem solus conuocandi Concilia; quia neque solus fuit Pastor à CHRISTO institutus, vt docui libro primo: neque exclusus est Imperator, qui & ipse est Vicarius Dei, & minister in terris, & habet potestatem à Deo coactiuam, qua potest etiam Episcopos conuocare, & ad Synodos cogere, vt à me est iam ostensum; in quo Imperator non est ouis, sed in suo genere pastor, hoc est, in externis Rector, non subditus. Cogere scilicet in vnum Episcopos est quiddam externum. His adde ex quatuor primis Conciliis, quæ tempore Apostolorum sunt congregata, à Petro nullum fuisse indictum. Primum enim, quando actum est de substitutione Apostoli in locum Iudæ, *Act.* 1.13. à nemine fuit indictum; sed propter metum Iudæorum in cœnaculum sese statim, post CHRISTI ascensionem, receperant. Alterum fuit ab omnibus Apostolis indictum, & conuocatum *Actor.* 6.2. in quo conuocantes duodecim multitudinem tractarunt de ordinandis septem diaconis. De tertio legimus, *Act.* 15.6. *Conueneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Vbi innuitur, sine vlla indictione, de communi consensu eos in vnum conuenisse. Quartum in domo Iacobi Episcopi Hierosolymitani, *Act.* 21.18. à nemine fuit indictum, neque ibi Petrus aderat, sed casu quodammodo conuenerunt, vt viderent Paulum. De legalibus tamen seruandis, vel non seruandis, nonnihil in eo conuentu tractatum est.

XCVI. Secunda ratio Bellarmini est: quia is debet cogere Concilia generalia qui potest cogere ex toto orbe Christiano Episcopos conuenire. Sed Imperator nunquam fuit Dominus totius Orbis: & multa Regna nunc ab eius potestate nihil pendent; Papa vero extendit suam authoritatem per totum mundum. Respondeo, vt supra, Papam neminem posse cogere, & censuras non esse coactiuas. Nego etiam Papæ potestatem extendi per totum mundum, Monarchiam enim hanc impugnauimus, impugnamus, & impugnabimus. Fateor vero & ipse, nunc solum Imperatorem non posse cogere Concilium generale, neque soli Imperatori id ego tribuo; possunt tamen omnes Principes Christiani simul iuncti. De Orientalib. sub Turcico Imperio existentibus, aliisque alibi degentib. Christianis nihil dico. Certe cogi à nemine possunt; nisi vellet ipsorum Princeps, etiamsi infidelis, suam ad hoc operam præstare; sed arbitror Episcopos illos, saltem præcipuos, sponte etiam & sine coactione conuenturos, si à Principibus Christianis inuitarentur, & ope subleuarentur. Sed & de hoc postea.

XCVII. Ter-

XCVII. Tertia ratio Bellarmini est huiusmodi: Concilia prouincialia conuocantur à Metropolitanis, nationalia à Primatibus: ergo generalia à Papa; & si Imperator deberet conuocare generalia, igitur Rex, vel Dux, aut Magistratus ciuilis deberet conuocare nationalia, vel prouincialia, stante eâdem proportione. Sed & hoc argumentum peccat non parum. Ad summum enim haberet, si gradatim vult procedere, Concilia prouincialia conuocari à Metropolitanis, nationalia minora à Primatibus, & nationalia maiora, ac pleniora à Patriarchis. Ita sequeretur, Papam posse conuocare Concilium ex toto tantùm Occidente; nempe vt Patriarcham totius tantùm Occidentis. Generalia verò Concilia si ab Ecclesiasticis essent conuocanda, sufficeret, quòd Papa communicaret consilium cum reliquis Patriarchis primis, hoc est, cum Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, eorumque consensu, & operâ, pro ipsorum cuiusque iurisdictione, vniuersalis conuentus congregaretur: quatenus scilicet Christianus Orbis, propter eutaxiam quandam externam subest his, qui sque Compatriarchis, & hoc iure humano Ecclesiastico: non iure diuino, vt docui *lib.3.* Mos tamen Ecclesiæ semper fuit, vt Imperatores, dum totum ferè regerent Orbem Christianum, vel sponte suâ, vbi necessitatem ipsi agnoscerent; vel à Patriarchis, præsertim Romano, humiliter rogati, Concilia indicerent. Præterea ostendi; Principes non modò generalia conuocâsse Concilia, sed etiam minora, tàm nationalia, quàm prouincialia; quando id ita iis visum est. Quæ tamen à Metropolitanis etiam & Primatibus ac Patriarchis potuisse & posse congregari, & congregata sæpè fuisse, non negamus; sicut & asserimus, posse & Reges, & Duces, & quoscunque Principes temporales, qui sint in suâ ditione supremi, totius suæ ditionis Episcopos ad Concilia nationalia siue prouincialia conuocare. Quod tamen subordinatis Magistratibus negamus, nisi id commissione sui supremi Principis facerent.

XCVIII. Quarta Bellarmini ratio ducitur ex canone illo Ecclesiastico, non debere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Nos verò plenè supra huic canoni satisfecimus, *num.79.* & ostendimus, summum in eo requiri Papæ assensum, vt decreta Conciliorum generalium, maiorem vim ponderisq; acquirerent: ad indictionem verò, seu conuocationem Conciliorum, nihil illum pertinere. Cassiodori tamen in Tripartita *lib.4.c.9.* versionem Latinam, Nicephori locutioni similem, *lib.9.c.5.* vrget Bellarminus: regulam enim Ecclesiasticam à Iulio productam affert Cassiodorus, quæ iubeat; Non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Concilium celebrari: ex quo sic infert Bellarminus; Si ergo sine Romani Pontificis consensu non licet Concilia celebrare; sequitur, eius potissimum esse illa conuocare.] Mitto aliud fortasse significari per verbum, *Celebrari*, passiuè, quo vtitur Cassiodorus; aliud per verbum actiuum, *Celebrare*, quod inuertit Bellarminus. Certè sensus est, quem iam explicaui; nimirum, ne fiat Conciliorum celebratio, nisi in ipsa celebratione & rerum tractatione Romani etiam Pontificis sententia audiatur: & hunc esse sensum Cassiodori, patet, quia ibidem habet, damnationem Athanasij inde reprehendi, quòd Iulius neque per se, neque per Legatos interfuerit; cùm tamen Canon vetet, Concilia sine ipsius sententiâ celebrari. Ex defectu præsentiæ Iulij, non ex defectu conuocationis Concilij, acta reprehendit. Atque idem Cassiodorus, paulò pòst, eiusdem Canonis sententiam repetens, his eam extulit verbis: Canonibus quippe iubentibus, extra Romanum nihil decerni Pontificem.] Socratis tamen relatio huius Canonis prima, ex quo alij sumpserunt, ad verbum habet: Non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Ecclesias canonizari.] hoc est, regulis & decretis ordinari, & disponi, ac firmari: quod fit in Concilijs. Et Iulius ipse, vt supra vidimus, nihil aliud ex Canone & consuetudine Ecclesiasticâ requirebat, nisi vt ipsius definitio, seu potiùs totius Occidentis, in Oriente priùs haberetur, quàm quicquam graue ipse Oriens in Concilijs suis definiret & statueret. Hinc itaque nihil penitus habemus de Conciliorum conuocatione. Cur verò Canon hic prærogatiuam quandam soli Romano ex Patriarchis tribuat, *sequenti libro* explicabo, vbi de Romanæ sedis in Concilijs prærogatiuis erit agendum.

XCIX. Quintum Bellarmini argumentum petitur ex dicto quodam Concilij Chalcedonensis, *act.2.* quo Dioscorus plectitur, quia Concilium, inscio Papâ Romano, contraxerat; & ibi dicitur: Hoc nunquam licuisse; nunquam factum esse. Item ex Synodo septima generali, *act.6.* vbi irritum, *inquit*, iudicatum est Concilium quoddam Constantinopolitanum, quia sine consensu Romani Pontificis coactum fuisset ab Imperatore.] De priori loco iam diximus contra Baronium, *supra num.57.* Nunc verò obseruo duntaxat vulpinam fraudem Bellarmini, dum deditâ operâ ludit, & nebulam offundit in illis vocculis suis, *Vbi & inquit*, dolosè versans in vniuersalibus, ac silet, quisnam illud in Concilio dixerit: & absolutè hoc à Concilio dictum esse asseuerat, vt sic simpliciores, audito nomine Concilij magnæ autoritatis, arbitrentur hoc fuisse in Concilio conciliariter decisum, & piaculum putent, si non credant. Cùm tamen illud, oratione currente, non Concilio id discutiente & decernente prolatum sit: A quibus autem dictum hoc est? dic, sodes, Bellarmine. Tacet, tegit. Nos videamus. A Legatis scilicet Romanis; qui, quod satis officiosi solent procuratores, Domini sui fimbrias libenter dilatant. Sed neque de Conciliorum conuocatione illud protulerunt, sed de celebratione, vt iam explicuimus: Nam Dioscorus Concilium illud non conuocauerat; sed in eo duntaxat præsederat.

C. Non minori artificio vsus est Bellarminus in proponenda autoritate ex septimo Concilio generali; non enim voluit verba proferre, ex quibus videbat se nihil posse colligere; sed sensum protulit; non qualem Patres in eo Concilio exposuerunt, sed qualem ipse suo Patrum Patri extollendo effinxerat. Illi enim quia susceperant munus confutandæ septimæ Synodi, quam Copronymus Constantinopoli contra imagines congregauerat; & in fronte Actorum dictæ Synodi legebant illa verba, *act.6.* *Definitio sancta, magna & vniuersalis Synodi*: Cùm eam sanctam non posse dici docuissent; accedunt vt doceant, neque eam posse dici magnam & vniuersalem: & aiunt; Quomodo autem magna & vniuersalis, in quam neque omnes consenserunt; & quam reliquarum Ecclesiarum præfecti non admiserunt; sed anathemate eam deuouerunt? Non habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam; neque illius Sacerdotes; neque per Vicarios; neque per prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet.] Nunquid habere Papam cooperarium, significat indici & congregari à Papa? an potiùs significat, Synodum illam vniuersalem dici non posse, quia neque Romanus Papa interfuit, vt esset cooperator in tractando; neque alij Patriarchæ? nam subdunt *ibidem*:

Quinetiam neque concordantes sibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, inquam, Antiochenum, & Vrbis sanctæ, &c.] Vbi nam, obsecro, dicunt hi Patres, propterea Synodum illam esse irritam, quia sine consensu Romani Pontificis coacta fuerit ab Imperatore? siccine bonâ fide agitur? Hoc sanè non est docere, sed decipere; non antiqua exponere, sed nouitiis & rudibus imponere.

CI. Sextum sumit argumentum ex quarta Romana Synodo, sub Theodorico. Cui iam est à nobis *suprà num.* 81. sufficienter responsum.

Septimò demum probat ex variis authoritatibus. Prima Leonis: *epistol.* 4. Dedimus literas ad fratres & Coëpiscopos nostros, eisq; Concilium Synodi Generalis indiximus.] Leonem tamen semper pro Concilio Generali confugisse ad Imperatores, iam ostendimus: & Bellarminus pergit facere, quod suum est, hoc est, non tam desipere, quàm decipere; qui optimè viderat, Leonem ibi loqui de Concilio Generali regnorum tantùm Hispaniarum: vnde & callidè prætermisit ista verba; Dedimus literas ad fratres nostros & Coëpiscopos, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicanos.] Indicere verò Concilium, hoc loco significat, mandare illis Episcopis, vt pro solutione cuiusdam dubij Sacræ Scripturæ, quod ei Turribius Asturicensis Episcopus proposuerat, ipsimet inter se, congregato Concilio circumvicinarum prouinciarum, tractarent. Dixerat enim paulò antè: Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniant Sacerdotes, vt disquiratur, &c.] Non ergo propriè indixit Concilium, qui neque locum sciebat, quo possent commodè Episcopi conuenire.

CII. Altera authoritas ab illo proponitur ex Pelagio II. ad quam est iam à me *suprà num.* 85. responsum. Tertia ex Sixto III. qui ad Orientales scribens dicit, Valentinianum ipsius authoritate Synodum conuocasse. Epistola tamen hæc & apocrypha est, & supposititia; ac nullius fidei, vt est apud Baronium *tom.* 5. *ann.* 433. *num.* 35. Huic Epistolæ spuriæ, nos opponimus librum de Romanis Pontificibus, quicunque & ille sit, in quo contrarium legimus, nempe hic (*Sixtus*) post annum vnum, & menses octo criminatur à quodam Basso: eodem tempore audiens hoc Valentinianus Augustus, iussit Concilium & sanctam Synodum congregari.] Quod si Imperator authoritate Sixti illam congregasset, hoc liber ille non reticuisset. Quarta authoritas est ex Adriano II. *ad Basil lecta in* 8. *Synod act.* 1. Volumus, *inquit*, per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum conuocari Concilium.] Nos verò vni Adriano satis suspecto, tot opponimus antiquiores, doctiores, atque sanctiores Rom. Pont. qui nunquam ausi sunt tali formâ verborum vti. Quamuis hîc etiam artificiolo non videatur carere Bellarminus, qui variato vno verbo, totum sensum subdolè peruertit. Non enim dicit Adrianus, volumus conuocari; sed, volumus celebrari: & sensus est; Nostræ mentis & intentionis est, vt tuâ industriâ & authoritate conuocato Concilio, in eo tractemus de tali negotio; quam tractationem nos omnino habere in tali Concilio, per nostros Legatos statuimus. Hæc igitur potiùs contrarium de conuocatione Conciliorum conuincunt.

CIII. Addit responsum Valentiniani datum Thraciæ Episcopis: *Sozom. lib.* 6. *c.* 7. Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia perscrutari; Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocunq; voluerint loco conueniant.] De hoc iam tractaui *suprà num.* 50. & ostendi, Episcopos illos non fuisse ausos se in Concilium congregare, nisi obtentâ priùs ab Imperatore facultate: qui & eam illis verbis concedit: Licèt in tractationibus ipsis conciliaribus se partem nolle habere profiteatur. Demum huc accedere vult Bellarminus Canones, qui habentur dist. 17.: tum rationes Ioannis de Turrecremata *l.* 3. *c.* 6. tum Concilij Lateranensis vltimi decisionem; [*Concil. Lateran. sub Leone, sess.* 11. *Bulla Pastor æternus.*] Canones tamen illius distinctionis sunt præcipui ex Iulio, & Pelagio II. de quibus iam actum est. Et nonnulli de sola agunt necessitate præsentiæ Rom. Pontif. in Conciliaribus tractationibus, & decisionibus. Turrecremata similiter plures habet ex iam discussis à nobis, & authoritates, & rationes: in aliis verò aut probat tantùm eandem, quam diximus, necessitatem; de qua hoc loco nô est cur disputemus; aut supponit principia falsa, nempe Papam esse solum Principem totius Ecclesiæ; aut vtitur apocryphis minimeq; approbatis Scripturis: aut procedit topicè ex improbabilibus. Vt patet legenti, & si quid alicuius roboris aut momenti visus est proposuisse, id Bellarminus accepit ab eo, & adornauit, omissis impertinentibus. Conciliũ verò Lateranense sub Leone X. quando iam Rom. Monarchia inualuerat; oppressa planè, vt nũc est, Ecclesiæ libertate, & vsurpatis sibi indebitis iurisdictionibus; tàm Episcoporũ, Metropolitanorũ, Primatum & Patriarcharum, quàm etiam Principum laicorum cùm deprimat, & destruat sanctissima priora Concilia, cuius autoritatis debeat esse, videant sapientiores: & nos opportuniori loco id ponderabimus.

CIV. Sed neque Leo ipse X. eo loci nimium fauet Bellarmino. Nam côtra Francicam agens pragmaticam, doctrinaliterq; priùs contra illam disputans, sibi obiecerat; eam in Concilio Basileensi fuisse admissam & approbatam; atq; hoc vt soluat, contendit tunc Basileense fuisse Conciliabulum, non Concilium; quia iam facta fuerat translatio Concilij per Eugenium quartum: ex quo Concilium Basileense nullum iam habebat robur: Cùm etiam solum, *inquit*, Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentẽ, Conciliorum indicendorum, transferẽdorum, ac dissoluendorum plenum ius & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorũ Patrum, ac aliorum Romanorũ Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumq; canonum decretis; sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione, manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, vtpote notiora, silentio præterire.] Quis nô videt hæc ipsa doctrinalẽ præ se ferre disputationem? quæ in tantũ vera erunt, & admittẽda, in quantũ probationes, quas ipse & offert & affert, persuadebunt. Nicænum ille decretũ in primis commemorat, quod nusquam extat; sed à Synodo Alexandrina ad Felicem scribente, *inter epist. Rom. Pont. part.* 1 *ante epistol. Felicis.* II. relatum affirmat: vtens apocryphis & nullius fidei literis: in quibus tamen etiam nihil aliud habetur, nisi quòd Canon ille Ecclesiasticus à Iulio Papa relatus [*suprà num.* 79.] dicit, & continet. Deinde in suæ potestatis confirmationem Leo Decimus adducit, Leonem I. Papam Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonem transtulisse. Quæ certè manifestissima est historiæ corruptela. Iam enim ostendi, post secundam Ephesinam Synodum, Martianum Imperatorem, rogatum quidem à Leone Papa, sed tamen suâ propriâ authoritate Concilium Nicææ primùm côgregasse: deinde inscio omnino Leone, propriâ item & solâ suâ autoritate, Nicæâ auocatũ Chalcedonem transtulisse. De Leone decimo quid ni ergo pro-

probantem, eum, qui deficit in probationibus, similiter in sua etiam assertione claudicare? Igitur Bellarminus actum agit, & cramben recoctam atque insipidam, ad nauseam reponit; sed frustrà. Nam veritas à nobis explicata, ab omni oppositione vendicata; imò ex ipsa obnubilatione emergens clarior manet omnibus perspicua & irrefragabilis: nempe, Principum maximè esse, Concilia indicere & conuocare: & consequenter Principes rerum Ecclesiasticarum ex proprio ipsorum officio magnam curam gerere. Nunc ad alia nostri huius in hoc capite instituti argumenta transeamus.

CV. Principes magnam habere in rebus Ecclesiasticis potestatem, ex eo vlteriùs ostendo, quòd ad eos, postquam Christo nomen dederunt, antiqua Ecclesia, in maximis suis necessitatibus semper recursum habuerit, & paratum plerunque inuenerit subsidium. Neque verò eo vsa est confugio, quasi peregrina sibi applicās pro sola Ecclesiasticorum statutorum in maiorem cautelam subsidia, aut vt aduocans, vel etiam imperans opem brachij secularis à se ipsa latorum executione; sed vt debitam in foro conuenienti iustitiam petens, ac summos magistratus sui muneris humillimè admonens, imploransq;, & obsecrans, vt suâ propriâ vsi potestate Ecclesiæ, Ecclesiasticisq; personis, & negotiis, præsertim fidei & religionis, opem ferrent. Ac ea propter sibi simul ac Regibus gratulata est Ecclesia, facta approbans, authores fautoresq; laudans, vbi illi vel rogati, vel non rogati manum admouerint Regiā, ac suppetias tulerint. Quo in genere iam multa habuimus exempla in præcedentibus, aliis tamen occasionibus à nobis & producta, & explicata: vt quando totes Episcopi, & pro publicis Ecclesiæ causis, & pro priuatis ipsorum controuersiis, ad Constantinum cōfugerunt. Si Arianismus fuit extinguendus, operâ potissimùm Constantini fuit Ecclesiæ vtendum. Si schisma Donatistarum fuit in Africa sedandum, & comprimēdum, ad Constantinum fuit confugiendum. Si Cæciliani causa, tām sequi schismatis occasio, fuit discutienda: Constantini auxilium fuit sępiùs implorandū. Si disciplina Ecclesiastica iam collapsa fuit erigenda, leges & edicta à Principibus fuerunt, vt vidimus, impetranda, arripienda, amplectenda; Si electio Rom. Pont. fuit regulanda, ne schismata orirentur: Bonifacius Papa ab Honorio expetit, & impetrat edictum seuerissimū. Hæc omnia, & multa similia iam percurrimus; quib. adhuc insigniora aliquot exēpla addamus.

CVI. Anastasius Papa non irascitur contra Honorium & Arcadium, neque conqueritur, quòd officium summorum Inquisitorum vsurpauerint, in libris Ecclesiasticis prohibendis. Imò laudat plurimum, & in hoc summopere lætatur, ita scribens ad Ioannem Hierosolymitanum, *epist.1.* Illud quoque, quod euenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum Principum manasse responsa, quibus vnusquisque Deo seruiens ab Origenis lectione reuocetur: damnandomque sententiā Principum, quem actio rerum profana prodiderit.]

CVII. Leo Primus laudat egregiè Theodosium, quòd etiam rerum Ecclesiasticarum curam susciplat: Quantum, *inquit epistol.9.* præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ Clementiæ præpararet, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur; vt vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem præter Imperiales, & publicas curas, piissimam solicitudinem Christianæ religionis habetis; ne scilicet in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant; quia tunc est optimus regni vestri status, quando sempiternæ & incommutabili Trinitati, vnius Deitatis confessione seruitur.]. Et ad Pulcheriam Augustam, *epist.15.* Et ideo, *inquit*, pro vestræ pietatis consuetudine elaborare dignemini; vt quod contra singulare Sacramentum salutis humanæ blasphemia insipientiæ protulit, ab omnium animis repellatur.] Et ad Martianum Imperatorem, *epist.45.* Obtestor & obsecro Clementiam vestram, vt in præsenti Synodo (*Chalcedonensi*) Fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditā prędicauerunt, non patiamini quasi dubiam retractari: & quę olim maiorum sunt autoritate damnata, redintiuis non permittatis conatibus excitari: Illudq; potiùs iubeatis, vt antiquæ Nicænæ Synodi constituta, remotâ hæreticorum interpretatione, permaneant.] Et iterū ad eundem gratias agit Deo, quòd in ipso & Regia potentia, & Sacerdotalis vigeret industria: Nam cum vestro, *inquit epist.63.* præcipuè opere sit effectum, vt per Synodale Concilium, damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes vires, sacrilegus error amitteret: ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis Ducibus est oppressum, etiam in quibuscunq; reliquiis deleatur.] Item rursum, *epist.73.* Christianissimi, *inquit*, Principis fidem, sæpè euidentissimis probauimus documentis; ac de nostro gratias ago, qui talem dignatus est rebus humanis concedere, pro sua pietate, Rectorem, qui fidei causas, & Reipublicæ, summæ vigilantiæ studio tueretur. Ac paucis interiectis: Cuius, *inquit*, post Deum beneficiis hoc debetur, quòd Hierosolymitanus Episcopus est receptus, & Monachos, quos perfidia hæreticæ felicitatis inuaserat, ad sanitatem, Augusta authoritas, reuocauit.] Et cùm Anatolius priuilegia æqualia cum Romanis, cōfirmata in Concilio Chalcedonensi niteretur, ad Imperatorem solum confugium habuit; sic enim ad eundem Anatolium scribit, *epist.77.* Clementissimo Principi, custodi fidei, frequenti literarum petitione suggessi, vt pro pace Ecclesiarū, quam tibi maximè prodesse cognoscis, hæc, quæ nunc à tua dilectione facta sunt, implerētur. Cui ineffabiles gratias ago, quòd secundū eruditionē Spiritus Sancti, cuius est virtute plenissimus, Sacerdotali dignatur studere cōcordiæ.] Vides ex his paucis, quantum Leo deferat Imperatoribus; & quā serio eis sæpè negotia Ecclesiastica commendet?

CVIII. Episcopi Ægyptij Orthodoxi, cum clero Alexandrino, contra Timotheum in Sedem Alexandrinam intrusum, ad Leonem Imperatorem confugiunt, ita scribentes, *post Concil. Chalced.* Hinc itaq; vestram tranquillitatem suppliciter exoramus, quatenus dum petitiones nostræ perueniant ad effectum, sancire iubeatis vestræ syllabis pietatis, Timotheum ab appetitâ vesaniā prohiberi, vt nec ordinationes aliquas tanquam Episcopus faciat Episcoporum, siue clericorum, aut quorumlibet aliorum: neque collectas debeat celebrare, aut quodlibet aliud Episcopi opus efficere, &c.] Suntne hæc negotia merè Ecclesiastica, & tamen ab Ecclesiasticis ipsis, ad Imperatoris curam traducuntur, non vt exequatur aliquid, quod ipsi iam iudicauerint, sed vt sanciat, vt iubeat, vt ipse sua autoritate pro suo beneplacito prouideat. Idem postulat etiam Anatolius. *ibid.* Et alij.

CIX. Zeno Imperator, vacāte Sede Antiochena post occisum Stephanum; timens, ne [*Euagr. lib. 3. cap. 10. Niceph. lib. 15. c. 28.*] tumultus noui in ea Ciuitate orirentur, si in comitiis publicis, vt fieri solebat, ad electionem noui Episcopi procederetur; ex se illud cepit consilij, vt Constantinopoli ab Episcopo illius Ciuitatis Antiochenæ Ecclesiæ Antistes ordinaretur: publicæ enim paci & tranquillitati, ex proprio ipsius munere, vt tenebatur, consulebat. Et tamen graue erat

præiudicium Ecclesiasticum, quod mos Electionum à Canonibus præscriptus, ab Imperatore mutaretur. Nihilominus Simplicius Papa hoc rescisçens, approbauit, laudauitque. Non quòd, vt ea rata haberet, petierit Imperator, vt somniat Baronius *tom.6. ann.479. n.4.* sed quia iure & merito facta intellexit: scribitque ad Zenonem: *Simplic. epist.13. Vnde quæ à vobis amore quietis sanctè & religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus.*] Cauet duntaxat, ne in præiudicium Canonum id sine causa transeat ad posteros.

CX. Hormisda Papa, Nicopolitanum Episcopum in suam sedem restituendum esse statuerat, vt iam correctum; sed Thessalonicensis obsistebat. Quid faceret Papa? Ad Imperialem confugit opem, rogatq; Anastasium illis verbis: *epist.19. Precor mansuetudinem vestrã, iniqua molientibus obuiate, & remouete molestias, & correctum fouete.*] Debuit ergo Imperator, ita Romano Pontifice insistente, Thessalonicensem Episcopum minis & pœnis coërcere; ac renitentem omnino compescere. Idem Iustino Augusto egregiè commendat negotium fidei, *epist.38. & epistol.75.* & docet, ad id potissimum illum fuisse à Deo Imperatorem constitutum.

CXI. Præceperat Imperator, vt Centumcellis, pro militibus ibi constitutis, ordinaretur vnus presbyter, vnus diaconus, & vnus subdiaconus: Auditâ hac Imperiali iussione, Pelagius Papa ei omnino parendum esse decernit; mandatq; Episcopo Centumcellensi, vt statim iussum Imperatoris exequatur. *Dist.63. c. Principali.*

CXII. Gregorius Gennadio Exarcho aliqua Ecclesiastica negotia commendans, generali illum huiusmodi monitione hortatur: *lib.2. epist.7. ind.10. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis prouinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quàm zelari sacerdotum vitas, & intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.*] Sacerdotum ergo vitas zelari debet secularis potestas: & compescere Ecclesiasticorum dissensiones. Vbi nunc illi, qui clericos, quantumuis flagitiosos, eximunt à Principum potestate?

CXIII. Concilium Parisiense rogat Ludouicum & Lotharium Imperatores, vt in multis curam suscipiant Ecclesiasticorum; nimirum, *lib.3. c.13. 14. 18.* Vt fugitiuos sacerdotes reuocent, & Ecclesiis restituant: vt inhibeant monachis & presbyteris ac clericis, ne palatium adeant: vt Abbates, Canonicos & regulares, in officio contineant circa regularem obseruantiam & disciplinam. Et multa similia commendat.

CXIV. In Concilio Valentino, sub Lothario Imperatore, Patres illi multa statuerant pro Ecclesiasticæ disciplinæ reparatione: & in fine ita concludunt: *c.23.* Quod iudicium nostrum tàm necessarium, & publicæ disciplinæ Ecclesiasticæ defensioni omnino suppliciter postulamus eiusdem pij Principis autoritate muniri.] Alioqui vim legis non erant hæc habitura.

CXV. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, ante quingentos annos, resciuerat in Hibernia multa contra sacros canones perpetrari, cum magna Ecclesiarum confusione: nempe circa incerta matrimonia, circa repudia, circa Episcoporum consecrationes, circa Baptismum, circa sacras ordinationes, & similia; pro remedio ad Regem Hiberniæ cõfugit, ita ad eum scribens: [*apud Baron. tom.11. ann.1089. num.15.*] Quæ quanto in conspectu Dei, Sanctorumq; eius amplius sunt horrenda, tãto studiosiùs vestris sunt sine aliqua dilatione iussionibus prohibenda; & nisi prohibita corrigantur, districtissima terroris vestri seueritate punienda. Nullum enim Deo vel maius vel gratius munus offerre potestis, quàm si diuina & humana debitis legibus gubernare studetis.] Quid tibi videtur, Lector, de illis verbis ab Episcopo Catholico seriò prolatis; diuina & humana debere Principem suis legibus gubernare? An non hoc temerè dictum ad Inquisitorum nostrorum limam reuocari oportet?

CXVI. Facta Principum laudabilia, & praxis Ecclesiæ tum veteris ante Christũ, tum nouæ post Christum, Principum munus, & officium in rebus etiam spiritualibus & Ecclesiasticis egregiè declarant: in his libet paululum immorari. Percurro primum vetera. Liber Diuinæ Legis, iussu diuino manere debebat apud Regem, quem omnibus diebus vitæ suæ legeret, vt custodiret verba & ceremonias, *Deut.17.19.*] Non solum pro se, sed etiam pro populo, apud quem custodiam Legis promoueret. Dauid Leuitarum ordinem nouum quodammodo instituit, priori, per Moysem instituto, *Num.3.4.8.* magna ex parte abrogato. Arcæ enim ferendæ onere ablato, quia iam stabilem in Hierusalem sedem diuino cultui collocarat, ac templi ædificationem disposuerat: ex Leuitis alios sacerdotes & templi ministros esse voluit, alios cantores, alios ianitores, alios scribas, & iudices constituit, *1. Paralip.23.* Sicq; demum alloquitur Salomonem à se iam Regni successorem designatum, *1. Paralip.28.* Ecce diuisiones Sacerdotum & Leuitarum; in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & nouerunt tàm Principes, quàm populus, facere omnia præcepta tua.] Vides etiam Leuitas & Sacerdotes cum reliquo toto populo, subdi Regiæ potestati etiam in sacris ipsis disponendis. Salomon itaque constituit (*vt ait Scriptura 2. Paralip.8.*) iuxta dispositionem Dauid patris sui, officia Sacerdotum, in ministeriis suis; & Leuitas in ordine suo; vt laudarent & ministrarent coram Sacerdotibus iuxta ritum vniuscuiusque diei: & ianitores in diuisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat Dauid homo Dei.] Ezechias quoque ad reformationem ministrorum, & diuini cultus Regias manus applicuit: *2. Paralip.29.* Audite, inquit, me Leuitæ, & sanctificamini, mũdate domũm Domini, auferte omnem immunditiam de Sanctuario, &c.] Et de eodem Ezechia ita sacra scribit historia: *ibid.31.* Constituit turmas Sacerdotales, & Leuiticas, per diuisiones suas virum quemque in officio proprio, tàm Sacerdotum, quàm Leuitarum ad holocausta & pacifica, vt ministrarent, & confiterentur, canerentq; in portis castrorum Domini.] Sed & Iosias, instaurato templo, Leuitarũ quoq; munera renouauit. De eo enim scriptum est *ibid.35.* Leuitis quoque, ad quorum eruditionẽ omnis Israël sanctificabatur Domino, loquutus est; Ponite arcam in Sanctuario templi, quod ædificauit Salomon, nequaquam enim eam vltra portabitis: nunc autem ministrate Deo vestro & populo eius Israël, & præparate vos p domos & cognationes vestras in diuisionibus singulorũ, sicut præcepit Dauid, & descripsit Salomon, & ministrate in Sanctuario per familias turmasq; Leuiticas, & sanctificati immolate phase.] Ioas etiã potuerat huc adduci; *ibid.24.* qui adhuc dum bonũ faceret corã Domino in dieb. Ioiadæ Sacerdotis, trãsmisit Sacerdotes & Leuitas ad colligendã de vniuerso Israël pecuniã p instaurationem domus Domini: qui cũ negligẽtius agerẽt, curam hãc abstulit à Leuitis, & in alios trãstulit; & sacræ pecuniæ factus est ipse custos; & quomodo expẽdenda esset, ipse pscripsit, ac optimo Sacerdoti Ioiadæ eripuit illius sacræ pecuniæ administrationẽ. At verò Salomon Abiatharẽ summũ Sacerdotem etiã deposuit, aliumq; ei surrogauit, *3. Reg.2.* Ezechias dissipauit excelsa, cõtriuit statuas, succidit lucos, cõfregitq; serpẽtẽ æneũ, q a filij Israël adolebãt ei incẽsum, *4. Re.18* Reges

Iudai-

Iudaici Legem Domini populo in templo propo-nunt, *4. Reg. 23. & 2. Paralip. 19.* fœdus religionis cum Deo innouant, altaria profana diruunt, idola confringunt, Sacerdotes idolorum interficiunt, regnum suum ab abominationibus liberant: templum purgant, *2. Paralipom. 34. & 35.* obseruationem festi Paschalis indicunt, *1. Machab. 4. 59.* encænia promulgant, *Esther 9. 26.* noua festa instituunt; & pro his omnib. à Spiritu Sancto plurimum laudantur in Scripturis, *2. Paral. 29. 2. & 34. & 2. &c.* Etiam exteri in gentilitate Reges diuina curarunt. Rex Babylonis legem tulit, ne Deus blasphemaretur, *Dan. 4. 19.* Rex Niniuæ publicauit ac indixit ieiunium, &c. *Ion. 3. 7.* Cur ergo pia Regum Iudaicorum opera non imitentur Reges Christiani? penes quos eadem potestas est, quæ olim, non mutata, non mutilata. Est minister Dei in vindictam mala patrantium, nō minùs vt puniat idololatras ac blasphemos, quàm homicidas & fures, &c. Exempla piorum Regum Christianorum suppetunt non pauca; Electiora profero.

CXVII. Constantinus Magnus quàm multa egerit, edixerit, statuerit in rebus merè Ecclesiasticis, iam vidimus in præcedentibus: nunc addo id, quod de ipso scribit Eusebius *de vita Const. lib. 3. c. 23. Vix*, inquit, *dici potest, quot, & quàm multas epistolas exarauit: interdum Episcopis, & quæ ad Ecclesiarum Dei commodum spectabant, præscribendo, &c.*] Et quod in scriptis Athanasij legimus, *apol. 2.* nimirum Imperatorem eundem, dato diplomate, decreuisse, vt in pago quodam Ecclesia ædificaretur, & illa Ischyræ traderetur, & sic ipse Episcopi consequeretur dignitatem.

CXVIII. Theodosius senior, factâ diligenti collatione cum pluribus tàm Catholicis, quàm aliarum sectarum Episcopis, perspectaq; veritate fidei Catholicæ, contra eos, qui à vero & Catholico sensu Ecclesiæ abhorrerent, pio zelo procedens: Legem tulit, *inquit Sozomenus lib. 7. c. 12.* ne à consubstātialis fidei professione abhorrentes, conuentus aliquos Ecclesiasticos agerent; neve postea de fide docere auderent, aut eligendi consecrandiq; quempiam potestatem haberent. Sanxit præterea, vt illi partim ex agris & vrbibus pellerentur, partim ærarij fierent; neq; quicquā cum reliquis ciuibus commune haberent. Constitutionibus eiusmodi pœnas graues addidit. Et id maximè studium habuit, *Niceph. lib. 12. c. 15.* vt populi imperio eius subiecti, eandem de Deo secum opinionem obtinerent.] Insigne profectò nostris Principibus documentum, vt ipsi ante omnia veritatem fidei Catholicæ, adhibitâ omni operâ, & initis omnium Ecclesiarū Christianam religionem profitentium accuratis collationibus agnoscant, & ex animo amplectantur, statimq; subditos etiam ad eandē fidei & religionis professionem, quam ipsi medijs optimis adhibitis edocti sunt, & fiduciâ non vanâ aut cæcâ amplexi, adducāt. Neq; id dixerim, vt quæ sunt iam in Ecclesia olim sufficienter decisa, si ab imperitis hæreticis iterum in dubium reuocentur, debeant retractari: sed de illis intelligo dissensionum capitibus, quæ nunquam fuerint adhuc sufficienter per Ecclesiam vniuersalem discussa, aut debito modo terminata: quæq; nostris temporib. graues excitāt in Ecclesia Christi perturbationes. Ad quas sedandas turbas, & Ecclesias vniendas, sola fermè spes relinquitur in Principum Christianorum authoritate & potestate. Idē Theod. cùm schisma esset Antiochiæ inter Euagrium & Flauianum; Romanusq; Pontifex vehementer vrgeret Imperatorem, vt Flauianum Romam venire compelleret, quo ibi causa decideretur, iamq; bis Flauiano Theodosius imperasset, vt se Romam cōferret: auditâ nihilominus Flauiani oratione, qua se in vita & moribus, si de aliquo delicto impetitus esset, accusatorum ipsorum iudicio subijciebat: si verò ageretur tantùm de sede Episcopali, se illa omnino, pro bono pacis, sponte abdicaturum; quam posset mox Imperator cui libitū ei esset tradere; *Theod. lib. 5. c. 23.* Eum ad sedem suam reuerti iubet, & mandat, vt gregem sibi commissum sedulò pascat: atq; ab incommodo Romā adeundi liberat. Occidentales verò Episcopi, qui propter hanc etiam Antiochenam causam, Synodum celebrauerant Capuanam, rati Flauianum ipsorū iudicia subterfugere, & sese Imperatoris tegere autoritate, nōnihil in eum commoti sunt: Ac præsertim Ambrosius, qui ita scribit ad Theophilum Alexādrinum, quem cognitorem Capuana Synodus in ea causa deputauerat, *epistol. 78.* Scribit Sanctitas tua iterum, fratrem nostrum Flauianum ad precum auxilia, & Imperialium rescriptorum suffragia remeauisse. Frustra ergo Sanctorum Sacerdotum fusus labor, iterum ad huius seculi iudicia reuertendum, iterum ad rescripta, iterum vexabuntur Sacerdotes senes, transfretabunt maria: interea solus exlex Flauianus (*vt sibi videtur*) non venit, quando omnes conuenimus.—solus exsors Flauianus (*vt ipse putat*) Sacerdotalis consortij, qui nec Imperialibus decretis, nec Sacerdotum conuentui, præsentiam faciat suam.] Immeritò tamen ei succensent, qui paratus erat cedere potiùs, quàm tot perferre incommoda, & sorbere difficilium itinerum molestias, ex sola sedis ambitione. Neque ipsius culpa erat, quòd eum Imperator iusserit subsistere, & ad suam Ecclesiam reuerti: quod aut nesciuit Theophilus, aut dissimulauit, & in malam partem accepit, atque Occidentalibus per literas significauit. Sed insurgit Baronius, & factus de more arbiter importunus, *tom. 4. an. 389. n. 67.* Theodoretus, *inquit*, ad excusationem Flauiani illud excogitauit: nam Gregorius Nazianzenus illud ab eo non potuerat impetrare.] Quasi verò homines facillimè non soleant subinde mutare consilium & opinionem, vt, quod priùs nolimus, paulò pòst, noua exurgente occasione, velimus. Viro autem grauissimo crimen falsi obijcere, mihi videtur non leuis audaciæ.

CXIX. Quod tamen ad rem nostram spectat, obseruemus in Ambrosio, non illum in Imperatorem insurgere, quod Regia manu res Ecclesiasticas tractaret, iura sacerdotalia impediret, Synodos redderet frustratorias, Papæ mandata vacua efficeret, in sedibus Episcopalibus pro suo libito, quem vellet, confirmaret: sed totum crimen in solum refundere Flauianum, cuius legitimam excusationem ignoraret: imò se parare ad noua incommoda, expectareque, vt alia Synodus iussu Imperatoris pro eâdem causa sit cogenda.

CXX. Honorius, pij parentis pius filius, contra Pelagianos, ne in Africa eorum serperet hæresis, insurgens, sic ad Aurelium Episcopum Carthaginensem rescribit, *apud Baron. tom. 5. an. 419. n. 58.* Religio itaque tua, competentibus scriptis, vniuersos *Episcopos* faciat admoneri, scituros definitione testimonij tui, hanc sibi definitionem esse præscriptam, vt quicunque damnationi suprà memoratorum (quo pateat mens pura) subscribere impiâ obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, interdictâ in perpetuum, expulsi Ciuitatibus, communione priuentur.] Imperator rescripto suo laico, Episcopos cogit ad subscribendum definitionibus fidei, per Ecclesiasticos factis; & pœnam ponit priuationem Episcopatus, & communionis.

CXXI. Theodosius alter, prioris nepos, in Synodo illa celeberrima Ephesina, summam exercuit potestatem; Synodo ipsâ totâ nō modò non reclamāte,

sed etiam humiliter parente, & nutui Principis obsequente. Celebre verò est illud inter multa, [*apud acta Concil. Ephes. in literis Theodosii ad Syn. edit. Pelt. tom. 3. c. 17. 18.*] Quòd fraudibus Nestorianorum deceptus Imperator, persuasus in Synodo multa per errorem facta, quicquid decretum fuerit contra ipsius præscriptum, tàm aduersus Nestorium, quàm aduersus alios, omnino pro irrito habendum esse decernit: resumendum verò de nouo & reintegrandum iudicium; vt meliùs omnia discuterentur, & ita publicarentur. Iussitq; Episcopis, vt nemo recederet, ac mandauit Præsidentibus prouinciarũ, vt omnium Episcoporũ ad suas Ecclesias reditũ impedirẽt. Quid tibi Lector, quid iam videtur de Principum potestate in negotiis Ecclesiasticis? Nunquid Synodus illa sanctissima ad interdicta & excommunicationes conuolauit? Nunquid in Imperatorem, tantum dominatum in eam exercentem, monitoria relaxauit? Nunquid si revera errassent Episcopi, & non errasset Imperator, non fuisset à tota Ecclesia vis illa, vt prudentissima & sapientissima, laudata? Malè tamen instructum Imperatorem meliùs instruxerunt Patres sanctissimi, & veritatem docuerunt, ac vnanimem consensum exposuerunt. Cui ille postea meritò acquieuit: & Nestorianos, doli concinnatores, profligauit.

CXXII. Ephesina eadem magna Synodus sede suâ priuauerat Ioannem Antiochenum, vt in Actis constat. Nihilominus Theodosius idem Imperator depositionem illam executioni mandari noluit; & suâ ipsius sola autoritate, optimâ tamen intentione, veritus ne inde maiores turbæ orirentur, eiq; ad propriam sedem reditum concessit. Ac postea eo & Cyrillo ad se Nicomediam euocatis, vt pacem inter se inirent, compulit. Ioannes abiurato Nestorio, cum Cyrillo & cum tota Ecclesia Catholica concordauit. Nec multò pòst Theodosius suspectum habens Theodoretum, *Baron. tom. 6. ann. 443. num. 7.* Antiochiâ eum expulit, & vt ad suam Ecclesiam Cyrensem se reciperet coëgit: edictum etiam promulgauit, libros Porphyrii, fidei aduersos, & Nestorianorum scripta esse concremanda. Nestorianos, si sint clerici, ex Ecclesiis expellendos; si laici, anathemate percellendos: neminem debere citra fidem iam expositam disserere, aut exponere; Irenæumq; Tyri Episcopum deponi, & expelli ab ea Ecclesia, & Sacerdotio priuari. Et quoniam edictum est pulcherrimum, placet hic id totum apponere, & est tale: *Acta Concil. Ephes. edit. Pelt. tom. 5. c. 29.* Regiam nostram Maiestatem decere arbitramur, vt subditorum nostrorum pietati, quoad eius fieri potest, consulamus. Hac enim ratione futurum speramus, vt maiorem quoq; Dei, & Salvatoris nostri Iesv Christi fauorem & beneuolentiam nobis conciliemus. Cùm igitur huic ipsi per omnia placere desideremus, nostroq; subiectos Imperio ad hoc ipsum subinde incitemus: decreuimus, vt quæcunque Porphyrius, propriâ impulsus insaniâ, contra piam religionem Christianam conscripsit, apud quemcunque tandem ea comperta fuerint, quamprimùm concrementur. Siquidem omnia illa scripta, quę diuinam in nos iram prouocant, piosque animos offendunt, ea ne audiri quidem volumus. Decernimus etiam quicunque Nestorii impiam fidem æmulantur, nefariamq; eiusdem doctrinam quouis modo sectantur, si quidem Episcopi aut clerici fuerint, ex sanctis Ecclesiis confestim expellantur; si verò laici, anathematis vinculo constringantur, prout iam quoq; à nostra Maiestate cautum est. Omnibus præterea Orthodoxis volentibus, piamq; hanc nostram sanctionem sectantibus, potestatem facimus, vt huiusmodi homines liberè, citra vllam cuiuscunq; detrimenti formidinem, deferant, publiceq; redarguant. Quoniam verò accepimus, doctrinas quasdam nescio quomodo dubias, Orthodoxæq; fidei à Sanctis Patribus Nicææ & Ephesi congregatis editæ, nequaquam consentientes, & piæ memoriæ Cyrilli Alexandrinorum quondam Episcopi expositioni repugnãtes conscripsisse, & euulgasse: mandamus, vt huiusmodi scripta vel libri, qui certissimam habenti vel legenti perniciem afferunt, apud quemcunq; latuerint, incendantur. Neq; volumus, vt quisquam in posterum aliquid circa fidem apud Nicæam & Ephesum ciuitates expositam aut disserat, aut exponat. Qui verò hoc sacrosanctum nostrum decretum violauerint, non dubitent eandem sese pœnam incursuros, quam contra impiam Nestorii fidem dudum decreuimus. Vt autem omnibus & singulis certò constet, quantoperè Maiestas nostra impiæ Nestorii fidei æmulos detestetur: statuimus, vt Irenæus, qui hac de causa nostram indignationem nuper incurrit, & postea nescio quomodo post secundas nuptias, sicuti accepimus, contra Apostolorum Canonem, Tyriorum Episcopus est creatus, à sancta Tyriorum Ecclesia statim expellatur, ornatuq; & nomine Sacerdotii penitus exutus priuatus in patrio tantum solo viuere permittatur. Magnificentia tua nostræ pietatis scopum assecuta curet hæc obseruari, & primo quoque tempore peracta reddi.] Hactenus Decretum. Hæc est erudítio, quam Regibus iam fidelibus dat Spiritus Sanctus in Psalmis, *Ps. 2. 11. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Hæc est Regũ potestas fidelium, vt ad pacem Ecclesiæ, quam non minùs quàm ciuilis Reipublicæ debent ex officio curare, vim suam exerant; etiam Episcopos, vbi ita necessitas postulat, deponendo & eiciendo; vt Augustinus *suprà cap. 4. n. 3. huius* disserebat.

CXXIII. Quantam præterea curam gesserit Ecclesiasticarum rerum idem Imperator Theodosius, scriptum eius ad Synodum Constantinopolitanam, contra Eutychetem, egregiè testatur, quod sic se habet: *in Concil. Chalced. act. 1.* Quoniam nos de pace cogitamus, & de Sanctis Dei Ecclesiis, & pro Catholica fide, & custodiri volumus rectam, Deo inspirãte, prædicatam fidem, à Sanctis Patribus, qui in Nicæa congregati sunt 318. & ab his, qui Ephesi interfuerunt damnationi Nestorii: Hoc ergo volumus, ne scandalum in prædictam Catholicam fidem immittatur. Et quoniam scimus magnificentissimũ Patricium Florẽtium esse fidelem, & testimoniis probatum in recta fide, volumus ipsum interesse audientiæ Synodali, quoniam sermo de fide est.] Et statim secutæ sunt Synodi acclamationes de fide Theodosii: tantum abest, vt in his potestatis suæ cancellos excessisse fuerit paratus.

CXXIV. Indictâ postea Synodo generali altera Ephesina idẽ Imperator deligit ipse Episcopũ, qui toti præsideat Cõcilio: vt patet ex literis ipsius ad Dioscorũ Alexãdrinum datis, *in Concil. Chalced. act. 1.* Et hoc plurimùm veritus Baronius *tom. 6. ann. 449. n. 26.* quod tamen nõ vssit tunc Patres etiam catholicos, & sanctissimos. An verò sit hoc Romani Pontificis priuilegium, vt ipse cõtendit, videbimus *lib. sequenti:* Eò etiam tunc suam extendit Theodosius authoritatem, nemine repugnante, nemine contradicente, [*in Concil. Chalced. in literis Theod. ad Diosc. act. 1.*] vt indicta Synodo generali, quinam Episcopi includendi, vt docti & pacati ingenii, quive excludendi essent, vt ignari, & turbulenti, ipse nominaret, & decerneret. Martiani curam Ecclesiasticam insignem habes *suprà lib. 4. cap. 9. num. 3.*

CXXV. Leo Imperator, tanquam supremus Inquisitor,

quisitor, ab omnibus Episcopis Orientalibus voluit fidei professionem accipere; vt quisq; suæ fidei ad ipsum mitteret confessionem: vt hinc posset hæreticos ab orthodoxis discernere: testantur hoc literæ Alexandrinorum & Ægyptiorum ad ipsum datæ: *post act. Concil. Chalced.* Habes etiam eiusdem legem pulcherrimam simoniam Episcopis prohibentem, eamque punientem, *cap. seq. n. 25.*

CXXVI. Iustiniani plurima, pro bono Ecclesiæ, & facta, & scripta, egregie ostendunt, quam ex munere suo, pij Principes Christiani, teneantur rebus Ecclesiasticis inuigilare. Historiam certe iustam texerem, si vellem omnia recensere. Silentio tamen obuoluere hic non debeo pulcherrimam ipsius constitutionem in iudicio Origenis, quam nobis primam in lucẽ edidit Baronius: *tom. 2. an. 538. num. 33.* In qua, inter cætera, ad Mennam Constantinopolitanum Patriarcham, ita scribit: *ibid. num. 75.* Cum autem velimus omne scandalum à sanctissima Ecclesia propulsare, vt nulla in ea macula relinquatur: obsequẽtes diuinis scripturis, sanctisque Patribus, qui ipsum Origenem, ac huiusmodi sceleratam, impiamque doctrinam profligarunt, ac iuste anathemati subiecerunt; hanc Epistolam ad tuam beatitudinem dedimus; qua eam hortamur, vt omnium, qui in hac regia Vrbe nunc degunt, sanctissimorum Episcoporum conuentum habeat; ac Deo amabilissimorum præfectorum sanctis, quæ hic sunt, monasteriis, faciatque vt omnes in scriptis præfatum impium, ac DEO repugnantem Origenem & eius nefaria impiaque dogmata, capitulaque omnia, quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent: & exempla dimittas eorum, quæ à beatitudine tua ob hanc caussam gesta fuerint, ad alios omnes sanctissimos Episcopos, præfectosque venerabilium monasteriorum, vt & ipsi subscriptione propria anathematizent Origenem & scelestaque eius dogmata, cum omnibus, qui declarabuntur, hæreticis. In posterum autem ne aliter ordinentur Episcopi, aut monasteriorum Hegumeni, nisi prius cum aliis omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, &c. Hæc porro tandem scripsimus, non solum ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romę, & Patriarcham Vigiliũ, & ad cæteros omnes sanctissimos Episcopos, & Patriarchas, id est, Alexãdriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum; vt & hi huic rei prospiciant, & hęc finem adipiscantur.] Hæc Iustinianus: cuius regimen Ecclesiasticum insigne vide Cod. de Episc. & cler. l. 42. 43. *supra lib. 4. cap. 9. n. 4. 5.*

CXXVII. Quid vero plus facere, dicere, iuberequе posset apud nos hoc sæculo summus Inquisitor, & ipsa suprema Sancti Officij Congregatio? Neque enim commendat duntaxat negotium hoc fidei Mennæ Patriarchæ, vt in Synodo id discutiat, & deliberet, ac determinet, sed quod ipse iam statuerat, & decreuerat, procul dubio prius ab Ecclesiasticis instructus, & re in ipsorum Concilio discussa, id vt executioni mandetur sua innata authoritate præcipit: modumq; præscribit toti vniuersali Ecclesiæ omnino seruandum, quo Episcopi debeant tute, absq; fidei præiudicio ordinari. Inuidet tamen Baronius pio Principi tantum bonum, vt etiam hanc ad solum Romanum reducat Pontificem: & damnationem hanc Origenis à Menna Vicario Apostolicæ sedis cum Pelagio S. R. E. Diacono factam esse; ipse ex se, *vbi supra, num. 31*, asserit, vt solet, gratis: eosque curasse, vt illa per Imperatorem ederetur; quo hæretici petulantes, iudicium Ecclesiasticum, & censuras contemnentes, coercerentur. Quorsum tamen, rogo, Ecclesia suam potestatem ipsius propriam, tradat laicis Principibus, vt ipsi statuant ipsorum proprio nomine, & decernant, quid in rebus fidei credendum & agendum sit, vbi ipsa Ecclesia posset rem decernere, & inde pro executione suorum decretorum, suarumque sententiarum, brachium sæculare implorare? ac impetrare à Principe vt sub pœnis temporalibus præcipiat omnibus Ecclesiastica statuta seruari? Decretum igitur hoc totum, vt dicitur, ita etiam est Imperatoris, qui Orthodoxis, non hæreticis Prælatis illud præscribit, vt neminem ordinent Episcopum, nisi prius facta fidei professione, & hæresium anathematizatione: Et, si propter hæreticos Ecclesia vtitur potestate Imperiali; cur propter Catholicos ipsam Ecclesiam venerantes, ipsamet sua decreta non proponit? Mitto nunc formulam fidei ab eodem Iustiniano factam & publicatam, iussamque ipsius edicto, ab omnibus credi & teneri *apud Baron. tom. 7. ann. 546. num 12.* Omittere tamen non debeo aliud Decretum eiusdem generis, totum Ecclesiasticũ, cum maxima collaudatione ab Euagrio commemoratum: *Euagr. lib. 4. cap. 11.* Iustinianus, *inquit*, conscripsit Edictum, in quo Seuero, & aliis eiusdem sectæ, anathema denunciauit: eosque, qui illorum tuebantur dogmata, grauissimis mulctauit suppliciis; ad eum plane finem, vti ex eo tempore in omnibus totius orbis terrarum Ecclesiis nihil omnino resideret discordiæ, sed Patriarchæ cuiusque diœceseos consensu inter ipsos conspirarent, & Episcopi singularum ciuitatum suis obsequerentur Archiepiscopis: & quatuor Concilia in Ecclesiis prædicarentur, Nicęnum primum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense. Cogebatur etiam quintum Concilium mandato Iustiniani, &c.] Sed ad alios propetemus.

CXXVIII. Carolomanus in sui Cleri reformatione, suas quoque adhibet partes; non vt merus executor, sed potius vt præcipuus reformator: sic enim ait: *apud Surium die 5. Iun. & Baron tom. 9. ann 742. num. 25. & seqq.* Episcopos congregaui, vt mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Christiana religio recuperetur. Itaque per Concilium Sacerdotum religiosorum, & optimatum meorum, ordinauimus per Ciuitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium; qui est missus S. Petri: Statuimus quoque per annos singulos Synodum congregari, vt nobis præsentibus, canonum decreta, & Ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur.] Statimque pergit ipsa capitula subnectere semper per verba, decreuimus, statuimus, prohibuimus, reddidimus, coegimus, & similia; de sua sola persona loquendo de more Principum in plurali, nam & iam dixerat (nobis præsentibus) suam personam intelligens: Episcopos vero non includit, vt capitulorum authores, sed vt simplices consultores: quibus in hoc pares fecit, vt vidimus, etiam suos optimates seculares. Quod vero Papa videatur, vt tradit idẽ Baronius, consultus, vt illa capitula approbaret: non facit quominus illa sint vere & proprie capitula Regia: ad quorum maiorem laudem & acceptationem promptiorem, Apostolicæ sedis fuerit requisita, non tam confirmatio, quam approbatio; ea nimirum bona esse, & sacris canonibus non contraria; neque vt vim inde haberent obligandi; sed vt nihil eis posset opponi, non in ordine, vt loquuntur cum Iuristis, sed in merito. Si enim tantopere Synodus III. Roman. sub Symmacho laborauit, vt expungeret Basilij legem, Ecclesiæ proficuam, *de qua cap. sequent.* ne laicis permitteretur facultas in rebus Ecclesiasticis statuendi, cur ista capitula Papa approbat, per solam potestatem laicam, & sola authoritate laica promulgata.

CXXIX. Carolus Magnus, animo non minus instructus Pōtificio, quàm Regio, ita præfatur ad Episcopos, *Caroli capit. in præfat.* Placuit nobis vestram rogare solertiam, O Pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis eius, & clarissima mundi luminaria, vt vigili custodia & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, &c.] Et facta admonitione, atq; exhortatione, regia vsus authoritate, mox subdit: In quo operis studio, sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis cooperari dignitatē. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis authoritate vna vobiscum corrigerent, quæ corrigēda essent. Sed & aliqua capitula ex canonicis institutionib. quæ magis vobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quæso, huius pietatis admonitionem esse præsumptuosam putet, vel iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta cōnectere studeamus; sed vt magis beneuolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo sanctus Iosias Regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit reuocare, &c. 4. *Reg.* 22. 23.] Et post nonnulla; Quapropter, *inquit*, aliqua capitula notare iussimus, vt simul hæc eadem vos admonere studeatis, &c.] Reformationi etiam cleri insistens Carolus, & ipse leges format, & missos suos dat Episcopis socios, vt simul cum ipsis regia authoritate reformationem promouerent: idque sui esse muneris exemplo Regis Iosiæ confirmat. Et quando coronatus fuit Ludouicus eius filius, & in Imperio successor, inter multa salutaria monita, quibus illum Pater instruebat, illud habetur, *Theganus apud Baron. tom. 9. an. 813. n. 14.* admonens eum in primis omnipotentem Deum diligere, & timere, eius præcepta seruare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare, & defendere à prauis hominibus.]

CXXX. Quantum vero hic ipse Ludouicus insudarit, vt Ecclesiastica disciplina sarta tecta conseruaretur, capitulare ipsius à Benedicto Leuita collectum, testatur amplissime. Conspicuum tamen in eo potissimū cerno Ludouicum, quod incredibili ductus zelo vnionis Ecclesiarum, tūc ob cultum imaginum inter se plurimum dissidentium cōuentum haberi voluerit, & collationem selectorum hominum doctrinæ non vulgaris: qui de consensu etiam si fieri potuisset Rom. Pont. moderationem quandam circa cultum imaginum proponendam Iconomachis elaborarent, vt ita demum pax vniuersalis in Ecclesiis sequeretur: quātum vero in hoc laborauerit, vt id Papæ persuaderet, & orientales in cōcordiam pertraheret, quisq; videre potest in libello nuper edito, nomine Synodi Parisiensis. In quo Ludouici erga sanctas Christi Ecclesias cura ostenditur singularis. De quo supra *num.* 82.

CXXXI. Carolus Rex, Ludouici filius, ministros suos per totum ipsius Franciæ regnum, cum vera & propria potestate visitatorum, misit, ad Ecclesiarum Ecclesiasticorumq; reformationem: cuius quædam capitula in Synodo apud S. Medardum, apud Suessionensem ciuitatem, facta, quia negotia plurima Ecclesiastica complectuntur, operæ pretium esse duxi hic apponere; quorum nobis non prius editorum in publicum, Baronius fecit copiam; quo nomine ei, in his & multis aliis, quæ ad nostram caussam asserendam contra Hieromonarchicos ex ipsius Annalibus, tanquam ex pharetra hostili sagittas optimas desumpsimus, gratias certe agimus, quas debemus. Et quod ipse asserit (sed non probat) ex petitione Episcoporum ea scripsisse, & suis Legatis seruanda mādasse, neq; ei prodest, neq; nobis obest, dummodo capitula ista ex regio penu prolata, regia sint authoritate, ad cuiuscunq; petitionem, formata. Sicut neque regiæ quicquam præiudicat authoritati, quod suis Legatis, & visitatoribus imponat, vt Episcopis vtantur assessoribus & collegis, in Ecclesiarum reformatione. Capitula porro quæ excerpsit sunt huiusmodi: *Baron. to. 10. an. 859. num. 21. & seqq.*

CXXXII. Vt missi nostri per Ciuitates, & singula monasteria tam canonicorū, quam Monachorum, siue sanctimonialium, vna cū Episcopo Parochiæ vniuscuiusq;, in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius, qui Monasterium retinet (quem volumus, & expresse præcipimus vt præsens sit) vitam ibi degentium & conuersationem inquirant; & vbi necesse est, corrigant; & vbi desunt congruas officinas construere iubeant; & vbi sunt factæ, & per negligentiā sunt destructæ, instaurari præcipiant; & victum, ac potum, & vestitum, atque cætera necessaria, pro qualitate, & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate, ordinent; & hospitalitatem superuenientium hospitum, & receptionem pauperum, ibidem ponant, & ordinent, & thesaurum, ac vestimenta seu libros diligenter imbreuient, & breues nobis reportent; imbreuient etiam, quid vnusquisq; Ecclesiarū Prælatus, quando prælationem Ecclesiæ suscepit, ibi inuenerit, & quid modo exinde ibi minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Quid etiam Northmannis per nostram commendationem, siue sine nostra commēdatione datum sit; quidue relictum, vel quid à quoquam ibi in eleemosynam datum, numerum, & canonicorum, & monachorum siue sanctimonialium cuiuscunq; loci describant, & nobis referant; vt secundū qualitatem & quātitatem loci cum cōsilio Episcoporum, & fidelium nostrorum, vbi minor numerus fuerit, nostra authoritate addamus; vbi vero in discretione Prælatorum superfuerit, ad mensuram redigamus.

CXXXIII. Inquirant quoq; quot tēpore Aui nostri Caroli, & Domini Genitoris nostri HLudouici, vnoquoq; in loco fuerint; & quot modo sint, & vbi loca à Northmānis, siue à quibuslibet aliis destructa sunt, & penitus annullata; quot ibi nunc propter paucitatem rerum & deuastationem earundem constitui vel ordinari possint, vt inde, cum consensu fidelium nostrorum, ordinemus, quid de cætero agendum sit; & qualiter Abbatiarum Prælati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi nostri præceperint, obedierint, nobis diligentissime & capitulatim referri procurent.

CXXXIV. Vt missi nostri per singulas Parochias, vna cum Episcopo Parochiæ ipsius, requirant de capellis, & abbatiolis, & casis Dei, in beneficiū datis: qualis census inde exeat; vt Ecclesia, de qua supra, exinde vestiturā habere possit, & nobis renuncient, vt hoc nostra authoritate cōmendetur & firmetur, & secundum qualitatē, & quantitatem loci, clericos, & luminaria ibi ordinent: & loca instaurari faciant.] Mirum quod non dixerit; vt inde pentiones pro Roman. Cardinalibus & curialibus extrahantur. Nunc vero, vt supra etiam monui, tot Ecclesiæ in sordibus squallent, aliæ semirutæ, aliæ dirutæ absq; clericis, absq; luminaribus, absq; diuino cultu in contemptum versæ sunt, & derisum: earum vero redditus ad gloriam & pompam mundanam, ne dicam ad luxum, impenduntur, non modo tacentibus & consentientibus Regibus: sed etiā ipsismet sæpe eos, vt beneficia sibi in curia Romana compararent præsidia lugentibus: nouerint propterea Principes, se districtam Deo de his rationem reddituros, & saltem exemplo hoc piissimi Regis & moneantur ad instructionem, & ad eum imitandum moueantur. Sunt & alia ibi de rebus Ecclesiasticis capitula; sed ea, ne nimia meum obruam lectorem prolixitate, consulto prætermitto. His adde Henricum II. acerrimum, in Episcoporum philargyriam, vindicem, cuius factum habebis infra *l. 9. c. 9. n. 114.*

CXXXV. De Carolo V. in Synodo Treuerensi illud lego initio. Sacra illius Maiestas sibi haudquaquam graue duxit, formam nobis proponere ad amussim cōsonaneam scripturis, & cælitus inspiratis canonibus, quam de sacrorum voluminū penu, piorum literatissimorum hominum industria depromserat, qua quidem admoniti singuli, quid apud suos facto opus esset, ad restaurādam Ecclesiæ integritatem, non difficulter, neque obscure perspicerent. Hanc igitur nos, protinus vt à Comitiis vobis redditi sumus, (*loquitur Archiepiscopus Treuerensis*) conuocato Clero nostro, superioris nostræ dioecesis Treuerensis, in cathedrali Ecclesia; inferioris vero in Confluentina arce, reformationis formulam, iuxta Cæsaris mandatum, publicari, & prælegi omnibus vobis curauimus, &c.] Idem etiam aliis verbis, præfatus Archiepiscopus Coloniensis, ad initium suæ Synodi Coloniensis eodem tempore habitæ; nimirum formulam reformationis cleri à Carolo V formatam, & adhibito Theologorum consilio elaboratam, ad eiusdem mandatum publicari, & vt executioni mandetur intimari. Notum est formam hanc Caroli V. fidei etiam materiam in se continuisse: edidit enim libellum, & omnibus ordinibus proposuit, quem INTERIM tunc appellârunt, à Viris quidē Ecclesiasticis, ipsius iussu cōpositum, ipsius tamen authoritate promulgatum; in quo inter cætera, *inquit Surius, de rebus in orbe gest. an.* 1548. pacis tuendæ caussa permittebatur, vt qui apud Protestantes, ex Sacerdotum ordine vxores duxissent, vsque ad Concilij determinationem, non cogerentur eas relinquere: Itemque qui vtramque speciem Eucharistiæ hactenus sumpsissent, non compellerentur calice carere.] Non defuerunt, neque desunt, præsertim ex Romanensibus, qui dixerint id Cæsarem non potuisse statuere. Cum tamen tantus Princeps id statuerit, & nequaquam Viris egregie doctis inconsultis; neque Ecclesia Catholica reclamârit; id & potuisse statuere, & merito statuisse non est ambigendum: in quo habebat sexcenta suorum prędecessorum exempla; qui Ecclesiastica, vbi præsertim de communi bono humanæ politiæ gereretur, propria authoritate curarunt. Et quæ ipse concessit, contra ius diuinum non sunt, imo iuri diuino valde cōformia; solo iure humano positiuo interdicta: vt propterea tres Archiepiscopi Electores, & Episcopus Augustanus, in publicis conuentibus libellum illum publicare non dubitarint; & egregiis, vt vidimus, encomiis exornatum, collaudare.

CXXXVI. Metropoliticum ius Ecclesiis aliis conferre de nouo, aliis auferre, aut saltem imminuere, & Dioeceses diuidere, ampliare & coarctare, fuit etiam in Imperatorum potestate. Rauennatē Ecclesiam Valentinianus Imperator voluit esse Archiepiscopalem, ac totius Æmiliæ Metropolitanam. Priuilegium recenset Rubeus; quod tamē Baronius plurimum conatur eleuare, & arguere imposturæ: *tom. 5. an. 432. n. 91. & seqq.* Oppositionem autem ipsius, & Rubei titubationem circa pallij concessionem, non sunt magni momenti. Mihi enim certum est, vt docui *libro tertio, capite secundo & decimo*, Ecclesias etiam in Metropolitanis sedibus constituendis Ciuitatum magnam rationem habuisse, vt quę sæculari prę eminerent dignitate, eædem etiam Ecclesias haberent eminentiores. Hinc vero Imperatores potissimum engendarum Metropolium ius acceperunt. Euecta enim ciuitate in Metropolim, voluerunt vt plurimū, vt Ecclesia etiam similiter illius ciuitatis iuxta morem Ecclesiasticum esset Metropolitana. Et consequenter Valentinianus statuit suo priuilegio, vt Rauennas Archiepiscopus & pallio vteretur, & plena haberet aliorum Metropolitanorum priuilegia. Et si cui dorum videtur, assentiri, in Imperatoris potestate fuisse pallium concedere, videat quid de pallio disserui *libro tertio, capite vndecimo*, indicia ibi nonnulla inueniet, pallium Ecclesiasticum fuisse donum Imperiale. Si tamen pallium omni ex parte sit Ecclesiasticum, intelligere debemus Valentinianum in hoc Rauennatensi priuilegio velle, & præcipere, vt Rauennas Archiepiscopus à suo Patriarcha pallium acciperet, & reliquam haberet ab Ecclesia potestatem; illo tamen sic iubente & ordinante. Qua in re, Ecclesia semper libenter & prompte paruit Imperatoribus.

CXXXVII. In Concilio Chalcedonensi tractata fuit contentio inter Ecclesiam Tyrensem & Berythensem: hæc enim occasione diuisionis cuiusdam, & mutationis illarum prouinciarum in temporalibus factæ per Imperatorem, abstulerat illi aliquot suffraganeos. Eustachius igitur Berythensis à Photio Tyrensi impetitus, excusabat se, dicens, non á se inuasa iura Tyriæ Ecclesię, sed factum esse lege Imperatoris; consuetudinisq; esse, Imperatores Metropoles facere: *Concil. Chalced. sess. 5. ex Græco cod. & notis Binij.* Consuetudinem eam fuisse intelligit, vt quæ Ciuitas ab Imperatore fuerit olim in temporalibus suæ prouinciæ facta Metropolis, ipsius etiam Ecclesia in politia Ecclesiastica ius Metropoliticum consequeretur.

Docui iam, & ipse lib. 3. ex magnitudine, & priuilegiis Ciuitatum, earum etiam Ecclesias in regimine & hierarchia Ecclesiastica, sua priuilegia olim obtinuisse. Quoniam tñ Concilium Chalcedonense in hac cōtrouersia, ita Martiano Imperatore sentiente, & assentiente, non lege Imperiali, sed canone Ecclesiastico visum, pro Tyrio metropolita pronunciauit, contra Berythensem: dicendum omnino videtur: Non statim ipso facto, quo Imperator prouincias aliquas diuideret ac immutaret, nouumq; ius metropolis in tēporalib. alicui Ciuitati concederet, etiam Ecclesiam illius Ciuitatis ius metropoliticū in Ecclesias nouæ huius prouinciæ cōsecuturam, nisi id ipsum etiam Imperator ipse iuberet, aut Synodi statuerent. Cum itaq; facta quidem fuerit per Imperatorem prouinciæ diuisio in temporalib. ex qua diuisione aliquæ Ciuitates Tyriæ prius prouinciæ, sub Berythensi fuerint collocatę, non tamen propterea statim ex hoc poterat Metropolita Berythensis Tyrio illas subtrahere Ecclesias, propria authoritate: siquidem etiam prius Innocentius illud responderat Alexandro, quod vidimus in superioribus, *epist.* 20. nimirum: Nam quod sciscitaris, vtrum diuisis Imperiali iudicio prouinciis, vt duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari, non vere visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresq; aut diuisiones perpeti, quas pro suis caussis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum prouinciarum morem, Metropolitanos Episcopos conuenit nominari.]

CXXXVIII. Hinc merito Concil. Chalcedonense suum ius antiquū Tyrio Metropolitæ voluit, de cōsensu, vt dicebā, Martiani Imperatoris, cōseruare: & hierarchia cōfunderetur, si in eadem prouincia duo essent Episcoporū ordinatores: ad quā confusionem vitandū Cōcilium explicat se Tyrio causam adiudicare. Si tñ Imperator sua diuisione suā cuiq; Metropolitano propriā prouinciam assignaret, eū inde nulla relinqueretur cōfusio: cessaret omnis inter Metropolitas cōtrouersia, & Concilij aliter sentiret, & iudicaret. Vt propterea Iustiniano postea nemo contradixerit, Thessalonicensi Metropoli aliquas ciuitates subtraheti, & primæ Iustinianę subdēti. *Nouel.* 11. In eo n. & aliis, de quib. mox dicā. vere locū habuit cōsuetudo, quā in Conc. Chalced. pre afferebat Eustachius, vt Impp. Metropoles facerēt, nonmodo in tēporalib. sed ēt, qn volunt & iubēt, in Ecclesiasticis.

CXXXIX.

CXXXIX. Theodorus Balsamon tradit, In potestate Imperatoris fuisse Episcopatus in Metropoles erigere; & suis Metropolibus alienare; & de nouo Episcopos, & Metropolitanos constituere: quia, *inquit*, nec canonibus, nec legibus subijcitur. *in can. 16. Conc. Carthag.* Eadem repetit in interpretatione can. 38. Synodi quinisextæ in Trullo: quo dicitur ordo Ecclesiasticus consequi ciuiles ac publicos typos: Vbi per typos accipit iussa Imperatoris. Scribit eadem etiam ad can. 12. Concilij Chalcedonensis. Et Andreas Nicopolitanus iudicauit caussam, ad quam Metropolim pertineret Ecclesia Castri Cassiopi, innuntiare sibi, vt loquitur Gregorius *lib. 12. epist. 2.* Principali quoque iussione, hoc est. Imperiali: laudatur quoque à Baronio Wamba Rex Hispaniarũ: *& Baron. tom. 8. an. 680. nu. 96.* inter ipsius egregia monimenta ponit distinctionem eius opera factã, Episcopatus Toletani, firmamque cuiusque diœcesis partitionem. *idem tom. 10. an. 999. num. 10.* Narrat etiam ex Ditmaro, de Ottone III. Imperatore, cum in Polonia Gnesnensem Ecclesiam ad Archiepiscopalem dignitatem euexisse; eisque supposuisse certos, quos nominat eiusdem ditionis Episcopatus: quamuis, suo more, id eum authoritate legati Papæ fecisse somniet. Et sane verum est, Gregorium septimum postea ad Ducem Poloniæ scripsisse, in ipsius ditione nullum esse Metropolitanum: *lib. 2. epist. 73.* hinc tamen nihil aliud contra hoc Ottonis factum habetur, nisi effectum plenum postea non fuisse sortitum: quod ex multis caussis potuit contingere. Ille tamen fecit & instituit, quod facere poterat & instituere: Etsi postea factum defecerit.

CXL. Inter Imperatoris Constitutiones, reperio Alexium Comenum priorem, in quadam dissensione inter quosdam Metropolitanos super ipsorum iure Metropolitico, in præsentia ab eo tunc conuocatæ Synodi consentientis, vnaque decernentis, statuisse & declarasse, *constit.* 8. licere Imperatori Pontificalem thronum Ecclesijs largiri, & Episcopatus vel Archiepiscopatus in Metropoles erigere, eaq; quæ ad electionẽ pertinent, & reliquam dispositionem, prout ipse voluerit, describere: nec à canone impediri, qui statuit Metropoli iura seruari quæ illi adsueuerunt ab initio in honorato Episcopatu.] Hoc sane Alexij edictum, post decretum, quod continet, debere Ecclesias, quæ sunt honoratæ, iussu Imperiali à Throno Constantinopolitano præsulum electionem accipere, nec eos qui paulo ante erant, Metropolitanos vllam in eis partem habere, hæc quoque expresse continet: Imperium, *inquit*, meum, & Imperialis potestas, quod ei à diuinis Canonibus datum est priuilegium, neglectui haberi non sinens, & Antistitum ad honoris prouocationem supplicationes, vt non canonicas neque legitimas appellationes euitans accipere nolens, statuit, Episcopatum non aliter in sublimiorem thronum erigendum, Archiepiscopatus scilicet, vel metropolis, quam si Imperator illius temporis, proprio motu impulsus, gratia humana non intercedente indecora, voluerit illam, quæ est superior ac eminentior, dignitatem ei præbere, vel propter Ciuitatis honorem, vel propter eius fidem in sanctam Ecclesiam, vel eius, qui illi præest, virtutem honorans, & ex eo sua sponte incitatus ad largiendum honorem. Acer quidem, qui propter humanam affectionem & mores non laudatos ordinem sublimem largitur, diuinorum canonum metus incutitur. In quos ne sæpe Imperator incidat, permittit & sanctissimo eius temporis Patriarchæ, ne aliter à quouis allatam, de cuiuscunque Ecclesiæ primatu chartam confirmet, nec eius Præsulem inter Archiepiscopos vel Metropolitanos recipiat: quam postquam de ea re ad Imperialem potestatem retulerit, & quid sacris canonibus consonum sit, docuerit, intellexerit quod Imperator proprio motu, iusta de caussa, Ecclesiæ hunc honorem largitus est. Tunc enim & eam admittet, & in eorum, qui sub se sunt, Antistitum numerum illum cooptabit, qui præstantiorem honorem ab Imperatore sortitus fuerit.] Eo sane Alexius suam extendi potestatem affirmat, vt contra canones regiminis externi Ecclesiarum, integrum sibi sit, & nouos Episcopatus exigere, & Episcopatus euehere ad Metropoles; aliqua tamen rationabili caussa existente; ac ne sibi quis subrepat, dat potestatem Patriarchæ, vt possit tantisper aliquem non admittere in locum, quem ab Imperatore obtinuerit, donec inter Imperatorem & Patriarcham constiterit, non esse obreptum, sed caussam adesse rationabilem; & tunc vult Patriarcham teneri confirmare chartam Imperatoris, hoc est, ratam habere, & ei credere, atque obedire; etiamsi contra canones fuerit concessa; quos in illis tantum seruari mandat, qui gratia Imperiali digni non fuerint inuenti. Alioquin quos motu proprio ipse promouerit ad dignitatem altiorẽ, si digni inuenti fuerint, eos vult à Patriarcha omnino in eo gradu accipi & censeri, ad quem ab Imperatore fuerint euecti.

XCLI. De Isaaco Angelo Imperatore in iisdem Imperialibus Constitutionibus relatum inuenio, ab eo editam auream bullam. *Constitut. Imperator. in Isaacio, cap.* 8. quæ & Metropolitanis Episcopatus ad se pertinentes, & Metropolium vel Archiepiscopatus honore donatos, ad se reuocantibus; & iis itidem qui Imperialem circumspectionem auferre conantur, ne Episcopatus in Metropoles & Archiepiscopatus erigat, secundum sibi datam à superis potestatem, os occludit. Et circa tales Metropoles, quæ ab Imperatoribus eriguntur, hoc pacto statuit, & decernit: Et quod vniuersali ratione, & generaliter exposita dispositione, Ecclesias, quæ iussione imperatoria in altiorem thronum eriguntur, honore quoque dignas censeri oporteat; & electiones illic procedere ex forma canonica, quæ in magna Ecclesia consecuta est, Metropolitanis & Archiepiscopis conuenientibus, & Metropolitanum eligentibus: hoc & Imperialis mea sublimitas decernit: & hanc constitutionem sancta quoque sequetur Synodus, vt quæ Ecclesiasticum ritum accurate seruet, & à canonica rectitudine non excidat.] Vult perinde Canones seruari circa electionem, huiusmodi Metropolitanorum, Imperiali authoritate de nouo ad hanc dignitatem promotorum; atque circa veteres Metropolitanos sunt seruandi.

CXLII. Nemo itaque miretur, quod Philippus Francorum Rex, pati non potuerit, vt Papa in Britannia minore, Dolensem Episcopum faceret Archiepiscopum; cum præiudicio Metropolitani Turonẽsis, cui tota erat Prouincia Britannia in spiritualibus subiecta: imo & strenue se opposuerit, nempe pro iure regio coronæque suo flosculo non vili constanter restituto. Cuius literas ad Lucium Papam datas, & à Stephano Tornacensi Episcopo, viro pio, docto & Catholico, Regis nomine conscriptas, operæpretium est hic recensere: quæ sic se habent: *epist. 126.* Caussa nobis, & regno Francorum, quod hactenus Ecclesiæ Romanæ fidelissimum exstitit, paterna viscera vestra, saltem in dilatione, quam pro Ecclesia Turonensi postulauimus, sentientes, & inexorabilem animum vestrum, non sine confusione nostra nunc experti, cœlum & terram testimonium vocamus, vt si quando regias aures nostras vobis, aut fratribus vestris clauserimus, excusabiles valeamus apud Deum & homines apparere: sustinuimus pacem vestram, & ecce turbatio; & in læsione Turonensis Ecclesiæ, quæ tempore Patrum nostrorum integram

nostrorum integrã Metropolitani iuris ditionẽ in tota minori Britannia obtinuit, Regnum nostrum turpiter imminuere, ac mutilare contendit Ecclesia Romana: coronam de capite nostro deiicere, frangere, & pedibus conculcare. Quid enim aliud est Archiepiscopum in eadem prouincia contra Metropolitanum suum, & integritatem Regni nostri, erigere velle; quam ab hæreditate Patrum nostrorum nos tanquam imbecilles, & resistere non valentes, eiicere, & fugare. Videat Dominus, & iudicet: quod si processerit factum istud, minus amodo vos æstimabimus Patrem, quam Vitricum; minus sentietis nos filium, quam priuignum: Vsque ad animam nostram pertingat gladius iste, vt exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti, & abiecti à vobis vltionem quandoque Dei & hominum expectemus: Neque enim solummodo vulnerabit nos plaga ista, sed & omnes totius Regni Barones in compassionem accendet: vt de manu vestra requirat Dominus aliquem sanguinem, qui propterea fundi potest; & inter Regnum, & maiores Regni Principes materiam secessionis, & guerram perpetuam, quæ accidere poterit, eis imputet, qui merentur. Ex præteritorum enim exemplis, colligimus futurorum materiam: & sicut antiquis temporibus occasione dissensionis huius multorum sanguis effusus est: ita & diebus nostris, nisi per industriam vestram venienti morbo citius occurratur, clades communis, & generalis strages inter Francos, & Brittones poterit suscitari. Melius est autem in tempore occurrere, quam post exitum vindicari.] Vidimus hanc prærogatiuæ Metropoliticæ dispositionem adeo Regiæ potestatis propriam eique innatam haberi, vt dignitatis huius ab vrbe in vrbem per exterã Papæ potestatem mutatio non minus Maiestatis Regia iura imminuere videatur, quã si de capite diadema deiectum fuisset, pedibusq; conculcatum, adeoque hæc Papalis institutio fuerit Regis ab hæreditate paterna deturbatio. Stylo non absimili scribit Philippus etiam ad *Innoc. ep. 117 & ep. 159.* Octauianum, puto, Cardinalem. E Regina ad eundem Papam literas omnino similes dedit quas idem dictauit Tornacensis. Nunc multorũ celebri cõfessione, quod in hoc capite præcipue tractãdum suscepimus, confirmemus.

CXLIII. Constantinus in cœtu Episcoporum de se ipso interdum ita loqui solebat; *Euseb. de vita Constant. lib. 4. cap. 24.* Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus cõstitutus sum.] Nempe vt Episcopi nõ modo curam, sed & functionẽ Episcopalem sibi à Deo commissam exercerent, Imperator autem curam & superintendentiam externam in Ecclesiam Ecclesiasticosque sibi diuinitus traditam sortiretur, ita tamen vt ei nefas sit, functionem ipsam pastoralem Apostolorum successoribus propriam attrectare. Conquerebantur aliquando Donatistæ in Africa contra Catholicos; quod contra eos Imperatorum edicta & iram excitarent. Respondet Augustinus: *epist. 166.* Vnde ergo præsumimus? si vultis nosse, illum cogitate, de quo propheta pronunciauit, dicens: *Psalm. 71. Adorabunt eum omnes Reges terræ: & omnes gentes seruient illi.* Et ideo hac Ecclesiæ potestate vtimur, quam ei Dominus & promisit & dedit. Imperatores enim si in errore essent (quod absit) pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas iusti & probarentur, & coronarentur, nõ faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet; sicut iusserat Nabuchodonosor, *Daniel. 3.* vt aurea statua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenẽt, pro ipsa veritate contra errorem iubent: quod quisquis contempserit, ipse sibi iudicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipsa veritas iussit: sicut ipse Nabuchodonosor postea miraculo salutis trium puerorum commotus, atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum proposuit; vt quicunque blasphemarent Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in dispersionem; Et non vultis vt tale aliquid contra vos iubeant Imperatores Christiani, cum sciant à vobis in eis, quos rebaptizatis, CHRISTVM exsufflari? Si iussiones Regum non pertinent ad prædicandam religionem, & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum Regis talia iubeatis etiam ipsi vos (*in signum tunc ordinariam subiectionis, & obedientiæ,*) signatis?] Ex prophetia Psalm. ostendit Augustinus permissam esse, & datam Principibus Christianis potestatem, vt vi sua externa seruirent CHRISTO, fidem & religionem promouendo: idemque exemplo Nabuchodonosoriam conuersi & immutati confirmat: aperteque asserit ad prædicandam religionem, iussiones etiam Imperatorum pertinere.

CXLIV. Theodosius Iunior ad Cyrillum scribens, ita de sua potestate disserit: *apud acta Concil. Ephes.* Noris Ecclesias & Regnum nostrũ coniuncta esse; nostraq; accedente autoritate & imperio, & Christi Saluatoris nostri aspirante prouidentia, magis subinde inter se coitura esse; tum tibi quoque à nobis ignotum esse, ne hinc capta occasione iure conqueri ac dicere queas, te ob pietatis doctrinam in reprehensionem incidere; quam quidem pietatis doctrinã in sacra Synodo, in vtramq; partem ventilatam, eatenus obtinere volumus, quatenus veritati & rationi cõsentaneum esse iudicabitur. At vero siue illi veniam impetraturi siue qui à Patribus victi discedent, siue non, nos sane Ciuitates simul, & Ecclesias conturbari nequaquam sciemus. Sed nec eam quoque doctrinam indiscussam manere patiemur, cui diiudicandæ eos præfici oportet, qui Sacerdotiis vbiuis gentium præsident; per quos & nos quoque in veritatis sententia stabilimur, & magis magisque identidem stabiliemur.] Fatetur quidem, quod nos toties docuimus, ad se non pertinere iudicium rerum fidei ac dogmatum, sed ea sibi ab Ecclesiasticis esse discenda: At vero suum esse affirmat, curam gerere, & operam dare, vt ab Ecclesiasticis, quando opus est, talia tractentur & decidantur: atque interim publicam Ecclesiarum pacem, ac dissidiorum extinctionem, ad ipsius potissimum curam pertinere. Quod ipsum Cyrillus etiam egregie confirmauit, scribens ad Acacium Melitenensem: ait enim *epist. 29.* Pientissimus, & Christi amans Rex, sanctarum Ecclesiarum curam, vt necessariam, ita plurimam in se suscipiens, intolerabilem illarum fore discordiam iudicauit, &c.] Necessarium censet Cyrillus, vt Principes curam suscipiant plurimam Ecclesiarum.

CXLV. Est & alia eiusdem Theodosij ad eundem Cyrillum epistola, *Inter Cyrilli Epistolas, epistol. 17. & in Actis Concil. Ephes. edit Pet.* cuius exordium celebre tale est: Reipublicæ nostræ constitutio, ea quæ erga DEVM est pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedere solet. Nam & ex se inuicem pendent, & vtraque posteris alterius successibus incrementa sumit.

Quando-

Quandoquidē vt vera religio iusta actione perficitur, ita & Respublica vtriusque ope nixa florescit. Cum itaque Deus Opt. Max. Imperij habenas nobis tradiderit, iisq; qui Imperio nostro parēt, pietatis & iustæ actionis quoddam quasi vinculū nos esse voluerit, hanc inter se societatem, partim quidem priuata nostra prouidentia fieri, partim quoque humano præsidio vsi, indiuulsum perpetuo hactenus conseruare enixe contendimus; ad eumque modum promouendæ pietati, propter Reipublicæ salutem, incumbimus, vt in omnibus fere subditorum nostrorum commodo intenti, vnum hoc perpetuo vigeamus, contendamusque sedulo, vt pie religioseque priuatim viuāt omnes, &, vt pios decet, in Republica versentur vniuersi. Denique vtrique quam par est, curam impendere non desistimus. Fieri enim vix potest, vt qui alteri serio inuigilant, alterius curam neglectui habeant. Ante omnia autem operam damus, vt Ecclesiasticus status eiusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maximè congruat; idemque ex omnium concordia & consensione suam tranquillitatem obtineat, tum per Ecclesiasticarum controuersiarum pacem, à turbis & seditionibus liber existat: tum demum vt pia religio ab omni omnino nota & reprehensione immunis perseueret; eorumque vita, qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos Sacerdotio funguntur, omni prorsus næuo & culpa vacet.] Et in condemnatione Nestorij Theodosius idem illud habet: *apud acta Concil. Ephesin.* Etsi nostram erga Rempublicam studium perspicuum est: haud minoris tamen nobis est curæ, vt Sacrosancta quoque religio recte constituatur. Si enim hanc rite curauerimus, ferè optamus, vt & publicis quoque rebus hac ratione consulamus.] Et alia similis ad Dioscorum: *apud acta Concil. Chalced. act. 1.* Cunctis, *inquit*, constitit manifestum, quia nostræ Reipublicæ status, & omnia humana, diuina pietate moderantur atque firmantur: Deo enim propitio constituto, prospere & secundum vota nostra gubernari res & proficere solent: Imperium ergo diuino authore sortiti, subditis pro pietate, mansuetudine similiter plurimam solicitudinem impertimus, quatenus & vera religio, & nostra Resp. cultu Dei purissimo & pietate firmata perfulgeat.] Apertum ex his redditur, quod toties monuimus, Principum potestatem eo nomine potissimum se ad Ecclesiastica extendere, quod Ecclesiastica prosunt etiā, vel obsunt regimini ciuilis politiæ. Sed interim absq; hac causa, quæ ciuilem spectat prudentiam, à Deo quoque sibi commendatam habent Ecclesiam vt Ecclesiā, q̄ patet ex præcedentibus, patebit etiam ex subsequentibus.

CXLVI. Martiani verba sunt huiusmodi: *ante Conc. Chalc.* Omnia ad veram fidem & Christianam, & Orthodoxam religionem tendentia, præponenda aliis rebus existimauimus. Deo enim propitio existente, & nostrum Imperium, & communes caussas meliores fore confidimus.] Rursum in Oratione, quam habuit idē Imperator in Concilio Chalcedonensi, *act. 1.* eadem ferme tractat, & asserit.

CXLVII. Leonem Imperatorem Episcopi Primę Armeniæ faciunt fundamentum Ecclesiæ, eique applicant quadam imitatione petram super quam fundatur verbo Christi Ecclesia. *Matt. 16.* Sacræ, *inquiunt post conc. Chal.* pietatis vestrę prudētia diligentiaq; cōuertat (*hereticos*) & vere p̄dicare verbū veritatis edoceat, & hoc sape re, q̄ sancta dictat Ecclesia; cuius caput quidē est Christus, Vos autem robur ac fundamentum, imitantes immobilem Christi Petram, super quam omnium creator Ecclesiam suam ædificans, omnibus Christianis pietatis requiem condonauit.] Episcopi etiam Dardaniæ sic eundem per literas alloquuntur: *Post Concil.* Igitur religio vestræ pietati commissa ab æterno Deo, inuictissime Principum, conseruetur.] Et Corinthij ad eundē: *ibid.* Quo tamen modo, *inquiunt*, oporteat sanctas Ecclesias disponi secundum Deum, in vestræ pietatis & iustitiæ pendet arbitrio: quæ non minus paci Ecclesiarum, quam securitati Ciuitatum & subiectorum, prouidere dignatur: perfecte sciens, quibus imperare diuino iudicio constituta sit, docta pariter Ecclesiasticas sanctiones, & proprias leges; & per vtraq; iam Orthodoxā fidem, quàm Reipublicæ iura disponens.] Luculenta certe testimonia, quibus Principi asseritur & pietatis cura ei ab ipso Deo cōmissa, & sanctarum Ecclesiarum secundum Deum, adeoq; fidei Orthodoxæ per Ecclesiasticos canones dispositio.

CXLVIII. Iustinianus in libello, quem proposuit in quinta Synodo, hæc habet: *Syn. 5. coll. 1.* Semper studium fuit Orthodoxis, & piis Imperatoribus Patribus nostris, pro tempore exortas hæreses, per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & recta fide sincere prædicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire.] Profert statim exempla Constantini, Theodosij vtriusq;, & Martiani, qui singuli singulas generales primas quatuor Synodos congregarunt. Mox subiungit: Hi itaq; omnibus per diuersa tempora subsecutis, prędicti piæ recordationis nostri Patres (*Imperatores*) ea quę in vnoquoque Concilio iudicata sunt, legibus suis corroborauerunt, & confirmarunt: & hæreticos, qui definitionibus prædictorum sanctorum quatuor Conciliorum resistere, & Ecclesias conturbare conati sunt, expulerunt.] Et inferius: Cum autem secundum suam misericordiam Dominus Deus Reipublicæ gubernationem nobis credidit, initium & fundamentum nostri Imperij fecimus coniungere diuisos sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum ab Oriente, vsque Occidentem; & omnem contentionem amputantes, &c.] Solicitam vides in Imperatore rerum Ecclesiasticarum curam & vigilantiam. Sed ex aliquot ipsius Nouellarum proœmiis, eam adhuc melius videbis. Vtinam vero Principes omnes Christiani hodierni, Iustinianum imitati, hæc ad se pertinere iudicarent, hoc serio cogitarent, & modum aliquem pium ac salubrem inirent coniungendi Sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum ab Oriente, si fieri posset, vsque Occidentem.

CXLIX. *Nouell. 6.* Maxima quidem, *inquit*, in hominibus sunt dona Dei, à superna collata clementia, Sacerdotiū, & Imperium: & illud quidē diuinis ministrās, hoc autem humanis præsidens, ac diligētiam exhibens: ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut sacerdotum honestas: cum vtique & pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit vndique, & apud Deum fiducia plenum; Imperium autem recte & competenter exornet traditam sibi Rempublicam: erit consonantia quædam bona, omne quicquid est humano conferens generi. Nos igitur maximam habemus solicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus credimus, quia per eam maxima nobis dona dabuntur à Deo, & ea quæ sunt, firma habebimus: & quæ nondum hactenus venerunt, acquiremus. Bene autem vniuersa geruntur, & competenter, si rei Principium fiat decens, & amabilę Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruantia custodiatur; quam iusti, & laudandi, & adorandi inspectores, & ministri Dei verbi, tradiderunt Apostoli, & sancti Patres custodierunt, & explanauerunt. Sancimus igitur, &c.] Intelligant Principes Christiani, ipsorum muneris esse, de Sacerdotum

cerdotum honestate, adeoque veris Dei dogmatibus solicitudinem habere; etiam legibus datis, cogere Episcopos quoscunque, nullo excepto, vt canones totius Ecclesiæ perfectè obseruent; & huic negotio plurimùm inuigilare: vnde & aliam sic exorditur nouellam: [*Nouell. 137.*]

CL. Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus, pro sua in homines benignitate, credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus: quanto plus studij adhibere debemus circa sacrorum canonum & diuinarum legum custodiam, quæ super salute nostrarum animarum definitæ sunt? qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adiutorio digni sunt, qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt obnoxios. Maiori igitur condemnationi subiacent sanctissimi Episcopi, quibus concreditum & commissum est, & canones inquirere, & conseruare, si quod eorum prætermissum fuerit, indemnatum atque impunitum reliquerint. Sanè cum hactenus canones obseruati non rectè fuerint, diuersas ex eo passi sumus interpellationes contra clericos & Monachos, & quosdam Episcopos, vt qui secundum diuinos canones non viuerent, & quidam etiam inter eos inuenirentur, qui nec ipsam quidem vel sanctę oblationis, vel sancti baptismatis orationem tenerent aut scirent. Dei igitur intelligentes, & animo infigentes iudicium, singulorum, quæ nobis delata sunt, inquisitionem simul & correctionem iussimus canonicè procedere. Si enim illa, quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionē & vindictam manere, quomodo à sanctis Apostolis & Patribus super omniū hominum salute canonicè statuta despici patiemur? &c.] Est quidem Episcoporum munus proprium super obseruantia canonum inuigilare: si verò illi in hoc dormitent: & quod peius est, si ipsi primi & canones contemnant & pessundent, prætextu vano suæ vsurpatæ supra canones autoritatis, &, [illegible] qua potestatem non habent, dispensationis; tunc Principum est in eos insurgere, & ad obseruantiam canonum ipsos compellere. Illud certè in illius tempo[illegible] [illegible] pudendum, quod tam crassa in quibusdam non modò reperiretur, sed & ab Ecclesiasticis tolera[illegible] [illegible]orantia, vt orationem nec Missalem, nec Baptismalem scirent. Ita nempe facilè segnescit in manu inspector[illegible] spiritualium (ad quos tamen proximè attinet canonum gubernatio & disciplina, nisi manu Regia excitetur, & quasi sceptro acuatur. Quanto nunc dierum [illegible] maior necessitas incumbit Ecclesiæ, vt non solum stupida ignorantia, sed & alij plurimi Clericales defectus, ac enormitates, quæ passim ab Episcopis, ne dicam in Episcopis, tolerantur, planeq; defenduntur, salutari Principum manu, ac oculo Inspectores hosce lentos superinspectante corrigantur. Sed pergamus ad alias eiusdem Iustiniani Nouellas.

CLI. Quoniam, *inquit*, *Nouel.* 43. potentiæ nostræ sub[illegible] nostra, siue viuant, siue moriantur, curæ sunt, ne vel graues ipsis sepulturæ, vel defunctis cognatis damnoię existant, propterea & hęc quæ eorum sepulturā concernunt, quo conuenit modo disposuimus.] Item: *Nouel.* 77. Omnibus hominibus, qui rectè sapiunt, manifestum esse putamus; quia omne nobis est studium & oratio, vt crediti nobis à Domino Deo, bene viuant, & eius inueniant placationem.] Item; *Nouel.* 133. Singularis vita (*hoc est monastica*) huiusq; contemplatio, res est sacra: & ex hoc euehens animas ad Deum; & non solū iuuans eos, qui ad hanc accedunt, sed etiam alijs omnibus pro eius puritate & supplicatione ad Deum præbens inspectam vtilitatem. Vnde & priscis Imp[illegible]dij sunt, & à nobis non pauca sancita sunt de eorum hone-state & ornatu; sequimur enim sacras regulas, & antiquos Patres, &c.] Ecce sepulturæ modus, monachorum honestas & ornatus sub ambitu sunt sceptri Imperatorij. Atq; hæc de Iustiniano satis.

CLII. Pulcherrima est ac repetita lectione dignissima Reccaredi Hispaniarum Regis oratio, quam habuit in Concilio Toletano: [*Concil. Tolet. 3. in fin.*] Regia, *inquit*, cura, vsq; in eum modum protendi debet & dirigi, quem plenam constiterit ætatis & scientiæ capere rationem. Nam sicut in rebus humanis gloriosius eminet potestas regia, ita & prospiciendę commoditati cōprouincialium, maior debet esse & prouidentia. At nunc, beatissimi Sacerdotes, non in eis tantummodo rebus diffundimus solertiam nostram, quibus populi sub nostro regimine positi paratissimi gubernentur, & viuant; sed etiam in adiutorio Christi, extendimus nos ad ea, quæ sunt cœlestia, cogitare, & quæ populos fideles efficiant, satagimus non nescire. Cæterùm si totis nitendum est viribus, humanis moribus modum ponere, & insolentium rabiem, regia potestate, refrænare; si quieti & paci propagandę opem debemus impendere: multò magis est adhibenda solicitudo, desiderare, & cogitare diuina, inhiare ad sublimia, & ab errore retractis populis, veritatem eis serenæ lucis ostendere. Sic enim agit, qui multiplici bono se à Deo remunerari confidit: sic enim agit, qui super id, quod ei committitur, auget, dum illi dicitur, *Luc. 10. Quicquid supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi*: Ergo quia iam fidei nostræ & confessionis formam plena serie vestra beatitudo recensuit, simulque & Sacerdotum nostrorum procerum fides, atq; confessio Sanctitati vestræ perpatuit; hoc adhuc necessario pro firmitate Catholicæ fidei nostra Deo supplex constituere decreuit autoritas: Vt, propter roborandam gentis nostræ nouellam conuersionem, omnes Hispaniarum & Galliciæ Ecclesię hanc regulam seruent, vt omni sacrificij tempore ante communicationem corporis Christi & sanguinis, iuxta Orientalium partium morem, vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant Symbolum, &c.] Atque inculcat vt hæc ipsius constitutio, quam ipsius decreuit serenitas, omnino seruetur. Quod Concilium illud & approbauit, & seruandum [*Concil. Tolet. 3. c. 2.*] mandauit, vt iussis Regis obtemperaret.]

CLIII. Gundemarus Rex in alio Toletano Concilio, dum constitutionem suam publicauit, circa primatum Ecclesiæ Toletanæ, ita præfatus est: [*Concil. Tolet. sub Gundemaro*] Licet regni nostri cura in disponendis atque gubernandis humani generis rebus, promptissima esse videatur: tunc tamen maiestas nostra maximè gloriosiori decoratur fama virtutum, cum ea, quę ad diuinitatis & religionis ordinem pertinent, æquitate rectissimi tramitis disponuntur, scientes ob hoc pietatem nostram non solum diuturnum temporalis Imperij consequi titulum, sed etiam æternorum adipisci gloriam meritorum, &c.] Et post pauca: sanè per hoc autoritatis nostræ edictum, amodò & viuendi damus tenorem, & religionis vel innocentiæ legem, nec vltra postmodum inordinata licentia ab Episcopis fieri similia patiemur.

CLIV. Africani Patres, in Concilio Bizaceno congregati, singulare Ecclesiæ præsidium in pio Principe collocatum scientes, hoc pacto scribunt ad Constantinum, seu Constantem, qui post Heraclium imperauit: *In concil. Rom. sub Martino. Consult. 2.* Omnipotens Deus, Ecclesiæ suæ prouidens, præscitos, ac prædestinatos in præsidio eius constituit Romani nominis Reges, vt quoties turbo diabolicæ factionis quiddam contra eam excitare tentauerit, à vestræ clementiæ rigore valeat comprimi: quatenus quies eius

procurata, vestræ potentiæ suffragio debeat defensari, quia ei potestatem vestram seruiendo subijcitis, cuius munere & protectione imperatis: Vnde diuinitus præordinati, eius curam singularem habetis, aut primam. Scriptum est igitur de vobis, & de eadem sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa: *Isa. 49. Erunt Reges nutritij tui*: Pariterque Scriptura est, *Psalm. 95. Honor Regis iudicium diligit*, quia dum diuina rebus humanis præponitis, & Orthodoxam fidem curis sæcularibus præfertis: quid aliud, quam iudicium rectum, Dei cultui immolastis.] Statimque petunt ab Imperatore, vt sua vi, & autoritate, compellat Paulum Patriarcham Constantinopolitanum, ad rectè cum Catholicis profitendum.

CLV. Idem Imperator Constans, quem etiam aliqui Constantinum vocant, etiamsi fortasse parum catholicus, eo vsus est procemio in suo typo, quem edidit, *In Concil. vt sup. Consult. 4.* Consuetudinem, *inquit*, habentes de omnibus curam agere, & intendere, quæ respiciunt ad vtilitatem Christianissimæ nostræ Reipublicæ, & præcipuè quæ feruntur ad immaculatam nostram fidem, per quam nobis omnia prospera fieri credimus, &c.] Quæ de suo munere suaque cura asserit, vera & certa sunt quoad ipsum obiectum generale, nempe fidem seu cultum Dei; sed peruerse adhibita est hæc potestas, quatenus applicata obiecto falso speciali, nempe dogmati heterodoxo tuendo. Nam typus ille potius hæresi monothelitarum, quam Orthodoxæ doctrinæ fauebat. Quod si toto genere defuisset Imperatori potestas huiusmodi, facilè reclamatum fuisset à rectè sentientibus in Ecclesia.

CLVI. Clodouæus Rex in Concilio Clypiacensi eiusmodi habuit sermonem: *Aimoin. l. 4. cap. 41.* Quamquam Francigenæ ciues, terreni nos cura Principatus admonuerit, publicis nos rebus consultores aduocare: tamen prius nobis conuenit ea, quę Dei, & Sanctorum eius sunt, disponere, vt postmodum ea, quæ nostra sunt, Deo dante, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens: *Matth. 6. Primum quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*: nobis suis obtemperantibus præceptis, sua confert promissa. Requiramus itaq; quæ sunt placita sanctis in Regno iam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis euenient prospera in terris, si ea curauerimus adimplere factis.]

CLVII. Constantinus Pogonatus, ad Leonem Papam secundum, ita scribit, *Inter epist. Leonis 2. tom. 2.* Cœlorum æternum Regnum, & beatitudinem repetentes, & ad spiritualem adoptionem pia nostra consilia dirigentes, ea meditamur ac gerimus, quibus studia nostra bene euenire possint. — Præcipue verò nobis curæ est Sanctarum Dei Ecclesiarum ordo, assidueque hoc prospicimus, vt vnitatē fidei conciliemus. — Per petram fidei, confirmatur solium nostræ serenitatis, consilia, & conatus potestatis nostræ ad communem vtilitatem (*laicam, & Ecclesiasticam*) diriguntur: ac totius Romanæ Reipublicæ status, cum tranquillitate fidei tranquillatur.] Hanc valde piam & religiosam Epistolam conatur Baronius expungere, & obliterare, *tom. 8. ann. 683. num. 9.* eo tantum prætextu, quòd illa indictione notetur, quæ ad amussim veritati non respondeat. Qui tamen error librariorum frequentissimus solet, in vetustis præsertim temporum, vel numerorum breuiculis characteribus signatorum monumentis exscribendis occurrere: Et quod dicat Constantinus, se ad Agathonem scripsisse de Synodo contra Monothelitas cogenda, quæ fuit Sexta generalis: Cum tamen, *inquit*, planè constet eum non ad Agathonem, sed ad Donum literas illas scripsisse.] Quasi verò non fuerit facilè etiam in hoc librarijs errare, vt vnum nomen pro alio reponerent: sed & potuit meritò ipsemet Constant. asserere, se ad Agathonem scripsisse; nam quamuis literas illas ad Donum Agathonis proximum prædecessorem dederit; quia tamen literæ illæ, mortuo interim Dono, ad Agathonem primum peruenerunt, & scriptæ non fuerunt Dono in sua propria persona, sed tanquam ad Roman. Pontificem: cur non possumus dicere, eas ad Agathonem fuisse scriptas, quas Agatho recepit, vt earum iussa adimpleret? Nihil præterea habet contra hanc Epistolam, & ex leuissimis cōiecturis, aut potius cauillis, tam pias literas conatur Baronius abolere; ea re vera caussa, vt fidem deroget etiam literis Leonis, quas pro harū responsione ille exarauit: ne nimirum Honorij condemnatio à Leone asserta, Leonis auctoritate posset confirmari. Sed de his nos aliàs.

CLVIII. Gregorius Dialogus, qui fuit Papa Romanus huius nominis secundus, ad Leonem Isaurum Imperatorem increpatorias dedit literas (quas nobis primum excusas communicauit Baronius, *tom. 9. ann. 726.*) & in illis ita Leonem alloquitur: Sed obsecutus es peruicaci animo tuo, ac domesticis perturbationibus: & scripsisti, Imperator sum, & Sacerdos.] Hæccine tanta est peruicacia? Peruicax ergo erat & magnus Constantinus, qui idem dixit; Valdè peruicaces & alij pij Imperatores, qui in eodem dicto perseuerarunt. Nunquid verò male? minime certè, nisi ad malum, peruersumque sensum trahatur, quod candidè dictum est. Audiamus iam istum Gregorium: Enimuero, *ait*, qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere ac sermone demonstrarunt, qui condiderunt, & curam gesserunt Ecclesiarum, vna cum Pontificibus cupiditate zeloque incensi; rectęque fidei veritatem peruestigantes, Constantinus magnus, Theodosius magnus, Valentinianus magnus, & Constantinus Iustiniani pater, qui sextæ Synodo interfuit. Imperatores isti religiose imperarunt, & cum Pontificibus vno consilio ac sententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes, & Imperatores, qui id opere demonstrarunt.] Considera Lector apertissimam veritatis, pro caussa ac authoritate Principum in rebus Ecclesiasticis, in ore Romani Pontificis confessionem. Quę etiam approbat, & confirmat quicquid nos de primis Imperatoribus asserimus, eos ex proprio munere ad regimen etiam Ecclesiasticum aliqua ex parte accessisse.

CLIX. In Concilio Remensi sub Carolo Magno scribitur vnus canon, qui sic habet, *Concil. Rhem. 25.* Vt in victu, vel vestitu, vel conuersatione Abbatum, qui Monachos habere cernuntur, Dei voluntas & Domini Imperatoris impleatur.] Et Vuido Imperator immunitates quasdam cuidam monasterio concessurus, suum diploma sic exorditur, *Apud Baron. tom. X. ann. 892. num. 3.* Cum Augustalis sublimitas in omnibus rebus, non solum terrenis, verùm etiam Ecclesiarum, monasteriorumve caussa, vt perficiantur, Deo fauente, sedula intentione oportet, vt sit peruigil, quatenus dignus digna tribuamus, &c.] Episcopi Regni Caroli ad Ludouicum Regem, ita scribunt: *Apud Baron. tom. X. ann. 858. num. 50.* Devs in carne veniens, qui solus Rex fieri potuerit & Sacerdos, & in Cœlum ascendens, suum Regnum, id est, Ecclesiam inter Pontificalem auctoritatem, & Regiam potestatem, gubernandam disposuit.]

CLX. Rothaldus Suessiunensis Episcopus, narrans Nicolao primo Pontifici per literas suam appellationem cuiusdam caussę suæ criminalis, ait, *Inter Ep. Nic.*

*pud epist.*17. Cumq; etiam è vicino parti itineris imminere egressus, literas Domino meo Regi, & meo Archiepiscopo dirigere curaui, nostram illis Ecclesiam committens, multumque postulans, vt iuxta suum vterq; officium, eam dirigere procurarent, donec, &c.] Agnouit hic Episcopus in Rege etiam officium regendi Ecclesias: Et Nicolaus ipse primus scripsit: *ad consul. Bulg. c.* 18. Nisi mouerentur potestates Christianæ aduersus huiusmodi (*abnegatores Christi*) quomodo rationem redderent de Imperio suo Deo? cum pertineat hoc ad Reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam, & sine diminutione velint seruari matrem suam Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sumus.] Sumpsit verò hæc magna ex parte ex Augustino *tract.* 11. *in Iohan.* Ita nobis consignatur in ore duorum testium veritas.

CLXI. Sigismundus Imperator se in Concilio Basileensi vocat aduocatum, & primum protectorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Conciliorum, quæ sanè aduocatio & protectio ab institutione diuina pendet, non ab humana etiam Ecclesiastica imploratione, & multa includit: sed quod ore fatebatur se esse, id opere exercere non est ausus. Et Cardinalis Cusanus, tractans de reformatione, quam cupiebat Curiæ Romanæ, ex parte auaritiæ, ac simoniæ, Bullarum, & expeditionum velo coopertæ: innuensque hanc reformationem à Principibus Christianis expectandam esse, ait *Cusan. de concord. cathol. lib.* 2. *cap.* 40. Non moueat quempiam commune dictum, quod secularis potentia de hac Ecclesiastica ordinatione, ita introducta ex auctoritate Romani Pontificis, siue in collationibus beneficiorum, siue gratiis, ac litibus, se impedire non habeat. Si de Ecclesiasticis constitutionibus ad augmentum diuini cultus, & pro libertate Deo seruientium institutis, nihil immutare habeat laicalis potestas: habet tamen nihilominus prouidere Reipublicæ, illis præfatis semper saluis. Non deceret quempiam dicere, sanctissimos Impetatores, qui pro bono Reipublicæ in electionibus Episcoporum & collationibus beneficiorum & obseruatione religionum multas sacras constitutiones ediderunt, errasse, & ita statuere non potuisse, &c. *vt supra.*] Hæc vnus S.R.E. Cardinalis Amplissimus.

CLXII. Ad nostri præcipui in hoc capite argumenti confirmationem, huc etiam adducimus, Christianę fidei & puræ religionis dilatationem, hęresiumque oppressionem, pijs Christianis Principibus sæpissime acceptam ferri debere, eoque nomine eos fuisse à sanctis Patribus plurimum commendatos. Augustinus sanè Donatistas à Principibus Catholicis vim patientes, sic alloquitur: *cont.* 2. *Gaud. Epistol. lib.* 2. *cap.* 26. Quandiu vos non tenetis Ecclesiam, quam prænunciauerunt piscatores, Apostoli plantauerunt, tamdiu Reges qui eam tenent, rectissimè ad suam curam iudicant pertinere, ne vos aduersus eam rebelletis impune: N— Deus & Reges habuit inter Prophetas — quibus enim dictum est, *Psal.* 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore:* sentiunt suam potestatem ita Domino seruire debere, vt ea potestate plectantur, qui nolunt eius voluntari seruire.] Explicat hoc alibi dicens, *Idem epist.* 50 *ad Bonifac.* Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim seruit, quia homo est; aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter; quia verò etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo: sicut seruiuit, 4. *Reg.* 18. Ezechias, Lucos & templa idolorum, & illa excelsa — destruendo: sicut seruiuit, 4. *Reg.* 22. Iosias: — *Iona* 3. Rex Niniuitarum: *Dan.* 14. Darius: *Dan.* 3. Nabuchodonozor, &c.] Et inter præclara opera, quæ fœlicem faciant Christianum Imperatorem, ponit idem Augustinus, *l.* 5. *de ciu. Dei. c.* 24. Si suam potestatem ad DEI cultum maxime dilatandum Maiestatis eius famulam faciat.] Multum sæpe tribuit Augustinus Principibus in cura religionis: vide, lector, quæ ille scribit Cont. Epist. Parmen. *l.* 1. *c.* 7. Cont. lit. Petil. *lib.* 2. *cap.* 92. Cont. Crescon. *lib.* 3. *cap.* 51. Cont. secund. Gaud. *Epist. lib.* 2. *cap.* 11. *&c.* Nonne Optatus Donatistas Episcopos sugillat impietatis, quia dicebant, *Opt. lib.* 2. *Nos sup. lib.* 4. *c.* 3. *n.* 6. Quid nobis & Imperatori? in caussis nimirum Ecclesiasticis? Et contra Pauli dictum: *Omnis anima, &c.* refractarios agnoscit.

CLXIII. Audiamus & Leonem, Astrologiam & fatum oppugnantem: *Leo epist.* 4. Meritò, *inquit*, Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam Mundi Principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt autorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent.] Subiungit post pauca: Et proficit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati: quæ etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio: & executionem legum tempestates interdixere bellorum: ex quo inter sacerdotes DEI difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus: inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem, his malis est incitata, quibus debuit esse correcta.] Obserua, quæso, Ecclesiæ propriam esse lenitatem; & sacerdotale iudicium remotum esse à cruentis vltionibus; quæ, si interdum sint pro religione necessariæ, à Principibus sint expetendæ, & expectandæ; perfidiamque solere inualescere, vbi & Principes, ne legibus agant, & Episcopi, ne Synodos celebrent, impediuntur: ita vt vtrunque fidei plurimum noceat; sed primo loco si Principes aut nolint, aut non possint pro suo munere rebus Ecclesiasticis inuigilare. Habes etiam hoc loco ex Leone, non fuisse suis temporibus in Ecclesia Sancti Officij carceres, & carnificinam, imò ab Ecclesiastica lenitate hæc esse remotissima, & penes tantùm laicas potestates huiusmodi remedia, etiam in rebus fidei, resedisse; vt ex sequentibus fiet manifestius. Igitur si quid talis potestatis habeat Ecclesia, id certe ex se non habet, sed ex Principum concessione, vel conniuentia, cùm iudicia propria Ecclesiastica sint, ab omni vi coactiua, multo magis ab his sanguinolentis vltionibus, remotissima.

CLXIV. Docet hoc iterum idem Leo de hæreticis obfirmatis, scribens ad Iulianum Episcopum Coensem, *epist.* 24. Si qui autem, *inquit*, sua obduratione cœcati, ita in reprobi sensus amentiam transierunt, vt mallent furere, quam sanari: ad Imperialem pertinet potestatem, vt perturbatores Ecclesiæ pacis, & Reipublicæ, quæ Christianis Principibus merito gloriatur, inimici solicitius comprimantur.] Et ad Leonem Augustum, *epist.* 81. Ad consortium, *inquit*, te Apostolorum ac Prophetarum securus exhortor, vt constanter despicias, ac repellas eos, qui se Christiano nomine priuauere, nec patiaris impios parricidas, sacrilega simulatione de fide agere, quos constat à fide deuiare. Cum enim clementiam tuam Do-

minus tanta Sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta, defendas, & verã pacem iis quæ sunt turbata restituas: depellendo scilicet persuasores iuris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando; vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regiæ Ciuitati non retribuat, quæ antea admissa sunt, sed remittat.]

CLXV. Quantum verò tribuat idem Leo Principum potestati, in Generali Ecclesiæ & fidei cura, habemus satis expressum in ipsius epistola, quam ad Pulcheriam scripsit Augustam, quando Eutychetis error inualuerat: docet enim, curam illam, & assistentiam, à CHRISTO promissam suæ Ecclesiæ, æquè per Imperatorem, atque per Pontificem exerceri; & in fidei defensione Ecclesiam æquè vtriusque opera indigere: Leonis verba sunt: *Epist.* 33. Vnde quia non deserit Ecclesiam suam diuina protectio, dicente Domino, *Matthei cap.* 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*; eodemque opere, & tempore Spiritus DEI, & clementiæ vestræ solicitudinem, & curam nostri cordis accendit; vt de remedijs procurandis eadem vtrique cuperemus, & quæ prius poposci, nunc quoque instantius peto, maiore vtens fiducia deprecandi.] Et concludit: quoniam res humanæ aliter tutę esse nõ possunt, nisi quę ad diuinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat autoritas.] Et ad Martianum Imperatorem, *Leo epist.* 61. Vt cum potestatis vestræ sit, *inquit*, scandala etiam (*circa fidem*) in longinquum nata resecare, multo magis ea, quæ sub vestris audent oculis surgere, non sinatis accrescere.]

CLXVI. Episcopi primæ Syriæ ad Leonem Imperatorem ita de Timotheo sedis Alexandrinæ inuasore scribunt, vt ipsum tanquam schismaticum ad Ecclesiasticum iudicium, nequaquam amplius pertinere assererent, sed totum de illo iudicium relinquunt Imperatori: Aiunt enim, *Post Concil. Chalced.* Quapropter multis, maximisque accusationibus aduersus eum factis, non arbitramur oportere, vt hæc à nobis exautiorentur: nisi fortè etiam gentiles, qui à pietate segregati sunt, omnino culpemus, quòd non omnes Ecclesiæ custodiũt sanctiones, &c.] Ac pergunt docere, quemadmodum gentiles ad Ecclesiæ iudicium nõ spectant, neque per Ecclesiam corrigi debent, si Ecclesiasticas non seruant leges; ita neque illos qui à communione Ecclesiæ iam separati sint, ad iudicium Ecclesiæ pertinere; sed totos iam esse sub potestate sola sæculari. Et bene dicunt: Ecclesia enim cum nullam habeat, vt vidimus, potestatem coactiuam, si pertinacem offenderit hæreticum, aut schismaticum, nihil amplius contra illum potest, nisi vt eum abijciat, & ex albo fidelium expungat: hoc enim & mandatum habuit à CHRISTO, & hanc potestatem recepit Ecclesia, vt peruicaces huiusmodi sint ei, *Matth.* 18. sicut Ethnici, & Publicani. Ethnicus verò ad iudicium Ecclesiæ nihil spectat, dicente Apostolo 1. *Corinth.* 5. *Quid mihi de his qui foris sunt, iudicare?* De his egi lib. 5. præcedenti.

CLXVII. Hæreticos non esse vi & timore adigendos, vt rectè sentiant, & in Catholica permaneant vnitate, senserant quidem olim multi, & cum ipsis Augustinus. Postea verò timorem hunc plurimum prodesse, expertus etiam est idem Augustinus: qui ita scribit ad Vincentium, *Epist.* 48. Donatistas, per ordinatas à Deo potestates cohiberi atque corrigi, mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correctione gaudemus, qui tam veraciter vnitatem catholicam tenent, atq; defendunt, vt à pristino errore se liberatos esse lætantur, vt eos cum magna gratulatione miretur. Qui tamen nescio qua vi consuetudinis, nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc terrore perculsi solicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent, &c.] Et inferius: Mea primitus sententia erat, neminem ad vnitatem CHRISTI esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus; Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam, timore legum Imperialium, conuersa est, — Ita aliæ multæ, &c.] Neque in hac epistola sola, quæ tota hoc solum complectitur argumentum, sed sæpe multis alijs in locis in hãc digreditur Augustinus disputationẽ; vt probet vtile esse si vi & terrore agatur contra Christianos male de fide sentientes: Ita *epist.* 50. *& tract.* 11. *in Iohan.* & contra liter. Petil. *lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 11. 79. 83. & alibi.

CLXVIII. Sicut itaque negare non possum vim hanc, & timorem plurimum posse prodesse, ita omnino cum Augustino assero, vim hanc, & terrorem à sola temporali potestate posse, & debere proficisci: cohibendos enim, & corrigendos dixit Augustinus esse hæreticos, sed per ordinatas à DEO potestates: Neque vllum sancti officij tribunal erectum adhuc viderat Augustinus in Ecclesia, qui diu in ea etiam fuerat opinione, vt vis nullo modo esset adhibenda. Et quando eam adhibendam tandem esse assensit, solum ad hoc Principum tribunal aptum adinuenit. In Ecclesia verò solam discussionem, & cognitionem errorum in fide agnoscit: & non aliam pœnam, nisi exclusionis à communione, & effectum bonum multorum conuersionis, soli terrenæ potestatis terrori acceptum tulit: neque mutauit ex ea parte sententiam, quod spectat ad Ecclesiam, cum hæreticis ei verbo esse agendum, disputatione pugnandum, & ratione vincendum: aut, re desperata, ad excommunicationes deueniendum.

CLXIX. Principes sanè ex proprio munere, & propria ipsorum autoritate ad rectam fidem homines cogere, & non ad Ecclesiæ postulationem, aut pro executione Ecclesiasticorum decretorum, docet expressè idem Augustinus, scribens ad Emeritum Donatistam, *epist.* 164. Nam & terrenæ, *inquit*, potestates, cum schismaticos persequuntur, ea regula se defendunt.] Qua obsecro? num illa quod 23. *quæst.* 5. *cap. Administratores, & 6. Ad abolendam de hæret. in 6.* Inquisitoribus, sub excommunicationis pœna, brachium sæculare exhibere teneantur? Minimè verò, sed pergit: quia dicit Apostolus, *Rom.* 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, — non enim frustra gladium portat, &c.*] Id ergo propria faciũt autoritate, & ea potestate, quam ipsis Deus, non tribunal sanctæ inquisitionis dedit, & qua toties Imperatores Episcopos peruersæ opinionis de sedibus deiecerunt, in exilium expulerunt, & grauioribus etiam pœnis affecerunt. Vnde & postea subiungit idem Augustinus, loquens cum Episcopis Donatistis: sed illi, *Principes*, qualibet occasione cognoscentes vestri schismatis nefas, constituunt aduersus vos, pro sua solicitudine ac potestate, quod volunt: *non enim frustra gladium portant: Dei enim ministri sunt, vindices in iram in eos qui male agunt.*] Obserua illa verba, sua solicitudine ac potestate. Qua in parte præcipuus huius quæstionis neruus situs est.

CLXX. Tan-

CLXX. Tantum verò abhorruit ab hoc iudicio coactiuo in rebus fidei idem Augustinus, vt quamuis memo ad Principes recurrendum esse in his censuerit, & plenam in ipsis agnouerit in hoc potestatem, lenitatis tamen Ecclesiasticæ memor, aliquando illud tantum postulandum à Principe esse censuit Ecclesiæ nomine, vt non cogerent hæreticos ad fidem, sed prohiberent duntaxat, ne in catholicos adeò debaccharentur; neve eos iniurijs, damnis & cladibus afficerent. Imperator tamen sua vsus potestate, in hoc Legatos Ecclesiasticos ad hoc missos, non audiit: sed promulgauit legem, *August. epist.* 50. vt tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, *inquit Augustinus*, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæuiebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune: non tamen supplicio capitali, propter seruandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam; sed pecuniarijs damnis propositis, & in Episcopos vel ministros eorum exilio constituto.] Eandem seruans lenitatem, & à Carnificina abhorrens idem Augustinus, Principum potestatem in iudicandis Ecclesiæ causis criminalibus agnoscens, ita scribit ad Donatum Africæ Proconsulem, *Epist.*127.

CLXXI. Neque enim vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas angustias animi nos debent coarctare quæ patimur, vt obliuiscamur, quid nobis præceperit, pro cuius veritate ac nomine patimur: *Luc.6.cap.* qui diligimus inimicos nostros, & oramus pro eis, vnde & occasione terribilium iudicum, ac legum, ne in æterni iudicij pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari: nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicijs, quibus digni sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, vt sint quos pœniteat peccasse; Quæsumus igitur, vt cum Ecclesiæ caussas audis, quam libet nefarijs iniurijs appetitam, vel afflictam esse cognosceris, potestatem occidendi te habere obliuiscaris, & petitionem nostram non obliuiscaris. Illud quoque prudentia tua cogitet, quòd caussas Ecclesiasticas insinuare vobis nemo præter Ecclesiasticos curat; proinde si occidendos in his sceleribus homines putaueritis, deterrebitis nos ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perueniat: quo comperto, illi in nostram perniciem licentiori audacia grassabuntur: necessitate nobis impacta, & indicta, vt etiam occidi ab eis eligamus, quàm eos occidendos vestris iudicijs ingeramus.] Aut ergo tolerandi erant Ecclesiasticis hæretici, aut si puniendi fuissent, ad laicum tribunal eos deferre debuissent; atque hoc citra pœnam sanguinis omnino re ipsa, & non nuda & frigida verborum protestatione.

CLXXII. Huc facit etiam quod optimè scribit, vt vidimus, Isidorus *de summo bon. cap.* 53. *& ponitur* 23. *quæst.*5.*c.Principes* Principes, *inquit*, sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.] Vide locum etiam supra, *cap.*4.*num.*8. Ad obserua principem poni intra Ecclesiam, tanquam necessarium, vt Ecclesiastica per suam potestatem curet & promoueat. Siquidem Ecclesia ex humilitate sua, & lenitate, non præualet, vt idem asserit, rigore vti, & coactione externa; Principesque à Christo Ecclesiam tuendam suscepisse, & rationem reddituros ei qui ipsorum potestati suã Ecclesiam credidit. Et quidem est quod Bonifacius *Apud Bellarm. de Rom. Pontif. lib.*2.*cap.*17. Moguntinus conqueritur cum Zacharia Papa, iam per octoginta circiter annos in Francia, ignauis Regibus regnantibus, nullam Synodum fuisse celebratam, Ecclesias temporales à laicis, & publicanis possessas, clericos quatuor aut quinque simul concubinas habuisse, religionem denique omnem conculcatam, & dissipatam? Nisi quia Regum erat ista coercere. Siquidem in Regum socordiam horum malorum caussam totam conijcit. Et Iuo Carnotensis contra abusus Ecclesiasticorum Regis opem implorat: vt supra vidimus *num.*92. Franciscus demum *Duran. de sac. minist. & benef. lib.*1.*c.*5. Duarenus curam hanc Principum in Ecclesias confirmat & probat ex professo.

CLXXIII. His adde, quæ supra *cap.*4.*num.*77. protuli, leges esse Ecclesiasticas in Concilio Antiocheno primùm positas, & in [*in Epist. Archiman. dictarum, act.*4.*& collect. Mart. Bracar. cap.*37.] Chalcedonensi postea confirmatas, atque à Pelagio repetitas; eos nimirum, qui malis imbuti opinionibus in Ecclesia doceri nolunt, quique schisma faciunt, & aliud altare erigunt; *Dist.*17.*c.Non licuit. & 23.quæst.*5.*c. Relegentes.* per sæculares debere comprimi potestates: quia tribunal coactiuum sancti officij in Ecclesia nullum erat, sed solum directiuum; & apud solos Principes coactiuum. Quicquid ergò coactionis habet nunc Ecclesia circa fidem, id totum habet ex Principum concessione; qui tribunalis adeò rigidi erectionem in ipsa Ecclesia permiserunt. Quod tamē tribunal aliqui adhuc Principes prudenter & iure optimo totum penes se retinent; Cur enim spolient se ea potestate, quam à Deo ipso proxime acceperunt? Glorientur nunc nostri, in Ecclesia: Sanctam Inquisitionem habere propriam Ecclesiasticam potestatem, in vitas etiam fidelium, imò vel ipsorum Regum supremorum, si à fide deficiant. Ita enim vnus ex nostris scribit: *Gregor. de Valent. in* 22.*c. disput.*1.*quæst.*12.*punct.*2.*assert.*2. Iure Ecclesiastico, atque adeo per Summum Pontificem potest quis dominio, & prælatione erga subditos priuari, propter peccatum Apostasiæ à fide.—Probatur autem, *inquit*, hæc assertio, primo & quidem irrefragabiliter illis argumentis quibus—conuicimus posse hæreticos & apostatas à fide priuari, etiam ipsa vita, per Ecclesiæ autoritatem. Nam si vita possunt priuari, multò magis omnibus alijs bonis, atque adeo etiam prælatione in alios: cum omnibus eiusmodi temporalibus vita præponderet, & ea sublata, reliqua omnia tollantur.] Conferamus nunc doctrinam hanc nouam pestiferam, cum præcedenti veteri, & rideamus, imò & lugeamus. Et Principes nostri sibi caueant, Qui dum officio Inquisitionis Ecclesiasticorum permittunt iudicia etiam temporalia in fortunas, corpora, & vitas fidelium, ipsum officium iam adeo armarunt, vt ipsum profiteatur se propria Ecclesiastica autoritate habere ius in sceptra etiam, ac vitas ipsorum. Facilè verò, quos vult, sola Roma facit hæreticos, si vel parum quid ei, temporalia quærenti, quis obnitatur. Quam quidem occultam furtimque pietatis nomine subreptam tyrannidem dum cogito, videtur mihi vetus fabella aliquantum adaucta posse eidem non ineptè applicari. In syluam amplam & consertam venit olim securis ferrea, iam tum inermis atque intractabilis; apud quercum sacram ac proceram, quæ Iouis ipsius iussu reliquis dominabatur arboribus, conqueritur, in sylua densa ac vmbrosa multa succrescere virgulta inutilia & noxia, multos truncis adnasci ramusculos exsuccos ac putridos, inde aliis non modo vmbram grauem, sed & cariem imminere, nisi has arborum pestes ferrum coerceat, se quidem his amputandis operam suam libenter

præstituram, sed manubrium non habere quo ad ictum dirigatur: petere itaque à Domina quercu, vt sibi vnum largiatur ramolum illa ad purgandam sylvam sibi subditam haud ægre dat etiam suo de corpore brachium. Hoc instructa securis primo minorum, dein maiusculorum arborum morbis occursura multos hinc inde surculos, ramos ac stipites ferro abscissos flamma vindice vertit in cineres. Tandem causatur in ipsa sylvæ Domina non modo ramos reperiri distortos, ac gibbosos, sed & ipsum robur tabescere, vermiculo occulto medullam ac radicem depascente, illam quercum nuper sacram, non iam sertis ac coronis, non veneratione, non arborum imperio, sed plane dignam ruina ac incendio. Atque ita in truncum ipsum, vnde modo brachium præcario commodatum cepit, aciem vertit, quercum vulnerat, prosternit, comburit. Ex illo scilicet tempore plerisque in sylvis non quercus ferro, sed quercui ferrum dominatur; ac ad ipsum caput sæculare decutiendum, vel saltem concutiendū, adhibetur brachium sæculare, brachium, inquam, emendicatum, vt fieret teli spiritualis manubrium. Ita iam caput sæculare poterit de se apud se conqueri.

CLXXIV. Quis nunc audeat os suum in Cælum ponere, & Christos Domini Principes temporales, fidei & religionis Christianæ cultores, reprehendere, quod in Regno quisque suo, res etiam Ecclesiasticas curent, regant, & sua autoritate moderentur? salua tamen sua, Ecclesiasticæ potestati propria cura ac functione in dogmatibus declarandis, decidendis, ac stabiliendis, & sacramentis ministrandis; & in tractandis clauibus ei à Christo datis. In his enim nimium sibi Constantium arrogantē ita sugillat Athanasius, *Epist. ad Solitar.* Nam si istud, *inquit*, est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contra ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopi? quando à condito æuo auditum est? Quando iudicium Ecclesiæ autoritatem suam ab Imperatore accepit? Aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ ante hac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt, sed neque Patres huiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicio socios assumpsit.] Loquitur porrò in iudicandis rebus fidei, & materia hæresis, Episcopis. Potest enim Princeps, imò debet, quando opus est, promouere talia iudicia, & compellere vt ritè fiant: ipse tamen iudicijs talibus se non debet immiscere. Ego itaque Principes sicut in hoc, quando bonum promouent Ecclesiasticum in suo regno, reprehendi non posse arbitror; Ita duorum extremorum mediam tenendam viam neutiquam dubito, vt positus vtrinque scopulus euitetur, quorum alter est temeritatis ac sacrilegij, si Principes, qui sunt Cæsaris, & non Aaronis successores, sacerdotale Ephod induere, ac altari inseruire præsumant: alter verò scopulus est socordiæ ac incuriæ, si, qui Iosiæ, Dauidis, Constantinique successores dici & debent & volunt, vel vano timore, vel alio humano consilio deterriti Ecclesiæ curam abijciant, & à pietate ac solicitudine suorum decessorum, quos plurimos recensuimus, degenerantes, bonum regimen & gubernationem deserant Ecclesiarum: præsertim cùm iam Ecclesiæ tempora oculatos & operosos Principes flagitent, qui per se Dei opus agant, ac publicum Ecclesiæ bonum promoueant.

CLXXV. Quid mihi superest in hoc capite? nihil sanè aliud, nisi vt ad omnes Christianos Principes conuertam orationem, & dicam. *Psalm. 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Devs vobis suam Ecclesiam commendauit, potestatem dedit, qua possitis illam, si vepres interdum & spinæ in ea succreuerint, perpurgare. Quid stertitis, quid dormitis? Occidens ab Oriente per sæcula iam diuisus, vestra culpa non pacificatur, neque redit ad vnionem. In vestro Occidente, Regnum cum Regno pugnat, & fœdissimo schismate lacerata inconsutilis Christi tunica, vestra culpa, primario quidem Episcoporum obstinatione, ac factiosi vtrinque schismatis pertinacia, secundario autem non sine vestra culpa, quia in tanta tamque diuturna Ecclesiasticorum siue socordia siue duritia ipsi (à quibus iam solis Ecclesia vniuersalis expectat morbi sui medelam) de modis ac medijs non cogitatis, quibus saucia possit coalescere Christianitas. Inter tam crebros & quasi quotidiana vestra per legatos inuicem transmissos, & residentes ac agentes colloquia, solane ibi tractanda sunt politica & mundana consilia? Cum tot & tam anxiæ ineantur inter vos consultationes de bellis auertendis, de fœderibus cum hoc vel illo Regno aut statu contrahendis, de pace ciuili firmanda, de æquilibrio quodam inter regna diuersa tenendo, ne nimis potens Rex aliquis statibus reliquis grauis immineat, vicinosque absorbeat, dum hæc & alia huiusmodi negoria politica sollicitè procurantur, nulla interea, nulla ne, obsecro, vobis occurrunt atque incurrunt consilia, nulli conatus, nulla desideria ac vota de diuturnis Ecclesiarum bellis plusquam ciuilibus finiendis, de communi Christianorum omnium fœdere per Christi sanguinem sancito, per commune baptismi Sacramentum obsignato, per schismata & odia abrupto iam tandem resarciendo, de pace ac vnione fidelium Christo ipsi Deo ac duci nostro ac vestro commembrium statuenda, de tolerabili aliqua diuersarum & multiplicium Ecclesiarum non quidem absoluta dignitatis æqualitate, sed debita & cognata (qualem decet esse sororum) similitudine ac proportione, ita nempe vt non sit vna dominatrix ac tyranna Ecclesia, quæ reliquis grauis incumbat, sororesque suas pro ancillis & captiuis habeat. Vos sacratissima capita, propter ipsum caput nostrum Christvm ego vestræ cœlo natæ potestatis officiosus venerator, humilime obtestor, meminentis vos, vt Reges, vt Principes, ita simul esse Christianos, vt Procerarū habetis à Deo constituente, ita pro Deo, de Deo, ad Deum, maxime in iis, quæ propriè Dei sunt, esse exercendum. Certè binæ vobis manus sunt, quibus vtramque legis tabulam vobis à Deo ipso traditam teneatis. Cur harum alteram ipsam dextram vel amputari, vel vinciri patiamini? Si Dei ministri estis, Dei caussam amplectimini.

CLXXVI. Quanta fuerit olim dissensio in Africa, inter Catholicos, & Donatistas, memoria repetite: quid tandem consilij, rebus desperans ceperit Honorius Imperator, tanquam supremus in dissidijs huiusmodi arbiter, notum est ex Augustino, *in Breuiculo collationis 1. cap. 5.* Missum nempe fuisse ab Imperatore in Africam Marcellinum tribunum & notarium ad conciliandos cum Catholicis Donatistas. Iusserat vero Imperator, dato ad hoc rescripto, partem vtramq; omnino ad collationem conuenire. Qui sane Imperator, vt minores redderet Donatistas, ne collationem fugerent, prudenter eos voluit initio insigni illo beneficio deuincire, non resistentibus in hoc, neque repugnantibus Episcopis Catholicis, inter quos erat Augustinus, vt eis redderentur iussione Imperiali Basilicæ,

qu:

qui ad collationem se venturos pollicerentur.: & quoniam detestabantur Episcopi Donatistæ Ecclesias Catholicorum, iussit Marcellinus, in hoc eis gratificans, vt in Thermis ad collationem conuenirent. Sed & illud effecit, vt Episcopi Catholici se obstrinxerint, & polliciti sint, quod si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic Episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute Christiana. Si autem in sua communione potius veritas ostenderetur, Ecclesiæ honores Episcopales eis non se negaturos.

CLXXVII. Rem sanè mirabilem, & prorsos, vt loquitur Augustinus, *ibid. & de gestis cum emerito Donat.* *circa medium*, dulcissimam, idem narrat; totum nimirum illum sanctissimum Catholicorum Episcoporum cœtum, numero scilicet supra trecentos, hilari animo obtulisse, omnes prorsus se esse paratos Episcopatum deponere, dummodo pax & vnio sequeretur. Facta est ordinata disputatio, & absoluta collatione, actisque in commentarios redactis, Marcellinus tulit sententiam contra Donatistas: quorum aliqui ad vnitatem Catholicam redierunt: alij in obstinatione perstiterunt, appellantes à sententia Marcellini. Hæc est vnica & singularis via ad vniuersalem concordiam conciliandam. Cogite vos, qui potestis, Episcopos & Theologos partis vtriusque, vt ad pacatas deueniant collationes; sed judices vos ipsi, cum viris vestris senatoribus etiam assistite: veram & perfectam libertatem tribuite, vt liberè pro veritate vtraque pars decertet. Scio non esse amplius tetractanda, quæ semel iam in Ecclesia sint definita sufficienter. Alia quæ nouas excitant controuersias, inter partes dissidentes, in publico & amplo conuentu exagitentur, ad quẽ conueniant non Præsules Episcopatuum dignitate, sed virtute & doctrina pollentes, ex vtraque parte cõuocentur: sit potius collatio (vt fuit illa tempore Augustini) quam Concilium. Vtinam verò is nostris Episcopis sensus esset, qui fuit sanctissimis illis Patribus, vt pro vniuersali Ecclesiæ sanctæ vnione, Episcopatus sua omnes sint etiam deponere sponte paratissimi. Solummus discordiæ, & omnium schismatum fons & origo est, quod omnino volumus monarchiam Rom. mordicus tenere, ac per fas & nefas tueri. Et quia sibi noster Papa, & Illustrissimi Cardinales vehementer timent, ne si verum, & liberum fiat, de more veterum, Concilium Generale, à principibus Christianis contra Romanam oppressionem, & intolerabilem violentiam conuocatum, & in suo robore defensum, ac protectum, ab altissimo gradu decidãt, remediũ hoc semper sunt totis viribus impedituri; Vos tamen Principes potentissimi, si in hoc inter vos consenseritis, Deo Opt. Max. suam causam defendẽte, & vobis in hoc sua gratia singulariter assistente, optatum finem facili negotio consequemini.

CLXXVIII. Si expectetis vt Romanus Pontifex, cum suis proceribus, negotium promoueat, frustra estis: mauult enim vt schismata perseuerent, quam vt vel tantillum de sua vsurpata monarchia detrahatur. Si in Concilio, quod omnino conuocare, vel ipso inuito more maiorum deberetis, eidem totam dederitis autoritatem; operam, & oleum perdideritis. Habet tam multos Episcopos ipsius asseclas, varijs artibus sibi beneficijs, metu, spe, allectos, & obstrictos, vt bonorum & rectè sentientium consilia sana sit vel ipsis horum clamoribus oppressurus. Si iudicium decisiuũ in solis Episcoporum suffragijs collocetis, habet ille cateruas sibi famulantium, & ipsius veneno infectorum, at præsertim merè titularium Episcoporum, qui Ecclesias nec habent, nec merentur. Has Pastorum laruas, vmbras, & nuda sine re nomina, protrudit ad pompam, ac quasi vacuas pharmacopœi pyxides titulorum ludibrio turgentes ostentat in officina Romana. Ab his partim factiosis, partim fictitijs Episcopis, aliud expectandum, quam vt nutricem illam, cuius lacte nutriuntur, sedulo foueant, ac cum adeo multi sint, bonos longe superent ac obruant, vbi decidentium numerantur non pensitantur suffragia. Vestrum erit huic negotio assistere, & prouidere ne res transigatur imperitorum multitudine, ineptorum strepitu ac male affectorum factione: sed vt rationem à viris doctis, & scientia Theologica instructis vtrimq; propositarum ac ventilatarum momenta vim suam debitã victoriamq; sortiantur. Consiliũ hoc ne videatur, obsecro, vobis inauditũ, & nouum; nam sicut rationi maxime est consentaneum, ita & exemplis confirmatur, & autoritate antiquorum doctissimorũ Patrum stabilitur: Scribens enim Theodoretus ad Anatolium Exconsulem, magistrum militum Martiani Imperatoris; *ep.139. apud Baron. tom.6 an.450. n.41.* Rogare, *ait*, dilectũ Deo ipsorũ caput, vt finẽ imponant ijs, quæ rectè sancita sont: & Synodũ congregent; non iterũ perturbatorũ hominum, & conuenarũ plenam; sed ab his omnibus alienã; & eos, qui res diuinas rectè iudicant, magnifacientiũ, & præ omnibus rebus humanis veritatem æstimantium. Si vero ipsorum majestas veterem Ecclesijs voluerit restituere serenitatẽ, & tranquillitatem (velle autẽ certo scio) rogare eorũ pietatem, vt rebus, dum fiunt, adsint, vt eos qui cõtraria sentiunt (*nimirum articulis iam plene in Ecclesia definitis*) sua præsentia terreant, vt nullũ habeat veritas aduersarium, sed ipsa per seipsam rerũ naturam perquirat, & Apostolicorũ dogmatũ characterẽ, & veritatẽ.] Veritas itaq; vobis in Concilio huiusmodi præconibus, & ipsum, vt suadet Theodoretus, vestra autoritate moderantibus, adeò plana pandetur, Christo Domino sua *Matt.28.* promissa exequente, & cœtui in ipsius nomine congregato suum spiritũ non deneganter, vt cœci tantũ, & refractarij, quos erit vobis facillimum cognoscere & reprimere, sint repugnaturi. Aliqua controuersiarum capita, ex quibus dissensiones, & schismata fouentur, definientur: aliqua vt diuini consilij arcana secretiora, & inscrutabilia, intacta relinquentur: aliqua tanquam adiaphora liberæ cuiusq; menti, & vt quisq; in suo sensu abundet, permittentur. Atq; iterum pax & communio inter omnes Christi Ecclesias, vestra (Principes Christi amantes) opera, firma stabilietur, ex qua etiam pacificam quisq; vestrum sui Regni gubernationem obtinebit. Sed & alia accipite exempla.

CLXXIX. Dissentiebat aliquãdo Occidens ab Oriente, occasione schismatis Antiocheni, inter Euagrium, & Flauianũ. Euagriũ fouebat Ecclesia Romana; & sedente nihilominus Flauiano, communionẽ toti pene Orienti negabat Occidens: Conciliũ tunc Capuanũ, pro hoc potissimũ negotio fuit cõgregatũ; sed frustra. Quis tandẽ dissidium composuit? Audite Theodoretũ *l.5.c.23.* Imperator (*Theodosius Iunior*) Rom. denuo aduocans, in idem crimẽ rursus ab Episcopis vocatos est, quod scil. tyrannidẽ Flauiani nõ repressẽrat. Tũ Imperator eos dicere iubet, quæ sit tyrannidis genus? Nam ipse, *inquit*, Flauiani partes suscipiam, & causam eius agam in iudicio: Cũ autem illi responderent se nõ posse cum Imperatore iudicio disceptare, hortatur vti deinceps concordiam in Ecclesia constituant, dirimant lites, & inanis contẽtionis flammã extinguant.] Adhortationem hanc Imperatoris, subsecuta est defensio Flauiani, quem vt magis legitime electum totus Oriens iam fuerat amplexus. Qua Episcopi Occidentales, Imperatoris sedulâ curâ permoti, promittunt se

simultates depositutos, & Flauiani Legatos admissuros; & ita Imperator inimicitias, ad septemdecim annos continuatas, sua autoritate extinxit: Ecclesijsque pacem restituit.

CLXXX. Iustinianus Imperator, morem suorum maiorum secutus, cupiens omnes Ecclesias vnire, & dissentientes sacerdotes, ad catholicā vnionem reuocare, etiam ipse regia via, iam in hoc trita, & quæ fermè sola cōmoda & opportuna relinquitur, incedens, collationē habendam esse censuit Constantinopoli inter catholicos, & ab ipsis dissidentes: cuius collationis acta in Annalib. Baronij primū in lucem prodierunt, *Baron. tom. 2. an. 532. n. 31.* in quibus verba Imp. sunt ista, suos Episcopos alloquentis: Eo ꝙ pro ijs, qui cū Seuero Episcopo ab Ecclesia desciuerunt conuocaui vos, vt de his quibus ambigunt conferatis cū eis, cū omni mansuetudine, & patientia, sicut decet orthodoxos & sanctos viros. Etsi n. illi exasperati fuerint, vos tanquam Dei amatores, cū omni mansuetudine, & tranquillitate, eis satisfacite. Nolo autē sub mei præsentia fieri collationē; ne in contemptū veniant: sed præcipio gloriosissimo Patricio strategno officij magistro, vt vobiscum vna resideat.] Quid vero inde secutū est? ingens sanè fructus: nā, etiamsi Episcopi præcipui iam subuersi, in sua obstinatione, cōfusi tamē luce veritatis catholicæ, permanserunt; vno tantū ex ipsis manus dante; clerici tamen plurimi, & monachi agnito errore, & detestatis hæresibus, ad vnionē catholicam sunt redacti. Ita sanè sperare possumus, & nos, vt ex diligenti & bene regulata collatione; vestra opera, Principes pijssimi, plebs salté, & multitudo fidelium, rectam fidē amplectatur, nudique ac sine plebibus & fautoribus sint solitarij, si qui nimium peruicaces, & refractarij fuerint ex Episcopis, & Doctoribus, permansuri. Quibus etiam iam tandem confusis, vestra potestas, imposito eis silentio, eiectionibus saltem, & ex lijs, ne amplius schismata faciant, & dissensiones, facile remedium adhibebit. Vt fecit aliquando etiam Theodosius senior, quem iam ostendi, post Concilium primum Constantinopolitanum, ad se conuocasse omnium sectatum Episcopos præcipuos, & magistros; & facta collatione, inuentaque plana & manifestata catholica Veritate; seuerissimis legibus hæreticos oppressisse. *Socr. l. 5. c. 10. & Theodor. l. 5. cap. 8.*

CLXXXI. Si præter tot vetera decessorū vestrorū exempla cupitis recentiora, habetis Fridericū Imperatorē; qui dum fœdo schismate, occasione dissensionis inter Rolandū & Octanianū, pro sede Romana decertantium, Ecclesia scinderetur, suam, maiorū exemplo, exercuit autoritatē: ipsum Fridericum audite, Rolandum cū suis Cardinalibus ad Concilium euocantem: *Radeuic. l. 2. c. 55.* Quoniam diuina, *inquit*, præordinante clementia Romani Imperij gubernacula suscepimus, oportet vt in omnibus vijs nostris ipsius legē custodiamus, cuius munere, cuius voluntate, dignitatis nostræ apicē adepti sumus. In hoc itaq; sacratissimo proposito constituti, cū omnibus Ecclesijs in nostro imperio cōstitutis Imperio debeamus patrocinari, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tanto propensius debemus prouidere, quanto ipsius cura & defensio à diuina prouidētia videtur nobis esse commissa specialius. Ea propter de discordia, quæ in substituendo Romanum Pontificem, inter vos suborta est, plurimum dolemus; timentes ne occasione huius schismatis, Ecclesia, Christi sanguine redempta, debeat dilacerari: præsertim cum robur Ecclesiæ foris titubare videatur, quando vnitas ipsius, scissura domestica, interius dilaniatur. Vt autem huic pesti competens, & Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorū consilio, generalem curiam & conuentum in octaua Epiphaniæ, Papiæ indiximus celebrandam; ad quam euocauimus totius Imperij nostri, & aliorum Regnorum, scilicet Angliæ, Franciæ, Vngariæ, Daciæ Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, & Viros religiosos, ac Deum timentes: quatenus remoto omni sæculari iudicio, hoc tam magnum Ecclesiæ negotium, Ecclesiasticarum tantum personarum sententia ita sopiatur, vt & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclesia Rumana, sua integritate & Iustitia non possit à quoquā priuari: vel Status Vrbis, quæ caput Imperij nostri est, inquietari. Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius Ecclesiæ catholicæ præcipimus, vt ad eandem Curiam, siue cōuentum, veniatis, & Ecclesiasticarum personarum sententiam audituri, & recepturi. Testis enim est nobis Deus, quia in hac curia nec amore, nec odio alicuius personæ quidquam aliud quærimus, quam honorem Dei, & Ecclesiæ suæ vnitatem. Quod si ad tam celebrem Ecclesiæ conuentum, examinationis causa, venire volueritis, carissimi Principes nostri, & Ecclesiæ catholicæ Hermannus Verdon. Daniel Pragen. Patres & Episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, vna cum Comite Palatino consanguineo nostro, alijsque legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si vero Iustitiam Dei, & Ecclesiæ in tam solenni conuentu recipere nolueritis; videat Deus & iudicet: Nos autem ipsius fauente gratia, *Psal. 143.* qui dat salutem Regibus, Iustitiam Dei, quæ nullum magis quam Imperatorem Romanum decet, persequemur.]

CLXXXII. Quid animi habuerit Fridericus, boni, an mali, nobis non est inuestigandum: certè conuocatio hæc Episcoporum ad conuentum, simul & laicorum, improbari non potest, nisi velimus omnes veteres etiam pijssimos Imperatores improbare, quos Ecclesia catholica tota approbauit, & laudauit: neque cauilli Rolandi, & Regiæ potestatis depressorum sunt magni faciendi in nomine Curiæ: cum reipsa Concilium, seu conuentus ille fuerit verus, & legitimus, atque Ecclesiasticus, in sui conuocatione. An verò errauerit in iudicio ac definitione nec ne, non iam moramur: modum & autoritatem Imperialem, Ecclesiæ subueniendi, inspicimus: effectum non examinamus; Verba Imperatoris in ipso Concilio iam congregato, nullam pati oppositionem cernimus, dum ait: *Radeuic. l. 2. cap. 64.* Quamuis nouerim ex officio ac dignitate Imperij, penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis (hoc enim Constantinus, & Theodosius, nec non Iustinianus; seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otto Imperatores fecisse memorantur:) autoritatem tamen definiendi huius maximi & summi negotij, vestræ prudentiæ vestræque potestati committo. Devs enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & quia in his, quæ ad Devm sunt, non est nostrum de vobis iudicare, tales vos, & taliter in hac causa hortamur habere, tanquam solius Dei de vobis expectantes iudicium.] Hæc Fridericus potius abiectè, quam altè de sua loquens autoritate.

CLXXXIII. Clarè vt arbitror, perspicitis, Imperatorum ac Principum semper fuisse, Ecclesiam prostratam erigere; & optime Gersonium, siue quicunque ille sit, qui tractatum illum scripsit; *Qualis fuerit status Ecclesiæ in veteri & nouo Testamento, &c.* inter alia obseruasse; *tom. 1.* Quod quandocunque, *inquit*, Ecclesia in schismate, vel alio modo vacillauit, semper erecta fuit per aliquos Principes sæculares, vt per Carolum Magnum, Ottones de Saxonia, Reges Franciæ, Pisanos,

& diuersos alios. Nunquam enim, *inquit*, Ecclesia lapsa, vel vacillans, suis opibus, vel viribus, se erexit.] Hoc ipsum Constantinus Pogonatus Imperator, qui sextam Synodum generalem conuocauit, testatus fuerat, dicens *inter epist. Leon. 2. tom. 2.* Compluries enim Ecclesia, impressionibus hæresum periculose ægrotauit: & non aliter Orthodoxiæ accepit medicinam, quam piorum & Christi amantium Imperatorum adhortatione (*imo & absoluta autoritate*) sacerdotum vero à Deo institutorum Concilijs & cœtibus.]

CLXXXIV. Vestram demum potestatem Principes Christo charissimi, in reformanda collapsa Ecclesiæ disciplina, vbi *Matth.* 13. dormientibus, & negligentibus, vel etiam conspirantibus Ecclesiæ prælatis, inimicus superseminarit Zizania in agro Domini, si vultis ex aliquo nostrate Theologo docto & catholico cognoscere, Gersonium audite: *Gerson consid. 3. super ludo stult. tom. 4.* Viso, *inquit*, ac considerato, quod multi prælati noluerunt, aut fortasse non potuerunt, hactenus talibus insolentijs, & fidei nostræ irrisionibus finē imponere; aut propter capitulorum, vel aliarum Ecclesiarū exemptiones; aut ob malū maiorū ignauia & negligentia nimis irradicatū; aut ob aliam quāuis causam, quæ eos excusat minime. Rex in primis & alij Christiani Principes possunt rationabiliter, sanctè iusteque de remedio prouidere, per edictum ac prohibitionem generalem, atq; per coactionem rebelliū & inobedientium. Et appareret posset eos obligari ad illud exequendū velut sanctæ Ecclesiæ protectores.] Hæc contra insolentias quaidā, & ludos turpissimos à monachis & clericis in Abbatijs, & Ecclesijs Monachorum ac monialium celebrari solitos. Quanto magis ea cura ad vos Reges spectabit, vbi agitur de integritate & puritate fidei ac Religionis? Consilium eiusdem est procul dubio sanum & Catholicum, vt Episcopi à Papa nimium grauati, tandem ad vestrum confugiant iuuamen: ait enim; *Idem de statib. Ecclesiæ de statu Prælat. Consid. 9.* Status Episcopalis, si nimis arctetur in suis iuribus essentialibus, quoad restrictionem vsus vel exercitij passim communiter per Papam, absq; vtilitate maiori Ecclesiæ, siue hoc esset in exemptionibus subditorum ab eo, siue in reseruatione casuum in foro pœnitentiæ, seu in restrictione stipendiorum temporalium, (*vt fit per pensiones*) seu in reseruatione beneficiorum Ecclesiasticorum sub eo, seu per inductionem onerosam priuilegiatorum, aut modis similibus: Ille, inquam, status Episcopalis posset rationabiliter deferre querelam, nedum ad Papam & generale Concilium, quod est conuenientissimum medium, sed ad Principes Orthodoxos, implorando iuuamen opportunum.] Auditis ex viro doctissimo & piissimo, vestrum tandem esse, etiam Papam in proprio Ecclesiastico regimine in Ecclesijs vestris cohibere & moderari. Igitur si Christum amatis, & vestra sceptra vobis firma cupitis, expergiscimini; Erudimini primum vos: & inde ab erroribus liberi, efficite vt vno ore omnes Christum benedicamus, & glorificemus in secula: & nomina vestra erunt semper in benedictionem.

CAPVT VI.

Legibus & edictis Principum Laicorum, & Ecclesiastica & Ecclesiasticos gubernari.

SVMMA CAPITIS.

Festorum obseruatio à Principibus præcipitur, nu. 2.
Lex Valentiniani de Legatis viduarum excutitur, à num. 3. *ad* num. 13.
Lex Theodosij de Diaconissis, & ipsa excutitur, à n. 14. *ad* n. 19.
De Matrimonio & alijs rebus sacris Theodosius tulit leges, nu. 20. 21.
Honorius tulit legem de electione Romani Pontificis, nu. 22.
Martianus legem dedit pro rebus Ecclesiasticis, nu. 23.
Leonis Imperatoris leges in rebus Ecclesiasticis proferuntur, nu. 24. 25.
Gelasius Imperialibus legibus se subdit, nu. 26.
Iustinianus in Ecclesia plurimas proposuit leges, nu. 27. 28.
Heraclius sua lege direxit Ecclesiastica, nu. 29.
Gregorius leges Imperiales in Ecclesia promulgauit, nu. 30.
Carolus Magnus & Ludouicus suis legibus Ecclesiam rexerunt, nu. 31.
Leo Sextus Imperator plurimas leges ad Ecclesiam spectantes edidit, nu. 32.
Nicephorus Phocas de bonis Ecclesiæ relinquendis statuit, numer. 33.
Concilia varia leges Imperatorum circa regimen Ecclesiæ laudauerunt, & sunt amplexa, nu. 34. 35. 36. 37.
Ecclesiastici legibus Principum ligantur, nu. 38.
Obiectio ex quadam Synodo Romana legem quandam laicam abrogante, à nu. 39. *ad* num. 43. *Abrogare tamen Ecclesia non potest Principum leges*, nu. 44. 45. 46. 47. *Neque corrigere*, nu. 48.
Iustinianus vt legitimus in Ecclesia legislator contra Baronianas impetitiones defenditur, à nu. 49. *ad* nu. 53. *Similiter Leo Sextus*, nu. 56.
Principum hæc legislatiua potestas in Ecclesia, Cardinalis Cusani autoritate confirmatur, nu. 57.
Clerus etiam coactiuis his legibus subduntur, à n. 58. *ad* nu. 63.
Venetorum leges, & earum causa explicatur, & partim hic discutitur, à num. 64. ad finem capitis, partim in librum vltimum reijcitur.

I. POtestatem Principum terrenorum, pluribus iam nominibus, supremam in suo genere esse, & super viros etiā Ecclesiasticos in tēporalibus; & Ecclesiæ curā magnā ipsis esse cōmissam, hactenus ostendimus: nunc eandē, ex ipsorum legibus in & ab Ecclesia quoq; seruandis, & res ipsas etiam Ecclesiasticas sæpe moderantibus, iuxta illud Augustini, *ep.* 48. Seruiant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo] confirmemus. Incipiamos à Constantino.

II. Dominici diei feriationē, & festorū in Dei honorē sanctificationē, Constantinus primū legibus non modo muniuit, sed & eo die quid liceret, quid non liceret, declarauit. Eius sanctio est *C. de ferijs l.* 3. Sicuti indignissimū videbatur, diē solis venerationis suæ celebrē, altercantibus, iurgijs, & noxijs partium contentionibus occupari: ita gratū ac iucundum est, eo die, quæ sunt maximè votiua, compleri. Atq; ideo emancipandi atque manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus actus non prohibeantur.] Et rursus: *Cod. Theod. de fer. l.* 1. Omnes iudices, Vrbanæq; plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterq; inseruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasione momenti pereat cōmoditas cœlesti prouisione concessa.] Et postea Leo Imperator ita sanxit: *C. de fer. l. vlt. & Leo 6. nouell.* 54. Dies festos Maiestati Altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionū vexationib. profanari. Dominicū itaq; diem ita semper honorabilē decernimos, & venerandū, vt à cunctis executionib. excusetur: nulla quenquā vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat; sit ille dies à cognitionibus alienus; præconis horrida vox silescat, respirent à controuersiis litigatores, & habeant fœderis interuallum; ad sese

simul veniant aduersarij non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec huius tamen religiosi diei ocia relaxantes, obscœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena Theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula.] Concilium sanè Cabilonense 2. præceptum obseruandi diei Dominici, ad Imperatorem refert: ait enim c. 50. Diei Dominici obseruatio, & veneratio plurimum negligitur, vnde oportet vt authentica constitutio, illius venerandæ diei obseruatio, iuxta Imperium D. Imperatoris, statuatur.]

III. Valentinianus senior, ad Damasum Romanum Pontificem, super hæreditates, & Legata in Ecclesiasticos eiusmodi dedit rescriptum: *Theod. c. de Episc. & cle. l.* 20. Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis, vel qui cõtinentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant; sed publicis exterminentur iudicijs, si post hac eos affines earum vel propinqui putauerint deferendos. Cẽsemus etiam vt memorati, nihil de eius mulieris, cui se priuatim sub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacunq;, vel extremo iudicio possint adipisci. Et omne in tantum inefficax sit, quod alicui eorum ab his fuerit derelictum, vt nec per subiectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento, percipere. Quin etiam si forte post admonitionem legis nostræ aliquid ijsdem eæ fœminæ, vel donatione, vel extremo iudicio putauerint relinquendum, id fiscus vsurpet. Cæterum si earum quid voluntate percipiunt, ad quarum successionem vel bona iure ciuili, vel edicti beneficij adiuuantur, capiant vt propinqui. Lecta in Ecclesijs Romæ.]

IV. Lex hæc iam descripta fertur ab Imperatore, prohibens ne viduarum donationes, & hæreditates transeant ad Ecclesiasticos: quæ si nunc ferretur, mille fulmina à Papa in eam, seu potius in Principem eã ferentem, interdictorum atque excommunicationum intorquerentur. Tunc tamen Damasus Papa in Ecclesijs Romæ eam, quã ad se ab Imperatore directam acceperat, legendam, & publicandam curauit. Hieronymus vero de hac eadem lege ita scribit: *ep. 2. ad Nepot.*

V. Pudet dicere: Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta, hæreditates capiunt: solis Clericis ac monachis hac lege prohibetur: & non prohibetur à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem: cauterium bonum est; sed quo mihi vulnus vt indigeam cauterio? Prouida seueraque legis cautio, & tamen nec sic refrænatur auaritia.] Ambrosius quoque ad eandem, vt communiter putatur, respiciens legem, ita scripsit *epist.* 31. Nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, qui dispendia non dolemus. — Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur, nulla legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quid Sacerdotibus phani legauerit Christiana Vidua, valet: quod ministris Dei, nõ valet. Quod ego non vt querar, sed vt sciant qnid non querar, comprehendi.]

VI. Dolet sanè Hieronymus occasionẽ huius legis ferendæ ab Ecclesiasticis auaris datam; non dolet legem esse latam, quam iustam omnino esse, & sciebat, & fatebatur, dicens, se de lege non conqueri; sed dolere quòd Ecclesiastici eam meruerint. Ecclesiasticos porrò metuisse hanc legem, idem est, quod merito eam in ipsos fuisse latam. Si merito est lata, ergo iustè lata est: ergo legem ipsam iustam esse censuit Hieronymus. Et exemplum cauterij idem probat: cauterium enim, vbi vulnus putridum adest, optimum est, & merito applicatur, neque cum vlla iniuria ad vrendum ægrum, à medico adhibetur; imò si ipsum non adhiberet Medicus, malè faceret: ita & Princeps suo functus est munere legem hanc ferendo, cui muneri defuisset, si eam non tulisset. Ideoque ibidem Hieronymus legem hanc vocat, prouidam & seueram cautionem. Neque igitur agnouit iniustam, neque reprehensibilem: imò peccatum agnouit in illis, qui eam, adinuenta malitia, non seruarent. Ait enim; Per fidei commissa legibus illudimus, & quasi maiora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus, Euangelium contemnimus.] Clerici etenim, ne legis transgressores putarentur, & nihilominus viduarum bonis fruerentur, non sibi, sed alijs legata fieri, tanquam fidei commissa, persuadebant; cum obligatione vt ipsis inde emolumenta suppeditarentur. Hieronymus itaque in hac malitia errorem taxat clericorum simul, & stultitiam; qui, dum sibi videntur Imperatorum pœnas effugere, quibus legum Imperialium violatores sunt obnoxij, interim se Euangelij faciunt contemptores; quia, etiamsi coram hominibus legum violatores non comprobarentur, coram Deo tamen legibus illuderent, & eas omnino transgrederentur, quod contra Euangelium esse supponit, in quo habemus, Quæ sunt Cæsaris Cæsari esse reddenda: Cæsari verò præcipuè debetur in rebus humanis, & terrenis obedientia: quam in præsenti lege ex conscientia debitam omnino censet Hieronymus: bonam ergo, & obligatiuam etiam in conscientia, agnoscit, cui illudere, sit Euangelium contemnere.

VII. Pari ratione etiam Ambrosius, in lege hac, aut alia simili, iniquitatem non agnoscit. Eam enim in suo robore irreprehensam relinquit, quia cum sit circa temporalia, quorum plenè Dominos esse Principes terrenos agnoscebat, non est ausus tanquam iniquam reprehendere, aut ei obsistere vigore Sacerdotali, sicut obstitit Valentiniano filio, Ecclesias Catholicas pro Arianis deposcenti *ep.* 32. 33. Conquerebantur Ethnici, ore Symmachi vestalibus suis, & Sacerdotibus non amplius publica alimenta, vt olim moris fuerat, exhiberi. Vt has querelas, tanquam indebitas, Ambrosius refelleret, docet eos debere id æquo animo ferre: siquidem etiam Christiani Sacerdotes non proptereà essent melioris conditionis, quibus publicæ leges auferrent, ne possent donationes piarum personarum & hæreditates accipere: imò tradit adhuc peioris in hoc esse conditionis eo tempore Christianos, quam Ethnicos Sacerdotes: hi enim poterant dona huiusmodi, & hæreditates viduarum etiam Christianarum, si illæ eas ipsis legarent, absque vllo impedimento accipere, & possidere; Christianis verò id non licebat, & nihilominus tamen Christiani nihil de hoc conquerentur; cur Ethnici de minori damno conquerantur? Quod igitur Ambrosius vehementius exaggerauerit quasi indignitatem, vt lex Principum Christianorum priuauerit aliquo modo Ecclesias, vbi non priuat phana, & templa gentilium, non ideo fecit, vt legis iniquitatem sugillaret; sed vt ea comparatione facta, Ethnicorum querelas, tanquam indebitas, comprimeret. Ideoque dicebat, quod ego non vt querar, sed vt sciant (*Ethnici*) qnid non querar, comprehendi.] Hoc est, ego de lege nobis grauissima, gentilibus vero Sacerdotibus nihil noxia, nihil queror; sed eam

cum

cum meis Sacerdotibus æquo animo tolero: scimus enim Principes esse Dominos temporalium, & posse in his vt libet statuere: & tanto magis de ea nos non querimur, quod paupertatē, & incommoda ex rei familiaris angustia, non dolemus. Nos enim etiam ampla patrimonia tenemur relinquere, & patria, *inquit*, atq; auita, & omnium facultatum possessione nobis cedendū est, quando in ministros Ecclesiasticos assumimur, si volumus onus curiale declinare. Quantò minùs debemus commoueri, si leges etiam nobis aliena patrimonia eripiunt: ideoque ex talibus legibus nos iniuriam non accipimus, quia dispendium non dolemus. Damna temporalia nihili facimus, idcirco de lege damna hæc inferente non conquerimur; Cur verò illi conquerantur, quòd publica Sacerdotibus ipsorum non dentur alimenta, si nos non conquerimur, quòd priuatæ successionis emolumenta nobis legibus auferantur, quæ tamen illis relinquuntur?] Non itaque exaggerabat legis illius indignitatem respectu Ecclesiasticorum, vt de lege quereretur; sed vt ostenderet, quænam & quanta sint illa, de quibus conqueri nollent, & de quibus, si ipsos lex illa attingeret, illi plurimū quererentur. Fuit profectò perpetuus ille Ambrosij sensus, vt circa temporalia Ecclesia nunquam debeat multùm laborare, neq; ob illa cum Principibus decertare. Nota est illa eiusdem vox, vero digna Sacerdote: *Orat. in Auxent. ep. 32.* Si agros desiderat Imperator, potestatē habet vindicandorum, nemo nostrum interuenit: tollat eos si libitum est.] Ideoq; nullam putat fieri Ecclesiæ iniuriam, vbi in rebus temporalibus illa dispendiū pati cogitur. Non enim putamus, *inquit*, iniuriam, quia dispendia non dolemus.] Si ergo nulla fit Ecclesiæ iniuria per hanc legem, iniusta ex hoc capite non est, imo omnino seruanda.

VIII. Vides, Lector, quid Ambrosius sentiat de legibus Principum, quibus commoda temporalia auferuntur omnino Ecclesiis: nimirum illas de se iustas esse, & libertati Ecclesiasticæ nihil obuiare, aut saltem illas non esse eiusmodi, vt merito debeat Ecclesia, vel minimū quid contra illas cōmoueri. Esto n. sint iniustæ, & iniuriosæ Ecclesiis, (quod tamē expresse negat Ambrosius) nihilominus Ecclesia non debet iniuriam pēsare, etiam si aliqua esset, imo nullam adesse iniuriam debet illa omnino reputare, quia dispendia temporalia dolere non debet. Exclament nunc quantum libet nostri Romani contra Dominos Venetos, ipsorum leges esse contra Ecclesiasticam libertatem, quæ tamē non auferunt Ecclesiæ hæreditarias, sicut ista, successiones; sed successio permittitur, cum ea tantum conditione, vt bona immobilia post certum tempus vendantur, & eorum precium totum Ecclesiarum commodis reseruetur. Sciant profectò se non cum Venetis, sed cum Ambrosio, nunc, & postea cum alijs sanctissimis Patribus, negotium habere. Miseros nos & [illegible], quam longe à vero Ecclesiæ spiritu; & sanctorum Patrum sensu aberramus, dum nobis pro libertate Ecclesiæ vera, quæ in spiritu est, & fide ac religione, tota ad æterna duntaxat aspirans, & anhelans; libertatem carnis in commodorum temporalium opulentia obtrudi patimur, nec audemus repugnare: sed de libertate Ecclesiastica erit nobis extremo huius operis libro sermo proprius. Ad legem Valentiniani.

IX. Intelligunt optime, ac plane perspiciunt Monarchiæ Papalis assertores, hanc Valentiniani legem ab Ambrosio potius defensam, quam oppugnatam, ipsis magnum negotium facessere, ac proptereà anxiè laborant, vt festucam hanc, imo potius trabē ex oculis abijciant, quæ molestiam illis exhibet importunam; idcirco non cessant in omnem se versare partem: quorum multiplices, &, pene inter se contrariæ explicationes, manifeste arguunt, eos vana subterfugia quæritare, & actum agere. Commemorat Baronius, etiam Apostolorum tempore, non defuisse Ecclesiasticos Viros, 1. *Tim.* 6. 3. Quæstum existimantes esse pietatem; & *Tit.* 1. 11. qui turpis lucri gratia circuirent, atque domos subuerterent: 2. *Tim.* 3. 9. penetrantes domos, &c. Vt propterea Paulus illud consilij ceperit, vt sibi victum proprijs manibus quærendum statueret, 1. *Cor.* 9. 12. ne quod offendiculum daret Euangelio; si putaretur esse ex numero eorum, quos fœdabat auaritia: Deinde ita subdit ipse Baronius *tom.* 4. *an.* 370. *nu.* 114. At quanto putas precio Paulus redemisset, si, quòd non Ecclesiastica disciplina compescere posset, non coercerent Apostolicæ minæ, atque censuræ, hoc Pauli ipsius persuasione, sæcularis iudicij seueritas sustulisset, amputassetq; penitus infestos segetibus vepres, gladius potestatis, quos Apostolica securis succidere minime valuisset? *Luc.* 22. 38. Duos plane gladios Ecclesiæ vsui inseruire, eosdemq; sub Petri iure contineri, sua sententia Dominus comprobauit.]

X. Intelligit profectò Baronius Valētinianum, iussu Ecclesiæ, tanquam ipsius ministrum, ad comprimēdam clericorum auaritiam, legem illam promulgasse. Imo expresse asserit, *ibi. nu.* 119. verisimile esse, ipso Damaso id agente, hanc fuisse editam ab Imperatoribus sanctionē. Coniecturam vero addit; quia publicata est in Ecclesiis, præter morem; cum affigi soleret in Albo Prætoris: ex quo colligit Damasum edictum illud impetrasse, & propterea in Ecclesiis id iussisse publicari. Hæc tamen quæ dicit Baronius, nullo modo debent admitti. Paulus enim longe potentiori armatus gladio, quam esset gladius materialis, & potestate etiam coactiua longe efficaciori instructus, quam esset potestas Principum terrenorum; nihil prorsus indiguit auxilio brachij sæcularis. 1. *Cor.* 4. 21. Quid vultis veniam ad vos, *inquit*, in virga, an in charitate? 2. *Cor.* 13. 2. An quæritis experimentum eius qui loquitur in me Christus? Si venero iterum non parcam. 1. *Cor.* 5. 5. Tradidi huiusmodi hominem Sathanæ. Admirabilis prorsus gladius Pauli: virga sane, virga ferrea, potestas miraculorum: quos tradebat Sathanæ, arripiebantur à Sathana corporaliter; quos cæcitate percutere volebat, erant cæci, *Act.* 13. 11. quibus vitam etiam eripiendam censebant Apostoli *Act.* 5. 10. solo ipsorum verbo, absq; lictoribus, absq; securibus, exanimes ante eorum pedes, concidebant. Nullo ergo precio, ne obolo quidē, redimere opus habebat potestates iudicij sæcularis: & falsissimum est ipsum non potuisse Apostolicā hoc autoritate, & disciplina per miracula compescere quoscunque delinquentes, idque longe efficacius, ac facilius, quam potestas sæcularis potuisset.

XI. Damasum vero autorem fuisse vt lex illa ferretur, est solita Baronij diuinatio, nempe vna ex illis, quas ille sæpissime per insomnium effingit, vt somniantibus obtrudat. Nec vero probabilitas vlla adest id opinandi: vsus enim Ecclesiæ illud semper obtinuit, vt si quando auxilio indigeret brachij sæcularis, pro executione legis Ecclesiasticæ, ea primum ab ipsa Ecclesia ferretur, postea vero iam lata Principibus commendaretur, vt ipsius executionem, etiam additis pœnis corporalibus, illi præciperent. Debuit ergo prius Damasus ipse legem condere, & postea auxilium ab Imperatore petere. Sed concedamus, obsecro, Damaso agente, editam ab Imperatoribus illam sanctionem. Quid tum? Erit ne propterea Damasus in ea legislator? Imo quia legem hanc petit Damasus ab Imperatore,

peratore, ipse colligo, Damasum illam non potuisse ferre; sed ad eos recurrisse qui soli potestatem haberent huiusmodi leges sanciendi. Addo legem hanc viduas laicas proxime attingere; quarum donationes, & testamenta hac lege irritantur. Quam vero Damasus habebat autoritatem in laicos, & in donationes, ac testamenta laicorum? poterat sane sua lege prohibere ne clerici tales admitterent donationes; neve legata huiusmodi peterent; sed irritare testamenta, ac donationes; & laica bona fisco applicare non poterat Damasus. Lex ergo hæc tota absolute debetur Imperatoribus; & quamuis maximum generaret præiudicium clericis, & Ecclesijs, Damasus tamen eam accepit, & in Ecclesijs, profecto iussu Imperatoris, facit vt publicaretur: memor Paulini edicti: *Rom.13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, cuius edicti vi Gregorius quoque postea Mauritij leges, etiam Ecclesiæ putatas noxias, publicabat, vt vidimus supra *c.4. nu.23.* huius.

XII. Eludi præterea conantur dicentes, legem hanc non esse contra Ecclesiam, sed contra clericos ipsos, qui non pro Ecclesia, sed in suam proprietatem donationes, & legata Viduarum venabantur; vt propterea & Damasus, & alij sancti, eam potius laudarent, quam reprehenderent. Sed ne per hane quidem rimulam, iam conclusi, elabentur. Quicquid Ecclesiasticis tanquam Ecclesiasticis datur, id profecto intuitu Ecclesiæ datur, & clerici illi quomodo donationes, & legata à Viduis extorquebant? Occasione sacrorum ministrorum: cur enim præferrent Viduæ clericos sanguinis alieni, intimis propinquis? nisi quia id Deo ipsi illas donare in suis Sacerdotibus persuadebant, preces, benedictiones, & sacrificia offerebant, ingens meritum, animarumq; ex Purgatorio subitam euasionem nostri temporis Sacerdotes pollicerentur. Mobilia quidem illi soli deglutiebant; prædiorum vero dum viuerent fructibus, ad proprium priuatum commodũ fruebantur, postea alij clerici succedebant; & ita bona Ecclesiastica dicuntur esse Ecclesiæ, vt tamen in Ecclesiæ ministros impendantur. Ambrosius certe, si de hac lege loquitur, illam explicat, non tam contra clericorum personas latam, quam contra officium ipsum clericorum: dum ait: Vbi in muribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur.] Donationes ergo & legata illa Viduarum supponit non personas priuatas clericorum in ipsorum proprietate, sed officium eorundem respexisse: officium nimirum quod in Ecclesiis exercerent.

XIII. Postrema fuga est, Martianum Imperatorem hanc Valentiniani legem *C. de sacros. Eccles. l.13.* abrogasse, tanquam iniustam, & Ecclesiam nimium lædentem: & contrariam subrogasse. Sunt qui putent etiam Martiani legem non abrogare legem Valentiniani, nisi in vna tantum particula, quatenus videlicet Martianus testamenta Viduarum facta in fauorem clericorum, & Ecclesiarum, valida & firma esse iubeat: in reliquis Valentiniani legem integram permanere: videlicet ne clerici adeant domos Viduarum: & ne donationes ab illis accipiant. Quoniam tamen tota Valentinianæ legis vis in eo consistit, vt donationes, & testamenta irrita faciat: reliqua vero omnia huc spectant, vt testamenta hæc impediantur, ideirco omnino dicendum arbitror, legem Valentiniani totam, per contrariam Martiani legem abrogari; cum præsertim in nouellis Martiani *tit.* [illegible] *de test. cler.* expresse habeatur, ipsum eam legem penitus abrogare. Respondeo itaque hanc Martiani abrogationem plurimum monarchicos nostros oppugnare: primum enim cum si lex illa, vt vult Baronius, tribuitur Damaso autori, cur quod in gratiam Ecclesiæ, & consequenter pro bono Ecclesiæ, fecit vnus Imperator, alius tollat & destruat? Hæc ergo lex Martiani erit contra Ecclesiam, & tamen admissa est & approbata; nec quisquam de illa conqueritur: habemus ergo ex illa quod intendimus, Principes etiam in negotia Ecclesiasticorum imperiũ habere. Deinde si legem Valentiani iniustã facimus, & contra Damasi, ac Ecclesiæ voluntatem sancitam; proptereaque abrogationem hãc meruisse, sequitur necessario idem quod intendebamus, nimirum Damasum legem iniustam, in Ecclesiis Romæ publicari tolerasse, & non ausum quicquam opponere; eandemq;, licet iniuriã Ecclesiæ contineret, ab Hieronymo, & Ambrosio tamen potius laudatam fuisse, & confirmatam, quam reprehensam. Quod vero tandẽ post octoginta annos fuerit abrogata, abrogatio hæc supponit primum legem fuisse eousque seruatam; deinde significat Principum potestatem, qui & suos, & præcessorum leges possunt, pro opportunitate temporum, variare, mutare, abrogare, moderari; vt ipsis visum fuerit; neque tamen hinc colligas legem abrogatam iniustam fuisse, & propter iniustitiam quam contineret eam abrogari: sæpe enim cessat causa, quæ priori legi occasionem iustam dedit: vnde par est vt etiam lex ipsa cesset.

XIV. Valentiniani legi non dissimilem, imo, & fortasse magis Ecclesiæ, & Ecclesiasticis dispendiosam tulit legem Imperator catholicus, & pius Theodosius, viginti annis post illam, quæ sic habet: *C. Theod. de episc. & cleric. l.27.* Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiua domi proles sit, secundum præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium transferatur. Tum filijs suis, curatore, si id ætas poscit, petito, bona sua idoneis sedula religione gerenda committat: ipsa tantum prædiorum suorum redditus consequatur, de quibus seruandi, abalienandi, donandi, distrahendi, relinquendi, vel quoad superest, vel cum in fata concedit & libera ei voluntas est, integra sit potestas. Nihil de monilibus, & supellectili, nihil de auro, argento, cæterisque claræ domus Insignibus sub religionis dependione consumat; sed vniuersa integra in Liberos proximos, vel in quoscunque alios arbitrij sui existimatione transcribat. Ac, si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem scribat hæredes. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum, circa personas specialiter comprehensas, fuerit à moriente confectum. Imo si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fidei commisso aliquid clericis in fraudem venerabilis sanctionis, callida arte, aut probrosa cuiuspiam cohibentia, deferatur, extorres sint ab omnibus quibus inhiauerant bonis. Et si quid forte per Epistolam, codicillum, donationem, testamentum, quolibet denique detegitur genere conscriptum, erga eos quos hac sanctione submouimus, id ne in iudicium deuocetur; sed vel ex intestato, is qui sibi competere intelligit, statuti huius definitione succedat.]

XV. Scio equidem, post paucos menses, ipsummet Theodosium hanc legem, bona ex parte reuocasse; eiusmodi dato ad Tatianum rescripto: *C. Theod. de episc. & cleric. l.28.* Legem quæ diaconissis, vel viduis, nuper est promulgata; ne quis videlicet clericus, neve sub Ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem prædam velut infirmi sexus dispoliator, inuaderet, & remotis affinibus, ac propinquis, ipse sub prætextu catholicæ disciplinæ se ageret viuentis hæredem; eatenus animaduertat esse reuocatam, vt de omnium chartis, si iam nota est, auferatur; neq; quisquam aut litigator ea sibi vtendũ, aut iudex nouerit esse exequendũ.]

Sed

Sed, quod diuinat Baronius, *tom. 4. an. 390. n. 70.* id adhortante, & increpante Ambrosio, Theodosiū fecisse, non possum assentiri; sicut neq; ei credendū esse censeo, dum ex se affirmat, vt suā diuinationē faciat credibiliorem, priorē legem à Theodosio Mediolani existēte, fuisse latam. Si n. Theodosius, occasione patrati sceleris à Diacono Constantinopolitano, cum Matrona nobili pœnitente, eam legē, vt autumat Sozomenus, *l. 7. c. 16.* edidit & promulgauit, cui assentitur Baronius, certe legem Cōstantinopoli latā fuisse oportuit. Nam & Socrates *l. 5. c. 18. 19.* Theodosiū Constantinopolim aduentasse scribit Tatiano & Symmacho Coss. Ac per id tempus narrat accidisse Diaconi impuri casum. Sozomeni tamen & Baronij coniecturæ, de occasione legis illius, mihi videntur nullius momenti: Primum quia lex illa maxime statuitur ad impediendum ne bona diaconissarum transeant ad Ecclesiam, vel clericos: scelus vero Diaconi illius nihil facit ad præsens negotium: nisi quod ex se addit Baronius, Viduam illam eū Diacono incontinentem, exhausisse bona suā, Diaconum illum ditando. Quod est Baronij merum commentum. Deinde, quia Historici scelus illud referentes, nimirum Socrates, & Sozomenus, nobilem fœminam fuisse illam narrant, non tamen diaconissam, neq; vidam nominant: imo satis clarum est in ipsis Historijs eam non fuisse diaconissam, quia ad agendam pœnitentiam in templo morabatur: Diaconissæ vero ex officio proprio Ecclesijs inseruiebant, neque est valde verisimile Diaconissas ita se peccatis fœdare solitas, vt publica pœnitentia indigerent, quę non nisi propter peccata valde grauia imponebatur. Demum quia patet ex Socrate sub consulatu Tatiani, & Symmachi flagitium illud commissum: lex vero illa prior Theodosij, data est Valentiniano A. iiij. & Neoterio Coss. Quod fuit anno præcedenti. Et ita prius lata est illa lex quam illud fuisset patratum scelus. Quamuis Baronius satis reperire casum ipsum, quem expresse Socrates ponit sub Consulibus Tatiano & Symmacho, propria tantum autoritate annum corrigendo, ad præcedentem annum quo data est lex, trahat nimis violenter. Leuissimisque coniecturis postponat apertas historicorum narrationes.

XVI. Quod itaque spectat ad Ambrosium, non modo nihil de illa lege priori conquestus est cū Theodosio Constantinopoli tunc degente; sed etiam illam omnino tolerandam censuit; neque dignam contra quam Ecclesia insurgeret, reputauit: Hanc enim Theodosij priorem esse legem illam, de qua Christianis Sacerdotibus non esse conquerendum, differebat Ambrosius à me superius allatus & explicatus, ausim constanter asseuerare, non legem Valentiniani; id verò facilem mihi videtur habere probationem. Primum sane Ambrosius de illa lege, quam præ manibus habebat, contra gentiles & Symmachum disputans, vt nobis etiam priuatæ successionis emolumento, recentibus legibus, denegantur, & nemo conqueritur.] Atque lex Valentiniani viginti saltem annis antequā ista scriberet Ambrosius, lata est: quomodo ergo recens potuit appellari? Deinde lex Valentiniani in personas potissimum clericorum, & sane sordidorum, & auaritiæ fœdissimæ cœno inquinatorum, lata est: Ambrosius verò legem quandam considerabat contra Innocentes clericos, & contra officium ipsum clericale prolatam: ait enim; Vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur.] An fortasse non legerat quod iam Hieronymus ediderat, occasionem datam Valentiniano turpi auaritia clericorum, eiusmodi legis sanciendæ? Cur ergo neget Ambrosius adesse culpam, quæ talis legis cauterio eguerit, quod Hieronymus apertissime affirmarat? Ex his igitur mihi redditur manifestissimum, Ambrosium non de Valentiniani, sed de priori Theodosij lege locutum fuisse. Sicut ergo Damasus, & Hieronymus Valentiniani legem, Ecclesiasticis valde noxiam, approbarunt, aut saltem tolerandam necessario censuerunt; Ita Ambrosius adhuc priorem aliam legem Theodosij, si non confirmauit, saltem & ipse omnino in Ecclesia tolerandam esse putauit. Et quamuis paulo post ipsemet Theodosius, & suam hanc legem, & illam Valentiniani sustulerit, vt postea declarauit Martianus *tit. 5. de test. cler.* qui & ipse vtramque similiter de nouo abrogauit; nihilominus tamen, etiamsi per vnicum diem eam Ecclesia & tolerasset, & tolerandam esse declarasset, perinde mihi est; ac si plurimis annis illa viguisset.

XVII. Ne turberis, obsecro Lector, si Baronium *tom. 4. an. 384. nu. 3.* inueneris Ambrosianam illam eum Symmacho contentionem, in qua de hac lege Theodosiana priori, vt dixi, agitur, posuisse sex annis prius quam lex ipsa prodierit: mihi enim videtur valde hallucinatus: Declamatio namq; Ambrosiana, cum legē hanc recentem supponat, eo certe ipso anno, quo lata est lex, contigit, & illis ipsis paucis mensibus, qui sex intercesserunt, vt ex earum datis patet, antequam posterior lex tolleret priorem: & tanto plus quanto itinera ex Oriente in Occidentem possunt esse breuiora seu diuturniora.

XVIII. Baronij verò hallucinatio in eo consistit, quod eodem anno putet Ambrosium contra Symmachi libellum suam declamationem scripsisse; quo suum Symmachus libellum Valentiniano adhuc puero, obtulit; quod non est verum. De libello seu relatione, hoc est, petitione Symmachi cum primum aliquid inaudiuit Ambrosius, scripsit quidem statim literas ad Valentinianum dehortatorias, ne gentilibus, in præiudicium Christianæ religionis, gratificaretur; quæ literæ supponunt certè expresse, Valentinianum esse adhuc puerum: Nullus obrepat, *inquit, epist. 30.* iuniori ætati tuæ.] Et aufert ei excusationem, quam postea esset allaturus, si rem concessisset, ex qua grandior natu ignominia posset laborare; diceris, puerum se esse lapsum.] Et sane circa duodecimum, & tredecimum ætatis Valentiniani annum conatus hic fuit Symmachi: cum ipse Symmachus præfecturæ vrbis officio fungeretur, vt ex Baroniana supputatione *tom. 4. anno 384. init.* bene constat. Dum enim eo officio fungeretur Symmachus libellum dedit puero Imperatori, in quo ipse ait: *Apud Amb. ibid.* Gemino functus officio, & vt præfectus vester gesta publica prosequor, &c.] Videat tamen Baronius *tom. 4. an. 366. in fine*, quomodo natum Valentinianum hunc iuniorem faciat cum Socrate *l. 4. c. 9.* an. 366. ac postea, *Baron. ibid. an. 375. n. 6.* asserat cum Ammiano, ipsum quadrimum fuisse eo anno quo mortuus est Pater ipsius senior Valentinianus, & ipse post sex dies imperium susceperit, videlicet anno 375.) In suis tamen primis Ambrosius ad Valentinianum literis in hac causa, contra Symmachi consilia datis plane significat, se nondum vidisse Symmachi libellum: petit tamen vt ei liceat ipsum habere. *Amb. epist. 30.* Detur mihi ait, exemplum missæ relationis, vt & ego plenius respondeam.] quod & Paulinus affirmat in vita Ambrosij; licet in chronologia erraris, vt docet Baronius *tom. 4. anno 392. nu. 2.* quod videlicet confuderit Præfecturam vrbanam Symmachi, cum eius consulatu.

XIX. Cum igitur primis hisce suis literis persuasisset Ambrosius Valentiniano, *ep. 31. init.* vt omnino repelleret Symmachum, & gentiles à sua petitione, detinueritque

ritque ipsius animum, & consilium, ne aliquid præcipitaret, videtur conquieuisse tantisper, ac postea exemplum libelli obnuisse, eiq; post quinq; annos ex quo oblatus fuerat (quia periculū iam amouerat) respondisse. Patet hoc manifeste, quia in hac responsione mētionem facit legis Theodosianæ, tanquam nouæ, quæ procul dubio data est post quinq; annos ex quo Symmachus libellum illum obtulit: & Ambrosius ipse *ep. 31.* hoc pacto suam responsionem exorditur: Cum vir Clariss. Præfectus vrbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, vt ara, quæ de vrbis Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco, & tu Imperator, licet adhuc in minoris æui tyrocinio florētibus nouis annis, fidei tamen veteranus obsecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto *epist. 30.* libellum obtuli; quo licet comprehenderim quæ suggestioni necessaria videretur popoſci tamen exemplum relationis mihi dari. Itaq; non fidei tuæ ambiguus, sed prouidus cautionis, & pij certus examinis, hoc sermone relationis assertioni respondeo, &c.] Quæ verba explicant rem iampridem actam, cum notabili iam ætatis Imperatoris discrimine, quæ nunc quando datur hæc responsio sit iam bene adulta, minimum annorum circiter 19. libellus tamē ei pueto oblatus fuerit. Explicat etiam responsionem hanc non ex necessitate iam fieri, sed ad cautelam duntaxat, ne libellus ille Symmachi indiscussus maneat, & rursus fortasse aliquando pullulet: iam enim repulsi fuerant gentiles, & Imperator adhuc puer se Christianæ fidei & tenacem, & Zelatorem ostenderat, licet Catechumenus adhuc esset, quia etiam Catechumenus occisus est. *Ambr. in fun. Valent.* Non ergo solicitauit responsionem Ambrosius, sed sua postea captata occasiōne, & opportunitate, responsionē suā misit ad Imperatorem, quinto iam, vt dixi, anno, post rem frustra à Symmacho, & gentilibus tentatam.

XX. Si Matrimonium est Sacramentum, & res sacra, quod nostri contendunt, certe Matrimonij impedimentum ex consanguinitate posuit Theodosius idem Imperator, data lege; qua consobrinorum cōiugium vetaretur, quam & laudauit, & approbauit Ambrosius *ep. 66.* Monachis idem Theodosius legem prius posuit, ne in Ciuitatibus apparerent, sed deserta loca peterent: Deinde eandem est moderatus, vt occasione iudiciorum, possent in Vrbes ingredi: Monachos, *inquit, C. Theod. de Monac. l. 2.* quibus interdictę fuerant Ciuitates, dum iudiciariis aguntur iniuriis, in pristinum statum, submota hac lege, esse præcipimus. Antiquata siquidem nostræ clementiæ iussione, libero in oppidis largimur eis ingressus.] De iisdem monachis Leo etiam Imperator *C. de Episc. & cler. l. 29.* ita statuit: Qui in monasteriis agunt, ne potestatem habeant à monasteriis exeundi; ne ve in Antiochia, ne ve in aliis Ciuitatibus versandi, ijs solis exceptis, quos Apocrisarios, hoc est, Procuratores vocant, quibus potestatem permittimus, si volent, per solas procurationes, easque necessarias exeundi. Porro hi qui exeunt caueant ne de religione, aut dogmate disceptent; aut conciliabulis quibusdā præsiot, aut turba excitata, simplices & mansuetos animos populi auertant: Scientes quia quæ à nostra pietate instituta sunt contemnentes, legum seueritati subiicientur. Cur vero disputationes prohibeantur, habes in lege Martiani, quam & affert, & laudat plurimum Innocentius Romanus Pontifex huius nominis II. Lex vero *apud Bernard. epist. 194. & in Concil. Chalced. Act. 6.* sic habet: Nemo clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Christiana publice tractare conetur, in posterum. Nam iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, & recte disposita, reuoluere & iterum disputare contendit: in contemptores huius legis, tanquam in sacrilegos pœna non deerit. Igitur si clericus erit qui publice tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur.] Ecce laica lex in materia Ecclesiastica, contra clericos etiam, cum pœna depositionis.

XXI. De eodem Theodosio, illud scribit Nicephorus *l. 12. cap. 13.* Constitutione quoque Imperator sanxit, vt firma & perpetua esset Nicænæ fidei autoritas: atque vt omnes omnium locorum Ecclesiæ illis committerentur, qui in subsistentia trium eiusdem honoris & eiusdem gloriæ personarum, diuinitatem vnam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti profiterentur.]

XXII. Honorius Imperator, Bonifacio Papa non modo consentiente, sed etiam suadente, & rogante, vt vidimus *lib. 4. cap. 11.* legem tulit Imperialem, super electione Romani Pontificis. Denique, *inquit Epist. Decret. tom. 1. inter epist. Bonif.* beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. Ac si duo contra fas, temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem: sed illum solum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero clericorum, noua ordinatione, diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit. Vnde id obseruandum est, vt omnes tranquillam mentem, & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant; nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur, cum certum sit nulli partium sua studia profutura.] Hic sane Principes suis legibus, etiam Ecclesiastica moderantur, vbi illa publicam pacem, & politicam tranquillitatem concernunt. Cum etenim schismata Ecclesiastica, quale tunc fuerat inter Bonifacium & Eulalium, tumultibus & seditionibus soleant Vrbes, & regna replere, proprium Principum temporalium officium fuit, & est, radices huiusmodi seditionum suis legibus, suisque etiam viribus, succidere. Vbicunque ergo Princeps bonum publicum totius cōmunitatis politicæ cernit ita poscere, potest, & debet, suis legibus occurrere, etiamsi inde damnum aliquod, seu præiudicium duntaxat temporale Ecclesiis, & Ecclesiasticis subsequatur ministris; Ac propterea Honorium, etiamsi visus sit in Ecclesiasticam messem, circa electiones Pontificum, falcem ponere; quia tamen publica quies id necessario requirebat, nemo reprehendit; sed Ecclesia æquo, imo & hilari animo, legem illam accepit, & Honorio Imperatori legem illam ferenti gratias habuit, tanquam insigni benefactori.

XXIII. Martianus *epist. Episcoporum Epyri. post Conc. Chalced.* lege sanxit, deponendos esse etiam recte factos Episcopos, si quid mutilare, aut commouere ex his quæ Chalcedone à sancto & vniuersali Concilio sunt difinita, tentauerit.

XXIV. Leo contra Clericos, etiam concubinarios, legē [*C. Theod. de Epis. & Cler. l. 44.*] edidit autoritate Imperiali. Inculcat tamē sæpissime & ex propriis duntaxat somniis, ad fastidiū vsq; de more replicat toties Baronius, Catholicos Episcopos curasse, vt Imperatores eos legibus coercerent, qui sacra Conciliorū contemnerēt edicta. Cur vero Episcopi ipsi Ecclesiastica autoritate huiusmodi legibus contemptores Clericos non coërcent? Imo cur tanto cum Ecclesiasticæ iurisdictionis præiudicio, ad laicam potestatem recurrunt, & sponte mouent Principes ad id, ad quod ne consensum quidem præstare deberent? lex enim laica autoritate, à laico lata, quantumuis rogatu Ecclesiæ illa feratur,

laica

laica tamen semper manet, & semper verum est laicam legem circa negotia ad Ecclesiam & Ecclesiasticos spectantia, versari. Aut igitur si huiusmodi leges à laicis ferri non possunt, tanquam Ecclesiasticæ, negandum est eas hortatu & voluntate Ecclesiæ latas esse; aut si bonæ sunt, & merito latæ, negandum est eas ita esse iuris Ecclesiastici, vt à laicis ferri non possint.

XXV. Aliam præterea idem Leo laudabilem plurimum, & Ecclesiæ tunc acceptissimam tulit legem, aduersus se intrudentes in Episcopatus, per simoniacam prauitatem: Si quenquam, *inquit, C. de Episc. & Cler. l. 31.* vel in hac regia Vrbe, vel in exteris prouincijs, quæ toto orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum prouehi, Deo autore, contigerit; sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotij precij venalitate mercetur, quantum quisquis mereatur, non quantum dare sufficiat æstimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda Dei templa pecunijs expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat? Quid denique cautum esse poterit, & securum; si sanctitas incorrupta corrumpatur? cesset altaribus imminere profanus ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Cũ sanè si quis hanc sanctam & venerandam Antistitis sedem pecuniæ interuentu subijsse, aut si quis, vt alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & læsæ Majestatis, accusatione proposita, à gradu Sacerdotij retrahatur; nec hos solũ deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus; vt eos quos par facinus coinquinat, & æquat; vtrosque similis pœna comitetur.] Totam exscripsi legem, quia plena pietatis est: & vt pateat Principes ex officio; propria ipsorum autoritate, & Episcoporum electiones moderari, & depositionis etiam pœnam, quæ videtur propria Ecclesiæ, pro simoniaca labe imponere. Contra eosdem simoniacos Iustinianus etiam Imperator *C. de Episc. & Cleric. l. 42. §. 9.* legem dedit, & pœnam priuationis beneficiorum, ac depositionis à gradu Ecclesiastico, per simoniam acquisito, apposuit. Idem fecit postea etiam Henricus Secundus. *Glab. l. 5. c. 1.*

XXVI. Gelasius Papa ad Anastasium Augustum illa scripsit: *ep. 10.* Si quantũ ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperiũ tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoq; parẽt religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo rogo te decet, &c.] Hoc Gelasij dictum etiam superius *hoc lib. c. 3. n. 6. 10.* alia occasione protuli; estq; dictum valde insigne, & confessio ingenua ingenui Pontificis; nimirũ Antistites nostræ religionis, in rebus humanis, debere parere legibus Imperatorum. Premit dictũ hoc monarchicos, qui iam nullo modo volunt subesse Principibus in humanis; eamque fugam ineunt, vt leges sæculares seruare debeant Ecclesiastici, quatenus sunt directiuæ: vim tamen coactiuam nullã leges hasce in eos posse exercere. De hac tamen directione, & coactione inferius disputabo. Interim respondeant, Cur Principes hactenus à me producti, & adhuc alij producendi, pœnas & imponunt clericis transgressoribus, & eas exigunt, Ecclesia in hoc, tanquam in rem iustam consentiente, nec reclamante? Idem etiam Gelasius, & ex ipso Nicolaus I. sic, *inquit, tom. de anath. vinc. & Nic. ep. 8. ad fin.* diuina prouidentia discreuit potestates, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro tẽporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur.] Itaq; temporalia debent in Ecclesia ex imperiali dispositione administrari, & legibus disponi.

XXVII. Iustinianus Imperator innumerabiles pene condidit leges de re Ecclesiastica, & publicauit. Nouellæ ipsius constitutiones plenæ sunt huiusmodi legibus; triginta enim duæ, integræ, fere omnes sunt in materia Ecclesiastica; & in singulis aut pluribus constitutionibus, leges plurimæ continentur. Eæ vero Nouellæ sunt, 3. 5. 6. 7. 11. 16. 22. 40. 42. 43. 46. 55. 56. 57. 58. 59. 65. 67. 76. 79. 81. 83. 86. 111. 117. 120. 123. 131. 133. 137. 140. 146. Apponam tibi, Lector, titulos duntaxat aliquot, siue constitutionum, siue legum in ijs contentarum; tu, dum vacabit, in Authenticis ipsas percurres.

Vt numerus clericorum in Ecclesia Constantinopolitana certus maneat.
3 Ne liceat clericis de minore ad maiorem Ecclesiam transire.
De redditibus Ecclesiarum in pios actus, & personas egentes erogandis.

De monasterijs & eorum ædificatione.
De Monachismum profitentibus non statim vestiendis.
Vt monachi cõmuniter habitent; & dormiãt.
De monacho qui monasterium dimiserit.
5 De viro, vel muliere, solitariam vitam appetentibus.
De Monacho monasterium dimittente.
De Monacho qui ab vno Monasterio ad aliud transit.
Ne Monachi vxorem ducant; vel concubinã.
De electione & creatione Abbatis; & Abbatissæ.

De Episcopi ordinandi vita, moribus, honestate, & fortuna.
Ne Episcopus vltra annum extra suam Ecclesiam degat.
6 Ne Episcopi ad comitatum Principis accedãt, absque systaticis literis.
Quales clerici eligendi sint.
De Diaconissis minoribus 50. annis, non ordinandis.
De clericis in aliam vitæ formam transeuntib.
De Episcopis Ecclesiarum & clericorum.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.
De principe rem immobilem sacris locis donante.
De emphyteusi Ecclesiastica.
Quomodo vsusfructus rerum Ecclesiarum constituatur.
Quibus pœnis subiaceant alienatores.
7 De hypothecatione bonorum Ecclesiasticorũ.
De pœnis eorum qui emphyteusim indebitam fecerint.
De non alienandis sacris vasis.
De eo qui per pragmaticam, rem Ecclesiæ cõparauit.
De administratore qui rem Ecclesiæ alienauit.
De monasteriis non alienandis.
Si sterilis ager ad Ecclesiam peruenerit.

11 Vt quæ circa Viminacium sunt Ecclesiæ, sub

proprio Archiepiscopo sint, non autem amplius sint sub Archiepiscopo Thessalonicæ: & de priuilegijs Archiepiscopi Iustinianæ primæ: & de sede in eam transferenda.

16 De numero certo clericorum in Ecclesiis constituendo.

22 De nuptijs; vbi de impedimentis, & solutionibus matrimonij.

40 Vt Ecclesia S. Resurrectionis alienare possit ædificia quædam.

41 Anthimus Seuerus, Petrus, & Zoaras, & alij Episcopi deponuntur, & exilio mulctantur.

43 Vt mille tantum, & centum officinæ sacrosanctæ maioris Ecclesiæ excusentur. Omnes reliquæ ad quemcunque dominum pertineant, consueta obeant munera.

46 De Ecclesiasticarum rerum immobilium alienatione, & solutione.

55 Permutationes inter Ecclesias bonorum conceduntur.
Vt Ecclesiis inter se liceat perpetuos contractus emphyteuticos facere.

56 Vt insinuatiua super clericis, in maiori Ecclesia quidem dentur, in alijs autem Ecclesiis penitus non dentur.

57 De clericis subrogandis in locum desertorum clericorum.
Vt fundatoribus Ecclesiarum facere in eis clericos nun liceat, sed tantum præsentare.

58 Vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant.

59 De debita impensa in exequiis defunctorum.

65 Vt terrulæ Ecclesiæ Mysiæ possint alienari.

67 Vt nullus fabricet oratorij domos, præter voluntatem Episcopi: & vt deputet prius quæ circa diligentiam, & statum fabricari oratorii sufficiant; & vt Episcopi non desint suis Ecclesiis, & de alienatione Ecclesiasticarum rerum immobilium.

76 De his qui ingrediuntur monasterium: & de substantiis eorum.

79 Apud quos oporteat causas dicere Monachos & ascetrias.

81 Vt per Episcopatum liberetur filius à patria potestate.

83 Vt clerici apud proprios Episcopos primum conueniantur, & post hoc apud ciuiles iudices.

86 Vt iudices cogantur ab Episcopis audire interpellantes, & quando suspectus est iudex ipsi Episcopi audiant.

111 De præscriptione centum annorum venerabilibus locis data.

117 De variis solutionibus matrimoniorum; & repudiis.

120 De alienatione, & emphyteusi rerum Ecclesiæ.
Vt liceat vsque ad 50. annos res Ecclesiasticas locare.
Vt liceat res Ecclesiæ immobiles pignori obligare.
De Emphyteusi & hypotheca rerum Ecclesię.
De permutatione rerum Ecclesiasticarum.
Si Emphyteuta Ecclesiæ per biennium in soluendo canone cessauerit.
Vt liceat pro redemptione captiuorum res immobiles Ecclesiæ alienare.

De sacris vasis cuiusque Ecclesiæ vel oratorij.

123. De ordinatione Episcoporum.
De accusatoribus Episcoporum.
De bonis Episcopi & de Cathedratico.
Vt Episcopatus à seruili, & adscriptitia fortuna hominem liberet.
Qui clerici à tutelis non sint immunes.
Vt clerici à muneribus personalibus, & negotiis secularibus abstineant.
Ne Episcopus dicendi testimonii causa euocetur.
Ne Episcopus ad seculare iudicium trahatur.
Ne Episcopi proprias Ecclesias relinquant.
De Conciliis Prouincialibus sæpius celebrandis.
Ne quis ante causæ exitum excommunicetur.
Quales esse debent qui in clericos ordinantur.
De ætate ordinandorum.
De vxoribus clericorum.
Curiales quando ordinari possunt.
Vt ordinationes gratis fiant.
Quomodo seruus ordinari possit, aut adscriptitius.
De ædificatoribus Ecclesiarum.
Vt omnes clerici res suas in sua potestate habeant.
Pœnę clericorum qui falsum tulerint testimonium.
Vt clerici apud proprium conueniantur Episcopum.
Vt Episcopi apud proprium cōueniantur Metropolitanum, & de cautione pro lite.
Vt Oeconomi & similes apud proprium conueniantur Episcopum.
Vt Episcopi illic vbi deliquerint cōueniantur.
De apocrisarijs.
Ne Episcopi legationis tempore conueniantur.
Vt Monachi per procuratorem se defendant, & de quantitate sportularum.
De modo sportularum in persona clericorum.
De cohabitatione clericorum.
De diaconissis.
De ijs qui in Ecclesia Episcopo, aut alijs clericis iniuriam inferunt.
De Litanijs & Crucibus.
De Abbatum electionibus.
De monachis non statim vestiendis.
Vt monachi in vno conclaui habitent.
De solutione Matrimonij per ingressum monasterij.
Vt qui monasterium ingrediuntur: se suaque dedicent monasterio.
De arris reddendis, solutis sponsalibus, per ingressum in monasterium.
Si Vir aut vxor ingrediatur in monasterium.
Ne liceat exheredare ingressum in monasteriū.
De Monacho monasteria deserente.
De raptoribus sanctimonialium.
Ne liceat laicis, & scenicis, vti monachi schemate.

131. De quatuor sanctis Concilijs.
De ordine sedendi Patriarcharum.
De Archiepiscopo primæ Iustinianæ.
De Episcopo Carthaginensi.
De priuilegijs possessionum Ecclesiasticarum.
De præscriptione 40. annorum in Ecclesiis.
De ædificatione Ecclesiarum.
Ne sacra mysteria vbique fiant.
Vt legatum Deo relictum illi Ecclesiæ deputetur vbi testator domicilium habet.
Si quis oratorium ædificari iusserit.
Vt legata pro redemptione præstentur ab Episcopis.
Vt in pijs legatis cesset Falcidia.

De testamentis Episcoporum.
Ne clerici bona Ecclesiæ vsurpent.
Vt orphanotrophi sint tutoribus similes.

133. Quomodo oporteat monachos viuere.
137. De ordinatione Episcoporum & clericorum.
140. Vt cõsensu Matrimoniũ solui possit. *Est Iustini Imp.*
146. Vt liceat Hebræis scripturã legere, & de locis expellendos esse non credentes iudicium vel resurrectionem, &c.

XXVIII. De his porrò Nouellarum constitutionũ Iustiniani Imperatoris legibus, Iuo Carnotensis asserit: *ep.*280. Eas ab Ecclesia Romana cõmendari, & seruari. Quãuis moderni eas adunco naso respuant, sed inepte, vt paulo inferius docebo. Sane Conciliũ Parisiense 24. *q.*3.*c. De illicita*, sub Ludouico, legẽ illam Iustiniani de excõmunicatione, quam habet nou. 123. vt optime latam laudat, & seruandam præcipit. Et Ioannes VIII. Episcopis quibusdam præcipit, ne Bichertinum quendã excõmunicent, vt fuerant minati, nisi prius discussa, & cognita causa; atq; ad hoc vtitur etiã eadẽ nouella Iustiniani: ait enim: *ep.* 163. *tom.* 3. Scitote quemadmodũ in 100. cap. Afric. Concil. legitur: Similiter in 2. nou. Iusti. libro, vt nemo Episcopus aut Presbyter aliquẽ excommunicet, antequam causa probetur.] Obserua itaque quantæ autoritatis fuerint, vel apud ipsos Romanos Pontifices, leges Principum tẽporalium, Ecclesiasticis etiam præscriptæ ministris, circa materiã Ecclesiasticã excommunicationis; Ac ne mireris, si interdum videas nostris temporibus, pios alioquin & Catholicos Principes, vsum indiscretarũ excommunicationũ moderari, vbi præsertim ex ipsis cernunt posse publicam pacẽ, & tranquillitatẽ nonnihil turbari. Attulissem libenter etiam Calixtum primum, Romanum Pontificẽ antiquissimum, asserentem, *ep.* 5. leges humanas rationi & honestati non repugnantes, esse in Ecclesia amplectẽdas; nisi aperta illius epistolæ appareret impostura, in illis verbis: præsertim vbi vel publicæ consuluut vtilitati, vel Ecclesiasticæ dignitatis autoritatẽ defendunt, ac pro adminiculo tuentur.] Omnes enim legislatores quotquot ciuiles scripserunt leges, vsq; ad Calixti tẽpora, & centum fermè annis post ipsum, Ethnici fuerunt; neq; adhuc lex vlla fuit Principum quæ Ecclesiasticam tueretur autoritatem. Ecclesiam tamen Orientalem, nõminus Imperatorum legibus, pro rebus Ecclesiasticis latis, quã Conciliorum canonibus, & Patrum sanctionibus regi, & gubernari, docet Photij Nomocanon; & in illum commẽtaria Balsamonis. Et Leo *ep.* 91. bigamos penitus ab ordinibus sacris excludendos esse, non modo Apostolica, sed etiam legali autoritate declarat.

XXIX. Heraclius Imperator, instante Sergio Patriarcha Constantinopolitano, pragmaticam edidit sanctionem. *Nouell. Impp. l.* 2. *nou.* 4. vt nemo in clerum admitteretur, nisi in demortui locum sit subrogandus. Agebatur proculdubio de conseruatione bonorum Ecclesiasticorum, ne nimijs sumptibus onerata Ecclesia, omnia consumeret. Vidit itaq; Sergius Imperialis muneris id fuisse, vt sæculari pragmatica bona temporalia Ecclesiarum conseruarentur. Ibi ergo remedium quæsitit, vbi sciebat remedij huius exhibendi autoritatem residere.

XXX. Sed nihil clarius in hoc genere possumus afferre, quam dictum & factum Gregorij Magni, qui legem Mauritij Imperatoris, iniustam à se reputatam, iussus ab Imperatore, promulgandam curauit; & aperte sponteque confessus est, se ideo id fecisse, & mandatis Imperatoris paruisse, quia se iussis ipsius obnoxium esse sentiebat. De hoc & facto, & dicto Gregorij, satis hoc lib. *cap.* 4. *nu.* 19. *& seqq.* supra à nobis actum est. Certe idem Gregorius *l.* 11 *epist.* 54. *c. In nomine, de testib. & attestat.* ex his Iustiniani nouellis sumit solutionem dubiorum in materia testium propositorum. In qua significare voluit, Ecclesiam in omni negotio temporali, etiam si occurrat ipsum in Ecclesia, standum esse legibus sæculi, & iuxta illas iudicãdum, nam & alia quæsita in eadem Epistola soluit semper ex legibus Imperatorum, quas ad verbum recitat; & sane quæsita Ecclesiastica, externi tamen regiminis.

XXXI. Quam multæ leges ad res Ecclesiasticas pertinentes contineat Caroli, & Ludouici capitulare, notum est omnibus: non enim minus pie Iustinianus tot leges sanxit ad Ecclesias similiter pertinentes, quã Carolus & Ludouicus; semper enim pij & religiosi Imperatores Christiani, proprij muneris esse duxerunt, Ecclesiastica, quo ad externum regimen & bonos mores, ac disciplinam; præsertim vero vbi regimen Ecclesiasticum secum ferre posset grauia in politico regimine commoda, vel incommoda, moderari, & promouere. Ac propterea sicut Iustiniani leges venerata est Ecclesia, vt vidimus, præsertim in Gregorio; ita Carolinas postea est venerata, vt videre est in professione Leonis Quarti, quæ *Dist.* 10. *c.* 9. sic habet: De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumq; Pontificum, & prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis, & conseruandis quantum valuimus, & valemus, Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos, modis omnibus, profitemur; & si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit; sciatis eum pro certo mendacem.] Hæc Leo Quartus ad Lotharium, & Ludouicum Imperatores. Sed & Leo primus Romanus Pontifex non minus virtute Apostolici præcepti, quàm legum ciuilium, Bigamos excludit à Sacerdotio: ait enim, *epist.* 91. Eos qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, nec Apostolica, nec Legalis autoritas Sacerdotium obtinere permittit.]

XXXII. Leo Imperator huius nominis sextus, plures & ipse; Iustinianũ secutus, edidit nouellas; ad n. 113. In quibus & de rebus & personis Ecclesiasticis multa disposuit, vt sequẽtes tituli indicabunt. Omittimus illas quas ipse ex Iustiniano censuit repetendas.

2 Vt qui Episcopatu dignus est, si legitimi illi liberi sint, non impediatur illum consequi.
3 Quod ante ineundum Sacerdotium, matrimonium, si placet, contrahi debeat.
4 De sacris mysterijs in priuatis domibus celebrandis.
5 Vt monachus de acquisitis testari possit.
6 De ætate monachandi; & de bonis eius.
7 Ne Clericus denuo profanus fiat.
8 De monacho desertore.
9 De seruo qui ignorante Domino fit Clericus.
10 De eodem si fiat monachus.
11 De eodem si fiat Episcopus.
12 De officinarum magnæ Ecclesiæ vsu.
13 De emphyteusi Ecclesiastica.
14 De ijs qui monasterium imperfectũ relinquunt.
15 Vt salutarem baptismum in quocunq; sacro oratorio peragi liceat.
16 / 75 De ætate Hypodiaconi.
17 De puerperis quando diuinorum mysteriorum participes fiant: & quando infantes baptizẽtur.
30 De Muliere quæ viuo marito alios de matrimonio compellat.
31 Vt quæ mulier mariti odio abortat repudietur.
33 Ne captiuorum vxoribus alijs nubere liceat.
34 Vt Dominicis diebus omnes ab operibus vacẽt.

55 Vt Iudæi secundum Christianismi ritus viuant.
58 Ne ex sanguine cibus conficiatur.
65 De incantatorum pœna.
68 Vt monachi & Clerici tutores esse possint.
73 Vt nemo cum mulieribus in Ecclesiarum cœnaculis habitet.
74 Ne ante legitimum matrimonij tempus, futuris coniugibus benedicatur.
76 De pœna falsum testamentum dicentium Sacerdotum.
79 De pœna Sacerdotis, Diaconi, & Hypodiaconi, si post ordinem vxorem ducant.
83 Vt ad trientes vsuras pecunia licite mutuetur.
86 De pœna Episcoporum, Sacerdotum, & Clericorum, qui se aduocationibus, &c. dedunt.
87 De pœna Ecclesiasticorum alea ludentium.
88 De festis quorundam Sanctorum.
89 Ne matrimonia citra sacram benedictionẽ confirmentur.
90 Vt qui tertium matrimonium contrahunt sacri canonis pœnæ sint obnoxij.
98 De sepulcro violato.
101 De seruorum cum liberis matrimonio.
111 Vt mente capta vxore, maritus vltra 3. annos, possit aliam ducere.
112 Vt mente capto marito post quinquennium, idem possit vxor.

XXXIII. Nicephorus Phocas Imperator, donationes Monasterijs atq; tẽplis ab Imperatorib. relictas, prorsus aboleuit. Lege ẽt lata ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bonis, caussatus Episcopos male prodigere ea quæ pauperibus darentur, interim militibus deficientibus. Legem ẽt tulit cui aliquot Episcopi subscripserant, ne Imperatoris iniussu vllus crearetur Episcopus. Mortuo ẽt Episcopo, suppeditatis necessarijs sumptibus, ipse reliquos redditus sibi accipiebat. Nicephori legem bonorum immobiliũ in Ecclesias transitũ prohibentẽ, in hac tantũ parte, sustulit Basilius Porphyrogenneta: asserens *Nou. 4. t.* ex illa Phocæ lege multa mala Imperio contigisse. Vtinã non plura contingant ex nimio luxu clericorum, quam ex eorũ paupertate: sed quicquid sit de iustitia vel iniustitia legis, certe & lata fuit, & seruata, neq; Ecclesia aut restitit, aut excõmunicauit Phocam, aut legẽ abrogauit; sed alius Imperator; Profectò causæ illius ferendæ non erant contemptibiles; & iam docui, propter commune bonũ, posse Principes multa statuere, quæ etiam ex accidenti vergant in damnum temporale Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum: Quod mihi Cajetanus acerrimus Hieromonarchiæ assertor non negabit: *in summ. ver. excom. c. 31.* vbi ait, Statutum laicum, circa mortuaria, licitum esse, & Sanctũ; etiamsi inde, non per se, sed per accidens, proueniat effectus aliquis, qui videtur contra Ecclesiæ libertatem.] Ac ne putes Ecclesiam in his Principum legibus iniuriam aliquam agnouisse, sensum ipsius Ecclesiæ, qui nam fuerit, iam aperio.

XXXIV. Patres in Trullo cõgregati, vt canones quintæ & sextæ Synodi Generalis ederẽt, eos rati multo maiorem autoritatẽ habituros si eis vim & robur adderet Imperator, quippe quibus mores & regimẽ Ecclesiarũ externũ non dogmatũ explicationes cõtinerentur; Ita Iustinianũ Iuniorẽ compellendũ censuerunt. Quamobrem tuam pietatẽ rogamus, eas quæ prius in hac Dei obseruatrice Ciuitate à congregatis, sub bonæ mem. Imperatore nostro Patribus editæ sunt voces tibi adducentes; vt quemadmodum Ecclesiæ scriptis Ecclesiam honorasti, sic & eorum quæ per viros pios & sinceros decreta sunt, finem obsignes.] Finem ergo non erant habituri, nisi eos Imperator obsignasset. Ex hoc Ecclesiastici Prælati agnoscunt & profitentur. Sunt qui impugnent istos canones, [*Baron. tom. 8. an. 692.*] & conciliabulum vocent illam congregationem, seu potius Græcorum imposturam: Qua de re nos *libro 2. cap. 10. num. 59. & seqq.* Ex ego communem Ecclesiæ sensum malo quam inconsultas & temerarias imperitorũ calumnias consectari.

XXXV. Arelatensis Synodus, sub Carolo Magno, statuta ipsius Ecclesiastica, quia omnia reformationẽ externam concernebant, Imperatori submittit, illis *c. 26.* verbis: Hæc igitur sub breuitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam seuerissime adnotauimus; & Domino Imperatori præsentanda decreuimus; poscẽtes eius clementiam, vt si quid hic minus est, eius prudentia suppleatur: Si quid secus quam se ratio habet, eius iudicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio, diuina opitulante clementia, perficiatur.]

XXXVI. Concilij secundi Cabilonensis decretis, sub eodem Carolo, eiusmodi præmittitur admonitio: *init.* De quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, Domino Imperatori præsentanda, & ad eius sacratissimum iudicium referenda adnotauimus; quatenus eius prudenti examine quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur; sicubi minus aliquid egimus, illius sapientia suppleatur.] Vnus vero ex eiusdem Concilij canonibus sic *ibid. c. 25.* habet: Pœnitentiam agere, iuxta antiquam canonum constitutionem, in plerisq; locis ab vsu recessit, & neque excommunicandi, neque reconciliãdi, antiqui moris ordo seruatur. Vt à Domino Imperatore impetretur adiutorium qualiter, si quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.]

XXXVII. Parisiense Concilium petit à Rege, vt inhibeat ne quis Episcoporum alienum clericum recipiat, & ad finem, quæ capitularim, *inquit, l. 2. cap. 36.* in præcedentibus adnotauimus libellis, Vestræ Serenitati legenda, imo probanda obtulimus.] Vides quantum priores Prælati suis detulerint Regibus: qui Ecclesiasticam libertatẽ in eo nunquam sitam putauerunt, vt Reges in res Ecclesiasticas & Ecclesiastica negotia externa, nihil juris haberent; vt satis imperite contẽdunt nostri.

XXXVIII. Intentioni nostræ, vt puto, iam satisfecimus cumulate; & probauimus ex dictis, ac factis, Ecclesias etiam, & Ecclesiasticos, legibus Principum ligari, & ratio suadet optimè, quam scite proponit Molina: ita scribens: [*Molina tract. 2. de iust. & iur. disp. 31. & Bellar. l. de clericis c. 28. propos. 2.*] Clerici partes sunt Reipublicæ; eundẽ communẽ Regẽ, aut Rectorẽ habent cũ laicis: ergo legibus illius toti Reipublicæ cõmunibus tenentur subiacere, quo ad id, quod cũ eorum libertate, & exemptione non pugnat: præsertim cum Reipublicæ regimen legibus indigeat quæ sint omnibus ciuilibus communes; neq; eas statuere spectet ad summum Pontificem, sed ad Principem in temporalibus.] Homo Iesuita non potuit suum dictum interposita libertatis mentione non moderari, ita vt, quam minime fieri posset, Romani Papæ officeret Monarchiæ; sed certè ratio allata probat vniuerse, necesse esse absque vlla limitatione, vt clerici legibus omnibus Principum, politicum bonum, & quodcunque externum regimen concernentibus, sint obnoxij: neque exceptionem vllam habeant, nisi quam ipsimet Principes eos habere voluerint, vt ex lib. 10. fiet manifestissimum.

XXXIX. Proposui non paucas Principum leges, quæ

quæ Ecclesiasticis ex professo fuerint indictæ; vt ostenderem Principum etiam in illos potestatem; quæ satis ex huiusmodi latis legibus confirmatur, dum Ecclesia ipsis non modo non restitit, sed etiam sponte eas admisit, seseque iis, vt optime & merito latis, voluntarie, imò etiam necessario subiecit. Contigit profectò semel, vt quædam Romana Synodus sub Symmacho, legem vnicam, à Basilio Præfecto Prætorio Regis Odoacris vicem agente, propositam Romæ, tempore vacantis sedis Simplicij, nondum creato successore, in conuentu multorum Ecclesiasticorum (Ne bona Ecclesiastica possint alienari) omnino abrogaret; non quia mala aut iniusta esset, sed quia à laico proposita, & sine Romano Pontifice lata. Ex quo Innocentius ternus vniuersali lege *c. Ecclesia S. Mariæ, de Const.* Laicorum statuta Ecclesias attingentia, omnia subuertenda esse censuit. Et hoc est mirabile, quod tot aliæ leges integræ ad Ecclesiam & Ecclesiasticos pertinentes, Constantini, Valentiniani, Theodosij, Honorij, Leonis, & aliorum in suo vigore Synodus hæc intactas reliquerit, mera & pura autoritate laica factas; solam verò Basilij legem Ecclesiæ proficuam, in conuentu Prælatorum, & cum ipsorum consensu latam, abrogare voluerit. Eandem prorsus de non alienandis Ecclesiæ bonis postea Iustinianus solus, sua sola Imperiali potestate, vt vidimus, edidit, & promulgauit; quam Ecclesia libenter est amplexa: neque vlla congregata est Synodus, quæ illam hoc nomine abrogaret, quod à laico lata sit & absq; Romano Pontifice? Perinde enim est in hoc quod Romana sedes vacet, atque si plena sit, Pontifex tamen in ferenda lege nullas habeat partes. Insolitum enim, ac prorsus inauditum est Ecclesiam vnquam iussam esse Principum leges abrogare; præclarum vidimus exemplum in Gregorio, qui Mauritij legem, quam apertissime condemnabat iniustitiæ, non modo abrogare non est ausus, sed etiam iussus, eam promulgauit, & ante ipsum Damasus legem Valentiniani Ecclesiasticis dispendiosam.

XL. Itaque si Romanam hanc Synodum volumus arrogantiæ crimine vacare, necesse est dicamus id potissimum Symmacho Papæ & Patribus illis merito displicuisse, quod Basilius, qui Princeps non erat, sed merus Principis minister, suo, & non Principis nomine, legis autor esse voluerit: potestatem enim etiam in Ecclesias quoad externa, Principi supremo in sua ditione plenam damus, quam tamen ministris eius, & subiectis ei magistratibus, auferimus. Deinde, non ea fuit legis huius vera abrogatio, quia neque lex erat vere laica: si enim proprie laica fuisset à Rege, vel Regis autoritate lata, Synodus illa, nihil prorsus contra illam insurrexisset, sed, vt reliquas, fuisset humiliter venerata: legem tamen Basilius voluit esse Ecclesiasticam, & vt tanquam Ecclesiastica & in Ecclesia lata, vim haberet; quod Patribus illis merito visum est intolerabile, vt homo laicus, legis Ecclesiasticæ esset lator; vnde & anathematis pœnam imposuerat, quæ à laico imponi nullo modo potest: vt nimirum lex, & Basilij re vera esset, & tamen inter Ecclesiasticas leges reponeretur. Quare merito Eulalius Syracusanæ Ecclesiæ Episcopus, in eadem Synodo *Rom. 3. sub. Symmacho. c. 3.* dixit: talem legem viribus carere, nec posse inter Ecclesiasticas vllo modo statuta censeri.] merito etiam nullitatem huius legis in eo ponit Synodus, quod sine Pontifice Romano lata sit: lex enim Ecclesiastica, in Synodis ferri non potest, nisi Synodi sint legitimæ, legitima vero non est, vbi Metropolitanus, seu superior Primas, aut Patriarcha non interest, qui præsideat. Tota igitur huius legis oppugnatio est, quia tanquam lex Ecclesiastica sit à laico proposita.

XLI. Ex hac Synodo male intellecta, Innocentius III. sæpius inculcat *c. Ecclesia S. Mariæ de const.* laicis quamuis religiosis, super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, nullam esse attributam facultatem, quos obsequendi maneat necessitas, non autoritas imperandi.] Quod dictum in hac Synodo ponitur; sed ab Innocentio, & aliis qui ipsum sequuntur in alium longe diuersum sensum distorquetur, & corrumpitur. Laurentius etenim Mediolanensis Episcopus in hac Synodo sic loquitur: Ista scriptura nullum Romanæ Ciuitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laico statuendi in Ecclesia, præter Papam Romanum, habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi.] Bene loquitur: in Ecclesia laicum non posse statuere; hoc est, Ecclesiastica statuta condere: Ecclesiasticæ enim leges à solis Ecclesiasticis feruntur, non à laicis; sed nunquid negat Laurentius laicum posse extra Ecclesiam laicas leges etiam Ecclesiasticis, circa externa præscribere? quod tamen negat Innocentius: & quia id negat Romanæ huic Synodo innixus, cum illa id nequaquam neget, negatio hæc Innocentij, & aliorum post illum, nihili est facienda.

XLII. Eulalij etiam dictum in eadem Synodo huiusmodi est, Scripturam esse inualidam: Primùm, quod contra Patrum regulas, à laicis, quamuis religiosis, quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas, facta videtur.] Quod etiam distorto sensu accepit Innocentius, *c. Cum laicis de reb. Eccles. alien.* dum quod Eulalius intellexit de laicis non Principibus, sed Principi subiectis: ad Principes etiam perperam censuit ipse esse extendendum.

XLIII. Miror Baronium, *tom 6 an. 483. num. 10.* abrogationem hanc huius Basilianæ legis, factam à Papa in Synodo, & ipsum eo sensu accepisse, vt Ecclesia super Principum leges illam attingentes, plenam videatur habere autoritatem. Cum tamen ipsemet, non nisi triennio ante, latam legem contra simoniacos à Leone Imperatore, pulchro efferat encomio: ita scribens *ibid. ann. 469. nu. 9.* Sed qui totus in sacris erat Augustus (*Leo*) hoc pariter anno ipsius pietate dignam aduersus intrudentes se simoniaca prauitate in Episcopatum, legem edidit: quà & docuit quales esse deberent in Episcopos ordinandi.] Cur verò Basilio laico non fuit attributa potestas de rebus Ecclesiasticis statuendi, Leoni verò attributa fuit? an non Leo etiam erat laicus? Cur Synodus legē Basilij abrogat, Leonis tantopere à Baronio laudatā, & recentem non abrogat? Cur Baronius Basilij legē Ecclesiæ proficuā merito reprehensibilē & abolendam censet, Leonis verò legē, vt laudandam & approbandam complectitur? Sed ad pauca respicientes, vt est in scholis, facile enunciant. Nos iā ex hac ipsa Synodo habemus, leges omnes Imperiales præcedentes, circa res Ecclesiasticas, omnino tanquam bonas & legitimas ab Ecclesia esse amplectendas: quia si aut nullæ, aut iniustæ, aut illegitimæ fuissent, Synodus ipsa, sicut ad suam censurā reuocauit legem Basilij, ex causis supra explicatis, ita etiam alias reuocasset.

XLIV. Honorij itaque III. excommunicatio *de sent. excom. c. Nouerit.* contra eos, qui de cetero statui fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post publicationem fecerint amoueri: & contra statutarios, & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, Consules, Rectores & consiliarios locorum, vbi de cetero huiusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint vel seruatæ; nec nō & in illos, qui secundū ea præsumpserint iudicare, vel

vel in publicam formam scribere iudicata.] Si includit leges omnium Principum à nobis supra in hoc capite relatas, ea est prorsus intolerabilis, & apertissimū continet errorem; quippe quæ destruit Principum illam quam à Deo habent potestatem, & abolere nititur eas leges, quas Ecclesia perpetuo vt optimas venerata est, & indebitè absq; vlla caussæ cognitione, condemnat tot etiam piissimos Principes tyrannidis, & iniustę vsurpationis, eosq; & longa & pacifica, absq; vllo præuio iudicio, deturbat possessione.

XLV. Vt igitur à tam crasso errore defendatur Honorius, omnino dicendum videtur, hanc eius decretalem, totam niti nouellæ constitutioni Imperatoris Friderici, *Auth. Cassa. C. de sacros. Eccles.* quæ cassa & irrita per totam Italiam denunciat omnia statuta, & cōsuetudines contrà libertatem Ecclesiæ, eiusq; personas inductas, aduersus canonicas, & imperiales sanctiones.] Sicut igitur Imperator sola cassat, & irritat statuta, quę sint contraria & Canonicis & Imperialibus sanctionibus: Imperiales verò sanctiones, & alias quę non sint illis & sacris canonibus vsq; ad illud tempus editis contrariæ, integras reseruet; neq; eas censet esse cōtra Ecclesiasticam libertatē; Ita sequitur necessario, vt Papa, sequens Friderici, quam ipse impetrarat ne, an extorserat ei Constitutionem? illa eadem statuta insequatur, relictis aliis, quæ Fridericus cassanda & abolēda constituerat: quæ nimirum essent contra veram Ecclesiasticam libertatem spiritualem, non temporalem & carnalem: & quæ à communitatibus & magistratibus contra Imperiales sanctiones ederentur.

XLVI. Leges profectò humanæ, quæcunque ab Ethnicis ita latæ sunt, vt religioni nostræ essent contrariæ, ab ipsismet Imperatoribus Christianis expunctæ fuerunt, & ex numero legum quas ipsi collegerūt, ac seruandas præceperunt, exclusæ: quæcunq; verò in corpus ciuile vltimo loco à Iustiniano compactum, & editum, sunt congestæ, par est credere eas omnes à viris Ecclesiasticis visas fuisse, & approbatas, à quibus Iustinianus plene cognouerit nullam ibi adesse legē gentilium, quæ Ecclesiæ & religioni Christianæ repugnaret. Ea enim piorum Imperatorum, primum Theodosij, deinde Iustiniani, Codices legum reformantium, mens fuit, ne Christiana religio ex antiquis Ethnicorum legibus, vbi aliqua fidei, vel moribus obesse posset quicquam detrimenti caperet.

XLVII. Dices, nonne Nicolaus primus asserit, *epist.* 32. Constitutionibus mundanarum legum & Imperatorum, non in omnibus Ecclesiasticis controuersiis vtendum esse, præsertim cum inueniuntur Euangelicæ ac canonicæ sanctioni obuiare?] Supponit igitur inter humanas leges esse aliquas, Euangelio & Ecclesiæ contrarias. Respondeo tunc Nicolao credendum fore, quando nobis protulerit aliquam legem ex corpore Ciuili, à Christianis Imperatoribus, præsertim à Iustiniano, congesto; quæ Euangelio, aut Ecclesiæ sit contraria. Sed affert, inquies, exempla duo: primum ex Innocentio primo, qui *ep.* 20. *tom.* 1. Ecclesiasticas Metropolum institutiones, & diuisiones, aut mutationes, nequaquam petendas esse asserit ex diuisione prouinciarum quas fecerint Imperatores: Sed eas esse sequendas, quas fecit Ecclesia. Alterum exemplum sumit ex Gregorio, qui *l.* 9. *ep.* 59. solutionem Matrimonij concedi lege humana dixit, diuina verò prohiberi. Respondeo primum exemplum ad rem nihil facere: Innocentius enim pręcessit multò tempore Iustinianum, & tantum dicit, non propterea metropoles esse diuidendas, aut variandas, quia interdū Imperatores prouinciam aliquam diuidant & immutent; sed stante etiā diuisione prouinciæ per Imperatorem facta, prouinciā tamen, respectu Metropolis Ecclesiasticæ, eandē manere, quæ erat prius, etiam si in temporalibus dignitas Metropolitica sit ab vna ciuitate in aliam translata: intellige tu, nisi Princeps simul etiam iubeat, Ecclesiasticam quoq; variari debere, mutari, & transferri metropolim: talem enim legem Innocentius non docet sequendam non esse tanquā contrariam Euangelio, vel Ecclesiasticæ sanctioni. Iustinianus profectò *Nouel.* 11. sua lege non parum immutauit Ecclesiasticam prouinciam, quę erat sub Metropoli Thessalonicensi, & suam ciuitatem Iustinianam primam erexit in Metropolim, vt dictæ ciuitatis Ecclesia esset Metropolitana. Neq; in hoc habuit Episcopum vllum, qui repugnaret. Sed neque Innocentius repugnasset, qui sicut censuit, ad diuisionem temporalem prouinciarum, factam per Imperatores, nō propterea statim diuidi Episcopatus suffraganeos, & à suo Metropolitano separari; ita si audisset Imperatorem velle, vt aliqua Ecclesia, alterius Ecclesiæ suffraganea, erigatur in Metropolitanā: aut alias facere Ecclesiarum diuisiones, & metropoles, cum ista sint mere externa, & temporalia, ad solam externam iurisdictionem pertinentia, proculdubio nihil esse resistendum respondisset: sed Imperatori omnino parendum. De matrimonij solutione, diximus *lib.* 5. *cap.* 11. vbi ostendimus contractum matrimonij esse totum ciuilem: & consequenter Ecclesiam in eo parum quid habere: & dato quod sit Sacramentum, in potestate adhuc esse Principum vt explicent, & edicant, quæ ad validitatem, vel inualiditatem faciant matrimonij: Sacramentum enim si quod est, supponit prius esse contractum ciuilem: & vbi nullus est contractus, nullum erit Sacramentum: An verò possint Principes statuere, vt contractus hic sit solubilis, vel omnino insolubilis, ibi disputaui, & ostendi, quanta sit potestas ciuilis circa matrimonia.

XLVIII. Correctionem legum ciuilium aliquarum ab Ecclesia factam, opponere solent Monarchici, vt hinc pateat huiusmodi leges diuinæ vel Ecclesiasticæ legi contrarias interdum inueniri. Quod si quęras, quænam sint hæ correctiones, vix eos duas decretales expiscari potuisse inuenies: alteram Innocentij III. *c. Cum contingat, de iureiur.* Bonifacij VIII. alteram, *c. Quamuis de pactis, in* 6. quorum si statuta, eorum mera opinione doctrinali, non Ecclesiastica discussione pronunciata, debeant dici ab Ecclesia factæ correctiones, aliorum sit iudicium. Imò & quàm rectè vterque rem definiat, si ad amussim legis diuinæ naturalis eorum definitiones applicentur, facile Theologus poterit cognoscere. Definitio porrò vtriusque eadem est; nimirum, Si quis iurauit se facturū, vel omissurum aliquid, quod sit lege ciuili prohibitum: debere illum qui iurauit, facere contra legem illam potius, quam contra proprium iuramentum. Quæ definitio, vt dixi, Theologice considerata, mihi videtur erronea. Iuramentum enim de re illicita non tenet: imò est peccatum illud seruare, vt est communis Theologorum sententia: at quis nescit rem esse illicitam, quæ iustis legibus prohibeatur? etiam si de se sit indifferens, & non sit mala quia per se mala; est tamen mala, quia prohibita. Sed quicquid sit de hac definitione: quis hic correctionem vllam agnoscit? si lex ciuilis alienationem, vel pactum aliquod irritum esse decerneret, etiam iuramento firmatum, meritò corrigenda esset: non enim potest lex ciuilis periurium honestare: sed si lex alienationem quandam, ac certa pacta, ne fiant prohibet, & post prohibitionem alienationem promittas, vel pactum illud prohibitum facias, & iuramento ista firmes, velitque Papa tunc standum esse iuramento, & non seruandam esse legem, hoc non est corrigere legem,

gem, sed explicate, tunc propter reuerentiam iuramenti legem ciuilem locum suum non habere: secluso tamen iuramento, eam in suo vigore permanere. Hoc etiam legi Ecclesiasticæ potest contingere: nam ieiunandum præcipit Ecclesia certis diebus: si tamen contingat alicui aduersa valitudo, dabitur ei, à priuato etiam homine, explicatio, tunc non esse ei ieiunandum. Numquid hæc explicatio erit legis ieiunij correctiua? Libellarij tamen *Episcop. Taruic. 4. propos.* contra Venetos, etiam in hoc decipere conantur simplices lectores: dicunt enim leges illas quas corrigunt Innocentius, & Bonifacius, esse leges statuentes, vt alienatio etiam cum iuramento promissa, & pactum similiter sub iuramento factum, non seruentur. Quod est falsissimum.

XLIX. Sed maiori importunitate insurgit Baronius, dum conatur leges Principum, præsertim tam multas Iustiniani, Ecclesijs etiam, & Ecclesiasticis datas, quoquomodo infringere; & laicæ potestati, in illis ipsis ferendis, derogare. Illud sane de Iustiniano in vniuersum sentit, eum sibi nimium arrogasse, [*Baron. tom. 7. ann. 541. num. 20.*] & contra ius fasque præsumpsisse, ac [*Idem ibid. ann. 528. num. 1.*] diuinarum rerum factum inuasorem, se diuinis miscuisse; qui humanis tantum præfectus esset rebus? O miserum Iustinianum, quo tandem pius eius zelus euasit, vt inuasor nunc demum reputetur: O miseram magis Ecclesiam CHRISTI, quæ vltra mille annos excæcata, iniustum inuasorem non agnouerit, sed eum tanquam amicum, & sibi valde proficuum, sit venerata: nec habuerit vnum sagacem monitorem, qui eius errorem nouerit aperire, donec leguleius factus ex inopinato Theologus absque Theologia, iam tandem, nescio quo furore agitatus, in gratiam Romanæ Monarchiæ, nimium sapiendo, desipuerit. Sed ô miserrima nostra tempora, quibus, non tolerante, sed impellente omnium totius Orbis Episcoporum primo, in summum CHRISTI Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum dedecus, talia eduntur, leguntur, laudantur, extolluntur. Hæccine religiosissimis Imperatoribus, pro custodita pietate, & Ecclesiastica restituta, ac conseruata disciplina, redduntur præmia, vt *Iohan.* 10. 33. de bono opere lapidentur? Hadrianus Papa IV. *Apud Radeuicum in Frider. lib. 1. cap.* 15. Friderico Imperatori Iustinianum solum nominat; & vt exemplum optimorum Imperatorum ei ad imitandum proponit. Baronius verò eum vocat inuasorem.

L. Quid verò indignius dici poterat, quam Iustinianum, rerum diuinarum inuasorem, contra ius fasque diuinis se miscere præsumpsisse; diuina proprie sunt ea quæ à Deo reuelata, æternam & supernaturalem respiciunt beatitudinem, vt est, decernere quid credendum sit, quid efficiant Sacramenta, quid ad æternam salutẽ sit necessarium: hæc Iustinianus neque docuit, neque in his quicquam decreuit, sed didicit ab Ecclesia, eique decernenda reliquit, sacris dogmatibus ipse non se immiscens. In iis tantum decernendis, & statuendis laborauit, quæ ad œconomiam, & Ecclesiasticam disciplinam restituendam, roborandamque possent conducere, vt vel inuitus fatetur etiam Baronius, *tom. 7. ann. 534. num. 41.* qui non potuit non laudare tanti Principis pietatem, quamdiu, inquit, in Catholica Ecclesia perseuerauit: dum verò in Ecclesia Catholica perseuerabat, leges illas condidisse non diffitetur. An verò Iustinianus à fide Catholica defecerit, erit postea examinandum. Si Iustiniani fuit præsumptio, & Ecclesiasticę autoritatis vsurpatio, dum tot leges scripsit ad Ecclesiam pertinentes; cur obsecro Ecclesia in hoc adeo enormiter læsa, increpationibus, ac sacris terroribus nõ insurrexit? cur tantam passa est præsumptionem? pro vna sola lege Basilij Patritij, quia laicus præsumpsit Ecclesiasticas leges condere, congregata est Synodus Romana 3. *sub Sym.* octoginta circiter Episcoporum, ex tota Italia, ex Sicilia, ex Istria, & extremis quibusque Italiæ finibus conuocatorum, vt eam abrogarent (nam præcipuum in ea Synodo hoc fuit negotium) oportuit igitur etiam Generale Concilium congregari, vt tam multæ Iustiniani leges, si fuerunt præsumptæ; imo & aliorum priorum, & posteriorum, præsertim Leonis sexti, Imperatorum, abolerentur. Solus tamen Baronius plus sapit, quam tota Ecclesia.

LI. Excusandum itaque Iustinianum, si leges pro rebus Ecclesiasticis tulisset, docet Baronius, ita vt tamen semper supponat, eum id, quod neque poterat, neque debebat, præsumpsisse, excusationesque eo dirigit, vt Principibus auferat huiusmodi legum ferendarum potestatem. Primum itaque *Idem ibid. ann.* 528. *num.* 1. 5. eo nomine excusat ipsum, quod iam abiectos canones, ad obseruantiam cuperet reducere; existentibus in Oriente hæreticis Ecclesiarum Antistitibus: ac propterea non tam eum fuisse suarum legum conditorem, quam canonum Ecclesiasticorum executorem: disciplinamque Ecclesiasticam, *Ibid. ann.* 534. *num.* 41. conatum quidem, sed ex sacrarum regularum prescripto, restituere.] Hæc tamen sunt inania verba: quia maxima pars Iustinianarum legum in memoratis Nouellis, sunt ita eius propriæ, vt potius ex illis, & Gregorius, & Ioannes VIII. sua regulauerint iudicia, vt vidimus, quam ex canonibus, quos in illis caussis nullos habebant. Et, si canonum tantum obseruantia illi cordi fuisset, vnica lex satis fuisset, qua canonum omnium præciperet obseruantiam, pœnis additis temporalibus: & qui modos loquendi in illis constitutionibus obseruat, facilè videt propria Imperiali autoritate singulas sanciri.

LII. Vt tamen probet Baronius Iustinianum fuisse canonum duntaxat executorem, *Ibid. anno* 528. *num.* 5. affert verba Nouellæ tertiæ, in eius exordio posita, videlicet: Quod nobis videbatur bene & competenter habere, & regularum sanctarum digne, &c.] & Nouellæ sextæ: Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti & laudandi, & adorandi Imperatores, & ministri DEI verbi tradiderunt Apostoli, & sancti Patres custodierunt, & explanauerunt.] Idem etiam haberi dicit in Nouella 123. & 137. Hæc quidem dicit Iustinianus, sed significat, se pro obseruatione sacrorum canonum leges alias ferre, quę ad illorum obseruationem conducant: vt nimirum suis legibus & pœnis cogat sacrarum regularum obseruationem. Sed quid videbatur, obsecro, Baronio, dum ibidem legebat. Præsentem verò legem specialem ad tuam Beatitudinem (*Patriarcham Constantinopolitanum Epiphanium*) scribimus? Et, Sancimus igitur sacras per omnia sequentes regulas, &c?] Quod verò Episcoporum consilio vsum asserat Baronius, id facile concedimus. Sed consilium Episcoporum non fecit, vt leges etiam essent Episcoporum, quæ solæ Imperiali autoritate ferebantur, & publicabantur. Sed extricet se quoquo modo Baronius à Iustiniano, quomodo se euoluet ex tot legibus priorum Imperatorum?

LIII. Alteram affert excusationem, *ibid. ann.* 128. *nu.* 2. 3. 4. *& tom.* 8 *ann.* 657. *nu.* 16. quia, *inquit*, rudis erat, & ignarus literarum Iustinianus quem Suidas *analphabetum* vocat; credibile est Epiphanium Patriarcham omnes ei illas leges dictasse: & Mennam Epiphanij successorem. Cum enim cuperent Ecclesiasticas

leges

leges edere, vt illæ maiori autoritate ederentur, & seruarentur, ac ne etiam earum confirmationem à sede Apostolica Romana, vt sciebant se teneri, petere cogerentur, id consilij cepisse; vt Imperatoris nomine prodirent.] Hæc tamen, etsi mihi nullam habere probabilitatem sit certissimum, facilè tamen ea nunc concesserim: & quæro, sciebant ne hi Patriarchæ leges Imperiales circa res Ecclesiasticas, nullas vires habere in Ecclesia? certe res hæc debuit esse vel clericulis quibusque notissima. Cur ergo oleum & operam perdunt? Aut contra, notissimum pariter erat, leges Imperiales in Ecclesia & circa Ecclesiastica seruandas esse: ideoque vt maiores vires haberent (quod iam dixi falsum esse Baronium) Imperatorem voluerunt esse autorem, & latorem: atque ita adhuc magis ex hoc in hisce confirmatur potestas Imperialis. Quod verò ait, de confirmatione à Romano Pontifice petenda, alibi à me erit excutiendum. Nam id perquam falsum esse, facilè constabit.

LIV. Vrgebatur Baronius argumento validissimo; quod nimirum Ecclesia illas leges admiserit, & seruandas omnino acceperit: Vt se ab eo liberaret, ait, *tom.7 ann* 528 *num.* 8. Ecclesiam non respuere leges rectas, etiam ab impijs latas.] Bene quidem, si omnes illæ leges fuissent inter canones collocatæ, vt aliquæ, & paucissimæ fuerunt. Iam enim bonas leges impiorum Ecclesia proprias fecisset, & illæ in Ecclesia seruarentur, vt leges Ecclesiæ, non vt leges alicuius impij, à quo desumptæ fuerunt; & tamen seruatæ sunt omnes, etiam illæ, quæ inter canones non sunt relatæ: & sanè seruatæ vt leges Imperiales: Et non tantum vt bonæ, sed etiam vt præceptiuæ. Bonas verò leges laicorum nequaquam seruandas esse, ex Synodo Romana docuit idem Baronius, à nobis supra productus.

LV. De Caroli Magni Capitulari, ac Ludouici, non adeò queritur idem Baronius; imo ne queritur quidem, sicut de Iustiniani Nouellis: cum tamen & plures fortasse, & grauiores, circa personas, & negotia Ecclesiastica, capitulare illud contineat leges. Prolixus nimium essem, si vellem illas recensere: Sed inde Baronius mitigatur, & censoriam deponit virgam, quòd interdum Carolus Romanam sedem consuluerit, & Episcoporum vsus sit opera & consilio. *tom.* 9, *ann.* 801. *num.* 20. *& ann.* 819. *num.* 21. 22. Ergo & sedes Apostolica, & Episcopi consenserunt, vt laicus Ecclesias & Ecclesiastica legibus laicis moderaretur. Atqui hoc est, quod nos contendimus, laicis legibus & Ecclesias, & Ecclesiasticos obligari: neque dicas, tunc obligari, quando laicæ leges latæ sunt de consilio, & licentia sedis Apostolicæ, & Episcoporum: nam licentia illa non facit, vt lex sit illius, qui dat licentiam: sic enim debuisset Carolus leges illas nomine non proprio Regis, sed Pontificis & Ecclesiæ publicare, quod non fecit, Cum verò eas vt leges Regias publicarit; est merum accidens; quòd in hoc habuerit consensum & consilium Ecclesiasticorum: & lex ipsius obligabat, non ex vi consilij, & consensus habiti, sed ex vi regia legislatoris. Ad hæc, consulere sedem Apostolicam & Episcopos, non est licentiam & facultatem petere, sed est velle cognoscere, an lex ferenda sit iusta, vel iniusta, vtilis, an inutilis, ferenda an non ferenda: cognito verò eam esse iustam, vtilem, & ferendam, si feratur, tota lex illa erit legislatoris, non consiliarij. Sed & Iustinianus consilio vsus est Epiphanij, & Mennæ, & aliorum Episcoporum; non autem Romanæ sedis. Addo etiam Episcopos in Francia in publicis comitijs adesse, non vt Ecclesiasticos, sed vt partem totius Regni politici, vt est etiam in Vngaria: & alijs non paucis Regnis: Atque ita in talibus laicam non Ecclesiasticam exercent potestatem. Ac demum verba Caroli sæpissime sunt multò magis præceptiua & Imperatiua; quàm Iustiniani; & Episcopos, vt supra vidimus, suos vocat in regimine etiam Ecclesiarum, adiutores: in quo tamen mihi videtur nonnihil excedere.

LVI. Leonis sexti nouellas, quæ & ipsæ multas continent leges ad Ecclesiam pertinentes, vidit & legit Baronius, ratusque se Iustinianum confudisse, adcò vt ne mutire quidem amplius audeat; eas illa tantum breui addita censura pertransit: *tom.* 10. *ann.* 911, *num.* 2. Extant eiusdem Leonis 113. Nouellæ constitutiones, diuersorum argumentorum, ad res vel personas etiam Ecclesiasticas pertinentes: voluit enim imitari Iustinianum, vt pro arbitrio, sicut de profanis, ita de sacris æque decerneret, sibi sumens quod summorum Pontificum est: quàm autem ista præsumentes delirent Imperatores, dictum est superius in Iustiniano.] Nos verò superius in Iustiniano ostendimus, Baroniū potius delirare, & Iustiniani leges ab ipsius delirijs vindicauimus: quare etiam Leonis leges incolumes inde relinquuntur. Summorum verò Pontificum, hoc est, Romanorum, esse ferre leges Ecclesiasticas vniuersales, lib. 8. ostendam esse falsum, id enim Conciliorum semper fuit. Solæ quatuor ex tam multis Leonis 6. legibus, non videntur carere scrupulo, quoad subiectam materiam 31. de repudio ex abortu 58. de vsu sanguinis 83. de vsuris permissis. 121. & 112. De solutione matrimonij, si alter coniux sit mente captus. Reliquæ mores Ecclesiasticos, & disciplinam restituunt & conseruant, vt facile cognoscere poterit, quicunque eas attento animo perlegerit.

LVII. Audiat tamen quæso Cardinalis Baronius, quid de huiusmodi legibus Imperatorum sentiat Cardinalis Cusanus; non purus legista, sed bonus Theologus: *lib.* 2. *Cath. concor. c.* 40. Non deceret, *inquit*, quempiam dicere, sanctissimos Imperatores, qui bono Reipublicæ in electionibus Episcoporum, & collationibus beneficiorum, & obseruatione religionum, multas sacras constitutiones ediderunt, errasse; & ita statuere non potuisse: imò legimus Romanum Pontificem eosdem rogasse, vt constitutiones pro cultu diuino, pro bono publico, etiam contra peccatores de clero ederent: & si fortè diceretur, *robur omnium illarum constitutionum ab approbatione Apostolica aut Synodica autoritate dependebat*, nolo in hoc insistere; licet 86. capitula regularum Ecclesiasticarum antiquorum Imperatorum legerim, & collegerim, quæ hic inserere superuacaneum foret, & multa alia Caroli Magni, & ipsius successorum, in quibus etiam de ipso Romano Pontifice, ac alijs omnibus Patriarchis dispositiones, quæ de conseruandis Episcopis, & alijs capere debeāt, inueniantur. Et tamen nunquam legi, aut Papam rogatum vt approbaret, vel etiam ea propter, quod si approbatio ipsius interuenit, ligasse legitur, bene vt superius quodam loco habetur, aliquos Romanos Pontifices fateri se illas ordinationes venerari.] Agnoscit ergo Cusanus Imperatorias leges vim præceptiuam habere etiam in Ecclesia.

LVIII. Ad extremum hic nobis est cum Bellarmino confligendum. Is enim ab his omnibus vnico se expedit verbo, dicens: *Bellarm. l. de cler. cap.* 28. *propos.* 2. Tenentur Clerici legibus ciuilibus, solum obligatione directiua, non coactiua: nisi eædem leges ab Ecclesia approbatæ fuerint.] Si hoc vt prolatum est, ita probatum fuisset, nullam amplius fere in hoc molestiam paterentur nostri Clericorum propugnatores: sed neque illi quicquam probant: & nus tam in præcedentibus

dentibus, & ex sacra Scriptura, & ex patrum assertionibus, & Conciliorum decretis, & rationibus iuris naturalis, & factis Principum, & Ecclesiæ consensu, abunde probauimus, vim coactiuam sæcularem exerceri etiam in Ecclesiasticos; & leges hoc ipso capite à nobis allatæ indicunt pœnas, etiam Clericis, illas non seruantibus. Quas profectò pœnas etiã executioni mandatas sæpe, nihil querente nec reclamante Ecclesia, sed laudante & approbante, ostendunt historiæ à nobis iam prolatæ. Et, si Bellarminus, vt vim coactiuam legum laicarum admittat in Clericos, requirit (sed frustra) conditionem, vt illæ leges ab Ecclesia fiant approbatæ: det manus, iam enim ostendimus per mille fere ac ducentos annos, Ecclesiam semper leges Principũ, etiam Ecclesiis & Ecclesiasticis pro regimine externo datas, acceptasse, & humili obsequio approbasse. Et cum eadem sit præsens Ecclesia, quæ fuit per dictos mille & ducentos annos, eademq; potestas Principũ; nunc etiam tenetur Ecclesia legibus huiusmodi externæ disciplinæ deferre, & parere, ac parendo & obsequendo eas approbare.

LIX Sed quanta sint momenta rationum, quibus vir doctus suam nititur probare intentionem, nimirum Clericos debere obseruare leges Principum, non vi legum ipsarum, sed vi rationis; iam videamus. Non possunt, *inquit*, Clerici à iudice sæculari iudicari, etiamsi leges ciuiles non seruent: *Molina tra. 1. de iust. & iu. disput. 31.* Sed debent, *addit Molina*, Episcopis deferri, vt ipsi eos puniant, pro legum illarum transgressione. Probatio Bellarmini prima est, ex Concilijs: ac primum Chalcedonensi, prohibente Clerico, ne, si cum alio Clerico habeat negotium, adeat iudicem sæcularem.] Indigna sanè tanto viro probatio. Quid hoc ad rem? Concilium prohibet suis Clericis, ne alios Clericos coram iudice laico conueniant, aut accusent. Numquid verò ex hoc sequitur, Principem non posse punire Clericum legum ipsius transgressorem? Quis hæc patienter legat? Sed & Agathense, *inquit*, habet, Clericum nullus audeat apud iudicem laicum pulsare.] In determinatione. Primum, quia à Gratiano corruptum profert canonem. Deinde, quia, si nemo accusabit Clericum transgressorem legis, & tamen Princeps id resciuerit, etiam nemine accusante, corripiet ad pœnam transgressorem. Quænam verò est ista consequentia; nemo accuset Clericum coram iudice laico; ergo Princeps non habet vim coactiuam in Clericum? Mea sanè dialectica inde probabilius colligeret prorsus contrarium. Sed hæc Concilia, & alia quæ innuit Bellarminus, à me plenissimè vltimo libro excutientur, & ostendam ea nullam prorsus vim habere pro Clericorum exemptionibus.

LX. Secundo probat ex Imperatorum constitutionibus, ac præsertim ex Nouellis Iustiniani 79. 83. 123. qui eximit Clericos iudicio sæculari. Ego verò ostendam lib. x. Principes ita exemisse Clericos, vt tamen se nunquam sua in ipsos potestate spoliarint: potius ergo illos exemerunt à iurisdictione suorum iudicum inferiorum, & Magistratuum, quam à sua; immò Iustinianus expresse criminalia Clericorum, etiam suis iudicibus reseruauit. At nihilominus, *inquit*, lex canonica eos exemit simpliciter in omnibus caussis, tam ciuilibus, quàm criminalibus.] Cur ergo Iustinianum produxisti, quem sciebas tibi contrarium? Ostende verò etiam, vbi nam lex canonica id, quod asseris, præstiterit. Caium Papam, & Marcellinum apocryphos commemorat. Qui tamen etiam ipsi nihil habent, vt suo loco videbimus. Citat etiam Gregorium l. 11. epist. 54. ex qua epistola nos supra, *num.* 30. prorsus contrarium collegimus.

LXI. Tertiò probat ratione: nam omnino absurdum est, *inquit*, vt ouis pastorem suum quocunque modo iudicare præsumat: vt mitto Constantinus dixerit: Vos dij estis: à summo Deo constituti: æquum non est, vt homo iudicet Deos, ex Ruffino *lib. 10. histor. capit. secundo.* & Gregorio *lib. 5. epistol. 75.*] Semper peiora, & in peius. Rex non habet, nisi vnicum suum proprium pastorem spiritualem, nempe Episcopum illum, vbi ille degit: & ad summum etiam suum confessarium. Ille ergo vno vel altero excepto, totum reliquum Clerum totius Regni, si transgressorem reperiet, puniet. Præterea iam ego docui, *capite tertio*, Episcopum in temporalibus non esse pastorem Regis, sed ipsius ouem: & Imperatorem esse Episcopi ouem in spiritualibus. Constantini dictum alium habere sensum supra innuebam, & ipsum aliò reieci plenius explicandum. Denique si ouis non potest suum pastorem iudicare ac punire, neque potest illum dirigere & instruere: si ergo pastor tenetur sequi vim legis suæ ouis directiuam, nec hoc reputatur absurdum: absurdum etiam non debet reputari, quod teneatur sequi vim quoque legis coactiuam.

LXII. Addo, si placet, (quod ibidem ponit Bellarminus) Clericos omnes, nullo excepto, esse partes, & membra Reipublicæ politicæ, quatenus homines sunt; vel ergo sunt membra viua illius corporis, & partes illi vnitæ: vel membra putrida ab eo dissecta & separata: hoc sanæ mentis nemo dixerit: illud verò faciet, vt suo capiti necessariò hæreant, eique perfectè in humanis subijciantur. Quis verò negabit, caput habere perfectum regimen in omnia sui corporis membra? Perfectum verò regimen non erit penes Regem, qui caput est humanæ politiæ, in ea membra, in quæ vim coactiuam non potest exercere: & sic respectu alicuius partis sui corporis non haberet omnia necessariò requisita, quæ ad caput quodcunque omnino pertinent: Atque ita illa & essent eius membra, & non essent, quæ est contradictio manifesta. Hinc verò est, quod etiam datis priuilegijs exemptionum, adhuc leges retinent suam iurisdictionem in omnes Clericos: &, quod libro postremo docebo, exemptiones huiusmodi nihil aliud sunt, quàm meræ & simplices delegationes, quibus quæ clericos concernunt iudicia vel omnia, vel aliqua, committuntur Episcopis à Principe, vt nomine & autoritate ipsius Principis illa non à laicis, quod poterat & solebat fieri, sed ab Episcopis, tanquam iudicibus delegatis, & in fauorem ac reuerentiam cleri clementer indultis, exerceantur.

LXIII. Certè dari potest harum vocum quædam interpretatio, secundum quam & ipse libenter assentior, clericos subijci legibus vt directiuæ sunt, non vt coactiuæ: vt nimirum sponte & ex animo, eis se submittant, nec vnquam vel minimam admittant cogitationem, quæ machinetur quicquam contra leges: Clerici hi sint boni, sint iusti, & sic ab actuali coactione legum erunt immunes; iuxta illud, 1. Timoth. 1. 9. *Lex iusto non est posita:*] Et Rom. 13. 3. *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.*] Sed valdè tenue ac frigidum hoc esse priuilegium putabunt clerici nostri, vtpote quod non relaxat frænum libertati, sed duriori ac arctiori vinculo ipsos etiam leuissimos motus constringit: quodque adeo indignum est priuilegij nomine, cum sit laicis omnibus, etiam

infimis,

infimis, commune: qui certè, non minus, quàm clerici, à coactione erunt liberi, quandiu spontaneam præstiterint obedientiam. Similiter hoc pacto clericus etiam legibus Ecclesiasticis non subijcitur, nisi directiuè: imò & diuinis. Quia ex amore, & non ex timore paret eis. Cæterum si malefeceris, & eas transgressus fueris, time pœnas, & diuinas pro diuinis, & humanas Ecclesiasticas, pro Ecclesiasticis: & temporales pro temporalibus; non enim sine caussa Princeps gladium portat, contra quoscunque subditos homines, ipsius legum transgressores. Solus Princeps supremus suis legibus, quoad vim coactiuam, non subijcitur, sed quoad solam directiuam: subditi verò quicunque, etiam quoad coactiuam, alioquin lex non esset lex clericis, (quos tamen verè subditos iam agnouimus) sed esset simplex documentum, & mera adhortatio: Et ita eorum transgressio in clerico non esset verè transgressio. Quod enim sub lege non est vt præceptum aut vetitum, ad transgressionem non pertinet, & vbi lex nulla est, obligatio similiter nulla erit, & consequenter neque transgressio. Cùm tamen leges ipsæ Principum commune boni regiminis bonum spectet, ideoque etiam Clericis multa prohibeant, quæ publicam pacem & tranquillitatem possint perturbare, lex profectò etiam clericis erit lex, & ei parere tenebuntur tanquam legi, & non tanquam rationi tantum. Ad ea enim, quæ ratio dictat sola, & nulla sint lege præcepta vel prohibita, nemo obligatur, sed liber est, & citra periculum transgressionis potest ea seruare, & non seruare: omnia enim quæ æquitatem & conuenientiam in se continent, dictat ratio; non tamen hæc omnia cadunt sub obligationē, nisi lex ea aut præcipiat, aut prohibeat iis, qui legibus talis legislatoris subduntur. Verbi gratia, æquitas magna est pro conseruatione ciuitatis, & eam ratio dictat, vt quisq; artifices eiusdē ciuitatis adhibeat, & non exteros, ad opus quod quis vrgeat: non tamen propterea quisq; ad id tenetur, sed liber est, vt etiam exteros assumat, neq; propterea reus erit vllius transgressionis. Sed vbi lex accesserit, iam tenetur ab exteris omnino abstinere. Eximere itaq; Clericos ab obligatione legis Laicæ, vt lex est, & consequenter eos liberos facere, vt eas seruent, vel non seruent, &, si non seruent, asserere, nō propterea esse transgressores: hoc est, docere, legem Laicam Clericis non esse legem, sed simplex dictamen rationis non obligantis; ac propterea lex laica nullam obligationem inducet Clerico, neq; etiam directiuam, & sic nullo modo lex Laica Clerico esset lex: quæ esset confusio maxima, atque hinc seditiones alerentur, & Principes in suo regimine turbarentur: ac impedirentur: essetque hoc diuinæ resistere ordinationi. Merito verò Valentinianus Imperator ad Episcopos Asiæ scripsit, *Theod. lib. 4. cap. 7.* Probos Episcopos non solùm Dei, sed etiam Regum legibus obtemperare. Et Augustinus *ad Bonifac. epist. 50.* Quicunque, *inquit*, legibus Imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare nō vult, acquirit grande præmium: Quicunq, aūt legibus Imperatorū, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult; acquirit grande suppliciū.] Hic ego agnosco vniuersalem vim præceptiuam legum Imperialium, vbi non sint contra Deum, quæ obligent omnes indifferenter, neminē excepto, ita vt æterni supplicij reus sit, quicunque bonis legibus in caussis religionis non pareat; quę est vis legis, vt lex est. Et si in vno genere præceptorum circa religionem lex Principum; lex est etiam Clericis: erit similiter etiam in ciuilibus, quia in vtrisque eadem est vis & potestas præceptiua. Sed de hoc libro octauo. plura.

Non possum hic ad finem huius capitis, ex traditis in ipso, & fuse comprobatis, non colligere, enormiter errasse summi Pontificis huius temporis consultores illos; qui D. Papam Paulum V. aduersus Serenissimam, & religiosissimam Rempublicam Venetam, eodem tempore, quo hæc à me scribuntur, aut saltem scribenda apparantur, concitarunt. Quod enim legitimum & summopere iustificatum fuit, id ex iustitia iniquum, & ex ambitione attentatum, & præsumptum esse existimauerunt, & protulerunt, ac D. Papæ exposuerunt. Præcipuus offensionis lapis, & petra scandali, in quam durissimam, ex sua soliditate iustitiæ consistentem, impingentes, non modo pedem, sed & caput sibi fregerunt, & Pontificiam nimiam potestatem, conniuentibus oculis à Principibus mundi toleratam; eidem lapidi, & scopulo illisam, vt non nihil comminueretur; illi ipsi satis imprudenter fecerunt; fuit lex Veneta, de bonis immobilibus ad Ecclesias transeuntibus; vt si Ecclesiæ legarentur, à piis fidelibus, Ecclesia ea sanè acciperet, sed sub præfixo temporis termino ea venderet, & precium retineret. Hæc sanè lex in eo modestior, quod pio legato relinquit locum, quem totum omnino tollere poterat, vt irritum esset id legatorum genus, & inane. Hoc enim, vt suo loco probabo, in plena est Principum potestate: qui de bonis terrenis planè disponere possunt, vt eis ad commune bonum expediens esse videtur. Augustinus agros iure Principum possideri ab Ecclesia dixit. Ambrosius verò dicebat; Agros Imperator, si vult, tollat: Igitur etiam si vi adhibita, iniuste, & ex nulla legitima causa Principes Ecclesiam agris priuarent, Ecclesia tamen debet patienter tolerare, & admonitionem quidem modestam potest & debet adhibere, vim tamen & resistentiam parare, nec potest, nec debet contra eos, quos dominos rerum temporalium agnoscit. Quanto minus turbæ erant excitandæ, vbi lege modestissima, & ex grauissima caussa ad conseruandam Rempublicam lata, precium bonorum integrum relictum est Ecclesijs, bona verò immobilia, ad publica onera sustentanda, & ad plures alendos subditos Reipublicæ tuendæ necessarios, vt in sæculo, & pro sæculo maneant, prouidetur. Illud vnum hoc loco vrgeo; Nihil eos in ea lege ferenda effecisse, quod non in ipsorum plena esset potestate. Hoc enim ex præcedentibus à me disputatis redditum est manifestissimum: & contra hanc ipsorum potestatem, vno excepto Deo, nemo est in terris, qui posset eis iure repugnare. Habent enim à Deo immediate Principes, vt possint temporale regimen, quacunque quarumcunque rerum terrenarum dispositione, adiuuare, & promouere, & re ipsa hoc subinde Principes Christiani fecerunt, *supra num 33.* legibusque datis, *In act. Concil. Constant. in constitut. Freder. & Carol.* Ne bona temporalia in vim & potestatem Ecclesiasticam transferantur, vetuerunt.

LXIV. Si Romani proceres, non contenti multis Iurisconsultis Catholicis, vel Theologos suos, viros doctos & prudentes, consuluissent, alioquin Romani primatus studiosissimos, in legem hanc Venetam, ac in ipsos Venetos summum Pontificem nihil asperum statuere aut moliri compulissent. Viderant controuersiam iam à Driedone, viro apud ipsos magni nominis (vt omittam alios, & exempla non pauca) pro legibus huiusmodi definitam. Sic enim scribit, *de liber. Christ. l. 2. cap. 3.* Respondeo: huiusmodi statuta, seu mandata, prima facie, seu contextione considerata, in se videntur esse iniqua: neque possem ego huiusmodi statutorum conditorem, & seruatorem excusare, nisi ex tolerantia Papæ, scientis

scientis atque tacentis; & ex causis rationibusque appositis huiusmodi statutis, videretur mihi esse præsumendum, huiusmodi statuta prodiisse ex pia quadam intentione Christiani Principis, suique consilii, prohibentis talem quendam donandi modum, quo transeant prædia pro perpetuo in manum mortuam; Sic statuentes, non in odium Ecclesiasticæ libertatis, neque in diminutionem cultus diuini, neque ad impediendam eleemosynam pauperum, aut Hospitalium, aut Ecclesiarum indigentium subsidiis temporalium rerum; sed ad tollendum abusus, ad moderandum donationes superfluas, ne Respublica in aliqua patria sufficienter Ecclesiasticis prædiis dotata, nimium oneretur, & ne religiosa loca superfluis prædiis atque diuitiis incrassata, illarum curis teneantur, neve fundationes antiquæ per nouas superuenientes impediantur, sed aptius & commodius custodiantur ad DEI honorem ac cultum. Ita tamen, vt pii Principis animus sit paratus libenter suum assensum in huiusmodi donatione prædiorum impartiri, vbi visum fuerit hoc, absque suo & Reipublicæ præiudicio, pro augmento diuini cultus expedire. Princeps sic statuens in aliqua sui dominii patria, nequaquam probibet laico, ne suum prædium propter DEVM det homini indigenti, aut pauperi; sed ne det vlli collegio vel hospitali sic, vt dominium perpetuò maneat apud tale collegium, vel hospitale. Atque ita huiusmodi statutum non est directè contra consilium CHRISTI dicentis, *Matth.* 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* Neque enim prædia vetat, vel agros vendi, & precia illorum pauperibus dari, vel hospitalibus, vel religiosis domibus, vel etiam Ecclesiis indigentibus, in augmentum diuini cultus: neque item absolutè vetat, ne talia prædia Ecclesiis vendantur, aut donentur, sed prohibet, ne huiusmodi prædia sine suo consensu transeant in perpetuum ad manum mortuam, extra suam iurisdictionem. Ipsius Principis est suæ Reipublicæ prouidere, ne cum damno totius populi, tanta rerum abundantia deputetur Ecclesiæ, vt detrahatur hæredibus aliisve pauperibus, in dominio suo temporali, indigentibus, &c.] Hæc profectò sanctissimè ac prudentissimè Driedo, qui ipsissimam Venetam legem egregiè defendit. Quod verò initio statutum huiusmodi excusabat ex tolerantia Papæ scientis atque tacentis, mihi non videtur admittendum; Si enim statutum tale esset contra ius diuinum, Papæ conniuentia nullo modo statutum tale excusaret, nam contra legem humanam esse non potest, & Principes absolutos tam in proprias, quam in præcessorum leges habere potestatem ostendam postea. Driedoni adde, si placet, Ludouicum Molinam, tale statutum in regno Portugaliæ his verbis confirmantem, *de Iust. & Iure, tract. 2. disp.* 140. Id verò in hoc regno & ordinariè in aliis sancitum est, ne paulatim plus iusto accrescãt tum immobilia bona, tum etiam reditus Ecclesiarum, & Monasteriorum, in Laicorum detrimentum. &c.] Sed hanc & alias rationes optimè discussit Driedo, quem modo protulimus.

LXVI. Dicam vlterius, etiamsi Reipublicæ conseruatio, bonum commune totius humanæ politiæ, id ab eis suo iure non posceret, vt prædia, quàm maximè fieri potest, in sæculo retineantur, (quæ post excessiuas Ecclesiasticorum opes est causa grauissima) zelus tamen Principis Christiani maximè proprius, & munus ipsi à DEO commissum, vt Ecclesiasticam promoueat disciplinam, supremaque autoritas, quam habent Principes in bona temporalia ac eorum vsum, vt disseram *libro decimo*, satis sunt, vt possint & debeant super ipsos etiam Ecclesiasticos inuigilare. Si enim nimius eorum luxus nimiaque opulentia adeo insolentes reddit & refractarios, vt publicæ paci & tranquillitati sæpe graues inferant turbationes; nec sit spes correctionis, vbi in dies eorum excrescit opulentia: cur non ibi adhibeant remedium, vnde morbus inualescit? Vtinam tot præcessores suos nostri imitarentur Principes; quos legibus & potestate circa hæc temporalia toties Ecclesiam & Ecclesiasticos hoc ipso capite iam vidimus esse moderatos: falce enim, eaque acutissima, nunc maximè opus est in Ecclesia nostra: nec vlla spes reliqua est, vt ex ipsa Ecclesia medela tãto morbo applicetur; vbi, quò maior est Prælatus, eò (heu) grauiore auaritiæ & cupiditatis morbo decumbit.

LXVII. Vestrum est Principes Christiani, pii & religiosi, Vestrum est Ecclesiam Romanam, eique subiectas insanabili hoc morbo correptas, imo & iam penè totas corruptas, ferro & igni adhibito, ad valetudinem reuocare. Percutite, obsecro, prædecessorum vestrorum leges, statuta percutite, spiritum immittemini. In temporalibus vos in terris dii estis, in temporalibus Ecclesiam etiam regite & gubernate, & in spiritualibus, vt illa ritè gubernetur, satagire, laborate, & compellite. Hoc DEVS optimus maximus à vobis exposcit, hoc Ecclesia ipsa gemitibus inenarrabilibus postulat; hoc publica pax, & subditorum vestrorum tranquillitas: hoc diademata ipsa ac sceptra vestra à vobis flagitant; quibus iam cernitis Ecclesiasticos se facere superiores. Ecclesiarum nostrarũ nunc sacerdotes innumerabiles mendicant, fides deperit, religio exulat, soli pauci Prælati & Cardinales; ne dicam solus fortasse vnus, qui se Prælatorum Prælatum facit, absorbet omnia: In Romanam Curiam aurum & argentum totum vndique ex vestris regnis conuehitur, vestra regna, vestræ prouinciæ exhauriuntur: Vestræ Ecclesiæ etiam ditissimæ nudæ, semirutæ, sordidæ, vestri sacerdotes plurimi fame ac sordibus squallent, vt Romana Curia incrassetur. Nisi vos tot malis occurratis, quis occurret? Multas vidistis leges Principum, redituum Ecclesiasticorum vsum moderantes & regulantes: Vos verò sicut non estis potestate, ita neque par est, vt sitis pietate & religione zeloque Ecclesiasticæ disciplinæ conseruandæ illis vestris decessoribus inferiores.

LXVIII. Altera lex Venetorum seu rescriptum, quo circa Ecclesiasticas locationes, & emphyteuses aliquid videntur disposuisse, quodque Romanam iram iudicatum est promeruisse: & ipsum vt legitimum, & ex legitima procedens authoritate, facilè ex iam à nobis explicatis defenditur. Contractus enim ciuiles omnes circa bona temporalia à Principe temporali reguntur, & regulantur; & vnde nam habet contractus emphyteuticus, vt certis casibus dominium vtile cum directo consolidentur? Vnde ius prælationis? aut caducitatis? quis neget hæc omnia consistere solo iure ciuili, hoc est, sola Principum potestate & voluntate? Qui igitur hæc instituit, idem ea potest & variare, & mutare, & tollere. Sanè emphyteosis de sua natura secum fert rei totalẽ alienationem: & tota in perpetuum transfertur in emphyteutam; solo canone, pro fructibus rei datæ in emphyteusim reseruato. Quod vero possit & debeat interdum res hæc alienata, cum totali sui translatione, ad priorem dominum redire, siue caducitate, siue Prælatione dum venditur, siue consolidatione, hoc totum factum est concessione & priuilegio, ac dispositione Principum. Cur igitur Princeps ex iustis causis non potest auferre priuilegium hoc certis personis, puta Ecclesiasticis; & relinquere laicis? Nõne Princeps est dominus suæ potestatis? *Mat.* 20. 15. *An non licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Bona quidem omnia temporalia,

etiam Ecclesiastica, de iure diuino, vt probabo postea, ad dispositionem supremæ spectant laicæ potestatis, eaque potest circa illa bona leges, quascunque recta ratio suggerit, condere: quantò magis id potest in bona merè laica? prædium datum laico in emphyteusim ab Ecclesia, iam est laicum; labores. qui ex infructuoso fructiferum reddiderunt, & reddunt, sunt laici; & consequenter plenè sub Principis potestate. Quod ergo Princeps nolit huiusmodi prædium ad Ecclesiam peruenire, vtitur iure suo. Plenæ sunt leges huiusmodi reseruationibus: mihi tamen nunc satis est ex ipsa radice iuris diuini, leges illas tueri. Eas enim legitimas ex eadem radice habemus, vbi etiam plenissimè & perfectissimè aliquo bono temporali Ecclesia potiretur, & iuribus omnibus vteretur. Nam Princeps semper potest suas cōcessiones & leges variare. Quanto magis erunt legitimæ Venetiis, vbi semper Respublica retinuit suam plenam potestatem in possessorio bonorum omnium Ecclesiasticorum immobilium? quot verò leges priorum Imperatorum vidimus, circa Ecclesiasticas emphyteuses institutas? De iudicio criminali laicæ potestatis, etiam erga Ecclesiasticos, satis disputaui superiori capit. 4. & de immunitate clericorum agam libro decimo.

LXIX. De certarum personarum collegiis & sodalitatibus, non sine Principis consensu inuehendis; adeò res est clara. vt mentis inopem dicas eum, qui legem huiusmodi iustissimam esse non fateatur: Cum Principes plurimum cauere debeant, ne vllæ conspirationum & rebellionum, imò etiam hæresum spargendarum occasiones & commoditates, hominibus res nouas molientibus præbeantur. Huius rei causa, placuit veteribus, *inquit Leo 6. Imperator nouel. 4.* vt quæ sacrificia & communiones, in priuatis ædibus fiunt, ab illis Sacerdotibus, qui ad generales Ecclesias pertinēt, solis celebrentur: ab aliis vero, qui alicui alii sacræ ædi allecti deseruiunt, priuatoque vitæ in statu sunt, vt nullum neque officium, neque sacrificium perficiatur.] Cur vero à Sacerdotibus non benè notis conuentus priuatos celebrari veteres Principes prohibuerunt? Atque hoc quidem (*subdit idem Leo*) vt statuerēt, religionis conseruandæ causa, in mentem illis venisse videtur: quo videlicet (vt conücere est) dum nonnulli Sacerdotii prætextu lethale defectionis malum regũt, vsu nō veniat, vti qui profanati sacrificii participes fuerint, longe magis contaminentur, quam expientur.]

LXX. Idē vero Leo etiam alibi docet, veteres imo & sacras Synodos vetuisse, ne ab ignotis Sacerdotibus in priuatis domibus aut sacrificia fierent, aut baptisma conferretur, *Idem nou. 15.* propter eos, qui, quanquam Sacerdotũ nomen gerant, profani tamen sunt; & quos ad lauacrum adducunt, pollutos reddunt: qui (vt apparet) domos eiusdem opinionis hominum subeuntes, non rem diuinam faciunt, sed cum iis, qui conueniunt, inauspicati aliquid moliuntur.] Intelligit profectò & de hæreticis hæreses suas dissemināre per hæc conuenticula aduentātibus, & simul de illis, qui, vt sunt religione à Principe diuersi, ita etiam contra ipsum intestinum fouent odium, & conspirationes machinantur: vt nostris diebus vidimus exempla deploranda. Si igitur Principes cautiores facti, societates hominum ignotorum, vel suspectorum, sub religionis, & sacrorũ nomine congregationes facientium, suspectas habeant, ac proinde ad vitandum periculum vtrumque & proprium, & religionis, oculos in hoc aperiant, & datis legibus periculi prudenter occurrant: stultus est, qui hoc eis vitio vertat, & insanus. Iam de his satis. Reliqua de causa Veneta in vltimum librum reiiciantur.

CAPVT VII.

SVMMA CAPITIS.

Episcopatus, & alia beneficia Ecclesiastica, de manibus quoque Principum ex suis causis esse accipienda.

Electiones Prælatorum suo modo cur spectent ad Principes, num. 1. 2. 3. 4. 5.

Ius hoc Principum, factis ipsis antiquorum Imperatorum & Regum, probatur: à nu. 6. ad nu. 19.

Idem confirmatur ex Conciliis: ad nu. 24. & ex Pontificum, aliorumque dictis: ad nu. 32.

Contraria doctrina profertur & refellitur ad nu. 38. aduersantiaque argumenta soluuntur, ad nu. 46.

Inuestitura Prælatorum à Principibus contra Gregorium septimum defenduntur, à nu. 47. ad nu. 54.

Inuestitura Ecclesiarum per Principes, vt iusta, defenduntur ex variis testimoniis, & exemplis: à numer. 55. ad numer. 62. Ex Iuonis disputationibus: à num. 63. ad num. 85. Ex ratione Regalium: à num. 86. ad num. 90. Ex iuramento fidelitatis Principibus à Prælatis debito, & præstito: à nu. 91. ad num. 103. Ex iurisdictione Principum actu in Prælatos exercita: à nu. 104. ad nu. 108. Ex inutilibus & perniciosis Hildebrandi conatibus: à nu. 109. ad nu. 119. & alterum post ipsum: à nu. 120. ad nu. 123. Ex authoritate demum Nurenbergensis, & Frisingensis, nu. 124.

Potestas Principum in electionibus est ipsorum propria, & non à Romanis Pontificibus concessa, nu. 125. 126.

1. PRINCIPES temporales magnam partem, si non maximam, habere in electione personarũ, quibus Ecclesia committat sui regiminis potestatem, quibusq; quoduis publicum populi etiam in solis spiritualibus regēdi munus credi debeat, quinque nominibus facilè comprobabo. Ac primum quidem Principes pro ea, quæ ipsis incumbit, religionis cura inuigilare oportet, vt fidis & piis Ministris instruantur Ecclesię ipsorum ditionibus comprehensæ, quorum sinceritate ac industria cultus diuinus promoueatur, ac hæresibus & schismatibus aditus obstruatur. Deinde cum ex ipsis Pauli Institutis nemo curę Ecclesiasticę præfici debeat, nisi bonum habeat testimonium ab iis etiam, qui foris sunt, *1. Timot. 3. 7.* quanto magis à fideli plebe? & nos documus libro 3. cap. 3. plebis assensum necessario semper in Ecclesia fuisse requisitum in illum, qui eidem plebi ordinandus esset pastor, & minister; Inuitisque nunquam Episcopum fuisse dandum: Cum igitur totius populi caput, & rector naturalis in temporalibus sit Princeps, quomodo si membrorum requiritur assensus in personam, non multò magis requiritur capitis? imo postea, ad vitādas multas confusiones iam ostendi Principes Christianos successisse, seu potius ad se solos merito totum ius populi aduocasse, vt in eum merito dicatur populus consentire, in quem Rex ipsius suo & sui populi nomine consenserit. Atque hic consensus, fateor, potest esse tacitus, ita, vt nemine reclamante, aut contradicente, dum aliquis ordinatur in Episcopum, vel Abbatem Monachorum, vel Parochum, aliumve quemlibet publicum Ecclesiasticum ministrum, ille intelligatur esse idoneus, gratus, & acceptus: quoniam tamen in clandestinis ordinationibus, neque adest tacitus, neque expressus populi assensus, nunc præsertim, quando ex abrupto sæpissimè alibi ordinati, & populo prorsus ignoti, repentè in sedibus iam plenè ignoti collocantur: optime factum est, fere vbique (& vbi non est factum, omnino fieri deberet) vt Princeps ante omnia expressum det assensum in personam, antequam illa ordinetur; illam nominādo,

seu

seu ordinatoribus præsentando: & quia id fit ex multis reum seligendo, electio etiam potest appellari. De his omnibus fuse iam tractaui libro huius Operis tertio cap. 3. & lib. 4. cap. 11.

II. Tertio eorundem Principum est, ex proprio suo munere curare ac prospicere, quibus ac qualibus siue aduenis, siue ciuibus natiuis regimen Ecclesiasticum intra suas ditiones committatur, ac expressam approbandi aut reiiciendi potestatem exercere, ne pareat admitti personis ex aliqua causa suspectis, aut iis, quibus Principes fidere non possint, & à quibus timeant, ne contra ipsorum dominium, aut subditorum pacem, aliquid forte moliantur. Quo minus autem designata iam, & publicata persona, repulsam, si modo Principi ex iusta causa minime accepta sit, non absque aliqua infamiæ nota patiatur: satius videtur, vt ex hac causa Princeps ordinantibus personam nominet, & proponat. Saluis tamen semper conscientiis, libertateque Iudiciis Ordinantium, ne propter nominationem, aut commendationem Principis cogantur inhabiles admittere, ac contra præceptum Apostolicum temere cuiquam manus imponere. Ita nec Principes grauabuntur pastoribus suspectis, nec Ecclesiæ indignis.

— *Alterius sic*
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

III. Quarto, quoniam ex Principum dono, & priuilegio, vt iam probaui, Prælati Ecclesiastici non exiguam exercent iurisdictionem in temporalibus, quam ipsis Ecclesia non potest dare, sed solus Princeps; merito requiritur Principis voluntas & expressus consensus in Prælati institutione, ita vt Princeps eligat & determinet personam, cui ipse velit, id quod in ipso est, concedere; ea tamen lege, & dispositione, vt, si alioquin non sit ille idoneus iudicio Ecclesiæ, & habilis ad regimen Ecclesiasticum proprium spirituale, alium etiam ad hoc idoneum seligat & proponat.

IV. Quinto denique, maxima & potissima causa, cur Principes magnam habeant authoritatem in electione personarum, ad Ecclesiasticum regimen assumendarum, sunt ipsa bona temporalia, quibus Ecclesiæ ditatæ sunt; quæ bona quoniam sunt sub Principum non modo tutela, sed & potestate, vt post docebo, ipsorum est ea committere iis, quos ipsi idoneos iudicauerint. Ita vt Ecclesia velit nolit, si bona illa velit detinere, cogatur Principi hac in parte obsecundare, & viceversa Princeps, si pius sit, & Catholicus, ac Ecclesiæ fautor ac patronus haberi velit, talem debeat ad illa temporalia contrectanda nominare, aut proponere, qui reuera aptus sit etiam ad munia Ecclesiastica: & in hoc debet se Ecclesiasticis Ordinatoribus & ipse accommodare. Hæc omnia iam & dictis aliorum in Ecclesia Catholica, & factis, in ipsa Ecclesia receptis, & approbatis, confirmemus.

V. Quamdiu Ecclesia Christi bonis caruit temporalibus, nimirum prædiis, villis, castellis, ciuitatibus, prouinciis, & Regnis, nullamque prorsus exercuit iurisdictionem temporalem, Principes nullam habebant ex his posterioribus à me positis causis, cur in Prælatorum institutionem se possent aut deberent ingerere. Solus enim Christianæ plebis assensus vnanimis, & pacificus concurrebat, Episcopis constituendis. Quamdiu etiam, post Constantinum, & post dotatas ac ditatas Ecclesias, ac priuilegiatas, prælatosque nonnihil exaltatos, charitas in ipsis & humilitas perseuerauit: Imperatores ipsi Christiani electiones liberas reliquerunt ipsis Ecclesiasticis. Postea tamen, quando iam humana se cœpit erigere superbia, & ea occasione Episcopi vel ipsi essent turbulenti, vel ab aliis eos persequentibus turbati, Imperatores etiam ex omnibus his causis cœperunt in eligendis personis, & euehendis, suam operam adhibere. Primum mihi huius rei occurrit exemplum in Athanasio; Qui sane, non vt conquerens, sed approbans ac lubenter obsequens, se diplomate Imperiali suam sedem accepisse scribit. Dum enim aduersarii Arriani, vt sedem relinqueret, & abscederet, nomine Imperatoris Constantii instarent, & perurgerent, se renuisse ait, & causam Constantio affert in hæc verba: *Apol. ad Constantiũ.* Quid igitur? an non merito ab illis diplomata postulabam? nec eorum simplicibus verbis obsequebar? Illi igitur cum non ederent, neque proferrent mandatum tuæ pietatis, nonne plane & directe contra iussa huius diplomatis agebant? (*Literas intelligit Constantij, quas ibidem refert illum in sua residentia firmantes.*) Ego igitur cum illi literas nullas exhiberent, probe mihi colligere & ratiocinari videbar, ipsos nihil nisi sua verba adferre; præsertim cum tuo diplomate subear, ne quid istiusmodi curarem. Iure igitur hoc feci, religiosissime Auguste, vt, quemadmodum cum epistolis tuis ingressus essem in patriam, ita acceptis tuis mandatis è patria discederem. — Si fugissem — quomodo non merito me tua pietas his verbis obiurgasset? Cur tu cum diplomatibus in Ecclesiam intromissus sine diplomatibus egrediens? populosque destituis? Athanasius ergo suam sedẽ Imperatoris diplomatibus munitus primum accepit. Hoc enim est intromitti in Ecclesiam: neque hæc ad restitutionẽ ab exilio spectãt: quæ non intromittit in Ecclesiam: sed in ciuitatem.

VI. In Concilio Constãtinopolitano primo Theodosius Imperator, vt iam vidimus, vacante sede Constantinopolitana, ex abdicatione Gregorii Nazianzeni, qui illam administrabat, Nectarium & designauit, & proposuit, & voluit esse Episcopum Constantinopolitanum; etiamsi nondum baptizatus esset, & hinc multi Episcopi reluctarentur. Nam multò post, *inquit Sozomenus l. 7. c. 8.* cum sacerdotibus nomina eorũ, quos ad ordinationem dignos indicabant, chartæ inscribere Imperator iussisset, ac sibi ipsi ex omnibus iis vnius electionem reseruasset, alii alios in album retulerunt. Vltimo loco & Nectarium (*Præsul Antiochenus*) adiecit, in gratiam Diodori. Imperator igitur perlecto inscriptorũ catalogo, substitit in Nectario; rursusq; ad caput regressus cunctos ordine percurrit, ac Nectarium deligit, ac postquam baptismatis expertem intellexisset, in eadem sententia persistit, multis sacerdotibus reluctãtibus.] Quia neophytus erat, 1. *Tim. 3. 6.* Sed nihilominus Imperatori obsequendum omnino esse censuerũt.

VII. Theodosius alter, vacante eadem sede, post mortem Sisinii, respuit eos omnes, quos ex clero Constantinopolitano aliqui promouebant: *Socr. libr. 7. c. 29.* sed aduenam Antiochia accersere constituit. Is verò fuit Nestorius, vir initio magni nominis; sed postea Hæresiarcha pessimus: Cui initio suæ hæresis nonnihil propterea fauit Theodosius, quia contemptis aliis, illum omnino aduenam ordinari voluerit, vt quem semel approbauerat & promouerat, bene approbatum & promotum, vt moris est Principum, defenderet; ne videretur in suo iudicio in eo eligendo errasse. Idem etiam Imperator, non multo post, mortuo Maximiano eiusdem Ciuitatis Patriarcha, *Socr. lib. 7. cap. 39.* Proclum virum sanctissimum, Cyzicenum Episcopum in eadem sede substituendum curauit. Imo neque cleri, neque populi suffragia expectauit; sed ipse solus sua autoritate iustis tunc de causis voluit, vt per Episcopos præsentes, in sede illa is collocaretur. Nam ne controuersia & tumultus, *inquit Socrates*, in Ecclesia denuo cieretur, obiecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum iaceret, per Episcopos, qui ibi aderant, Proclum in sede Episcopali collocãdum *Imperator* curauit.]

rauit.] S. Medardus *apud Surium ad Iun. ep.*238. factus est his temporibus Episcopus Nouiomensis, vt scribit Fortunatus in eius vita, *cap.* 18. Regis ac procerum assensu, & plebis acclamatione.

VIII. Iustinus piissimus Imperator, vt scribunt Legati Apostolici ad Hormisdam *inter epist. Hormisd. post. epist.* 62. *secunda*, post multas afflictiones, & pene in tres menses à Patribus protracta certamina, sua autoritate Paulum nomine Presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana, elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena.] De Iustiniano Imperatore etiam visionē proferunt Ecclesiastici scriptores, qua ei iussa fuerit electio Episcopi Constantinopolitani. Sic enim narrat Eustachius *apud Sur. die* 6. *April.* Sancto clero, sacroque Senatui, liberè Consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator; affirmans, se de illo diuinam visionem vidisse: cum enim, *inquit*, in æde S. Petri Principis Apostolorum, in qua senatus habebatur, me somnus complexus esset, in quiete vidi Principem Apostolorum mihi magnum Eutychium ostendentem, dicentemque; Fac vt hic sit Episcopus.] Quod etiam fecit. Et de eiusdem Eutychii successore proximo Ioanne, idem Eustachius innuit ibidē, eum ab Imperatore Tiberio fuisse electum; ait enim: Vbi vero sancto Viro postrema dignè sunt persoluta, actum de successoris electione; & quia talē requirebat religiosissimus Imperator, qui cæteros antecelleret sanctitate, Ioannes quidā monachus, qui cognomēto ieiunator est appellat⁹, reliquis præfertur.] Is fuit ille cū quo postea Pelagius & Gregorius pro titulo œcumenici tantoperè cōflixere.

IX. Pelagius primus laudat Narsæ, Patricii & Ducis in Italia, diligentiam, quod in Episcopi Mediolanensis electione, Imperialem voluerit expectare iussionē: sic enim ad eundem scribit *epist.* 3. Recolere enim debet celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Istriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopū fieri permisistis, nisi ad clementissimū Principem exinde retulissetis; & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouissetis; & tenet vbiq; feruentes hostes, Rauennam tamen. & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat, prouidētia culminis vestri deducti sunt.] Hic Papa nō modò laudat, sed necessariū quoq; esse censuit, vt sine assensu expresso Imperatoris nemo Episcopus in Imperio constituatur.

X. Gregorius gratulatur *lib.* 4. *epist.* 15. quod Ioannes Primæ Iustinianæ Episcopus fuerit in toto Concilio, vnito consensu, & serenissimi Principis voluntate declaratus.] In quæ verba pro Canone à Gratiano descripta, illa ponitur rubrica, *Dist.* 63. *c. Quia.* Volūtas Principis in ordinatione Pontificis desideratur.] Idem Gregorius statuit *l.* 11. *ind.* 6. *c.* 10. vt obeunte Abbate, presbyteroque Xenodochii & monasterii cuiusdam Augustodunensis, non alius ibi, quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem Prouinciæ, cum consensu monachorum, secundum amorem Dei elegerit ac prouiderit ordinandum.]

XI. Bonifacius Moguntinus à Zacharia Papa multa per literas petiit, vt sibi eius concessione licerent: inter hæc, vt posset sibi successorem ante obitum, & hæredem in Ecclesiastico ministerio, constituere, ad ipsius Bonifacii arbitrium: quandoquidem presbyter quidam, in quem iam Zacharias consenserat, ad id amplius non videbatur assumendus, ex quo, nuper frater eius. Ducis Francorum auunculum occiderat: [*In vita Bonifac. lib.* 2. *cap.* 1.] ideoque, *inquit*, hoc non videtur posse fieri, si contrarius Princeps fuerit.] Igitur Principis voluntas requirebatur in Episcoporum electione. Postea vero cōsentiente *ibid. c.* 18. Pipino Rege, Episcopis, Abbatibus, canonicis, & proceribus, Lullum Episcopum ordinauit.]

XII. Autpertum Archiepiscopū Berdunensem, his verbis reprehendit Ioannes VIII. Romanus Pontifex, *epist.* 70. *tom.* 3. At nunc, quia mortuo Venciensi Episcopo, non præfatum sacerdotē quem, vt dictum est, clerus, & populus Ciuitatis elegerat, piæq; memoriæ Carolus Imperator, suo consenso firmauerat, consecrasti; eodem Augusto, de præsenti vita subtracto, alterum, nō iuxta normam canonicam electum, ex aduerso venientem, nec per ostium, sed aliunde introeuntem, tuo tantum libitu ordinasse accusaris, &c.] Firmitatem igitur sui gradus Episcopi adhuc ab Imperatore accipiebant. Habemus etiam exemplum S. Vdalrici Episcopi Augustani; is enim cupiens nepotem suum Adalberonem sibi substituere in Episcopatu, Ottonem adiit Imperatorem, eiusque habito consensu nepotem dictum in socium curæ Episcopalis adsciuit, cum futura post mortem ipsius plena successione. Narrat hæc Autor vitæ ipsius his verbis, *apud Baron. tom.* 10. *an.* 971. *nu.* 5. Vir sanctus Imperatorem, cum auxilio Imperatricis, flagitare cœpit, vt filio sororis suæ Adalberoni procurationem sui Episcopatus, regiménque super familiam, & omnia negotia secularia ad eum pertinētia fideliter, firmiter commendaret: & vt à Celsitudine eius Imperialis potentiæ promissum consolationis accipere mereretur, vt post eius discessum cathedram Episcopalis potestatis ei donaret: vt sibi maioris otii ad studium orationis, & Ecclesiastici regiminis, & Christianitatis stabilitatem facultas concederetur. Cuius petitioni gloriosus & beneuolus Imperator assensum præbens, secularium negotiorum cōmercia Adalberoni commendauit, & Episcopalis honorem Cathedræ post vitam Episcopi, si Deus vellet, ei donare promisit.] Curas itaq; Episcopi temporales circa regalia, eorumq; administrationem, & circa regimen exteriorum iudicialium, Imperator in nepotem transtulit: Episcopalem quoque sedem post mortem auunculi eidem concessit, vt esset nimirū coadiutor in temporalibus, cum plena futura successione. Scribit Ditmarus, *apud Baron. tom.* 11. *an.* 1005. *nu.* 12. defuncto Gisilero, Archiepiscopo Magdeburgensi, Henricum Regem, ei Tagmonem, præstantis vitæ virum, substituisse.] Et in Concilio magno Episcoporum totius Imperii, ac, si Baronio credimus, etiam Papa præsente, *Ibid. an.* 1047. *n.* 8. Henricus secundus, reprobat quidem sui Patris simonias, in concedendis Ecclesiæ dignitatibus, se tamen eas vitaturum pollicetur in earundem concessione: & edictum ad hoc promulgauit.

XIII. Gregorius septimus, qui inuestituras tantopere abhorruit, nihilominus electionē Episcoporum, quæ vel parum, vel nihil ab inuestituris differt, vt inferius ostendam, pro ipsorum parte ad Principes pertinere agnouit, &, vt ad eas concurrerēt, ipsemet requisiuit. Sic enim scribit ad Firmanos, sede illa vacāte, *Greg.* 7. *l.* 2. *epist.* 38. Considerantes ergo necessitatem viduatæ Ecclesiæ, procurationem totius Episcopatus interim ei commisimus, donec diuina prouidente clementia, cum nostra solicitudine, tum Regis consilio, & dispensatione, idonea ad regendam Ecclesiam & Episcopalem dignitatem persona reperiatur.] Regis consilium & dispensationem necessariam agnoscit Hildebrandus.

XIV. Bernardus electionem Episcopi Altissiodorēsis, cui ipse interfuit, vt firmam redderet, conatur ostendere Regi Ludouico eandem non sine ipsius Regis assensu fuisse factam: cuius assensum vt necessarium agnoscit, & fatetur, ita scribens ad dictum Regem Ludouicum: *Bern. ep.* 282. Volui ego vnquam in aliquo imminui honorem Regis, dignitatē Regni? Deus scit, nec vestra,

vestra, vt confido, conscientia id nobis respondet. — Neminem prorsus arbitror affuisse illi celebritati, qui de assensu vestro dubitaret, cum iam idem assensus vestris literis teneretur. Quis enim hoc vel cogitare posset repetendum alterum assensum, nec sufficere vnum, præsertim vbi nulla ex tunc interuenit altera electio? Nūquid quotiens dissenserint clerici, toties erit requirendus fauor Regis? &c. Et affert exemplum electionis Episcopi Suessionensis, paulò ante factæ, post aliquot congressus & concertationes, habito initio Regis assensu: & obserua Bernardum sentire, ad honorem Regis & Regni dignitatem has pertinere personarum per Reges ad Episcopatus propositiones.

XV. Iuo Carnotensis *epist.* 54. monet Archiepiscopum Lugdunensem, aliquos clandestinis machinationibus conatos fuisse, vt in Sede Aurelianensi tunc vacante, Ioannem quendam Archidiaconum, cum consensu Regis collocarent; ac propterea clerum illum elegisse sibi, cum Regis cōsensu, in Episcopum Sanctionem eiusdem Ecclesiæ Decanum.] Et de alio *idem* 89. hoc ipsum affirmat. Idem de Papa Vrbano *epist.* 6. asserit, eum excludere tantum Reges à corporali inuestitura, non autem ab electione. Idem etiam Belluacensis *epist.* 104. electionem à Rege impeditam fuisse scribit, quia sine ipsius assensu fuerat facta.] Consentitem hæc de facto, & perperam eum fecisse, nisi tot præcederent exempla, ius plenum significantia: & nisi ratio hoc ius confirmaret.

XVI. Godefridus, vt scribit in eius vita Nicolaus Monachus, & refert Iuretus in obseruationib⁹ ad Iuonis *epist.* 104. quando fuit electus primum Abbas, referendum id Philippo Regi fuit, qui electionem approbauit: & quando idem fuit ad Episcopatum Ambianensem, electus, Legatio ad eundem Regē missa fuit, vt ipsius assensum obtineret: Rex verò iussit, *inquit*, more regio eius promotionem accelerari.] Monachi item Cœnobii S. Dionysii, Quia sine Licentia Regis Ludouici Crassi in Abbatem elegerant Sugerium, & conuiciis à Rege affecti fuerunt, & carceribus inclusi, *Suger. in vita Ludouici*. Ponitur etiam in Chronicis, vt est apud eundem Iuretum *ibidem*, & in *epist.* 105. dissensio inter Papam, & Ludouicum Regem Francorum, quia defuncto Alberico Bituricensi Archiepiscopo, missus fuerat à Papa Innocētio [*Matt. Paris.*] Petrus Pastoriam consecratus, quem tamen Ludouicus repudiauit, eò, quod sine eius assensu fuerat ordinatus, neque eum in Ciuitatem admitti permisit.

XVII. Ioannes Saresberiensis scripsit, nescio, an ipsius nomine, ad quendam populum Pastore destitutum, in hæc verba *ep.* 52. Quo verò sicut oportet, possitis in prouidendo vobis Pastore procedere, præcipimus quatenus ad conseruandam Ecclesiæ pacem, Dominum Regem, honesta de collegio vestro legatione transmissa, adeatis; preces ei deuotione debita porrigentes, vt canonicè eligēdi vobis Pastorem libertatem concedat, destitutioni Ecclesiæ ea, quæ Christianum Principem decet, miseratione prouideat.] Innocentius etiam tertius, electionem Archiepiscopi Reginensis, ab assensu Regis pendere agnoscit, dum scribit, *lib.* 2. *epist.* 165. Legatum ipsius quendam Cardinalem apud Regem Siciliæ commorantem, in electione tunc facta Regia vice assensum præstitisse; & vice Pontificia, electum confirmasse.]

XVIII. Fatetur Glossa in *Clem. Quoniam, de immun. Eccles.* Bonifacium octauum decretalem quandam valde præiudicialem, vt supra vidimus, Regi Franciæ, in odium tantum Philippi Regis, edidisse; *c. Clericis eo. in* 6. Qui, *inquit*, conferebat beneficia in suo Regno: Vnde Papa indignatus fecit illā cōstitutionem.] Adhuc ergo perseuerabant Reges in suo iure electionum. Glossa similiter *in c. Si quis venerit, de maior. & obed.* Clericos, qui à Principe recipiunt temporalia, subiicit ipsi Principi. Temporalia ergo Ecclesiastica, à Principe dabātur clericis. Hæc de factis, & exemplis, per singulas fermè ætates: venio ad dicta.

XIX. Concilium Aurelian. quintum, habet canonem huiuscemodi, *c.* 10. Vt nullum Episcopatū præmiis aut comparatione liceat adipisci; sed cum voluntate Regis, iuxta electionem cleri, ac plebis, &c. Pontifex consecretur.]

XX. Diuturnam Ecclesiarū Cathedralium vacationem Episcopi Hispani ad duplicem reducebāt causam. Primam, quia longis inter se dissiti distantiis, antequam ad Ecclesiam vacantem, vt in ea Episcopum ordinent, peruenerint, plurimum temporis debebat intercurrere: Deinde, quia postquam conuenissent, debebant Regi obitum illius Episcopi significare, & de persona eligēda ipsius exquirere consensum & expectare. Ne igitur Ecclesiæ multa incommoda, ex longa vacatione paterentur, illud ceperunt consilii in Concilio Toletano 12. *cap.* 6. Vt saluo, *inquiunt*, priuilegio vniuscuiusq; Prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscunq; regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani Episcopi iudicium dignos esse probauerit, in quibuslibet Prouinciis, in præcedentium sedibus præficere præsules.] Nōdum scilicet paciscebatur Papa, cum Regibus, vt vacationes Ecclesiarum ditissimarū ex composito permitterentur longiores, ac interim illi amplissimos reditus sedium vacantium inter se partirentur. Tunc verò absque vllo Papę concursu Episcopi omnes in Prouinciis, habito Regis consensu, plenè fiebant.

XXI. In Concilio apud Palatium Vernis, sub Rege Pipino celebrato, Regularium tàm virorum, quàm puellarum disciplina, & vita laudabilis commendatur gradatim Episcopis Metropolitanis, & Synodo: addunt vero Patres illius Concilii verba huiusmodi: *c.* 5. Et si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis, & talis in eius loco in ipsa Synodo constituatur, per verbum, & voluntatem Domini Regis, vel consensu seruorum Dei, qui secundum ordinem sanctum ipsum gregem regat.]

XXII. Parisiense Conciliū hoc pacto suum adhortatur Regem *l.* 2. *c.* 22. 23. Iterum monendo mansuetudini vestræ suppliciter suggerimus, vt deinceps in bonis pastoribus, rectoribusque, in Ecclesiis Dei constituendis, magnum studium atque solertissimā adhibeatis curam: quia si aliter factū fuerit, & ordo Ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactando detrimenti sui iacturam patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur. Similiter deposcimus, vt in Abbatissis constituendis, vestrum specialiter caueatis periculum.] Vt videlicet dignas eligatis. Idem totidem verbis repetit Synodus Aquisgranensis *c.* 8. sub Ludouico Pio.

XXIII. Concilium Meldense his verbis alloquitur Carolū Regē ibi præsentē: imo & ipsomet capitula illa ex Concilio apud Theodonis villam proferentes, *c.* 8. 9. Quia bene nostis, *ab illo, qui solus Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, vt Pontificali authoritate, & regali potestate gubernetur*; & scriptum esse liquido peruidetis, *Prou.* 11. 14. *Vbi non est gubernator, populus corruit* & tāto periculosius, quanto anima plus est preciosa quam corpus.] Et paucis interiectis, subdunt Patres illi fermè'tissimè Dei legatione fungētes: Monemus, vt quandocūque Deo dispēsante quilibet Episcopus ad Dominum migrauerit, submota funditus peste simoniacæ hæreseos, sine dilatione, iuxta authoritatem canonicam,

 sedes

sedes vacans, Episcopum à vobis regulariter designatum, & gratia sancti Spiritus consecratum, accipiat.] Pergunt statim eidem Regi commendare statum monasticum, vt non committat regimen monasteriorum laicis; sed viris religiosis ad custodiendum & prouidendum illa committat.

XXIV. Inoleuerat abusus facilis & pronus, vt illiterati ac ignari ad Episcopatus, fauente Principe, sua eligendi aut proponendi authoritate promouerentur; atque hoc cuicunque electori negligenti potest facilè contingere. Ad occurrendum huic malo Patres Concilii Valentini sub Lothario Imperatore, decreuerunt hoc pacto, *can.* 7. Vt si quando alicuius ciuitatis Episcopus, vocatione Domini decesserit, à gloriosissimo Principe supplicando postuletur, vt canonicam electionem clero & populo ipsius Ciuitatis permittere dignetur.] Petunt, vt hoc eis permittat, & ex gratia indulgeat, fidentes se melius cogituros aptos, & idoneos, quàm cognoscat Princeps. Addunt tamen, sed si à seruitio pii Principis nostri, aliquis clericorum venerit, vt alicui Ciuitati præponatur Episcopus, timore casto solicitè examinetur.] Committuntque Metropolitano, vt neminem ordinet, nisi approbatum; & relinquunt nihilominus Regi, vt si velit aliquem suorum clericorum promouere, quos ipse cupiat euehere, & Episcopatu decorare, id faciat; ita tamen, vt ille subdatur examini: quod si examinatus non fuerit repertus idoneus, & nihilominus Rex noluerit acquiescere, vt ille repellatur, tunc, inquiunt, Metropolitanus adeat clementiam Imperialem & ipse cum Coëpiscopis, quibus valuerit modis, adeat, vt Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret ministro.] Adeò volunt pendere Episcoporum creationem à suo Principe, vt si ineptum etiam elegerit, nolint eum reprobari, nisi prius de hac ipsa reprobatione agant cum Imperatore, eique quæ iusta sunt, humiliter persuadeant.

XXV. Flori fragmentum edidit haud pridem Papirius Massonus. & ex eo Baronius *in append. ad tom.* 12. *sub anno* 813. quod nos etiam libro tertio considerauimus, in quo, & si negat adeo necessarium esse Principum consensum in electionibus Episcoporum, vt sine eo ordinatio sit irrita; non tamen aufert, neque auferendum censet ius Principibus in electionibus concurrendi: ait enim: Iuxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse constat, & legitime præfuisse vniuerso populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei Antistites, absque vllo consultu mundanæ potestatis, à temporibus Apostolorum: & postea per annos ferè quadringẽtos: Ex quo autem Christiani Principes esse cœperũt, eandem Episcoporum ordinationibus Ecclesiasticã libertatem ex parte maxima permãsisse, manifesta ratio declarat. Neq; enim fieri potuit, cum vnus Imperator orbis terræ Monarchiam obtineret, vt ex omnib. mundi partibus Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes, qui ordinãdi erant, Episcopi ad eius cognitionem deducerentur: sed fuit semper integra & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia, iuxta traditionem Apostolicam & religiosæ obseruationis formam, celebrauit. Quod vero in quibusdã Regnis postea consuetudo obtinuit, vt consultu Principis ordinatio fieret Episcopalis, Valet vtiq; ad cumulum fraternitatis, propter pacem, & concordiam mundanæ potestatis, non tamen ad complendam veritatem, vel autoritatem sacræ ordinationis, quę nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & Ecclesiæ fidei consensu, cuique conferri potest. — Quæ omnia non ideò dicimus, quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem Regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed vt clarissimè demonstretur, in re huiusmodi diuinam gratiam sufficere; humanam vero potestatem, nisi illi consonet, nihil valere.

XXVI. Agnoscit ergo Florus potestatem in Principibus, circa Episcoporum electiones, nec imminuendam esse censet; sed eam valere asserit ad cumulum fraternitatis. Neminem porro sanæ mentis dicturum puto, concursum hunc voluntatis, assensus Principum, in ipsa sacra ordinatione partem vllam habere: sicut neque diaconus, qui materiam tantum panis exhibet sacerdoti ad consecrandum, partem habet vllam in ipsa consecratione: ita Principes etiam cum sua plebe, exhibent tantum, vt ita dicam, materiam in Episcopum consecrandam, & sicut officium proprium diaconi est, porrigere presbytero panem consecrandum in Eucharistiam, ita proprium cleri, Regis ac populi, simul omnium, est, personam eligere consecrandam, & illam consecratoribus præsentare & tradere. Cum itaque electio personæ non sit actio sacra aut spiritualis, sed temporalis, humana, ac rationalis: eam nonnulli à laicis, tanquam rem in se sacram, ineptè satis conantur remouere. Sed neque aut ipse sum adeo rigidus, vt contendam necessarium quidpiam defuisse Episcopali consecrationi, sicubi in electione Princeps non concurreret; Nec verò Principes sunt adeo sui iuris tenaces, vt non sæpissimè olim ordinationes Episcoporum multorum præsertim remotiorum, etiam sine vlla ipsorum speciali electione, aut actuali expresso consensu, fieri permiserint: sed illud tantum contendo, eos in hoc suum ius habere. & liberos esse, vt eo, quandocunque volunt, vtantur, propter rationes initio huius capitis positas; & quando volunt pariter, de suo iure remittant, ac non vtantur. Et, si interdum suo iuri cesserint, possunt pro ipsorum beneplacito sem per illud resumere, ac reuocare. Quod autem ait Florus per annos quadringentos, absque vllo consultu humanæ potestatis vniuerso populo Antistites præfuisse, illud quidem non est admittendum: nam ipsemet fatetur, & ex Cypriano etiam probat, ex Cleri, & totius plebis consensu, electiones fieri solitãs, etiam à temporibus Apostolorum: & si Cleri consensum non vult esse humanũ, certè plebis consensum necesse est vt admittat tanquam consultum humanum. Et vbi plebs suo concurrit suffragio, iure fortasse diuino, vt tradidi libro tertio: certè etiam Princeps, qui est caput plebis, eiusdem iuris saltem particeps, si non etiam Dominus erit. Et quo non potest ipse immediatè pertingere, potest per suos ministros & Magistratus ac officiales.

XXVII. Ioannes octauus Romanus Pontifex, ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum ita scribit, *epistol.* 34. *tom.* 3. In promotionibus, siue Antistitis, siue Abbatis, nihil profecto aliud gerẽdum possumus exhortari, nisi quod sacri canones sanciunt, quos nulli Sacerdotum licitum est ignorare; vel quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Verùm, quia in vtroque filii nostri semper Augusti interfuisse perhibetur assensus: eius super hoc esse videtur expectandus aduentus, ad cuius cum tua sanctitas accesserit pietatem, credimus nihil Ecclesiæ Dei, præter paternas regulas, illaturam.

XXVIII. In testamento Philippi Augusti Regis Francorum, qui Hierosolymã profecturus, Adelæ Matri, & Archiepiscopo Rhemensi ipsius auunculo, Regni gubernationem ille commendauit; ista leguntur: *apud Rigord. lib.* 1. *de gest. Philip. Aug.* Si fortè contigerit sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam regalem vacare, volumus vt canonici Ecclesiæ, vel monasterii vacantis monachi veniant ad Reginam, & Archiepiscopum, sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant. Et nos volumus, quod sine contradictione

eis

eis concedant. Nos verò tam canonicos, quam monachos monemus, vt talem pastorem eligât, qui Deo placeat, vtilis sit regno. Regina autem, & Archiepiscopus tamdiu regalia in manu sua teneant, donec electus cōsecratus sit, vel benedictus, & tunc regalia sine contradictione eis reddantur.] Dum liberam vult permitti illis electionem, donat, & indulget hoc, reddendo iuri suo, quod ius se habere cognoscebat. Video sanè ex iam allegatis, Reges Frācorum fuisse & esse adhuc huius iuris tenacissimos; non quod cuicunque Principi absoluto idem prorsus ius non competat, vt probaui, cum in Rege Francorū nulla huius iuris ratio ipsum stabiliat, quæ non sit cuicūq; absoluto Principi cōmunis; sed quia alii remissiores fuerunt, & indulgentiores, quę tamen remissio & indulgentia nihil eis præiudicat; nam ex pluribus illis causis, quas supra exposui, fit, vt hæc potestas ad eos spectet de iure diuino naturali.

XXIX. Syluester, vt arbitror, secundus, tale habet capitulum, *Apud Iuret. ad Iuonis ep. 60.* Nulli Clericorum Præbendas vel Ecclesiastica officia, nisi manu Episcopali, vel manu Abbatis, vel Regia manu, in sancta accipiant Ecclesia. Quod si aliter fecerint, sciant, stare non posse acceptionem huiusmodi.

XXX. Innocentius tertius, etiamsi Regnum Siciliæ putaret esse feudum sedis Apostolicę in temporalibus: nihilominus tamen nunquam potuit electionem Episcoporum totam Regibus Siciliæ auferre: ait enim *lib. 1. epist. 411.* Ne igitur vlla de cætero inter nos & successores nostros, ac vos & hæredes vestros, super electionibus dissensio suscitetur, modum faciendæ in posterum electionis, præsentibus curauimus literis explicare: in quibus sic in multis regiæ serenitati deferimus, vt libertatem Ecclesiæ non lædamus. Sede vacante capitulum significabit vobis & vestris hæredibus obitum decessoris: deinde conuenientes — eligent canonicè personam idoneam, cui requisitum à vobis præbere debeatis assensum: & electionem factam non different publicare. Electionem vero factam & publicatam, denunciabunt vobis, & vestrum requiret assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solennitas, quæ inthronizationi videtur annexa: nec antequam authoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se vllatenus immiscebit.] Eiusdem etiam est illud decretum, *x. Quod sicut, de elect.* Solennis electio debet Principi præsentari, vt postulationi præstet assensum.] Et Capuanos in sui Episcopi promotione, vult nuncios Romam ad ipsum mittere, *lib. 2. epist. 181.* per quos, *inquit*, à nobis, vice Regia, postuletis assensum; & Apostolicæ cōfirmationis gratiam requiratis.] Non vt Papa, sed vt Dominus feudi temporalis, vult suum præstare assensum; quod est, vice regia.

XXXI. Accedat his Gratianus: qui conuictus huius euidentia veritatis, etiamsi paucissima ex his collegerit, ait: *Dist. 63. c. 25. § electionis.* Quibus exemplis, & præmissis autoritatibus liquido colligitur, laicos nō esse excludendos ab electione; neque Principes reiiciendos ab ordinatione Ecclesiarum.] Testatur demum Driedo *de liber. Chri. lib. 2. c. 2.* Carolum Quintum Imperatorem habuisse ex priuilegio Synodi, ne sine suo cōsensu inuestiretur, vel consecraretur Episcopus.] Hoc tamen non fuit priuilegium vllius Synodi illius temporis, sed antiquissimum etiam iure diuino naturali, vt ostendi. Nonnulla alia exempla posui *lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 11.* huius Operis.

XXXII. Hæc porro omnia æque probant de electione Romani Pontificis respectu Romani Imperatoris, atque de quocunque alio Episcopo respectu illius Principis, cui Ciuitas sit subiecta: Vt propterea toties Romani Pontificis electio, aut saltem electionis confirmatio, per expressum assensum ab Imperatore fuerit expectanda. Quoniam tamen de hac Rom. Pont. electione egi fusè *lib. 4. c. 11.* ea mihi est hoc loco omittenda.

XXXIII. Electionem tamen Episcoporum, & Ecclesiæ Prælatorum, non deberi Principibus temporalibus, cōtendunt multi, quorum dicta sunt ponderanda, & oppositiones soluendæ. Canon in primis Apostolorum, nobis obiicitur, qui sic habet: *31. & 17. q. 7. c. Si quis Episcopus.* Si quis Episcopus sæcularibus Principibus vsus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur & segregetur, & omnes, qui illi communicant.] Cui canoni innixa septima Synodus generalis, suum format canonem, in hæc verba: *Sep. Syn. c. 3.* Omnem electionem, quæ fit à Magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere ex canone, dicente, Si quis Episcopus, &c.] Vnde & Anastas. Bibliothecar. in suo chron. narrat. *16. q. 7. c. Sane.* Dioscorum iuniorem consecratum Episcopum Alexandrinum, non fuisse receptum, sed abiectum; Principes enim, *inquit*, contra canones inthronizauerant eum.] Eiusdem canonis obseruationem inculcat, & renouat octaua etiam Synodus Generalis, ita statuens: *c. 12.* Apostolicis & Synodicis canonibus, promotiones, & cōnsecrationes Episcoporum, ex potentatu & præceptione Principum factas, penitus interdicentibus, cōcordantes, definimus, & sententiam nos quoq; proferimus, vt si quis Episcopus, per versutiā, & tyrannidem Principū, huiusmodi dignitatis consecrationē receperit, deponatur omnimode; vtpote qui ex voluntate carnalis sensus, vt ex hominibus, & per homines Dei donum possidere voluit, vel consensit.] Ac iterum, *Ibid. act. 1. & c. 22.* Promotiones, *inquit*, & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegii fieri, sancta hæc & Vniuersalis Synodus definit & statuit; atq; iure promulgat, Neminem laicorum Principum, vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullum in talibus potestatē quenquam potestatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat, sed potius silere, & attendere sibi, vsque quo regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis laicorum ad concertandum, vel cooperandum, ab Ecclesia inuitatur, liceat huiusmodi cum reuerentia si forte voluerit obtemperare.] Addunt Anathema contra Principes & quoscunque laicos, si aduersus electionem per Ecclesiasticos factam, agere tentauerint. Hinc orta sunt multa Ecclesiastica statuta, quæ colligit Gratianus, *16. q. 7. per totum.* Vt per laicos nullo modo quilibet clericus, aut presbyter, obtineat Ecclesiam, nec gratis, nec precio.]

XXXIV. Nicolaus primus, electiones à Principibus factas, neque laudat, neque approbat, sed acriter reprehendit: *ep. 10.* Nam impietas (*inquit contra Michaelem Imperatorem*) tantum caput extulit, vt Ecclesiarum Præsulibus postpositis, & ordine canonico conculcato, laici nunc Ecclesiastica moderamina teneant, & pro libitu proprio modo istos remoueant, modo illos in locum eorum promoueant.] Ignatium enim tunc Constantinopolitanum Patriarcham de Sede deturbandum curauerat Michael, & Photium substituendum. Et contra Lotharium Regem plurimum insurgit, *Idem ep. 64.* quod Archiepiscopo Rhemensi diœcesim adeo violentu brachio inhiberet, vt Cameracensi Ecclesiæ Episcopum consecrandi ei non permitteret facultatem: sed per nasi tem illius sedis Hil-

diuinum ipse foueret, Imò neque permitteret, eligi ad quemcunque Episcopatum totius sui Regni, nisi sibi fauentem. *Dist.16.c.Petro.* Eiq; præcipit vt ab his abstineat, etiam cum comminatione excommunicationis: & vt ad electionem non procedatur nisi Sede Apostolica consulta.

XXXV. Innocentius III. *c. Quisquis, de elect. &c.* Quisquis, inquit, electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum, consentire præsumpserit, contra canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat.] Cassat idem & annullat *l.1.epist.65.66.* quicquid in promissionibus, vel concessionibus præbendarum & beneficiorum per laicalem impressionem factum fuit.

XXXVI. Nominationem solam, seu postulationem Episcoporum habuisse Reges Francorum, contendit Baron. *tom.9.an.752.n.12.& seqq.* & hanc non iure proprio, sed mera concessione, & liberalitate Sedis Apostolicæ. Nullum enim penitus, *inquit*, in rebus Ecclesiasticis Reges ius habent: Zacharias verò Papa id, *inquit*, Pipino concessit: de qua concessione affert Lupum Abbatem Ferrariensem ita scribentem: *epist.81.* Nam Pipinus, exposita necessitate huius Regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit consensum, vt acerbitati temporis, industria sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur; ne forte simplicitate Pontificis possit contingere, quod in hac Ednorum Vrbe, cuius nos nunc curam exercet, euenit. Proinde se petere (*hoc est, Regem*) vt honorem à Papa Rom. maioribus eius, & Regibus, & Imperatoribus concessum, & nunquam hactenus infirmatum, consequatur.] Atque ex his Lupi verbis, mendaces facit Baron. Politicos, & qui deberent erubescere, dum Ecclesias subijciunt Regibus.

XXXVII. Imò hanc ipsam nominationem & postulationem, seu præsentationem, Carolum postea Regem à se sponte abdicasse, & liberam Ecclesiasticis fecisse Episcoporum electionem, habetur in quibusdam capitulis Suessionensis Concilij, nuper, vt diximus supra, à Baronio editis, *to.X.an.853.n.32.* Sciant etiam, *inquit*, fideles nostri, quia concessimus in Synodo venerabilibus Episcopis, ne super beneficia Ecclesiastica, vel præsentatorias (etiam si Episcopus, aut quilibet monasteriorum Prælatus irrationabiliter petierit) præcepta confirmationis nostrę vllo modo faciamus, & ideo ab irrationabili petitione se vnusquisque compescat.] Iuo tamen Carnotensis cessionem hanc etiam à Carolo Magno, & Ludonico factam asserit, ita scribens: *ep.102.* Non enim licet Regibus, sicut sanxit octaua Synodus, quam Romana Ecclesia commendat & veneratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum etiam Reges Carolus & Ludouicus, Electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod & in suis capitularibus scriptũ *l.1.c.84.* reliquerunt, & in Concilijs Episcoporum Prouincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo DEVS in Ecclesia sua principaliter quod suum est; Habeat Rex posteriori ordine post Deum, quod sibi à Deo concessum est &c. Hæc Iuo.

XXXVIII. Baronius etiam vrget *tom.11.n.16.* eandem Caroli & Ludouici constitutionem: quæ sic habet, *Dist.63.c.Sacrorum.* Sacrorum canonum non ignari, vt in DEI nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicet Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo, & verbis sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.] Præmittit verò Baronius hæc verba: Sed in eo potissimum idem Carolus Magnus intentum animum habuit, vt ipsam DEI Ecclesiam omni ex parte liberam relinqueret, cuius rei gratia Episcoporum electionem vsurpatam à prædecessoribus, in pristinam libertatē restituit, eiusmodi legem vna cum Ludouico sanctam relinquens.] Sed ex his omnibus, electiones Prælatorum Regibus nequaquam possunt aut debent eripi.

XXXIX. Quod igitur spectat ad Canonem Apostolorum, cui solus Ecclesiæ vsus forrasse dederit aliquam autoritatem; Ac iste certe ab electionibus Principes non repellit, quominus ipsi etiam pro sua virili possint concurrere. Esto igitur canon vetus, & indubitate Apostolicus, nunquid in Episcopi institutione non vult eum habere *1.Tim.3.* testimonium ab ijs etiam, qui foris sunt? & Cyprianus Cornelij legitimam electionem fuisse probat, *l.4.c.2.* quia Factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, & de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.] Cur canon incertæ fidei, non re, sed nomine Apostolicus, excludet plebis Principem, cum vetus Ecclesia Christi, ex Apostolico præcepto, plebis suffragia expoposcerit? Vetat itaque canon Ecclesiæ ad summum, ne Principes, sua laica potestate sola, faciant Episcopos; neue legitima censeatur Episcopi ordinatio, quando quis sola potestate laica ad regimen assumitur Ecclesiasticum. Quam potestatem boni Principes Catholici neq; vnquam prætenderunt, neque, vt spero, prætendent. Solam personæ certæ propositionem ad se, pro ipsorum meriam parte, volunt pertinere, aut saltem expressum, in personam iam electam, consensum; ordinationē vero & consecrationem, Ecclesiæ non grauatè relinquunt.

XL. Itaque canon hic, fundamentum in hoc genere cæterorum, vetat ne quis potentia Principum adipiscatur Ecclesiam, ita scilicet, vt à solo Principe in sede collocetur, & regiminis Ecclesiastici accipiat potestatem. Quare septima Synodus, quæ canonis huius duntaxat vsum innouat, si in alio sensu canonem accipit, quam canon ipse habeat, nihil facit; dum vero ait, se electiones irritare, quæ fiunt à Magistratibus factæ, contra dictum canonem, nihil aliud potest significare, nisi eorum se irritare promotiones, qui per solos laicos magistratus fuerint promoti. Vt fuit Dioscorus, merito propterea depositus. Melius & clarius decernit octaua Synodus (nunc enim omnes istas Synodos posteriores admittimus, donec & ipsæ sub examen venerint) nā promotiones & consecrationes ex potestate Principis factas, interdicit, nō electiones, vt qui per versutiam, *inquit*, & tyrannidem Principum dignitatis consecrationē receperit, deponatur. Nō ergo loquitur Synodus de ijs, qui abiq; versutia & tyrannide, per legitimā Principum electionem fuerint à legitimis ordinatoribus ordinati & consecrati: atque hoc profitetur se iuxta canonem illum Apostolicum, & septimæ Synodi eiusdem canonis repetitionem, statuere. In quo ergo sensu octaua Synodus accepit illum canonem, in eodem oportuit, & septimam Synodum illum accepisse, siquidem octaua septimam declarat, dum hoc, quod ipsa octaua vetat, profitetur se propterea vetare, quia id & canon & septima Synodus vetuit. Et quamuis dicat etiam, Principem non debere se inserere electioni, & promotioni Episcoporum, proculdubio intelligit de electione tyrannica, & promotione absoluta, ac independenti à iudicio Ecclesię. Nam statim subiungit, nō conuenire vt vllus Principum, vel laicorum

in hoc exerceat potestatem: & tamen in legitima electione plebi laicæ non potest negare suffragia, quæ Paulus concedit, & Ecclesia semper antiqua seruauit, vt fusè probaui, *lib.3 cap.3.* Non igitur loquitur de ordinaria electione: quod adhuc magis conuincitur, quia vult laicos silere, donec Ecclesia perficiat electionem; vt nimirum ea sine confusione peracta plebs & Princeps postea suum adijciant assensum. Perinde vero est, vel initio personam Ecclesiæ proponere; vel post peractam electionem per Ecclesiam ei assensum, vel dissensum præbere, dummodo nemo ordinetur, in quem Princeps non consenserit. Explicatum vero à me sensum, per octauam etiam Synodum esse intentum, illud egregiè confirmat, quod dicit Synodus ipsa, se deponere promotum contra suam prohibitionem, quia ex voluntate carnalis sensus, & ex hominibus, & per homines, is donum Dei possidere voluit vel consensit. Simplex vero electio non dat donum Dei, quod per ordinationem solam Ecclesiasticam recipitur. Compertum ergo redditur, eos per hanc Synodũ abijci, qui à sola potestate laica ad Ecclesiasticos gradus & dignitates promouentur: & eos Principes percelli, qui, contempta Ecclesiastica etiam electione, soli volunt Ecclesiis de pastoribus & Prælatis prouidere.

XLI. Nicolaus sicut abusum, si quis irrepserat, potestatis laicalis, circa electiones, merito reprehendit; quod non est negare hanc potestatem, sed moderari; sed libenter quoad potuit, vt suæ Monarchiæ propugnator acerrimus, potestati Principum conatus est, & immerito, derogare, vt in regenda Ecclesia, plenæ Monarchiæ consortem non haberet. Non enim video, quid erroris cõmisisset Lotharus, si, suo vtens iure, electionibus non præbuisset assensum, nisi in personas sibi confidentes. Cum præsertim inter fratres arderent, pro Regnorum diuisionibus, crudelissimæ dissensiones.

XLII. Innocentius tertius in sua conseruanda & augenda Monarchia adhuc acrior, nihil mirum si Principum potestati conatus sit & ipse derogare: sed tamen ius eligendi ipsis non abstulit: & locis citatis cassat promotiones, & adeptiones, sola potestate laica, contra canones iam explicatos peractas.

XLIII. Quod ex Lupo contendit Baronius, non iure proprio, sed concessione Zachariæ Papæ, Reges Francorum postulationes, seu nominationes exercere, defendi non potest: Primum, quia tot exemplis & decretis conciliaribus, plusquam simplicem postulationem, & nominationem in Regibus Francorum obseruauimus, nempe plenas & completas electiones. Deinde, quia ius commune omnium Principum, vt probaui rationibus, dictis, & exemplis, est vt in electionibus suam partem habeant: frustra ergo & inepte Pipinus à Papa postulauit, quod de iure communi iam obtinebat. Tertio, quia Florus ille, de quo nos superius, eorundem temporum scriptor, non ad concessionem Papalé, sed ad priscam cõsuetudinem reducit ius Principum in electionibus, quod ipse non putat esse imminuendum. Quarto demum, quia secũ pugnat ipsemet Baronius, qui vbi in Lupi dictũ impegit, ratus se gemmam reperisse ad Pontificis Romani autoritatem subleuandam, & Principibus auferendam, ne ipsorũ propria censeatur, cõcessionem Zachariæ ita obiecit, vt ex ea mẽdaces fecerit quoscunq;, qui Ecclesias in electionibus subijcerent Regibus. Horum postea immemor bonus senex conatus est etiam Papales concessiones Francorum Regibus negare, eos refellens, *to.9.an.815. n.29.* qui ab Hadriano Papa Carolo Magno concessas assererent Episcoporum totius Regni electiones: nactus nimirum Caroli & Ludouici capitulum, de quo mox dicã. Nam Carolum adducit Episcoporũ electionem vsurpatã à prædecessoribus, in pristinã libertatẽ restituentem, & tamẽ iam probarat ex Lupo, Zachariam Patricius Pipino electiones cõcessisse. Quomodo igitur vsurpatæ, si cõcessæ? & cur abijciuntur vt vsurpatæ, si legitimæ vt concessæ à Papa habebantur? Et quomodo Ludouicus pius, Caroli Magni filius, referente, vt supra, Lupo, petit sibi conseruari ius electionum, à Zacharia Pipino eius auo concessum, si ipsemet cum Carolo Patre cedere dicitur à Baronio electioni Episcoporum, vt à præcessoribus vsurpatæ?

XLIV. Itaq; vel falsa est Lupi assertio, de Zacharia & Pipino: vel falsum est Carolũ & Pipinũ iure suo renunciasse, vt vsurpato. Ego tamẽ Pipino concessum fuisse arbitror, vt posset solus personas promouẽdas ad Episcopatus eligere, & curare consecrandas, absq; vllo Ecclesiasticorum consensu, nisi pro sola consecratione, vt ex ipsis Lupi colligo verbis: in quo Papa, derogans iuri Ecclesiastico, ius Principum in eo Regno auxerit: & Caroli ac Ludouici sanctionem malè & ab Iuone & à Baronio intellectam, non puto continere in se cessionem vllam iuris antiqui, & proprij omnium Principum supremorum, in electionibus Prælatorum, sed tantum cedere Ecclesiæ id, quod à Zacharia fuerat, pro temporis acerbitate, indultum Pipino. Vult etenim liberum relinqui clero, & Episcopis, vt suas iuxta canones faciant electiones, quas Reges soli faciebant: seruato proculdubio sibi suo iure, electiones ab Ecclesiasticis factas, suo expresso assensu firmandi, & stabiliendi. Nam canones nulli hoc, vt docui, negant Principibus, quod eis iure diuino naturali, & Apostolico competit, neque eis potest ab Ecclesia eripi.

XLV. Ita si quid autoritatis mereatur illa, quæ dicitur Suessionensis Synodus, certè in ea Carolus nihil aliud cedit, nisi donationes Ecclesiarum liberas, & absolutas, manu regia fieri solitas absq; legitima & ordinaria etiam Ecclesiasticorum electione. Nolebat enim pius Rex cuiquam prælaturam sua sola autoritate confirmare, nisi prius legitima præcessisset electio. Quod sane ius eligendi, seu electiones cõfirmandi, mordicus idem Carolus voluit retinere, vt mox ostendam. Iuo igitur cum ex solis canonibus & cessione asserta ac putata, Caroli & Ludouici, neget Regibus potestatem eligendi, negatio hæc quidni à nobis abnegetur, vbi ipsius concidant fundamenta? concidunt vero ex nostris datis explicationibus: & sanè Iuo humanum quiddam passus, ac ex animi perturbatione, tunc plurimum offensus Regi Philippo, qui cum in apertas eruperat simultates, non cernebat adeo clarè veritatem, *epist.17. 104. & 141.* ac ea perturbatione carens interdum, vidit manifestam, nimirum vetusto iure requisitum semper fuisse Regis consensum in electionibus Episcoporum, & Abbatum illius Regni, vt colligitur apertè ex eius epistolis 54. & 89. & ex ijs, quæ infra proferam, vbi agam de Regum Inuestituris. Ideoque successores omnes Caroli Magni, & Reges post ipsum vsi sunt & vtuntur hodie iure suo, in electionibus: quod proculdubio per Carolum, & Ludouicum abdicatum nunquam intellexerunt.

LXVI. Audiamus quæso Carolum eiusdem Ludouici filium, Caroli vero Magni nepotẽ, in magno Tullensi Cõcilio generali duodecim Prouinciarum, cuius nobis acta, non priùs visa, communicauit Baronius, ita loquentẽ *to.X.an.859.n.32.* Quia sicut dicit sanct⁹ Gregorius, & cõsuetudine Oletana cognoscitis, in Francorum Regno Reges ex genere prodeunt, mihi à Domino, & genitore meo piæ memoriæ Hludouico Augusto, pars Regni inter fratres meos Reges diuina dispositione est tradita. In qua parte Regni vacabat tunc pastore Metropolis Senonum, quã iuxta consuetudinem præde-

prædecessorum meorum Regum, Weniloni tum clerico meo, in capella mea mihi seruienti, quia more liberi clerici se mihi commendauerat, & fidelitatem sacramento promiserat consensu sacrorum Episcoporū ipsius Metropolis, ad gubernandum commisi, & apud Episcopos (quantum ex me fuit) vt eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.] In hoc consistit tota Regum Inuestitura. Quod vero ius habuerunt, & habent Francorum Reges, habent & cæteri: cùm sit omnium par ratio. Et si qui interdum aliquid de proprio hoc iure remiserunt, non propterea aut sibi, aut successoribus quicquam derogarunt, aut præiudicarunt, vt libro vltimo declarabo. Nunc accedamus ad Inuestituras.

XLVII. Excitauit primus omnium Gregorius septimus, proprio nomine Hildebrandus, tantas turbas, ac tragœdias propter Inuestituras potissimum Ecclesiarum, (zelo-ne Ecclesiasticæ putatæ libertatis conseruandæ, an ambitione opprimendæ hactenus explicatæ Principum potestatis, in gratiā suæ plenioris Monarchiæ, patebit ex dicendis) vt eo incendio totus penè Christianus occidens conflagrarit. Cœperat iam quidem Ecclesiastica potestas cum laica de primatu decertare, neque tolerare poterat Papa, vt in conferendis sacerdotijs, Principum interueniret vllo pacto autoritas: omnem igitur Pontifex mouit lapidem, vt á suo iure deturbarentur. Hinc inuestituris bellum indixit Gregorius, cum tamen nihil aliud reipsa sint Inuestituræ, nisi vel electio personę, de qua iam diximus: vel expressus assensus in electionem ab Ecclesia factā, & in electum, atq; ad summum traditio & consignatio temporalium, quæ Ecclesijs sint adnexa. Si ergo iure non poterat prohibere Principes, ne in electionibus partem haberent, vt iam probauimus: si etiam Ecclesia liberati non poterat, quominus teneretur in factis electionibus sine Principe, Principis assensum requirere & expectare: quod ius, exequentibus id etiam toties Romanis Pontificibus, Principes pacifice possidebāt, vt est ostensum: cur contra ius & fas tentat id, quod per tot sæcula Ecclesia intentatum reliquerat, & vt æquissimum approbarat? Annon hoc est alienam messem inuadere, ac vt leuissimè dicam, res bene cōstitutas temere impudenterque loco dimouere.

XLVIII. Gregorij tamen conatus videamus, & ipsius querimonias audiamus. Ad Henricum Regem illud scribit: *Greg. 7. l. 4. ep. 22.* Et nunc quidem vt vulnus vulneri infligeres, contra statuta Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam & Spoletanam Ecclesiam, (si tamen ab homine tradi Ecclesia, aut donari potest) quibusdā personis, nobis etiam ignotis, quibus nō licet, nisi probatis, & antè bene cognitis, regulariter manum imponere.] Cur igitur ipse vt Metropolitanos suū non satisfacit muneri? Rex fecit quod in se est, personas elegit, in eas consensit, eas aptas & idoneas, quantum in ipso est, iudicauit: Vos Ecclesiastici, antequam manum personis illis à Rege præsentatis, imponatis, super earum qualitate, doctrina & aptitudine, inquiratis: id enim Rex non impedit. Cur vero Ecclesia ab homine tradi & donari non potest? Nunquid tu, Gregori, illam traditurus, non es homo? traditor ab homine laico, quoad temporalia, & per assensum suo modo necessarium etiam quoad spiritualia, quia *Sup. l. 3 c. 3. n. 36.* inuitæ plebi, ac multo magis inuito Regi, non est dandus Episcopus: traditur ab homine Ecclesiastico tum pro sua parte in electione, tum in consecratione. Traditur à Deo, & non ab homine, quoad potestatem spiritualem.

XLIX. Atque vt rem serio aggrediatur, scribit Diensi Episcopo ipsius Legato, *l. 4. ep. 22.* vt conuocet Synodum in Lingonensi Ecclesia. Ac primum in ea definiri curet causam Episcopi Cameracensis, in eo rel, quod à Rege Henrico Episcopatum acceperit, contra ipsius iam publicatam prohibitionem: & ab excommunicato, cui communicare non debebat. Deinde vt in dicto Episcopali conuentu, renouato Hadriani præcepto in octaua Synodo promulgato, denunciet Metropolitanis omnibus, autoritate Apostolica pœnam, si manum imponant illis, qui à laica persona donum Episcopatus susceperint, & vt nulla potestas, aut aliqua persona de huiusmodi honoris donatione vel acceptione vlterius se intromittere debeat. Et qui posthac inuestituram Episcopatus per manus sæcularium Dominorum & potestatū susceperint, eos vt ordinauerint, ad Apostolicam Sedem transmittantur.]

L. Ne sæui, magne Sacerdos. Tolle abusus, si qui irrepserint, Gregori, ius Principum digito ne attingas: Si vides Principes solos, inconsulta prorsus Ecclesia, sola ipsorum autoritate donare Episcopatus, & cogere Metropolitanos, aliosve Episcopos, vt nullo examine præcedente, omnino illum consecrent, quem ipsi volunt esse Episcopum, 2. *Tim.* 4. 2. insta opportunè, importunè, arguè, obsecra, increpa, eo deduc Reges, vt Ecclesiæ etiam suam relinquant sartam tectam in electionibus potestatem, & Metropolitanis libertatem, vt prius cognoscant hominem, quam ei manum imponant? Contenti q; sint Principes iure ipsorum antiquò, à canonibus & Synodis non reprobato, vt vel in electionibus concurrant, vel electionibus iam factis per Ecclesiam, assensum præbeant. Nomine tamen Inuestituræ, vt video, Gregorius conuoluens sacra profanis, non tam Ecclesiasticam prærogatiuam, quam vniuersum Regum opus, etiam iustum, includit, vt eos etiam iusto iure priuet. Cum reuera Henricus præsertim, contra quem totum bellum suscipit, in his Inuestituris terminos electionum, iam à me explicatos, non fuerit solitus transgredi: sed solo antiquo suo iure contentus, expectata legali personę in Ecclesia electione, suo tandem assensu eam firmare voluerit. Docet hoc ipsemet Gregorius, initio eiusdem Epistolæ, dum eam sic ordiatur: *l. 4. ep. 22.* Gerardus Cameracensis electus ad nos veniens, qualiter in eadem Cameracensi Ecclesiā ad locum regiminis assignatus sit, prompta nobis confessione manifestauit, non denegans, post factam cleri & populi electionem, donum Episcopatus ab Henrico Rege se accepisse.] Odiosum vocabulum doni opponit callidè: sed quodnam, obsecro, erat hoc donum? Rex personam non eligit, liberam clero & populo, vt volunt canones, electionem reliquit; electum nō consecrauit, nec ordinauit, nec, vt consecraretur & ordinaretur, quenquam coegit: Metropolitanum, vt de vita & moribus electi ac de habilitate inquireret nō impediuit. Quas ergo partes habuit? nil aliud, nisi, vt ipse suum assensum adderet, sine quo ille ordinari neq; poterat de iure, vt ostensum est, neque debebat. Esto fortasse temporalium illius Ecclesiæ possessionem ipse concesserit. Quidni? cum ea sint sub Regia potestate. Hincine turbas cieri tam truculentas? Hinc Orbem Christianum susq; deq; verti, omnisque fulmine percussa nigescere? In Romanorum Pontificum electionibus Imperatores maximam partem, iure, ac merito, vt libro quarto *capite vndecimo* fusè probaui, habuerunt: in Episcoporum aliorum non habebunt?

LI. Committit Gregorius idem suis Legatis causam Episcopi Ambianensis, à quibusdam Episcopis cōsecrati, absente Metropolitano, vt hoc inquirant; *Idem l. 6. ep. 3.* Et præsertim, *inquit*, si idem Ambianensis, contra Romanæ Synodi & Apostolicæ Sedis decretum, de manu laici, nefanda ambitione, & temerario ausu inuestituram suscipere præsumpsit.] Si hæc inuestitura

fuerit

factis non alia quam præcedens: certè non satis vigilabat *Gregorius* sui nominis immemor. Sed pergamus. *Refertur* paulo post alia Synodus Romana sub eodem Gregorio, in qua inter cætera, constitutum legitur hoc capitulum: Vt contradicatur, ne aliquis accipiat Inuestituram Ecclesiarum, de manibus laicorum. *Ibid. post. ep.* 5.] Item hoc decretum: Quoniam Inuestituras Ecclesiarum, contra statuta sanctorū Patrum, à laicis personis in multis partibus cognouimus fieri; & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur: decernimus, Vt nullus clericorum Inuestituram Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ personæ, viri vel fœminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat Inuestituram illam Apostolica autoritate irritam esse, & se vsq; ad condignam satisfactionem excommunicationi subiacere.] Et in alia Synodo, quas solicitus frequētiores habebat, decernit: *Apud Greg. 7 post ep. 14. lib. 7.* Vt si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur.] Item; Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, aut personarum, Inuestiturā Episcopatuum, vel alicuius Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdē sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat.] Hæc decreta repetijt postea Paschalis secundus. *16. q. 7. c. Constitutiones.* Quis non videt hæc generalia decreta nomine Inuestituræ includere quemlibet Principum, & cuiuscunq; laici concursum, quantumcunq; legitimus sit, & iure diuino concessus? propterea quid dubitemus rectonomine appellare istbæc decreta intolerabilia? quippe contraria & diuino iuri naturali, & tot sanctorum Conciliorum decretis, & sanctorum Patrum dictis, & Ecclesiæ praxi continuatæ, vt estiam fuleā me ostensum.

LII. Idem vero explicans, quibusnam ipse confirmet primatum Episcopis Lugdunensibus, nimirū ijs, qui nullo munere interueniente fuerint electi, non à manu, non ab obsequio, non à lingua, addit: *l. 6. epist. 34.* Sed neq; ijs, qui per sæcularem potestatem ad hanc dignitatem peruenerint, videlicet dono, vel confirmatione alicuius personæ, quæ sanctæ religioni videatur obuiare, & contra puram & authenticam sanctorum Patrum autoritatem venire.] Ecce tandem quid est Inuestitura, quam tātopere Gregorius insequitur? quid donatio? Ipsa confirmatio electionum, qua Principes suum assensum præstabant. Quæ sanè confirmatio, cùm neq; sanctæ religioni obuiet, neq; sanctorum Patrum sententiæ contrauenoiat, imo sit eis tota conformis: non est cur Gregorius tantas tamq; strepeeras excitet hoc in theatro tragœdias.

LIII. Hisce parum subsistentib. decretis, non dissimile est aliud prorsus meo iudicio ex ijsdem causis irridendum; quod ponit iam dictus Gregorius, in quodā priuilegio Diuinitatem potiùs, quàm Pontificiam hominis mortalis dignitatem redolēte; ait enim: *l. 7. ep. 24.* Volumus, & Apostolicâ autoritate præcipimus, vt nullus Sacerdotum, Regum, vel Ducum, aut Comitū, seu quælibet magna, aut parua persona, præsumat sibi, in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hæreditarij iuris, non aduocatoriæ, non Inuestituræ nō cuiuslibet potestatis, quę libertati monasterij noceat, vendicare.] Quid si esset sub iure patronatus, præsertim laicorum? quid si fundatores laici adhuc viuerent? Quid si Rex esset, aut fuisset fundator? Ego (respondebit, puto, Gregorius,) ego sum Devs, ego Dominus: ego aufero proprietates rerum temporalium, quibus volo, & transfero ac dono quibus volo. Ita, an non licet mihi quod volo facere? Cur verò tam præclarum priuilegium concedis vni cœnobio, vt ipsum specialiter ab inuestituris Principum, quas perpetuo ab eius fundatione habuerunt, eximas? quoniam, *inquit*, singulis annis sedi Apostolicæ soluit aureos duodecim.]

LIV. Rem sanè omnino indebitam planè iniustam, & arduam nimis, imo prorsus impossibilem aggressus est hic Pontifex: eoque mirabiliorem, quod ipsemet fateatur, has Inuestituras esse antiquas: laudans enim Britannicos quosdam Principes, qui, vt ei gratificarentur, cesserant Inuestituras; ait: *Idem l. 4. epist. 13.* Cùm enim audiuimus, Principes illius terræ (*Turonica*) contra antiquam & pessimam consuetudinem, pro reuerentia Dei omnipotentis, & Apostolicæ autoritatis, vlteriùs in ordinandis Episcopis, nec dominium Inuestituræ tenere, nec pecuniæ commodum quærere velle, &c.] Ac profectò sicut antiquam fatetur Gregorius hanc Regum esse prærogatiuam; ita aliquando, priusquam contra Henricum tantoperè incaluisset, etiam iustam, & debitam agnouit, neceam oppugnare cogitauit; dum scilicet sperauit Henricum sibi in reliquis obtemperaturum. Quod facilè ostendo ex Epistolâ ipsius, quam ad Anselmum Lucensem scripsit: quæ sic habet: *Idem l. 1. epist. 21.* Dilectioni tuæ significamus, te ab Inuestitura Episcopatus de manu Regis abstinere, donec de communione cum excommunicatis Deo satisfaciens, rebus bene compositis, nobiscum pacem possit habere.] Igitur facta pace, & relicta communione cum excommunicatis, integrum relinquebat Anselmo, vt de manu Regis, sui Episcopatus acciperet Inuestiturā. Nam si abusos aliquis irrepserat simoniæ, poterat, vt toties priùs, & postea factum est in Ecclesia, abusum resecare, & ius electionum integrum relinquere.

LV. Immeritò tamen Gregorium contra inuestituras insurrexisse, præter ea, quæ de electionibus dixi, ostendunt etiam illa, quæ specialiter de Inuestituris iam profero: si tamen inuestitura aliquid amplius supra electiones puras continere censeatur. Habuit Gregorius præcessores non paucos, sapientia, pietate, simulque zelo Ecclesiasticæ libertatis præstantes, qui tamen in his Regum Inuestituris, nihil erroris, nihil iniquitatis agnouerant. Quod si abusus aliquis per simoniacam labem intercesserit aliquando, eum certe amouere totis viribus sunt conati: inuestituras tamen legitimas nunquam oppugnarunt. Leo Quartus ad Lotharium & Ludouicum Augustos, ita scribit; *Dist. 63. c. Reatina.* Reatina Ecclesia, quæ per tot temporum spatia pastoralibus curis destituta consistit, dignū est, vt brachio amplitudinis vestræ subleuetur, ac gubernationis regimine protegatur. Vnde salutationis alloquio præmisso, vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili Diacono eandem Ecclesiam ad regendum concedere dignemini, vt vestra licentia accepta, ibidem eum, Deo adiuuante, consecrare valeamus Episcopum. Sin autem in prædicta Ecclesia nolueritis, vt præficiatur Episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata existit, illi vestra serenitas dignetur concedere, vt consecratus à nostro præsulatu Deo omnipotenti, vestroque Imperio, gratias peragere valeat.] Et ad Ritam comitissam: *Ead. c. Nobis.* Nobis Dominus Imperator, & Imperatrix per suas epistolas direxerūt, vt Colonum in Reatina Ecclesia, quæ pastoris officio per longa iam tempora destituta videbatur, Episcopum facere deberemus, sicut & fecimus.] Quid tibi videtur lector? Papa petit ab Imperatore, vt concedat Ecclesiam tali personæ; & electiones personæ à se factæ, Papa petit, vt ab Imperatore confirmentur: nec audet Episcopos Romanæ Metropoli immediatè subiectos,

iectos, consecrare, nisi obtento consensu Imperiali. Et in potestate Imperatoris situm esse agnoscit, nō modo electum approbare, sed etiam reprobare: Rogat enim Imperatorem, vt si nolit Colonum esse Episcopū Reatinum, Tusculanum saltem esse patiatur.

L VI. Stephanus vero Papa, vacante eadem sede Reatina, cùm Clerus & plebs eiusdem Ecclesiæ ad electionem noui pastoris processisset, electumq; Papæ ad consecrandum Guido Comes præsentasset, abstinuit à consecratione electi, quia Imperatoris consensum non habuerat: Eum, *inquit, Ead. s. Lectis.* ordinare omisimus, quod Imperialem nobis, vt mos est, absolutionis minime detulit Epistolam: pro qua scil. re ambiguum est nobis: ideo voluntati vestræ in hoc parere distulimus, ne Augustalis animus durissime hoc quocūq; modo perciperet. Sed scientes Ecclesiam Dei sine proprio diu pastore non debere consistere, gloriæ vestræ mandamus, quoniam aliter nos agere non debuimus, vt vestra solertia Imperiali, vt prisca consuetudo dictat, percepta licentia, & nobis, quemadmodum vos scire credimus, Imperatoria directa Epistola, tunc voluntati vestræ de hoc parebimus, eundemq; electum Domino adiuuante cōsecrabimus.] Audis veterem esse consuetudinem vt Imperator per suas literas electiones Episcoporum, etiā ipsi Romanæ Ecclesiæ immediate subiectorum, confirmaret? Si hæc non est inuestitura, quā oppugnat Hildebrandus: certè nulla alia erit: sine qua Papa suos Episcopos non audet consecrare: metuitque & merito Stephanus iram Principis, quam Hildebrandus noluit metuere.

L VII. Nicolaus primus, nihil minus ardens in Ecclesiæ iuribus defendendis & cōseruandis, quam postea fuerit Hildebrandus, nihilominus tamen ille inuestituras hasce admisit, & eis obsequendum esse censuit. Vbi enim scribit de potestate fratrum Cœnobij S. Carilefi, in sui Abbatis electione, ait *ep.* 62. Quencunque dignum vita, moribus atque doctrina prospexerint pastorali officio, & vbi vtilem & aptum dispensatorem esse, ipsum eligant. Regisque in notitiam deferant, vt eius & concessione, & consensu potestatem regiminis accipiat.] Ecce inuestituram, electiq; confirmationem.

L VIII. Ioannes octauus pro inuestitura quadam supplicat Carolomanno Regi; *ep.* 187. *ita & ep.* 171. 197. Misimus, *inquit*, cum his præsentibus missis nostris, hūc venerabilem Diaconum, nomine Conspectum, vobis, vt credimus, notum, in seruitium magnitudinis vestræ, quem petimus, vt pro nostro amore benignè recipiatis, & quia nobis ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram, vt Episcopatum Vercellensis Ecclesiæ ei placido animo tribuatis. Quatenus Deo auxiliante, per nostram ac vestram munificentiam Episcopali duntaxat honore potitus, nobis omnibus existere deuotior atq; fidelior possit.] Idem inuehitur in Anspertū Mediolanensem Archiepiscopum, quod excommunicatus ausus fuerit in eadem Vercellensi Ecclesia, tunc cōtra Regiam & ipsius voluntatem, quendam Ioseph Episcopum ordinare; sicq; scribit ad Clerum & populū Vercellensem, *ep.* 123. Quapropter omnium vestrum cognoscat sagacitas & laudanda fidelitas; quoniam dilectus, ac spiritualis filius noster Carolumannus, gloriosus Rex istius Italici Regni, ipsum Vercellensem Episcopatum, more præcessorum suorum Regum & Imperatorum, cōcessit huic Conspecto Viro nobilissimo, præsentibus missis nostris, nostramq; Apostolicam clementiam suis est literis deprecatus, vt eum vobis Episcopum consecraremus. Nos autem eius precibus inclinati, nolentes vos diu sine proprij ac legitimi esse cura pastoris, huncipsum sanctæ Vercellensi Ecclesiæ vestræ Apostolica duntaxat autoritate Episcopum cōsecrauimus.] Ita prudenter Ioannes & Ecclesiasticum & Regale ius saluum esse voluit: vt ipse à Rege concessionem Episcopatus in personam à se electam peteret; & Rex data, quantum in ipso erat, Inuestitura, pro consecratione à se confirmati, rogaret Pontificem; & Pontifex declararet, se sola Apostolica autoritate illum cōsecrare, quem Regalis autoritas tantummodo per suum assensum, electum confirmarat: Vt ita sacris canonibus saluis, Rex assensum tantùm præberet electo cōsecrando; Pontifex verò regio assensu priùs firmatum, plené ordinaret. Hanc prudentiam præceps Hildebrandus nec ipse domi habuit, nec aliunde voluit mutuari: neq; vero didicit à Ioanne, hunc fuisse priscū morem Regum & Imperatorum, quē ipse satis imprudenter & iniusté conabatur abrogare, iam non iure tantū & consuetudine, sed etiam tot Romanorum Pontificum prompta obseruantia firmatum & stabilitū. Quis fulmineum Gregorium hic ab imprudentia & pertinacia liberabit? Certe non Marcus Antonius Spalatensis, cui religio est historiam Ecclesiasticā ad astruendū Papatum per fas & nefas detorquere.

L IX. Hanc tamen tam inconsultam Hildebrandi temeritatem contumaciamq; Hieromonarchici nostri moderni, Idolum suum venerantes, summæ constantiæ, & virilis fortitudinis larua nituntur obtegere: imprimis historiarum Ecclesiasticarum, vero nomine, compilator Baronius. Qui hunc in modum. *tom.* 11. *ann.* 1077. *nu.* 49. Quo tempore tot ipse (*Gregorius septimus*) vallabatur ex Henriciana præuaricatione turbinibus, & premebatur angustiis, in prohibendis laicalibus Inuestituris Regum, & aliorū Principum, aggreditur cōstanti animo, inuictoq; ac planè sacerdotali robore cōtrouersiam: cuius causa, licet sciret omnes se passurum Christianos Principes aduersarios, haud tamen cessit tempori, concessitq; rerum Ecclesiæ statui perturbato, quæ illa in aliud potiùs differenda esse tempus poterat suadere, sed celso animo, inuictoq; pectore cedere nescio, rem aggreditur perdifficilem, ac planè humanis viribus insuperabilem: quis Principum Christianorum ea dimitteret, quę à parentibus, auis ac proauis, sibi iure quasi hæreditario transmissa essent? quæ quidem licét iniusta, toleranda tamen sunt visa Prædecessoribus Pontificibus, quandiu ijdem Principes non mercimonia ista tractarent.] Mauult Baronius ignauos facere, & prorsus desides tot vigilantissimos Pastores, Ioannes, Nicolaos, Stephanos, Leones, & alios, quod iniustas scil. nō modo tolerarint Principum Inuestituras, sed etiam ijs fauerint, quam vnicum fortissimū in arena Pontificali Goliam Gregorium taxare imprudētiæ: & dum iniustas asserit fuisse Inuestituras, etiam vbi sine mercimonio fierent, tot pijssimos Imperatores & Reges Iniuriarum postulat, ne dicā tyrannidis insimulat. Quod in se incredibilem continet magni nostri Annalistæ arrogantiam. Ineptias autē Baronianas nunc omittamus, & quod cœpimus de Inuestituris, prosequamur. Hildebrandum nostrum minacem erit occasio iterum, sed non sine telo, salutandi.

L X. Non est cōtemnendum, quod scribitur in Annalibus Anglorum, nempe in Concilio quodam Vintoniensi, tempore Alexandri secundi Papę, qui Gregorium septimum immediatè pręcessit, *Rogerus apud Baron. tom.* 11. *ann.* 1070. *n.* 8. fuisse per Legatos Apostolicos, Episcopos, & Abbates plures, propter varia scelera degradatos, operam dante Rege, vt quā plures ex Angelis suis honoribus priuarentur, in quorum loca suæ gentis personas subrogaret, ob confirmationem scil. sui, quod nuuiter acquisierat, Regni.] Rex subrogabat Episcopos in locum depositorum, & sanè eatenus externos,

vt se

ve[r]o in Regno melius confirmaret. Grauius adhuc habeo testimonium Lamfranci Archiepiscopi Cantuariensis, Principum Inuestituras egregie confirmans. Is enim, vt narrat Willelmus Malmesburiensis, ad eundē Alexandrum Papam scribens, de quodam Hermanno Episcopo Episcopatu se abdicare cupiente, sic ait: *apud Baron. ibid. n.28.* Et nisi ego cēsura canonica obstitissem, iampridem aut Regi Episcopatū reddidisset, aut etiam ad monasterium cōfugisset.] Igitur In eo Regno si quis Episcopatū resignare debuisset, eum Regi reddere tenebatur, à quo nimirum illum accepisset. Subdit ibidē Lamfrancus de quodam alio Episcopo criminoso, citato ad Synodum, & non comparente: Vnde & prædicti Legati vestri eum excommunicauerunt, Regique substituendi successorem, vt dicitur, licentiam concesserunt.] Hoc est, sedem vacare docuerunt, iamq; posse liberè Regem ad alterius electionem de more procedere, significarunt.

LXI. Insectante iam Gregorio septimo acriter Inuestituras; Desiderius Abbas, qui ei proximè in Pontificatu successit, renuit quidem accipere Inuestituram Monasterij Cassinensis ex manu Henrici Regis, dum pacem cum Gregorio non haberet: facta tamen pace, se eam suscepturum pollicetur, qua de re ita scribit Leo Ostiensis: [*Chronic. Cassin. l.3.c.49.*] Et cū exigeret (*Henricus*) vt virgam Abbatiæ de manu sua susciperet, renuit, dicens: Quando illi coronam Imperij collatam cerneret, tunc si placeret, Abbatiam ab eo percepturum, vel etiam si ita visum esset, dimissurum.]

LXII. Post seuerissimas Gregorij prohibitiones, quas & Victor, & Vrbanus, & Paschalis ipsius successores proximi confirmauerunt, & innouauerunt, Imperatores tamen, & Reges in suo iure fixi perstiterunt, atque iniustis, & male suasorum Pontificum conatibus restiterunt. Si enim Gregorij leges præualuissent, Victori, & Vrbano, & Paschali, cum cæteris non fuisset tantopere laborandum, vt Inuestituras abolerent: Mihi verò hic non est animus, historias texere de multis tumultibus in Anglia, inter Paschalem secundū & Henricum Regem, Anselmo Cantuariensi instigante, ac flammæ oleum infundente, propter Inuestituras istas subsecutis, Rege nihilominus suum ius retinente, & Paschale tandem vel inuito cedente. *Iuo ep.233. & 326.* Nihil dico de dissensionibus proximè etiā secutis, propter easdem potissimum Inuestituras, inter Alexandrū tertium, & Fredericum primum Imperatorem: ac de continuatis nihilominus per Principes Inuestituris, quas hodieq; magna ex parte si non nomine, certe re ipsa retinent. Factorum satis à nobis est commemoratum: iam quid de iure viri docti censuerint, & perfectè Catholici, tunc maximè, quando ex Inuestituris à Diabolo excitatum in Ecclesia ardebat incendium, dicam paucis.

LXIII. Iuo Carnotensis, non semel imprudentiam Romanorum Pont. Gregorij, Vrbani, Paschalis, stomachatus, in hanc Inuestiturarum controuersiā est ingressus. Eius, plectro integras haud grauabimur disputationes hic inserere. Electum Senonēsem, ne cōsecraretur, impediebat Archiepiscopus Lugdunensis, Apostolicæ Sedis Legatus: Hunc electum Iuo susceperat defendendum: aeresellens ea, quæ contra eum obijciebantur, ita scribit ad dictum Lugdunensem: *ep. 60.* Quod autem scripsisti prædictum electum Inuestituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cùm hoc nullam vim Sacramenti gerat in constituendo Episcopo, vel admissum, vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus: Cùm post canonicam electionem Reges ipsos, Apostolica autoritate, à concessione Episcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud Reges, pro electis Ecclesiarum vt eis ab ipsis Regibus cōcederentur Episcopatus, *Dist.63. c. Reatina.* ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, *Ead. Agatho. & seqq.* consecrationes distulisse: Quorū exempla supposuissemus, nisi prolixitatem epistolæ vitaremus. Dominus quoq; Papa Vrbanus, Reges tantū à corporali Inuestitura excludit, quantū intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione: quāuis octaua Synodus solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio siue fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga, quid refert? Cùm Reges nihil spirituale se dare intendāt, sed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere. Vnde Augustinus super Ioannem *prima parte tract.6. Dist.8. c. Quo iure, vide supra cap.11.* Quo iure defendis Villas Ecclesiæ, &c. Quod si hęc æterna lege sancita essent, non esset in manu præsidentiū, vt ea in quibusdā districte iudicarent, in quibusdam misericorditer relaxerent, ipsis in honore accepto permanētibus, contra quos ista loquuntur. Nunc vero quia ea illicita maximè facit præsidentium prohibitio, licita quoque eorundem pro sua æstimatione remissio; videmus nullos, aut penè nullos, pro huiusmodi transgressione damnatos; plurimos autem vexatos, plurimas Ecclesias spoliatas, plurima scandala exorta, diuisum Regnum, & Sacerdotium, sine quorum concordia res humanæ nec incolumes esse possunt, nec tutæ. Videmus quoque miseros Episcopos, & Abbates, nec ruinis morum, nec murorum reficiendis, velle vel posse vacare, solum ad hoc intentos, vt possint sibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cuius nundinis se possint vtcumque defensare. Multi quoque electi, qui gratuitam & canonicam habent electionem, quia huiusmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur, comparatis sibi pecunia mediatoribus & prelocutoribus, ne turpem patiantur repulsam, in simoniacam offendunt aliquando consecrationem. Cùm ergo omnis institutio Ecclesiasticarum legum ad salutem referenda sit animarum, istarum institutionum transgressiones, aut districtiùs essent corrigendæ, vt saluti prodessent, aut interim silentio premendæ, ne spiritualia vel temporalia commoda supradictis modis impedirent.] Ita doctè, & prudenter Iuo.

LXIV. Quid ad hæc Baronius? *tom.11. ann.1099. num.7.8.* Scabrosiora planè hæc, *inquit*, esse noscuntur, cum de Inuestituris veritis nimis abiectè loquatur Iuo, imo despectè multa ingerat, quæ nisi corrigerentur ab alijs eiusdem autoris Epistolis, famam suam, & nomen gloriosum, quod ex defensione Apostolicæ sedis, & Catholicæ veritatis, sibi dignissimè compararat, in discrimen maximum adduxisset.] Item: Hæc, *inquit*, quod in deteriorem partem accepta, nonnihil videri poterant virus habere, ijs mox apponens antidotum, ita subiungit: Non ista dico, tanquam velim aduersus sedem Apostolicam caput erigere, vel eius salutaribus dispositionibus obuiare, vel meliorum sententijs præiudicium facere, si viris nitantur rationibus, & euidentioribus veterum Patrum autoritatibus, sed hæc vellem cum multis mecum piè sentientibus, vt Romanæ Ecclesiæ ministri, tanquam probati medici, maioribus morbis sanandis intenderent, & non ab irrisoribus suis audirent, (*culicem excolantes, & Camelum glutientes, Matt.23.24. mentam, rutam, cymi-*

num, & anetum decimatis, grauiora autem legis praetermisistis: *Luc.*11. Cùm per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua iustitiæ falce resecari. Quorum exempla, quia vel à vobis non sunt remota, vel vobis non ignota, non est meū ea speciali sermone taxare. Vos videritis, quid de his, & similibus agere debeatis.] Hæc omnia ex Iuone Baronius.

LXV. Antidotum his verbis infusum olfacit Baronius, sagax scil. pharmacopæus, quo nempe præcedentium verborum virus excoquatur. Mihi vero, si quid veneni præcedentibus inest, hæc certè verba illud adhuc magis acuunt, & longè vehemētius reddunt. Prudens, & sui potens Iuo, Romanis Pōtificibus addictissimus, imo ipsis deuinctissimus, quorum sola autoritate, postposito suo Metropolitano, *ep.*8. Episcopus est consecratus, ita temperauit orationem suam, imo declamationem in Romani Pontificis sui munifici benefactoris imprudentiam & socordiam, ex optimo zelo proficiscentem, vt ex bonæ conscientiæ dictamine ꝑdeониem, vt tamen & eam in Legatum, nō in Papam recta dirigeret, quem indirectè ferire, vt debuit voluit; & hanc ipsam verbo illo leniret, se aduersus sedem Apostolicā caput non erigere: sed nunquid propterea, quæ dixerat, retractauit? nunquid non adhuc melius confirmauit, dicens, tunc se meliori sententiæ cessurum, quando eam viuis rationibus niti viderit, & euidentioribus Patrum autoritatibus confirmari? Sciebat enim fieri non posse, vt dicta ipsius aut rationibus, aut autoritatibus possint infirmari. Quæ vndequaq;, vt ex nostra patet præsenti disputatione, accipiunt confirmationē. Debuit ergo Baronius antidotum, quo maximè indigebat, ipse ex narthecio suo depromere, ac apponere, soluendo Iuonis rationes, & autoritatibus respondendo, alijsq; rationibus & autoritatibus melioribus, ad quod ab Iuone se cernebat inuitatum, contrarium persuadere. An vero Iuo hæc alijs Epistolis correxerit, paulo post videbimus.

LXVI. Obserua interim, obsecro, Lector, quanta sit vis veritatis, vt vel ab inuitis, & mala fide aduersus eandem militantibus sæpissimè cōfirmetur. Nolens enim & imprudens incidit Baronius in apertam confessionē maximæ indiscretionis, & imprudentiæ Pontificum Romanorum: quos dum nititur excusare, & eorū culpas in Legatorum potissimum imprudentiam transferre, eos maxime accusat, & reddit culpabiles, quod nos hoc loco ostendere conabamur. Baronij verba sunt post præsentem Iuonis Epistolam recitatam: *vbi supra n.*11. Vidisti, Lector, in quos quantaq; discrimina minister improuidus, coniecerit Ecclesiæ statum: si enim *Phil.*2.21. quæ sua sunt, quærere, vt charitati Christianæ repugnans, vetat Apostolus, quomodo Apostolicæ sedis Legatus, quæ sua non erant, cum tanta iactura Ecclesiæ Gallicanæ præsumpsit? sed quoniam prudentia carnis, & non spiritus, perperam facta á ministris, defendi soleant ab eorum Dominis, cum legibus diuinis, atq; humanis, quemq; peccantem pœna consequi debeat, Vrbanus Papa, humani quid passus his Iuonis acceptis literis à Legato, vehementer in Iuonem ipsum *epist* 67. commotus est, &c.]

LXVII. Quid verò peccauit legatus? seuerissimarū Romanæ sedis legum contra Inuestituras rigidissima est ei iniuncta executio, videt electum Senonēsem Inuestituram à Rege, contra Apostolicæ sedis præcepta, accepisse; Apostolicæ sedis ipse in toto Franciæ Regno legatus est; cur non impediat consecrationem illius, cuius & nulla esset ex Romani sanctionibus electio, & qui dira excommunicatione, propter acceptā à Rege Inuestituram, percellendus erat? Vocabat ad se electū, vt ante consecrationem, coram Primate totius Regni, & Legato simul Apostolico, ei subiectionem & obedientiam profiteretur: *Iuo ep* 60. Nouum sanè onus, noua obligatio, quia noua ex Romana sede emanarant præcepta, vt huiusmodi subiectione Inuestituræ recēptæ abiurarentur, & abolerentur. Et hanc potissimum causam Lugdunensis ipse Legatus, & Primas, iam per literas significarat, se propterea ante consecrationem ad se euocare Senonensem, quia *Iuo ibid.* inuestituram à Rege acceperat. Hoc igitur & Iuoni, & reliquis Episcopis durum videbatur, vt propter Inuestituras, quæ nihil officerent Ecclesiasticæ potestati, electi vexarentur: à quibus quoniam abstinere nō poterant (nam alioquin nemo Ecclesiam plenè cōsequeretur) *Iuo ibid* schismatis profecto periculum imminere docebat, cuius schismatis, si consequeretur, non fuisset culpa legati noua præcepta exequentis, sed Papæ noua præcepta imponentis. Et sanè incommoda illa omnia, & absurda, quæ Iuo sapienter commemorauit, ex sola inuestituræ prohibitione oriebantur; in qua legatus merus esset executor, non improuidus, vt ei imponit Baronius, sed sedulus, & constans minister Papæ; Illa enim prohibitio efficiebat, vt electi ad Episcopatus, & Abbatias, siquidē omnes, ex antiquissimo, & approbatissimo more inuestituras Regum ante consecrationem accipiebant, plurimum vexarentur, & à consecratione impedirentur: à qua vexatione vt se liberarent, & impedimenta tollerent; subsidio pecuniæ, tandem etiam cōsecrationem impetrabant, cum absolutione, & dispensatione super delicto, quod in Regias cōsensérint inuestituras.

LXVIII. Quicquid igitur de improuido Legato dicit Baronius, in ipsum Papam totum refunditur, & in eum, licet obliquè, ab Iuone viro prudenti, vt dixi, & sagaci, illa omnia contorquentur. Neq, adeo rudis rerumque ignarus fuit Vrbanus Papa, quin ea omnia in se dicta ac contorta probè cognouerit: ideoque humanum passus, vt ait Baronius, *to.*11. *an.*1099. *n.*11. non vt legatum suum tueretur, ac ipsius, si qua fuisset, imprudentiam defensaret, sed quia se acrius ictum sentiebat, in Iuonem excanduit vehementissimè, tum quod inuestituras vt legitimas, exactа penè, licèt breui, instituta disputatione defenderit, quas Gregorius & Vrbanus sumpserant exterminandas, tum quod obliquè auaritiam & simoniam Romanam suggillarit, artē Romanam innuēs, propterea videlicet electos ab inuestituris Regiis accipiendis prohiberi, vt soluta pecunia dispensationes ab ista prohibitione quærerentur, & impetrarentur, quæ dispositiones à Legato proculdubio non poterant haberi. Neq. Legatus ille est, de quo loquitur Iuo: in manu Præsidentium esse, pro inuestituris acceptis, vel punire vel relaxare.

LXIX. Imo non aliunde, quam è profundo auaritiæ gurgite haustum fuisse à Gregorio, & sequacibus, nouum hoc inuentum præterquam quod effectus, quos innuit Iuo, videantur non improbabiliter id ostendere, apertè viri Catholici illis temporibus & senserunt, & scripserunt. Narrat Matthæus Paris, Anselmum Cātuariensem, Papæ iussu, degradasse quosdam Abbates, eo quod à Rege inuestituras accepissent, ex quo à Rege ille multas tribulationes, & iniurias sit passus, *ad an. Do.* 1103. Romā, *inquit*, pertexit (*Anselmus*) sicut inter ipsum, & Regem conuenerat, ducens secum degradatos Abbates, & Willelmum Vintonensem electum: qui Romam veniens à Papa Paschali susceptus est reuerenter, dehinc die pro Regijs constituto negotijs, Willelmus de Warenast, clericus, & procurator Regis Anglorum, causam ipsius in medium tulit, ac inter alia constanter allegauit, quod nec ipse pro Regni amissione inuestituras Ecclesiæ amittere velit, & hoc verbis

mina-

minacibus affirmauit. Ad hæc Papa; si quemadmodum dicis, Rex tuus, nec pro Regni amissione, donationes Ecclesiarum amittere pateretur, scias præcisè, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione, eas illi impunè permitterem obtinere. In his ergo Regiane-gotio terminato, Anselmus Archiepiscopus pro Episcopis, & Abbatibus degradatis. multa precum instantia dominum Papam rogare cœpit, vt cum illis misericorditer dispensaret, vt possent amissas recipere dignitates. Tunc sedes clementissima, quæ nulli deesse consueuit (dūmodo aliquid albi, vel rubri intercedat) præscriptos Pontifices & Abbates, ad pristinas dignitates reuocauit, & cum gaudio ad proprias sedes remisit.] Hæc Paris libere & confidenter.

LXX. Willelmus Malmesburiensis, in vita Willelmi secundi, loquens de Herberto, qui Abbatiā quādam fuerat à Rege nummis aucupatus, ait: Verumtamen erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia: Romā profectus seuerioribus annis; vbi loci simoniacū & baculū & annulum deponens, indulgētia clementissimæ sedis. iterum recipere meruit: quod Romani sanctius & ordinatius censeant, vt Ecclesiarū omniū sumptus suis potiùs marsupiis seruiant, quā quorumlibet Regū vsibus militent.] Quis dixerit, hos tres insignes eiusdē fermè temporis Scriptores simul in sedem Apostolicam malignis animis, vt eam carperent, cōspirasse? Certe satis apertam occasionem ipsa sedes Apostolica murmurādi præbuit, dum ex vna parte, prætextu potissimum simoniæ, Inuestituras Regib. eripere laboraret, & eas rigidè prohiberet; ex alia vero parte inuestitos à Regibus, soluta ipsi Pōtifici pecunia, in sedibus cōfirmaret. Ob hanc pecuniariam Simoniacorum per Papam confirmationem, Iuo se scandalum graue perpessum, satis apertè significauit: Et similiter postea Cusanus, *de concord. cathol. l. 3. c. 29.* quod Paris & Willelmus irrisione quadam tetigerunt. Quid autem hoc in genere citra peccatum simoniæ pro bono communi, & sustentando Regno, possint Reges, ostendit idē Willelmus. Vtinam tam vtiles essent, & tam iustæ, & tam remotæ à simoniæ crimine annatæ, & insanæ in Romanatacia largitiones, ac bullarum expensę, & pensiones. Merito sanè suspicari licet, Inuestituras laicis Principibus erepti, vt earū duplicata & triplicata precia ad ipsum Rom. Pont. pertrahantur: regna vero suis iustis præsidiis spolientur. Sed nostri Reges iam dormiunt, & stertūt, vt melius ille inualescat, qui ipsis diademata etiam eripere se iure posse profitetur, ac vires acquirat, quib. possit etiam hoc reipsa effectum dare. Sed ad Iuonem redeamus.

LXXI. Vrbanum Inuestituras corporales, non electiones Regib. prohibere asserit, *ep. 60.* neq; concessiones. Ego tamen nescio prorsus, q discrimen sit inter Inuestituram corporalem & concessionem. Illud tantùm aduerti, plerosq; Ecclesiasticos, postquā ad temporalia animum serio applicuerunt, semper toruis oculis aspexisse Principes Ecclesiarum collatores. Initio igitur ab electionibus conati sunt eos remouere, potiùs contēti, vt peracta electione, Regum assensus requireretur, dummodo electionibus non se immiscerent: quod tamen sæpe prius in antiqua fecerunt Ecclesia, prout iam ostendi: Vt nimirum Imperator personā designaret, & deputaret, Episcopi vero tantum consecrarent. Obtenta igitur à Principibus libera electione, cum obligatione expectandi regium assensum, seu confirmationem, Reges hunc assensum voluerunt signis externis exhibere, & iam ipsum assensum concessionem vocarunt: vt tunc tandem electus in possessionem actualem & corporalem diceretur ingressus, quando regias obtinuisset literas, cum insignis possessionem præsenti in regaliom & prædiorum, aliorumq; bonorum temporaliom, exprimentibus. Et hæc est ipsa concessio, & Inuestitura. Rursum itaq; post Gregorij septimi conatum, has concessiones, seu Inuestituras Regibus ab Ecclesia in locum electionis cessas eripere cupiens, Vrbanus videns se non posse vtrumque auferre, quod Gregorius in cassum tentauerat, Inuestituram auferre voluit, & electionē relinquere: quia ex electione sola nihil emolumenti haberi potest, cum electus nondum sit Dominus bonorum Ecclesiæ sibi designatæ: sed ex concessione, seu Inuestitura, seu possessione temporalium, quando iam potest Inuestitus aliqua solutione suum Inuestitorem recognoscere. Interim apparet neq; exigua, neq; sincera Ecclesiasticorum instabilitas: vt modo vnum velint à Principibus, modo alterum, modo neutrum. Cum tamen alterutrum sit, vt ego arbitror, Principibus sufficientissimum. Vt vel ipsi personas eligant, vel ab Ecclesiasticis electas, in electione confirment: Integro tamē semper solis Ecclesiasticis manente iure consecrationis.

LXXII. Displicebat summoperè Gregorio, & postea aliis, Reges per baculum, seu ferulam, & annulum Episcopos inuestire. Sed optime Iuo insurgit supra no. 63. Concessio Regibus relinquitur, neq; eis negari debet, aut saltem electio: Quid vero refert, si hæc fiat siue manu, siue nutu, siue lingua, siue virga?] Hoc autē quā præposterum & absonum, rem ipsam pati, ceremonias vero externas, nihil rei addentes, sed tantum vmbratili quadam imagine rem ipsam exprimentes abominari, & propter tricas, ne dicam lanam caprinam, cœlū terris miscere, inter Regnum & Sacerdotium bellum implacabile accendere, innumerabilibus denique periculis, & damnis etiam spiritualib. in fide, & religione, occasionem præbere? Huc accedit etiam, quod hę ipsæ ceremoniæ fuerint passim ab antiquo vsitatæ. Nam Otto Frisingensis *de gestis Frider. 1. l. 2. c. 5. 6.* scribit, Episcopatum conferri ab Imperatore per sceptrum, regna per gladium, & prouincias per vexillum.] Et priscus innominatus Autor vitæ S. Romani Episcopi Rotomagensis ad eiusdem stilo ita scribit: *apud Iuret. ad Iuonē ep. 157.* Quo Rex gratulatus consilio, cōuocatis tam Episcopis, quam Abbatibus, baculum illi contulit pastoralem. Inthronizatur ergo Pontificali apice, &c.] Contigit autem hoc circa annum Domini 620. Et Otto secundus *apud Surium die 23. Apr.* Adelbertum, virum sanctum, ad Episcopatum Pragensem euexit, & eū pastorali virga inuestiuit.] Cur ergo Hildebrandus, & sequaces voluerunt plus prudenti antiquitate sapere?

LXXIII. Videamus nunc an Iuo suam illam Epistolam, aliis Epistolis correxerit? An potiùs semper magis confirmarit. Paschalis sanè Papa, huius nominis secundus, cùm se à Gregorio & Vrbano, prædecessoribus suis, in angustias redactum, ac in labyrinthum iniectum, propter Inuestituras Imperatorum & Regum, cerneret, tot molestiis inde contra eum suscitatis oppido fessus, Inuestituras cessit Imperatori. Ortum est inter Ecclesiæ proceres, qui plus saperent, quam oporteat sapere, *Rom. 12. 3.* ingens scandalum, adeo vt cōtra Paschalem iam Concilia alicubi indicerentur, vt eum condemnarent, qui hæresim (id enim stultè putabant esse Inuestituras) approbasset. Insurgit denuo Iuo aduersus Lugdunensem Archiepiscopum, qui pro hac re Concilium Regni indixerat: & primum tuetur Paschalem, sedis dignitate, & primatu, quod nullius iudicio debeat substare: ostendit deinde Inuestiturarum prohibitionem solo iure positiuo Ecclesiastico haberi, & latam esse, (noluit ob reuerentiam, nullitatem huius prohibitionis, imo & iniustitiam proferre) ac propterea potuisse Papam iusta ex causa, ad vitanda multa mala,

& strages hominum, in tali præcepto dispensare. Sicq; disputat. *Ivo ep.236.*

LXXIV. Postremo quod quidam Inuestituram hæresim vocant, cùm hæresis nõ sit, nisi error in fide; sicut enim fides cordis est ad iustitiam, oris autem cõfessio ad salutem, *Rom.*10.10. ita hæresis error est ad impietatem, professio vero eiusdem erroris est ad perniciem; Et fides & error ex corde procedunt. Inuestitura vero illa, de qua tantus motus, in solis est manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt. Ad hæc si Inuestitura hæc hæresis esset, ei renuncians, sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum, multas honestas personas, purgato illo næuo per quamlibet satisfactionem *(innuit pecuniariam)* pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam, refutatas Inuestituras recepisse. Quod summi Pontifices minimè fecissent, si in tali Inuestitura hæresim, & peccatum in Spiritum Sanctum latere cognouissent. Cùm ergo ea, quæ æterna lege sancita non sunt: sed pro honestate & vtilitate Ecclesiæ instituta, vel prohibita, pro eadem institutione ad tempus remittuntur, pro qua inuenta sunt: non est Inuestiturarum damnosa præuaricatio, sed laudabilis, & saluberrima dispensatio. Quod enim multi minùs studiosi minimè attendant, ante tempus iudicant, spiritus mobilis, & spiritus immobilis non intelligentes differentiam. Si quis vero laicus ad hanc prorumpit insaniam, vt in datione & acceptione virgæ putet se tribuere posse Sacramentum, vel rem Sacramenti Ecclesiastici, illum prorsus iudicamus hæreticum, non propter manualem Inuestituram, sed propter præsumptionem Diabolicã.] Hæc Iuo. Nam & laicales Inuestituras, ex hac sola sacri Ordinis causa, reprehendit etiam Autor quidam, qui sic loquitur: *Aug. ad frat. de herem. ser.*37. Non intrat per ostium ad Ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini vicarijs.] Spirituale donum intelligit potestatem ordinandi.

LXXV. In hac ego disputatione illud maximè obsecro, Inuestituras ex Iuonis sententia, non esse malas ex se, neque in se continere vllum errorem, aut vllam iniustitiam. Sed si malæ sunt, ideò tantùm malas esse, quia sunt prohibitæ. Ideoque dicebat quasi subsannans, in illis peccatum in Spiritum Sanctum non inuenisse Romanos Pont. qui sola data dispensatione, illas permitterent, & confirmarent. Similiter asserebat, Inuestituras non esse ex ijs, quæ æterna Dei lege vetentur, hoc est, in se malitiam, ex suo genere, eas nullam habere, ita vt si quis eas dederit, contra diuinã legem, siue naturalem, siue positiuam, sit peccaturus. Sed eas pro sola honestate & vtilitate Ecclesiæ fuisse nuper prohibitas. Quib. verbis, honestatis, & vtilitatis Ecclesiæ, voluit fortasse Iuo argutari, & per vocis ambiguitatem submordens innuere, vt supra, auaritiam & ambitionem. Quia ergo occultè iam satis pupugerat Romanos Pontifices, & iterum erat statim eos ferè apertè puncturus: pergit, præmisso specie tenus officioso quodam causæ Papalis patrocinio & blandimento, hanc in formam.

LXXVI. Si vero congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere, quod manualis illa Inuestitura per laicos facta, alieni iuris est peruasio, & sacrilega præsumptio, quæ pro libertate Ecclesiæ & honestate, saluo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est: vbi ergo sine schismate auferri põt, auferatur; vbi sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur: Nihil enim tali peruasione deminitur Sacramentis Ecclesiasticis, quo minùs sancta sint; Quia apud quoscunq; sint, siue apud eos, qui intus, siue apud eos qui foris sunt, eadem ipsa sunt.] Et concludit; Hæc scripsimus dilectioni vestræ, parati refelli sine contumacia, si meliùs his, quæ scripsimus, nos docuerit prudentia vestra, quod munitum sit scriptura canonica: Valete.]

LXXVII. Imprudentiam & indiscretionem reperit Iuo, vbi pro Inuestiturarũ oppugnatione schismata excitantur; ad quæ vitanda, Inuestituras omnino esse intactas relinquendas censet quamdiu schismata timeantur, cum illæ contra fidem & sacraméta nihil efficiant. Dũ vero supponit, imo & expresse asserit, Inuestituras esse alieni iuris peruasiones, & sacrilegas præsumptiones, blandimentũ vt dixi, præmisit, quo Romani Pontifices imprudentiæ & indiscretionis ab eo statim sugillandi, nonnihil mitigarentur, audientes Inuestituras ipsas, & malas, & iniustas, & sacrilegas reprehendi. Nam id reuera Virum doctũ sensisse, & ex animo ac serio dixisse, nulla est probabilitas, imo aperta improbabilitas. Tota enim præsens disputatio fuit, Inuestituras ex se malas non esse, & nullum in eis peccatum contra diuinam legẽ æternam cõtineri. Quomodo ergo sunt alieni iuris sacrilegæ inuasiones? certé inuadere ius alienũ, ac præsertim sacrum, vel maximè est contra legem æternam Dei, & ex suo genere malum, & ideo prohibitum, quia malũ, non vero ideo malum quia prohibitum. Voluit igitur nonnihil palpare, & blandire Pontificibus, & eorum imprudentiam, ne pusilli scandalizarentur, contegere, vt fecit in alia epistola, inter respondendum Abbati Angeliacensi. Quæsitus enim vt diceret, quid sentiret de Inuestituris Principum, eo tẽpore adeo exagitatis? Respondet,

LXXVIII. De Inuestituris Ecclesiarum, quas laici faciunt, sententiam præcedentium Patrum Gregorij & Vrbani, quantum in me est, laudo atq; confirmo. *ep.* 233. Quocunq; autem nomine talis peruasio propriè vocetur, eorum sententiam, qui Inuestituras laicorum defendere volunt, schismaticam iudico.] Quid enim diceret, qui verenda Patris omnino velare statuerat, non nudare? Propterea nihil ibi disputat, nullam sui dicti affert rationem; nullam probationem: quia in vulgus edebat aliquid æquiuocum, quod deuotio erga Romanos Pontifices illæsa conseruaretur. In actione enim confirmandi, & defendendi, latet æquiuocatio: Nam confirmabat Iuo opinionem Gregorij & Vrbani, vt, si fieri posset, eriperentur Inuestituræ de manu laicorum, Principibus tamen in hoc consentientibus, & sponte cedentibus, defensores vero Inuestiturarum schismaticos esse pronunciat, eos nimirum, qui pro tuendis Inuestituris schisma facerent, & Ecclesiasticam abrumperent vnitatem: poterant enim Principes, salua vnione Ecclesiæ, Inuestituras suas defendere & tueri: imo eas ipsas Iuo egregiè, vt supra vidimus, iure defendit & tuetur; & tamen se schismaticum esse profecto non consentiet. Et in fine huius Epistolæ illud habet: Hæc de proposita quæstione respondeo, maiorum sententijs non præiudicans, quæ paci Ecclesiæ consulant & ædificationi.] Quæ verba retractationem continent iam datæ suæ sententiæ, si quis eam in sensu Inuestituras absolutè condemnante acciperet. Ita enim eam sententiam vult esse accipiendam, vt tamen nihil præiudicet ijs, qui Inuestituras imprudenter oppugnari censent, vbi ex tali oppugnatione pax & ædificatio Ecclesiæ turbatur. Vbi tacitè suam hac de re supra positam confirmat disputationem. Sin Iuo noster absolutè laudet & confirmet Gregorij & Vrbani sententiam, Inuestituras electis omnibus sub grauissimis pœnis prohibentem, cur ipsemet vir bonus & sui similis, huiusmodi præcepto posthabito, Inuestituram sui Episcopatus Carnotensis de manu

Regis accepit? Neq; verò vim sibi factam potest obtendere, vbi facilè poterat repugnare: *ep.* 8. Cum clericorum, *inquit*, primo ingenio, postea violentia Regi fuissem præsentatos, & inde cum virga pastorali à Rege mihi intrusa, ad Ecclesiam Carnotensem adductus, &c.] Videmus ergo Iuonis sententiam in disputatione superiori, ad Ioannē Lugdunēsem positam, nunquam fuisse in alijs epistolis correctam, sed semper & facto & dictis confirmatam. Sed non propterea gloriosum nomen, quod ex Catholicæ veritatis iusta, nō ex Apostolicæ sedis iniusta defensione sibi dignissimè comparauit, in discrimen vllum adduxit. Quod ineptè Baronius affirmabat.

LXXIX. Fuit tamen, vt vult Baronius, *tom.* 12. *an.* 1111. confutata Iuonis sententia ab eodem Ioanne Archiepiscopo Lugdunensi; & sanè acquieuisse Iuonem scriptis à Ioanne. Inde, *inquit*, sumimus argumentum, quod, cùm in hoc suæ epistolæ Ioannes ista posuerit; *apud Iuon. ep.* 237. Hæc tuæ dilectioni sub breuitate rescripsimus, aduersus quæ si quid parare volueris, hoc communis, sine minus, audire & respondere parati sumus? Ipse Iuo nihil respondisse reperitur, imo, quod in alijs hactenus non fecisset, ad eclarij epistolam perire nolens, cùm suis consuit, vt cum eis perpetuo seruaretur, iudicans illam dignam memoria sempiterna.] Hæc Baronius.

LXXX. Paucis hisce verbis, satis pro Ioanne magnificis, & in depressionem Iuonis, ac ipsius doctrinæ prolatis, multa obijci possunt. Primum supponit pro certo, collectionem hāc, quæ circumfertur, epistolarū Iuonis, fuisse ab ipsomet Iuone factam, qui inter suas Epistolas ad æternam memoriam, pro sui confusione, conlucere voluerit epistolam respōsiuam Ioannis Lugdunensis: hoc tamen incertum planè est, & probationē indiget: imo collectionem à studioso aliquo factam fuisse post Iuonis mortem, optimè obseruat Iuretus, *init. obseruat. ad ep. Iuonis*, ex eo, quod volumen hoc epistolarum varijs editionibus varium fuerit, & aliud alio aucius, aliud verò alio ordinatius: quod si primum ab ipso Autore digestæ fuissent, non tantam passæ fuissent variationem.

LXXXI. Deinde supponit etiam, & perperam, Ioannem Lugdunensem ad Iuonem suam illam respōsionem direxisse, & Iuonem in fine ad altercandum super illis prouocasse: Cùm tamen, sicut Iuonis illa Epistola ad Ioannem, nō fuit missa sub nomine Iuonis, sed sub nomine Daimberti Archiepiscopi Senonensis, & aliorum Episcoporum illius Metropolis suffraganeorum, ita responsio Ioannis ad solum Daimbertum fuit ab ipso Ioanne directa: qui semper Daimbertū alloquitur, non Iuonē. Ad eum n. illa spectant, Vtinā igitur, carissime frater, serio dixisses, te nolle aut audere antiquos terminos à Patribus positos, transgredi, terminos vero Lugdunensis Ecclesiæ ac Senonensis, ab antiquis Patribus positos, vniuersa pene nouit Latinitas.] Et illa, Sed & forsan formidas, quod iura tui præsulatus annullare velimus: Nihil ad iura tuum, siue Ecclesiæ tuæ ius pertinens vsurpare volumus: solam obedientiam, quā Metropolitanus Primati suo debet, à te charitatiue requirimus.] Carnotensis verò Episcopus non est Metropolitanus; sed Senonensis. Illa etiam: Meminisse potes, quia ex quo amicitiam & familiaritatem Lugdunensis Ecclesiæ recuperasti, gratulantes te vidit, &c.] De dissensione inter Iuonem, & Ecclesiam Lugdunensem nihil extat: apparet tamen fuisse dissidium inter Daimbertum Archiepiscopum Senonensem, & Hugonem Lugdunensem; ille enim ante sui consecrationem nolebat obedientiam Hugoni tanquā Primati, profiteri, vt habemus in ipsius Iuonis epistolis: *ep.* 60. 65 & inter has duas Ecclesias fuit, & prius de primatu, certamen. *ep.* 50. Merito igitur vltima editio inscriptionem etiam correxit, vt epistola sit Ioannis Lugdunensis, ad Daimbertum Senonensem, non ad Iuonem.

LXXXII. Ad hæc obijcitur, non adeo vehementem esse Ioannis epistolam, adeoq; rationibus & autoritatibus instructam, vt ea conuictus cogi potuisset Iuo acquiescere, etiam si ad ipsum scripta & missa fuisset. Tædio essem, si vellem ad examen illam reducere; nam in quibusdam Iuonis in eum querelis, dat manus, ac cedit, excusans se: in alijs verba cumulat, & exempla profert, quæ graues patiuntur obiectiones: in quæstione de autoritate Primatis, sicut, meo iudicio, melius sensit Lugdunensis, quam Senonensis, ita frigidius suum tractat argumentum, adeoq; ieiunè, vt non conuincat. Quod vero ad inuestituras spectat, nō est omnino prætermittendum: nam quod erat præcipuum controuersiarum caput, ab Iuone satis exactè, pro quantitate epistolæ tractatum, ad hoc se paucissimis Ioannes expediuit, scribens: *apud Iuonem ep.* 237.

LXXXIII. Quod autem eos arguis, qui inuestituras Ecclesiasticarum dignitatum per laicos factas inter hæreses computant, non satis efficaciter facere videris. Quamuis enim, sicut Catholica fides in corde, ita & hæreticus error in corde maneat, tamen sicut ex Catholicis operibus Catholicum sensimus, ita ex hæreticis operibus hæreticum cognoscimus. *A fructibus eorum*, inquit Dominus, *cognoscetis eos*: *Matt.* 7. 16. & vnaquæq; arbor ex fructu suo cognoscitur. Et licet exteriores inuestituras per laicos factas, nō satis propriè hæresis nomine censeamus, sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est. Quod autem nonnullis indultum esse dicis, quod de laicorum manibus inuestituras acceperint, quasi ad palpandum & extenuandum hoc crimen, noueris scriptum esse, quia quod lex in præsenti indulget, in posterum vetat. Vnde constat, quia omnis indulgentia præteritorum criminum, futurorum cautela est & prohibitio.] Hæc Ioannes de inuestituris: & nihil amplius. Paratos se esse, scripserant Senonenses comprouinciales, hoc est Iuo ipsorum nomine, *ep.* 236. mutare opinionem sine contumacia, si Ioannes aliquid meliùs scripserit, quod munitum sit Scriptura Canonica: Hæccine sunt igitur meliora, & melius fundata scripta, & rationibus ac Scripturis confirmata, quibus Iuo acquiescere cogatur? Ipse expressè docuit sola humana prohibitione inuestituras esse malas, & consequenter, seclusa prohibitione, Principes posse licitè illas facere: hoc Ioannes dicit esse indubitatam hæresim. Sed nihil probat.

LXXXIV. Concedamus demum Baronio, & Ioannem ad Iuonem scripsisse: & Iuonem epistolam Ioannis inter suas censuisse, dicimus tamen nihil eum respondisse etiam ab Ioanne inuitatum, nó quia acquieuerit scriptis Ioannis, sed quia necessariam nullam censuit esse responsionem, vbi ipsius tractatus à scriptis Ioannis pateretur: ideoque suæ epistolæ Epistolam Ioannis, vti parallelam, apposuisse, ad hoc, vt opposita iuxta se posita magis elucescerent, & ex alienæ lucubratiunculæ satis frigidæ tenuitate, quasique vmbris, eminentiores redderentur viui colores suæ disputationis, & sic ex Ioannis opposita & apposita inani Epistola ipsa Iuonis dignior adhoc redderetur memoria sempiterna.

LXXXV. Neque his Iuo contentus, sæpe alias deplorauit Ecclesiæ ruinam, quod ex solis inuestituris, quæ nihili essent faciendæ, scandala grauissima & damna publica sequerentur. Eas vero omnino Principibus sub nomine dispensationis relinquendas esse perpetuo declamabat. Quod enim ex Iustitia Principi-

bus deberi & sciebat, & sæpiùs docuerat, hoc Pontificiæ existimationi consulens, dispensationis nomine velandum proponebat. Audi querulas ipsius voces ad Brunonem Belgicorum Episcopum: Videmus, *inquit*, *Ivo ep.* 214. scissum Regnum, & Sacerdotium, quibus tanquam principalibus & fortioribus paxillis Tabernaculi DEI status firmiter figebatur, ne vllo impetu procellarum & turbinum euerteretur. In tanta scissura, in tanta procella florere & fructificare non potest mater Ecclesia, de qua dicitur: *Vna est columba mea, sponsa mea*: Ad hanc vnitatem resarciendam laborare debent membra Christi, quæ medicinaliter ferro putredines istas resecarent, aut competenti dispensationis malagmate, tantam scissuram procurarent solidare. Non enim in tanto salutis periculo solus medicinæ rigor seruandus est; sed & dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit, ad sedandas tantas perturbationes, in aliquibus admittendus est: Monente enim Cyrillo Alexandrino, 1. q. 7. c. *Dispensationes*. Sicut nautæ in mari periclitantes, cùm non habent spem seruandorum omnium negotiorum suorum, quædam proijciunt, vt quædam seruent: sic in dispensationibus Ecclesiasticis, vbi non periclitatur fidei veritas, & morum honestas, (*Inuestituras ergo non esse contra fidem, neque contra bonos mores, censet Ivo*) quædam instituta temperare debemus, vt tantis Ecclesiæ ruinis subuenire valeamus. Sic enim vela cilicina in Tabernaculo Dei bysso, & purpura, cocco, & hyacintho supposita, imbrem, & puluerem in se admittebant, vt decorem interiorum ornamentorum ab imbrium madidatione, & pulueris offuscatione conseruarent. Facit hoc Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum; 1. *Pet.* 4. 8. quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis vritur, 2. *Cor.* 11. 29. & omnibus omnia fit, vt omnib. prodesse mereatur. 1. *Cor.* 9. 10. Vnde à subditis non debet reprehendi prælatorum dispensatio, si saluo fidei fundamento, & nota communi regula morum, aliqua infirma faciunt, aut tolerant, (*Hæc pro excusatione Paschalis*) vt vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conseruare præualeant. Vnde B. Gregorius in libro pastorali, Si tu intus, vt coccus, rutilas cilicium quo protegeris cur accusas? Sic enim & misericordiam, & iudicium Domino cantamus: iudicium cùm vitiis omni seueritate resistimus, misericordiam vero, cum rigorem disciplinæ vtili compensatione temperamus. Hæc dicendo prudentiam maiorum meorum, & coepiscoporum meorum non doceo, sed tanquam de longo sopore, monente charitate, excitare desidero, vt tandem quisque pro persona, quam portat, tantis ruinis occurrat, ne pro suo silentio tanquam mutus canis intereat.] Solus quippe Ivo conatus contra Inuestituras Principum vanos esse, & non necessarios, imò Ecclesiæ perniciosissimos, sentiens, cupiebat reliquos Prælatos excitare, vt omnes simul conatus hosce Pontificios reprimerent, & ei ex aduerso, modestè tamen, & duce ratione, non schismatis mucrone insurgerent, Pontificesq; à cœptis desistere persuaderent, & si quantum possent, etiam cogerent.

LXXXVI. Deniq; si nullo alio nomine Inuestituræ Principum vt iustæ & legitimæ defendi possent, quibus eos Ecclesia nullo modo priuare possit, licet possit corrigere abusum: optimè defenduntur ratione bonorum temporalium, prædiorũ, & possessionũ, ac multo magis ratione Regalium, vbi Ecclesiasticis cōcessa sunt oppida & Ciuitates, cum iurisdictione temporali. Nam ratione horum, iam innui, Ecclesiasticos omnino subdi Regibus, & ab ipsorũ, sicut ipsa bona terrena, ita etiam Ecclesiasticos ea tenentes pendere potestate. Id enim ex Origene, Hilario, Augustino, Basilio, Ambrosio, & multis conciliis, probabo *lib.* 10. Nolite dicere, aiebat Augustinus Ecclesiasticis, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per iura Regum possidentur possessiones.] Si iure Regum Ecclesia possidet temporalia, profectò à Regibus ea debent Ecclesiastici accipere: atq; ex hoc capite temporalium & Regalium Inuestituras ad Reges pertinere, & doctores tradiderunt, & Imperatores sunt professi.

LXXXVII. Bernardus, quo tempore maximè Inuestituræ huiusmodi turbabant Ecclesiam, eas ex hoc capite Regalium, libenter Regibus concedebat. Certiorem enim reddens Innocentium Papam de turbis quibusdam Ecclesiæ Lingonensis, propter electionem, illud de illegitimè & perperam electo refert: *ep.* 164. Interim nempe homo, qui & consecrationem fugerat, & electionem refutarat, festinauit ad Regem, Regalium Inuestituram obtinuit, quibus meritis, *ipse viderit*.] Non reprehendit, quòd à Rege Inuestituram acceperit, sed quod immeritus eam acceperit. Si enim dignũ cognouisset, & ritè electum, Inuestituram nequaquam erat reprehensurus. Videmus igitur, tunc Regibus Inuestituras propter regalia fuisse relictas. Atque in hoc neq; Bernardum, neq; Innocentium, cuius Bernardus erat adiutor fidelissimus, vel minimum repugnasse. Rursum idem Bernardus de Monacho quodam suo ad eandem Lingonensem Cathedram electo legitime, ita ad Regem Ludouicum scribit: *epist.* 170. Electio ritè celebrata est, electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra, & non per vos habere vellet. Necdum prorsus se intromisit de aliquo, quanquam inuitatio cleri, & populi & oppressorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementissimè flagitauerint.] Electus itaque, quantumuis legitime, Ecclesiam arripere neque poterat, neque audebat, tempore adhuc Bernardi, nisi obtenta à Rege priùs confirmatione, & Regalium concessione, quæ est ipsa Regalis Inuestitura. Imò & fidelem Regi fore negat Bernardus, si quis vellet Episcopatum, & non de Regijs manibus accipere. Idem etiam alibi illud habet: *ser. ad past. in fine*. Duplex est dominium Prælatorum: Habent enim claues Ecclesiæ quibus claudant & nemo aperit, aperiunt, & nemo claudit. Habent & Regalia, quia Domini sunt Vrbium, Oppidorum. Nec solum Episcopatus, sed & consulatus habent, vt merito eis dicatur, *Isa.* 5. 4. *Quid vltra debui facere, & non feci?* sed quod datum est illis in adiutorium, factum est illis in scandalum.] Episcopi igitur, vt Episcopi, sunt Ecclesiæ: vt consules, sunt seculi. A Regibus ergo seculi consulatum debent agnoscere, & recipere.

LXXXVIII. Goffridus Abbas Windocinensis, eorundem temporum scriptor, De Inuestituris laicorum, tunc plurimùm exagitatis, scripsit tractatum ad Petrũ Leonis Cardinalem; In quo eas primùm nititur probare, hæreticas esse, & hæresim continere, cuius *apud Iuret. ad ep. Ivo.* 223. probationes omnes eo tendunt, vt doceant laicos non posse Sacramentum ordinationis conferre, & potestatem Episcopalem, quod tamen etiam *epist.* 236. Ivo docuit, nimirum hoc nomine inuestituras hæresim redolere, & esse insaniam, si à Principibus ad hoc conferantur. Postquam igitur multa Goffridus disseruit de hæretica Inuestitura, tandem concludit, quasdam esse Inuestituras laicis permittendas, vt vitentur publica schismata: & ait, *apud Iuret. ad Ivo. epist.* 236. Hoc etiam silendum non erit, quod sicut quædam Inuestitura laicorum est contra fidem, ita quædam Inuestitura eorum salua fide fieri potest.] Et aliquanto post; In Ecclesiasticis, *inquit*, possessionibus quamuis neque in legibus, nec in canonibus inueniatur, tamen propter scandalum,

& schisma vitandum talis Regibus Inuestitura conceditur, vt nec ipsi propter hoc pereant, nec sancta Ecclesia detrimentum patiatur.] Et inde: Alia vtique est Inuestitura, quæ Episcopum perficit, alia vero quæ Episcopum pascit: Illa ex diuino iure habetur, ista ex iure humano: subtrahe ius diuinum, spiritualiter Episcopus non creatur; subtrahe ius humanum, possessiones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi à Regibus donaretur, & ab ipsis, non quidem diuinis Sacramentis, sed possessionibus terrenis inuestiretur. — Ex iure humano tantum Regibus debemus, quantum possessiones diligimus, quibus ab ipsis vel à parentibus suis Ecclesia ditata & inuestita dignoscitur. — Possunt itaque sine offensione Reges, post electionem canonicã & liberam consecrationem, per Inuestituram Regalem in Ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium, & defensionem Episcopo dare; quod quolibet signo factum extiterit, Regi, vel Pontifici, seu catholicæ fidei non nocebit.] Exaggerat que statim hic Auctor, incommoda, & damna, si inde schismata fiant & permittantur; ac Regnum & Sacerdotium, dum vnum ab altero impugnatur, vtrumque periclitari. Ea que occasione Romanum Pontificem, vt possit cum Imperatoribus & Regibus simultates exercere, cogi se molestis subdere, & cogente necessitate, etiam indecenter inseruire; ac pro libertate consequenda, quam non habet, libertatem quam habet amittere. Inde etiam digreditur in acriorem reprehensionem abusus censurarum, & quod excommunicationibus in Reges esset parcissimè & vix vtendum. Idem etiam Goffridus ad Paschalem Pontificem eadem salutaria transmisit monita, ita scribens, *apud Iuret. ad epist. Iuon.* 191. Habeat Ecclesia suam libertatem, sed summopere caueat, ne, dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur. Hoc est præcipuum discretionis membrum, ne quis qualibet actione Ecclesiæ à Sathana circumueniatur. Tunc enim à Sathana quis circumuenitur, quando sub specie iustitiæ illum per nimiam tristitiam perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam.] Indiscretionem taxat, ac rei rotatæ iniustitiam; & vt relinquatur, quod suum est, Regibus, sub specie indulgentiæ tacite suadet.

LXXXIX. Hic ergo tibi, Lector, rem maxime obseruandam propono, vt Caroli Magni in ditandis Ecclesiis consilium prudens, sed humanum, animaduertas; ex eoque colligas, quàm merito Reges propter dicta Regalia tanquam vasallos debeant sibi Episcopos & Abbates, aliosque Ecclesiasticos Prælatos, imo & ipsum Romanum Pontificem, subiicere; & quàm immerito Papæ & Ecclesia eximere se ab hac subiectione adnitantur; ac retinere velint nihilominus ipsa Regalia, & illa ad debellandos ipsos Principes, sibique suos dominos, cum sint eorum Vasalli, subiiciendos, côuertere. Audi igitur Caroli consilium à Villielmo egregie & obseruatum, & explicatum. [*Malmes. de gest. Reg. Angl. l. 5.*] Cum Vrbano Papæ Paschalis, *inquit*, successisset, *rursus* quęstio de Inuestituris Ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Episcopos, & Abbates Regni sui, quod citra môtes est, fautores habebat; quia Carolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia; omnes pene terras Ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile, quam laicos, fidelitatem Domini reiicere. Præterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis authoritate & potentiæ seueritate compescere.] Sed quod putauit Carolus sibi & successoribus fore in auxilium & firmitatem, hoc tandem versum est in scandalum. Et iam Papæ his temporibus aduersus Henricum Imperatorem, ipsiusmet Imperatoris vires, hoc est, prælatos eius Vasallos, conuertebant: Vnde & pergit Willelmus: Papa Vltramontanas Ecclesias suæ rationi subiecerat, parumque suscipiebant Vrbes Italicæ Henrici dominium, seruitio putantes se exutas post Conradi fratris eius interitum; qui à Patre relictus Lôgobardiæ in Regem, apud Aretium obierat diem. At vero Henricus antiquis Cæsaribus in nullo virtute deiectior, post pacatum regnum Teutonicum, præsumebat animo Italicum, rebellionem Vrbium subiugaturus: quæstionemque de Inuestitura suo libitu decisurus.] Hæc ille.

XC. Itaque ex vna parte Papa occasione Ecclesiasticæ superioritatis, ad temporalia Episcopatuum & Abbatiarum regalia adiecit manum, ad se Vasallagia auocãdo; ex alia, Prælati ipsi occasione bellorum, quibus Imperatores fracti sunt, & facti imbecilliores, eis rebellauerunt, vt se in libertatem vindicarent. Atque hinc Ecclesiastici, præsertim Romanus, [*Deut. 32.*] impinguati, incrassati, dilatati, recalcitrarunt. Et indies magis recalcitrabunt, quousq; Monarchiam, quã moliuntur, perducant ad fastigium. Prælatos tamen Ecclesiasticos ratione regalium, teneri & militare pro Rege, & ei tributa soluere, docuit satis clare ipse Hieromonarchiæ studiosissimus Gratianus; ait enim 23. q. 8. c. 20. §. *Ecce quod.* Sed notandum est, quosdam Episcopos leuitica tantum portione esse contentos: qui, sicut in sorte Dei tantum numerantur, sic ipsum Deum solummodo in hæreditatem acciperent, dicentes: *Psal. 15. 5. Dominus pars hæreditatis meæ*; his nihil est commune cum Principibus sæculi, quia tẽporalia penitus abiiciunt, ne eorum occasione legibus Imperatorum obnoxii teneantur. Talibus nulla occasio relinquitur occupationis secularis militiæ, quia, cum de decimis, & primitiis viuãt, tanquam filii summi Regis, in omni regno à terrenis exactionibus liberi sunt: ita vt dicere valeant, *Io. 14. 30. Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Porro alii sunt, qui non contenti decimis, & primitiis, prædia, villas, & castella, & ciuitates possident; ex quibus Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatem ab huiusmodi promeruerint: Quibus à Domino dicitur, *Matth 22 21. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo*: quibus eisdem Apostolus, *Rom. 13. 7. Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*] Hucusque Gratianus: ex quo audis, immunitatem bonorum Ecclesiasticorum, à benignitate Principum totam pendere; quod nos fuse vltimo huius operis libro probabimus.

XCI. Ex his ipsis Regalibus & temporalibus potissimum; sed etiam ex naturali obligatione, quam habent personæ quæcunque, præsertim publicæ, fidelitatis, ad suos Reges & Principes temporales, Reges ipsi ab antiquo soliti sunt ab Episcopis & Prælatis iuramentum fidelitatis & hominii, seu homagii, requirere & accipere: neque olim Ecclesia in hoc vel minimum quid restitit, vel hæsitauit, imo humiliter præstitit & obseruauit. Quod sane iuramentum fidelitatis, & hæc hominii præstatio, adhuc magis confirmant, legitimas esse Regum Inuestituras, in quibus iuramentum etiam fidelitatis, & obligatio personæ, per hominium ab Ecclesiasticis exhibetur.

XCII. In Concilio Toletano Quarto, iam ante mille annos morem fuisse apparet, vt Episcopi Regi fidelitatẽ iurarẽt: sic enim in eo statuunt Episcopi, c. 74. Quicunq; ergo ex nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione, vel studio Sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gothorum statu, vel

conſeruatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temerauerit, &c. anathema ſit.] In decimo ſimiliter Cõcilio Toletano, hæc habentur, *c.12.* Vt ſi quis religioſorum ab Epiſcopo, vſque ad extremum ordinis clericorum, ſiue Monachorum, generalia iuramenta in ſalutẽ Regiam, gentiſque, aut Patriæ data, reperiatur violaſſe voluntate profana, mox propria dignitate priuatus, & loco, & honore habeatur excluſus.] Moris ergo erat, vt Epiſcopi, & omnes alii Eccleſiaſtici ordines, iuramento generali fidelitatis ſe Regi obſtringerẽt: quod adeo approbat hoc Concilium, vt etiam pœnas Eccleſiaſticas valdè ſeueras iniungat pro illius obſeruatione roboranda.

XCIII. Turonenſe Concilium tertium ſub Carolo Magno, Primo omnium, *inquit, c.1.* admonemus cũctos, qui noſtro conuentui interfuere, *(proculdubio Epiſcopos)* vt obedientes ſint Domino excellentiſſimo Imperatori noſtro, & fidem, quam ei promiſſam habent, inuiolabiliter cõſeruare ſtudeant. Et in Aquiſgranenſi Cõcilio ſub Ludouico Pio, ita ſtatutũ inuenio, *c.2.cã.12.* Vt ſi quis Epiſcoporum, aut quilibet ſequentis ordinis Eccleſiaſtici, deinceps timore, aut cupiditate, aut qualibet ſuaſione à Domino, & orthodoxo Ludouico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promiſſum violauerit; & eius contrariis maleuola intentione quolibet modo ſe copulauerit: gradum proprium canonica atq; Synodali ſententia amittat.]

XCIV. Propterea Hincmarus Laudunẽſis Epiſcopus, temporibus Hadriani II. Papæ, circa annum Dom. 870. inter alias accuſationes, quas ab aduerſariis patiebatur, reus etiam læſæ maieſtatis fiebat; quod crimẽ vt à ſe amoliretur in publica Synodo, iuxta conſuetã formam, huiuſmodi ſponte emiſit fidelitatis iuramentũ, [*apud Baron. tõ.10 an.871.n.80.*] Ego Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, amodo, & deinceps Domino ſeniori meo Carolo Regi, ſic fidelis, & obediens, ſecundũ miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & Epiſcopus per rectum ſuo Regi eſſe debet, &c.] In alia Synodo nouus Rhemorum Archiepiſcopus ſimile, & ſolennius emiſit Sacramentum, dicens: [*Apud Iuret. ad Iuo. 190.*] Ego Arnulphus, gratia Dei præueniẽte Rhemorum Archiepiſcopus, promitto Regibus Francorum Hugoni, & Roberto, me fidem puriſſimam ſeruaturum: conſilium & auxilium ſecundum meum ſcire, & poſſe, in omnibus negotiis præbiturum; inimicos eorum nec cõſilio, nec auxilio, ad eorum infidelitatem ſcienter adiuturum: Hæc in conſpectu diuinæ Maieſtatis & beatorũ ſpirituum, & totius Eccleſiæ aſſiſtens promitto; pro bene ſeruatis laturus præmia æternæ benedictionis: ſi verò, quod nolo, & quod abſit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuertatur in maledictionem; & fiant dies mei pauci, & Epiſcopatum meum accipiat alter: recedant à me amici mei, ſintq; perpetuo inimici, &c.] Epiſcopi etiam in Regno Caroli Regis conſtituti, circa hæc tempora, huiuſmodi profeſſionem ſuo Regi ſinguli fecerunt: [*Apud Barõ. tom.10 an.873.n.4.*] Quantum ſciero, & potuero, adiuuante Domino, conſilio, & auxilio, ſecũdum meum miniſterium, fidelis vobis adiutor ero, vt Regnũ, quod vobis Deus donauit, vel donauerit, ad ipſius voluntatẽ, & S. Eccleſiæ, & debitum honorem regium veſtrum, fideliumq; veſtrorum ſaluationem continere, habere, & retinere poſſitis.]

XCV. Gregorius VII. nec caſſat, nec eludit, neque reprehendit, promiſſionẽ fidelitatis ab Epiſcopis Gallis, ſuo Regi fieri ſolitam; ſed potius admittit, atq; tacitè approbat, dum, quiddam, vt ex ea haud conſequẽs, remouendo, docet modum ipſam promiſſionem obſeruandi: obiurgat enim Epiſcopos Gallicanos, quod contra ſcelera Regis non inſurgant. Atque vt excuſationẽ eis tollat, ſi dicerẽt, ſe Regi iuramento fidelitatis obſtrinxiſſe, ait *l.2. ep.5.* Nam ſi prohibere eum à delictis, contra ius & reuerentiam promiſſæ ſibi fidelitatis eſſe putatis, lõgè vos fallit opinio: quoniam hoc omni ratione confirmare poſſumus, multo fideliorem eſſe, qui alium de naufragio animæ ſuæ vel inuitum retrahit, quàm qui in peccatorum gurgite, nocituo conſenſu, eum deperire permittit.]

XCVI. Antiqua igitur, & adeò iuſta fidelitatis iuramenta Regibus ab Epiſcopis & Prelatis merito, vt vidimus, debita; à Gregorio VII. primo inueſtiturarum hoſte, nõ reprobata, vt ab hoc Gregorio excitatum incẽdium propter inueſtituras Principum prohibitas adaugeret, & grauius faceret; Vrbanus proximus Gregorii ſucceſſor, oleum addens camino, ſimul cum inueſtituris, primus (vt videtur) auferre voluit, & ipſa etiam ſeorſim prohibere. In Concilio enim Claromontenſi, inter multos canonẽs, poſt canonem Regibus inueſtituram prohibentem, illum etiam adiecit; [*c.17. apud Barõ. tõ.11. an.1095. n.23.*] Ne Epiſcopus, vel Sacerdos, Regi, vel alicui laico in manibus ligium fidelitatẽ faciat.] In Romano etiam quodam Concilio, eaſdem innouauit prohibitiones, cum appoſita excommunicatione; tum ne Reges inueſtituras darent; tum ne Epiſcopi & Prælati, hominium Regibus facerẽt; vt refert Rogerus *apud Iuret. ad Iuo. ep.190.* in ſuis Annalibus. Et quia *Pſal.41.* abyſſus abyſſum inuocabat, ſequuta eſt poſt Vrbanum, etiam Paſchalis eadem prohibitio, his verbis, ad Anſelmũ Cantuarienſem, *Iuret. ibid.* Nuper in Synodo apud Lateranenſe conſiſtorium celebrata, Patrũ noſtrorum decreta renouauimus; ſancientes & interdicentes, ne quiſquã omnino clericus hominium laico faciat, aut de manu laici Eccleſias vel Eccleſiaſtica dona ſuſcipiat.] Habuit vero Anſelmũ in hac parte potius rigidũ, quam diſcretum executorẽ; qui inter Papã [*Malmesb. l.1. de geſt. Pontif. Ang.*] & Regem Angliæ ignem accendit funalẽ, ac pene inextinguibilem. Longè alium ſe Iuo præſtitit.

XCVII. Is profecto ſummi & elimati iudicii vir, cum probè animaduerteret harum inhibitionum temeritatem, iniquitatem, ſimulque grauius ſcandalorũ, quæ ſecum earum obſeruatio aduehebat, incẽdia, quæ Anſelmus in Anglia excitarat, prudenter admodum à Galliis propulſauit; poſthabitis enim huiuſmodi præceptis, veterem conſuetudinem voluit obſeruare. Non exiguam Rhemenſis Eccleſia paſſa fuerat procellam ex Geruaſio inuaſore, Radulpho legitimo Archiepiſcopo odium Regis patiente: Hunc Iuo in gratiam Regis inſinuauerat, & vt à Rege ſuæ Eccleſiæ reſtitueretur, effecerat: narrat vero Paſchali Papæ rem geſtam, & ait *epiſt.190.* Conuenientes in curiam, multiplicatis interceſſoribus, petitionem veſtram, ſemel & ſæpius replicauimus: ſed reclamante curia, plenariam pacem impetrare nequiuimus. Niſi prædictus Metropolitanus per manum & Sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quã prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorũ antea fecerant omnes Rhemenſes Archiepiſcopi. Quod perſuadẽtibus & impellentibus totius curiæ optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum eſt tamẽ, quia Eccleſiaſticæ paci, & fraternæ dilectioni ſic expediebat. Cum enim plenitudo legis ſit charitas, in hoc legibus obtemperatũ eſſe credimus, in quo charitatis opus impletũ eſſe cognouimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, vt hoc eodem intuitu charitatis & pacis, veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit, non æterna lex, ſed intentione acquirendæ libertatis, præſidentium ſola prohibitio. In exceſſibus ergo filiorum, vtili diſpenſatione, & cõpenſatione contractis, ſufficiat Patri verbum pro verbere, & deuota filiorũ ſupplicatio, pro ſummo reputetur ſupplicio. Si enim vult Apoſtolica authoritas omnia, quæ

medi-

medicinali condescensione dispensantur, districte iudicare: oportebit pene omnes ministros administrationibus suis renunciare, aut de mundo exire; nec habebunt vbi seminent spiritualia, nisi permittantur aliqua tolerare carnalia. Vnde necessitati temporum cedendum esse, Apostolica docet sublimitas, & orthodoxorum consuluit authoritas, dicens, *qu.7.c.Necessaria, & seqq.* Quia vbi populorum strages iacent, detrahendum est aliquid canonum seueritati, vt maioribus morbis sanandis, charitas sincera subueniat. Hæc dicendo tamen doctam paternitatem vestram non docemus; Sed eandem consulendo, & rogando monemus, vt ibi consilii, & pietatis studeatis visceribus abundare, vbi fas non est debitam fortitudinē exercere.] Hæc Iuo: qui, vt vides, semper idem & sibi similis, in prohibendis istis Inuestituris, & hominiis, nō exiguam semper agnoscit absurditatem, & eas nihil in se mali continere confirmat, nisi ex sola humana Pontificum prohibitione. Non paruit prudens Iuo: & pacem in regno conseruauit: in quo hodieque Episcopi (vt audio, & lego) iurant Regi hominium & fidelitatem.

XCVIII. Quid verò præceps Anselmus? Audi *Malmsb. vbi supr.* Verumtamen cum Rex (*Angliæ*) more antecessorum ab Archiepiscopo (*Anselmo*) hominium interrogaret; & ille pro excommunicatione Romæ facta differret, missi Romam ab vtraq; parte nuntii. Iubetur interim Regi hominium facere, vel absolutis moratum nexibus regno excedere. Et cum literas Apostolicas inspiciendas Anselmus curaret, quid ad me, inquit Rex, de literis Apostolicis? Iura regni mei nolo amittere.] Turbas inde secutas, non narro, non enim texo historiam. Comparo tantum Anselmū cum Iuone, hoc est, turbinem cum aura leni ac placida: vt ex effectibus vtriusque iudicium fiat, vter melius Ecclesiæ consuluerit, alter prudenter non parendo præceptis importunis Paparum; alter improuidè intemperanterque eadem premendo. Vbi præsertim vel lippi oculi cernunt, & imperitè & imprudenter expromi conatus, vt Regibus iusta iura eripiantur.

XCIX. Perseuerāsse porro Reges in accipiendis fidelitatis iuramentis ab Episcopis, nihil obstante tot prohibitionum à sede Apostolica vibratarum tempestate, ex multis probari potest. Sed satis esto vnus Petrus Blesensis, qui sub Alexandro tertio vsque ad Innocentium tertium suas scribebat Epistolas. Ille quendam Prælatum, qui Principibus libenter solebat obsequi, increpans *ep.40.* Non ponatis, *inquit*, os vestrum in cœlū, & in terram lingua vestra non transeat, cum, iuxta Apostolum, *1.Pet.2.13.* Regi tanquam præcellenti reuerentia debeatur; cum & vos ei vinculo fidelitatis adstrinxeritis, cautius, quæso, vobis prospicite, &c.]

C. Meritò itaq; Fridericus eodem tempore ad Pontificem Hadrianum Quartum illa scripsit; [*Apud Nauclər. gener.39. sub an.1155.* Ab iis autem, qui Dei sunt per adoptionem, & Regalia nostra tenent, cur homagium & Regalia Sacramenta non exigamus? cum ille noster & vester institutor ab homine Rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, *Matt.17.27.* qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, *Ioan.13.15.* & exemplum vobis dedit, vt ita faciatis, doceat vos dicens; *Matth.11.29. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Aut igitur regalia nostra nobis dimittant, aut, si hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari persoluant.] Neque potuerunt Romanæ Sedis officiosissimi consultores negare, deberi Imperatori à Prælatis sui Imperii fidelitatis iuramentum: eo tamen audaciæ prouecti sunt, vt homagium omnino negandum esse censuerint: nam inter capitula, quæ à Radeuico durissima appellantur, Imperatori per Legatos Cardinales proposita, vnum erat, *l.2.c.30.* Episcopos Italiæ solum Sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere Domino Imperatori. Ad hoc tamen respondit Fridericus: Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere; qui si gratanter audierint à Romano præsule, quid tibi & Regi? consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & possessioni? Et sane omnes Episcopi Germani, eidem Friderico adstricti homagio tenebantur. Sic enim omnium nomine Moguntinus coram Imperatore perorauit: [*Arnoldus apud Baron. tom.12. an.1186.*] Casus iste, in quo laborare videmur, grauis est, nec nostrum inter vos tantas imponere lites: quia, sicut paulo superius dixistis, ex vna parte tenemur reddere Deo, quæ Dei sunt; ex altera parte, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Domino enim Papæ, vt Patri spirituali, quia supra omnes est, iustum est ad omnia promptissime obedire, vobis autem, quem Deus Principem & Imperatorem Romani Orbis exaltauit, cui hominium fecimus, quo temporalia possidemus, ad assequendas omnes iustitias vestras, iure tenemur assistere.]

CI. Propterea Innocētius tertius plane conuictus, Ecclesiasticos propter temporalia obligari Principibus, & teneri eis sese iuramento fidelitatis obstringere, ita statuit in Concilio Generali. *c.Nimis, de iureiurand.* Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinētes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta cōpellunt, quia verò secundum Apostolum seruus suo Domino stat, aut cadit, sacri authoritate Concilii prohibemus, ne tales clerici personis sæcularibus præstare cogantur huiusmodi iuramenta.] Cum tamen de iure diuino personæ etiam Clericorum absq; vlla possessione temporalium Principibus sint subiectæ, nescio, quomodo probaret Innocentius, eos laicos nimis de iure diuino vsurpare, qui clericos sibi subiiciunt, si hoc ei negaretur, vt nos negamus: ideoque asserimus clericos quoscunque, etiamsi nihil temporale, quod vix reperitur, possideant, ex eo tantum, quod sunt subditi sui Principis, & pars Reipublicæ ciuilis; & ex eo etiam, quod regimen aliquod exerceant Ecclesiasticum erga fideles, meritò, si ita visum fuerit Principibus, cogi posse, vt fidelitatis eis præstent iuramentum. Sunt enim serui etiam suo Domino temporali vt homines, & Ciues: licet vt Sacerdotes nō sint sub Dominio temporali. Quæ omnia sunt à me partim in præcedentibus explicata, partim in postremo libro explicabuntur. Atque ex hoc ipso capite, quod Episcopi, & quicunque clerici, ratione personæ sunt veri & proprii sui Principis temporalis subditi, si ab eis infidelitatis iuramentum petatur, omnino tenetur illud præstare: & si habent Regalia, etiam homagium. Sicut enim ordo sacer aut Ecclesia nō aufert Episcopo, aut Sacerdoti, naturam humanam, ita neque auferre potest naturalem humanam subiectionem. Soli Principes possunt in hac eis, quantum libet, & quamdiu libet, indulgere, vt ostendam.

CII. Quod si huic generali rationi addatur rerum temporalium, ac præsertim Regalium adiectio, quanto magis Prælati Ecclesiastici vasallagio sub Principibus ligabuntur? Non possum itaque non summopere mirari, quo pacto Principes nostri Christiani Episcoporum & magnorum Prælatorum homagium ipsis solis, vt vidimus, debitum, aliqui penitus sibi auferri per Romanos Pontifices sint passi, omnes verò idē homagium Romano Pōtifici ab omnib. Episcopis, & magnis Prælatis præstari sustineant & permittant. Qui tandē Romani Pontifices homagium hoc, ne ipsis Principib. exhibeatur, impedire conati sūt, & nouo artificio ad se,

maxima

maxima cum Principum iniuria, ipsorumque Prælatorum oppressione in seipsos (vt obseruaui etiam in libris præcedentibus) transtulerunt. Iuramentum enim, quod prius per solam fidei Catholicæ professionem, & Ecclesiasticam subiectionem Episcopus quilibet suo proprio præstabat ordinatori, in merum homagii iuramentum conuerterunt; omniumque Episcoporum & magnorum Prælatorum aut electiones, aut saltem confirmationes, per summam vim & tyrannidem, sibi solis Papæ arrogarunt & vsurparunt; vt nemo iam consecretur Episcopus, aut Abbas instituatur, qui non solenne prius emittat erga ipsum Papam hominii & fidelitatis, tanquam proprio Principi debitæ, iuramentum. Hanc vestram summam iniuriam; à Deo coronati, Deo proximi Principes (alioquin vigilantissimi,) dum dormitantes toleratis, intra vestrorum regnorum viscera multos egregios & potentes alitis, imo & colitis, qui à iugo vestro se callidè subtraxerunt, qui alieno extraneoque Principi homagio se temporali temporaliter obligarunt: quiq; consequenter, postquam se Papa vestrorum diadematum facere cœpit Dominum, præcipui facile fiunt antesignani ad rebelliones contra vos excitandas, & sceptris vestris pericula omnia intentanda. Si à Regnis vestris turbas, à capitibus vestris pericula cupitis amouere, Episcopos & Prælatos facite vestros tantum, & non vllius extranei Principis, vasallos: qui vobis tantum, & non vlli alii homagium præstent, & iurent fidelitatem; morem pristinum integrum reuocate, Papæ fœdas hac in parte vsurpationes reprimite: sic enim vtrique Reipublicæ, & Ciuili & Ecclesiasticæ, egregiè prospectum erit. Vos ipsos excitate.

CIII. Iustæ igitur sunt electiones, iustæ Inuestituræ, iusta fidelitatis sacramenta, iusta hominia. Et quodcunque horum si concedatur, vt re vera modo vnum, modo aliud, vt vidimus, coacti fuerunt Papæ concedere, iam possunt etiam omnia concedi: quanquam Principes in actu collationis Ecclesiasticæ dignitatis & prælationis, vnico horum facilè possint esse contenti, vt nemo plene inthronizetur, qui aut nō fuerit à Principe electus, aut post electionem Ecclesiasticam, ab illo expressum assensum obtinuerit, quocunque signo externo, linguæ, scripturæ, manus, virgæ, &c. aut in manibus Principum iuramentum emiserit fidelitatis; aut prætere etiam homagium præstiterit: & si Ecclesia vnum horum concedit, potest etiam omnia: quia perinde vni horum, atque omnibus, Principibus in hoc subditur. Et perinde est, à Principe accipere personam ad prælaturam euehendam, atque iam euectam ei subiicere, ita, vt exercere non possit Ecclesiasticam potestatem, nisi prius in hoc Princeps consenserit. Hoc semper fuit in Ecclesia, est, & erit in perpetuum. Huc enim, vt docui, iure diuino naturali Principibus competit.

CIV. Ex hoc iure Principum iam probato, & confirmato, optimè defenduntur plures Principum actiones, quibus illi solent, Ecclesiasticis sæpe, sed frustrà, reclamantibus, in ipsos Ecclesiasticos, & res Ecclesiasticas potestatem exercere: Vt cum eos prohibent regno excedere, nisi à se obtenta facultate: ita, vt ne Romam quidam possint adire, etiam vocati à Papa, si Rex eos detinuerit. Cum enim persona sit, vt diximus, Regi obligata, tum communi iure naturæ, quandiu in regno ipsius velit & bona & domicilium possidere: tum etiam iure speciali, ex homagio, quis dubitat eam non posse vllam moliri profectionem, inuito Rege; statim enim incurreret crimen infidelitatis erga suum Regem. Et in temporalibus plus tenemur obedire Principi temporali, quàm Ecclesiastico: contra verò in spiritualibus, quæ omnia iam plenè explicui.

CV. Hinc igitur est, quod Gregorius Primus, aduocans ad se Episcopum Aquilegiensem pro Synodo celebranda, *l.1.c.16.* Pro qua re, *inquit*, imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & Serenissimi rerum Domini iussionem, ad Beati Petri Apostoli limina, cum tuis sequacibus venire te volumus.] Non audet eum vocare, nisi cum speciali Imperatoris iussione. Et Nicolaus similiter primus, dum ad se vocat Rothaldum Suessionensem, ita ad eum scribit, *ep.33.* Stude quantum potes, & cum tibi Rex, & Episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint, Romam properandi, mox vtcunque venire non differas.] Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ad Papam Hadrianum secundum scribens, ait, [*apud Iuret. ad Iuon. ep. 154.*] De eo, quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, vt eundem Hincmarum (*Laudunensem*) & alios tres Episcopos, omnium Episcoporum regni Domini Caroli vicem ferentes, ad Synodum Romam mitterem, vestrâ sciat authoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcopum diœceseos Rhemorum, minime autem aliarum prouinciarum Episcopos, nisi Dominus Rex præceperit, Romam, vel in aliquam partem, mea commendatione mittendi habeo potestatem: nec ipse ego vltra fines Regni sui, absque illius scientia, progredi valeo.

CVI. Iuo Carnotensis de eodem vinculo Episcoporum Anglicanorum, ne Regis iniussu è regno egrediantur, aliquid innuit, ita scribens ad Paschalem Papam, *epist.154.* Rogamus paternam discretionem vestram, pro Domino Gaufrido Rotomagensi Archiepiscopo, qui tunc tandem impetrauit à Principe suo Rege Anglorum, vt posset in propria persona sedem Apostolicam visitare, &c.] Et de Anselmo Cantuariensi ista scribuntur, [*Malmesb. libr. de gest. Pontif. Ang.*] Hæc communicaturus cum Papa, rogauit licentiam pergendi Romam, bisterque frustrà. Intelligo enim, aiebat Rex, licentiam interdicendam, cum eum nullo graui peccato sciam onerari, cuius à Roma petat absolutionem, nec egere illius loci consilio, cum illi nullius scientiæ desit copia; Magis certè dixerim, Vrbanum Anselmi cedere sapientiæ, quàm Anselmum Vrbano indigere. Quod si pertinacibus cœptis institerit, omnem Archiepiscopatum in meum fiscum redigam. Transgreditur enim promissa sua, quibus fidem suam adstrinxit omnes consuetudines seruaturum Regni mei. Insolitum est quippe mihi, vt quisquam procerum meorum eat Romam, nisi meo potissimum iussu.] Ideoque inter articulos, siue constitutionis capita ab Anglorum Rege proposita Thomæ Becchetto Archiepiscopo Cantuariensi, istud numeratur in ipsius vita, *capit.6.* quod non liceat Archiepiscopo & Episcopo exire de regno, & venire ad vocationem Domini Papæ, sine licentia Regis.] Quod sane capitulum, & iure, vt vidimus, & consuetudine, per longa tempora, sciente & approbante etiam Ecclesia, iustum erat, neque quicquam oberat Ecclesiasticæ legitimæ libertati.

CVII. Libertatem tamen Principum laicorum in hoc etiam Gregorius VII. infringere conatus, & ad se indebitè pertrahere, immeritò de Anglorum Rege ita conqueritur, *lib.7. epist.1.* Multa sunt, vnde sancta Romana Ecclesia aduersus eum queri potest: nemo enim omnium Regum, etiam Paganorum, contra Apostolicam sedem hoc præsumit tentare, quod is non erubuit facere, scilicet, vt Episcopos, Archiepiscopos ab Apostolorum liminibus vllus tam irreuerentis & impudentis animi prohiberet. Vnde volumus, vt eum nostra

vice

vice (*seruis ad suam subdiaconum*) prudentia tua studeat admonere, quatenus honorem, quem sibi à subditis suis grauiter fertur non exhiberi, S. R. E. non tantopere labores imminuere; & debitas gratias agendo, gratiam Beati Petri procuret acquirere.] Si Romanus Pontifex spiritualis esset tantum Pater, & spiritualia sola tractaret, neque ipse Princeps esset ditionum haud contemnendarum temporalis, ac temporalibus se non immisceret; imò, quod peius est, si non iactaret, se potestatem habere in Reges & Regna, priuandi, destituendi, transferendi, &c. & hoc ipsum etiam ipse Gregorius conatus non fuisset contra Henricum exequi, & post illum alii, nihil haberent, quod sibi multè possint Principes à Romano Pontifice timere. Cum verò iam tum haberent, & adhoc habeant, vnde metuant: quid mirum, si sibi caueant, & sedulò prouideant, ne ipsorum Prælati in perniciem Regis, & Regni, à Romano Pontifice id conante abducti ab obedientia Regis, & persuasi, si forsitan res tulerit, conspirent. Et cauent igitur, & iure suo vtuntur regna illa ac Respublicæ, quæ vigilant. Atque simul indemnitati Ecclesiarum & disciplinæ prouident Ecclesiasticorum. Hinc illa Friderici verba: [*Apud Radeuic. lib. 1. cap. 16.*] Introitum & exitum Italiæ, nec clausimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro suis necessitatibus rationabiliter, cum testimonio Episcoporum & Prælatorum suorum Romanam sedem adeuntibus: sed illis abusionibus, quibus omnes Ecclesiæ regni nostri grauatæ & attenuatæ sunt, & omnes penè claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, obuiare intendimus.]

CVIII. Ad confirmationem denique nostri præcipui propositi de Principum potestate in electionibus & collationibus ac Inuestituris, plurimum faciunt antiquorum piorum Imperatorum exempla, ab Ecclesia nunquam reprobata, dum illi sæpissimè à sedibus Episcopos abstraherent, & deiectis aliis, alios pro arbitrio ipsorum substituerent. Esto, interdum fuerint acriter reprehensi, si absque iusta causa id fecissent; de vsurpata tamen in hoc potestate, & authoritate reprehensi non fuerunt. Exempla porrò huiusmodi iam plura recensui alia occasione in præcedentibus, neque ea denuò sunt hic iteranda: cum sit nostrum Lectoris tædio occurrere. Memineris duntaxat Theodosium iuniorem, vt supra *cap. 5. num. 152.* ostendi, Ioannem Antiochenum à magna Ephesina Synodo sede priuatum, in suam sedem sua authoritate Imperiali restituisse: edictoque eiusdē, Ireneum Tyri Episcopū fuisse depositum. Memineris etiam, à Iustiniano depositum fuisse Zoilum Alexandrinum, & Apollinarem ei ab eadem substitutum, [*Liberat. in breui. cap. 23.*] Eutychium etiam Constantinopolitanum. [*Eustath. apud Surium die 6. Apr.*] iniustè quidem, sed non (vt loquuntur) nulliter. Plurimi alii sicco pede prætereundi.

CIX. Nunc prudens Lector hæc in stateram immittat, vtrimque pensitet, ac liberum ferat iudicium, perniciosissima illa dissidia, quæ primos inter Regnum & Sacerdotium, cum tanto vtriusque potestatis scandalo, accendit Hildebrandus, occasione potissimum harum Inuestiturarum, & aliarum iam dictarum actionum Imperialium, sanè iustarum, excitata, Imprudentiæ Principumne, an ipsius Gregorii sint tribuenda: Idem dico de Vrbano, & Paschali: ac de Alexandro tertio contra Fridericum Oenobarbum: Nam licet & Henricus, & Fridericus schismata fecerint, & fouerint, Antipapas contra Papas excitantes, & defendētes; eo tamen iam exasperati, & irritati variis Pontificum conatibus, et iura ipsorum propria circa prædicta impedientibus & auferentibus deuenerunt. Omnium igitur malorum fons & scaturigo culpæ in eos redundat, qui indebitè & (vt mitissime loquar) imprudenter, primi intolerandis innouationibus pacem publicam turbare ausi sunt. Neque tamen ipsi Pontifices interim voti compotes sunt facti. Tanto molimine vix vlla victoriæ insignia, nullam certè victoriam reportarunt. Inuestiturarum fortasse nomen abolitum est, quid verò re ipsa hodie fiat, scimus omnes. In Imperio nemo Episcopatum obtinet sine diplomate Imperiali. In Gallia & electio Regis est, & Regi iuramento fidelitatis obligantur Prælati. In Hispaniis Rex aut eligit, aut potius confert, quam concedit Episcopatus & pensiones. In Vngaria, quem vult Rex, is fit Episcopus, Abbas, Prior, &c. Siculam Monarchiam quis ignorat? Domini Veneti, etiamsi soli omnium Principum Papam colentium permittant ipsi Papæ etiam electiones ditionis Venetæ Episcoporum, omnium tamen non modò Episcopatuum sui status, sed etiam quorumcunque Ecclesiasticorum beneficiorum, etiam minimorū, prout olim, ita nunc etiam possessionem saltem tradunt, quam vocant temporalem, quæ est ipsissima Inuestitura. Taceo de aliis. Quid iam, quid, quæso, profuit inenarrabiles & nunquam satis deploratas commotiones toto Orbe Christiano exciuisse? Ex hoc profectò turbulento semente nulla alia messis præter miseriam, ex infaustis hisce funestisque conflictationibus nullus alius triumphus præter contumeliam.

CX. Sed quod potissimum optauit Gregorius, *inquit Bellarm. contra Barcl. c. 4.* vt videlicet Inuestituras Episcoporum de manibus laicorum eriperet, partim per se, partim per successores omnino perfecit. Siquidem Gregorii sententiam & decretum cōfirmarunt omnes eius successores, Victor tertius, Vrbanus secundus, Paschalis, Gelasius, & Callistus: cuius tempore Imperatoribus cedentibus, pax inter Sacerdotium & Regnum facta est: vt scribit Abbas Vrspergensis.] Et Gregorii sententiam laudat idem Bellarminus *ibid. cap. 9.* & approbat, laudandamque & approbandam esse docet: Primum, quia in Concilio Romano laudata & approbata fuit: deinde, quia iam dicti Pontifices successores ipsius, Gregorium sunt secuti: tertio, quia plurimi iudicium ipsius approbarunt scriptores, Marianus Scotus, Lambertus Scaphnaburgensis, Anselmus Cantuariensis, & alter Lucensis, Gebehardus Salsburgensis, Stephanus Halberstadensis, Leo Ostiensis, Bertholdus Presbyter Constantiensis, Gulielmus Tyrensis, Otto Frisingensis, Dodechinus, Abbas Vrspergensis, & absolutè laudarunt, *inquit*, Gregorium vt optimum & sanctissimum Pontificem, vltra triginta authores.] Hæc Bellarminus.

CXI. Ego hîc de vita Gregorii aut sanctitate non disputo: Domino suo stat, vel cadit. DEVS corda hominum nouit omnium optime. Neque Henricum quartum defendo, aut dico eum fuisse [*Psal. 144. 17.*] iustum in omnibus viis suis, & sanctum in omnibus operibus suis. Illud tantum meridiana luce clarius reddidi, Gregorium minus prudenter, ac minus circumspectè quæstionem de Inuestituris suscitasse, & eas potuisse ac debuisse intactas relinquere. Et consequenter totius incendii, grauiumque illorum scandalorum fontem perperam & imprudenter ipsum se præbuisse. Nam quod postea Henricus iam ictus à Papa, & contra ius & fas vexatus, vt iusta tueretur, etiam iniusta commiserit, & indebita, ad malum pro malo reddendum, tentauerit, schismata fecerit, & Papam per fas & nefas oppugnarit: id ei, me iudice, est magis imputandum, qui quiescentem irritarit crabronem, quam ei, qui ista irritatus perpetrarit. Quod etiam per Simonias, & alia scelera, quasi in præmium, & mercedem,

vel

vel pecuniæ acceptæ, vel adulteriorum, & similium facinorum distribueret Ecclesias, si modò hæc non ficta, sed facta sint, merito fuit reprehendendus. Atqui verò non ob hæc fuit vexatus, & toties excommunicatus; sed ea eo maximè, quòd ab Inuestituris nollet abstinere. Et aliud fuisset ab eo poscere, vt Inuestituras piè, rectè, atque ordinè conferret, abusúsque earum tolleret; aliud verò fuit, eum cogere, vt se Inuestiturarum iure protsus exueret, hoc est, regiæ potestatis portioni non contemnendæ renunciaret.

CXII. Iam multi ergo authores vt plurimum abusus istos reprehendunt in Henrico, & scandala, quæ post obortas hasce rixas excitauit: vt vel ea his aliquo modo tegerent Gregorii effrenem temeritatem. Atque his tam multis Gregorii defensoribus saltem ad æquilibrium rependi possunt, præter Bennonem Cardinalem, non pauciores Gregorii vituperatores: Nos tamen non authorum numero, sed rerum ipsarum pondere negotium hoc metimur: & solum ius Principum in Inuestituris defendimus, propter quas imprudenter Gregorius (etiam in reliquis fortasse laudabilis) errore humano præoccupatus, seque causam iustam ac piam fouere arbitratus, assentatorum etiam (vt nuper in causa Veneta Paulus V.) malè sanis captus consiliis, in barathrum prolapsus est multorum scandalorum. Effectua tamen, vt dixi, rem totam diiudicent:

CXIII. Per successores, dicebat Bellarminus, *contra Barcl. cap. 4. & cap. 9.* Gregorius eripuit Inuestituras de manibus laicorum. Quia Victor, Vrbanus, Paschalis. Gelasius, & Calistus acta Gregorii confirmarunt. Sed satis non est, quod Decretum Gregorii hi Pontifices verbo confirmarint; videndum est, quid reipsa obtinuerint: hoc enim quærimus, an facto ipso Ecclesia de manibus laicorum Inuestituras extorserit. Et, si Calistus tandem id euicit, frustra nobis Victoris, Vrbani, & Paschalis, qui Calistum præcesserunt, profert confirmationes. Hos tamen ego Pontifices sententiam Gregorii non confirmasse, sed reprobasse, & ab ea recessisse facile ostendo. Vrbanus sane secundus, dum eam Gregoriano decreto apponit moderationem, non in re, sed in verbis, *Iuo epist. 60.* Vt Regibus prohibitæ intelligantur Inuestituræ corporales, non electiones, & concessiones,] proculdubio si rem ipsam attendamus, recedit à decreto, & ipsum, saltem tacite, damnat, quia sublata sola ceremonia baculi, & annuli, relinquit tamen integras Regibus electiones, & concessiones, vt eas verbo, & scripto, aliove signo externo faciant, modo ne baculo & annulo vtantur, quam intelligit corporalem Inuestituram.

CXIV. Paschalis vero proximus Vrbani successor, & tertius à Gregorio, veritate aliquando multò magis, quam vi sibi illata victus, Inuestituras cessit Imperatori. Quæ cessio cum optima moderatione circa abusus inuenitur hoc pacto descripta: *Apud Iuret. ad Iuon. epist. 236. & Baron. tom. 12. an. 1111.* Paschalis, &c.—Illam igitur dignitatis prærogatiuam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus Catholicis Imperatoribus concesserunt, Nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præsentis priuilegii pagina confirmamus; Vt regni tui Episcopis, & Abbatibus liberè, præter violentiam, & simoniam electis, Inuestituram virgæ, & annuli conferas: Post inuestitutionem verò canonice consecrationem accipiant ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero, & à populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi à te inuestiatur, à nemine consecretur. Sane Episcopi, & Archiepiscopi libertatem habeant à te inuestitutos Episcopos, & Abbates canonice consecrandi.] Hæc sane Paschalis pene captiuus, Henrico quarto cum exercitu armato Romà obsidente. Sed eandem eum mentem habuisse, et *iam dum* liber fuit, testantur eius literæ ad Anselmum Cantuariensem: is enim audita excommunicatione, quam Romæ Vrbanus publicauerat contra accipientes Inuestituras à laicis, & hominium illis facientes, & huiusmodi consecrantes, consuluerat Papam his verbis: *Apud Iuret. ad Iuon. epist. 60. & Malmesb. lib. 3.* Aut ergo, si sanctitati vestræ placet, hanc excommunicationem in Anglia absoluite, vt in ea manere possim sine animæ meæ periculo; aut eam vos seruare velle (quicquid mihi inde contingat) vestris literis significate; aut si quid discretioni vestræ placet excipere, eadem certitudine nominatim, quid illud sit, intimate.] Ad hæc respondit Paschalis: Si qui verò deinceps, præter Inuestituras, Ecclesiarũ prælationes assumpserint, etiamsi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc à benedictionis munere arceantur; donec per Omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum, cor Regium, tuæ prædicationis imbribus molliatur.]

CXV. Solam baculi & annuli traditionem eripere contentus Regi, quæ est mera ceremonia, relinquit ei, vt ab ordinando reposcat hominium, & fidelitatis Sacramentum. Proculdubio in ipso actu concessionis Episcopatus, vel Abbatiæ requirebat Rex hominium hoc, & iuramentum: quod verò concederet vel lingua sola, vel manu, aut scripto, aut baculo, & annulo, vt dicebat Iuo, nihil refert. Quicquid ergo re ipsa concedebat Pontifex captiuus armato Imperatori, concessit, aut potius tollendo inhibitiones, reliquit Angiorum Regi, haud quidem coactus, sed planè liber, sponte, ac voluntariè. Quod si Hildebrandus & successores hoc ipsum fecissent cum Henrico vtroque, Patre, & filio, nihil turbarum respublica Christiana passa fuisset. Quia igitur reipsa retinebat, ipso Papa etiam consentiente, Inuestituras Rex Anglorum, ideo venit sublimi trophæo splendidus, *vt loquitur historia, Malmesf. l. 1. de gest. Pontif. Angl.* & triumphali gloria Angliam inuectus; Inuestiturasque Ecclesiarum Anselmo in perpetuum in manum remisit (*vt videlicet ille consecrandos electum, ei daret baculum, & annulum*) eodem concedente, vt propter hominium Regi factum, nullus arceretur à benedictione.] Faciebat enim nihilosecus suas concessiones, sine illis externis ceremoniis baculi & annuli, & per hominium sibi prælatos plene subiiciebant. Sed hoc dato Henricis Imperatoribus, nihil plus etiam ipsi petiissent: & ita pax vniuersalis fuisset conseruata. Iam igitur & Vrbanus, & Paschalis à rigore & indiscretione Gregorii plurimum recesserunt. Quamuis obstinatiores [*Iuo epist. 236 & Malmesb. lib. 5. de gest. Pontif. Angl.*] Episcopi, aduersus Paschalem iniquiores, ex illa concessione in vinculis facta Henrico quarto, coegerint pessimo consilio illum ipsam reuocare: ex qua reuocatione, non ea proprio sensu, & voluntate, sed ea [*Baron tom 11. an. 1097. nu 121.*] importunitate, & molestiis grauissimis, quas ab Episcopis patiebatur, facta, noui motus, nouæ turbæ, noua scandala sunt exorta. Quid tamen Paschalis ipse sapientior senserit, tam est explicatum: & post reuocationem sui scripti, nihilominus distulit rigorem in Henricum exercere: quod laudat Iuo *ibidem* Quod si Papa, *inquit*, adhuc in Teutonicum Regem debitam seueritatem non exercet, credimus, quia consulte differt, secundum quorundam Doctorum iudicia, qui consuluntur, quædam admittenda pericula, vt possint vitari maiora.]

CXVI. Calliatum tamen secundum, tandem plenam de Imperatore Henrico quarto victoriam reportasse, & Gregorium septimum voti compotem effecisse, gloriatur, vt dicit, Bellarminus. Eiusmodi enim

ab eo

ab eo obtinuit rescriptum, *Abbas Vrsper. & Baron. tom. 12. an. 1122.* Ego Henricus Dei gratia Rom. Imp. Aug. pro amore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callixti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & sanctis eius Apostolis Petro, & Paulo, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem Inuestituram per annulum & baculum; & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem,] Atque hinc pax generalis est consecuta; nam, vt loquitur Vspergens. ipse *Prou. 21. 1.* in cuius manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti, sub Apostolicæ reuerentiæ obedientiam, causa matris Ecclesiæ, etiam vltra spem plurimorum, inflexit.] Sed hanc inflexionem & Gregorius septimus, & Vrbanus, in Henrico tertio huius Patre, & Paschalis in hoc ipso inuenissent, si illi semel susceptam imprudenter prouinciam cõtra Principes ita deseruissent, vt eam prudenter Callixtus deseruit: destitisset verò ab inceptis Paschalis, & cessisset Imperatori, sicut prius Regi Anglorum cesserat, nisi importunæ quorũdam Episcoporum voces eum exterruissent, ac ad lites renouandas incendissent. Hæccine illa decantata & pomposa Papæ victoria? Equidem victoriam hanc ego Imperatoris integram ac plenam fuisse non dubito: Papæ verò quas partes assignem non reperio, nisi liberam suarum prętensionum desertionem, ac cessionem: quæ vtinam prius facta fuisset.

CXVII. Inuestituras per baculum & annulum libenter, sicut & Anglorum Rex, concessit Papæ Imperator; hoc est, nudas & puras illas deposuit ceremonias baculi & annuli: electiones tamen, vt sine ipso non fierent, voluit: & vt ipsius esset Inuestituras facere, non per baculum & annulum, sed per sceptrum. O iterum insignem Papæ victoriam! electiones prius liberæ erant, & Imperator sola contentus erat Inuestitura per baculum & annulum: nunc electio fit serua, & non sine Imperatore: Inuestituraque nihilominus integra manet, per sceptrum, & non per baculum. Imminutus duntaxat labor Imperatori, vt sceptro leuiori vteretur; baculum grauius deponeret. Audiamus, quid vice versa rescribat Papa.

CXVIII. [*Vrspergens. & Baron. ibid.*] Ego Callistus seruus seruorum Dei, dilecto filio suo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia, & aliqua violentia. Vt si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani, & Prouincialium Concilio, vel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat; exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. Et quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat.]

CXIX. Quorsum ergò tam fluctuosæ turbæ, tam luctuosæ tragœdiæ Hildebrandinæ, si tandem cedendum fuit? quorsum infaustum eiusdem de Inuestituris decretum, quod neque iure, neq; iniuria poterat subsistere? Decretum sanè in perpetuum deplorandum: in quod meritò Onuphrius *libr. de vita Gregorij VII.* tali insurgit elogio. Illo (*Gregorij VII.*) decreto, non tantum Imperatorem Henricum Quartum, sed & omnes Reges Latinos, & Occidentales petitos fuisse (*scimus* deinde Episcopos, & vniuersum clerum Gallicum, Germaniæ, & Italiæ: Maiestatem quoque & dignitatem Imperii Romani euersam: quodque longè plus erat, ea fundamenta iacta, quibus illius potestas omnino labefactabatur.] Alibi pluribus hæc persequitur his verbis: Et si, *inquit, de var. creat. Rom. Pontif. libr. 4.* ante Romani Pontifices, tanquam religionis Christianæ capita, Christique vicarii, & Petri successores colerentur, non tamen eorum authoritas vltra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur, de iis iudicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius septimus, armis Northmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam Potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello ciuili laborantium inflammatus, præter maiorum morem contempta Imperatoris authoritate & potestate, cum summum Pontificatũ obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno Imperioque priuare ausus est. Res ante ea secula inaudita, Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circũferuntur, nihil moror.] Hæc Onuphrius scriptor Catholicus & Papatui obsequentissimus. De Hildebrandi facto iudicium habes etiam infra, *cap. 9. num. 29. 30.*

CXX. Ille porrò inimicus homo qui non dormit, *Matth. 13. 25.* sed dormientibus hominibus superseminat zizania in agro Domini, Ecclesiæ tanto pretio cœlitus emptam, tot laboribus cõfectam pacem, breui totam discindere & labefactare est conatus, iniecto de nouo in mentes subsequẽtium Pontificum, præsertim Hadriani Quarti, spiritu vertiginis, quo sopitas, sedatasque iam ex inuestituris turbas, denuò suscitaret. Si iam à Callisto res decisa est, vt Inuestituræ per baculum & annulum tollerentur, electiones tamen cum præsentia & assensu Imperatoris fierent, & regalia ab eo prælatis electis per sceptrum traderentur: quare Hadrianus, nondum obducta cicatrice, vulnera imprudentissimè per Hildebrandum, & alios prædecessores inflicta, refricare studet? Conceperat iam Roma in Fridericum odium non vulgare; accepta quidem non semel, non tamen ab eo data vlla causa legitima, vel occasione concepti in se odii: [*Otho Frising. in Frideric. l. 2. cap. 6. & 10.*] Eugenius tertius acrius eum primus obiurgarat, quod, dissidentibus electoribus, in electione Episcopi Magdeburgensis, eos ipse ad concordiam perducere studuerit, curando vt tertius quidam ei charus, & iam alterius ciuitatis Episcopus, ad sedem Magdeburgensem traduceretur: Displicuit Papæ, & Romanis, tum Imperatorem se arbitrum in discordantibus electionibus constituisse, quod ipse non putauit esse contrarium Callistianæ decisioni: tum translationem Episcoporum contra canones tentare: Sed ipse Imperator suum electum ad Papam transmisit, vt in quo opus esset, sedes Apostolica suam impertiret authoritatem. Et ita confirmatus fuit Romæ, & pallio decoratus is, quem Imperator promouebat.

CXXI. Hadrianus postea plus æquo se incendi in Fridericum passus, [*Radeuic. in Frideric. libr. 1. capit. 8. 10.*] quod necem Londonensis Episcopi Romam peregrinantis, nõ fuerit vltus. Immodestas sanè & typho plenas ad eum dedit literas: in quibus negligentiæ hominem arguit & ingratitudinis, improperatque ei beneficia, obiicitque eum Imperii coronam à sede Apostolica accepisse: excitans sanè molestissimas quæstiones de Romani Imperii concessione; & Imperii Principes, ac ipsos Germaniæ Episcopos sibi in hoc reddens infensissimos. Quæ etiam res maiora exacuit vtrinque odia: cum potuisset tamen Hadrianus, & debuisset, cum magno Principe, & iuuene, & feruentioris spiritus, modestius, vt Ecclesiam decet, agere: & non eum temerè proritare. Vnde & compulsus

CXXVI. Maluit tamen totum hoc dictum Sigeberti Baronius destruere; propthereaque ipsum Sigebertum ad rigidam vocat quæstionem, & exactam ab eo huius dicti exposcit rationem, vt eum tandem fraudis, sceleris, & imposturæ reum faciat, *tom.9. an.774. num.13.& seqq. & tom.10. an.964. num.2.& seqq.* Atque eo nomine suspectum reddit, quod, cum Henricianus esset, & scriberet eo tempore, quo Henricus cum Papa decertabat, cuperetq; Inuestituras Henrico defendere, neque eas, *inquit*, per veteres historicos probare posset; in gratiam schismatici Imperatoris, dolo malo illam ad finem suæ historiæ apposuerit.] Mihi sanè, sicut Sigeberti assertio neque proficit, neque officit, in eo sensu, quem ei paulò antè tradidi; ita neque Sigebertum assumo defendendum, quamuis ipsius defensio in promptu sit, ex eo maximè, quod Gratianus fuerit Sigeberto Synchronus, & suam collectionem ediderit paulò post editum chronicum Sigeberti; quod sane chronicum erat Gratiano opus valde modernum; peruenit enim ad tempora Paschalis [*Baron. ibid.*] secundi ad annum 1112. Gratianus verò suum opus sub Eugenio [*Baron. tom.12. an.1151.*] tertio absoluit: & cum distinctiones sint prima operis pars, oportuit eam non exiguo tempore antea conscriptam: in qua parte ponit Gratianus *Distinct.36. cap. Adrianus*, ad verbum hoc Sigeberti dictum, & dicit, se illud ex historia Ecclesiastica accepisse. Quis verò chronicum Sigeberti vocabit Ecclesiasticam historiam? Idem dictum totidem verbis citat idem Gratianus *eadem capit. in Synodo*, vt relatum à Leone Octauo, & Ottoni accommodatum. Si etiam hæc fuit impostura, certè conficta est eodem tempore Henrici Quarti: cuius temporibus Gratianus suum opus, vt par est credere, colligebat. Adeóne rudem putamus tantum Virum, vt modernas imposturas cognoscere non potuerit? & vnde probat Baronius, Leonem Octauum illud non statuisse? Quia, *inquit*, si Sigebertus mentitur, etiam quæ de Leone dicuntur, cum sint illa eadem, mendacii & imposturæ arguuntur. Ego verò respondeo, cum Leo Octauus id ante Sigebertum annis vltra centum & quinquaginta statuerit, & de Adriano idem retulerit, quod Gratianum fallere non potuit, ideò potius dicendum, Sigebertum non ex se illud confinxisse, sed inde hausisse, vnde & Gratianus paulò pòst hausit: nempe ex historia aliqua Ecclesiastica, & ex actis Leonis Octaui, quæ nunc non extent. Oppositiones verò, quas facit Baronius, prorsus omitto; quia & leues sunt, & obuias cuique habent solutiones. Et ad nostrum institutum, vt dixi, nihil spectant: qui Inuestituras, siue electiones, siue confirmationes, siue concessiones Principum, non ad priuilegia vlla Papalia, sed ad diuinam ipsam reduximus iuris naturæ institutionem. Iam igitur de Inuestituris satis.

CAPVT VIII.

Dominia temporalia, gladiumque materialem ab Ecclesiastico Ordine esse remotissima.

SVMMA CAPITIS.

Ordo sacer non fert secum ex se potestatem in temporalia, nu.1.
Ecclesiastici iure naturæ, non sunt incapaces dominij temporalis, num.2.
Sacrorum tamen ministros, etiam gentiles Romani, à gerendo magistratu ciuili remouebant, num.3.
Christianæ religionis Patres à Sacerdotibus curas temporales amouerunt, à num.4. ad num.9.
Principatus dedecet Ecclesiasticum, num.10. Et donatio Principatuum facta Ecclesiæ malè cessit, num.11.
Principatu Ecclesiasticorum non promouetur fides Christiana, num.12.13.14.
Commodum esset, si Ecclesia careret Principatibus terrenis, n.15.
Iulius II. moribus Ecclesiæ contrarius, perstringitur, nu.16.
Obiectiones variæ proponuntur, & soluuntur, nu.17.18.19.
Gladius materialis pro Christi causa exerendus non est à quoquam Christiano, nedum ab Ecclesiasticis: nec fidei causa bellum mouendum est contra infideles, à nu.20. ad nu.28.
Ecclesiasticos arma tractare, extra quosdam summæ necessitatis casus, est omnino abominandum, à num.29. ad num.39.
Obiectiones proponuntur & soluuntur, à nu.40. ad nu.50.
Dominia temporalia quomodo in Ecclesiam irrepserint, & donationes, ac feuda Ecclesiæ Romanæ commemorantur, à numer.51. ad finem.

I. ECCLESIAM, Ecclesiasticosque Prælatos & Sacerdotes, ex vi sacræ ordinationis nullam accipere temporalem potestatem, nullum rerum terrenarum dominium, nullum regnandi & imperandi ius in temporalibus, arbitror omnes sanæ mentis Christi alumnos libenter & concessuros, & sponte affirmaturos, quod libro quinto iam probaui. Si enim Christus Dominus, vt capite 1. huius libri ostendi, quatenus homo præcisè, seclusa diuinitate, nullam huiusmodi habuit à DEO Patre sibi concessam potestatem, nullū ius regnandi, ac in terra terreno more dominandi, nihil ineptius dici cogitarive potest, quàm vt ministri ipsius dicantur id ex ipsius institutione habere, quod ille non habuit; & [*Matth.10.*] serui velint esse maiores Domino, Discipulique super Magistrum, à quo etiam edocti sunt, vt caueant, ne putent sibi concedi dominatum vllum, aut Principatum terrenum: sed sciant, se à Regum & potestatum huius mundi iurisdictione exercenda debere esse remotissimos, *Luc.22.* quod item libr. V. iam demonstraui. Ineptias verò & deliramenta Canonistarum, turpissimorum simulque insulsissimorum adulatorum, Papam ex vi Papatus Dominum mundi directum temporalem etiam facientium, partim iam explosi in superioribus, partim explodā, quatenus opus fuerit, in sequentibus. Qui enim sapiunt Theologi, directum hoc dominium in temporalia, ex vi sacri ordinis, etiam in Papa nullum agnoscunt; licet indirectam quandam ei tribuant, & supremam etiam in Reges & Regna potestatem; de qua capit.10. instituam disputationem. Quia tamen Ecclesiæ Christianæ Prælati multi, ac præsertim Romanus Pontifex, terrena dominia sunt, & sane magna, seu Principum donatione, seu alio quocunque titulo humano, non diuinitus, sed humanitus assecuti, illud nunc vidēdum nobis est, quàm deceat, vt Prælati, Ecclesiæ Christi ministri, curis magnis temporalibus distrahantur, & in temporali supremo regimine occupentur.

II. Papa profectò & Episcopus atque quilibet in Ecclesia Prælatus, homo est; homo verò quilibet ratione humanitatis, capax est terreni dominii, & Principatus, dummodo non sit ex illis stolidis & stupidis, qui naturaliter, vt dicebat Aristoteles, serui nascuntur ad parendum, & non ad imperandum; cuiusmodi ordinariè non sunt Sacerdotes, qui ex sapientibus alleguntur. Non ergò, absolutè loquendo, negari potest, Papam, & Episcopos posse de facto humanos tēporales Principatus obtinere: imò Platonis dictum *de Rep. dial.5.* esse scimus, tunc Respublicas beatas esse futuras, cum vel Philosophi regerent, vel Reges philosopharētur: nullus verò Sacerdos est, qui Philosophus, hoc est, literatus non sit, vel esse debeat. Et ideo Ægyptii olim Sacerdotes in publica Regni administratione magnā partē habebant. Galli etiam suos Druidas in priuato & publico regimine maximè audiebāt? *Cæs. de bell. Gall. l.4.*

III. At vero Romana olim Superstitio Dialibus Flaminibus noluit esse permissum, vt Magistratum susciperent, aut ambirent. Et causam assignat Plutarchus *in quæst. Rom. quæst. vlt.* Quod, *inquit*, cum certæ & ordine definitæ essent Sacerdotum actiones, Regum verò ordine carentes, & infinitæ, fieri non poterat, vt qui Rex simul Sacerdosq; esset, diuersi generis in eundem temporis articulum incidentibus negotiis, vtrumque procuraret: sed necesse erat futurum, vtroque vrgente, alterum omitteret: itaque interdum Deos ritè non coleret, interdum ciuibus esset damno] Aliam quoque eiusdem rei causam problematicè assignat ibidem dicens: An quod in Magistratus humanos iciuntes, cum non minus necessitate eos, quam potestate administrati obseruarent, populique Principē (quod de medico Hippocrates pronunciauit) multa horrenda adspectu videre, multa tangere, & ex alienis miseriis pro fructu suas capere molestias, impium rati sunt istum Diis sacrificare, & auspicem esse diuini cultus, qui damnationibus & capitalibus lethoque finitis suppliciis ciuium, non rarò etiam cognatorum & domesticorum, vt Bruto vsu venit, interfuisset?] Gentiles agnouerunt decentissimum esse, si rerum sacrarum ministri à ciuilium rerum regimine essent alieni; imò etiam necessarium.

IV. Easdem & alias rationes non minoris momenti ex sacra Scriptura, & ex Sacerdotali munere addnctas consideratunt Christianæ religionis Patres, & sacrorum Antistites, qui longè minores occupationes, quàm sint Principum terrenorum, Christi Sacerdotibus libenter auferunt, vbi illæ impedite possunt hominem, ne rebus sacris plenè inseruiat. Quid illi dicerent de Episcopis diademata gestantibus, sceptra tractantibus, gladio accinctis, exercitus conscribentibus, præsidiario militie stipatis, fastu & gloria huius mundi maximè tumentibus? Origenes pro suæ conscientiæ teneritudine ad illa verba Christi, *Luc. 14.33. Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, totus contremiscit; at nuster Papa, & Episcopi simul Principes, vtinam non potiùs Christo renunciarent, vt possideant omnia. Ait ille de se, & aliis Dei Sacerdotibus; [*Origen. in Genes. Homil. 16.*] Non solùm non abrenunciamus iis, quæ possidemus, sed & acquirere volumus ea, quæ nunquam habuimus, antequam venimus ad Christum.] Dicat hoc nostris temporibus Pius, dicat & Sixtus, vterque Quintus, ignobili genere orti, dicant & vniuersaliter omnes Papæ, etiam qui ex Principum & magnatum sanguine ad eam cathedram peruenerunt, num habuerint, aut habere potuerint in seculo, quod in Ecclesia, hoc est, ex promotionibus Ecclesiasticis, habuerunt? Cur enim Principum filii aut fratres fiunt Cardinales? an vt fint clerici, hoc est, in sortem domini vocati, tanquam Christi ministri, ad prædicandum, docendum, sacramenta ministranda, & ad animas Christo lucrandas? non certè: Sed quia regnum, vel alium Principatum, paternum, aut fraternum non possunt habere, priori fratre natu maiori illum intercipiente; Quem Principatum terrenum non sperant in seculo, sperant in Ecclesia: & ad Papatum, hoc est, ad mundanum Principatum aspirant: & cum eo peruenerint, neque mores, neque spiritum Ecclesiasticum secum ferunt, neque in illa cathedra reperiunt: & sic Ecclesiastici ministri nihil minùs sunt, quàm ministri Ecclesiastici. Deme terras Papæ, deme regnum temporale, deme prouincias, deme ciuitates, deme regalia, quibus temporaliter dominatur, probro ducet vir nobilis, si clericus fiat, vt sit Romani Episcopi famulus. Totus enim Cardinalitius fulgor ex dominio Papæ terreno splendorem accipit, vt ostendi pluribus *libr. 4. cap. 5.*

V. Cyprianus *libr. 1. epist 9.* adeò detestabatur occupationes Clericorum circa temporalia, vt Geminium Victorem oblatione funerali priuandum esse censuerit, eò quòd Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominasset: iam pridem enim in Concilio Episcoporum statutum fuerat, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat; cùm singuli, *inquit Cyprianus*, diuino Sacerdotio honorati, & cooptati in Clericali ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atq; orationibus vacare debeant: Scriptum est enim, *2. Timoth. 2. 4. Nemo militans DEO implicat se molestiis secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit.* Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt, &c.] Ac pergit idem probare ex antiquo Leuitarum instituto, qui terras possidere non debebant, ne terrenis distenti occupationibus, diuinis ministeriis ineptiores redderentur. Quantò magis grauissimas Principatuum molestias & occupationes à Sacerdote Dei amouisset? Sic Ambrosius *de fuga Sec. cap. 2.* qui curam etiam paternæ domus & consanguineorum totam auferri Sacerdoti, vt quæ solius Dei sunt, curare possit? Et Hieronymus *epist. 2. ad Nepotian.* Clericum in Christi sortem vocatum abstrahit ab omni cura & possessione temporalium, (de quibus in nostro nono, vbi de moderata Clericorum sustentatione agemus ex professo,) certè eum multo rigidiùs à cura Principatuum abstracturus.

VI. Principatum terrenum pugnare cum munere Sacerdotali, sicut censuerunt in sua superstitione Romani Gentiles, vt supra ex Plutarcho docui: Ita Gelasius Pontifex Romanus manifestè expressit, vt posui supra *capit. 3 huius num. 2.* Et contendit, Christum ipsum ita duas potestates, alteram Ciuilem, alteram Ecclesiasticam distinxisse, vt nulla ratione, ordinatiè saltem, velit eas in sua Ecclesia in vnam personam coire, vt loco citato est à me plenè explicatum. Vbi obseruare debemus ex Gelasio, spirituales & carnales actiones inter se distare debere; & carnalibus incursibus, quibus totus plenus est Principatus terrenus, actiones spirituales præpediri: & implicatum negotiis secularibus, rebus spiritualibus non debere præsidere: & modestiæ seruandæ causa Christum voluisse ita distingui, ne vtraque potestate suffultos nimiùm extolleretur: & professiones has esse adeò distinctas, vt altera alteri non benè aptetur. An verò vtroque aliquis nostrorum Prælatorum suffultus nimium admodum fuerit elatus, dicat, qui nouit. Deum etiam se facit in terris, cuius calceos qui possit deosculari, beatum se reputat. Testem hic ego Romam ipsam curiamque aduoco, dicant ingenue, qui perpetuò Vaticani seu Quirinalis terunt limites, plus ne Pontificiæ operæ Ecclesiastica quotidie, hoc est, spiritualia insumant negotia, an profana? Quinam singulis ferme horis ad negotia deputatis Pontificias pulsent aures, Episcopi ne, & animarum Pastores, ac diuinæ Scripturæ studiosi, an Auditor Cameræ, Thesaurarius, Camerarius, Fiscalis, Datarius, Gubernatores, Conseruatores, Oratores Principum, & similes? quibus negotia perpetuo temporalia duntaxat tractaturis statim & ianuæ & aures patent Pontificis, à custodia matutina vsque ad noctem: imò sæpe ipsa quoque nocte vel intempesta. Si verò quis misellus Episcopus longis itineribus fessus ad limina venerit, de cura animarum rationem daturus,

instro-

instructiones spirituales in fide & bono regimine Ecclesiæ suæ adiumentaque petiturus, reiicitur, repellitur, semper in crastinum differtur, aut ad Secretarios congregationum, aliosque inferiores officiarios transmittitur. Huic scilicet aduenæ, si pauperioris sit fortunæ, os Pontificis intueri non licet, multò minus paterna eius voce frui. Et hoc est, esse Episcopum omnium Ecclesiarum solicitudine onustum? imo in hoc ego ne vestigium quidem cerno Episcopi, multò minùs vices Christi, aut vmbram vicariam Petri.

Distinctionem, quam posuit Gelasius, alii viri pii ac prudentes ante illum posuerunt. Hosius enim Cordubensis Episcopus scripsit ad Constantium, [*Apud Athan. epist. ad Solitar.*] Neque igitur fas est, nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator.] Et tamen noster Papa & thymiamatum & Imperii potestatem exercet; quod nefas esse Episcopis ait Hosius. Ac profectò quemadmodum intolerabile esset, si Episcoporum electores & cõsecratores Regem aliquem, Regia adhuc administraturum, ad Sacerdotium promouerent, aut alium supremũ Principem in Episcopum consecrarent; nihil minus mihi certè videtur intolerabile, si Episcopo regnum vel supremus Principatus adiungatur. Ac profectò, si Papæ licet esse terrenũ Principem, cur Regi aut Imperatori non licebit simul ad Papatum promoueri, ac vtramque supremam dignitatem retinere? quod aliquem nostrorum Imperatorum ambiisse sciunt multi.

VIII. Synesius Episcopus Ptolemaidis eandem distinctionem posuit, ita scribens: [*Apud Baron. tom. 5. an. 410. num. 83.*] Ciuilem virtutem cum Sacerdotio coniungere, est versare ea, quæ simul versari non possunt. Priscum sæculum tulit eosdem Sacerdotes & iudices, nam & Ægyptii, & Hebræorum gens multo tempore Sacerdotes Reges habuerunt: deinde, vt mihi videtur, cum diuinũ opus humano more perageretur, seiunxit Deus vitæ conditiones, & alius Sacerdos, & alius dux effectus est. Alios enim ad materiam direxit, alios sibi ipsi collocauit. Ordinatum autem est, vt illi in rerum negotiis, nos autem in precibus vers..remur. Quod verò bonum est, ab ambobus exigit Deus. Quid igitur reducis? Quid separata à Deo coniungere conaris, qui neque vt gubernemus, sed falsò gubernemus expetis? Quare quid fieri miserius possit? Opus est tibi præfecto? ito ad procuratorem legum Reipublicæ. Opus habes aliqua in re Deo? ita ad Sacerdotem ciuitatis.

IX. Rursus Hieronymus *l. 2. in Hierem. c. 7.* Speluncam latronum ait factam esse Christi Ecclesiam, ex quo in ea auaritiæ facibus Principes Ecclesiæ inardescunt, & Regum quondam opes, vile, *inquit*, aut certè non vile palliolum possidet.] Et alibi: *de vita Malchi init.* Ecclesia Christi per Apostolos nata est, & adulta, persecutionibus creuit, martyriis coronata est: & postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est.] Atque sua illa tempora iam fæces ibidem vocat Ecclesiæ: Quid diceret nunc, quando lachrymabili facta metamorphosi, non Christus amplius adoratur in Ecclesia Spiritualis, sed tot⁹ apud nos formatur carnalis, & pro iurisdictionibus temporalibus, pro regnis mundi, pro dominatu huius seculi, vires, & tempus, cogitationes, consilia, conatus, bona externa Ecclesiãrũ, & pauperum, quid dico? etiam censuræ, potestas Ecclesiastica, & Sacramenta ipsa promuntur, insumuntur, adhibentur, bella cientur, scandala nutriuntur, schismata fiunt, postponitur pax, & vnio abrumpitur Christiana. Vile palliolum, docet Hieronymus, mutatum fuisse in non vile: hoc est, in preciosiores vestes, & latiores, ac splendidiores: quid diceret nunc, vbi Regalem purpuram ex Episcoporum & clericorum humeris pendere, & longo tractu fluctuare videret: pedibusq́; Episcopi colla Regum & Imperatorum cerneret supprimi ac conculcari? Meliori iure nunc exclamaret, *epist. 2.* Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare.]

X. Ex his profectò, sicut in genere ab Ecclesiæ ministris negotia omnia, omnesq; occupationes, quæ decens ministerium impediant, amouentur, ita vel maxime & absolute dominium temporale, hoc est, verus Principatus ab Ecclesiastico ministro est perpetuo amouendus. Ille enim Principatus secum necessario fert tales occupationes, quę non possunt non esse Ecclesiastici ministerii in eodem homine impeditiuæ. Non ea est mihi sententia, vt putem, vel bona temporalia etiam certa & immobilia, vt sunt agri, & rusticana prædia, cum quibusdam etiam charitatiuis potius, quàm strepitosis iurisdictionibus, ab Ecclesiasticis excludenda: vel indignum penitus censeam, vt Episcopus, aliusve Ecclesiæ sacer minister, etiam ciuilia propria & politica interdum, pro tempore, & occasione, ad Dei gloriam, & Ecclesiæ sanctę commodum, attrectet. A Principatu tamen, & ordinariis ac perpetuis eiusmodi curis abhorreo, quæ ministerium Ecclesiasticum aut totum auferunt, aut magnopere impediunt. Bona illa temporalia possunt in Ecclesia esse citra omne boni Clerici præiudicium; nam & per Diaconos, & Oeconomos, & per alios cuiusque domesticos possunt administrari: Principatus autem à Prælato teneri non potest, quin ipse Prælatus temporali regimini se totum, aut maximam sui partem, dedat ac inuoluat.

XI. Propterea nõ vera, sed cœca pietas permouit eos Principes, qui Primi Romano Pontifici, & aliis Principibus Episcopis ampla Regalia, imò & iusta fermè Regna tradiderunt. Nam, vt ostendi in superioribus *cap. 7. nu. 89.* consilium Caroli Magni, à quo maximam partem dominiorum habent Ecclesiæ, non tam fuit diuinum, & ex pura pietate prodiens, quàm humanum ex mundanæ prudentiæ dictamine proficiscens, vt Regalia concederet Episcopis, & viris Ecclesiasticis; quia à laicis, si ipsis contulisset, timebat rebelliones; vt ita Vasallos haberet Principes Ecclesiasticos, qui ex religiosa pietate essent futuri suo Domino supremo fideliores; & laicos etiã similiter vasallos, seu feudatarios, si quando rebelles essent, Ecclesiasticis censuris libentiùs cohiberent: quę est, vt dixi, humana prudentia, prudentia huius seculi, prudentia carnis. Ideoque & tandem res malè cessit ipsis concessoribus: & quod Iudæis Christi crucifixoribus, qui eum è medio sustulerũt, *Ioan. 11. 48.* ne venirent Romani, & tollerẽt locum & gentem: venientibus nihilo minus Romanis deuicti & oppressi sunt; hoc ipsum contigit Romanorum Imperatoribus, qui tot Ducatus ac penè regna, tot Prouincias, tot ciuitates & castella Episcopis, præsertim Romano, donarunt, quo sibi Imperium esset, vt dixi, tutius; non modo tamen hæc ipsa Latifundia, ac Dominia prorsus amiserunt, sed insuper hos suos beneficiarios tot hostes in caput ipsorum conspirantes sunt experti, quorum ab ipsis Imperatoribus adeo euectorũ viribus & artibus ipsum Imperium tandem non modo conquassatum est, sed penè abolitum. Venerunt scilicet Romani (vtrique Pontifices) & Imperio loca, gentes, & ipsam autoritatem abstulerunt. Adeoque iam languida, elumbis, & conculcata Imperatoria maiestas, Romam aspiciens, eiulare potest, ac dicere:

Heu patior telis vulnera facta meis.

XII. Neque mihi dicant sæcularem potentiam in Episcopo, Regiamque dignitatem, & authoritatem prodesse ad faciliorem fidei dilatationem. Vtinam saltem hoc bonum consequeretur Ecclesia ex tam indecenti abusu. Vbi tamen fuere exercitus ab Ecclesiasticis cōparati pro veris hostibus Christiani nominis debellandis? tentarunt id ad speciem aliqui huius temporis Pontifices; reuera autem vt tali pia occasione Ecclesiæ expilarentur, & Paparū consanguinei ditarentur. Vbi Euangelici prędicatores in terras missi infidelium? nil minus quàm de fide cogitatur: nō fidei Christi, sed Imperii sui dilatationem quærit noster Papa, vt sibi potissimū, nō Christo, nisi ex accidenti, populos subigat.

XIII. Nouerint tamen Ecclesiastici hi potentes in terris Principes, viribus humanis temporalibus, & Principatus terreni fulgore, authoritateve, fidei propagationem, & religionis conseruationem non indigere. Audiamus Hilarium, *Miserari, inquit, contra Auxent.* licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laboratur. Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Euangelium Apostoli vsi sunt? quibus adiuti potestatibus Christum prædicauerunt, gentesque ferè omnes ex Idolis ad Deum transtulerūt? Anne aliquam sibi assumerent è Palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & post flagella cantantes? At nunc, proh dolor, diuinam fidem suffragia terrena cōmendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur.] Sensit Hilarius Ecclesiæ sanctæ dilatationem ambitione sæculari, temporali potentia, & suffragiis terrenis non promoueri: ego verò etiam puto, fidei nostræ dilatationem his Principatibus terrenis, iis pręsertim, qui in Ecclesiam iam sunt ingressi, plurimum sæpe impediri. Turcæ nisi timerent Papæ nostri dominium temporale, quo ille sæpe exercitus suos proprios contra ipsos expedit, & temporales mutationes per eundem Papam commouendas merito suspicarentur, non adeò sibi cauerent ab Ecclesiasticis ministris fidei causam agentibus. De quo aliàs. Neque ab Hilario diuersa sentit Chrysostomus, vbi obseruat Christianam religionem ab occulto numine, non ab humana pendere potestate. Siquidem Sacerdotes Idolorum plus Imperatoribus, quàm ipsis Idolis deferrent, à quorum authoritate Idolorum cultus cum luctu Sacerdotum frequentaretur: illis verò de sua authoritate remittentibus, totus obsolesceret: at verò cultus religionis inter Christianos tunc vel maxime floreret cum aduersarios haberent Imperatores. Verba Chrysostomi proferamus: Perspexerunt, *inquit, libr. contra Gent.* multi, quantū inter se discrepet Christianorum nobilitas, & gentilium probrum. Qui enim apud illos templorum administrationem suscepere, ii Reges suos colunt plusquam Dominos, plusquam Idola etiam ipsa, quæ adorant. Regumque metu statuis ipsis assident, Ita, vt maligne illi Dæmones honorem omnem sibi impensum Imperatoribus solis acceptum referunt. Itaque vbi contingit Imperatorem aliquem creari, qui cum illorū religione non consentiat, mox ibidem. si quis in Idolorum templa fuerit ingressus, passim aranearum telas parietibus circumfusas videbit, & tanto situ Idoli statuam obductam, vt neque nasus, neque oculus, neque alia quæuis totius oris pars appareat. Ex altaribus autem, aliorum reliquias solum superesse, maiore parte iam collapsa, alia interim tam alta vndique herba circundari, vt qui altaria ea esse nesciat, sterquilinia aceruum esse putet. Cuius rei causa hæc est: Illis olim licebat quæcunq; vellent suffurari, & per statuarum cultum ventri indulgere; nunc verò quamobrem sese miseri discruciarentur? occubantes enim, ac seipsi conficientes, ab illis tamen nullam prorsus expectēt retributionem: sunt enim ligna tantum. Verum honore eo, quem Imperatores statuis iisdem exhibent, adducūtur illi ad huiusmodi cultum simulandum, qui certe tollitur, dum Imperatores sapiunt, Dei Opt. Max. filium adorantes. At non ea est rerum nostrarum conditio, sed plane contrària. Cum enim in Imperatorium thronum conscendit, qui nobiscum in fide ac diuinitatis opinione consentit, hic segniores efficiuntur Christianorum res; tantum abest, vt illæ per humanos honores erectæ consistant. Rursus enim impius aliquis Imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet; tum cædem precium accipiunt, atq; inclarescunt.] Hucusque Chrysostomus: cuius optima est obseruatio, internā Christianorum fidem & pietatem sub temporalium aduersitate florere magis, quam sub prosperitate; atq; hinc colligi debere, religionis nostræ progressum à temporalibus potestatibus nequaquam pendere. Cupienda quidē & procuranda est pax & tranquillitas externa Christianis. *Luc. 1. 74.* vt sine timore de manibus inimicorum liberati seruiant Domino in sanctitate & iustitia: & per potentiam temporalem potest interdum aditus aperiri, & cor hominum ad veram fidem disponi, vt tracto libro 7. capit. 11. Ipsa tamen fides vi & terroribus non infunditur, neque deliciosa pace conseruatur.

XIV. Vir pius Bernardus, audita aliquando Ecclesiæ Romanæ iactura temporali non exigua, quando ei Beneuentum, Capua, & Roma ipsa erepta fuerat, ita solatur se & Romanum Pontificem Innocentium, ad quem, nomine Alberonis Treuirensis Archiepiscopi, scribebat: Nequaquam nos, *inquit ep. 176.* Beneuenti, non Capuæ, non ipsius Romæ terrei, Deo sic iudicante, amissio, scientes Ecclesiæ statum, non armis æstimari, sed meritis.] Iacturam itaque temporalium dominiorum in Ecclesia non censet esse veram iacturam, ideo neque de amissione illa Ciuitatum dolet. Et Gersonius adeo separatum & distinctum ab Ecclesiastico iure agnouit Dominium temporale Papæ, quod habet in suas terras, vt eas auferri posse asserat per Principes sæculares, si causa adsit. Verba Gersonii sunt pauca, sed succi plena: ait enim *l. de vita spirit. anim. lect. 3.* Potestas Papę tertia (*in quadam temporalium appropriatione*) per dissensum Dominorum temporalium, causis occurrentibus legitimis, pro vtilitate manifesta, potest destitui.] Nam & eam Papam habere ex consensu tum Principum, præsertim Imperatorum, quàm aliorum subditorum, dixerat: innuens scilicet tamdiu esse legitimum Dominum temporalem, quamdiu placet Imperatori, Principibus & populis: sicut enim horum consensu potestatem hanc habet, ita, *inquit*, eorundem dissensu eam amittit.]

XV. Videant Principes Christiani, & seriò cogitent de auferendis Romano Pontifici tot dominiis tēporalibus, quibus ille elatus, & inflatus, Ecclesiastica munera abiicit, & ipsismet Principibus iam vult dominari: indeq; Ecclesia Christi grauissima patitur incōmoda: ne enim temporalia amittat, sed vt in iis indies magis excrescat, dissensiones, discessiones, schismata Ecclesiarum & fouet, & facit. In hoc rogo, ne vtātur me magistro, sed iterum consulant Gersonium, virū Catholicum valde pium & doctū; quærantq; ex eo, an sit bonū Ecclesiam iurisdictionib. & Principatibus pollere temporalibus; & an esset graue piaculum, si talibus priuaretur: respondebit enim hoc pacto, *lect. 2. super Marc. ad fin.* Quādoq; talia bona cōceduntur Deo irato, vt Aug. ist. ait: Quia videlicet vtilius esset illa non habere, dum

obsunt

obsunt bonis moribus, quemadmodum & obsunt diuitiæ pecuniæ, generant enim vermem pessimum, qui est superbia, vel voluptas effrænata. Et sicut in vno homine hoc habet veritatem, sic & habere potest in toto corpore mystico Ecclesiæ, ita quod numerabitur meritò inter magna diuinæ misericordiæ dona paupertas ipsius, in talibus bonis fortuitis, & iurisdictionibus ciuilibus. Iuxta quod dicunt historiæ, & legi in Postilla super Biblia, quod, dùm dotata esset Ecclesia bonis temporalibus per Constantinum, audita est vox in aëre, *Hodie venenum effusum est in Ecclesia sancta Dei.* Et quicquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio huiusmodi esse vtilis propter bonitatē & fidelitatem dispensantium, & dirationē Ecclesiæ post aduersitates habitas: nihilominus nunc alias potcrit spoliatio *alicubi* similiter esse vtilis, propter malitiam Ecclesiasticorū, talibus bonis abutentium.] Et paulò post, blasphemum esse asserit, si quis dicat, spiritualia absque temporalibus diu stare non posse: nunquam enim, *inquit*, Ecclesia fuit melior, quàm dum vixit in paupertate.] Et post hęc, paucis interiectis, Nimium, *inquit*, studium in multiplicatione bonorum temporalium, & iurisdictionum in Ecclesia, non parua causa est suæ desolationis, tam in spiritualibus, quā in temporalibus; & hoc manuducitur similitudine corporis mystici Ecclesiæ totalis, ad corpus verum hominis. Nam intendere nimis regimini sensualitatis, spreta directione rationis, est vtramque tam sensualitatem, quam rationē extinguere. Hinc est, quod multi proborum & contemplatiuorum in Ecclesia parum curant, si depauperetur Ecclesia, vel cōculcetur in temporalibus istis vocatis bonis.] Inde persequitur plurimos abusus, & turpia vitia, quę occasione horum bonorum & dominiorū scatent in Ecclesia. Vt re vera iam sensualitas plenè in corpore hoc mystico Ecclesię dominetur, oppressa & captiuata ratione: hoc est, in solis temporalibus Papa vt plurimùm desudet; post tergū penè prorsus abiectis spiritualibus. An verò ad hoc Christus ministros suos instituat in Ecclesia, dicat qui nouit, & consideret qui debet, & qui potest occurrat. Hæc, quæ Gersonius mixtim commemorat de iurisdictionibus seu Principatibus, & simul de opibus ac diuitiis, à me prolata sunt, propter Principatus & dominia terrena. Nam quę de opibus dicuntur, sua indigent explicatione, & limitatione, vt vbi sunt vero impedimēto ad munera ecclesiastica obeunda, omnino reprehendantur; secus verò vbi sunt adiumento. Et de his lib. 9. tractabo. Hic vero addo, omnia schismata Romana semper exorta esse, ex occasione Dominiorum. Ita idem Gerson *Tom. 1. tract. de stat Eccles. &c.* aut quis alius: Postquam aūt, *inquit*, in Ecclesia multiplicata sunt dominia in temporalibus & spiritualibus, inceperūt intrusiones & schismata in Rom. Ecclesia; propter quæ dominia & potestates continuè fuerunt odia & rancores inter summos Pontifices, Imperatores Romanos, & Dominos temporales.]

XVI. Necessitatem magnam Concilii generalis congregandi, ad vnitatem Ecclesiæ resarciendam, & religionis Christianę puritatem conseruandam, optimè Iulius II. suis temporibus agnoscebat; dilationis tamen culpam, quā in eum multi non sine graui murmuratione coniiciebant, vt à se deprecaretur, eā vsus est sui excusatione, dicens: *Conc. Later. sub Iul. init.* Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat; & instans necessitas recuperandi terras, & iura eiusdem Rom. Ecclesię: nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atq; intensissimum fuit.] Necessitas ergo recuperandi terras, & terrena, faciebat vt Iulius posthabitis cœlestib⁹, loricatus esset in castris; & terrenorum Regnorum conquisitio, paci & vnitati Ecclesiæ religionisq; puritati pręferebatur. Ecce fructus egregius, quem dominia Ecclesię temporalia pariunt in Ecclesia: in qua Christum iam videre licet nō amplius cruce, clauis, flagrisq; & spinis, infidelitatem ac peccatum deprimentem; sed hasta, clypeo, & gladio armatum, ciuitates, & Regna temporalia expugnantem. O tempora, O mores.

XVII. Obiiciunt mihi dominiorum cupidi factū Gregorii I. *l. 12. ind. 7. ep. 24.* qui Italiam vastantibus Longobardis, tribunum cum militibus ad custodiam Neapolitanę vrbis, & vrbis Imperialis, deputauit, militibusq; Neapolitanis præceperit, vt dicto Tribuno circa dictam custodiam omnem præstarent obedientiam. Ac super hoc facto eiusmodi fecit Baronius obseruationē: *tom. 8. ann. 603. nu. 31.* Vides lector quantà polleret etiam in politicis administrandis autoritatē Romanus Pontifex, dum ciuitati nō suæ, sed subditæ Imperatori, quem vult deligit custodem, præficitque Præfectum, cui pareant milites; hæcq; sub Phoca tyranno. O tempora, hæc ex parte felicia. Vtinam modò essent ipsi integra spiritualia iura, quæ maiori indies ignominia tantę Sedis auersione contentiosa calcantur. Sed suo ipsorum damno, certo scito, Deū, qui talia agunt, experientur, ꝙ nolim, vltorem.] Hæc Baronius: quasi tali argumento: Olim potuerunt Rom. Pontifices ēt in temporalibus suam exercere potestatem, nunc vero ne in spiritualibus quidem à Principibus Christianis eam plenè exercere permittuntur.] Sciat tamen non ex potestate propria, sed ex sola, siue charitate, siue cōmissione, cōmendatione ve Principis, ad custodiam ciuitatū Imperialium, aliquid suæ operę impendisse Gregorium: ait enim ibid. *Vnde scriptis vos præsentibus curauimus admonendos, vt prædicto magnifico viro Tribuno (sicut & fecistis) omnem debeatis, pro serenissimorum Dominorum vtilitate, vel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere.*] Absente enim Imperatore, ex fidelitate, quam debēt Episcopi, pśertim regalia possidentes, suis Principibus, sui esse muneris censuit, custodiæ ciuitatum, ingruentibus hostibus, inuigilare. Quod sane Episcopus oīs, ingruente tali necessitate, hodieq; pręstare debet, etiam ad sui gregis temporalē vtilitatem & custodiam, ne ab hostibus laceretur.]

XVIII. Imo quando tanta ingruerit necessitas, debet & ipse & sacerdotes, ac clerus tot⁹, post diuinas preces placationemq; numinis, ad mœniorū custodiā insurgere, vt idem Gregor. optime monet Agnellum Terracinæ Episc. *l. 7. ind. 1. ep. 20* dicens, *Homines ecclesiasticos à murorū custodia nō excusari.*] Ex hac itaq; parte non puto hæc tempora esse illis tēporibus minus felicia, qn̄ nihil minus Ecclesiastici, ingruente hostium necessitate, ad ciuitatum & murorū custodiam sunt parati: sunt enim ipsi etiam pars ciuilis Reipublicæ. Pōtifices tn̄ nunc à Principibus impediti, quo minus spiritualia possint plene curare, est supra conuictum falsitatis: nisi valde imperite, & parum pie, ne dicam impie, nomine spiritualium velimus intelligere, vt solent iam passim Romani curiales, ius puniendi clericos omnes corporaliter; de bonis temporalibus & terrenis disponere: de rebus ciuilibus iudicare: & similia, quæ ab omni spiritualitate sunt remotissima, & vt ostendi, ac ostendam, Principum temporalium maxime propria. Dicamus vero nos, O tempora nostra, hæc ex parte infelicia: vtinam modo essent Ecclesiasticorum curæ in spiritualibus: & non se totos illi in temporalia effunderent, quæ maiori indies ignominia laicæ potestatis auersione cōtentiosa vsurpantur:

spiritalia vero posthabentur. Episcopos tamen posse Regibus adesse consilijs, eorum quoque aulas ex causa pia & opportuna frequentare ostendi, *lib. 2. c. 7 n. 24.*

XIX. Scio me à Bellarmino temeritatis insimulatū iri, dum nego, terrenos Principatus Ecclesiam decere, eosq; ei vel vtiles esse, vel necessarios; imo à Deo ipso ne in ipsis se occupet illam prohiberi. Mihi tamen non exigua temeritas videtur, si contrarium asseratur, & in hoc contra diuinam Scripturam, contra rationem, cōtra sanctos Patres audacter pugnetur: cùm præsertim nihil aliud sit, quod ad huius temeritatis dilutionem proferat ipse Bellarminus, nisi huiusmodi argumentū. Si Deo visum esset, *inquit, con. Barcl. c. 17.* non esse vtilem Ecclesiæ hunc Principatum, certè summi Pontifices Zacharias, Adrianus, Nicolaus primus, & secundus, Leo tertius, & quartus, & nonus, & alij, qui communi omnium scriptorum sententia optimi, & sanctissimi, & Deo gratissimi fuerunt, eum Principatum, non retinuissent, & multò minùs pro eo cōseruādo decertassent.] Quo genere argumenti nihil imbecillius à Viro docto proferri poterat. Verum enim (loquar ipsius penè verbis) de iudicio diuino magis ete dēdum sit sacrosanctis Euangelijs, & Pauli dictis, & sanctissimorum Patrum doctrinæ cōmunissimæ, & rationi euidentissimæ, quā factis aliquot Pontificum, hominum errorib. subiectorum, humanis affectibus, & desiderijs obsequentium, ad suam, suorumq; elationem anhelantium, de quorū sanctitate humana historicorū testimonia admodum incerta sint, & neq; apud omnes constantia: in dubium certè reuocari nō potest. Quare si hi quoq; sapuissent, à negotijs temporalibus penitus abstinuissent.

XX. Iam verò si omnia negotia temporalia, præsertim publica, publici regiminis, publicæq; iurisdictionis, sunt ab Ecclesiastica professione alienissima, quanto magis bellica tractare, & gladio vti materiali erit ab Ecclesia alienum? Sunt tamen, qui in Ecclesia materialem ponant gladium, & bellicos apparatus, etiā seclusis ab ea dominijs, quæ possidet, temporalibus. Si enim semel admittamus Episcopum simul esse Regem, poterit ille quidē, vt Rex, bella gerere, hoc non negamus: sed Episcopum vt Episcopum posse etiam ad Christum defendendum gladium portare, nemo profectò hoc sapit, nisi qui delipit. Si verò Episcopus non vt Episcopus, sed vt Princeps bella gerat, & secularib. distractus negotijs Ecclesiastica posthabeat, iste, vt Episcopus, damnationem facile incurret; quid vero ei, vt Princeps est, sit obuenturum, dicat Coloniensis quidam rusticus, cuius facetum scoma refert *lib. collectan.* Fulgosius. Nos materialem gladium in Ecclesia non esse duplici nomine confirmamus: & primùm quidem in genere, quia causa Christi armis materialibus, etiam per laicos, nō promouetur, neq; defenditur. Deinde in specie, quia Ecclesiastici homines, excepto aliquo necessitatis casu, gladium cingere nunquam debent.

XXI. Gladium materialem pro fide vel conseruanda, vel promouenda, à nemine exercendum esse, Christi verbum, quo Petrum gladio ferientem vt ipsum Christum defenderet obiurgauit, satis confirmat; *Matt. 26. 52. Conuerte gladium tuum, in locum suum, &c.* Et ratio conuincit, fides enim suadenda est, non imperanda, vt pluribus *lib. 7. cap. 1.* prosequor: & explicat Athanasius ita scribens: *epist. ad Solitar.* Diabolus, quia nihil veri habet, in securi & ascia inuadens concutit fores eorum, à quibus recipitur; Saluator contra mansuetus est; Si quis, inquit, velit me sequi, & esse discipulus meus: docetq; se, cum ad quempiam venit, non vi instare, sed potius pulsare ac dicere, *Cantic. 5. 2. Aperi mihi soror mea sponsa*, quod si aperiant, intrat, sin grauentur, aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladijs, aut iaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo.] Tertullianus gladium materialem abiectum esse ab Ecclesia, etiam pro fidei propriæ defensione, satis significat *cap. 9 sequenti num. 8.* Et strenuum quendam Christi, simul etiam terrenum militem laudans, ait de illo, *de corona milit.* Gladium nec Dominicæ defensioni necessarium reddidit.] Innuēs ex eo, quod Christus Petrum gladio vti prohibuerit, non licere Christianis gladiū ad suæ fidei defensionem vti. Quod clariùs postea Augustinus in hęc verba explicauit, *ep. 48* Aspice etiā tempora noui testamenti, quando iam ipsa mansuetudo charitatis, nō solum in corde erit seruanda, verum etiam in luce monstranda, quādo Petri gladius in vaginam reuocatur à Christo, & ostenditur nō debuisse de vagina eximi, nec pro Christo.] Et Cyrillus, Vbi Petrus gladio percutiens reprehenditur a Christo, Docemur, *inquit, in Ioh. l. 11 c. 35.* si nolumus in simili certamine Deum offendere, quod non ferrum accipiendum, non lapides proijciendi, non fustes in aduersarios Christi erigendi sint, non enim *2. Cor. 10. 4.* carnalia sunt arma nostra, vt ait Paulus.] Et destructionem mœniorum *Iosua 6.* Hierico idem Cyrillus *in Ioh. 4. cap. 28.* considerans ait: Ipse namq; Christus per Sanctos Viros, modo vbiq; circunductos, non armis aut machinis, sed buccinarum clangore, sed Euangelica Apostolicaq; doctrina, vniuersas Diaboli vires euertit, cum omnium penè gentium consensus fide Dominum suum suscipiat. Quod & in glorificationibus in Ecclesia publice fuse videmus Pontificiali buccina responsionem populi præcedente. Pontificis enim vocem quasi buccinam quandam intelligimus, & hoc pacto aduersarios fundimus, atq; fugamus: non enim corporea sunt arma nostra, vt ait Paulus, sed spiritalia, & diuinæ virtutis plena.]

XXII. Hæc sanè Christi verba, cum appositis explicationibus, non modo auferunt gladium à femore cuiuscunque Viri Ecclesiastici, sed etiam absolutè & vniuersè Christianis omnibus, siue mauis dicere Ecclesiæ toti, pro vt complectitur & Ecclesiasticos, & laicos fideles, etiam Principes, vetatur, ne gladio vtatur ad Christi defensionem, hoc est, ne armis, bellicoq; apparatu, Christi fides defendatur, & augeatur. Caue tamē, ne putes me asserere, Christianis Principibus, & militibus bella iusta gerere non licere; hoc enim stultum est asserere, sicut & stultè aliqui asseruerunt, cōtra quos meum institutum non fert vt insurgam; assero tamen Christi fidem armis carnalib. non propagari, sicut neq; talibus armis primum est disseminata; sed sicut in die *Iudic. 6. 7.* Madiam, tubis mysticè, & lagenarum complosione.

XXIII. Huc quoq; facit quæ supra *num. 13.* Hilarius sapientissimè, & merito deplorabat, stultas nimirum vigere iam in Ecclesia Christi opiniones, quibus patrocinari Deo humana credunt, & ad tuendā Christi Ecclesiam ambitione sæculari laborari. Iste n. profectò belli Christus mundum sibi habet subiugatum, non tamen belli carnalis, sed spiritualis: neq; enim gladio materiali in eo subiugando vsus est, sed gladio linguæ ac *Ephes. 6. 17.* spiritus, quod est verbum Dei. Quare nunquam ego laudauerim sine Papæ Episcorumque conatus, quibus arma solent Principum excitare: siue ipsorum Principum Christianorum apparatus, qui ita excitati, bellico strepitu aduersos Turcam vel hæreticos insurgunt, ad hoc, vt Christi fidem Catholicam extendant, & confirment. Ego certè vanitati annumero omnes illorum humanos & carnales cogitatus, qui vi corporea, & armis materialibus fidem & religionem Christi censent dilatandam. An non vero sanius, & Christi ipsius exemplo conuenientius esset, prædica

tores

tores multos, armis spiritualibus instructos, non ad trucidandos ipsos infideles, sed ad debellandas infidelitates mittere? Ac sanè, quod spectat ad nostræ Europæ siue hæreses, siue errores, siue schismata, si serio pietatis negotio incumbere, ac armis religionis nomine susceptis nihil aliud vellent Christiani Principes, nisi veritatem fidei Catholicæ omnibus inter se dissentientibus persuadere, breuissimo tempore, absque vllo armorum apparatu, absque sanguinis effusione, absque vllo fermè incommodo fidei vnius veritatem vnam & eandem poterunt, communissima Ecclesiæ pace & tranquillitate, stabilire. Qua via, si quæratur, ac quo conatu, facile dicam quod facile fiet. Sola scilicet partium diffidentium collatione in Concilio libero generali, bene tamen per ipsos Principes ordinato, & gubernato. Quod si Concilium factiosum, seruile, ac sinistrum subornetur, ac eo conatus dirigantur, vt, quod Romani tantùm docent, ab omnibus credatur, & vt Romanæ Monarchiæ Ecclesiæ omnes à Christo factæ liberæ colla subdant, & captiuæ contra ius fasq; teneantur, irriti erunt huiusmodi conuentus, & perturbationes semper maiores consequentur, nihilque prorsus aliud nisi grauiora mala & scandala etiam in temporalibus contra seipsos Principes ipsi excitabunt. Non enim DEI opus peragunt, sed humanum, qui his technis religioni illudunt: consilium vero *Actor.* 5.36. quod à DEO non est, cito semper dissipabitur. Quod autem ad rem apertam attinet, discant exemplis nouis & veteribus, quid arma vnquam profuerint ad fidei nostræ propagationem. Qui fabri belli olim exitus? Quid Ludouicus Galliæ Rex sanctus? Quid contra Turcas tot exercitus? Quid truculentissimæ Belgarum oppressiones? Quid classes, quid tot infames conspirationes contra Angliam? Quid colligationes Gallicanæ? Quid apparatus contra Germaniam? Omnia semper vanissima sicut hucusque fuerunt, ita & posthac sunt futura. DEVS enim suam fidem non vult his medijs defendi seu dilatari. Audiamus ex ipsius Bellarmini ore piam sanè, & quæ reliquis ipsius principijs ac conclusionibus Papamonarchicis antidotum porrigat, *de Eccles. l. 4. c. 6.* Durauit Ecclesia à Christo hucusq;, frustra, *inquit*, eam oppugnantibus primo Iudæis, deinde Paganis, vltimo hæreticis; nec solùm durasse *tam constat*, sed etiam ex persecutionibus creuisse. Vt enim aquæ diluuij Palatia Regum diruebant, atque deijciebant, arcam vero Noë semper magis ac magis attollebant; ita persecutiones Regna temporalia facile destruunt, Christi Regnum, quod est Ecclesia, non modo non destruunt, sed etiam illustrant. Itaque Iustinus in Triphone dicit, persecutionem idesse Ecclesiæ, quod est vineis putatio: vt enim vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque Ecclesia persecutionibus crescit. Et Tertullianus *cap. vlt.* Apologetici, sanguinem martyrum eleganter semen Christianorum vocat: quod explicasse videtur Leo *serm. 1. de SS. Petro & Paulo*, cùm ait: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Hæc Bellarminus, profecto præclare. Cur non ait persecutionibus prorsus extingui Ecclesiam, propterea armis semper esse instruendam, quibus se à persecutorum incursionibus protegat? Imo sicarios debere esse Ecclesiæ in promtu, & ad manum, vt Regum infestantium iugulum per insidias petat.

XXIV. Imperator sacratissime, Reges serenissimi, Principes religiosissimi, & Respublicæ Christianissimæ, si viribus solis humanis, vestroque solo gladio materiali pacata omnino retinere speratis vestra regna, vbi ex causa fidei & religionis vigent dissensiones: dicam bona vestra cum venia, errorem erratis nō leuem: Si Romanæ parti adhæreatis, eos qui indebitam Romanam Monarchiam ferre non possunt, neq; debent, afflictos, & gementes subditos habebitis. Si reformatos vobis fouēdos suscipiatis, Romanum Pontificem, Episcopos plurimos, cæterosq; eis addictos absq; dubio sentietis aduersarios; & tales fortasse aduersarios, qui in caput vestrum dira & funesta moliantur. Humana consilia tanto malo occurrere non possunt. Ac nisi prius vnionem fidei in vestris Regnis vos ipsi, non vi, non armis, non terroribus, non carceribus, non proscriptionibus, non sanguinis effusione; sed Verbo Dei, sed tutis & bene regulatis consultationibus, sed veræ Apostolicæ & sanctorum Patrum sanæ doctrinæ explicationibus, viribus vestris externis, vt ritè fiant, adiutis, effeceritis, in vestris ditionibus vbi huiusmodi ardent discordiæ, tuto pacateque non regnabitis. Quid igitur vobis agendum? Vestrum est Principes religiosissimi, vestrum, inquam, omnino, & non alterius, vt sæpius & docui, & monui, & docebo, & monebo, vt vnitas fidei Christianæ Catholicæ & Apostolicæ reparetur: ea vero reparata, & perfectè stabilita, tum demum cura vestra pro ipsius conseruatione, erit maxime & vtilis, & necessaria, ne pax publica Ecclesiæ per vos iam conciliata, à quoquam scelesto perturbetur, sed Ecclesia sua tranquilla deuotione lætetur. Vnitate fidei, in nostro Occidente, per vos stabilita, mihi dubium non est, etiam Orientem nobiscum consensurum; ita vt tota Christi Ecclesia, per vniuersum orbē diffusa, perfecta charitate in Christo vnita, vna fide, vno baptismate, vna religione, vni Domino seruiat, & plenissimè obsequatur.

XXV. An vero possit licite à Christianis bello Turca impeti, vbi iam habet Regna olim Christianorum occupata, neque legitimus illorum Rex aut Dominus Christianus vllus extat superstes, qui præsertim viribus Christianis sit in suum Regnum restituendus; si Christianam fidem ille non insectatur, sed Christianos in sua fide relinquit imperturbatos, nihil statuere auderem. Non enim video, quo iusto, pio & sacro titulo, possent Principes Christiani illum oppugnare & expugnare, vbi iam videtur legitimus Rex & Dominus, imo & Orientis Imperator. Nam quod tyrannice Imperiū illud occupauerit, & iniuste Imperatores Christianos eiecerit, non videtur ratio sufficiens eius Imperij oppugnandi. Huic quippe obiectioni etiam inter Christianos plurima Regna & Dominia parent. Iulius Cæsar, deinde Augustus, iniustè & tyrannicè occuparunt Rempublicam Romanam; nihilominus Tiberius, Augusti successor, à Christo fuit pro legitimo Rege, & Cæsare, agnitus & approbatus, vt iam aliquoties monui; idem profecto etiam de Turcarum Regibus, primorum inuasorum successoribus, videtur dicendum. Neque nouum aut insolitum est, *inquit Bellarminus, cont. Barcl. c.* 38. vt initia Regnorum sint violenta, & tyrannica; & tamen paulo post, consentiente populo, Reges legitimi habeantur. Ipse certe Augustus, qui Imperator optimus habitus est, Rempublicam iniuste initio oppressit, & Principatum sibi armis violenter vsurpauit. Otto Galbam occidit: Vitellius Ottonem eiecit. Vespasianus Vitellium: & omnes tamen Imperatores à Senatu populoq; Romano salutati sunt. Quid atrocius, quàm quod Philippus gessit, cum Gordianum Imperatorem legitimum sustulit, & imperium eius inuasit? & tamen ipse quoq; legitimus Imperator habitus est. Mitto Odoacrē Herulum, Gothos, & Longobardos inuasores Italiæ; & alios prope innumerabiles, qui per vim Regna occuparunt; & postea tamen, acce-

nim, Psal. 33. 11. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et iterum Psal. 33. 6. *Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.* Principes & seculares homines atque bellatores, conuenit curam habere & solicitudinem contra inimicorum astutiam, & Prouinciæ defensionem. Præsulibus verò Sacerdotibus, atque DEI seruis, pertinet salutaribus consiliis atque orationibus vacare, vt vobis orantibus, & illis bellantibus, DEO præstante, Prouincia salua persistat.] Et quod verbo docebat Zacharias, hoc factis & exemplo confirmabat. De eo enim narrat Anastasius Bibliothecarius, ipsum ciuitates aliquot patrimonii sancti Petri à Luitprando Longobardo, non aliis armis, nisi Sacerdotalibus recuperasse, prece & humilibus colloquiis, & commonitionibus: ex quo meritò in ea verba prorupit Baronius *tom. 9. ann. 742. num. 36.* Vt acciderit tunc planè quasi miraculum à DEO, cùm post tot turbas, tot deprædationes & cædes, inermis Christi Vicarius armatos conueniens hostes eosdem diuina potentia superarit, & ad reddenda ablata compulerit, & ad captiuos dimittendos liberos adegerit: Vt planè apparuerit, longè præstare arma spiritualia Deo potentia, quàm carnalia: atque gladium Spiritus (quod est Verbum DEI) hostium corda potentius penetrare, quàm ferreum.] Nicolaus Primus: Militum, *inquit epist. 27.* Christi est, Christo seruire: Militum verò sæculi, sæculo: sicut scriptum est 2. Tim. 2. 4. *Nemo militans DEO, implicat se negotiis sæcularibus.* Quod si sæculi milites, sæculari militiæ student, quid ad Episcopos & milites Christi, nisi vt vacent orationi?] Item 33. *quæst. 2. c. inter hæc:* Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus; gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit, sed viuificat.] Ioannes Octauus in Sergium Magistrum Neapolitanum *epist. 40. tom. 3.* minax his verbis insurgit: Quod si nos non audieritis, non solùm nos spirituali vos iterato gladio percellemus; sed & ii qui nō sine causa materiales gladios portant, cùm sint sanctæ Ecclesiæ validi defensores, & feruidi zelatores, cunctis aduersis, & prosperis conculcatis, aduersus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores eius, celerius properabunt.] Obserua aduersatiuas illas (non solùm nos, sed & ij qui gladium portant) si gladius fuisset Papæ, dixisset, non solùm gladio spirituali, sed etiam materiali vos percellemus. Ostenditque, se quidem spirituali vsurum gladio iterum: Principes verò etiā ipsos, viso contemptu Ecclesię, & rogatos ab Ecclesia, gladio suo materiali insurrecturos. Eiusdem Ioannis verba sunt, 16. *q. 3. cap. Porro:* Ecclesiæ corporalia nescientes arma, solum dominum & propugnatorē suum, qn̄ ei placuerit misereri, patienter exspectant.] Innocentius 23. *q. 8. c. cùm à Iudæis,* ait: Cùm à Iudæis Dominus caperetur, & Petrus cuiusdā inobedientis aurem abscinderet, fetire prohibuit; & forma omnium Sacerdotum (quorum prior erat) et pro se ipso capi arma carnalia prohibuit.]

XXX. Petrus Damiani grauiter reprehendit Prælatorum abusus, quòd galeati & loricati castra sæpiùs sequi essent soliti. Audiamus quid ille *Epist. ad Firminum,* in hoc genere scribat: Sicut ergo ipse Dei Filius, cuncta Mundi furentis obstacula, non per districti examinis vltionē, sed per inuictam superauit inconcussæ patientiæ maiestatem, ita docet Mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædenti læsionibus respondere; præsertim cùm inter Regnum & Sacerdotium propria cuiusque distinguantur officia, vt Rex armis vtatur sæculi, & Sacerdos accingatur gladio spirituali, qui est Verbum DEI. De sæculari nempe Principe Paulus dicit Rom. 13. 4. *Non sine causa gladium portat, DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ozias Rex, qui Sacerdotale vsurpat officium, leprâ perfunditur; 2. *Paral. 26. 19.* & si Sacerdos arma corripit, quod vtique laicorum est, quid meretur?] Et post allata exempla, & documenta mansuetudinis ex Scriptura, ait: Si ergo pro fide, qua vniuersalis viuit Ecclesia, arma ferrea capere priuato non licet, nusquam ferrea corripere arma conceditur, quomodo pro terrenis & transitoriis Ecclesiæ facultatibus loricatæ acies in gladiis debacchantur? Porrò sancti viri cùm præualent, hæreticos, idolorumque cultores nequaquam perimunt; sed potius ab eis pro fide Catholica perimi non refugiunt; quomodo ergo pro rerum vilium detrimento, fidelis fidelem gladio petat, quem secum vtique redemptum Christi sanguine non ignorat?] Post hæc narrat pulcherrimam historiam de indicta pugna inter Abbatem quendam Monachorum, & virum Principem sæcularem, ad quem Abbas cum monachis cucullis opertis prodiit contra armatos, virumque illum flexit ad omne præstandum obsequium. Inde verò perstringit Leonem Nonum, qui primus Romanorum Pontificum dicitur armatus ad præliandum in castris fuisse: & ait: Ad hæc si quis obiiciat, Leonem bellicis vsibus se frequenter implicuisse Pontificem, nihilominus verum esse dico quod sentio; quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicū obtinet principatum quia negauit; nec Dauid idcirco Prophetiæ meretur oraculum, quia thorū alieni viri inuasit, cùm mala vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus indicari. Nunquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arianis, se suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Nunquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur Ecclesiastici cuiuscunque negotii leges dirimant fori, vel Sacerdotalis edicta Concilii, ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, vel ex sententia prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum.] Hæc optimè & appositissime Petrus Damiani: contra quem ferox insurgit Baronius: sed quàm immeritò, postmodò videbimus.

XXXI. Eundem Leonem Nonum priscus etiam reprehendit Historicus, de illo ita scribens *apud Inret. ad Ivo. epist. 30.* Iste primus Romanorum Pontificum à B. Petro ad se vsq;, cum manu armata in bellum processit. Qui quamuis sanctus fuerit, & pio hoc animo egerit, tamen quia id eius non erat officij, neque hoc illi permissū fuerat à Domino, qui pati venerat, suosq; vt ab aliis magis paterentur, quā vt alios persequerentur, præmonuerat: Ideo exercitus sui multitudo cæsa est, ipso prospiciente. Non enim Dominus discipulis suis, neq; idem Apostoli suis successoribus præceperunt, vt curis sæcularibus, velut Principes sęculi, materiali gladio Dei populum tuerentur; sed verbo doctrinæ monerent, & piæ conuersationis exemplo instruerent.]

XXXII. Bellarminus etiam *con. Bar. cap. 11.* Leonis IX. exemplo, Ecclesiasticorum bella collaudat: quia ille sanctus fuit. Atqui Dauid sanctus fuit, nec tn̄ eius exemplo homicidium & adulterium defendimus. Sed & Petrus sanctus fuit: nunquid vero negatio Christi in eo est laudanda? Nunquid (vt propius rem ipsam attingamus) in Petro laudauit Christus gladij materialis euibrationem, cùm in Domini hostes coniuratos insurgeret? Sed & de hoc ipso Gratianum haud obscurē, gladium hunc à Petro, eiusq; successoribus ablegantem audiamus: Cùm Petrus, *inquit 23. q. 8. in princ.* qui primus Apostolorum à Dno fuerat electus, materialē gladiū exerceret, vt magistrū à Iudęorū injuria defensaret, au-

ret, audiuit; *Ioan.18. Conuerte gladium tuum in vaginam; Omnis enim qui gladium acceperit gladio peribit.* Ac si apertè ei diceretur: Hactenus tibi, tuisque prædecessoribus, inimicos DEI gladio temporali licuit persequi: Deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est, tibi hactenus concessum, in vaginam conuerte: & tamen spiritualem gladium, quod est verbum DEI, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel autoritatem eius, qui legitima potestate vtitur, qui, vt ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet, omnis, inquam, qui præter autoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.] Hic vero nihil aliud dicere Gratianum respondet Bellarminus *cont. Barcl. cap. 19.* nisi prohiberi Sacerdotibus, nè propria manu gladio vtantur. Quomodo verò erit exemplum patientiæ, si ipse meum hostem non feriam, cum tamen à famulo meo feriri iubeam? Gratianus facilè in Bellarminum illam iuris regulam intorsisset, *Quod quis per alium facit, per se facere videtur.*] Et quomodo hæc contraponuntur, vt Sacerdos manu propria non feriat, sed aliena, & gladio solo spirituali verbi vtatur? Vana sunt hæc diuerticula.

XXXIII. Iuo Carnotensis quid de hoc sentiat audi: *epist. 247.* Quomodo Ecclesia iudicare debet fundendum sanguinem alienum, quæ à primo ortu suo iussa est fundere sanguinem proprium? Faciant hæc cuncti iudices, qui ad malorum vindictã gladium materialem portant, non qui contra nequitias spirituales gladio spiritus pugnant: vt, cum vnumquodque membrum Ecclesiæ officium non vsurpauerit alienum, laudes mereatur, quæ sponsæ Christi cantantur in Canticis Canticorum: *Cant. 6. 9. Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata.* Alioquin si alieni ordinis vsurpatores fuerimus, nec nostri officij, quod postposuimus, nec alieni, quod vsurpauimus, meritum obtinebimus: sed tanquam capite deorsum posito, & pedibus erectis thymelicorum incessum imitabimur.] Pro monstro habet Iuo, si Ecclesia sanguinem alienũ, licet ipsa non fundat, tamen vel ab alio fundendum iudicet.

XXXIV. Colophonis loco asseruaui Bernardum, quia in contrariam sententiam vi trahitur ab Hieromonachicis. Monebat is Eugenium suum, vt quanquam purpuratus, & deauratus incederet, in quo non Petro, sed Constantino successerat, nihilominus operã & curam non horreret in qua Petro successerat, pastoralem: ita vt, si volens euangelizauerit, neque Euangelium erubuerit, inter Apostulos adhuc gloriam sit habiturus; Euangelizare, *inquit, de consid. l. 4. c. 3.* pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti.] Ac pergit: Dracones, inquis, me mones pascere, & scorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos; sed verbo, non ferro. Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quẽ tamen, qui tuũ negat, non satis mihi videtur attendere verbũ Domini dicẽtis sic: *Ioan. 18. 11. Conuerte gladium tuum in vaginam;* tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis, *Luc. 22. 38. Ecce duo gladij hic*, non respondisset Dominus, *Satis est*, sed *Nimis est.* Vterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exerendus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutũ Sacerdotis, & iussu Imperatoris. Nunc vero arripe illum, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem.] Ita Bernardus.

XXXV. Quæramus igitur non quid probauerit & conuicerit Bernardus ex Scripturis; sed quid senserit ipse; & probare intenderit. Ipsius enim probationes, cum omnes ex mysticis ducantur sensibus, nihil prorsus conficiunt. *Conuerte gladium tuum*, dicit Christus; gladius igitur ille materialis, singularis, erat re vera Petri ad literam; quia in manibus ipsius erat: & duo illi gladij, erant ambo materiales, & singulares, non alter materialis, alter spiritualis: & Christi responsum; *satis est*, aliud significat, vt dicam inferiùs, quam illud, quod mysticè & sanè non admodum aptè, sed fortasse violenter, deducit Bernardus. Sensus tamen ipsius est; Pontificis opus, in quo successit Petro, esse pascere verbo, hoc est, euangelizare: & Romanos admodum pertinaces, & renitẽtes, quos vocat Dracones & Scorpiones (rebellabant enim Papæ quo ad tẽporale regimen, vt ex eodem constat) non esse ferro ab eo tentandos & vincendos, sed verbo. Nihilominus tamen illud iuris & potestatis habere Pontificem in gladium materialẽ, qui reperitur non in Ecclesia, sed in manu Imperatoris, & eius militũ, vt vbi necessitas ingrueret, ad defensionem fidei, & religionis, quam oppugnare & subuertere aliquis niteretur, gladio materiali, hoc est, vi humana, & bello vtendum, ad illum oppressorem fidei opprimendũ, Pontificis sit innuere Principibus Christianis, vt arma sumant pro Ecclesia: arma sanè non Ecclesiæ sed ipsorum propria. Et nutus ille nihil aliud est, nisi significare Principibus præsentem Ecclesiæ necessitatẽ, illosque inuitare & adhortari ad arma capienda. Qui nutus est simillimus illi, quando piscatores Apostoli *Luc. 5. 7. annuebant socijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos.* Nunquid præcipiebat iste nutus? vel vim vllam potestatis erga illos socios habebat? inuitabat tantùm, & ostendebat illos eorum auxilio opus habere, qui non ex obligatione iustitiæ, sed ex charitate essent illis opem laturi; vt captura piscium esset copiosior, & tutior.

XXXVI. Hunc esse Bernardi sensum apertiùs colligitur ex Epistola eius ad eundem Eugenium, in qua totus est, vt persuadeat Eugenio, vt moueat Principes Christianos ad nouas auxiliares copias cogẽdas in subsidium terræ sanctæ, post exercitum Christianorum ibi, re male gesta, fusum: atque hoc pacto ijsdem vtitur verbis: *ep. 256.* Intrauerunt aquæ vsq; ad animam Christi, tacta est pupilla oculi eius: exerendus est nũc vterq; gladius in passione Domini, Christo denuo patiente, vbi & altera vice passus est. Per quem autẽ, nisi per vos? Petri vterq; est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse, euaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: *Conuerte gladium tuum in vaginam* Ergo suus erat & ille: sed non sua manu vtiq; educendus. Tempus & opus esse existimo ambos educi in defensionem Orientalis Ecclesiæ, &c.] Insistit adhuc in verbo illo (*tuum*) quod ad literam tantum significat gladium illum fuisse Petri, & Petrum fuisse illius Dominum, aut saltẽm gestatorem. mysticè vero Bernardus, verbum hoc (*tuum*) ad duplicem trahit sensum: Vt alter gladius sit possessiuè proprius Petri, hoc est Ecclesiæ nimirum spiritualis, & Ecclesiasticus verbi & Euangelij, ac censurarum: alter vero materialis, non possessiuè, sed finaliter: hoc est, gladium materialem, quem possessiuè habet sola potestas laica, esse etiam Ecclesiæ finaliter; nempe ad beneficium Ecclesiæ quando oportet, à laica potestate, iussu Principis, habita significatione necessitatis à Pontifice, adhibendus. Atque has ipsas mysticas significationes, si quis vellet ad trutinam reuocare, eas non parum à iusto pondere deficere inueniret: magnas enim continent in nomine Ecclesiæ æquiuocationes. Vterque, inquit, est Ecclesiæ: sed is pro Ecclesia, ille & ab Ecclesia exercendus. Primum enim accipit Bernardus Ecclesiam pro

ipsis

ipsis Ecclesiasticis, quos facit in Petro repræsentari, ac præsertim pro Papa Romano: Deinde vbi finalem attingit causam, dicit materialem gladium non ab Ecclesia, sed pro Ecclesia exercendum: Ab Ecclesia significat Ecclesiasticos; pro Ecclesia significat, non Ecclesiasticos solos, sed totum cœtum fidelium: vt vidimus pro Ecclesia orientali fuisse educendum. Quomodo enim pro Ecclesia significabit pro Ecclesiasticis? quasi Principes velit ille pugnare pro sola Papæ & Sacerdotium tuitione, & non potius pro fide & religione Christiana, quæ est totius Ecclesiæ non Papæ solius aut Sacerdotum. Vide itaque verbum illud (*tuum*) ex, quo solo vrget Bernardus, non reduci ad Papam & Ecclesiasticos, sed ad totam Ecclesiam. Ex his ergo habemus Bernardum non dedisse Papæ & Ecclesiasticis gladium materialem; sed solum officium, vt possint in necessitatibus Ecclesiæ Principum opem implorare.

XXXVII. Esto possint iam Ecclesiastici inuitare & annuere, necessitatemque ostendere, hortari, suadere & rogare, certè non possunt cogere. Si enim nolint Principes bellum ab Ecclesia propositum suscipere, quid potest Ecclesia? Possum, inquit Ambrosius, gemere, flere, dolere, lachrymæ tunc erunt arma Ecclesiæ. Principes vero, si suam opem malè & indebitè negent Ecclesiæ, Deum habent vltorem. Neque stare potest, quod ait Bellarminus, *cont. Barcl c.19.* cogendos tunc esse à Pontifice gladio spirituali, id est, censuris: & si censuris non moueantur, & Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit, *inquit*, subditos eorum ab obedientia, ipsisque Principatus abrogabit.] Atqui verò contemnēt censuras: & Principatū quisq; suum suo gladio tuebitur; quid tum fiet? Certe absq; materiali gladio Papa nihil reipsa obtinebit: ad gladium iamē censurarum ideo recurrit, quia gladio materiali illos cogere non potest; neq; suo, quem nullum habet, vt Pontifex, neque alieno, quem ei, qui illum habent vt proprium, nolunt commendare. Habemus ergo, re vera nullam habere Ecclesiasticos gladij materialis potestatē, neq; proprij, neq; alieni: Sed solum rogare posse, & hortari. De liberatione vero subditorum ab obediētia suorum Principum, & abrogatione Principatuum, dicam capite o.

XXXVIII. Nunc vero illud maxime vrgeo, materialem gladium, vel pro Christo ipso non esse e aginādum, vt supra ex Augustino, & alijs docui. Atq; in hoc Bernardum etiam interdum vt hominem, limites spiritus Euangelici arbitror excessisse, dum pro Ecclesia, Ecclesiasticorum adnisu, vult bella geri. Bella quidem Christianis laicis non sunt prohibenda, vbi causa iusta iusti belli subest, pro securitate, pace, & tranquillitate publica, & ad reprimendos iniustos inuasores, ac publicæ pacis turbatores. Quamuis in hoc etiam non leuiter errauerit Innocentius quartus, qui in sola Christi Ecclesia, in manibus tantum Christianorum, posuit gladium hunc materialem: & extra Ecclesiam negat esse legitimum huius gladij vsum: in quo à viris doctis & Catholicis taxatur hæreseos. *Almayn. de pot. Eccl. & lai. q.1.c.11.* Cum etiam penes Principes Ethnicos sit æquè *Rom.13.4.* ius gladij, atq; penes Christianos: Fidem tamen & religionem, sicut arma materialia non pepererunt, sed verbum Dei, ita neque armis materialibus est aut propaganda vlterius, aut conseruanda, vt iam probaui. Quod vero Bernardus iterum Christum passum dicat in Oriente, vbi ab infidelibus terrenus illorū locorum Principatus exercitibus propugnabatur & oppugnabatur, mihi vt hyperbolicè, vel poëticè dictum haud prorsus arridet: Quasi Christus venerit pro huius mundi temporali vllo Principatu stabiliendo, ac recuperando. Quasi Christus carnem nostram sumpserit, vt locum aliquem terrenum, vtcunq; ipsius sancti corporis contactu honoratum, ab infidelium incursibus defenderet. Imo forte ideo passa est diuina prouidentia terram illam sanctam à fidei Christianæ alienis & hostibus possideri, ne Christiani ipsi nimia & præpostera veneratione loca illa visibilia prosequerentur, ac à cœlestibus abducerentur. Quod si toties iterum patiatur & crucifigatur Christus, quoties à fidei Christianæ inimicis possidentur loca illa à Christo frequentata, cur permisit Deus ea post Christi mortem incoli à perfidis Iudæis vel ad breue tempus: cur ab Ethnicis Romanis deuastari? cur postea à Saracenis Turcisque occupari? Prædicabat ipse & Apostoli eius, Euangeliumq́; disseminabant, & Ecclesiam per totum Orbem amplissimam fundabant, & nunquam ad hoc necessarium esse aut Christus docuit, aut Apostoli censuerunt, vt Principes infideles & tyranni Euangelium persequentes, temporaliter debellarentur. Ecclesia Christi tamdiu fuit florentissima, quamdiu ab infidelibus, & tyrannis pressa: & cum primum erepti fuerunt infidelibus Principatus terreni, & ad Christianos deuenerunt, Ecclesiæ decor & splēdor cœpit marcescere; ac pro interno splēdore fidei, patientiæ, & virtutum omnium Christianarum, externus splendor diuitiarum, otij, commoditatum, & ambitionis iam cœpit Ecclesiæ dici splendor, & libertas; atque pro hoc splendore, & pro hac libertate temporali decertatio, armis etiam facta temporalibus, bellum pro Ecclesia susceptum, (proh pudor, proh dolor) cœpit dici. Quod ego satis deplorare nunquam potero; vt præpostera absurdaque inuersione armis carnalibus fides propaganda esse censeatur, & armis spiritualibus temporalia conquirantur.

XXXIX. Non itaq; est audiendus Bellarminus, dum ait, *de Rom. Pont. l.5 c.9* propter malitiam temporum, experientiam clamare, non solum vtiliter, sed etiam necessario, ex diuina prouidentia terrenos aliquot Principatus ad Ecclesiasticos deuenisse. Si enim, *inquit*, in Germania Episcopi Principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent.] Et dat exemplum veteris scripturæ, quod ad finem illorum temporum necessarium fuerit, vt Regnum perueniret ad manus Sacerdotum Machabæorum. Non est, inquam, audiendus, quia tales vires æquè possunt defendere ministrum falsitatis contra veritatis Zelatores, ac ministrum veritatis contra ipsius veritatis oppugnatores. Et si Episcopi Germaniæ non essent tam potentes, iamdiu Papatus ex tota Germania exularet, & reformatio puræ Religionis in ea tota exultaret. Ex hoc itaque, quod Papalis religio ex temporali potentia totum fulcrum habet, colligat quisque prudens, an Papismus sit Paganismo & Machomatismo affinis, quos framea sola sustentat: non talis est pura Christi religio, vt supra *num.13.* Chrysostomus optimè disserebat. Assamonæi vero & pro patrijs legibus, & temporali Regno, ac totius populi libertate, optimo zelo pugnauerunt initio, neque eis quicquam obstabat, quo minus possent & Sacerdotium, & regnum, quandoquidem vtrumque erat carnale & temporale, gubernare: sed dum bello vacabant, Sacerdotij propria munera vix obibant. Quo tamen quæso, tandem deuenerunt? Duces tantum belli esse cœperunt, ac Iudas quidem Machabæus summum etiam habuit Pontificatum, non legitima sanguinis successione, sed populi electione, vt auctor est Iosephus: *de antiq. l.12.* Simon Iudæ frater firmauit *idem l. 13.* Pontificatum cum Principatu, ac vtrunque fecit hæreditarium in Assamonæorum familia. [*Idem ibi l. & Hier. in Dan cap 9.*]

Aristobulus Simonis Nepos, non contentus Ducatu, seu Principatu, Regium sibi nomen Regismque potestatem assumpsit. Ecce Pontifex tandem erumpit in Regem. Ita diuina prouidentia, scilicet, tandem summum nostrum Pontificem, temporalia iam non ex charitate, vt Machabæi initio, sed ex propria potestate tractantem, ad temporalem mundi, & hæreditariam perducet Monarchiam, exemplo Assamonæorum, qui priuati Leuitæ cum essent tantum, aut simplices Sacerdotes, postquam viribus armorum inualuerunt, & summum Pontificatum, & Regnum arripuerunt.

XL. Obijcit tamen idem Bellarminus, *cont. Bard. c.6.* Vim vi repellere licere, & iure belli persecutionem siue gentilium, siue hæreticorum propulsare, si vires adsint. Docent hoc, *inquit*, bella Machabæorum aduersus Antiochum, qui populum Dei ad idololatriam compellere satagebat; Docent bella Catholicorum aduersus hæreticos in Africa tempore S. Gregorij, *l.1. epist.77.* qui laudat Gennadium exarchum, quod magno zelo hæreticos armis persequeretur; eumq; excitat & hortatur, vt viriliter pergat. Docent bella Catholicorum contra Albingenses: Docent nostro tempore bella [*Æmil. hist. Franc. l.6.*] Heluetiorum Catholicorum, aduersus Heluetios Zuinglianos. Ita olim Catholici vexati à Cõstantino Arrano, [*Coclaus de act. Luth. an.1531.*] confugerunt ad Constantem in Occidente, & compressa est literis ipsius aliquãdiu persecutio.] Esto fuerint hæc de facto patrata. [*Hist. trip. l.4. c.25.*] Ego vero libẽter audissem illa ab Ecclesia, aut viris sanctis laudari & approbari. Contra lõge aptius, & neruosius ego arguere possem ab exemplis, si proferrem innumerabilia facta, in quibus Ecclesia tolerauit patientissimè persecutiones, neq; vi & armis resistendum esse, etiam quando potuit, censuit. Fuga quidem sibi fidelẽ posse consulere, & vitare persecutionem, non dubito; id enim cum ex Scripturis, tum ex Athanasij & facto, & Apologia optimè didici: Vt tamen & armis resistẽdum esse legitimo proprio Principi, fidei persecutori, nondum didici: ac præsertim Ecclesiasticos Christi ministros, ex ipsorum officio, & autoritate, posse pro tali resistentia, contra fidei persecutores, arma sumere, aut monere, mihi nondum possum persuadere. Teneo Nazianzeni dictum, qui de Iuliano Apostata sic loquitur: *orat. in Iulian.* Coercitus est tamen Dei clementia ac lachrymis Christianorum, quæ multæ iam & à multis erant effusæ, cum solum hoc contra persecutorem haberent remedium.] Et Chrysostomi, qui de Principe Ecclesiastico, hoc est, Episcopo, ita scribit, *in ep. ad Heb. hom. vlt.* Intueris quoniam cum contemnitur Princeps, non oportet vltiones ingerere; sed tota vltio est plorare, ingemiscere. Et similem facit [*Idem in epist ad Tit hom.1.*] Medico, qui si ab ægroto cõtemnitur, gemere, *inquit*, illius causa potest, sed non se vlcisci.] Vt vidimus etiam *lib.5.* præcedenti, *cap.2.* Augustinus quoque præclarè, *de ago. Christ. c.12.* Ecclesia, inquit Paganorum impetus frangens, magis magisque roborata est, non resistendo, sed perferendo.] Si solum remedium sunt lachrymæ & tolerantia, non ergo arma, non vis, non depositiones, non subtractio obedientiæ & fidelitatis. Sanè Bellarmini argumentum æquè armat hæreticos subditos contra Catholicos Principes, qui ipsos hæreticos corporali persecutione affligant; atque Catholicos subditos contra Principes hæreticos. Et idem argumentum generaliter omnes rebelliones, etiam iniustissimas, & suscitat, & fouet, & defendit. Nam quoties Princeps scelestos, inquietos, publicæ pacis perturbatores, fures, Latrones, & similes, pœnis corporalibus & supplicijs cohibendos esse statuet, licebit illis, si vires adsint, vim vi repellere, & iure belli in suum Principem insurgere: tales enim facile dicent se iniustas pati persecutiones. In causa itaque fidei potissimum nunquam licebit arma sumere contra proprium Principem, qui iniustas etiam propter fidem moueat in suos subditos persecutiones; sed precibus, vt Patres nos docuerunt, & lachrymis agendum, & aut fuga sibi consulendum, aut martyrium libenter subeundum: quod in omnibus Ecclesiæ persecutionibus actitatum obseruamus. Si tamen persecutio fit à priuatis, priuata autoritate cõmota, vt si vel hæretici Catholicos, vel Catholici hæreticos, imprudenter, imo impiè, bonorum rapina, & sanguinis effusione persequantur, nullum video dubium iam licere parti, persecutionem talem patienti, vim vi repellere, & iure belli, si possit, persecutionem propulsare. Insectamur, *inquit Augustinus, epist.50.* vi potestatis sæcularis, hæreticos; non quia fidem deseruerunt, sed quia illi Catholicos vsque ad necem persequuntur.] Quod si aduersum propriũ Principem fidem persequentem subditi arma sumant, iam ille mutata causa in eorum capita iustissimo bello insurget, tanquam contra perduelles: & ita, qui prius Christi martyres per patientiam fuissent, iam per indebitam resistentiam perduellionis duntaxat pœnas luunt, & longe acriorem ac seueriorem in se, sua culpa, incitant persecutionem. Stabilitum enim est Ecclesiasticis, imo etiã absolute Christianis viris, pro sola causa fidei, & religionis, siue defendendæ in se, siue in alios propagandæ, arma arripere non licere; gladiumque materialem Ecclesiasticis præsertim ministris penitus denegari.

XLI. Machabæi Sacerdotes bello se, patriasq; leges, hoc est, diuinas defenderunt; quia se Duces effecerunt, & laicam Principis laici exercuerunt potestatem, toto populo consentiente, qui Regem alium ad hoc idoneum non habebat. Adde, si placet, Sacerdotem in veteri lege gladium materialem nõ dedecuisse, qui tamen, vt dicebat Augustinus, *de fid. & op.* 221. in Ecclesia Christi erat cessaturus. Gregorius laudat exarchum, & hortatur ad persequendum armis hæreticos: hoc intellige eo modo, quo etiam Augustinus dicebat, licere Prælatis Catholicis implorare opem Principum Catholicorum ad sui defensionem, vbi in corpora, & in fortunas hostes fidei priuata potissimum autoritate grassantur. Bella ciuilia & in Francia, & inter Heluetios, religionis causa, affert Bellarminus, quia facta sunt, & verè contigerunt, sed ostendere debuisset, aggressores merito & iuste in fratrum sanguinem desæuijsse: non enim factum, sed rectè factum adduci debet in exemplum. Iniusta tamen fuisse illa arma ex iam dictis satis colligitur, siue bello petiti fuerint, verè hæretici, siue boni Catholici. Fides enim armis neque oppugnanda est, neque propugnanda. Athanasius demum, & Catholici Episcopi confugerunt ad Cõstantem, nõ vt bellum fratri moueret pro fide, sed vt eum corriperet, & à persecutione fidei dehortaretur. Cur non appensam lauro triumphans adijcit Bellarminus famosam lanienam Gallicanam; de qua (vt scribit Iacobus Augustus Thuanus, historicus haud quidem hæreticis annumerandus *hist. lib 53. ad initium.*) prudentiores, minime Protestantium partib. addicti, cũ ad se ex tristi præsentis status cogitatione sensim redijssent, & factũ execrantes, eius causas & excusationem curiosa vestigatione quærerent, sic iudicabant, nullum similis sæuitiæ exemplum in tota antiquitate cunctis gentium annalibus reperiri, — plerique existimabant facti huius ratione nomen Gallicum olim inuidia atque adeo infamis laboraturum, &c.] Ac vt constet truculentam ac infandam hanc lanienam religionis prætextu

exci-

excitatã; addit Thuanus, nummos à Rege Carolo tunc cusos, quibus hæc inter alias addita inscriptio. PIETAS EXCITAVIT IVSTITIAM.] Scil. iustitiam, cuius quidē pudeat vel immanissimos Ethnicorum tyrannos. In gratiam solius commētitij Papatus, innumerabiles innocentes trucidātur. Talia sunt gladij facinora cuibrati pietatis ac fidei Christianæ vindicandę effictο nomine. Quid illa dirissima strages Papismo profuit? sanguis ille martyrum, semen interim verè fuit ingens sincerorum Christianorum.

XLII. Quod vero nostri Hieromonarchici bellatores volunt à Bernardo supra quoquomodo edocti, gladium materialem omnino esse proprium quidem Petri, non tamen ipsius manu, sed aliena educendum & vibrandum, id nihil est. Quæ enim cautio est ista? vel licet Ecclesiæ vti gladio hoc, vel non licet: si licet, cur cogitur aliena manu vti in eo vibrando? si non licet, sicut non potest propria manu illum exercere, ita neque potest aliena. Perinde enim est contra Ecclesiæ mansuetudinē, vt aliena, atq; si propria manu illa ferro feriat. Quod enim quis per alium facit (vt habet regula iuris) per seipsum facere videtur; & quod quis nō potest per se, non potest etiam per alium; & quod licitè potest per alium, potest etiam per se. Quæro enim si Rex quilibet pro Regno temporali bella gerat legitima, & non ipsemet exeat in castra, sed Duces belli instituat, ac ministros; ille certè non propria manu suo vtitur gladio, sed aliena; quæro, inquam, an tunc gladius materialis sit dicendus Regis proprius, & Regia manu exerceri? nemo puto sanæ mentis negabit. Dum ergo Imperatorem, & Reges, faciunt Papæ ministros & Centuriones sub potestate positos, qui iussu & nomine Papæ bella gerant, & gladio materiali, cuius Papa proprietarius esse dicitur, vtantur: proculdubio Papam faciunt habere propriè & proximè gladium materialem, & illo vti manu propria, dum per suos ministros eo vtitur, quos ille dicitur armare gladio, qui sit ipsius; sicut Rex armat suos Duces & Centuriones, atq; ita nullum discrimen erit inter Reges, & Papam, quo ad ipsam potestatem gladij materialis.

XLIII. Neq; video quo pacto asseueranter contra Canonistas Theologi affirment, Ecclesiam (sumpta Ecclesia pro Ecclesiasticis, vt est distincta à laicis) nullam habere potestatem temporalem, quod sanè affirmare coguntur, saltem directè; & nihilominus etiam eam velint cingi gladio materiali ita directè, vt domina directa sit dicti gladij, & solum vsum ipsius, nō Dominium transferat in laicos; & illis non nisi vt proprijs ministris directè vtatur; sicut Rex suis vtitur Ducibus, & Capitaneis. Et gladium, inquiunt, esse sub gladio, profectò directè; sicut gladius Centurionis est sub gladio Imperatoris. *Extrauag vnam sanctam.* Neq; enim alium sensum cerno in istis verbis; si enim dicunt gladium materialem Regis, esse sub gladio spirituali Ecclesiæ, & intelligant verbum Dei, siue excommunicationem habere ius, & autoritatem in gladium laicorum, nihil dicunt. Nam verbum Dei, & gladius ferreus toto cœlo differunt, & est Machometicæ sectæ dogma, fidem, & religionem gladio, nō verbo, esse defendendam & propagandam. Excommunicatio vero nō præcipit, sed Papa, vel Episcopus, & excommunicatione vt pœna vtitur contra inobedientes: & sic non est gladius sub gladio, sed homo fidelis nolens vti gladio materiali, est sub gladio spirituali: Gladius vero materialis erit, vt volunt, sub ipsa potestate Ecclesiastica, si illa potest inobedientes suo gladio ferire: & hoc est directissimè habere potestatem in vsum gladij materialis; sicut directè potest Imperator suum militem, vbi commissum est prælium, pugnare detrectantem, capite plectere: hoc enim propriè est gladium esse sub gladio; gladius militis, ipsiusq; vsus in tempore, sub gladio Imperatoris ipsum cogente ad præliandum. Sicut igitur miles est sub gladio Imperatoris directè, hoc est, sub potestate eius punitiua, etiamsi non fiat gladio, sed exautoratione, infamia, &c. ita faciunt gladium Imperatoris esse sub gladio Papæ, id est, sub potestate eius punitiua, separationis, imo etiam exautorationis, & depositionis. Audite Principes, Dominum cognoscite vestrum, scitote vos omnes ratione gladij, quem fertis, esse meros Centuriones & milites Papæ; ad cuius nutum, hoc est, imperium, vt ait Bellarminus, *cont. Barcl. c. 19.* moueri debetis; sicut vestro nutu & Imperio Duces vestri, vestriq; milites à vobis mouentur & diriguntur. O præclaros Doctores; Certè vel deliros, vel versipelles, qui ex vna parte constanter affirmant, *c. Per venerabilem qui fil. sine legit. & Bellar. cont. Barcl. c. 12.* Reges propria pollere autoritate temporali, & potestate suprema, ac independenti à quoquam in terris, & non esse veluti Vassallos Papæ, ex alia vero parte eosdem faciunt meros ipsius ministros, & minus quam feudatarios, sed vti ipsius officiales Duces, & Capitaneos, vt non proprijs ipsorum armis, sed armis quæ sint propria Papæ, ad nutum & Imperium Papæ, ipsius nomine & autoritate, bella quæ ei placuerint gerant, & reuocent, gladiosq; & educant, & recondant. Alioquin exautoratione & depositione puniendos.

XLIV. Habemus igitur materialem gladium ab Ecclesia, pro causa Ecclesiastica, neq; euaginandum, neq; implorandum, neq; Ecclesiasticos neq. propria, neq, aliena manu, illum absq. scelere posse pro causa similiter Ecclesiastica & spirituali, præsertim publica, tractare, quantumcunq; Ecclesiastici sint Principes etiam in aliqua ditione temporales. Nam videmus à sanctis viris, Papæ etiam postquā habet Dominia aliquot temporalia, negari tamē vsum gladij materialis. Imo ex hoc, quia talis vsus, vt dixi, etiā per ministros vehemēter prohibetur Sacerdoti, optimè sequitur Principatus terrenos, qui sine gladio hoc teneri nō possunt, Ecclesiasticos ita dedecere, vt sit pene monstrum, si terrenā Dominia voluerint simul cum Sacerdotio retinere. Si Principes esse velint terreni, abdicent se Sacerdotio; hęc enim post Christū docui esse omnino inter se contraria, neq, inter se compati, quicquid dicat Bellarminus, *de Rom. Pont. l. 5. c. 9.* non quod vtraq, potestas in suo genere non sit bona, & à Deo instituta: sed quia vtraq; totum requirit hominem, & altera tota externa & carnalis sit, altera nūc post Christum tota spiritualis (nam ante Christum Ecclesiastica etiā erat carnalis, ac propterea facile in eadem persona poterat & solebat vtraque cōcurrere.) Potestas altera summa vtitur mansuetudine, altera summo rigore, & ita: altera seruit suo gregi, altera imperat: altera humilitatem requirit, altera Dominatum, & splendorem: altera indiget opibus, militibus, præsidijs, altera vacua curis debet esse externis, vt verbo possit instare expedite. Quid plura? temporalis summopere impedit spiritualem: vt propterea & Christus, & Apostoli, & sancti Patres seuerè prohibeant, ne ministri Ecclesiæ temporalibus distineantur impedimentis. Et si ex nulla alia causa malus esset Sacerdoti Dominatus temporalis, ex hac maxime malus esset, quia indispensabiliter prohibitus, etiam iure diuino positiuo, illis Christi verbis: *Vos autem non sic. Luc. 22. 26.* ad Gladium tamen reuertamur.

XLV. Cæci de colore iudicium est deridendum; Catholica, *inquit Baronius, tom. 11. ann. 1053 num. 13,* dogmata Petro Damiani in ijs, quæ ille dixit de gladio, aduersantur, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana cathedra Petri è duo-

bus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt.] Graue sanè edictum, maiorisque molis, quam quod à puro legista, vel grammatico possit rotundè pronunciari. O incredibilem hominis cōfidentiam, ô potius lugendam Orbis Christiani scripta huiusmodi tolerantis dicā ne patientiam, an oscitantiam? Hunc tandem viri doctissimi, simul & piissimi, qui singulare fuerit suis temporibus in Ecclesia Catholica lumen, dictum fundatissimum, hæresis condemnatur, quod gemmæ instar semper in ipsa Ecclesia fuit habitum: & à quo condemnatur? Doceat saltem theologaster nouus, vnde habeat, illud Petri dictum hæresim continere. Quia, *inquit*, Bernardus ait, materialem gladium, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis, *conuerte gladium tuum in vaginam*.] Hoc pacto igitur hæreses agnoscuntur? An Bernardi, ne Episcopi quidem, sed simplicis monachi fuit vnquam, doctrinam vllam hæresis condemnare? Et quid ait Bernardus? Eum qui negat materialem gladium esse Papæ, non attendere ad illa verba Euangelij, quibus gladius Petri materialis dicitur suus. Hoc sane nullam continet hæresis condemnationem, sed suę opinionis simplicem, ac profecto satis debilem confirmationem. Baronij tamen stomachus cibum huiusmodi non capit, ideo indigestum euomit. Adducit verò etiam Gregorij Noni, & Bonifacij Octaui testimonia: qui nihil noui aut diuersi dixerunt ab eo, quod à Bernardo didicerunt. Vt propterea libere nimium concludat idem Baronius, Bonifacio assentiri omnes, & nullum discrepare, nisi, *inquit*, qui dissidio ab Ecclesia excidit.] Sed miser ignorat & quid sit Ecclesia, & quid sit hæresis, & quid sit excidere ab Ecclesia. Petrus profecto Damiani, non nudam & simplicem protulit propositionem, sed eam firmis vallauit & rationibus, & scripturis, & exemplis. Debuerat ista soluere Baronius hæresum inspector, & erroris hominem conuincere, non verba dare. Nos verò & cum Petro, & cum tot aliis sanctis Patribus, ita gladium ferreum de femore Papæ, & Ecclesiasticorum eximimus, vt si non hæresis, saltem maximi sceleris notandum ostenderimus Episcopum quemcunq;, qui se cingat gladio huiusmodi.

XLVI. Gregorius tamen, *subiungit Baronius*, gladio vsus est militis manu: quis igitur hoc reprehendat? Ego tamen iam ostendi, Gregorium ab hoc gladio plurimum abhorruisse: Quia Deum timebat *l.7 ind.1.ep.1.* Qui igitur gladio vtitur Ecclesiasticus, siue per se, siue per alium, profecto Deum non timet. Quod si aliquando hortatus est Duces militiæ vt pugnent, *l.1 s.ep.21.22.* hostiq; resistant, id fecit non vt Papa, aut Princeps temporalis; illi enim pro Imperatore militabant, sed vt membrum Reipublicæ politicæ, & amicus Imperatoris, & persona, cui ex charitate cordi erat bonum commune, etiam temporale, quod promouere adhortatione conabatur. Sicut supra dixi, quando considerabam eiusdem Pontificis charitatem, in mittendis etiam Tribunis pro custodia Ciuitatum Imperatoris. In quo laborauit etiam alter Gregorius, *Anastas. in Greg. 2.* & prius Iacobus Episcopus Nisibensis, [*Apud Baron. to. 8. an 590. n. 44.* Tribunos & milites habuisse Gregorium Magnum inuenio, vt iam vidimus, & patet etiam ex literis Mauritij ad ipsum pro Episcopis Istriensibus datis: [*Theodor. hist. l.2. c.38.*] Miserat enim vnum Tribunum & Excubitorem cum militibus aliquot, vt cogerent illos Episcopos ipsum conuenire. Cum tamen nondum haberent Romani Pontifices Dominium illud temporale, aut Principatum, neque ratione Episcopatus militiam possent retinere; non videtur dubium, id eis fuisse ab Imperatoribus indultum.

Quibus enim iudicia aliqua, etiam criminalia interdum, suorum concesserant clericorum, vt libro decimo ostendam, iisdem armatos etiam concessisse milites par est credere, quibus suum clerum in officio continerent. Quæ ipsa tam fori, quam militaris manus cōcessio, statim, quæ nostræ est naturæ corruptela, plurimum extulit, & Romanum in Occidente, *Socrat. l.2. cap.11.* & Alexandrinum in Oriente Pontifices, eosque ad secularem breui reduxit typhum, & Dominatum, vt vidimus libro 4. *cap.10. num.16.* Et de Alexandrini Episcopi seculari potentia, cum nondum Constantinopolitanos inualuerat, scribit Socrates exemplum insigne grauissimi & intolerabilis Cyrilli excessus cuiusdam: *l.7.c.13.* eo nimirum illum processisse, Vt contra Iudæos, qui dolo & insidijs multos trucidarant Christianos, seditionem Christianorum excitarit, & ad internecionem vsq; maximam eorum multitudinē deleuerit, & propterea cū Oreste Vrbis illius Præfecto hostiles habuerit inimicitias, totamq; Ciuitatem in duas factiones diuiserit: ex qua diuisione multæ strages sint secutæ. & præfecti ipsius vulneratio, ac penè occisio: & Hypatiæ Philosophiæ mulieris celeberrimæ, per clericos fœdissima dilaniatio, Cyrillumque iussisse, vt pro martyre Ecclesia veneraretur Ammonium, vnum ex ipsius satellitibus, qui præfectū lapide in capite vulnerarat, ac propterea fuerat pro scelere tormentis ad necē afflictatus, quod tamen ipsa Ecclesia non approbauit, quæ non martyrium, sed pœnas meritas in Ammonio agnoscebat. Ac pro his omnibus docet Socrates Cyrillum pessimè audisse; & Alexandrinam Ecclesiam graui fuisse infamia notatam.

XLVII. Non desunt insulsi homines, & sacrarum literarum non expositores, sed corruptores, qui verba Christi, vt ait discipulis, *Luc. 22.38. Qui non habet gladium vendat & tunicam suam, & emat gladium*; eo trahunt, vt præcipi velint Apostolis, vt gladios habeant materiales Quos Origenes satis reprehendit, *in Matt. tract. 7.* dicens: Pestiferum esse, si ad literam hoc accipiatur.] Sensus enim illorum Christi verborum est, ex Chrysostomo in catena Thomæ aurea; magnam imminere calamitatem, & vim Christo inferendam, ipsosq; discipulos fugandos, eoq; deuentorum negotium, vt si de spe humana agatur, ea tota in solis armis iam sit posita. Est igitur tantū prædictio imminentis afflictionis. Ambrosius vero admittit per hæc Christi verba mysticè relinqui Apostolis potestatem, vt ad sui priuatam iustam defensionem possint, si velint, gladio vti materiali. Verba Ambrosij sunt: *in Luc. c. 22.* Domine cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi forte, vt sit parata defensio, non vltio necessaria: & videar potuisse vindicari, sed noluisse? Lex tamen referire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, *sat est*, dicit; quasi licuerit vsq; ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.] Innuitur ab Ambrosio primum, etiam Apostolo licere pro priuata & necessaria defensione gladio vti materiali. Deinde licuisse quidem in lege percutientem referire; in Euangelio tamen perfectionis esse, potius ictus excipere, quàm referire.

XLVIII. Nouo & inaudito ne dicam ridendo modo detortum ex sacra scriptura locum dicitur Cardinalis Baronius in causa Veneta protulisse; ad persuadendum Pontifici, vt gladio materiali etiam in Rempublicam Venetā desæuiret, idq; ex officio ipsius proprio: locus est, vbi in visione lintei dictum est Petro: *Occide & manduca, Act. 10.* Duoq; esse munera Petri fertur in Consistorio dixisse, pascere, & occidere. Quod certe si dictum est, satis ineptè dictū est: cum strages, &

occi

occisiones corporales ab Ecclesiasticis debeant perpetuo esse remotissimæ. Et visio literaliter docebat, iam licere Petro nō solum occidere animalia munda & eis vesci, sed immunda, cessante iam lege, quæ ea immunda fecerat, ac eorum comestionem prohibuerat. Mystice vero significabatur, vt omnibus notum est, gentilium conuersio. Quia ergo Petro licet agnum & bouem, & suem occidere ad escam; Licebit Papæ in stragem hominum, & hominum Christianorum, ac piorum grassari? O peritum Alchymistam Baronium, qui ex quouis metallo aurum suum conflat, sed certe adulterinum & fictitium. Sed neq; ad gladium excommunicationis posse illa verba accommodari, docui pluribus libro quinto, *cap.9.n.20.21.*

XLIX Nunc vero, qui potest, defendat Leones, Callistos, Iulios, ac similes, qui armati castra sunt secuti sed semper parum feliciter: quod certè his armigerulis Pastoribus merito accidit. Defendat etiam, qui potest, Ioannem octauum profugum, suæ Romanæ sedis recuperationem illis verbis quærentem. Vos confratres, *in Concil. Trecen. post ep.114.* & Episcopos meos volo vnanimiter mecum, in defensione S. R. E. quam constat esse caput omnium Ecclesiarum, conuenire, donec Deo auxiliante in sedem B. Petri Apostolorum Principis reuertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu.] Neq; enim in hoc debitum patientiæ dedit specimen, neq; Principum solam implorauit opem, vt illi de recuperanda ei sede cogitarent; sed inter Ecclesiasticos classicum canit, & parat exercitus, vt ipsemet, armata manu, se in suam sedem restitueret. Malum exemplum, peiora sunt secuta. Gregorius etiam septimus, *l.8.ep.7.* à Sede & Vrbe pulsus, vndiq; auxiliares copias collegit, vt in sedem restitueretur. Sed in vanum laborauit: nam in exilio mortuus est. Neque enim huiusmodi Pontifices quærebant sedem suam recuperare, vt oues ipsorum, sui pastoris pabulo alerentur ad animarum salutē; sed vt Vrbi, & Orbi dominarentur: & ad Principatum temporalem reuocarentur. Et quoniam sine pecunia bella geri, milites q; cogi nequeunt, mirabile inuentum Gregorij huius fuit, vt stipendia militibus noua cuderet; absq; auro, argento, aut ære: quo facilius posset contra Henricum Imperatorem acies armatorum instruere. Hoc vero nouum stipendij genus fuerunt Indulgentiæ: *apud Baron. to.11 an.1084.n.14.* Thesaurum harum habet inexhaustum; & quo plures concedit, eo scrinium immensum magis redundat: neque in illius aut custodia, aut delatione laboratur: Et moneta huiusmodi tanti precij est, vt ipsa sola facillime inueniat homunciones phreneticos, qui hoc viatico instructi se vitamque suam Orco statim deuoueant, ac tentent promptissimè & alacriter ferrum in Regum iugulum proditoriè immergere.

L. Non bello se tueri sancti voluerunt; non stipatoribus corporum, non armatis militum cohortibus, sed reiectis omnino atque impeditis humanis viribus, quibus se plurimi defendere potuissent, martyrio sese alacres obtulerunt. Iuo Carnotensis ex carcere ad suum clerum & populum scribens, ait *epist.20.* Audiui Primates Vrbis vestræ ad inuicem coniurasse guerram se facturos aduersus Vice-comitem, pro mea liberatione: quod nequaquā mea liberatio est, nec inclusionis meæ non solum exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat prohibeo, interdico, nec enim incendiis domorum, deprædationibus pauperum potestis Deum placare, sed vehementer exasperare: sine cuius beneplacito neq, vos, neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo vt aduersum me implere faciatis aures DEI pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Nec enim decens est, vt qui armis bellicis ad Episcopatum non veni, armis bellicis recuperem: quod non est pastoris, sed inuasoris.] Et postea: Decretum est enim mihi, non solum includi, vel Ecclesiastico honore priuari, sed etiam magis mori, quam per me stragem hominum fieri.] Hunc Iuo spiritum á sanctis Episcopis primis incorruptæ Ecclesiæ haustum imbiberat, & sapientissimè cum illis & sentiebat & loquebatur. Sed ab hoc spiritu iamdiu degeneres Romani Pontifices, vt se in sedes restituerent, toti in armis horrebant, & ex humanis Christianorum cadaueribus sibi gradus ad eas præparabant. De gladio & carnificina inquisitorum sancti officij, dixi aliqua supra *cap. 5.* plura dicam *lib. 7.*

LI. Ostendi iam Dominia temporalia prælatos Ecclesiasticos dedecere: gladij vero materialis vsum multo magis, ita vt ne Dominio quidem temporali, si quod habent, excusentur, vt possint licite bellicis se tumultibus immiscere. An vero sit in Ecclesia ius aliquod & Dominium vniuersale in omnia temporalia, etsi ex hactenus disputatis liqueat, nimirum nullum prorsus tale ius à DEO concessum Ecclesiæ, imo ne Christo quidem homini: dicam tamen aliquid adhuc clarius in decimo *cap.* huius. Hic vero ad extremum huius commemorabo duntaxat, quæ Dominia in speciales aliquot terras & Regna prætendat Ecclesia Romana, non iure Apostolico, siue ex Petri successione, Christique Vicariatu, sed iure humano, humanis modis, præsertim donatione Principum, vt prætendunt, acquisito: commemorabo, inquam, duntaxat, nam de ipsis iuribus & donationibus disputare non est mei in hoc Opere instituti: siue enim legitima sint hæc Romanæ Ecclesiæ iura in Regna aliquot temporalia, & omni labe carentia, siue illegitima, & vsurpata, omnino illa indebitè à Papa, vti est vir Ecclesiasticus & Episcopus, possideri, iam docui multa suadere? Illud tantum enitor nunc, vt saltem à longe quoquomodo appareat, quo pacto in temporalia Dominia Romana Ecclesia, irrepserit ne dicam, an irruperit?

LII. Donationem Constantini habent acta Syluestri, & eandem edidit Leo Nonus, & *Dist. 96. cap. Constantinus.* Gratianus, Balsamon, & alij. *in Nomocan. Photij tit. 8. c. 1.* In hoc priuilegio ante omnia Romana sedes à Constantino alijs prætertur Patriarchalibus Orientis sedibus. Deinde Lateranense Palatium donatur Syluestro, & eius successoribus, tum vero etiam Diadema, & frygium, & superhumerale, chlamysque purpurea, omniaque pene insignia Imperialia, Clerusque Romanus attollitur ad magnam dignitatem. Ac præter palatium donat Constantinus eidem Syluestro, & successoribus, Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, seu Occidentalium Regionum prouincias, loca, & Ciuitates. Hoc tamen donationis Constantinianæ priuilegium, non sine rubore legunt ipsimet Romani Proceres, Romanæque Monarchiæ cordati defensores. Non quia in eo imposturam agnoscunt, quæ tamen in multis sat est crassa & palpabilis (quis enim eo tempore Constantini Patriarcham fuisse Constantinopolitanum asserat? quando nedum Constantinopolis vocabatur? & Byzantinus Episcopus, ne Metropolitanus quidem erat, sed Heracleensis Metropolis, Suffraganæus? *vt lib. 4. cap. 4.* ex Gelasio docuimus.) Sed quia priuilegium hoc plurimum derogat Pontificiæ Maiestati, dum primatum suum Romana sedes ad Imperialem concessionem reduci erubescit, & diadematis, purpuræ, aliarumque pomparum vsum, á sola audit Imperiali donatione totum pendere. Quod sicuti veri-

tissimum est, vel ipso Bernardo Magno id attestante, dum ait, *de consid. l. 4. c. 3.* In his Eugenium non Petro, sed Constantino successisse; ita facile hoc priuilegium defenderent Hieromonarchici, & à suspicione impostura liberarent, nisi Romanam monarchiam in Christum autorem sibi reducendam esse iam statuissent: sed actum agunt, vt docui libro primo, & quarto. Liberorer praeterea cedunt beneficio huius priuilegij, quia donationes Vrbis & Prouinciarum, ac totius Occidentalis Imperij Papae factas, tueri non possunt; & iam libentius ad Caroli, & Ludouici donationes sese recipiunt.

LIII. Sane hoc donationis Constantini priuilegium inter Paleas Gratiani collocatum, ab Ottone tertio Imperatore, suo peculiari diplomate (quod & ipsum fide ornate à Baronio asseritur *to. 12. an. 1191.*) tanquam impostura Ioannis Diaconi depressum & conculcatum. In quo diplomate illud queritur Otto: Cõfusis, *inquit, post epistolas Gerberti,* papaticis legibus, & iam abiecta Ecclesia Romana, in tantum quidã Pontificum irruerant, vt maximam partem Imperij nostri Apostolatui suo coniungerent: iam non quaerentes, quae & quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; sed sua propria, vtpote ab illis ipsis dilapidata dimittentes, quasi culpam suam in Imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est, ad nostra, & nostri Imperij maximè migrauerunt. Haec sunt enim commenta ab illis ipsis inuenta, quibus Ioannes Diaconus, cognomento digitorum mutius, praeceptũ aureis literis scripsit, sub titulo magni Constantini, longa mendacij tempora finxit.] Certumque est ex Romanis Pontificibus, sicut primus Leo Nonus priuilegij illius Constantiani fecit mentionem, & eius se vallauit praesidio; ita postea nunquam vllum huius priuilegij obtendisse concessionem, praesertim Gregorium septimum, & Alexandrum tertium, qui talibus controuersijs maxime vexati fuerunt:, nullius quippe autoritatis habitum fuit penes illos; Cùm firmiorem, *inquit Baronius ibid.* haberent propheticum sermonem; & firmissimum Euangelicum testimonium; & contestes omnes sanctissimos Patres, de transmissa Christo Petrum Apostolum autoritate; & transfusa in eius pariter successores.] Haec Baronius. Quoniam tamen in eo priuilegio tria continentur; ea vero sunt, Primatus super alias Patriarchales Sedes: gestatio coronae, & paludamenti, ac purpurae, aliorumque Imperialium ornamentorum; ac Vrbis, atque Italiae, & Occidentis Dominium: nescio an haec omnia Papa dicatur à Christo & Euangelio habuisse. Neque hoc quisquam nisi Sapientum octauus dixerit, Idque ex Baronij tripode. Nam Palatium Lateranense & temporalem Vrbis Dominatum Petrus nunquam habuit, neque Euangelium hoc ei concedit: multo minus purpuram & Regnum, & coronas. De Primatu vero super alias Sedes, iam probauimus in libris praecedentibus, iure diuino in nulla particulari Ecclesia vllum fuisse à Christo primatum institutum. Totus ergo hic propheticus sermo Prophetae nostri Annalistae in fumum euanescit. Mihi vero videntur Romanenses rem suam magis promoturi ex hoc priuilegio, si ipsum corroborarent, quam ex prophetico vllo sermone, aut Euangelio. Dum autem ab hac recedunt donatione, plurimum suam debilitant Monarchiam. Cautiores in hoc Canonistae, qui Constantini donationem dicunt fuisse cessionem iurium Papae debitorum; & Constantinum non donasse quicquam, quod ipsius esset, sed restituisse Ecclesiae suum; & à se alienum amouisse, vt erat, *inquiunt*, obligatus in conscientia.] Hi & si errant turpissimè; tamen sumpto semel errore, in eo consequenter perseuerant; & huic fundamento conformia superaedificant, nempe stramineo solo chartaceam domum: quibus multo magis toti ridiculi ineptiunt ad nauseam.

LIV. A Constantino profecto, sicut non negauerim, habuisse Romanam Ecclesiam & Palatium Laterani, & ornamenta plurima, donaque, aurum, argentum, ac omnigenam preciosam supellectilem: nec non possessiones, redditusque fortasse etiam publicos tributorum, ac vectigalium, & diuitias immensas; ita Dominium Vrbis, & prouinciarum siue Ducatuum quos nunc obtinet, Pontificem ab eodem Constantino habuisse facile pernegauerim, vel ex eo tantum, quod à Constantino ipso, siue Syluestro I. vsque ad Gregorium Magnum, sub potestate Romani Pontificis, [*Greg. l. 12. epist. 24.*] neque Vrbem inuenio, neque ditionem vllam in temporalibus. Vidimus enim Gregorium [*Pelag. 2. epist.* 5.] saepius de custodia Vrbis & aliarum Ciuitatum sollicitum fuisse, semper tamen nomine Imperatoris: Sicut & Pelagium 2. Patrimonia vero toto orbe diffusa, ex quibus S. Petri census colligebatur annuus, per Romanae Ecclesiae subdiaconos, in Galliis, in Sicilia, in Dalmatia, in Asia etiam, & plurimis regionibus, erant amplissima; sed absq; vlla iurisdictione; quia erant vt piae Principum eleemosynae, pro luminarium Basilicae S. Petri concinnatione, alijsq; ornamentis, & pro pauperum sostentatione, vt ostendam libro nono.

LV. Quod tamen spectat ad ius Regium, quo Rom. Pontifex Princeps etiam est terrenus, primum ego huius rei indicium, quo ditiones, Romanae Sedi competijsse appareant, inuenio apud Paulum Diaconum, qui sic habet: Hoc tempore (*circa annum Domini 704. sub Ioanne Papa sexto*) Aripertus Rex Longobardorum donationem Patrimonij Alpium Cottiarum, quae quondam ad ius pertinuerant Apostolicae Sedis; sed a Longobardis fuerant multo tempore ablatae, restituit.] Idem habet Anastasius in Ioanne sexto, & alij posteriores. Sed nondum iurisdictionem, & dominatum video: Potuit enim solum vtile Dominium omnium illius prouinciae emolumentorum à Rege Ecclesiae Romanae donatum fuisse, directo, & iurisdictionali penes se retento. Nam [*Anastas. in Greg. 2. & Paul. Diac.* Luithprandus Rex postea, easdem Alpes resumpsit, ac iterum Gregorio secundo donauit. Sub Gregorio eodem inuenio etiam *ibid.* Cumanum Castrum per Neapolitanos, pro Sede Apostolica Romana, cui à Longobardis ereptum fuerat, recuperari. Sutrium *Anast. ibid.* inuenio sub eodem Pontifice à Sede Apostolica possessum, à Longobardis occupatum, & iterum restitutum. Sub Zacharia inuenio à Luithprando eodem restitui, seu potius redonari aliquas Ciuitates in Sabinis, & Narniam, & Anconam, Romanis, seu Duci Romano, vt inquit Anastasius in Zacharia, non ipsi Zachariae; quamuis Zacharias fuerit intercessor. Pipinum postea Francorum Regem lego multas Ciuitates Aistulpho Longobardo, quas ille occuparat, eripuisse, & Stephano Papae tertio, ac Sedi eius Apostolicae reddidisse, & confirmasse: nimirum Rauennam, cum toto exarchatu, Ariminum, Pisaurum, Fanum, Cesenam, Senogallias, Esium, Forum Pompilij, Forum Liuij, cum Castro Sussubio, Mõtem Feretrum, Acerragium, Montem Lucari, Serram, Castellum S. Mariani, Bobium, Vrbinũ, Callium, Luceolos, Eugubium, Comaclium, Narniam. Ita numerat Anastasius, *in Steph. 3.* Leo vero Ostiensis Pipini donationem latius extendit [*hist. Casin. l. 1. cap. 7.*] à Lunis cum Insula Corsica, inde Surianum, inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Regium,

Mantuam, & montem Silicis, simulque vniuersum exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuit, cùm Prouinciis Venetiarum & Istriæ, cunctumque Ducatum Spoletinum, & Beneuentanum.]

LVI. Hanc patrimoniorum & Regalium dominiorum accumulationem (heu misera nostra tempora perpetuis lachrymis deploranda) Ecclesiæ dilatationem vocat Baronius, & totus lætabundus exclamat, *Tom.9.an.756. num.7.* Vidisti Lector, *inquiens*, ex vsu pristino ab exordio nascentis Ecclesiæ, Deo ita disponente sua inenarrabili prouidentia, Romanam Ecclesiam persecutionibus semper crescere, & vexationibus dilatari consueuisse?] Crescit igitur Baronio Ecclesia, cum dominia acquirit temporalia; & cum terrenis opibus augetur, tunc dilatatur. Ecce Ecclesiam Romanam factam totam carnalem ac mundanam, (omnia enim iis augentur, ex quibus constant,) & proh dolor, ad diuinam prouidentiam, hoc est, benignitatem reducitur, quod potius inter indignationis diuinæ indicia, ac Christianismi opprobria & flagella numerandum esset; nempe eam Ecclesiam, quæ fide, religione, martyrio, patientia, humilitate, charitate, crescere & dilatari primitiuis temporibus solebat, eo quê nomine merito in Domino gloriari, nunc terrenarum rerum abundantia diffluat, fastu mundano turgeat, & pro pedo pastorali fascibus, securibus, sceptris, ac coronis efferatur. Hoccine est Ecclesiam exaltari? imò potius exulare.

LVII. Donationem Pipini iisdem limitibus comprehensam confirmauit Carolus Magnus, vt narrat Anastasius in Adriano. Inuenio tamen, hunc ipsum Adrianum à Constantino & Irene patrimonia S. Petri reposcere: Sicut antiquitus, *inquit, epist.1.tom.2.* ab Orthodoxis Imperatoribus, seu à cæteris Christianis fidelibus oblata, atque concessa sunt Patrimonia B. Petri Apostolorum Principis, fautoris nostri in integrum nobis restituere dignemini.] In his tamen patrimoniis non nisi redditus simplices, & sola emolumenta temporalis vtilitatis, non iurisdictionem & dominatum petebat: subdit enim, pro luminarium concinnationibus eidem Dei Ecclesiæ atque alimoniis pauperum, restituantur.] Ad luminaria verò concinnanda & ad pauperum alimoniam, iurisdictio & potestas dominatus nihil facit.

Ludouicus Caroli Magni filius, & Imperator, ipse quoque amplissimo priuilegio donationes Patris, & Aui confirmauit; Sedi Apostolicæ stabiliens [*Distin.63. cap. Ego Ludouicus, & apud Baron.tom.9.an.817.num.11. & seqq.*] Ciuitatem Romanam, cum Ducatu suo, territoriis montanis, littoribus, & portubus: in Tuscia Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, Narniam, Otricolum. Et in partibus Campaniæ, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricium, Frusinonem, Tibur, &c. Exarchatum Rauennatensem, Rauennam, Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Pompilii, Forum Liuii, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabelum; & Pentapolim videlicet, Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanum, Esium, Forum Sempronii, Montem Feretri, Vrbinum, Territorium Valuense, Calles, Luceolos, Eugubium, Territorium Sabinense, & Reatinum. In Tuscia Longobardorum, Castellum Felicitatis, Vrbeuetum, Balneum Regis, Ferenti Castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas: & Insulas Corsicam, & Sardiniam, & Siciliam: & in Campania, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam: Patrimonium Beneuentanum, Salernitanum, & Calabriæ, & Neapolitanum.] Siciliam tamen Insulam fuisse his temporibus iuris Imperatorum Orientalium, non Occidentalium, ostendam cap. 12. huius.

LIX. Quid verò donauerint tum Ludouicus, tum Carolus eius Pater, & Pipinus auus, dum ista loca donant Papæ Romano, meum non est statuere, num solum Dominium vtile, quod paulò antè innuebam, an etiam directum? viderint alii. Illud mihi certum penè est, Carolum Magnum, donatione Regalium, sibi voluisse personas Ecclesiasticas, vt fideliores, vasallagio obligare; & Ludouicum hunc ipsum inuenio voluisse hoc eodem tempore à Romanis fidelitatis exigere iuramentum. Sic enim scribit Theganus Treuerensis Archiepiscopus, *de gest. Ludouic. cap.16.* Stephanus statim, postquam Pontificatum suscepit, iussit omnem populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludouico.] Inuenio etiam post sex circiter annos, [*Apud Baron tom.9. an.824. num.13.14.*] Lotharium filium, Imperii socium, Romam eundem Ludouicum misisse, vt statum populi componeret. Quod & præstitit; ac leges, quibus ipsi Romani viuere vellent, vt eligerent, voluit; easque eis omnino seruandas præscripsit: sed cum beneuola Pontificis assensione. Hæc tamen assensio consilii potiùs fuit, quàm Imperii. Et si Papa fuisset supremus & directus Vrbis Dominus, non tolerasset Imperatorem Vrbanas res componere, & [*Distinct.10. c. vestram.*] leges præscribere. Vel ergo Dominium nullum habebat; vel vasallus duntaxat erat Imperatoris. Nam & Leo quartus [*Distinct.10. c. de capitulis.*] iisdem Ludouico & Lothario Imperatoribus, fidelitatem iurat, & iurium ac capitulorum Imperialium obseruantiam promittit: nunc verò inuersa res est, Papæ enim ab Imperatoribus poscunt fidelitatis iuramentum.

LX. Carolus secundus dictus Caluus, malis artibus, [*Baron. tom.10. an.876.*] fauente sibi imprudenter Ioanne octauo Papa, occupauit Imperium; & donationes, imò verius infeudationes Pipini, Caroli, & Ludouici [*Baron. tom.12. an.1191.*] confirmauit; aut fortasse etiam primus absolute donauit. Sed hanc donationem deridet Otto tertius Imperator in suo illo diplomate ac decreto electionis Syluestri secundi, hoc pacto: [*Post epist. Gerber.*] Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum S. Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil dare iure potuisse, vtpote iam à Carolo meliore fugatum, iam Imperio priuatum, iam destitutum, & annullatum. Ergo quod non habuit, dedit; sic dedit, sicut nimirum dare potuit, vtpote qui malè acquisiuit & diu se possessurum non sperauit.] Diploma hoc inde maxime reiiciendum tanquam impostura contendit Baronius, *tom.12. ann.1191.* quod nullus Carolus Imperator fuerit ab alio Carolo meliore fugatus.] Quis tamen fuit adeo rudis impostor & obtusus, qui in re pene recenti cæcutierit, voluieritque inauditas fingere historias, quas in scholis pueri pene Abecedarii statim possent reiicere? Quod si eam sententiam melius pensitasset præceps noster Censor Annalista, & artem suam, hoc est, grammaticam, consuluisset, non scriptum illud fraudis, sed se potius incogitantiæ accusasset. Sola nempe grammatica & dubium tollit, & Baronii hac in parte satis analphabeti ingentem conatum reddit inanem, & diploma innocens facile ab hac vindicat criminatione. Sensus enim diplomatis est, Carolum Caluum ab alio, qui ipso Carolo melior esset, id est, à Ludouico [*Francorum Annales apud Baron. tom.10 an.876. nu.29.30.*] tertio, qui Balbus dictus est, cui [*infra c.11. num.13. & 27. huius.*]

OOO 4 melius

melius iura Imperii competerent, quàm Carolo, esse victum ac fugatum. En, quàm facile vnico eoque leni auræ flamine arida & emortua autumni frigore primo lapsu cadunt folia. Quàm nullo negotio à nobis vno oris spiritu, vna voculæ interpretatione grammatica difflantur illæ turgidæ machinæ Baronianæ, in hâc Imperatorii diplomatis arcem erectæ. Interim verò diploma hoc tanta cum diligentia iussu Benedicti duodecimi authenticatum, suam integram fidem retinet. Certè si reuiuisceret ille Benedictus, nobis bene, Baronio malè diceret.

LXI. Ludouici donationem ad verbum repetiit [*Apud Baron. tom.* 10. *an.* 962. *num.* 3. *& seqq.*] Otto secundus, cum coronatus est à Ioanne XII. Imperator Romæ. Sed cuiusmodi fuerit ista donatio, conicere possumus ex iis, quæ paulò pòst ibidem secuta sic narrantur: Ciues verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in vrbem susceperunt, fidelitatemque promittunt.] Donatio etiam ipsa sic se habet, *ibid. nu.* 7. Confirmamus donationes, quas piæ recordationis D. Pipinus Rex, & postea D. Carolus excellentissimus Imperator B. Petro Apostolo spontanea voluntate contulerunt, — sicut & in supra scriptis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Adrianum Papam, & D. Carolum Imperatorem conuenit, quando idem Pontifex eidē de supradictis Ducatibus, id est, Tuscano & Spoletano suæ authoritatis præceptum cōfirmauit; eo scilicet modo, vt annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ B. Petri Apostoli persoluatur; SALVA SVPER EOSDEM DVCATVS NOSTRA IN OMNIBVS DOMINATIONE, ET ILLORVM AD NOSTRAM PARTEM, ET FILII NOSTRI SVBIECTIONEM — Omnium quæ superius leguntur, id est, Prouinciæ, Ciuitates, Vrbes, Oppida, Castella, Territoria, & Patrimonia, atque insulę, censusque & pensiones, ad partem Ecclesiæ B. Petri Apostoli, atque Pontificum, in sacratissima illius sede residentium, nos in quantum possumus, defensores esse testamur, ad hoc, vt eam in illius ditione ad vtendum & fruendum atque disponendū firmiter valeant obtineri: SALVA IN OMNIBVS POTESTATE NOSTRA, ET FILII NOSTRI, POSTERORVMQVE NOSTRORVM — *ibid. nu.* 10. Hinc enim institutioni hoc necessariò annectendum esse perspeximus, vt Missi D. Apostolici, seu nostri, semper sint constituti, qui annuatim nobis, vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli Duces ac Iudices populo iustitiam faciant. — Decernimus, vt primùm cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum seu Iudicum fuerint inuenti, ad notitiam Domini Apostolici deferant, & ipse vnum è duobus eligat, aut statim per eosdē Missos fiant ipsæ necessitates emendatæ; aut Misso nostro nobis renunciante, per nostros Missos à nobis directos emendentur.] In hac Ottonis donatione, seu confirmatione, non directum, sed vtile duntaxat Dominium dari Ecclesiæ Romanæ in eas ciuitates & Prouincias perspicio, cum reseruatione potestatis & iurisdictionis politicæ liberæ & absolutæ ipsis Imperatoribus, cum aliquali fortasse delegatione. Quid ergo donationes hasce, vt liberas & absolutas, iactant Pontifices & Pontificii, quæ tamen neque liberæ sunt, neque absolutæ? Quid fremunt Imperatores? Cur ius suum & directum dominium in terras Papæ non agnoscunt, & exercent? Easdem reseruationes iisdem penitùs verbis repetitis postea fecit sibi Henricus primus Imperator, vt paulò pòst patebit. Apparet etiam quædam cessio facta à [*Crantz. Metrop. Sax. lib.* 4. *cap.* 10.] Leone octauo Ottoni huic Imperatori omnium donationum Pipini, Caroli, & Ludouici ad vsum curiæ, pro militia ad debellandos Paganos. Quam cessionem Baronius vt fictam reprehendit, meritóne, an immerito, nihil statuo. Otto verò Tertius in suo iam memorato diplomate, postquam irrisit donationes Constantini & Caroli Calui, ipse suam donationem ita profert: [*Post epistolas Gerber.*] Spretis ergo commentitiis præceptis, & imaginariis scriptis, ex nostra liberalitate sancto Petro donamus, quæ nostra sunt, non sibi, quæ sua sunt, veluti nostra conferimus: sicut enim pro amore sancti Petri Dominum Syluestrum magistrum nostrum Papam eligimus, & Deo volente ipsum Serenissimum ordinauimus, & creauimus, ita pro amore ipsius Domini Syluestri Papæ sancto Petro de publico nostro dona conferimus, vt habeat magister quid Principi nostro Petro à parte sui discipuli offerat. Octo igitur Comitatus pro amore magistri nostri Domini Syluestri Papæ Sancto Petro offerimus, & donamus, vt ad honorem DEI, & Sancti Petri, cum sua & nostra salute habeat & teneat, & ad incrementa sui Apostolatus, nostrique Imperii ordines. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrunum, Callium, Esium, & Ausimum.] Neque puto, mysterio carere verbum illud, *Ad ordinandum*: non inquit ad possidendum, omni plenissimo iure ac Dominio, & detinendum.

LXII. Edidit postremo loco nobis Baronius priuilegium confirmationis patrimonii Romanæ Ecclesiæ, ab Imperatoribus concessi, ab Henrico Imperatore Benedicto Octauo Papæ datum: in quo nominantur loca omnia, quæ supra vidimus in priuilegio Ludouici. De ciuitate verò Neapolitana, & Sicilia, sic loquitur Henricus: [*Apud Baron. tom.* 11. *an.* 1014. *numer.* 7.] De ciuitate autem Neapolitana, cum Castellis, & territoriis, ac finibus & Insulis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur; nec non patrimonium Siciliæ, si DEVS noster illud tradiderit manibus:] Nondum igitur peruenerat Sicilia ad manus Occidentalium Imperatorum, sed vel penes Græcos, vel penes Saracenos erat. Atque hæc ipsa tot Ciuitatum concessio, seu confirmatio, sitne plena & absoluta, ita vt plenissimum ius Imperator in Papam transferat, discutere ipse nolo. Paucula tamen verba Henrici in hoc diplomate posita, merito viderentur consideranda, dum Ottonem imitatus ait; Se defensorem futurum, ad hoc, vt eam illi ditionem ad vtendum atque disponendum firmiter valeant obtinere: Salua, *inquit*, in omnibus potestate nostra, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto & constitutione ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis successorumque illius continetur.] Explicat verò hanc potestatem circa electiones Pontificum Romanorum: quæ non fiat, nisi electus in Romanum Pontificem iuret fidelitatem, & obseruantiam capitulorum; eo modo, quo eam iurauit Leo (vt arbitror) Quartus. Considerent ex his alii, an sit hoc merum & proprium Vasallagium: vt propter prædicta regalia, Pontifices Imperatoribus vt Vasalli obligarentur. Nunc tamen excusso iugo, iam se Papæ Romani venditant Principes in suis ditionibus supremos, à solo DEO dependentes. Neque frustra in his concessionibus titubantem, vt firmius sisteretur Bellarminus *de Roman. Pontif. libr.* 5. *cap.* 9. tandem in humana præscriptione octingentorum annorum figit pedem. Sed qui omni iure destituuntur, ad præscriptiones confugiunt. Cedat ergo Bellarminus omni iuri, & soli nitatur præscriptioni.

LXIII. Et has quidem terras, si non omnes, magna tamen ex parte, hodieque possidet Romana Ecclesia; Dominioque ipsarum fruitur non minùs dire-

cto,

cto, quàm vtili. Quod si addamus prætensiones, quas habere dicitur etiam directi Dominii in Regna præcipua Christianorum, vix erit Rex Christianus, qui non sit Papæ Vasallus. Certè Hispanias ab antiquo fuisse proprii iuris S. Petri, profitetur Gregorius septimus, *lib. 1. epist. 7.* Et adhuc, *inquit*, licet diu sit Hispaniæ Regnum à Paganis occupatum; lege tamen iustitiæ non euacuata, nulli mortalium, sed soli Apostolicæ Sedi, ex æquo pertinet.] Et iterum; *libr. 4. epist. vlt.* Notum vobis esse volumus, Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus, S. Petro, & S. R. E. in ius & proprietatem esse traditum. Quod nimirum hactenus & præteritorum temporum incommoda, & aliqua Antecessorum nostrorum occultauit negligentia. Nam postquam Regnum illud à Saracenis & Paganis peruasum est, & seruitium, quod B. Petro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum & tyrannidem detentum, ab vsu nostrorum tot annis interceptum est; pariter etiam rerum & proprietatis memoria dilabi cœpit.] Et de regno Aragoniæ videbimus infra ad finem capitis vltimi, vbi de Sicula monarchia, & de Petro Aragonio Siciliæ Rege tractabo.

LXIV. Portugalliæ Regnum & ipsum esse iuris Apostolici, Romani Pontifices prætendunt, & contendunt. Quia enim Alexander tertius Alphonsum Regio titulo & nomine insigniuit (Duces enim duntaxat vocabantur Lusitani,) hinc ille, vt & fœderis protectione gauderet, duas auri marchas singulis annis in perpetuum Sedi Apostolicæ deuouit. Sicque aiunt, Regnum illud factum esse Papis censuale: quamuis proximi successores, id non census, sed deuotionis nomine pensitare voluerint; vt satis colligitur ex Innocentii tertii Epistolis, *lib. 1. ep. 100. 441. 448. 449.* Sed hic est mos ordinarius, (vt aliàs etiam innuebam,) Romanæ Curiæ, & quod pii Reges ex deuotione, imò etiam ex ambitione, dum ex Ducibus fierent titulo Reges, & ex vtili confœderatione, protectionem etiam tantæ Sedis, iam in temporalibus quoque eminentis, liberaliter donarent, censüs esse diceretur; & statim Regna ipsa feuda Romanæ Ecclesiæ facta censerentur; Reges verò ipsi Vasalli eiusdem reputarentur. Ad hanc tam magnam elationem pii olim Pontifices, vt Gregorius magnus, non peruenerunt, etiamsi ampla patrimonia ex omnibus penè Christianis Regnis colligerent: quas illi collectas, non census, sed eleemosynas ad concinnanda luminaria, & ad præstandam pauperibus alimoniam, vocauerunt.

LXV. Regnum Angliæ Adulphus Rex [*Naucl. gen. 41. an. 1214.*] Leoni quarto, ac Romanæ Ecclesiæ vectigale fecit: & Rex [*Ibid.*] Henricus ob necem Thomæ Cantuariensis, Regnum idem, pro se & suis successoribus, à Sede Apostolica, imposita hac ei pœnitentia, in feudum recognouit. Ideoque paulò post, implorans opem ab Alexandro tertio contra filium rebellem, inter cætera ait: [*Pet. Bles. epist. 136.*] Vestræ iurisdictionis est Regnum Angliæ; & quantum ad feudatarii iuris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor, & astringor. Experiatur Anglia, quid possit Romanus Pontifex: & quia materialibus armis non vtitur, patrimonium Beati Petri spirituali gladio tueatur.] Quo tempore certum est exigi solitum in Anglia & Hybernia denarium Sancti Petri, & post hos, Rex Ioannes, dictus *fine terra*. [*Antonin. 3. part. tit. 19. cap. 1. §. 5. & Nauclerus vbi supra.*] vt contra Francorum Regem Philippum, qui illum ingenti bello petebat, tutelam haberet Sedis Apostolicæ, Innocentio tertio, & successoribus, Angliæ Regnum & Hyberniæ obtulit & concessit, homagiumque Papæ fecit, censumq; mille auri Marcharum quotannis persoluendum obligauit, vltra ordinarium Sancti Petri denarium; ac plenè se fecit Romanæ Ecclesiæ feudatarium & clientem. Quantum verò habeant roboris huiusmodi voluntariæ Regum subiectiones, dicat Ioannes Maior, qui sic habet: *in 4. distinct. 23. quæst. 3.* Si verò aliqui Reges, cum populo, se tradiderunt Romanis Pontificibus, vt fertur de Anglis, nihil ad nos. Collector namque Romani Pontificis, pecuniam in Anglia colligit, ex qualibet domo denarium, vt intellexi; qui denarius Papalis dicitur. Sed illic oporter videre, an solus Rex Regnum Pontifici subdidit; vel Rex & populus: Non tamen opinor, quòd Angli vllo modo permitterent Pontificem destituere suum Regem, & alium constituere: nunquam enim aliquem Romanorum Pontificum hoc facere permiserunt.] Hæc Ioannes Maior, Doctor Parisiensis. Sed Anglos Doctores puto rem accuratiùs exponere.

LXVI. Danorum Regem, inuitat Gregorius septimus *lib. 2. epist. 51.* vt se, & Regnum suum Apostolorũ Principi pia deuotione committere velit.] Ita per deuotas commendationes hîc Petri successor personatus, non homines, sed Regna piscabatur. Facta enim hac deuota commendatione statim Regna fiebant censualia; & Reges in Pontificum Romanorum transibant clientelam. Idem profectò Gregorius Galliam & Saxoniam vectigales Romanæ Ecclesiæ esse omninò cõtendit. Sic enim scribit ad suos Legatos; *libr. 8. epist. vlt.* Dicendum autem est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, vt vnaquæq; Domus, saltem vnum denarium annuatim soluant B. Petro, si eum recognoscunt Patrem & Pastorem suum, more antiquo. Nam Carol⁹ Imperator (sicut legitur in tomo eius, qui in archiuo Ecclesiæ B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad seruitium Apostolicæ Sedis; id est, Aquisgrani; apud Podium S. Mariæ; & apud S. Ægidium: excepto hoc, quod vnusquisque propria deuotione offerebat. Idem verò magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cuius eam deuicit adiutorio: & posuit signum deuotionis & libertatis, sicut ipsi Saxones habent scriptum, & prudentes illorum satis sciunt.]

LXVII. De Regno Vngariæ idẽ Gregorius hoc habet: *l. 2. ep. 13. 63. 70.* Regnum Vngariæ S. R. E. proprium est, à Rege Stephano olim B. Petro cum omni iure & potestate sua oblatum, & deuotè traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri Regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regni direxit insignia, quo Principatum dignitatis eius attinere cognouit.] Poloniam Benedictus nonus per capita vectigalem fecit Sedi Apostolicæ, quando dispensauit cum [*Longinus apud Baron. tom. 11. an. 1041. num. 11*] Casimiro Monacho, vt iam professus & Diaconus Regnum acciperet, ac vxorem duceret. Russiam dono à se acceptam à Principe filio Regis Demetrii, affirmat Gregorius 7. *l. 2. epist. 74.* Dalmatiam idem Gregorius sui iuris Apostolici facit: quia enim Ducem illius Prouinciæ Regio titulo is primus decorauit, *lib. 7. ep. 4.* Regem se in Dalmatia authoritate Apostolica constituisse profitetur. Is porro fuit Demetrius, qui & Suinimir: cuius inuestituram profert Baronius *tom. 11. an 1076. nu. 56.*

LXVIII. Virtute priuilegii Ludouici & Henrici, de quibus supra, Venetiarum & Istriæ Prouincias, eadem sedes potest suas esse affirmare: additis præsertim Gregorii secundi literis præceptiuis, quibus [*Apud Baron. tom. 9. ann. 726. num. 28.*] Vrsum, Ducem Venetiarum, Papa ad arma capienda pro recuperatione Rauennatis exarchatus ad fauorem Imperatoris, mouere stu-

studet, vbi Baronius ad nutum Papæ Venetos bella mouisse docet. Liguriam & Tusciam, [*Leo Ostiens. lib. 3. cap. 48.*] Mathildis Comitissa, Romanæ Ecclesiæ donasse dicitur testamento. Corsicam Gregorius septimus nulli mortalium, nullique potestati, nisi S. R. E. ex debito, vel iuris proprietate pertinere affirmat, *lib. 5. epist. 4. & libr. 6. epist. 12.* Maioricam & Minoricam Insulas eiusdem iuris facit Innocentius tertius, *libr. 1. epistol. 378.* sicut & Sardiniam, [*de prescript. cap. Si diligenti.*] De Sicilia videbimus infra *capit. 12.* vbi de illa Monarchia agemus. Ad prætendatus esse iuris Apostolici, tractatus amplus Baronii manifestat. Sed & in partibus Orientalibus sua Regna Romana prætendit Ecclesia, Terram enim Sanctam, seu Hierosolymitanum Regnum, quando Latinis viribus est recuperatum, in ius Romanæ Ecclesiæ transisse, idem Innocentius tertius asserit *lib. 1. epist. 437.* Qui in Armenos etiam hoc ipsum ius dilatauit, *lib. 2. epist. 211.* Miror itaque, cur nostri Hieromonarchici non faciant hodie Reges inclytos Franciæ, Hispaniarum, Lusitaniæ, Angliæ, Vngariæ, Poloniæ, Russiæ, & Dalmatiæ, Ducesque Venetiarum, Genuæ, Hetruriæ, & Saxoniæ, Papæ Vasallos, ac simplices Feudatarios; & consequenter rebelles & tyrannos non pronuncient, si in omnibus Pontificiæ, hoc est, Regiæ voluntati non statim obsequantur. Sed etiam si vires ad hoc conandum non suppetant, animum tamē non deesse vidimus nostris diebus in Sixto Quinto, qui animo vires etiam addere non destitit, mors tamen, ne mundus id videret, impediuit.

CAPVT IX.

Principes, etiam errantes, esse ab Ecclesia modestè & humaniter tractandos.

SVMMA CAPITIS.

Principes Maiestate propria sunt reuerendi, nu. 1.

Contra Principes errantes sola reprehensione modesta insurgit Ecclesia: probatur id ex Chrysostomo, nu. 2. & exemplo Gregorij, nu. 3. 4. 5.

Imperatores etiam mali ab Ecclesia fuerunt semper modeste, & cum magna reuerentia tractati, quod ex factis probatur, & excusatio de virium defectu tollitur, à nu. 6. ad nu. 16.

Fit comparatio inter modestiam priorum Episcoporum, & facta posteriorum, num. 17. Eademque modestia & reuerentia erga Principes ab Iuone & Bernardo confirmatur, numer. 18. 19.

Proponuntur in contrarium exempla vetera excommunicationum, & seueritatis Ecclesiæ erga Principes, eaq; explicantur & soluuntur, & an Principes excommunicari possint, tractatur à num. 20. ad nu. 28.

Gregorius septimus primus fuit Principum excommunicator, & depositor, & in hoc reprehenditur, & ipsius defensores confutantur, num. 29. 30. 31.

Baronius contra hanc Principibus debitam reuerentiam peccans reprehenditur, & Imperatores pij ab eo male habiti defenduntur, Theodosius præsertim, & Iustinianus, à num. 32. ad finem capitis.

I. MAIESTAS suprema Principum, præsertim Christianorum, summisque inter mortales, quā à DEO ipso ornati sunt, eminentia, atque potestas in omnes, etiam summos Sacerdotes, in temporalibus (cum ipsius DEI in huius terreni mundi administratione & regimine gerant vices) visque tremendi illius gladij, quo à DEO ipso, Rege Regum, & Domino Dominorum, [*Apocal. 17. 14.*] ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, [*Rom. 13. 4. 1. Petr. 2. 14.*] cincti sunt, faciunt eos, qui post DEVM in terris superiorem non habent, vt iam probaui, ex omni parte sacrosanctos, etiam Ecclesiæ ipsi verendos. Subiectam sane sibi, hoc est, ipsorum curæ commendatam habent à Christo Ecclesiam, vt vidimus, *cap. 5.* in omni ipsius negotio externo, adeò vt ab ipsis Ecclesiæ pax & tranquillitas ac decor splendorque turbari possit plurimum, sine ipsis tamen illa lapsa erigi, turbata restitui, & deturpata ad suum splendorem exterius redire nullo pacto possit; quæ omnia, sunt à me iam reddita manifestissima. Quis non videt igitur summæ imprudentiæ esse, velle illos ad iracundiam prouocare, à quibus molestias & perturbationes siue excitari merito timeas, siue excitatas augeri; & quorum ope maximè indigeas, & contra quos nullam vim habeas, qua possis eos vel inuitos ad tuam flectere voluntatem? Rogare potes, mouere comiter & benignè, ac humiliter potes, precibus apud DEVM, qui solus supra eos habet potestatē, insistere potes, vt ille ipsos, vbi opus est, emolliat, & contineat in officio; cogere non potes.

II. Ioannes Chrysostomus, vir & eloquentia & sapientia insignis in Ecclesia, Regis [*2. Paralip. 26.*] Oziæ factum aliquando considerans, ait, *de verbis Isai. Vidi Dominum hom. 4.* Vbi igitur Sacerdos contemptus est, dignitasque Sacerdotii conculcata, nec quicquam præterea potuit Sacerdos: Nam Sacerdotis tantum est arguere, liberamque præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, sed tantum arguere, ac liberam præstare admonitionem. Postquam igitur arguisset Sacerdos, Rex autem non cessisset, sed arma moueret, clypeos & hastas, suaque vteretur potentia: ibi Sacerdos DEI; Ego, inquit, quod erat mei officii, præstiti, nihil amplius possum (*nimirum in Regem*) succurrere Sacerdotio quod conculcatur, leges violantur, fas subuertitur.] DEVS itaque non homo, de Rege errante vindictam sumpsit, eumque lepra percussit: Vidisti, *inquit idem Chrysostomus*, humanitatem vltionis diuinæ, non fulmen emisit, non commouit cœlum, sed efflōruit lepra.] Docet procul dubio Ecclesiam, non esse ei contra Reges fulminibus agendum; sed vbi errant, & veram Ecclesiasticam potestatem Ecclesiæ maximè propriam ad se trahunt, lenioribus duntaxat commonitionibus esse agendum: & vbi illæ non proficiunt, à DEO solo vindictam seu potiora remedia aduersus Reges expetenda esse, & expectanda: Sacerdotem verò nihil vlterius habere, quod faciat contra Regem, post simplicem admonitionem, & tradidit Chrysostomus apertissimè, & idem facto Oziæ comprobatur. Nam quod Sacerdos poterat iure suo contra quemcunque priuatum, vt si *Num. 5. 2. 4. Reg. 15. 5.* leprosus esset, ex Ciuitate illum propelleret, id contra Regem non est ausus, *2. Paral. 26. 19.* mansit enim in Ciuitate, in domo sua reclusus, id etiam Chrysostomo ibidem attestante. Et fallitur Bellarminus *de Rom. Pontif. lib. 5. c. 8.* solam enim eiectionem ex templo, siue ex domo Domini, habet Scriptura: non è ciuitate, sed in domo separata illum habitasse, nimirum in ciuitate, Scriptura commemorat: & Chrysostom. explicat, dum ait: Exiuit igitur Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate, diadema illius regiamque dignitatem reueriti.]

III. Omnes antiquiores Patres, etiam Romani Pōtifices, eodem imbuti spiritu, modestissimi semper erga Imperatores & Principes se gesserunt, etiam vbi errantes offendissent; sed in hac modestia, comitate, & humilitate maximè insignem Gregorium reperio; qui Mauritium Imperatorem, pro iniqua illa lege lata, de qua supra capit. 4. fuse egi, ita monendum putauit, vt tamen modestiæ maximæ & humilitatis memor, non modo verbis subiectionis plenis vteretur; sed etiam facto ipso, promulgando illam legem, prout iubebat

Impe-

Imperator, erga ipsum reuerentiam magnam, & obedientiam exhiberet; & se indignum Imperatoris famulum appellaret. Vtrobique ergo, *inquit*, *libr.2.ind. 11. epistol. 61.* quæ debui exolui: qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro DEO, quod sensi, minimè tacui.] Optimum etiam tradit idem Gregorius, Ioanni Syracusano Episcopo documentum, qui cum Venantio Patricio iam seueriùs agebat, ipsius oblationes respuendo, & ei missas in domo eius negando: vt ab his abstineat, monet, & addit: *lib.5.ind.14.ep.43.* Necesse est, vt ita se circa filios fraternitas vestra discreta moderatione exhibere studeat, vt & quod negotii qualitas exigit, salubriter peragat, & à paternæ charitatis gratia non recedat.] Exarchus Italiæ aliquando Blandum Episcopum Hortensem pro causa criminali detinebat: nunquid Gregorius contra eum monitoria & excommunicationes relaxabat, qui Episcopos puniendos propria authoritate in carceribus detinebat? Minimè verò; sed valdè modestè ad eum ita scribit, *lib. 1. epistol. 52.* Quia non credimus, quod eum excellentia vestra, nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet vt habita Synodo palā fiat, si quod in eum crimen intenditur. Et, si talis in eo culpa reperitur, quæ vsque ad degradationem Sacerdotii perducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus.] Non repetit carceratum. iudicandum ad se non trahit; solum petit, vt in Synodo crimina eius publicentur, vt appareat sitne degradandus.

IV. Etiamnum cōtemplemur insignem erga Principes Gregorii tolerantiam & humanitatem? Ardebat totus aliquando castigatorio zelo in Maximum Salonitanum antecessorem meum, cuius errores prætensi, non pauci ad ipsum delati fuerant: præsertim quod inscio & inconsulto Papa, siue eius Legato, fuerit ordinatus: sed neque hoc ipsum se grauius laturum asserit, *libr.4.ind.13.epist.34.* si id Imperatoris iussu factum fuerit: Euocauerat etiam illum Romam, iussionem tamen expectauit Imperatoris: qui nihilominus ita mandauit, vt Romam proficisceretur, vt iuberet Papam eum honorificè suscipere. Ego autem, *inquit Gregorius*, præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel Responsalem meam prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me authore fuisset ordinatus.] Minatur tamen se pro aliis delictis, vt quòd simoniacè fuerit electus, & censuras contempserit, missas, à Papa suspensus, celebrando: Dolet interim & ingemiscit super Imperatoris præcepto, de eodem Maximo honorificè suscipiendo. Et valde graue est, *inquit*, vt vir, de quo tanta & talia nunciantur, cum ante requiri & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos Dominos, aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad seculares iudices habeant, omnipotenti DEO gratias ago, peccatis meis deputo.] Ista Gregorius vehementissimè, vt videtur, læsus, certè vehementer commotus; sed præter doloris sensum, vix quicquam aliud promit; supplicibus ad Augustam literis suggerens, quid expostulet, ita vt conqueri aut mussitare præ modestia vix audeat. Plurimum enim Imperatori in omnibus deferendum esse sciebat.

V. Sed ne sic quidem euasit superior, nam Maximus factus adhuc fortior, literas Gregorii suspensionem ei à missarum celebratione intimantes, publicè lacerari fecit, [*Gregor. libr.7.ind.1.epist.1. & libr.5.ind.14. epist.28. & libr.6.ind.15.epist.19.*] & iterum atque iterum Romam euocatus, obtemperare suis ex causis noluit: eoque Mauritius rem adduxit, vt admissa Maximi excusatione, qua sibi ille tutum non esse Romam accessum causabatur, exemplo aliorum ad necem quæsitorum, Rauennæ iudicium, in causa ipsius, concedente id Gregorio, agitaretur. Vbi Maximus se purgauit, & post quinquennale cū Romana Sede certamen, à Gregorio, maxima cum tolerantia, in gratiam receptus est, & pallio etiam decoratus. Totoque hoc tempore Gregorius grauissimis, vt saltē ipse putabat, iniuriis à Mauritio lacessitus, nullam tamen vel obiurgationem, vel vocem asperiorem noscitur in Cæsarem emisisse. Suarum enim partium illud tantum esse censuit, vt Principi suggereret, quæ fiebant, summaque cum mansuetudine moneret, hortaretur, & deprecaretur. Imò ipsius causa, ne in Episcopum quidem, suo modo, contumacem, & suis officiis Imperatorem ad resistendum Papæ solicitantem, censuit vnquam ad seueriora esse procedendum. Et quid tibi videtur de illis Gregorii verbis? *lib.9.epist.41* Quod ipse fecerit, si canonicum est, sequimur; si verò canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.] Loquebatur verò de Imperatore, qui Episcopo viuenti, sed ægroto, volebat alium suffici Episcopum.

VI. Si vellem huc similia Sanctorū Patrum exempla congerere, essem profusissimus: plurima sunt à me aliis occasionibus in præcedentibus huius libri capitibus allata, in quibus sæpe iam monui, quāta cum reuerentia & comitate Principes Christianos, etiam vehementius errantes, Patres sanctissimi sint allocuti; & per plura post Christū secula, nullum prorsus, quod sciam, obseruatur exemplum, in quo seueriùs cum Principibus ipsis egerit Ecclesia; etiam vbi illi hostilib[9] eam lacesserent iniuriis. Cui sunt ignotæ Constantii Imperatoris sæuissimæ in catholicos persecutiones? Quid Athanasius cū illo? *Apolog. ad Constantium.* Quid Liberius? *Apud Theod l.2.c.6.* Quid Hosius? *Apud Athan. ep ad solita. ibid.* Quid Hilarius? *Ad Constātium*, monent, rogānt, obsecrant, veritatem liberè proloquuntur, & tuentur, ac docent, submissa tamen omnes & humili oratione: nō intentant minas, nō excommunicant, multo minus ita insaniunt, vt priuent Imperio: persecutiones tolerant, exilia patiuntur, non exhorrent carceres, ceruices offerunt; sed nec inigiis in Imperatorem seueriùs insurgūt. Inuectiuis quidem ipsius impietatem, & in Episcopos catholicos tyrannidem, priuato sane labore, non publico Ecclesiæ nomine, acrius exagitat Lucifer Caralitanus; præter morem profectò illorum temporum; sed tamen nunquam vel ille, vel alius, ad minas & Monitoria & fulmina descendit censurarum. De Imperii autem priuatione simplex illa ætas, ac suæ Sphæræ ambitu contēta, nunquam vel per somnium cogitauit. Quid duri contra Apostatam Iulianum statuit, aut conata est Ecclesia? nihil prorsus: multa tamen ab ipso passa est. Inuectiuas in eum Gregorius Nazianzenus, non vt Episcopus, sed vt orator, & sane post mortem ipsius, scripsit. Quid contra Valentem catholicorum hostem acerbissimum? Congressum cum ipsius Præfecto Modesto, Basilium scimus, Episcopalis animi, Episcopalis vigoris Virum, zelo libertatis Ecclesiasticæ conseruandæ nemini secundum: quibus armis contra Valentem pugnandum esset Ecclesiæ, is optime declarat, dicens: *Apud Nazianzen. orat. in Laud. Basil* Nam cæteris quidem in rebus, ô Præfecte, mansueti & placidi sumus, atq; omnium abiectissimi, quemadmodū nobis hac lege præscriptum est: *Matth.20.26. Luc.22.26.* ac nō dicam aduersus tantum Imperatorem, sed ne aduersus plebeium quidem quenquam supercilium attollimus: Verùm vbi DEVS nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putātes, ipsum solū intue-

Intuemur: ignis autem & gladius, & bestiæ, & vngulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potius sunt, quam terrori.] Ecclesiam audis non attollere supercilium aduersus quenquam, vel vilissimum plebeium, quantò minus aduersus Principes: verùm vbi Deus periclitatur, num censet Basilius, supercilium esse etiam aduersus Imp. attollendum? Minime vero. Sed tunc, *inquit*, tormenta omnia & martyrium ipsum est subeundum, fides tamen deserenda non est.] Non ait: Tunc Imperatori excommunicationes, bella, depositionem, rebelliones, necem parare debemus.

VII. Quod dico de Constantio, Iuliano, Valente, dictum etiā volo de reliquis Imperatoribus & Regibus Christianis, siue hæreticis, siue Catholicis, sed extra iustitiæ aut pietatis tramitem exorbitantibus, ac Ecclesiam in aliquo oppugnantibus. Percurrat quisque Annales, legat historias scripta cujuscunque generis euoluat, nescio an per sexcentos & vltra post Christum annos sit vllam in Ecclesiasticis viris stomachosam ergà Principes animositatem, aut violentam & pugnacem resistentiam obseruaturus, aut conatus Ecclesiæ vllos animaduersurus, quibus illa in Principes etiam errantes in irrexerit, vt vel inuitos ad sibi parendum interminationibus, interdictis, edictisque damnatoriis cogeret.

VIII. Vires, inquiunt, necessariæ nondum Ecclesiæ suppetebant. Sed si de iure & potestate propria ac legitima agatur, ne nunc quidem habet illa maiores vires, bellicas nempe, & militares; quia nullas prorsus vt proprias tales vnquam habuit, vel est habitura, (nisi includamus dominia paucula temporalia, quæ habent iam posterioribus sæculis Ecclesiæ nonnullæ, præsertim Romana: Sed quid hæc contra tot & tantos Principes?) Quod si de facto tantùm loquamur, & de viribus non Ecclesiæ vt Ecclesia est, sed Christianorum, cur etiam tunc non potuit Ecclesia vti viribus ipsorummet subditorum Principis, & Christianorum, ad eum puniendum? Christiani prioribus seculis erant plurimi, & Imperatoribus formidabiles. An non Tertullianus in *Apologet. cap.* 37. monebat Gentiles, posse Christianos vel vna nocte pauculis faculis iniurias vlcisci? si malum malo dispungi, inquit, penes nos liceret. Si enim hostes extraneos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum: — hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum: sola vobis relinquimus templa: cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere.] Non ergo ex defectu virium, etiam apertarum, per bellum, Ecclesia, sed ex propria nostræ religionis professione à vindicta & sui violenta defensione abstinuit, & proditoriis incendiis tollere persecutores impium esse existimauit. Ab hac impietate remoti non erant Catholico-Romani Angli, quando non vnius noctis facolis, sed vnius momenti igne tormentario perdere Regem suum, & totius regni proceres voluerunt. Si Tertullianum, si Patres sanctos consuluissent, à diabolico consilio abstinuissent: Sed Patres Iesuitas consuluerunt, & ab illis in impietate sunt confirmati; qui Ecclesiæ sanctæ Spiritum, certè in ea parte, (quod dolens & flens contra meos fratres dico) penitus abiecerunt. Non deerant, inquam, vires olim Christianis, sed aderat spiritus, qui viribus in hoc vti omnino vetabat. Dicat é: Nazianzenus, quas iam vires haberent Christiani sub Constantio & Iuliano; Ac ne hoc quidem, *inquit orat. 1. in Iulia.* perspiciebat — *Iulianus*, quod prioribus quidem persecutionibus idcirco parua perturbatio & conuulsio sequebatur, quia nondū dogma nostrum ad multos propagatum erat, sed in paucis adhuc hominibus veritas hærebat, splendoremq; desiderabat: nunc autem salutari doctrina longe lateque fusa, & apud nos præsertim dominante, religionem Christianam immutare, atque in diuersum mouere conari, nihil aliud fuerit, quam Romanum Imperium conuellere, ac de rerum summa periclitari.] Si igitur Iulianus Christianos extinguere putabat, putare etiam debuisset, se Romanum Imperium, quod iam ex Christianis maxima ex parte constaret, se posse conuellere. Non ergo vires deerant, sed debita mansuetudo & tolerantia aderat. Vnde & idem Gregor. Nazianz. ad Iulian. *ibid.* ait: Sic rem expende. Cùm nos quibusdam temporibus potentiā floruerimus, vos etiam quibusdam, his nimirum alias aliter rotantibus, atque in diuersum labentibus, quid tandem simile vestri à Christianis perpessi sunt, qualia sæpenumero Christiani à vobis pertulerunt? Quam libertatem vobis eripuimus? in quos plebem furentem cōcitauimus? in quos præsides plura etiam, quam ipsis imperatū esset, exequentes? quibus vitæ periculum creauimus? In ô quosnam Præturis, aliisq; honoribus, qui præstantissimis quibusq; debentur, submouimus? atq; vt summatim dicam, ecquid aliquid simile intulimus, qualia multa à vobis partim patrata, partim denunciata sunt? Sed ne ipsi quidem hoc dixeritis, qui nobis mansuetudinem & humanitatem crimini vertere soletis.] Habuerūt ergo vires aliquando Christiani, quibus & sæuire possent, & furentē plebem concitare, & Prætoris submouere, &c. Sed religione prohibebantur, pati mala propter fidem, non rependere mala parati. Non defuisse vires olim Christianis per Imperatores hæreticos afflictis, in facto quoque Ambrosii cum Valentiniano facile quisque potest intelligere. Volebat Basilicas Imperator Catholicis eripere & tradere Arianis, nec tamen vim adhibere est ausus, & toties timuit, ne Ambrosius plebem concitaret, quæ tamen sponte Basilicas implebat, vi eas tueri parata: in hoc tamē Ambrosio nō consentiente, *ep.* 33.

IX. Demus tamen etiam vires temporales de facto tunc non suppetiisse Ecclesiæ, ad Principes Imperio priuandos: nunne tamen suppetebant vires spirituales ad præcipiendum Principi Christiano, in fide vel moribus grauiter erranti, eique correctionem Ecclesiastica autoritate imperādum, ac, si se non corrigeret, etiam anathemate percellendum? Imò hæ sunt vires propriæ Ecclesiæ, & tamen nunquam, vt dixi, per tot secula illis vsa est aduersus Principes suos Ecclesia, etiamsi plurimæ se sæpe offerrent occasiones. Horrebat etenim animus sanctissimorum Patrum, insurgere in Christos Domini; & ab hoc illi plurimum abhorrebant: satis sibi esse ducentes, quoad resistentiam odiosam erga Principes, si contra Devm & fidem, Principibus non parerent; etiamsi omnia extrema essent toleranda: In reliquis vero se omnino eis subiectos esse, vt est iam ostensum, semper agnouerunt. Et si prīscis illis temporibus, quando & pietas Principum erat eximia, & autoritas Episcoporum penes illos maxima, vt patet ex summa Theodosij humilitate erga Ambrosium; amabant enim Episcopos, & reuerebantur tanquam veros Patres; nihil aliud nisi salutem animarum quærentes; ex quo illis fidem perfectissimam adhibebant: nihilominus, quod propter hæc factu facillimum fuisset, nunquam sibi attentandum existimarunt; & quia sibi id contra Principes minimè licere sciebant; & vt prudenter publica dissensionum & scandalorum pericula euitarent, quanto minus id posteriores attentare debuerunt, quando & Principes non

Principes non sunt ordinatiè tantâ humilitate & tolerantiâ prædici, (quis enim nunc Theodosium imitatetur?) & regionum nostrarum Episcopi iacturam fecerunt maximam suæ autoritatis, ob innumeras suspiciones, quibus non immeritò onerantur, ac innuunt, se potiùs [*Phil.2.26.*] quæ sua sunt, quàm quæ Iesu Christi, quærere, & potestate Ecclesiasticâ ad temporalia abuti, omnibus ferè Sacerdotalibus virtutibus destituti: laicalibus verò sordibus non parum vtplurimùm infecti.

X. Ambrosius aliquando compellebatur, vt paulò antè dicebam, ab Imperatore Valentiniano, vt Basilicas traderet Arianis: restitit quidem ille, sed humillimè: Si tributum, *inquit orat. in Auxent. post epist.32.* petit, non negamus: Agri Ecclesiæ soluunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrûm interuenit.] Et postea: Tributum Cæsaris est, non negatur: Ecclesia Dei est, Cæsari vtique non debet addici. Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est: Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur: didicimus Christi seruuli non timere, &c.] Dicit liberè Ambrosius, quod æquum est: docet, monet, instruit Imperatorem: quid tandem? si Imperator vi, suaque potestate vti volet? patiar, *inquit*, incendia, gladium, deportationem, mortem; in traditionem Basilicarum non assentiar. Contra vim Imperatoris non parat excommunicationes, depositiones, seditiones, abrogationes, priuationes; sed patientiam & tolerantiam omnium tormentorum. Quàm diu igitur Imperatores vires habuerunt, & gladium liberum, Pontifices vim contra vim non exercuerunt: sed pro veritate quidem steterũt, Imperatoribus tamen se dominari nunquam ostenderunt, sed ipsorum gladio ceruices supposuerunt: Vbi verò temporalibus aucti sunt Pontifices viribus, tunc tandem & resistere Imperatoribus cœperunt, non modò voluntate per non consensum, si quid iniusti imponerent ac iuberent ipsi Imperatores, sed etiam imperiosis iussionibus, decretoriis præceptionibus, truculentis minis & gladiis etiam, tandemq; vt aperti hostes insurrexerunt, & rebelliones excitarunt. Ideoq; iamiam Ecclesia nostris temporibus incapax est facta martyrij; quæq; priùs carceribus, equuleis, ac pretioso martyrum sanguine gloriabatur, nunc luget hanc sibi gloriam totam ademptam; & se tantum decus amisisse lachrymatur: Viribus enim aucta, & facta Principibus formidabilis, non timent amplius Episcopi, ac Romanus præsertim, carceres, & tormenta, ab vllo Principe, si quid iniusti ille vellet, imò & iusti, ac resistentibus sibi Episcopis, cruciatus, exilia, deputationes, cruces intentaret; cùm iam obniti possit suo & suorum Episcoporũ nomine Pontifex Romanus; & ita obniti, vt, nî acquiescat ille Princeps, primùm excommunicatione, deinde Regni etiam amissione, & subditorum rebellione, aliorumque Principum irruptione, & Regni ipsius inuasione sit plectendus. Nunc dierum igitur facili negotio remouet à se omnem martyrij occasionem, nullumque ampliùs relinquitur sub Romanâ Monarchiâ periculum, imò vt meliùs dicam, nulla spes, vt viri Ecclesiastici martyrio sanctam exornent Ecclesiam. Nisi quòd quidam pseudo-martyres ita insanierint, vt pro Papæ vsurpationibus tuendis, & cum ingenti piorum Principum periculo obtrudendis, animas suas, facti perduelles, proiecerint, ac sanguine suo, non Christi veritatem, sed à Christo veritas Papales vsurpationes obsignârint, de quibus aliàs. Atque vtinam ipsa Ecclesia seculari potestate plurimùm aucta, vim hanc martyres efficiendi aliis Principibus ereptam, ad se non attraxerit, & eam sæpiùs non exerceat. Indignam profectò religioso homine, scandalosamq; doctrinam lego apud Bellarminum, *contr. Barcl. c.6.* Martyrium Christiano homini non esse subeundum, nisi priùs vel fugâ, vel iustâ defensione, vim vi repellendo, se tueri tentauerit.] Audite Apostoli, audite martyrum chorus, vos sapere docuisset Cardinalis Bellarminus: vos monuisset, ne sitis animæ vestræ nimium prodigi; vos, vt Petrus CHRISTVM, hortatus fuisset cutim curare: *Matth.16.22. Absit hoc à te.* Sed auditurus, credo, quod ille, *Vade retrò post me, Satana.* Hic sanè spiritus est Satanæ, non Euangelicus: non Ecclesiasticus. Tot persecutiones cùm habuerit Ecclesia, afferat mihi hic Martyrifugij præceptor vnicum exemplum, quo pestifera hæc defensionum & per vim repulsionum doctrina confirmetur. Hæccine est iusta defensio? Arripiant ergo arma, Protestantes, & contra suos Reges Papistas insurgant, vbi illi pœnis & afflictionibus ac sanguinis effusione ad Papismum eos volunt cogere. Itane? id ego non consulo.

XI. Seclusis tamen iniustis petitionibus Regum, & præceptionibus contra Deum & Christi fidem, ac religionem, quantâ submissione idem Ambrosius agat cum Principibus, habemus in eius Epistola ad Eugenium Augustum, *epistol.88.* Scripsi, & rogaui, vt ostenderem in causis Dei timorem mihi iniustum inesse, nec pluris adulationem, quàm animam meam facere. In his verò, in quibus vos rogari decet, etiam & me exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut & scriptum est *Rom.13.7. Cui honorem honorem, cui tributum tributum*; nam cùm priuato detulerim corde intimo, quomodo ei non deferrem Imperatori? Sed qui vobis deferri vultis; patimini vt deferamus ei, quem Imperij vestri vultis authorem probari.] Hic est verus modus Ecclesiasticus agendi cum Principibus, etiam cùm interdum à recto tramite deuiauerint.

XII. Zeno Imperator, erga fidem Catholicam iniquior, fouebat hæreticos: Huius erroris culpam in Acatium Episcopum Constantinopolitanum Romani Pontifices retulerunt; qui potuerit Imperatorem ad rectam fidei lineam reducere, si voluisset: quibus verò armis? num præceptis & monitoriis? num excommunicatione, & depositione? Audi Felicem tertium ad Acatium cum Romana Synodo scribentem: *apud Baron. tom.6. ann.483. num.23.* Proinde, *inquit*, adire debes sæpiùs Christianæ mentis Augustum, & causas eidem salutis suæ, atque etiam Imperij redditurus, & conseruandi eius auxilium frequenter ingerere, vnde inimici illius corruerint, & quâ viâ idem surrexerit, nihilominus intimare ei; scripta illa sensibus pietatis eius offerre, quibus decessorem meum eximiâ laude extulit, eo quòd hæreticam tyrannidem Catholicæ veritatis assertione confuderit: Item illa quoque, quibus Petrum Alexandrinum ab Alexandrinæ ceruicibus excussit Ecclesiæ, & sanctæ memoriæ Timotheum reuocauit Orthodoxum.] Aliaq; egregia pro fide Catholica gesta Imperatoris, monet ei esse commemoranda, quæ ibi Felix enumerat; & postea subdit: Hæc huiusmodi, quæ gesta sunt, & dilectionis tuæ conscientiam non latent, conuenerat sæpiùs impertiri.] Et paulò pòst: Quò magis te pro tua salute & professione feruentius apud Clementiæ eius aures oportuerat talia incessabiliter allegare, ac magnoperè deprecari, — ne vel tuæ (quod absit) fidei destituta, vel perfidiæ diceteris fautor alienæ; error enim, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defensatur, opprimitur. Deinde cùm tibi, Domino præstante, apud Dominum filium nostrum religiosum

sum Principem, familiaritatem esse nouerimus; nullus vnquam potuit suadere, dilectionem tuam nequiuisse gerere; quin potius noluisse.] Non reprehendit igitur Felix Acatium, quòd liberâ non fuerit vsus seueritate, in reducendo Imperatore; sed quod placidè & benignè commemoratione aliorum bene gestorum, & amicitiæ ac familiaritatis molli vinculo illum non in officio retinuerit. Quinimò ipsemet Felix, dum conatur defectum Acatij supplere, non eiaculatur monitoria, non multiplicat iussiones: sed humaniter & benignè ad Imperatorem eundem, plurimùm deuiantem, ita scribit: [*ad Zenon. epistol. 3. tom. 1. part. 2.*] Conuenit tuæ Clementiæ, rerum ordinem nuntiare gestarum; pro tranquillitate Imperij Serenitatis tuæ; & vt suscipias precem meam, ac si ipse præsens essem, benignis auribus tuis, vt Christianissimus Imperator: & nequaquam arbitretur pietas tua, illum nos puro corde diligere, quicunque tecum pacem cum Deo habere non vult. Et post datam ei fidei Instructionem, hæc addit: Quapropter nunc sancta Dei Ecclesia materni iste vocibus, vtpote ad excellentem ipsius filium, alloqui non cessat: O à Christo amate Imperator, &c.] Pergit q; semper rogando, & obsecrando. Nec vnquam ad asperiora intonanda consurgit. Eosdem Zenonis excessus, in multorum Episcoporum depositionibus perpetratos, in Acatium Gelasius quoq; refundit; non quòd in eum minatum, censurarum, ac priuationis fulmina vibrare oblitus fuerit: Sed, *inquit epist. 11. ad Dardanos.* Principi Christiano decuerat suggerere Sacerdotem, maximè cuius familiaritate & fauore fruebatur, saluam fore de eiusdem iniuria contumeliaq; vindictam, tantùm vt Ecclesiæ sineret Christianus Princeps regulas custodiri.] Læserant aliqui in re Episcopi Zenonem: Ille in eos seuerius animaduertit: Acatius tamen fit potissimùm huius culpæ reus, quòd Imperatori non suggesserit, vt vindictam quidem sumeret de Episcopis, eos tamen per Synodum priùs condemnasset. Obiicitq; Gelasius Acatio summam negligentiam, quòd Imperatori non opposuerit, non minquam minis & censuris; sed simplici suggestione, aliorumq; Pontificum vigorem in hoc non fuerit imitatus, qui, vt Nathan contra Dauid, aduersus Principes insurrexerint, eos liberè docendo, hortando, monendo, increpando, & ad pœnitentiam reducendo. Profertq; ei exempla Ambrosij in Theodosium Seniorem; Leonis in Iuniorem; Hilarij in Anthemium; Simplicij & Felicis in Basiliscum, & eundem Zenonem: Eugenij Carthaginensis in Honoricum Vandalum; & suum Odoacrem: ac tandem his innumeratis, de Acatio illud subiungit: His omnibus cùm non restitit suggestione quâ potuit, consensit Acatius.] Vt planè videas etiam in prolatis exéplis, nihil aliud intellexisse Gelasium, nisi eos omnes contra Principes erectos, solâ suggestione vsos fuisse, vt nos etiam paulò pòst conabimur declarare.

XIII. Anastasium Imperatorem, diu experta est Ecclesia Catholica aduersarium; tolerauit tamen, neque contra eum quicquam asperum vnquam tentauit; imò lucro maximo semper reputauit, si quo modo illum posset emollire. Qui hæc cupit propiùs intueri, legat Anastasij secundi Papæ Epistolam ad eundem sibi cognominem Imperatorem scriptam, certè modestam, humilitatis, ac precum fœcundam: [*tomo 1. epist. Decret. Rom. Pont. p. 2.*] Pro fide, *inquit*: Catholica humilis pietati tuæ precator occurro.] Legat & Hormisdæ plures ad eum Epistolas, & Legatis datas admonitiones.

XIV. Vigilius Papa, etiamsi à Iustiniano Imperatore afflictus interdum fuerit, & depressus, nunquam tamen aduersus ipsum vlla vsus est autoritate; imò ad vitanda scandala, etiamsi in Theodorum Cæsariensem, Intimum Iustiniani in rebus Ecclesiasticis Consiliarium, excommunicationis scripserit sententiam, *epist. 7. tom. 1.* eam tamen publicare noluit, ne Imperator ei grauiùs inde succenseret; tantum abest, vt contra ipsum Imperatorem quicquam seueriùs voluerit experiri. Sed quid agat, *inquit Baronius tom. 7. an. 551. n. 5.* In terrâ alienâ, vbi silent iura; & à legum conditore intelligit leges proculcari; & iustitiam à Iustiniano exulem agi?] Quid agat? Ioannes etiam in vinculis suo fungebatur munere, *Matth. 11. 2.* Cur eum non excommunicat? Cur saltem monitoriis, & comminationibus non agit? An timore exilij, deportationis, necis? hæc pium constantemq; sacerdotem non terrent. Sed quia illa neq; poterat, neq; debebat, ideò ab iis abstinet, & non nisi maximâ reuerentiâ, debitâq; submissione cum Principe esse agendum omnino statuit. Appenderat enim Iustinianus edicta de tribus capitulis, & sanè perseme Vigilio, & id ægerrimè ferente: Quid ille? monet his verbis Episcopos: *epist. 7.* Rogate piissimum Principem, aut edicta sua, quæ præcipit appendi, remouere dignetur, & constitutum communè expectare, id est, vt scandalizati Episcopi Latinæ linguæ, ad Synodum veniant; aut certè semotâ omni violentiâ suas scripto declaret sententias. Quod si fortè preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad diuisionem tendat (*timebat schisma*) nec contra constitutum, comminatione aliquâ veniatis.] Ad constantiam illos hortatur, vt postposito omni humano timore, quod iam inter ipsos conuenerat, de expectando generali Concilio, id obseruent: & potiùs cum ipso omnes subeant afflictiones, quàm in aliquo læsum, quod fuerat constitutum. Neque verò se cum Episcopis præparat Vigilius côtra Imperatorê ad seueras districtiones: sed ad Martyrium etiâ, si opus fuerit, Episcopos ipsos adhortatur.

XV. Celebris est Vitaliani Papæ modestia in Imperatore Constante Heraclij nepote honorificentissimè Romæ excipiendo: [*Anastas. in Vitaliano.*] et enim occurrit cum Clero suo, milliario sexto ab Vrbe Româ: & suscepit eum.] Hæreticum sanè hominem, fratricidam ac sacrilegum, qui [*inter epist. Martini tom. 2. epist. 16.*] Martinum è sede deiecerat, & relegatû Chersone, fame perire coëgerat: qui in Maximû [*Acta Maximi*] Abbatem & eius discipulos carnificinam exercuerat; officiosè tamen suscipit, & omni prosequitur honore, non exhortuit tot criminibus aspersum; non exprobrauit immania facinora; fores illi Ecclesiæ non occlusit, anathemate feriendum non censuit, sed diademati se inclinauit, & Imperialem in eo dignitatem, vt par erat, veneratus est.

XVI. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, ne Imperatorem Constantinum Irenæ filium, fidei Catholicæ faceret desertorem, prudenter abstinuit ab excommunicando eodem, peccante, etiam grauiter; nempe qui [*Theophanes, Apud Baron. tom. 9. an. 795. n. 69. 75.*] legitimâ repudiatâ vxore, pellicem voluit Augustam coronari. Non dubito, quin Tarasius, prout decuit, priuatis admonitionibus Principem ab hoc scelere reuocare studuerit, sed ei nihilo seciùs publicè communicauit; si enim iuuenem censuris rigidioribus exasperasset, fidei Catholicæ hostem proculdubio reddidisset. Ex hoc tamen prudenti Tarasij iudicio Plato Abbas graue scandalum passus, se à sui Patriarchæ communione satis temerè separauit.

XVII. Pulcherrima sunt verba, ac planè Apostolica, quibus Ioannes Octauus Carolum alloquitur Imperatorê: Quapropter, *inquit epist. 32.* fili charissime,

quasi

quasi præsentes incuruatis genibus, & summisso capite deprecamur & obsecramus, &c.] Quantum hæc discrepant à posteriori fastu Pontificum Romanorum! Vis ex parallelo vnico id cognoscere? Audi Gregorium septimum, fulmen illud terribile, Philippum Francorum Regem alloquentem: Præterea, *inquit lib. 8. epist.* 20. volumus, & ex parte Apostolicâ iubemus, vt electionem, quam præfatæ Rhemensis Ecclesiæ Clerus & populus (Deo annuente) facturus est, nullo ingenio, aut studio, quo minùs canonicè fiat, impedias: sed & si quis impedire aliquo studio seculari tentauerit, illi omnino contradicas; atq; illi, quem pars fidelior & religiosior elegerit, adiutorium tuum impendas. Age igitur, & iam ætate vir factus, in hac te proura, vt non frustrà tuæ iuuentutis culpis pepercisse, ne in vanum te ad emendationem expectasse videamur; ac maximè enitere, vt beatum Petrum, in cuius potestate est tuum regnum, & anima tua, qui te potest in cœlo & in terra ligare & absoluere, tibi facias debitorem: & non pro negligentia aut veritatis dissimulatione iudicium; sed pro diligentia iustitiæq; executione, ipsius gratiâ, æternum dignè merearis auxilium.] Dum hæc lego, audire mihi videor Pædagogum puerulo sub ipsius ferula trementi imperitantem. Quo magis miror Seuerum Sulpitium *in vita Martini, lib.* 1. Martino laudi duxisse; quòd, si pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperârit potiùs, quàm rogârit. Id enim in Sacerdote nullam meretur laudem; quem semper decet humilitas, & erga Reges, etiam errantes, obsequium & reuerentia, vt Sanctorum omnium exempla prisca manifestant.

XVIII. Postquam verò, alia induta facie, Ecclesia iam cœperat dominium in Principes exercere, non defuerunt viri sapientes, optimiq; Catholici, qui subinde rigidam huiusmodi erga Principes austeritatem & reprehendere, & moderari sunt conati. Inter hos Iuo Carnotensis, præter alia, quæ iam suprà posuimus, non destitit sæpiùs optima proferre documenta: vt cùm ad Paschalem scribit, *epistol.* 144. Causam Regis temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis: *Prouerb.* 30. 33. *Qui multum emungit, elicit sanguinem.*] Ad Senonensem; *Iuo epistol.* 171. Sicut ex literis vestris accipimus, vndique sunt vobis angustiæ; quia si raptores & sacrorum dierum violatores iustè à vobis à communione separatos sine satisfactione in communionem recipitis, offenditis legem: si in separatione eorum ab Ecclesia, sicut dignum est, perseueretis, offenditis Regem: qua in re si adesset in nobis spiritus fortitudinis, sicut adest spiritus consilij, seueritatem disciplinæ esse seruandam censeremus: sed quia in hoc rigore grauium dissensionum periculum imminere sentitis, rem dispensatione egere intelligimus.] Ac postea *ibidem*: Et quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt, & Basilei, id est, fundamentum populi, & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutantur, non sunt à nobis grauiter exasperandi: sed vbi sacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio sunt reseruandi: Vbi tanto districtiùs sunt puniendi, quanto minùs fuerint diuinis admonitionibus obnoxij.]

XIX. Cognouit Bernardus constantiam illorum temporum Ecclesiasticorum facilè solitam degenerare in pertinaciam: Episcopo enim Andegauensi scribit; *epist.* 200. Laudo & constantiam, quâ nec summis potestatibus ceditis de iure vestro, quod putatis; sed si non pertinaciùs id agi à vobis videretur.] Idem etiam, *epist.* 219. Reges, præsertim iuniores, excusari tradidit, irâ, ætate, & maiestate.] Sed præterea Vir sanctus cernebat, Ecclesiasticos mundano spiritu iam tumentes velle cum laicis de dignitate & splendore mundano decertare; & vix quicquam veri Ecclesiastici spiritus retinere, qui est spiritus humilitatis & mansuetudinis, procul iam, procul, à nostra Ecclesia exilio, vereor, perpetuo amandatus. Idq; vehementer vrget suum alloquens Eugenium Pontif. Rom. Tu vide, Lector, eum, *de consid. lib.* 4. *c.* 2. vbi ille præclarè describit laicorum Principum fastum & mores totos transiisse ad magnos Ecclesiasticos, vt proptereà sibi subiicere iam velint Principes, ac pessundare; quos priores Sancti Patres sibi summoperè semper venerandos esse censuerunt.

XX. Insurgent contra me Monarchici Romani, & dicent: [*Euseb. lib.* 6. *c.* 27.] Philippus (primus ex Christianis Imperator) excommunicatus ab Episcopo, inter pœnitentes est coniectus. [*Chrysost. lib. aduer. Gent.*] Babylas Episcopus Antiochenus Decium Imperatorem à foribus templi, manu in pectus illius inserta, repulit. Athanasius Præfectum Lybiæ excommunicauit: & Basilius eundem ab Athanasio excommunicatum, in sua Prouincia vitandum decreuit, & publicauit, *Basil. epist.* 47. Ambrosius excommunicauit [*Paulin. apud Baron. tom.* 4. *an.* 387. *n.* 53.] Maximum & Theodosium Imperatores. Ioannes Chrysostomus [*Theodor. lib.* 5. *c.* 17.] Eudoxiam Imperatricem ab ingressu prohibuit Ecclesiæ. Innocentius [*Leo Aug. orat. de vit. Ioan. Chrysost.*] Arcadium ob expulsum Chrysostomum; [*Innoc. epist. ad Arcad. & Niceph. lib.* 13. *c.* 34. *& Glic. Annal. par.* 4.] Andronicum Præfectum Synesius: [*Synes. epist.* 58.] Bonifacium Augustinus: [*Aug. epist.* 6. *in Append.*] Symmachus Papa Anastasium Imperatorem: Theodoram Augustam Vigilius, *Gregor. lib.* 2. *epistol.* 36. Exarchum Gregorius II. *Biblioth. in Gregor. II.* Imò & Leonem Isaurum Imperatorem & ipse & Gregorius tertius excommunicarunt: *Plat. in Greg. III.* Lothario Regi Nicolaus primus minatur excommunicationem: *epist.* 64. Desiderium Longobardorum Regem Adrianus Papa excommunicationis comminatione, *Biblioth. in Adriano*: Carolum Ioannes octauus exterruit, *epist.* 42. Possunt his addere Gregorium septimum, qui Henricum quartum & alios Principes excommunicauit, & Regia potestate priuauit; quem secuti sunt alij Pontifices, à quibus duo Friderici, & Ludouicus Bauarus, & Philippus Francorum Rex, & Anglorum Reges, & Veneta Respublica, & alij etiam Magni Principes excommunicationibus, interdictis, & priuationibus sunt percussi.

XXI. Ad hæc omnia exempla facilè responderet Onuphrius, sicut ad horum præcipua respondit; *suprà c.* 7. *n.* 119. *huius.* se ea tanquam fabulas non morari. Et sanè quàm vera sint, & quo sensu accipienda, quantique momenti reputanda, dicam paulò pòst. Nunc recolligenda esse moneo, quæ ego pluribus de excommunicatione libro proximè præcedenti disserui; atque ex eâ doctrinâ colligo, & assero, Reges & supremos Principes Christianos veræ & propriæ excommunicationi non subiacere. *Sup. lib.* 5. *c.* 9. *n.* 15. Si enim sumamus excommunicationem pro pœna illa ordinaria rigorosa, qua solemus ex nostra fidelium societate aliquem excludere, ita vt sit nobis tanquam Ethnicus & publicanus; cum prohibitione, nè fideles ipsius vtantur consuetudine, & consortio, certè neq; debet, neq; potest supremus Princeps excommunicari. Non potest, quia qua ratione excommunicatio hæc nihil operatur in filiis respectu patris, in dominis respectu familiæ, in vxore respectu viri, quia vt passim docent Scholastici & Summistæ, excommunicatio hæc nihil potest contra ius naturæ, eodem profectò iure, vt pater debet perpetuò curam gerere filiorum &

familiæ, ita etiam quisque Rex curam gerere debet totius sui populi; & populus ex necessitate indiget cura & gubernatione sui Regis, vt inferius adhuc melius explicabitur. Sed neque ex prudentia debet, etiamsi posset, Rex tali excommunicatione excommunicari, ex regula optima Augustini, quam posuimus *libro quinto præcedenti, cap. 9. num. 41. & cap. 12. nu. 67.* Si enim sanam Ecclesiam dixit omnino abstinere à priuatorum hominum excommunicatione, vbi ille, qui excommunicatur, ex sola morum similitudine, habeat sociam multitudinem, quæ illi potius adhæreat, quàm Prælato inhibenti cum illo consuetudinem, & societatem, obtemperet; & vbi firma adsit certitudo, illum, qui excommunicatur, omnino, vt fautoribus munitum, restitutum, & schisma facturum, ita vt duæ fiant factiones, altera malorum excommunicato adhærentium, altera bonorum ab illo se separantium; quanto magis id de Principe, & Augustinus dixisset, si cogitasset, Ecclesiam id aliquando indebitè tentaturam, & nos cum illo omnino dicendum existimamus; qui certissimè scimus, Principem fermè semper habere sociam multitudinem, si non amore & morum similitudine, saltem timore, & ob naturalem erga suum Principem obedientiam ac fidelitatem, quiq; partim beneficiis, partim stipendiis deuinctos semper habet plurimos, &, quoties vult, etiam armatos exercitus? & si ad hoc fiunt huiusmodi exclusiones, vt ponit Augustinus, vt tota Ecclesia illum corripiat, & à peccato saltem verecundiâ retrahat, quisnam subditorum cordati Regis ordinariè tantus erit, qui audeat suum Regem corripere, atque in illum, vt ab Ecclesia exclusum, insultare? & quis nescit illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis?

Siue sint boni, siue mali Reges, semper habere solent plurimos, & sanè præcipuos ipsorum imitatores, adeoq; sociam multitudinem. Moraliter itaq; loquendo, consilium huiusmodi separationis, iuxta Augustini regulam, semper & inane erit; & perniciosum; imò, vt idem asserit, & impium, & superbum, & sacrilegum. Ac sanè id plerumq; euenire iam toties oborta experimenta apertissimè docuerunt.

XXII. Si verò sumamus excommunicationem pro maxima illa exclusione alicuius criminosi & scandalosi incorrigibilis ex Ecclesia, ita vt penitus ille ex numero fidelium abiiciatur, & à corpore CHRISTI, quod est Ecclesia, penitus abscindatur, posse quidem quemcunq; Principem Christianum tali anathemate percelli, nõ est dubium; quia potestas Ecclesiæ & clauium est, vt quemcunq; fidelem non rectè ambulantẽ possit ab se abiicere, & à suo cœtu excludere. Et cum tali Principe excommunicato potest Ecclesia prohibere fidelibus, ne ampliùs communicent in spiritualibus, & rebus Ecclesiasticis, non tamẽ potest prohibere ea, quæ ad ciuile regimen spectant, quò minùs & Princeps sic excommunicatos possit legitimè regere suum populum in ciuilibus, & populus ad suum Principẽ in talibus confugere. An verò id prudẽter debeat fieri, etiam atq; etiam considerandum est. Vix enim puto vnquam posse contingere, vt id sine ingentibus turbis, & scãdalis magnis, reiq; Ecclesiasticæ maximo detrimento possit fieri: ac propterea iam vidimus Ecclesiam priscam nonquam contra Imperatores & Reges, etiam hæreticos, & apostatas talibus excommunicationibus vsam esse; cùm ex illis nullum commodum, sed innumerabilia incõmoda posset expectare.

XXIII. Est præterea excommunicatio pœnitentialis, quâ quis ad publicam redigitur pœnitentiam, atq; interim solo vsu Sacramentorum, sacrarumq; rerum ad tempus priuatur, vt *eodem lib. 5.* declaraui. Et tali excommunicationi vnumquemq; fidelem, etiam Principem supremum obnoxium esse, nullum est dubium, cum libertate tamen in peccati secretis, tali, vt nisi quis sponte huic pœnitentiæ se submittat, ab Ecclesia cogi non possit, vt libro iam dicto expositum est. In hoc enim consistit clauium potestas, vt ligari possint peccata per Ecclesiam, tali iniunctâ excommunicatione, & rursus solui per eiusdem Ecclesiæ reconciliationem. Alioquin solui à peccatis per claues non poterit quicunq; etiam Princeps, nisi se priùs per pœnitentiam & eius propriam salutarem excommunicationem permiserit ligari; quæ iam omnia *lib. 5.* explicaui. Et hæc verè & propriè non est excommunicatio: nisi minor. A grauioribus tamen & pœnalibus illis excommunicationibus aduersus Principes eiaculandis, Ecclesiæ omnino abstinendum censeo.

XXIV. Non ignorauit hoc Nicolaus primus, alioquin suæ monarchiæ satis tenax promotor, vbi tamen occasio ei sese obtulit excommunicationes contra rerum Ecclesiasticarum inuasores fulminandi, nõ est ausus includere Reges: inquit enim *epist. 59.* Hi, qui sacras res Ecclesiis datas, & à fidelibus oblatas, quasi à Principibus sibi indultas, inuadunt, vastant, diripiunt, retinere præsumunt, autoritate Episcopali excommunicandi, & anathematizandi sunt.] Ac pergit: De his quidem rebus, quæ semel Deo contributæ atq; dicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis Principum, à quibusdam inuaduntur atque diripiuntur, sancimus, vt priùs consulatis Principem, ad resecandam tàm præsumptiuam factionem, cognoscendo, vtrùm illius sit concessio, an inuasoris præsumptio. Quod si Principis fuerit inordinata largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus: si autem inuasoris declaratur præsumptio, vsque ad emendationem, excommunicationis sit vindictâ coërcendus.] Principem culpabilem etiam inuasorem arguendum tantummodò esse censet Romanus Pontifex: at verò priuatum inuasorem excommunicandum.

XXV. His addo, tantam fuisse in Ecclesia erga Principes reuerentiam, tantumq; eam à Principum excommunicationibus abhorruisse, vt etiam in priuatis hominibus excommunicationis sententiam vim habere noluerit, vbi Princeps cum aliquo communicandum sibi esse censuerit. Sic enim in Concilio Toletano XII. statuitur: *c. 3. & apud Iuo. epist. 62. & 120.* Si quos culpatorum Regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conuentus suscipere in Ecclesiastica communione debebit: vt quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei alienum habeatur.] Et hoc est prorsus admirabile, vt Reges non modò excommunicatos vitare non teneantur, sed etiam ipsa sola sua communione ab eis concessa, excommunicatos statim ab excommunicatione liberos reddant, etiam in Ecclesia, & absolutos. Cui Ecclesiastico statuto innixus aliquando Iuo Carnotensis, cum Geruasio excommunicato communicauit. De Geruasio quoque, *inquit epist. 62.* non debet vestra fraternitas mirari, vel indignari, quòd eum ad cõmunionem in paschali curia suscepi. Pro Regia enim honorificentia hoc feci, fretus autoritate legis. *Si quos culpatorum, &c.*] Ideoq; etiam alios instruit *epist. 171.* vt ne offendant Regem, secuti huius legis dispensationem, cum excommunicatis communicent. Anselmus quoque Cantuariensis [*Iuret ad Iuo. epist. 62.*] cùm pertinaciter repugnaret Henrico Anglorum Regi, ob sacra inuestitura, & vetaretur à Paschali Papa, ne communicaret cum illis, qui de manu Regis acciperẽt Ec-

clesiarum inuestituras, fatebatur tamen cæteros posse impunè communicare illis, quibus Rex communicabat. Locus est in Epistola ad Ernulphum Priorem: *Audistis, inquit*, quibus ex præcepto Apostolici communicare non possum, sine animæ meę periculo: quorum communionem, Regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo, *lib.3.epist.90.* Hîc consideret aliquis, quid facere possim, cùm veniam ad Regem coronandum, & Missam celebrabo, & ipsi circa me erunt, certè illos expellere nequeo: cum illis orare non audeo; Regi subtrahere solitum officium non debeo, &c.] Et in fine Epistolæ: Consilium meum petitis, quid agere debeatis inter eos, & cum eis, quorum communionem mihi Dominus Papa interdixit: quæ res ita dubia est, vt nimis difficile sit, non communicare eis, quibus Rex communicat: præsertim cùm mihi soli Romæ à Papa ista interdicta sit communio: nec audeo præcipere, vt illis communicetis, quibus ego non communico: sed si ita permanseritis, sicut vos dimisi, nequaquam vos reprehendo. Non enim potestis toto Regno discordare, nec participes estis eorum malitiæ.] Hæc Anselmus, pendulus quidem, animiq; dubius, sed in saniorem partem vergens.

XXVI. Atque ex his, adiuncto capite sexto præcedenti, *num.18.* & cap.5. optimè conficitur, Principes posse Prælatos impedire, ne ferant excommunicationes in aliquos, vbi illi aduertant turbationes magnas, & schismata, aliave scandala exoritura, & publicam pacem turbatura. Et non esse omninò condemnandam illam Marsilij de Padua propositionem, qua asseruit, [*apud Almayn. de Domino. natur. ciuil. & Eccles. & de potest. Eccles. & laic. q.3. c.2.*] neminem posse excommunicari ab Ecclesiastico iudice, nisi ex populi aut Principis consensu. Si enim negat absolutè claues Ecclesiæ, easve necessario ligat consensui populi vel Regis, errat: si verò de vsu legitimo clauium loquitur, optimè sentit: ad excommunicationem perperam, imò & sacrilegè, vt dicebat Augustinus, ab Ecclesiastico iudice deueniri, vbi multitudo sit excommunicatum secutura; ex quo schismata statim oriuntur; quæ saltem quatenus pacem ciuilem vulnerant, Princeps ex officio suo proprio vitare, & impedire tenetur: ideoque Ecclesia, si prudenter ac prouidè officium suum faciat, antequam quenquam excommunicet, debet videre, an populus sit passurus, multoque magis, an Princeps habeat, quòd timeat futuras turbationes, pro quibus euitandis sit excommunicationem impediturus; Docui enim *libro quinto*, excommunicationes huiusmodi magis à populo, quàm à iudice pendere, vt effectum realem externum consequantur.

XXVII. Hinc quoque habemus consequenter, meritò Principes solitos fuisse, & esse, Censuris istis rigidis, ac temerè latis, non solùm imperio & minis, sed apertâ etiam vi, resistere: vt fecerunt Henrici, Friderici, Ludouici, Philippi, & Domini Veneti, ac alij. Quibus astipulatur prudentissimi Gersonis doctrina huiusmodi: *de auferib. Pa. ab. Eccles. consid.*14. Si viderit ergo Ecclesia, quòd præstare nunc obedientiam Papæ in administratione ordinum, Sacramentorum, & similium, fieret Ecclesiæ perniciosum, & Papæ in instrumentum malitiæ, cur non suspendere potest huiusmodi obedientiam, quousque nullum in obediendo cadat periculum? Hæc autem subtractio obedientiæ magis adhuc fundabilis est in iis, quæ sunt temporalis administrationis.] Et paulò pòst: Iubebit, *inquit*, exempli gratiâ, Summus Pontifex, quòd vastetur regnum Franciæ igne & gladio. Dicimus, quòd Regis erit resistere, & iubere, quòd ei non obediatur, sed resistatur: hoc enim fas est agere cuicunque, in quem vim illicitam vellet inferre, etiam verus Papa.] Item alibi: *in artic. general. in mat. schism. art.*25. Stare potest, *inquit*, in facto, quòd aliquis molestatus à Papa, etiam vero & legitimo, non possit habere sufficientem defensionem, nisi prouocet, vel appellet à Papa ad iudicium Ecclesiæ; & nisi subtrahat se ab eo sic, quòd eius mandatis non obediat; quæ mandata vel obedientia tollerent læso iustam defensionem sui ipsius, vel suorum.] Resistentiam itaque cum Gersonio, in casibus, vbi Ecclesia & indebitè & iniustè quempiam flagello suo grauaret, & admitto, & laudo, & ex pręcedentibus approbandam esse constat, & admittendam: semper tamen moderamen inculpatæ tutelæ requiro; vt se suaq; Reges ita tueantur, vt interea in vltionem ad Ecclesiæ vastationem non insurgant. Quam quidem resistentiam, vbi Ecclesia excedit suæ limites potestatis, vt æquissimam, meliùs adhuc *in decimo huius libri capite*, defendemus.

XXVIII. Iam verò videamus, an vetus Christi Ecclesia fuerit, vt dicitur à modernis, in Principes rigidior, eosq; vexauerit censuris: & ad exempla *suprà num.20.* producta respondeamus. Philippus Imperator ad exomologesim tantum faciendam Ecclesiasticam, inter pœnitentes, fuit ab Episcopo in remissionem peccatorum, persuasus, vt explicatè Eusebius ipse, factum ipsum narrans, declarat. Athanasius, & Basilius Præfectum Libyæ, non Principem neque Dominum, sed merum Principis ministrum, & sanè virum scelestissimum, ipsimet multitudini Christianorum exosum, & quæ ei nihil erat addicta (alioquin ab ipsius exclusione abstinuissent) à cœtu fidelium abiecerunt. Babylas Decium Imperatorem gentilem, non vllâ Ecclesiasticâ potestate publicâ, sed priuato ipsius zelo, Sancti Spiritus afflatu ductus, eo nempe quo ad martyrium properabat, à sacris adytis repulit tanquam impium homicidam, qui innocentem Regium puerum, in obsidem sibi publicâ fide datum, iugulauerat, & sanguinolentis adhuc manibus, ad iniuriam Dei templo inferendam veniebat. Hi tamen sunt motus, vt sancti & zelo feruidiore accensi, ita extraordinarij, admirationem potius, quàm imitationem à nobis flagitantes, citra quos prudentia etiam sancta & Euangelica officij nostri nos monet, ac propriis vocationis priuatæ cancellis vnumquemque circumscribens, aliud omnino diuersum dictat. Ambrosius à communionis consortio, & Maximum & Theodosium separauit in pœnitentiam tantùm, vt diximus de Philippo: Nam publici pœnitentes, dum de patratis sceleribus ad agendam pœnitentiam separabantur, neque orare cum aliis, neque sacrâ communione refici poterant, vt iam docui *libro quinto*. Sed hæc non erat vera excommunicatio, vt est *ibidem* à me explicatum. Hortatur Ambrosius ipse Theodosium ad pœnitentiam pro patrata ipsius iussu cæde Thessalonicensi; Peccatum, *inquit epistol.*28. non tollitur nisi lachrymis, & pœnitentiâ.] Et nuntiat eidem, se, illo præsente, non posse sacrificium offerre: vt tandem sponte recedat, & se in numerum pœnitentium volens coniiciat: monetque, se non habere causam, cur illum excommunicet, habere tamen, vnde eum ad pœnitentiam agendam compellat. Ego, *inquit*, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris, offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere.] Et sanè in visione se monitum docet, vt ita cùm Imperatore ageret: quo illum persuadeat, vt sponte subdat se pœnitentiæ. Et Facundus factum hoc commemorans ait; *apud Baron. tom.7. an.547. n.35.* Sed de supplici, & publicâ peccati sui pœnitentiâ, quam expugnato Regali fa-

stigio placidè ac humiliter Ambrosio Episcopo castigante suscepit: & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus ab Ecclesię communione remotus, impleuit.] Idem habet Ruffinus; *li.4.3.c.cum apud.* nimirum ad publicam peragendam pœnitentiam à Sacerdotibus Italię fuisse adductum. Ioannes Chrysostomus Eudoxiam ab ingressu in Ecclesiam prohibuit, illa tamen non fuit excommunicatio; neq; contra ipsum Principem, qui esset rerum Dominus; sed etiam hoc ipsum, si speciali diuino instinctu non excusetur, vt dixi de Babyla, fortasse laudabile esse non admodum appareret; sicut neque laudare possum declamatorium illud eiusdem, quo eandem Eudoxiam satis acriter perstrinxit in concione: Iam saltat Herodias, iam Ioannis caput in disco deposcit, &c.] Euentus enim pessimi, scādalaq; inde sunt secuta: & Ecclesiæ illius detrimenta longè maiora videntur esse mala, quàm fuerit bonum illius plus quàm Sacerdotalis libertatis. Innocentius solâ communione corporis & sanguinis Christi Arcadium censuit esse in pœnitentiam priuandum: & in sentētia illa priuationis nihil aliud profertur: erit itaq; sola iniunctio pœnitentiæ salutaris, non vera excommunicatio. Sed neque ad probandum vsum excommunicationis, contra Principes, satis est, si proferantur Pontificum sententiæ, nisi earum etiam effectus ostendantur. Quid si igitur Innocentius dixerit in Arcadium sententiam, Arcadius verò illam intulerit? & sunt qui in dubium reuocent Epistolam illam Innocentij ad Arcadium, sitne certæ fidei, an supposititia? nec leuibus nituntur coniecturis. Andronicum Præfectum Synesius excommunicauit; sed ille non erat Princeps, neq; ei multitudo Christianorum adhærebat. Augustinus non excommunicat Bonifacium, sed in pœnitentiam violatæ Ecclesiæ, prohibet, ne ipsius oblationes accipiatur, & à communione, hoc est, perceptione Eucharistiæ, interim, dum de more pœnitētiam agit, repellit; præterquam quod etiam in præsidem possit rigor commodius exerceri, vt suprà dicebam de Athanasio & Basilio in præsidem Lybiæ: addo etiam literas Bonifacij [*idem ibid.*] ad Augustinum, & Augustini ad Bonifacium, esse valdè suspectæ fidei. De Anastasij Imperatoris excommunicatione per Symmachum Papam latâ, illud tantum habemus in Apologetico Symmachi ad Anastasium: *Tom.1.epistol. Rom.Pont.* Dicis quòd mecum conspirante Senatu excommunicauerim te: ista quidem ego: sed rationabiliter factum à decessoribus meis, sine dubio subsequor.] Sciendum tamen, vt etiam *libro quinto* docui, nomine excommunicationis sæpè significari negationem communionis, hoc est, communicationis cum aliquo: in quo sensu Gregorius reprehendit aliquos ex clero Iaderæ, *lib.5.ind.*14.48. quòd cum maximo Salonitano, communione Romanæ Ecclesiæ priuato, communicauerint, monetq; eos, vt refugiant ab eis, quos Sedes Apostolica in suæ communionis consortium non recipit. Et passim inuenies, multos dici segregatos à communione Romanæ Ecclesiæ, & Romanæ Ecclesiæ communionem petere: quæ segregatio non est excommunicatio propriè, quæ ex iurisdictione & potestate clauium proficiscatur: Itaque Symmachus excommunicauit Anastasium, hoc est, segregauit à communione Ecclesiæ Romanæ, quæ illum ad tempus in suam communionem non admittebat. Ideo enim querebatur Anastasius, id ei, conspirante Senatu factum esse: Senatus profectò ad aliquem propriè excommunicandum non concurrit: sicut cōcurrit negando sui communionem, nolensq; cum aliquo commercia habere. Et hoc dicit Symmachus se prædecessorum exempla secutum: quorum plurimi Orientalibus Imperatoribus, & Ecclesiis, sæpè communionem Romanæ Ecclesiæ negauerunt, nullus tamen vllum Imperatorem propriè excommunicasse reperitur. Theodoram Augustam, à Vigilio fuisse excommunicatam, concrepantibus buccis constanter asseuerat Baronius, *tom.7.ann.*157.*n.*49. & probat ex Gregorio, qui dicit *lib.2.epistol.*36. Vigilium Papam contra Theodoram & Acephalos promulgasse damnationis sententiam.] Æquiuocat tamen Baronius in verbo, *damnationis*: quo significatur non excōmunicatio, sed opinionis, & doctrinæ reprobatio. Exarchus Paulus, neque erat ipse Princeps, sed minister, & Italis perquàm exosus, quem omnes execrarentur, vt scribit Anastasius Bibliothecarius: potuit itaque commodè Papa illum excommunicare, qui toties ipsum Papam neci tradere est conatus; & contra quem, in defensionem Papæ, tota Roma conspirauerat. Qui & [*Platina in Greg.2.*] Rauennæ tandem occisus fuit. De Leonis Isaurici excommunicatione nihil aliud habemus ex primis historiarum fontibus (quicquid Platinæ riuulus effundat) nisi hæc verba: *Zonaras in Leone Isaur.* Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ societate præsidis nouæ Romæ, Leonis scilicet Imperatoris, nec non eorum, qui illum sequerentur, illos vnà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit.] Quod posteriores scriptores de excommunicatione perperàm intellexerunt. Synodicum quippe anathema, significat doctrinæ & dogmatum damnationem. Solet enim in Synodis dici: qui hoc, vel illud dixerit, anathema sit. Quæ est doctrinæ damnatio, non personæ excommunicatio. Adde verò, si placet, iam Italiam totam se à Leonis & amicitiâ & obedientiâ, & consequenter à communione subtraxisse: quod si illum verè Papa excommunicauit, videndum est, quis ei excommunicationem Constantinopoli intimauerit, quis se ab illius communione ibidem subtraxerit, quem deniq; effectum ibi, vbi ille erat, habuerit: constat verò ne monitoria quidem simplicia Gregorium presbyterum ausum esse ei præsentare. Eodem modo sub Gregorio tertio facta est Synodus, vt habet Bibliothecarius *Anastas. in Gregor.3.* in qua in genere imaginum sacrarum impugnatores & destructores, extorres facti sunt à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, vel totius Ecclesiæ vnitate atque compage.] Quæ etiam pro excommunicatione à posterioribus sumpta sunt scriptoribus, præsertim à Platina. Sed errant pariter. Is enim est modus tantùm damnandi hæreses, non personas excommunicandi. Imò ex ipsis horum Pontificum actis manifestè apparet, vtrumq; Gregorium, monitoriis, increpationibus, obsecrationibus, & similibus conatos fuisse Leonem ab impugnatione imaginum reuocare; à seueriori tamen censura semper abstinuisse. Tentauit Nicolaus cum Lothario, an posset illum comminatione Ecclesiasticæ censuræ à multis malefactis deterrere; de comminationibus tamen, quæ interdum, sed rarò profuerunt, nunc non loquimur, sed de excōmunicationibus facto ipso in Principes prolatis. Idem dico de comminatione facta Desiderio Longobardorum Regi, & Carolo. Itaque nihil aduersus Principes cum publicæ externæ potestatis Ecclesiasticæ vsu seuerius actum, nedum propriè dictam excommunicationem vsque ad Gregorium septimum reperimus. Pias & vtiles increpationes, obsecrationes, instructiones, monitiones, pœnitentias, comminationes, solius Romanæ communionis negationem occurrere agnoscimus; pœnales verò sentētias cōtra supremos Principes effulminatas per mille & vltra à Christo annos prorsus nullas reperimus.

XXIX. Te-

XXIX. Teſtatur hoc ipſum Otho Friſingenſis, Catholicus Epiſcopus, genere, & eruditione, & vitæ probitate. Bellarmino *de Rom. Pont. lib. 4. cap. 13.* etiam teſte, nobiliſſimus: ſic enim ſcribit Otho: *lib. 6. hiſt. cap. 35.* Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio, quemquam eorum ante hunc (*Henricum quartum*) à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum: niſi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Roman. Epiſcopo inter pœnitentes collocatus; & Theodoſius à B. Ambroſio propter cruentam cædem à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus eſt.] Pergit deinde grauiſſima mala, quæ ex hiſce excommunicationibus orta ſunt, & ſcandala numerare. Ac rurſum: *lib. 1. de geſt. Frideric. cap. 1.* Gregorius Septimus, *inquit*, qui tunc vrbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem, tanquam à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cuius rei nouitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit Imperium quo nunquam ante hæc tempora huiuſmodi ſententiam, in Principem Romanorum promulgatam cognouerat.] Et Rudolphi à Papa in Imperatorem (depoſito Henrico) ſubſtitui apertam vocat idem Otho rebellionem.

XXX. Author priſcus operis de vnitate Eccleſiæ conſeruanda, *lib. 2.* de eodem Gregorio ita loquitur. *apud Iuret. ad Iuo. epiſt. 214.* Hildebrandus Papa ſic diuiſit etiam Sacerdotia, quemadmodum Eccleſiam Dei, atq; Rempublicam Imperij. quoniam partes inde ſegregauit ſibi. Inter ipſum namque & inter Regem Henricum graues ortę ſunt atque inexorabiles diſcordiæ, Papa plurimum annitente, vt Rex deponeretur à Regia poteſtate pariter & dignitate; Rege vero contranitente, vt defenderet ſe ab hoſtium ſuorum circumuentione, qui pro parte eiuſdem Papæ certantes quærebant eum opprimere; exinde diuiſa eſt Eccleſia, & diuiſa ſunt Eccleſiæ Sacerdotia; atque omnia ſcandalorum orta ſunt genera: exinde creuit graue & diuturnum bellum, & non ſolum ciuile bellum, ſed pluſquam ciuile bellum, & factę ſunt abſque diuino pariter & humano reſpectu vaſtationes Eccleſiarum & cædes hominum: exinde etiam corruptæ ſunt diuinæ pariter & humanæ leges, ſine quibus nõ ſubſiſtit vel Dei Eccleſia, vel Imperij Reſpublica: Et exinde violata eſt fides, & publica & Catholica: exinde etiã illa creuit iniuſtitia, vt pro veritate falſa teſtimonia, & pro fide Catholica abundent periuria. —Sed iam facta diuiſione Imperij ſimul & Sacerdotij, ſurrexit Rex aduerſus Regem, gens aduerſus gentem, Epiſcopus contra Epiſcopum, populus contra populum; exinde vero quantæ cædes factæ ſint hominum, quantæ deſtructiones Eccleſiarum, quanta etiam rerum confuſio exinde facta ſit in omni Eccleſia, indigere videtur tragœdiæ magis, quam hiſtoriæ.] Vt merito ſane Henricus ipſe exclamarit in Epiſtola ad Epiſcopum Colonienſem; *ibid.* Vide, ne oppreſſæ Eccleſiæ te ſubtrahas, ſed Regno, & Sacerdotio condolens, quo vtroque, ſicut hucuſque Eccleſia eſt exaltata, ita nunc, heu humiliatur viduata: nam vnus dum vtrumque ſibi vindicauit, vtrumquę diſſipauit: nec in vno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit: —Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica inſania confuderit, tu ipſe noſti, ſi ſcire voluiſti: nullum, eius iudicio, licet eſſe Sacerdotem, niſi qui hos à faſtu ſuo emendicauerit.] Et Wilielmus Malmeſburienſis teſtatur, *de geſt. Reg. Angl. lib. 5.* hoc ſchiſmate ſtatum Eccleſiæ conturbatum fuiſſe pluſquam quinquaginta annis. Imo fortaſſe vſq; in pręſentem diem. Totius enim Germaniæ, Galliæ, Britanniæ ſciſſio Hildebrando potiſſimum mihi videtur, vt ſchiſmatum primo in Occidente authori, tribuenda. Sed primus etiam ſui erroris pœnas dedit: nam & Eccleſiam, & vitam *Sigeb. Chron. an. 1085.* in exilio ab Imperatore profligatus amiſit.] Item; *idem*, Factum, *inquit*, Gregorij Septimi infami nouitatis, ne dicam hæreſeos nota inuſtum; & validis Patrum argumentis confutatum.]

XXXI. Miſerum tamen & ei, & ſibi, & nobis Bellarminus excogitauit ſolamen, dicens: *Bellar. contr. Barcl. c. 9.* Quando Euangelium Chriſti prædicari cœpit ab Apoſtolis in Hieruſalem, coorta eſt perſecutio magna in Eccleſia: Stephanus lapidatus; Iacobus capite cæſus; Petrus coniectus in carcerem; fideles diſperſi per varias regiones: quando vero prædicari cœpit idem Euangelium inter gentes, commotum eſt Imperium Romanum vniuerſum, perſecutiones exortæ grauiſſimæ, direpta bona, incenſæ Eccleſiæ, ſtrages ſanctorum toto orbe terrarum incredibiles factæ.] Direptiones ego bonorum, & Eccleſiarum incendia nulla inuenio, cum cœpit inter gentes prædicari Euangelium, quando nullæ erant Eccleſiæ adhuc conſtructæ: ſtrages tamen ſanctorum non paucæ fuerunt, & perſecutiones. Et inde maxima bona ſunt ſecuta, idololatria recte pulſa eſt, Eccleſia propagata, & martyres coronati: tale tamen aliquid accidiſſe Eccleſiæ, quando Gregorius cum Imperatore Chriſtiano & Catholico certauit, eſt falſiſſimum: mala ſcilicet omnigena & Eccleſiæ & humano generi peſtifera ſecuta ſunt, boni autem ſpiritualis prorſus nihil. Primum enim quod aſſequi ſuis furiis cupiebat Gregorius, erat totum temporale, nulla ex parte ſpirituale, vt oſtendi ſupra *cap. 7.* vbi egi de inueſtituris: deinde commodo huic temporali adipiſcendo iniuſte inhiabat, quod per vim Imperatoribus & Regibus, ab eis iuſtiſſime poſſeſſum, eripere conabatur: tum etiam nunquam aſſecutus eſt vel ipſe, vel ſucceſſores, vt iam probaui, quod cupiebat. Ad hæc, bella inter Reges & Reges, ſanguiſque non martyrum, ſed ex vtraque parte obſtinatorum, & non pro fide, ſed pro temporalibus decertantium ad Diaboli potius quam Dei aram, fuſus eſt copioſiſſimus. Nunquid talia bella, & occiſiones tam vtrique parti noxias Euangelij prædicatio vnquam ſuſcitauit? Ibi verbi prædicatores in ſe ipſos ſolos armatum infidelium furorem ſunt experti, & glorioſo martyrio ſunt coronati; fidei interim ſemina inter ipſa hoſtium latifundia *Pſalm. 125. 6.* flentes ſpargebant; & poſtea cum exultatione collegerunt manipulos ſuos. Hic vero manipuli nulli collecti ſunt, niſi *Matth. 13. 30.* zizaniorum, omnes ad comburendum. Et non pudet tantum virum, Sathanicos Ambitionis & Auaritiæ furores cum ſancta & ſalutari Euangelij promulgatione comparare? Neque obiiciat *Bellarm. vbi ſupra*, concubinas Eccleſiaſticis ereptas, ſimoniacamque labem compreſſam: quia neque hoc obtinuit Hildebrandus, neque certe huic obtinendo, vt iam oſtendi, illaborauit. Id enim citra vllum ſcandalum facillime obtinuiſſet, ſi voluiſſet: neque ad hoc obtinendum inſolitis, ac nunquam antea pro grauiſſimis Eccleſiæ neceſſitatibus fidei & religionis tentatis excommunicationibus, & ſceptrorum priuationibus, opus habuiſſet; & ideo fideles erga ſedem Apoſtolicam bene affecti, tunc ei prænimiam [*Gregor. 7. lib. 7. epiſtol. 3.*] duritiem, vt ipſemet fatetur, opponebant. Sed diuino iudicio Hildebrandum flagelliferum relinquamus. Quomodo autem ſit cum Principibus agendum, diſcamus ab iis, qui ante infeliciſſima Hildebrandi tempora Eccleſiam gubernarunt.

XXXII. Principes etiam errantes ab Ecclesia esse humaniter & reuerenter tractandos contendimus, & satis, ni fallor, confirmauimus: Non possum itaque nō grauate ferre, quod Baronius in hoc genere grauissime in suis Annalibus non raro peccarit; nam modo quia sæpe licentia ab Ecclesiastico spiritu prorsus aliena exorbitans, Principes, qui fuerint interdum reprehensibiles, dentato stylo insolenter mordet, nihil reueritus sceptri Maiestatem, sed multo magis quia sceleratus hic ac iniquus censor plerumque eos, qui laude eximia in Ecclesia semper digni habiti, nec in eo, ob quod illos vellicat, reprehendendi fuerunt, proterue ac contumeliose lacerat, ipse profecto dignissimus, qui qualia loquitur, audiat, hoc est, maledictis obruatur. Sed hoc in genere talionem ei ponere non est meum, qui non conuiciorum lacunas perpurgandas, sed sacra Regum capita suscepi defendenda, & à Baronianis contumeliis vindicanda. Sed & instar plenissimæ defensionis vnum illud efferri potest, quod sapientissimi illorum temporum patres & scriptores, zelo diuinæ gloriæ longe prudentiori & discretiori, quam Baronius, æstuantes, nunquam tamen Principes illos, ne leniter quidem, ea in parte reprehendendos esse censuerunt: nuperrime tamen nostris tantum diebus ille emersit ferula censoria armatus Annalista, qui, cum historiam in his non reperiat, sed faciat, omnia non rectis, sed contortis radiis intuetur: noster scilic. hic Strabo videri vult ocularissimis Christianæ religionis delineatoribus perspicacior: qui quos illi egregie laudauerũt, & de Ecclesia optime meritos suspexerunt, eos deprimere non sit veritus, & immerito vituperare. Quos igitur Baronius maledictis suis turpiter proscidérit, si nō omnes, præcipuos saltem iam proferamus.

XXXIII. Theodosium Iuniorem in primis, si non hæresis Nestorianæ & impietatis, præsumptionis tamē, & leuitatis ausus est inepte insimulare, *Baron. tom. 5. ann. 430. num. 73.* Quod magno periculo commiscuerit se in his, quæ sunt Sacerdotum, & nimium faciles præstiterit aures Nestorij querelis, quibus è recto mentis (*vt ipse loquitur*) sensu motus, Nestorio fauerit; indeque Cyrillo succensuerit, itaque in eum æstuarit. Indignationis enim plenas ad eum *apud acta Concil. Ephes.* literas scripsit.] Hallucinatur tamen in hoc Baronius; nam, vt iam probaui, Principes ex officio ipsorum proprio intendũt rebus Ecclesiasticis, & non ex præsumptione: & pessime semper res Ecclesiæ se habuissent, nisi Principes iis redintegrandis aut stabiliendis serio incubuissent. De quibus consulantur, si placet, quæ supra cap. 5. & 6. tractauimus. Quod si indignatus Theodosius Cyrillo, non imprudenter, neque vt faueret Nestorio, neque à recto mentis sensu motus indignatur; sed irascitur merito, quod ipso inconsulto, & sine Synodo Generali ad damnationem Patriarchæ Constantinopolitani processerat, & turbas excitarat in Ecclesia. Cum præsertim in verbis potius, quam in rebus; videretur esse controuersia. Nomen enim hoc Deiparæ, repudiabat Nestorius; & tamen Christi diuinitatem fortasse non negabat. Videbatur itaque Theodosio Nestorij sensum nō esse statim peruersum, sed posse explicari, Matrem Domini non peperisse diuinitatem, vt posset dici Deipara. Hinc igitur turbas per Cyrillũ in Ecclesia excitatas detestabatur. Postea tamen voluit in Generali Concilio idem discuti; in quo apparuit quidem Cyrillum bonam caussam fouisse, Nestorium malam: non tamē propterea ex dictis caussis errauit Theodosius, dum Cyrillo tantisper succensuerit. Ex quo satis insolens & temeraria redditur Baronis na reprehensio.

XXXIV. Rursus in eundem Theodosium erumpit contumeliosus, vbi ille plene discuti voluit nouam Eutychetis hæresim, pleniori Concilio Ephesi rursum indicto. Quia enim negotium Dioscoro Episcopo Alexandrino, tanquam de iure tunc primo Orientis Patriarchæ cōmendarat, monens, vt de more in Concilio præsideret; hactenus intentatum sibi ius arrogat *Theodosius, inquit Baronius, tom. 6. an. 449. num. 26.* & vsurpat, dum præsidem Concilij eligit, quod erat Roman. Pontificis.] Sed neque eligit ipse; id enim absente Romano, de iure spectabat ad Alexandrinũ, vt dixi: neq; id ad Romanum spectabat Pontificem, vt, quem ipse vellet, faceret in Conciliis œcumenicis præsidere. Si enim ipse adesset, ipse præsidebat, vt primus inter omnes Patriarchas; si vero abesset, poterat suas vices, cui vellet, committere, vt ipsius nomine ageret in Concilio, & consensum præberet; non tamen vt præsideret: id enim, ad eum spectabat Patriarcham, qui prior dignitate ipse adesset in Concilio. Vt sequenti libro explicabo. Ita merum est Baronij vigilantis insomnium, propterea Theodosium sequenti anno Imperio fuisse morte priuatum, quia Pontificiam hanc sibi sumpserit authoritatem. Ecce tibi, lector, pueriles, seu aniles prophetias: quadraginta tribus iam annis imperauerat: Quid? Nunquamne moriturus? Et cuiusnam momenti sint huiusmodi prophetiæ, vt iam tandem illas toties putide non ingerat, discat ex Gregorio, qui sic ad Episcopos Hyberniæ:

XXXV. *lib. 2. epist. 36.* Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias prouincias maxime flagelletur Italia, non hoc ad eius debeteris intorquere opprobrium; quoniam scriptum est: *Hebr. 12. 6. Quem diligit Dominus castigat: flagellat enim filium, quem recipit.* Si igitur ita est vt dicitis, ex eo tempore magis dilecta est apud Deum, & modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia vero non ita sit, quemadmodum vos in eius insultatione affirmare conamini, rationem attendite. Postquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in Vrbe Regia constitutus contra Theodoram, tunc Augustam, vel Acephalos, damnationis promulgauit sententiam; tunc Romana Vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonam caussam habuerunt Acephali, & iniuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? absit.] Et quantopere laborandum fuit Augustino in magna parte sui operis de Ciuitat. Dei, vt gentilium calumnias abstergeret, qui *lib. 2. cap. 1.* Barbarorum irruptiones, & Romanæ ciuitatis vastationes, Christianæ religioni tribuebant? iidem etiam gentiles famem quandam publicam, tempore Ambrosij in eam caussam referebant, quod Imperator Christianus idolorum phanis & Sacerdotibus prædia abstulerat: cui calumniæ diluendæ laborauit Ambrosius, *epist. 31.* Nam & bonas actiones solent consequi infortunia; & malas, euentus boni. Mortem vero Theodosij nunquam dixerim fuisse pœnam arrogantiæ, sed præmium tot laborum, quos ille pro Christi Ecclesia exantlauit, pro quibus à Deo fuerit in portum salutis transuectus, & vocatus ad coronam, præmium immarcescibilis gloriæ accepturus.

XXXVI. Sed Baronio stomachus nō hic subsistit, in Theodosium accumulat contumelias: & sicut fautorē fecerat Nestorij, ac pene Nestorianum; ita eundem facit Eutychetis, ac apertum pene Eutychianum: *tom. 6. ann. 449. num. 30.* Quoniā vero, *inquit*, idem Imperator sciebat, nullum fore Conc. Œcumenicum, absq; Roman. Pont. authoritate; sed, quod & satis intelligi poterat, Leonem Papam Eutycheti aduersaturum; illud consilium iniit, vt ita eum vocaret, vt tamen ne adesset, caueret. Et quomodo id factum? Primum angustissimo termino tempus clausit, vt adesse non nisi magno incom-

modo

modo posset. Adiecit etiam vt personam Pontificis adesse Concil. Ephesino peteret, ratus nimirum id minime ab eo fore præstandũ: de mittẽdis vero legatis, si venire non posset, nullam penitus habuit mentionem.] Ex quo sane flore, vt prudens apis, mel dulcissimum legere poterat; ex eo tanquam virulẽta aranea, virus collegit; Et in malam partẽ actiones piissimas, religiosissimi Imperatoris trahit vi, nedum accipit. Eadem forma literarum, qua inuitauit ad Concilium reliquos Patriarchas, inuitauit etiam Leonem; vt habes à me supra explicatum. c.5.n.32. & sicut nulli apposuit, vt siue per se, siue per Legatos adsit; ita neque hoc necessarium duxit in literis ad Roman. Patriarcham apponendum: Hoc enim erat iam in Ecclesia confirmatissimum, vt qui non possent ipsimet per se accedere, accederent per Legatos. Et proculdubio certus erat, per se non venturum, quia nondum extabat exemplum, vt ipsemet Leo se excusauit, ep.21. vt Romani Pontif. per se conciliis Orientalibus interessent. Quoniam vero semper per Legatos interfuerunt, non potuit venire in mẽtem Theodosio, eum Legatos non missurum, etiamsi vt eos mitteret nõ postulasset. Et quorsum aufugiat præsentiam Romanorum? ne Eutyches, *inquit*, haberet aduersarios. Hoc tamen asserere mihi videtur temerarium, neque huius suspicionis Baronius ansam vllam habuit, sed eam mala mente, & malo animo excogitauit. Nam facta Synodo prædatoria, Theodosius comperto errore indoluit: & nisi morte præuentus fuisset, per aliud Concilium generale errorem auferri curasset, quod deinde præstitit Martianus. Miremur interim nimiam Senis animositatem, qui, quod Leo non animaduertit, nec animaduertere potuit; imo quod in vero contrario sensu, & sane optimo, accepit; post mille & ducentos ferme annos, iste hariolus extundere voluerit. An vero Leonis animum illa subierit suspicio ex Theodosij literis, quam cõminiscitur Baronius ex literis responsiuis Leonis colligamus: qui ad Synodum illam ita scribit: ep.17. Religiosa clementissimi Principis fides, sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectũ, authoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet tanquam ab ipso Beatissimo Petro cuperet declarari, quod in eius confessione laudatum sit.] Voluit ergo Theodosius omnino authoritate Romanæ etiam Sedis, veritatem Catholicam definiri. Abeant in malam rem Baronianæ, vnde ortæ sunt, calumniæ.

XXXVII. A Leone quoque blanda & leui manu reprehensum fuisse Theodosium asserit idem Baronius, *tom.6.an.*449.*num.*35. quod sine digna caussa Synodum hanc alteram Ephesinam iusserit congregari: & deplorat infœlicitatẽ Orientalis Ecclesiæ, quæ tunc arbitrio vnius Eunuchi, nempe Chrysaphij, tota regeretur. Innuitque huius opera, qui Eutycheti fauebat, Concilium illud indictum: ad quod oues potius ad cædem, quam Episcopi ad Synodum fuerint conuocati, pro restituendo vno homine, sene deliro, Eutychete, iustissime condemnato.] Caussam tamen pleno Concilio dignissimam fuisse, docuit euentus. Leo vero, qui suis tandem temporibus cupiebat videre in Italia Concilium generale (si quidem solus oriens vsque ad illa tempora, imo & vlterius ad plura sæcula, Conciliis Oecumenicis, vniuersalem Christi rexerat Ecclesiam) maluerat non fieri Concilium, quam vt in Oriente fieret; & solam prouincialem Constantinopolitanam Synodum propterea satis esse sibi, & Imperatori persuadebat, pro Eutychetis iam facta per Flauianum condemnatione. Imperator tamen, qui ipsi negotio affuerat, quique optime cernebat Eutychetis errores, etiam post factam illam condemnationem, indies magis inualescere, habereque Episcopos multos, & grauissimos fautores, qui Flauianum potius condemnarent; quid faceret? schisma crescebat, Eutycheti omnium monachorum Constantinopolis Patri, iniuriam factam plurimi clamabant: quæ essent Imperatoris in hisce turbis partes, optime intelligebat. Veritatem via ordinaria & in Ecclesia iam trita, statuit esse indagandam. Sane caussa grauior vix esse poterat. Agebatur de duabus naturis, essent in CHRISTO, nec ne. Proculdubio soluebatur Christus, carnis veritas auferebatur. Hoccine igitur erat de vnius deliri senis duntaxat tractare restitutione? Quod vero hæretici tunc præualuerint, quæ culpa fuit Theodosij? Ipse suo muneri egregie, vt debebat, satisfecit. Vnde & ab ipsomet Leone serio laudatur, quod hoc Concilium statuerit congregandum: Pie, *inquit*, *epist.*12. ac religiose, Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis possit error aboleri.] Cur itaque eum reprehenderet? Satis de Theodosio.

XXXVIII. Longe iniquiorem erga suum Iustinianum Iurisconsultus se exhibuit Baronius, contra quem videtur perpetuum & implicabile bellum suscepisse: cui tamen Ecclesia nihil fortasse minus debeat, quam magno Constantino. Defendi eum iam aliquoties ab iniuriis Baronianis: hic vero paulo exactius mihi hac de re agendum esse censui, ne ex censorij hominis certe iniusto conatu, Ecclesiæ Catholicæ turpissima ingratitudinis erga optime de se meritum Principem nota inuratur. Qui igitur, nescio vnde, crudele odium in Iustinianum conceperat, nouus annalium scriptor Baronius, primam nactus in eum inuehendi occasionem, illam arripuit, & literis ipsius, dum adhuc sub Iustino Imperatore Consul esset, ad Hormisdam datis, quibus sancta quadam, & valde religiosa motus impatientia, solicitabat Papam, vt quid circa duo capitula, tunc ad vniuersalem Ecclesiarum pacem proposita sentiret, exponere festinaret. *inter Epistol. Hormisd. post epist.* 74. Iustinianus enim iam pridem pacis Ecclesiarum cupidissimus, & vt Oriens cum Occidente vniretur, sæuo iam diu schismate separati, & ipse per suas, nec non per Iustini literas, non semel significârant Hormisdæ, vnionem statim secuturam, si Acacij, & præcipuorum hæreticorum, seu schismaticorum, iam defunctorum nomina abolerentur; aliorum vero, qui præcipui non fuerunt, sed illos sunt subsecuti, retinerentur: & vt permitterentur dicere, Christum vnum de Trinitate fuisse crucifixum. Iamque etiam legatos supra his duobus capitulis concordandis cum Hormisda transmiserant, & neque literas, neque legatorum reditum cernebant. Vnde & in aliis literis scripserat idem Iustinianus, ardore fidei & vnitatis feruentissimus, *ibid. post epistol.* 69. *epist.* 2. si componerentur hæc duo capitula, vniuersos Sacerdotes Romanam complexuros communionem. Et rursus enixe deprecatus fuerat, binis, aut ternis literis, Vt quæ scribebantur, iuberet quam ocyus adimpleri: *ibid. post ep.* 73. *epist.* 3.4. Scitis namque, *inquit*, quam sit admirabilis gloriæ, tãtorum errores annorum vestri Pontificatus tempore stirpitus aboleri.] Et protestatus est Hormisdæ, ab eo exigendam salutem vniuersorum, qui poterunt esse salui, firmata concordia.] Quid mirum igitur, si moræ impatiens, post tot alias incassum & ab Imperatore, & ab eo scriptas literas, modeste solicitat, vt negotiũ tantæ pacis & vnionis absoluatur? Qui tamen nodum in scirpo quærebat Baronius, vbi miram hominis pietatem, zelumq; Christiano Principe dignissimũ, omni laudatione extollere debuisset, hinc ei omne malum voluit ominari: *to.*7.*an.*421.*n.*4.

Dum

Dum plusquam par est, inquit, homini laico, à se proposita, ex sua ipsius sententia, optat sibi cuncta quam celerrime à Romano Pontifice definiri, parat sibi nescius ad lapsum foueam, in quam miser, eam vitare negligens, ad vitæ finem, dum sine consilio currit, præceps demum incurrit.] Non ipse tamen, sed Iustinus, & ipso Iustiniani nomine illud sollicitabat: & laicos Ecclesiæ labanti & schismatib diuisæ opem ferre, fuit olim semper maxime desiderabile: nunc vero haud æquum censetur, vt laicus Ecclesiæ subueniat. Cordate Lector, bene intelligis: Romani proceres in Ecclesia superiorem se non habere iam profitentur; laicos omnino excludunt; ipsi suos errores exterminare & grauissimos abusus tollere nolunt; & malunt, quocunque schismate Ecclesiam scindi, & infici hæresibus, quam de propria monarchia quicquam relaxent. Ponit igitur vir hic antidotum, dum Iustiniani sanctissimum reprehendit zelum; ne veniret in mentem aliquando nostris Principibus ipsum Iustinianum, vt par esset, imitari, & Ecclesiam reformare, pacemque & vnitatem perfectam componere; vno aut altero capitulo proposito, & ab vniuersali Ecclesia admisso.

XXXIX. Quantopere vero exagitet Iustinianum Baronius, pro tot legibus ab eo in rebus Ecclesiasticis latis, vidimus supra *cap. 6.* Vbi eum à tot conuitiis liberauimus. Et quia semel exorta controuersia circa diem Paschatis celebrandum, Imperator idem vna protraxit hebdomada, mirum quam in ipsum propter hoc acuat linguam, *tom. 7. an. 545. num. 17. 18*, quod sacris se immiscuerit, &, quæ sunt Sacerdotum, sibi vsurpauerit: & propterea, vt eius temeritatem corrigerent, pro arbitrio sacra miscentis, Patres Concilij Quarti Aurelianensis, totum iudicium de die Paschæ ad Ecclesiasticos auocasse.] An vero tunc erratum fuerit in die Paschæ celebrando, iuxta sententiam Imperatoris, nihil constat. Missella enim dicit euersum fuisse diem sancti Paschæ. Nam vulgus vna hebdomada prius cœpit quadragesimam, Imperator vero vna posterius; sed vulgus perstitit in sententia. Quam enim cœperat Quadragesimam prosecutum est: at Imperator Pascha suum voluit celebrari: & ita vulgus vna hebdomada plus ieiunauit. Sed vulgus ne, an Imperator errauerit, quis definiat? Hic de Prælatorum præcepto nihil habetur; cui si Imperator obstitisset sine caussa, merito fuisset reprehensus. Nemo tamen de Imperatoris vi, aut errore, aut vsurpatione est conquestus; nisi nunc demum post mille annos solus Baronius. Cuius etiam ridicula est ex Concilio Aurelianensi obiectio; Vt Imperatorem in Oriente degentem nemo corrigere sit ausus, aut vlli in mentem hoc venerit, nisi in vnico angulo Franciæ paucissimis vnius Concilij Prouincialis Episcopis. Dormiebant ergo omnes Patriarchæ Orientis: dormiebat Papa Romanus, & innumerabiles Episcopi, qui rem spectabant. Illi vero soli, ad quos fortasse ne rumor quidem huius rei potuit peruenire, tanto negotio, vt è manibus Imperatoris eriperetur, consulebant. Quis hæc inania non rideat?

XL. Conqueritur deinde Baronius de Iustiniano, quod trium capitulorum caussam susceperit, & toti Ecclesiæ voluerit fidei legem præscribere: nimirum, de Theodoro Mopsuesteno, de Theodoreti Cyrensis Episcopi aduersus Cyrillum scriptis; & de Ibæ epistola ad Marim Persam. *ibid. tom. 7. ann. 546.* Hic quam spissos contra eum fumos sæpius excitet Baronius, non possum satis commemorare. Summa reprehensionum est, quod sibi Ecclesiastica iudicia vsurpauerit; eumque, Facundum secutus, hominem Africanum, ad minus schismaticum, Zenoni de hæresi suspectissimo comparat; vt factum Iustiniani fuerit simile henotico Zenonis. Quæ est maxima impietas; henoticum n. illud sub prætextu pacis & vnionis, hæresibus fauebat; *Euagr. lib. 3. cap. 14.* & Concilium Chalcedonense tacite reiiciebat. At vero damnatio trium capitulorum, fuit tandem ab œcumenico Concilio quinto solenniter facta, maxima cum laude Principis religiosissimi, maxime orthodoxi. Docui iam *cap. 5.* hanc esse præcipuam Principum curam, vt fidei & religionis puritas conseruetur; & schismata atque scandala ex Republica ipsis commendata auferantur. Et quamuis ipsi fidei dogmata definire neque debeant, neque possint; debent tamen & possunt esse præcipui apud Ecclesiam authores, vt rite fidei articuli definiantur; & habita definitione, ipsi sunt præcipui, imo fere soli executores; quod nostri etiam Hiero-monarchici libenter concedunt. Nunc igitur frustra in Iustinianum, imo cum summa iniuria & ingratitudine inuehitur Baronius. Quis, *Liberat. cap. 24. in breui.* Acephali, qui iam maximum fecerant in Ecclesia Orientali schisma; & Eutychiana laborabant febri, neque Concilio Chalcedonensi volebant assentiri, authore præcipuo Theodoro Cæsariensi, pacem, & vnionem cum Catholica pollicebantur Imperatori, & Concilium Chalcedonense se admissuros; modo vnus quidam scrupulus eis auferretur, quem sibi videbantur in Concilio Chalcedonensi obseruare; Is vero erat, quod Theodorum Mopsuestenum totum Nestorianum non modo non condemnauit, cum scriptis ipsius hæretica labe infectissimis, sed etiam cum laudibus susceperit. Quod etiam Ibam & Theodoretum similiter susceperit, cum tamen & illius epistola ad Marim Persam tota esset similiter Nestoriana; & huius disputatio contra duodecim Cyrilli articulos, Nestorij contineret defensionem: si itaque isti condemnarentur, etiam post mortem, sicut iam fuerat paulo ante ab eodem Imperatore condemnatus Origenes, vnionem, & pacem omnino secuturam. Quid faceret pius Imperator? negotium suscepit serio, solo Christianissimo zelo vnionis Catholicæ ductus: scripta Mopsuesteni, & Ibæ, *Quint. Syn. act. 5.* à Viris religiosis & doctis, discussit etiam per Synodos fecit, ac plena hæresum & blasphemiarum reperit. Theodoreti quoque disputationem suspectam ob Nestorij defensionem inuenit. De eorum damnatione agere cœpit; consuluit Ecclesiæ prælatos, *Procop. de bello Goth. lib. 3.* Vigilium Romanum ad se Roma accersiuit, vt de dicta ageretur damnatione, quo Acephali ad vnionem reducerentur. Et hoc nomine erit Iustinianus vituperandus? O insolentiam censoris non tolerandam, cui ludus est & iocus Imperatores optimos petulantia styli aculeo perfodere.

XLI. Decipi, inquit, se passus est Iustinianus à Cæsariensi Theodoro Origenista & Acephalo, qui hac arte, & vana vnionis spe iniecta, Chalcedonense Concilium iniuria afficere conabatur, vt isto melius in ipsum Concilium postea cum suis Acephalis Eutychianis consurgeret, *Liberat. c. 24. & Baron. ann. 538. num. 87.* Hæc tamen fuit vana illius temporis nostrorum suspicio Latinorum, Vigilij obstinationem sequentium; qui prætextu defendendi Concilium Chalcedonense non libenter ferebat, vt Orientales, ac præsertim Imperator, damnationes hæreticorum & hæresum assumerent: ambitio enim primatus, & Monarchiæ Roman. iam cœperat Latinos transuersos agere, vix tolerantes, vt tota Ecclesiæ vniuersalis administratio semper penes Græcos in Oriente duntaxat vigeret; ex qua ambitione & inuidia, fœdissimum schisma est consecutum. Nihilominus Imperator dato edicto tria capitula damnanda in Oriente curauit, *Facund. apud Baronium tom. 7. ann. 546. numer. 57. & Quint. Synod. act. 7.* non ex se, & inconsulta Ecclesia; sed præcipuorum quorumcunque Episcoporum

Omni habito consensu & consilio, vt ipsemet fatetur, ad quem Patres V. Synodi; *init. inst.* Nos igitur, *inquit*, sequentes sanctos Patres, & volentes rectam fidem sine quadam macula in Dei Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare, primum quidem & in vestris vos degentes Ecclesiis interrogauimus de prædictis impiis tribus capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, &c.] Eo tum initio huius motus de negotio consultaretur, non Theodorus solus, sed etiam Eutychius, *Niceph. lib. 17. cap. 27* cum nondum esset Episcopus, vir non sine miraculo ad Episcoparum promotus, eiusdem consilij & motus etiam Author fuit. Expectabat tamen Vigilium Imperator, vt pleniusadhuc perfectiúsque damnarentur tria capitula, & inde vnionis negotium absolueretur. Peruenit Vigilius Constantinopolim, honorifice exceptus est ab Imperatore: de tribus capitulis renouatur disputatio, fit Synodus præsente & iubente Vigilio; Iisque tandem conuictus, damnationi trium capitulorum subscribit; *Quint. Syn. act. 7. & Baron. tom. 7. ann. 547. num. 40.* & Imperatoris sententiam edicto editam, vbi plane agnoscit, Chalcedonensi Concilio nullam fieri iniuriam, & nihilominus ex horum damnatione tum veritatem Catholicam firmari, tum reductionem Acephalorum, & consequenter vnionem desideratam expectari, comprobat & confirmat. Quomodo ergo deceptus est Iustinianus, si Catholica Synodus, si Vigilius ipse Romanus, si Orthodoxi omnes in Oriente, si denique Concilium Oecumenicum manibus & pedibus in Theodori Cæsariensis & Iustiniani Imperatoris sententiam iuerunt.

XLII. Vide tamen, obsecro Lector, quam iniqui sint iudices, tum Facundus, qui cum Vigilio obsistebat Iustiniano, (quamuis postea etiam, Vigilio mutante sententiam, voluerit Facundus in suo malo sensu & schismate perseuerare) tum Baronius, dum bene sentientem Imperatorem, vt euentus comprobauit, lacerant diris modis, & postposita omni æquitate, non sine magnæ ingratitudinis & impudentiæ nota mordent, quod rerum Ecclesiasticarum definitor fuerit; & sutor vltra crepidam iudicarit. Ecce, tamen Cœlum à Baronio attollitur idem Iustinianus, dum simili edicto Origenem condemnauit, *tom. 7. an. 538 num. 33* Vel vtrumque edictum lauda, vel vtrumque vitupera. Bar. non potuit Origenem iam mortuum damnare? Potuit & Theodorum Mopsuestenum. Sed, *inquit, ibid. num. 31.* damnatio illa Origenis, nomine tantum edita est Iustiniani, facta tamen & scripta est tota à Menna Patriarcha, & Pelagio S. R. E. Legato. Esto: concedatur: potuit ne suo nomine, & Imperiali authoritate illud edicere? Potuit & hoc: nam hoc etiam decretum possumus dicere fuisse à Menna compositum, aut ab aliis Episcopis Catholicis. Quamuis diuinatio illa ordinaria per somnium Baronij, vt Origenis damnationem ad suam Apostolicam sedem reducat, non possit subsistere: Liberatus enim huic somnio locum non relinquit, dum ait:

XLIII. *Liber. in breu. cap. 23.* Monachi (*Palæstini*) venerunt cum Pelagio, portantes capitula de libris Origenis excepta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur, cum illis capitulis. Igitur Pelagius vna cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano, flagitabat à Principe, vt iuberet omnino fieri, quod illi Monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur. Talia dicentibus annuit Imperator facillime, gaudens se de talium caussa iudicium ferre. Iubente eo, dicta est in Origenem, & in illa capitula, anathematis damnatio, quam subscribentes vna cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano; quibus eam accipientibus, & subscribentibus, Origenes damnatus est.] Damnatio tamen hæc tota nomine & authoritate Iustiniani prodiit, sub hoc titulo: *Baron. tom. 7. ann. 538. num. 33.* Oratio, (siue epistola) piissimi Imperatoris Iustiniani, missa ad Mennam sanctissimum ac beatissimum Archiepiscopum Vrbis Constantinopolis, & Patriarcham, aduersus impium Origenem, nefariasque eius sententias.] Principium vero: Nobis semper studio fuit, &c.] Debuisset Baronius in hac Liberati relatione, quam ipse etiam protulit, diligenter aduertere, & obseruare ista: Primum, Monachos Palæstinos, & cum ipsis etiam Patriarcham Constantinopolitanum, &, quod maioris apud eum deberet esse momenti, Pelagium Legatum Apostolicum, pro damnatione Origenis, ad Imperatorem necessario recurrendum iudicasse. Deinde iussu Imperatoris, qui gauisus esse dicitur à Liberato, nec reprehenditur, in tali caussa sibi iudicium esse ferendum damnationis, factum, & ipsius nomine atque authoritate promulgatum fuisse edictum. Hinc facile euanescit somnium Baronianum, qui Mennam & Pelagium facit præcipuos huius damnationis authores: qui tamen fuerunt puri intercessores, & ad summum consiliarij. Neque nouum erat, aut insolitum, Imperatores dictis suis fidem Catholicam, vt omnibus seruandam, proponere & firmare. Quorum edicta mature considerata postea à multis & præcipuis Ecclesiis, præsertim Romana, solerent in signum approbationis & obedientiæ subscribi; quæ si Baronius aduertisset, non fuisset, propter edictum religiosissimum de tribus capitulis, in Iustinianum tantopere debacchatus; Sed nihil minus illud laudibus extulisset, quàm paulo ante aliud extulerat, cum præsertim hoc posterius multo vtilius fuerit Ecclesiæ, & longe magis altero necessarium. Et quod maximæ laudis debuit esse argumentum, quod instantibus bellis & Reipublicæ grauissimis necessitatibus sani serio negotiis fidei se Imperator applicuerit; proculdubio ex maximo potestatis ardore, & debita in Christum fidelitate; id ei Baronius, valde indigne vertit vitio. *tom. 7. an. 546. num. 4. & an. 549. num. 7. an. 550. num. 14.* Ita nostri scriptores Romani ius habent faciendi *Isa. 5.* bonum malum, & malum bonum, prout libido suggesserit,

Candida de nigris, & de candentibus atra.

XLIV. Plaustra posthæc conuitiorum plena in eundem exonerat Iustinianum Baronius *tom. 7. an. 551. num. 2.* Quod sui oblitus, furore percitus, mente dimotus, correptus maligno spiritu, agitatus à Sathana: manus in Vigilium iniicere suis mandauerit satellitibus; quamuis fuga sibi tunc Vigilius consuluerit. Si tamen Baronius sinceram sibi proposuisset historiæ scribere veritatem, neque ad suum Monarcham Romanum, etiam per nefas, defendendum strenue adiecisset animum; nisique propterea statuisset, quasuis historias peruertere, corrumpere, fucare, nunquam in Principes pios & religiosos, ac potissimum in Iustinianum se procacem adeo scriptorem præstitisset; quem maluit sceleStum, facinorosum, impium, sacrilegum, dæmoniacum vndequaque proclamare, quam permittere, vt, si, quod par erat, Iustinianum laudasset, vel leuissima idolum ipsius, Romanus Pontifex, macula aspersus fœdaretur. Iussetitne tunc Iustinianus, vt manus in Vigilium iniicerentur, mihi adeo certum non videtur. Aliud huius rei indicium non habemus, nisi fugam Vigilij; *epistol. 2.*

qui

qui ex Placidiana domo ad Ecclesiam S. Petri primum profugit; & inde trans mare Chalcedonem ad Ecclesiam S. Euphemiæ: & illa eius verba: *ibid.* Nos quidem in hanc Basilicam (*S. Euphemiæ*) pro nulla pecuniaria, vel priuata causa confugimus; sed pro Ecclesiæ tanto scandalo, quod iam toti mundo pro peccatis innotuit.] Et quidem Nicephorus aperte scribit, *lib. 17. c. 26.* Iustinianum ira commotum, ipsum comprehendere misisse: Anastasius tamen Bibliothecarius, & ex eo Platina, Vigilium dicunt solicitatum fuisse à Theodora Augusta, vt, quod pollicitus erat de restituendo Anthimo, perficeret; ipsum vero respondisse, se ad Diocletianum, non ad Iustinianum venisse; & propter hoc fuisse ita cæsum, vt pene interierit; & aufugisse in templum S. Euphemiæ, & à Grassatoribus, iniecto ad collum fune, per totam vrbem tractum. Quod si Anastasius hallucinatur, vt contendit Baronius, *tom. 7. ann. 547. num. 27.* quia fuga ei contigit post mortuam Theodoram, potuit etiam Nicephorus hallucinari, si quidem illum in eadem Vigilij historia, de excommunicatione Mennæ, hallucinatum vult Baron. *ibid. an. 552. n. 16.* Neutri igitur credatur; sed ex verbis Vigilij sumatur coniectura. Ipse enim docet, se aufugisse primum in Ecclesiam S. Petri; in qua aliquamdiu substitit; deinde Chalcedonem, & non ob priuatam caussam, sed ob scandalum toti mundo notum. Si Iustinianus eum volebat comprehendere, misera talis fuga: putasne effugisset? quis eum tutum in Ecclesia S. Petri; quis in Ecclesia S. Euphemiæ faciebat? At vero quis dicet, Ecclesiæ scandalum toti mundo notum, fuisse ipsius cóprehensionem, si ob eam fugit, effectus nullus secutus est; non enim è carceribus, seu è manibus satellitum est elapsus: monitũ ergo fuisse oportet de captura, & ita aufugisse. Hoc ergo non fuit scandalũ Ecclesię publicum, vbi erat sola mens & cogitatio atque consilium; & si fuisset etiam res attentata, quomodo toti mundo erat nota, quæ illis ipsis diebus contigisset? Significat itaque se subtraxisse, ne cogeretur tria capitula damnare quæ Occidens totus mordicus defendebat. *Vigil. epist. 7.* Et nunc tandem se, ait, ex templo sanctę Euphemiæ egressurum, quando scandalum illud, propter quod fugerat, fuerit ab Ecclesia amputatum; explicatq; tunc id futurum, quãdo Imperator restituet pacem Ecclesiæ, quam ab Auunculi sui temporibus ipsemet fecerat: hoc est, desistendo à tribus Capitulis. Non dicit, se tunc egressurum, quando à vi & vinculis se liberum esse sciuerit. Nunquid erat in aliqua tutissima arce, præsidiis & exercitibus munitissima; delirium itaq; crassum est, de captura Vigilij cogitata, aut tentata vel vnicum verbum proloqui: Non quod non potuerit, & fortasse etiam debuerit eo deuenire Imperator, vt mox dicam; sed quod hoc ei ne in mentem quidem venerit. Cur ergo tot iniustis conuiciis impetitur?

XLV. Non negabo Iustinianum fuisse Vigilio subiratum, & fortasse acrius in eum inuectum, Christianæ pacis optimo & sancto zelo: de ipsius ira & commotione erga Vigilium habemus in primis verba ipsiusmet Vigilij. Sic enim in sententia contra Theodorum Cæsariensem loquitur: *post epist. 6. Vigilij.* Nam vsque ad hoc animum Christianissimi Principis falsis suggestionibus perduxisti, vt clementia eius, quæ in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos grauiter moueretur.] (Discat Baronius modestiam, Vigilius læsus non vocat Iustinianum sacrilegum, mente motum, à Diabolo correptum; sed Christianissimum, & clementem: modestia tamen hæc iamdiu ab Ecclesiasticis nostris exulat.) Sed & si vis commotionis caussam scire, quære eam ex Nicephoro: *lib. 17. cap. 26.* Eo, *inquit*, Vigilius insolentię progressus est, vt & Mennam à communione quatuor mensibus excluserit. Idem sane & Mennas aduersus illum fecit.] Mendacij à Baronio arguitur Nicephorus: *tom. 7. an. 552. num. 16.* Vnde vero probat mendacium? quia, *inquit*, de his mentio erat habenda in Vigilij Epistola Encyclica. Audis puerilem obiectionem? Nunquid illa Epistola est aliqua plena rerum gestarum historia? imo non est nisi fragmentum Epistolæ. In quo si nihil prorsus habetur de excommunicatione lata à Vigilio in Mennam, cur quærit in ea Baronius excommunicationem parem latam à Menna aduersus Vigilium? neque dicas Mennam intelligi, vbi ait Vigilius, se scriptum formasse, etiam contra illum, qui sub habitu Episcopali lupi rapacis dominico gregi tendit insidias. Hic enim Theodorum Cæsariensem intelligit, non Mennam: nam depositionis sententiam contra Mennam nunquam tulit, sed tantum cuiusdam excommunicationis ad quatuor menses.

XLVI. Quid tibi nunc videtur, æquanime Lector, iure ac merito succenseat Imperator Vigilio, nec ne? Instituta fuit communi consensu tractatio publica de tribus Capitulis, negotium vrgebat, Concilium Chalcedonense à multis propter illa merito impugnabatur; Eutychiana hæresis, Concilio hoc abiecto, conualescebat; schismata iam ardebant, & maiora ingruebant. Imperator pro suo munere Ecclesiæ consulebat, aduocarat Vigilium, Synodum minorem celebrarat, Vigilium conuicerat, Vigilius trium capitulorum damnationi subscripserat: Vbi igitur rem in tuto collocatam putabat, ecce tibi de repente Vigilius, non modo defecit, territus Occidentalium suorum clamoribus, ac veritus ne alium Papam, illo reiecto, superinducerent; (nec erat inanis timor, sciebat enim se malis artibus ad Pontificatum ascendisse, excluso per vim & occiso Syluerio) sed etiam ad maiorem turbationem incipit à fulminibus imprudentissime in præcipuos Ecclesiæ Orientalis Prælatos agere. & eos censuris Ecclesiasticis sauciare, pacemque iam pene confectã turbare, maximos tumultus ciere, fauere Nestorianis & Eutychianis, Nestorianos defendendo, & Chalcedonense Concilium labefactando. Non credis Nicephoro de turbis; crede ipsi Vigilio: Dum adhuc esset in Placidiana domo, iamque mutata maxima cum leuitate (ne Papatum amitteret, valere iusserat & fidem, & Ecclesiarum vnionem; habet in hoc successores) sententia. Episcopis, & clero Constantinopolitano mandata dederat, vt à Iustiniani edicto refugerent; neque ei parerent, si vellet persistere. *Vigil. epist. 7.* Quod si hoc forsitan, *inquit*, (quod non credimus) feceritis. noueritis ex præsenti die, vt præuaricatores Apostoli Petri, per ministerium vocis meæ, haberi suspensos.] Et subdit postea: ea enim quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Episcopis. vel Presbyteris, & diaconibus aliisque clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ voce publica dixeramus, postea etiam die nonarum Kalend. Sept. nuper præteritarum in B. Petri Basilica, scripto firmauimus. In quo etiam illum, qui sub habitu Episcopali lupi rapacis dominico gregi tendit insidias, & assumens totius ducatum scandali, vniuersalem perturbauit ac perturbat Ecclesiam, de Episcopatus ordine deponentes, damnauimus: alios vero, qui superius memorati sunt, à communione suspendimus.] Et miraris, quod tot Episcopi ab eo non modo sine caussa, sed quia bonam caussam tuebantur, tam male habiti, & Ciuitas regia tota ob hæc tumultuans, in Vigilium pacis osorem, ciuitatis turbatorem, hæresum fautorem, virum leuissimum, consurrexerit, & fortasse lapidare voluerit? miraris quod ex Ciuitate vltra mare effugiat? miraris si etiam Imperator manus in eum iniicere

cere

ctepro tranquillitate & pace non modo Ciuitatis & Reipub'icæ, sed etiam vniuersalis Ecclesiæ, statuisset? Imo in hoc ego summam Imperatoris benignitatem admiror, & patientiam; ne dicam, arguo socordiam, & accuso negligentiam. Nactus tamen est Mennam, qui papæ rependebat. Dum vero propter has turbas Vigilium laudat Baronius, *tom.7.an.552.num.9.10.* pari inde laudare posset Donatistas, quod æque vtrique olim restiterunt potestati. Non sic Optatus, non sic Augustinus, &c.

XLVII. Scio quo se vertit Baronius: *tom.7.an.551. num.2.* Iam *inquit*, inter se conuenerant, & in Synodo decreuerant, vsque ad Concilium Vniuersale seruandum esse silentium. Et nihilominus suum edictum Imperator contra emissam sponsionem, appendi iussit; & Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, libellos aduersus tria capitula publicabat.] Hoccine tam graue scelus, tam immane flagitium, vt tantas turbas excitare deberet? Nonne iam in Synodo, ipsomet etiam Vigilio consentiente, tria capitula omnino damnanda esse liquido constiterat? Quod si in gratiam Occidentalium schismaticorum ac suo commodo Vigilius silentium ad tempus impetrauerat, Imperator tamē & Prælati Orientales in gratiam suorum tumultuantium, & Vigilij silentium hoc, tanquam humanum inuentum & artificium, fidei præiudiciale fortasse aperte accusantium, ne tumultus longius excrescerent, silentium abrumpendum esse censuerunt; siquidem iam in Synodo communi consensu, contra tria capitula fuerat pronunciatum. Et quamuis vniuersali Concilio opus esse tunc decreuerint, noluerunt tamen Orientales esse canes muti, si Vigilius se humano timore perculsus, mutum tamen effecerat, vt morem gereret suis, à quibus deponi timebat. Sine caussa ergo in Episcopos insurgit censuris importunis: sed visa legitima Orientalium caussa, per ipsum etiam in Synodo approbata, debuit acquiescere, vbi vidit silentium illud & esse suspectum merito, & fidei vnionique Catholicæ perniciosum. Iam enim inter ipsosmet Orientales Catholicos schisma fecerat Vigilius, in suam opinionem, imo errorem, attractis pluribus, qui tria capitula defendenda esse arbitrarentur. Vt propterea etiam, ne schisma inualesceret, antidotum subito applicandum censuerit Imperator, per edicti appensionem. Vigilius vero indiscreto suo rigore, & motibus Orientalibus, suos in Occidente retinere in officio volebat; vt ex his agnoscerent illum pro tribus capitulis adhuc stare, & Imperatori ac Orientalibus obniti. Sed ars deluditur arte; imo ars mala & perniciosa, arte bona, & religiosa. Ad quid enim silentium super re, quæ Concilo Generali definienda proponebatur? Sane tractanda in Conciliis Generalibus, debent prius per omnes prouincias innotescere, & discuti, vt asserit Augustinus, *de bapt. contr. Donat. lib.2.cap.4.*

XLVIII. Hæc tamen à Vigilio merito gesta esse comprobat Baronius signo à posteriori: *tom.7.ann.552. num.9.& an.553.num.14.20.* Quia tandem cesserit Imperator, & edictum iam appensum amouerit, atque abrogarit, & Theodorus atque Mennas veniam petierint, ipsique Vigilio sese subdiderint. Atque hæc ex Vigilij *Baron.ibid.an.553.num.49.* constituto, ex Bibliotheca Vaticana eruto, ibique hactenus latente, confirmat. De amotione tamen edicti nihil prorsus, ac multo minus de eius abrogatione habet illud constitutum. In hoc demore somniat Baronius. Cessit potius Vigilius Imperatori, eo apposito discordiis remedio, vt quam primum Concilium Generale colligeretur: & in eo, quod iam communi consensu statuerant, controuersia finiretur. Quomodo vero abrogasse edictum dicitur Imperator, si ad illius confirmationem Concilium congregabatur generale? Theodori vero & Mennæ libelli confessionis oblati Vigilio, qui in eius habentur *ibid.num 50.* constituto, quid aliud significant, nisi, sedatis iā cum Vigilio tumultib. indictione Concilij Generalis, voluisse Prælatos illos, annitente Imperatore, pro bono pacis, in perfectam venire concordiam cum Vigilio; vt fructus Generalis Concilij esset vberior: atque vt in fide concordes inuenirentur, faciunt ipsi suam professionem; & in quantum in præcedentibus cum ipso dissensionibus occurrisset læsio, veniam petunt prudentissime; ita tamē vt de tribus capitulis expectetur vltima Concilij Generalis definitio; & ipse interim suam promat de iisdem capitulis sententiam. Quod & præstitit in eodem constituto; damnans doctrinam & scripta Theodori Mopsuesteni, Ibæ, & Theodoreti: personas tamē excusans, & suscipiens. Sed Concilium generale habuit in hoc contrarium. Itaq; nihil habet Baronius, quo Vigilium faciat voti compotem & victorem, qui ex omni parte in hoc negotio deiectus fuerit & prostratus.

XLIX. Quo tandem progressum est Baronij in Iustinianum odium? damnatis tribus capitulis in Concilio generali, confirmatoque Imperatoris edicto, quia pertinaces schismatici, ne Concilio quidem Catholico generali acquiescentes, pacem turbabant Ecclesiæ, insurgente in eos suis pœnis Imperatore, i-m si Deo placet, hanc vocat persecutionem, *tom.7.ann.553.num.225.* Quantum laborauit Augustinus, vt doceret Donatistas, non esse persecutionē, quod eos pij Imperatores à schismate pœnis & legibus retraherent, & ad Catholicam adigerent vnionem? Hic vero nostris diebus Cardinalis Romanus, imitatus Donatistas, vt rebelles ac refractarios ab vniuersalis Ecclesiæ sensu aberrantes tueatur, & foueat in schismate, quorū caput factus fuerat Vigilius, etiam ipse propterea mulctatus *Anastas. in Vigil. & Baron. ibid.num.226.& ann.554.num.4.* exilio, persecutorem facit Imperatorem Ecclesiæ caussam defendentem. Conatur quidem Baronius suum Vigilium à reprehensione immunem reddere: sed dicam ego de eo Vigilium defendēte, quod ipse dixit de Alciato Iustinianum vindicante: *tom.7.an.561.num.3.* Vtinam leues illæ tantum essent Vigilij sordes, quæ breui possent à Baronio elui; & non potius illius generis, de quo Hieremias, *cap.2.21.* *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitate tua coram me.*] Negotium enim, quod de tribus capitulis tractabatur, etiamsi directè non esset circa fidei dogmata, sed circa personas tantum; indirectè tamen ad rectam fidem, & ad Ecclesiæ vnionem plurimum faciebat. Quod nisi ita se haberet, non dicerent Quintæ Synodi Patres, *act.2.* Nos non possumus Dei Ecclesiam vlterius in tanta confusione relinquere, maxime hæreticis calumniantib. eius Sacerdotes, tanquam Nestorij sequaces.] Quanta fuerit necessitas Concilij Chalcedonensis, nemo Catholicus ignorat: eius tamen fructus plurimum impediebatur, dum nescio qua inaduertentia hæretici Nestoriani libelli, in eo suspiciuntur, & ferme approbantur: ita vt qui admisso Concilio Chalcedonensi Eutychianā Scyllam vitarent, in Nastorianam quodam modo Carybdin inciderent; & non erat huic malo occurrendū? Hæc nō erat magni momenti res in Ecclesia? non erat magnum malum Eutychianis remedium Concilij Chalcedonensis auferre, dum sibi ab eo cauent, ne videatur velle esse Nestoriani? Frustra ergo ex hoc capite defendit Baroni⁹ Vigilium, *to.7.an 553.nu.235.* quod quæstio non esset, nisi de personis; & neutram partem fuisse hæreticam: ac propterea vt vitaret schisma, quod in Occidente timebat, mutasse Vigilium sententiam; & tria capitula, quæ iam damnarat, iterum defendenda suscepisse.

Pessime vero concludit dicens: *ibidem numer.* 141. Longe præstantius futurum fuisse, vt ab his controuersiis Dei Ecclesia ieiuna mansisset, nec vnquam de his aliquis habitus esset sermo, ex quibus tum oriens, tum occidens immensa strage multiplicibus diu sunt repleti funeribus.] Et addit: Hanc tandem cladem Orbi, pestemque Ecclesiæ Iustinianus inuexit, dum, suadente Theodoro Cæsariensi, de tribus damnandis capitulis primus legem sanciuit, & promulgauit edictum: Vides, *inquit*, quanta iactura quod est Episcoporum, Principes sibi sumant, cum Indicere audent ipsis sacerdotibus leges, à quibus sancitas seruare ipsi debent, & seruandas edicere: Quo semel è cardine suo reuulso ordine, confundi omnia, cunctaq; necesse sit in summũ discrimen adduci, periclitariq; penitus, quę sunt in Ecclesia bene disposita.] Hæc Baronius.

L. Iustinianum profecto iam satis ostendimus Baronij monitis in hoc paruisse; nam edixit tantum, quæ ab Ecclesia iam sancienda esse, non à Thedoro solo, suspectæ fidei Episcopo, sed ab Eutychio etiam & à tota ferme Episcoporum orthodoxorum Orientis vniuersitate cognouisset. De negotio vero ipso trium capitulorum, vtrum sit melius & tutius iudicium, innumerabiliumne orthodoxorum Episcoporum, imo & totius œcumenici Cõcilij ab Ecclesia Vniuersali admissi, & cui non nisi hæreticus obsistat; an vnius nescio quam grauis nostrorum dierum hominis, qui vt arundo vento agitata, modo in hanc, modo in contrariam flectatur partem, quo illum vel leuissima Monarchię Romanæ aura impulerit? iudicet Lector. Cladem illam orbi ac pestem Ecclesiæ non Iustinianus inuexit, sed Vigilius; qui sicut plane agnoscit, merito illa tria capitula fuisse damnãda, & illa etiam propria subscriptione damnauerat, ita humanæ prudentiæ consilia deponere debuisset, & vigore Sacerdotali, non in Episcopos optime sentientes, & in Concilium generale orthodoxum, sed in suos occidentales schismaticos insurgere; Deo enim cum illo pugnante, facile eos conuincere, vt ipse conuictus fuerat, potuisset, & in rectam sententiam adductos, in Vnione, extincto schismate, retinere. Dum vero vitare cupit schisma exigui momenti, inter ipsum solum, & non omnes occidentales Episcopos, præsertim Africanos, grauissimum inter Orientem totum, & Occidentem schisma inuehit.

LI. Scommata etiam in Iustinianum iacere non destitit, quibus adeo illiteratum fecit, vt ne alphabeti quidem notitia eum velit imbutum: à Suida enim affectit Iustinianum *analphabeti* nomenclatura insignitum, *tom. 7. an.* 528 *num.* 2. *& an.* 541. *num* 28. *& an.* 563. *num.* 7. *& an.* 561. *num.* 10. Hic ego miror illiteratam hanc Baronij censuram. Quid enim? Num apud Latinos *illiteratus* eum significat, qui literas, hoc est, characteres prorsus ignorat, nec omnino legere nouit? an potius eum, qui in politiori literatura, hoc est, artibus, & disciplinis parum versatus est? Ita certe apud Græcos vox illa, quæ ad charecteres, vt fontem primitiuum refertur, humaniores omnes complectitur disciplinas. Si ergo Suidæ concederemus Iustinianum fuisse *ἀναλφάβητον*, seu *ἀγράμματον*, non magis inde sequitur fuisse alphabeti Græci ignarum, quam Apostolos Hebraici: eum vocentur *Act.* 4. 13 *ἀγράμματοι*. Et Christũ ipsum legere scire non debuisse, de quo dicebant Iudæi, *Ioan.* 7. 15. *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Num mirati sunt, quod Christus posset in libro legere? Imo doctrinam intellexerunt, vt patet etiam ex ipsius responso: *Mea doctrina non est mea.* Iam ergo non Iustinianus, sed Baronius ipse erit analphabetus, qui, quid hac voce significatur, parum intelligit; & satis stulte asserit, ne nomen quidem proprium illum subscribere sciuisse.

Hæc de voce, iam propius ad rem. Optime sciebat Baronius Iustinianum à multis laudari, ac inter sapientissimos Imperatores numerari. Primus nobis edidit ipse Baronius collationem quandam pulcherrimam, præsente Iustiniano, & eius iussu factam, inter Hæreticos & Catholicos. Viderat igitur quid Innocentius Maroniæ Ciuitatis Episcopus illam referens, de Iustiniano, ad finem suæ Epistolæ, scribebat, videlicet: *apud Baron. tom.* 7. *an.* 532. *num.* 55. Et omnibus nobis recentibus pietas eius tanta ac talia ad eos locuta est, cũ omni mansuetudine & trãquillitate, vt, si alter mihi diceret, ab eius pietate hæc dicta, vix crederem: nisi ipse auribus meis audissem, quæ cũ magna gratia Dei, et benedicto eius ore prolata sunt.] Et comparat illũ S. Paulo: nescio an posset tam eloquens esse homo analphabetus. Procopium etiam de Iustiniano ita scribentẽ *de bell. Goth. lib.* 3. profert ipse Baronius *ibid. an.* 549. *num.* 7. Ad multam noctem hic sedet circumstantib. sacratis quibusdam, & effœtæ ætatis Viris, Christianorum scriptis miro studio reuoluendis intentus.] Analphabetus quomodo obsecro libros, & libros Theologicos, reuoluere poterat? Isidorum etiam exscripsit idem Baronius *tom.* 7. *an.* 565. *nu.* 10. sic de Iustiniano loquentem: *Isidor. cap.* 18. Iustinianus Imperator quosdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diuersas Prouincias misit. Condidit quoque rescriptum contra Illyricanam Synodum, & aduersus Africanos Episcopos, in quo tria capitula condemnare contendit.] Inuidit tamen hanc ei laudem, Baronius, ac depressit eũ, tribuens opera eius legalia Triboniano; Theologica vero Theodoro Cæsariensi. Quasi Isidorus fuerit adeo stupes, vt, si sciuisset, opera illa non esse Iustiniani, sed alterius, Iustiniano analphabeto, cum magno ipsius Isidori dedecore, illa fuisset tributurus. Sed contra Baronium Baronium ipsum proferamus: cuius encomium in Iustinianum illud habemus, sola vi veritatis, ex ipsius ore vel inuiti illicitum. *tom.* 7. *an.* 533. *num.* 43. Res quidem *inquit*, admiratione digna, quod, cum tantæ expeditioni Wandalicæ parandæ, totus deditus esset, perinde ac si summo otio frueretur, & nihil nisi de reuocãda illibata fide Catholica præterea curãdum esset, decernit Legatos, sancit edicta, scribit Epistolas, ac denique plusquam opus esse videri posset, publicas edit de fide Catholica sanctiones. His accessit veteris iuris enucleãdi, & in obseruantiam pristinam reuocandi egregie nauatum opus: Ad postremum addita ad hæc vigiliæ atque ieiunia.] Hæc de suo analphabeto Baronius.

LII. Nondum tamen Annalistæ nostro finis irarũ, oditque perennis. En vlterius ex legitimo facto Iustiniani, cui nihil prorsus opposuit vnquam Ecclesia, & quod antiquissimo iam iure ad Imperialẽ dignitatem pertinebat, nouam excudit occasionem reprehensionis, imo conuiciorum & contumeliarum. Factum vero hoc fuit nihil aliud, quam reductio Vigilij ab exilio; & quædam propositio facta clero Romano; de qua Anastasius *in Vigilio*: Narsete enim patricio vsus intercessore apud Iustinianum idem Clerus, restitutionem petiit Vigilij sui Episcopi; & aliorum cum eo ex Romano Clero in exilium actorum.] Narrat porro Imperatorem ita locutum; Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester? gratias ago: Minus vero? hic habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea vobiscum erit. Responderunt omnes, imperet Deus pietati tuæ; restitue nobis modo Vigilium; & quando voluerit eum Deus trãsire ab hoc sæculo, tunc vestra præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio.] Hucusque Anastasius. Hic clamores excitat stentoreos biliosus senex; *tom.* 7. *ann.* 554. *num.* 2. exaggerat scelus, debacchatur

chatur, despumat conuicia, impium vocat Imperatorem, ethnicis peiorem, profanatorem, & conculcatorem iurium. Sed miser delirat, vel potius insanit præ dolore, vbi purpuræ Hieromonarchicæ vel extrema leuissime tangitur lacinia. Quid incalescit in Iustinianum? Discat ex antiquo vsu Ecclesiæ, Principum potestatem, qua citra omnem contradictionem, citra vim, citra iniuriam, in electione Episcoporum, etiam primæ sedis Præsulum, vtebantur. Vel doceat, id Iustinianum vi aliqua & tyrannice peregisse. Solam electionem, imo solam electionis confirmationem, non tam ipse vsurpat, quam sponte Clerus Romanus ei tradit; & hinc immerito hesternus Annalista commouetur. De electione autem Romani Pontificis quarto huius operis lib. c.11. egimus. Iam ad filium nostrum redeamus.

LIII. Hunc hominem tantus peruasit obtrectandi pruritus, ac pios Imperatores admordendi libido; vt ab instituto Ecclesiasticorum annalium scriptor diuertat libenter, quo carpere possit religiosissimum Iustinianum: *tom.* 2. *an.*558.*num* 9.12.13. vt de male insumpto militari stipendio, de male gubernato Imperio, de exhausto in res inutiles ærario, de factiosis ab eo defensis, de seditiosorum impunitate, de iisdem seditiosis honoribus auctis; & de similibus excessibus, quibus vult duci coniecturam, eum fuisse hominem facinorosum. Quæ cum sint ab Ecclesiasticæ historiæ instituto alienissima, quis non videt linguæ pruriginem? Quotus quisque enim Principum, præsertim magnorum, est, qui ita omnia prudenter feliciterque administret, vt nihil desideretur etiam ab æquis rerum æstimatoribus, nedum à Baronij similibus? Horum vero quæ Iustiniano imputantur (si modo illi sint imputanda) pleraque certe sunt minuta, & eius egregiis, imo heroicis virtutibus adeo occultantur, vt non nisi Momi illa possint linceis oculis aduertere. Sicut & illa, quæ de eius auaritia & corrasione pecuniarum, & bonorum iniustis proscriptionibus, Euagrius solus, nescio qua fide, annotauit, eumque curuo pede sequutus Baronius denuo exprobrauit. *ibid.an.*565.*num.*8. Nos tamen ab hac defensione abstinemus, qui Iustiniani in rebus Ecclesiasticis tantum gesta præclara, & Ecclesiæ semper veneranda admiramur, eaque ab obtrectatorum maledictis suscepimus hoc loco vindicanda.

LIV. Ac certe à calumnioso Annalista nulla intolerabilior iniuria in Iustinianum intorta est, quam illa quæ, me iudice, non tam scriptis refutanda est, quam flammis abolenda, omniumque bonorum detestatione explodenda. Hunc scilicet Imperatorem ad finem vitæ declarat hæreticum fuisse, & Orthodoxorum persecutorem, cum turpi illo admodum ac infelici Elogio, dum ait: *tom.*7.*an.*563.*init.* Noui tumultus Ecclesiam Constantinopolitanam perturbant; cum se Iustinianus Imperator infelix in hæresim præcipitem dedit. Hunc tandem consecuta est finem reprehensibilis Imperatoris curiositas, atque temeritas, in miscendis sacris, summus velut antistes esset. Qui igitur compositam à prædecessore Iustino pacem inuenit, fidemq; Catholicam stabilitam, vndique compressis hęreticis, dum quæ sunt Sacerdotum sibi nimium attogat, & Pontificum partes vsurpat, pacem profligat, fidemque in discrimen sæpe adducit, atque tandem penitus labefactat.] Pergitque casum ipsius enarrare; ac persuadere, illum in Aphtardocitarum, hoc est, vt vulgo vocant, incorruptibilium hæresim incidisse, eamque decreto suo stabilire voluisse, & in Orthodoxos Episcopos ei se submittere nolentes, præsertim in Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum persecutiones excitasse, depositionibusque atque exiliis eos vexasse. Imo factus cum Euagrio, *lib.*4.*cap.*38.39. in hoc satis insolenter inepto Iudex viuorum atque mortuorum tandem concludit, in hæresi mortuum, damnatumque ad supplicia æterna apud inferos luenda deiectum esse.

LV. Si Baronius tantum scelus Iustiniani protulisset, & ipsius defensionem non vidisset, neque quicquam obseruasset, quo tantus Imperator hucusque piissimus, & fidei Catholicæ pugil ac defensor eximius posset ab hac extremæ vitæ suæ ignominia liberari, aut saltem si ab eo hæc obseruata, dissimulata tamen fuissent, aliquid simplicioribus, & rerum gestarum atque scriptarum ignaris persuasisset: Sed mirari non desino, quod defensionem egregiam Iustiniani ipsemet Baronius *to.* 7.*an.*563.*num.*3.4.5. referat & prosequatur; qua illum excusari posse docet: & nihilominus etiam mortuum non cesset conuiciis insectari, & toties eum, vt hæreticum, aspernetur, & omnibus proponat aspernandum.

LVI. Non est dubium, aliquid humani passum fuisse Iustinianum, & in errorem lapsum; non tamen sinistro affectu abreptum, sed quadam pietatis specie deceptum; dum sibi persuaderi consensit, Carnem Christi Domini fuisse impassibilem, & incorruptibilem, ex diuinitatis coniunctione: hoc ei, vt inquit Nicephorus *lib.*17.*cap.*29 ex amore feruenti in Christum, dignissimum, quod crederetur, videbatur; cum præsertim ita sentire cerneret multos primarios Episcopos, monachos, & laicos. Neque in hoc fatuus est Nicephorus; vt ei opponit Baronius *ibid.an.*563.*num.*8. verum enim est, ex amore Christi non posse hæreses promulgari: Sed ex amore Christi nō bene regulato, id est, occasione amoris in Christum, posse quempiam decipi, non est dubiū. Quid Petro suasit vt Christo nō crederet, asserēti se esse moriturum in cruce, post verbera, flagella, & opprobria? *Matth.*16.22. *Absit hoc a te, Domine*, dicebat; nisi feruentior, sed minus regulatus in eum amor? Nonne tali occasione Sathanas transformans se in Angelum lucis, 2.*Corinth.*11.14. sæpe suadet multa indiscreta, ieiunia, afflictationes, & sæpe vsq; ad inferendam mortem ipsam mortificationes? Sane ex amore in Christum, & desiderio eius hortamenta sectandi sunt, *inquit Augustinus, tractat.*51.*in Ioan.* quidam maligni atque peruersi, qui ex Euangelico præcepto, *Ioan.*12.25. odisse volentes animam suam in hoc mundo, in semetipsos crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocār, præcipitio se collidunt, & pereunt.] Et hic ipse est *Rom.*10.2. zelus, sed non secundum scientiam. Ita etiam iusto Dei iudicio, & imperscrutabili *Psalm.*35.7. (iudicia enim Dei abyssus multa) tentatio hæc magna permissa est in Iustinianum, de Christi fide optime meritum, vt tantisper deciperetur; & id crederet quod Christi diuinitati decentissimum esse humana suadebat ratio; & alios ad ita credendum compelleret. In eo tamen maxime reprehēdendus, quod posthabita ipsius ordinaria prudentia, & diligentia, Synodos non congregauit, & veritatem Catholicam regia via à Christo Ecclesiæ tradita non indagarit. Sed & hoc ipsum tandem præstiturum fuisse, pie credendum est, si diutius vixisset. Stulte tamen & impie à censoribus scilicet argutis vt hæreticus condemnatur, qui non peruicacia mentis, sed humano errore, & quasi bona fide deceptus, à veritate Catholica deuiauerat. Neque enim nouum est, aliquem posse hæreses proferre, & tamen non propterea statim esse hæreticum. Ita supra vidimus, *num.*48. Vigilium condemnasse doctrinam Mopsuesteni, & Ibæ, ipsas tamen personas noluisse, sicut & noluit Concilium Chalcedonense illas condēnare. Cum præsertim & Nicephorus fateatur *lib.* 17.*cap.*3. eum extremo illo spiritu facti pœnituisse, iussisseque

fissetq; Eutychium ab exilio reuocari. Nonne etiā Constantinus ille Magnus, magnum illum Athanasium proscripsit, humano errore deceptus? *Theodor. lib. 1. cap. 31. 32. 33.* Ac profecto nisi Iustinianum in fide Catholica & vnione mortuum agnouissent sancti, qui post eum fuerunt, Patres; non fuissent illum celeberrimi elogiis, Imperatore Catholico & cui Ecclesia plurimum debeat dignissimis, sæpius prosecuti. Gregorius enim illum Imperatorem piæ memoriæ appellat *lib. 2. epist. 10. & lib. 3. epist. 4. & lib. 7. epist. 126.* Extat & celeberrimum eiusdem præconium in Synodo Romana ab Agathone Papa pronunciatum; in quo Iustinianus dicitur æmulator veræ & Apostolicæ fidei, piæ memoriæ Augustus, præstantissimus, & magnus: cuius virtus & pietas, omnia in meliorem ordinem restaurat. *in Syn. 6. act. 4.*] Quamuis enim iam scripserat edictum pro impassibilitate carnis CHRISTI, & tentauerat, vt à Prælatis præcipuis eidem subscriberetur; tamen quia eos repugnantes inuenit, nunquam edictum ipsum promulgauit. Ideoque errorem ipsius venia dignum censuerunt, neque eius nomen è sacris tabulis abradi voluerunt. Proculdubio certissimi de ipsius recta intentione, & errore, vt ita dicam, tantummodo materiali; quem etiam ipsum in articulo mortis, vt author est Nicephorus correxerit. Qui sane error etiam non correctus, potuit plurimum mitigari, & in bonum atque Catholicum sensum trahi, vbi præsertim nondum vlla habebetur Ecclesiæ in contrarium definitio. Iam enim nostri Theologi scholastici *Thom. 3. part. quæst. 9. art. 2. & quæst. 45. art. 2.* docent, CHRISTI animam ab instanti conceptionis suisse beatam, eique visionem beatificam concessam; & ita fuisse CHRISTVM in primo instanti suæ conceptionis non modo viatorem, sed etiam comprehensorem. Animæ vero vndequaque beatæ & beatifica visione donatæ, quis ignorat corpus deberi gloriosum, impassibile, & immortale? Cuius gloriæ & impassibilitatis maximum fuit indicium transfiguratio Christi, *Matth. 17. 2.* quando facies eius resplenduit sicut sol, & vestimenta facta alba sicut nix, ita vt miraculo continuo impedierit Christus, ne ex animæ suæ beatitudine in corpus gloria redundaret, sicut exiguo illo tempore redundauit; & ex hac miraculosa, & sibi indebita, quasi suspensione, & retentione gloriæ, caro eius fiebat passibilis, & mortalis: quæ de lege ordinaria, stante animæ eius beatitudine, debebat esse gloriosa, impassibilis, & immortalis. Esto tamen fuerit error, & hæresis, nondum tamen ab Ecclesia expresse damnata; Age etiam, neque errorem hunc in morte reuocauerit. Quod dicet Ecclesia Catholica de Cypriano baptismum hæreticorum constanter negante, & in hac negatione mortuo, hoc ego dicam de Iustiniano: nimirum tunc non fuisse hæresim formaliter, sed meram opinionem, cum libertate quadam opinandi: licet postea hæresim esse fuerit declaratum: sicut opinio *August. de bapt. contr. Donat. lib. 1. cap. 18.* Cypriani post mortem fuit, absque vlla ipsius iniuria aut nota, damnata. Potuit igitur, imo debuit Cæsar Baronius (si non officij, saltem nominis sui memor) à contumeliis præsertim iniustissimis in Cæsarem petulanter vibrandis abstinere: ac, ipse si sapuisset, sapientissimorum Patrum vestigiis insistere, qui Iustinianum non modo non sauciarunt, sed semper summis præconiis extulerunt: quibus tamen hic illius lapsus non erat ignotus. Cum igitur siue Euagrium audis, siue Baronium, meros tenuis grammaticos, à cortice historiæ ad medullam Theologiæ velle penetrare, scito te sutores vltra crepidam, ridiculum iudicium ferentes, audire. Sed de Iustiniano satis. Quid dicam de aliis Principibus à Baronio male tractatis.

LVII. Minimum ac leuissimum Baronij, sed ordinarium verbum est, vt tyrannos Christianos Principes, & eorum actiones tyrannicas vocet, ex eo solum, quod interdum sua ordinaria authoritate vsi sint cum Pontifice Romano. Ita Mauritium tyrannum facit, *tom. 8. an. 590. num. 43.* quia scripsit ad Gregorium non rogandi, nec obsecrandi, sed iubendi formula. In hoc tamen se nequaquam læsum censuit Gregorius, qui se eius famulum faciebat, & profitebatur; se ad præstandam ei obedientiam teneri. Obedientia vero & iussio, sunt correlatiua; Et iam ostendi in capitibus huius libri præcedentibus Pontifices etiam Romanos fuisse in omni externo regimine Imperatori subiectos. Imo hanc ipsam Mauritij iussionem Gregorius admisit, eiq; sponte, & libenter paruit. *lib. 2. ind. 10. ep. 32.*

LVIII. Heraclium Imperatorem quot probris, quotque maledictis vexet Baronius, horreo dicere: *tom. 8. an. 628. num. 6. 629. num. 1. 2. 12. 634. num. 5. 635. num. 1. 638. num. 11. 639. num. 1. 641. num. 1.* corruptissimum hæreticum, si non & hæresiarcham facit Monothelitam, in eumque multoties dirissime inuehitur? Mihi vero, si vellem pro singulis Principibus à male feriato nostro Baronio male tractatis apologias texere, totidem mihi propemodum tomi essent elaborandi, quot ille edidit, Principum Christianorum, & sane piorum hostis acerrimus. Quos pati non potuit, vt ad Ecclesiastica respicerent, ac manum admonerent, & Pontifices, præsertim Romanos, vel torpentes excitarent, vel errantes corrigerent, vel digne laborantes pro parte sua adiuuarent. Quod sane ipsorum muneris proprium esse nunquam voluit aduertere, nempe ne monarchiam Romanam, cuius substructionem in arena, seu in nubibus, suis annalibus præcipue certandam susceperat, non satis stabiliret. De Heraclio quid opus ego vt quicquam reponam, nisi prius Baronius, siue quis alius, liberet Honorium Primum ab hæresi Monothelitarum, & illum scrupulum eximat, cur in Sexta Synodo anathematizatus fuerit, inter cæteros Monothelitas, etiam Honorius Papa, Heraclius vero non item; doceatque, num possit quis merito in aliquem tanquam in hæreticum debacchari, si aliquid senserit, vel defenderit, quod nondum ab Ecclesia sit damnatum; quod etiam supra de Cypriano innuebam. Mitto alios, tu Lector ex his, sed præcipuis Principibus à me defensis, quorum abstersimus calumnias, quibus eos immerito Baronius fœdebat, vide, quodnam iudicium sis facturus de magni nostri Annalistæ etiam aliis obtrectationibus: & caue, ne te facile decipi ab eo patiaris, vbi palam sinceritas in Principes Christianos sua torquet maledicta. Quod si quis putet me abluendis hisce calumniis nimis immoratum, sciat me accuratius hos paucos, præsertim Iustinianum, pluribus defendisse, vt nostri Christianissimi Principes habeant, quos tutius ac promptius inoffenso pede sequi & in ope ferenda Ecclesiæ iam collapsæ, absque vlla hæsitatione, possint imitari.

CAPVT X.

Ecclesiam, seu Papam, nullum ius, nullamque potestatem habere in Regna temporalia & Reges.

SVMMA CAPITIS.

Ecclesiam in Reges & regna nihil posse, probatur ex præcedentibus, num. 1.

Directum Dominium Papam in totum mundum prætendere, ostenditur, & confutatur, n. 2. 3. 4. 5.

Spir.

Spiritualis potestas indirecte in iudiciis rerum temporalium operans refutatur, n. 6.7.8.9. In legib. pariter ferendis ad temporalia & a n.10. ad n.14. Ad personas quoq; eam se non posse extendere demonstratur, n.15. Imo & vniuersaliter temporalibus spiritualis potestas ne indirecte quidem potest attingere, à n.16 ad n.33.

Potestas hac Ecclesiæ in temporalia & Reges ex Ambrosii & Hincmari dictis ruit, à n.34 ad n.39.

Eadem tollitur exemplo Francorum Regis Caroli, à num.40 ad num.44.

Potestatis huius vsurpatio tum Constantinopoli, tum Romæ primæ explicatur, n.44.45. Et, quibus fundamentis exemplorum potestas hæc temporalis nitatur, exponitur, num.45. ad n.53.

Iuramentum fidelitatis, quo se solent Imperatores Papæ obstringere, exagitatur à n.54 ad n.57.

Argumentum eiusdem potestatis ex titulis Regiis à Papa datis tractatur, n.58.59.

Exempla veteris testamenti considerantur, & explicantur, præsertim Athaliæ, & alia, n.60.61.62.

Eiusdem potestatis temporalis fundamentales rationes à Bellarmino positæ extutiuntur: Prima n.64.65.66. Secunda n.67.68.69.70. Tertia à n.71. ad n.77. Quarta n.78. Quinta & vltima à n.79. ad n.80.

Noua ratio ex Hieremiæ prophetia, n.81.

Obiectio generalis proponitur, & soluitur, n.82.83.84.85.

Dubium incidens obiter, proponitur & soluitur, n.86.87.88.

Authores potestatem illam temporalem admittentes, numerantur, n.89 & excutiuntur, n.90.

Iis authores iisdem opponuntur, n.91.92.

Concilia pro eadem potestate temporali prolata declarantur, à n.93. ad finem capitis.

1. Amplum quidem sibi hoc, quod hic expendendum propono, requiret tractatum, & satis prolixam disputationem, nisi viam mihi iam præcedentibus huius libri capitibus strauissem; & multa præmuniissem, ex quibus, quid in hac re sentiendum sit, & definiendũ, facile colligi possit. Vt potius in hoc capite insistendum sit assertionibus contrariis refellendis, & diluendis obiectionibus, quam ipsi veritati vel anxie indagandæ, vel prolixe confirmandæ, nempe Ecclesiam vel Papam, vel quemcunque, aut quoscunque, in quibus sola sit Ecclesiastica potestas, nullum prorsus habere ius, nullam authoritatem in regnorum temporali gubernatione, aut in ipsos Reges, & Principes temporales; quatenus Reges sunt & Principes; supra quos, si fideles sint & Christiani, excepto animæ regimine spirituali, nullam prorsus habet Ecclesia potestatem: neq; potest illa Principes Christianorum instituere vel destituere, mutare, variare, punire, iudicare, pœnis temporalibus coercere, aut quicquam iuris temporalis in eos exercere. Hæc vniuersalissima propositio nullo negotio euidentissime colligitur ex sequentibus præmissis, quæ sunt à me diligenter tractatæ, discussæ, confirmatæ, & ab omni obiectionum contrariarum incursu, vt spero, vindicatæ. Eæ vero hypotheses sunt huiusmodi:

1. Christus Dominus, vt homo, seclusa diuina persona, tale ius, talemve potestatem in temporalibus nullam habuit. Qui, vt homo, & caput Ecclesiæ, fuit Rex tantum spiritualis, ad sola spiritualia in terras missus à Patre. Quod ergo CHRISTVS non habuit, quomodo Ecclesia habebit, vllusque ex Ecclesiæ Prælatis, quos ipse instituit, communicata eis potestate, non sane maiori, imo neque tota, aut æquali ei, quam ipse habuit vt homo? qui certe expresse dixit Petro, *Matth 16. 19* se claues Regni cœlorum, & non Regni terrarum ei traditurum. Hæc Capite primo.

2. Principes temporales à Deo immediate suam habent & accipiunt potestatem, & sunt Dei Vicarij immediati in terris, quo ad humanam politiam gubernandam. Nulla ergo potestas in terris potest auferre Principibus id, quod à Deo immediate acceperunt. Cum Princeps quilibet in sua ditione supremus, & absolutus, in temporali potestate primus sit post Deum; & solo Deo minor, & Dei locum in terris teneat. Capite secundo.

3. Potestas laica Principum, est tota diuersa à potestate Ecclesiastica cuiuscunque Ecclesiastici, imo & totius Ecclesiæ; nullamq; habet ab illa dependẽtiam, nullam subordinationem, nullam prorsus subiectionem: nullũ ergo ius, nullam authoritatem habet Ecclesiastica potestas in laicam potestatem; cum vtraq; in sua Republica sit prima, & suprema; & neutra in alteram habeat imperium. Capite tertio.

4. Ecclesiastici omnes, etiam Papa, seclusis ab eo terrenis Dominiis, in temporalibus subiecti sunt Principibus temporalibus, & eorum veri & proprij subditi. Igitur qui fieri potest, vt in eo, in quo sunt iure diuino subditi, possint dominari, & potestatem vllam temporalem in suum Dominum exercere? Capite quarto.

5. Ecclesiasticum regimen, totaque Ecclesiastica disciplina exterior, & cura circa Ecclesiastica, diligensque superintendentia Principibus plurimum commendatur; & ipsi ex officio ipsorum proprio possunt ex iusta caussa, ne detrimentum patiatur Ecclesia, & amouere & substituere Episcopos, etiam Romanum, & cogere ad bonum regimen Ecclesiæ, & punire, & Concilia conuocare, & esse iudices in moderandis Conciliis, & hæreses profligare, hæreticosque comprimere, & punire. Tantum ergo abest, vt Ecclesia possit quicquam contra Principes in temporalibus, quæ tota in temporalibus & in multis spiritualibus subest Principib. Capite quinto.

6. Ecclesiastici legibus Principum in temporalibus, imo etiam in Externo Ecclesiastico regimine ligantur; etiam ipse Papa. Quomodo ergo possunt quicquam contra Principes temporaliter, quorum legibus parere tenentur? Capite sexto?

7. A Principibus plurimum pendent electiones Prælatorum Ecclesiæ, etiam Romani Papæ; & bona temporalia ipsius Papæ & Prælatorum de manibus Principum sunt accipienda. Ipsi ergo Ecclesiastici sub potestate Principum sunt, & circa institutionem & destitutionem, & circa possessionem commodorum & bonorum temporalium; non autem Principes sub potestate Prælatorum. Capite septimo.

8. Ecclesiastici omnes, etiam Papa, tenentur esse remotissimi ab omni negotio graui temporali, quo auocentur à functione, siue in dominando ac regendo, siue in bellando, & gladio materiali vtendo: tenentur igitur etiam abstinere ab omni turbatione publica circa Regum dominia & gubernationes; & vbi carent potestate executiua, carent etiam præceptiua. Capite octauo.

9. Ecclesiastica potestas, cum sit tota spiritualis, hæc sola potest quidem in Principes tanquam fideles exerceri; sed valde tamen sobrie; & modeste, & admodum raro debet. Si ergo propriis viribus non debet in Principes Ecclesia insurgere, quanto minus poterit insurgere freta alienis nempe temporalibus? Capite nono.

Hæ præmissæ conficiunt optime, id quod proposuimus, & colligunt adeo necessario, vt nemo sane mentis, & ingenui oris, eas percipiens possit reluctari.

Hinc tamen oppugnari dumtaxat Canonistas, qui Papam faciunt directe supremum Dominum mũdi, etiam

etiam in temporalibus, per supremam suam propriam etiam temporalem potestatem, dicent moderni Theologi Papamonarchici; & conuinci, directam hanc temporalem potestatem in Reges ac Regna, & in omnia temporalia, per se quidem haud inesse Ecclesiæ, Indirectam tamen hinc potestatem non auferri contendent, quæ de se sit spiritualis, & indirectè extendatur etiam in temporalia. Sed hic est merus cauillus; omissis enim nugis Canonistarum, vident isti, Ecclesiam non accepisse à Christo nisi spiritualem potestatem, vt ego probaui, lib. 5. cap. 1. vt tamen Papam suum etiam Regibus præficiant, indirectam hanc confinxerunt potestatem, quam paulo post impugnabo. Indirectam verbo vocant, directam re ipsi faciunt; inculcant enim sæpissime illud Thomæ dictum, 2. *distinct*. 44. In Papa esse apicem vtriusque potestatis. Neque hoc volunt intelligi in solis prouinciis quibus Sedes Apostolica temporaliter dominatur, sed in toto Orbe. Et illud Pontificium; *distinct*. 22. *c. omnes*. Petro & cœlestis & terreni simul iura Imperij fuisse à Christo commissa: siue vt Gregorius Septimus loquitur, *lib*. 7. *epist*. 6. Deum B. Petro omnes Principatus, & potestates Orbis terrarum subiecisse, iusque ligandi atque soluendi in cœlo & in terra contradidisse.] Hæc enim dicta in eo sensu à Papis proferuntur, vt directe possint quicquid velint etiam in temporalibus, contra Reges, & Principes huius mundi: Certe dictum illud Nicolai de commissis Petro iuribus Imperij terreni, simul & cœlestis, ita vt verba sonant, hæresim sapere, & maxima inconuenientia illud consequi, merito affirmat Almaynus, *de potest. Ecclesi. & laic. quæst*. 2. *c*. 6.

III. Ac proculdubio, nisi Principes Christiani ingentem hanc falsitatem, si non etiam hæresim; de potestate suprema Papæ in Regna & Reges, siue directam, siue indirectam, (in idem enim recidunt, vt statim docebo) aliqua ratione iam tandem comprimant, & extinguant, aut comprimendam & exstinguendam per Ecclesiam curent, ipsimet primi sentient, pestilentem hanc doctrinam in ipsorum caput collimare, & eorum moliri deiectiones. Audiant obsecro, quo tandem perueniant scriptores amentes & effrontes iurati Romanorum Pontificum Parasiti: *Dominic. Venet. Episc. Torcell. par. 4. post conclus. 3. principalem*, Papa, *inquiunt*, est verus Dominus mundi, & verus Monarcha, & apud ipsum est vtraque monarchia. *Et*: Papa potest tollere Imperium, præsertim si videatur sibi quod aliter mundus melius gubernaretur: & quod nullus esset monarcha præter ipsum; & quod Reges immediate ipsum recognoscerent, & nullum alium superiorem. *Et*; Papa temporalem iurisdictionem habet vniuersaliter in omni loco, & potest eam exsequi. *Et*; Papa non solum potest deponere Imperatores, & Reges, verum etiam Imperium & Regnum extinguere in laicis, etiam sine caussa, & Principatus supprimere, & noua Regna aut Principatus erigere, &c.] Mitto innumerabiles huiusmodi propositiones, quas pene omnes Papæ ipsi suis decretalib. asseruerunt, *c. Licet, de foro comp. c. Solitæ de maior. & obed. c. Per venerabilem, qui fil. sint legit. c. Fundamenta de elect. in 6. Extrauag. vnam sanctam. Extrauag. si fratrum.* sanxerunt, confirmarunt. Et quamuis, vt mox differam, spiritualis hæc potestas indirecte operans, nihil minor sit, minusque possit, quam suprema temporalis directe operans: nihilominus tamen quia hi ipsi Theologi, qui hanc adhibuerunt moderationem satis friuolam, ad Papam plenissime spectare docent definitiones, & declarationes Catholicæ doctrinæ, quis impediret Papam aliquem, si is ad occupãdos terrenos Principatus etiam directe inhiet, quo minus ipsemet declaret palponũ suorum Canonistarum doctrinam de directa potestate esse veram & Catholicam, Theologorum vero esse reprobandam? Nõne eo iam deuenerat, vt fama est, Sixtus V. vt de Bellarmini operibus abolẽdis cogitauerit, quia supremam hanc ei & directam terrenam monarchiam, aut auferebant, aut aliqua ex parte imminuere videbantur? notum etiam est, quid Bonifacius Octauus & conceperat, & tentauerat.

IV. Nonne facto ipso Romani Pontifices Dominium hoc supremum etiam temporale in temporalibus & directum supra omnes Principes Christianos firmare conantur, & retinere? Profitentur enim, & libellis in vulgus edunt, singulos Principes Christianos singulis nostris Romanis Pontificibus per oratores suos obedientiam spondere, non modo in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, tanquam suo vero & legitimo, etiam quoad Regna temporalia, superiori. Quid spondeant? quid profiteantur Principes per suos legatos, cum nunquam interfuerim, mihi nunc est ignotum. Quid vero priscis purioris Ecclesiæ temporibus profiterentur Imperatores Christiani per literas, seu etiam per nuncios, aut oratores, quando Imperium vel de nouo capessebant, vel nouus Papa creabatur, optime scio. Certe nullius obedientiæ aut subiectionis sponsionem aut professionem inuenio, sed solam Ecclesiasticam communionem. Cum enim Ecclesia Romana, vt lib. 4. docui, esset nobilissima inter omnes Ecclesias Christianas, ac celeberrima ex pluribus caussis, reliquæ semper Ecclesiæ, præsertim Orientales, communionem cum illa retinere, vt vnitas Christi Ecclesiæ conseruaretur, solicite laborârunt. Hoc ipsum Imperatores Christiani, tanquam capita totius Imperij Christianorum in temporalibus, propter eandem vnitatem conseruandam, semper initio siue ipsorum Imperij, siue noui Pontificis, communionis gratia præstabant: & literæ communicatoriæ, simul cum officio congratulationis, hinc inde transmittebantur. Et quoniam communio erat in fide, iccirco tum Imperatores Papæ, tum Papæ Imperatoribus, fidei suæ professionem faciebant; vt ex tali vtriusque partis confessione, fidei vnitas & conformitas appareret, & communio inter ipsos, cum pace & charitate Christiana, cõseruaretur. Hæc omnia clarissime libris sequẽtib. demonstrabo: & partim in præcedentibus iam demonstraui.

V. Tantum igitur abest, vt imperatores hoc pacto se Papæ subiicerent in temporalibus, vt ne in spiritualibus quidem ex huiusmodi legationibus, in Papa vllum agnoscerent supremum Principatum. Conuenire enim aliquem cum alio communionis tantum gratia, hoc est, amicitiæ, pacis, vnitatis, & consensionis in fide, non est ei se subiicere; sed tantum cum illo colligari, & constringi vinculo charitatis in vna & eadem fide. Neque puto nostros nostrorum temporum Principes in hoc ab antiquo Principum Christianorum more discedere. Aut si obedientiam addunt in spiritualibus & subiectionem, id ex falsa suppositione procedit: Papam scil. esse vnicum Christi Vicarium in spiritualibus, & supremum Ecclesiæ in rebus Ecclesiasticis Monarcham. In quo tamen vitio temporum abrepti communem errorem fouent, vt iam magna ex parte in libris præcedentibus probaui, & adhuc vlterius in sequentibus probabo. Hæc suppositio etiam fecit, vt aliquando pij & religiosi Imperatores & Reges, vt Christo Domino (quem in Pontifice agnoscebant) reuerentiam suam & obsequium exhiberent, & coram ipso Pontifice se prosternerent, atque equitanti interdum ex deuotione & humilitate, ad suppedaneum stratoris officium peragerent: vt fecit Pipinus, *Anastas. in Steph.* 3. & Ludouicus, *Tegan. de gestis Ludouic. capite decimo sexto.*

Quod

Quod tamen postea tanquam sibi debitum ab Imperatoribus, morosè, & superbè admodum exegerunt Pontifices, hoc ipso se vti Dominos etiam temporales Imperatorum euehentes; & osculum oris denegantes, ad pedum oscula ipsos, & omnes Principes, imò etiam Episcopos fratres suos detruserunt: quæ omnia lib.4. discussi. Dum verò legimus: Nonnullos etiam exterarum Principes gentium, missis ad Leonem nonum, vtpote Apostolicum virum, Legatis, subiectionem ipsi promisisse: *Herman. in Chron. an.* 1030. intelligeeos fidem Christianam amplexos, in spiritualibus se Ecclesiæ tanquam fideles subiecisse. Sed iam quæ sit illa potestas indirecta inquiramus.

VI. Consideranda itaque est Ecclesiæ, seu Papæ potestas hæc spiritualis, quæ dicitur indirectè operari in temporalia, primùm in iudiciis rerum temporalium; deinde circa leges Principum temporalium; ac demum circa ipsas personas Regum & Principum, eorumq; regalem autoritatem. Sanè quoad iudicia, planum est, in laicorum laicis causis iudicandis Ecclesiam directè se nullo modo posse ingerere: ait enim Bernardus, vt iam vidimus, *de consid. lib.1. cap.6.* Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges, & Principes terræ: quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?] Item: In criminibus, non in possessionibus potestas vestra.] At nihilominus, *inquit Bellarminus de Rom. Pont. lib.5. c.6.* in casu, quo id animarum saluti necessarium est, potest Pontifex assumere etiam temporalia iudicia; quando nimirum non est vllus, qui possit iudicare; vt cùm duo Reges supremi contendunt; vel quando, qui possunt & debent iudicare, non volunt sententiam ferre.] Et affert ad hoc dictum Bernardi, quo ait: *vbi sup.* Sed aliud est incidenter excurrere in ista; aliud verò incumbere in istis.] Et Innocentij, qui dicit, *c. Per venerabil. qui fil. sint legit.* Iurisdictionem temporalem, solum casualiter Pontificem exercere. Hic ego sanè aut nullam, aut directam obseruo potestatem; nihil obliqui, nihil possum animaduertere indirecti: & longè aliud est, casualiter, quod ait Innocentius, se posse temporalia iudicare; aliud indirectè: quamuis Bellarminus suum indirecti subterfugium ex Innocentij casuali dicenti profugio. Casualiter verò nihil aliud apud Innocentium significat, quàm posse Pontificem, non ordinariè, terrena iudicare, sed extraordinariè; & in quibusdam tantùm casibus, in quibus tamen directè potestate temporali iudicat, & non indirectè spirituali. Casus verò sunt, primum cùm requiritur Papa, vt ait Glossa in dictum caput, Per venerabilem, verbo *certis causis*: Præsertim si [*c. Licet. 1. de foro cõpetenti.*] grauati à iudicibus laicis, ad Ecclesiasticos voluerint per appellationem recursum habere: vel si ad iudicem laicum aditum non habeant, & vacante potissimùm Imperio: vel si ab eo opprimantur: vel eum probent suspectum, & recusent: *c. Ex timore. & c. Ex parte, eo.* vel ille negligat iustitiam ministrare: *c. Nouit. de iudic.* vel agatur de peccato, aut iuramento, aut voto, *Innocen. 3. lib.1. epist.10.* In his enim, & similibus casibus intendit Innocentius causas ipsas seculares, & earum iudicia ad iudices Ecclesiasticos, præsertim ad Papam, deuolui. Deuolutio autem causarum nihil secum fert indirecti, sed supponit directissimam in eo potestatem, ad quem deuoluuntur; & sanè eiusdem generis, hoc est, temporalem: non tamen semper, & ordinariè, sed in solo deuolutionis casu, directè tamen, exercendam. Ita profectò Metropolitanus casualiter iudicat causas sæpissimè subditorum suorum suffraganeorum, quas nullo modo potest iudicare, nisi ad eum seu per appellationem, seu per recusationem, seu per negligẽtiam, & negatam iustitiam, seu ex aliis similibus legitimis causis deuoluantur. Factâ tamẽ deuolutione Metropolitanus directissimè eas suâ ordinariâ & ipsius propriâ autoritate iudicat: quia verè est superior suorum suffraganeorum, & in eorum subditos habet non absolutam illam quidem, sed casualem, vt dictum est, directissimam tamen & ordinariam (vt vidimus *lib.3.*) potestatem. Et quia Innocentius supponit id, quod iam falsissimum esse & nos probauimus, & Bellarminus, ac Theologi & probant, & fatentur, ipsum esse in temporalibus omnium Regum, temporalem etiam superiorem verum & directum, in solis tamen casibus deuolutionis; ideircò ait, se habere iurisdictionem casualiter, directam tamen, & ordinariam, & consequẽter de se temporalem. Sed cùm nullam habeat talem superioritatem; necessariò sequitur, ne quidem casualiter illum posse iurisdictionem in temporalia exercere; siquidem in nullo casu ad eum secularia deuoluuntur, qui secularem nullam habeat potestatem.

VII. Itaque revera in nullo casu temporali habet Ecclesia iurisdictionem; &, si illam in aliquo casu haberet, tunc directè & non indirectè illam in eo exerceret. Non negabo tamen, posse laicos, siue voluntariè ad Ecclesiastica iudicia pro suis controuersiis secularibus, iuxta Apostoli documentum, 1. *Cor.6.1.* & antiquum Ecclesiæ morem, confugere, vt per modum compromissorij pacti, siue, vt loquuntur, arbitramenti à viris Ecclesiasticis controuersiæ illæ componantur; siue ex Principum concessione, priuilegiis, & delegatione, vt postea *lib.10.* tractabo, sicubi adhuc illa maneat, ad eosdem pro iudiciis recurrere. Quod autem Principes attinet, cùm supra se nullum habeant in temporalibus iudicem, aut superiorem: animaduerto eos inter se dissidentes aliquando solere suas controuersias Papæ, tanquam communi Patri, & amico, per modum arbitrij decidendas committere. Sed ad hoc Principes posse à Papa, tanquam iudice proprio, siue directè, siue indirectè cogi, & nego, & pernego: Sicut in arbitrorum sententia nego indirectam exerceri iurisdictionem: Arbitri enim ex compromisso directam acquirunt iudicandi potestatem. Ac certe directam, & non indirectam se habere potestatem illam casualiter Innocentium prætendere, conuincitur ex loco, quem affert satis distorte ex Deuteronomio. Quando enim inferiores Iudices variabant in alicuius controuersiæ decisione, neque illam sciebant, aut poterant decidere, tunc ad Sacerdotes erat recurrendum, *Deut.17.9.* Qui sane deuolutas ad se causas directissime ex directissima & suprema, quam habebant, potestate, definiebant. Ex hoc tamen Deuteronomij loco, nihil pro iurisdictione siue temporali, siue spirituali Papæ solius posse colligi, docui fuse *lib.1. c.12. numer.38. & seqq.* vbi ostendi, illud fuisse Concilium quoddam, ex sacris & prophanis simul personis conflatum, ad omnes grauiores causas vtriusque fori decidendas.

VIII. Illud itaque, quod ponit Bellarminus, stare non potest; nimirum, posse Papam, in casu, quo id animarum saluti necessarium est, assumere temporalia iudicia. Primùm enim non video, quando possint iudicia temporalia ad salutem animarum esse necessaria. Esto namque Princeps & Iudex laicus, aut negligat iustitiam ciuilem ministrare; aut inique iudicet; quid hoc, obsecro, ad salutem animarum eorum, quibus fit iniuria, vt pro eorum salute debeat Pontifex iudicia illa assumere? ne ex remotis quidem potest hîc salus prætexi animarum: neq; Innocentius, quem pro huius rei confirmatione producit Bellarminus, suum illud *casualiter*, explicat, vbi salus ita requirat anima-

rum; sed vbi causarum ad ipsum, tanquam ad legitimum superiorem, fiat deuolutio. Et profectò Bellarminus asserens, Papam assumere posse iudicia temporalia, vbi necessitas id requirat salutis animarum, ineptum attexit huius rei exemplum, quando nimirum non est vllus, &c. nam etsi nullus sit, qui ex officio & autoritate iudicare possit, aut velit ciuilia, vt quando duo supremi Principes contendunt, salus tamen animarum nihil inde patitur; & tunc arbitria locum habent, quæ periculis omnibus possunt occurrere. Sin ex charitate se Papa intromittat, optimè faciet, vt amicus & pius pacificator, aut mediator, non vt iudex, & superior; siquidem talem nunquam habet vt propriam potestatem. Deinde in hoc ipso casu, vbi Ecclesia hæc exercet iudicia, nihil indirecti apparet, vt constat ex sequentibus.

IX. Possunt interdum inter se Principes Christiani, quisque in sua ditione supremus, dissentire de temporalibus, & contendere, indeq; ad arma consurgere: ex quo ne scandala excrescant, & sanguis fundatur Christianorum, aliaq; grauia peccata committantur, quis dubitat posse & debere Prælatos Ecclesiasticos, & præsertim Romanum, propter maximam, quâ pollet in Ecclesia sui Patriarchatus, autoritatem, operam suam sedulò interponere, vt pax inter illos conciliatur, imò etiam, dummodò rem Dei, & pacis, non suam agat, si aliter non possit, & prudentia ita dictet, censuris eos terrere, ac adigere, vt vel acquiescant; vel suas controuersias alicui, si velint etiam ipsimet dirimendas committant? In quo genere, sicut laudo efficaces literas Romanorum Pontificum ad Principes inter se discordes, etiam comminatorias sæpissimè datas, ita verba illa, quæ solent apponere (*præcipimus & mandamus*) laudare nullo modo possum. Stylus enim ille Imperatiuus & Imperatorius superioritatem in temporalibus præ se fert non exiguam, quam vt ferre possint cordati Principes non video. Ecclesiastico Pastori satis est adhortari, & monere, si id non fecerint, quod constat esse ex pietatis regula necessarium se ad censuras accipiendas compulsurum, ne sanguis innoxius fundatur. Sed in hoc nullam prorsus exercent in temporalia potestatem, neque directè, neque indirectè; sed suam, hoc est, Ecclesiasticam exercent directè, non in Reges, vt Reges sunt, sed in Reges, vt Christiani sunt, & fideles; qui in administrandis suis Regnis, defendendis, & conseruandis, tenentur à peccatis, iniuriis & scandalis abstinere; & armis ius suum tueri non debent, nisi quando pacatiori viâ idem consequi non possunt. Sin Rex, vt Christianus nolit recta monenti hortantiq. parere, potestas, siue actio omnis Ecclesiastica terminatur in persona monita, ibiq; se sistit, nec vllo modo seu recto, siue obliquo ad rem illam temporalem, de qua quæritur, se potest extendere. Quod si in his Papa, vel alius Prælatus, ex consensu partium fiat arbiter: tunc iudicium erit ex potestate temporali per compromissum acquisita; & directum, ex potestate naturali, quam quisq; habet de rebus suis disponendi, siue disponentem eligendi; non indirectam, ex potestate vlla spirituali, quæ in iudice assumpto resideat ante ipsam causæ compromissionem.

X. Quantum ad leges, fatetur Bellarminus *de Rom. Pont. lib. 5. c. 6.* non posse Papam, vt Papa est, ordinariè condere legem ciuilem, vel confirmare aut infirmare leges Principum: posse tamen hæc omnia, si aliqua lex ciuilis sit necessaria ad salutem animarum, & eam Reges nolint condere; aut si alia sit noxia saluti animarum, & tamen Reges nolint eam abrogare.] Affert ad hoc regulam Glossæ ad cap. Possessor. in sexto: vt per legem Pontificiam abrogata censeatur lex Imperialis, si hæc concernat periculum salutis animarum? Vt cap. fin. de præscriptionibus.] Sed & in hoc primum eandem, quam suprà inuenio difficultatem; quî fieri possit, vt lex vlla ciuilis sit necessaria ad salutem animarum: lex enim purè ciuilis non extenditur ad supernaturalia, sed merè naturalia ac ciuilia. Et quamuis possit contingere, vt lex ciuilis feratur, quæ seruata foret noxia saluti animarum, vt si vsuras approbaret, vel concubinas, vel iniusta præciperet homicidia, vel latrocinia, & similia: eius tamen abrogationem ad salutem animarum ego absolutè necessariam esse non arbitror: talis enim lex, etiam sine abrogatione, Christiano non est seruanda. Quid ergo illa obest saluti animarum, si in tua potestate est, eam non seruare? & si cogat Princeps, imò Tyrannus, iam nouit Christianus, quid sit agendum, qui semper habeat paratum illud; *Act. 5. 29.* Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.] Ecclesiæ porrò officium erit, si aliquam legem ciuilem nouerit vtilem & commodam fore pro salute animarum, rogare Principes vt eam ferant: ità enim tota semper seruauit antiquitas, vt ostendi *suprà cap. 6.* Imò in rebus etiam Ecclesiasticis, sed externis, vt pro hæreticorum cohibitione, pro fidei conseruatione, pro canonum obseruatione, pro disciplina Ecclesiastica, Episcopos sanctissimos leges ab Imperatoribus & Regibus impetrare solitos, reddidi manifestissimum. Si verò ferretur lex aliqua fidei, religioni, cultui diuino, & bonis moribus præiudicialis, eius abrogatio similiter est petenda. Imò addo, vbi opus est, etiam pœnis Ecclesiasticis vrgendos adigendosq; esse Principes (nisi pia, & salutaris prudentia obstet) ad eam abrogandam. Ecclesia verò nunquam eam potest abrogare, si Princeps etiam monitus velit tamen eam vigere. Exemplum præclarissimum vidimus *suprà cap. 4.* in Gregorio promulgante legem Mauritij, etiam quam iniquam esse apertissimè, & saluti animarum valdè noxiam, querebatur. Et, si censuris Ecclesiasticis adactus Princeps ab Episcopo legem suam abrogauerit, aut aliam tulerit, hoc nullum dicit imperium Ecclesiæ in Principes temporale, nec in Principum temporalia, neq; directum, neq; indirectum, sed merum Ecclesiasticum, idq; in solam Principis personam, vel potiùs animam. Ecclesia enim Principes fideles regere potest, & debet, vt toties dictum est, circa vsum, vel abusum ipsorum potestatis. Neq; potuit Bellarminus à Barclaio conuictus negare, Ambrosium spirituali, non temporali vllâ potestate imperasse Theodosio, vt legem quandam ciuilem ferret. Ille sicut serpens ictus versat se quidem in omnem partem, sed tandem concidit exanimis. Non vtiq; negamus, *inquit contr. Barcl. c. 39.* legem illam à spirituali potestate Episcopi fuisse imperatam: sed ostendere volumus, posse Principes Ecclesiasticos, non solùm in foro interno, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de temporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent. Certè enim quâ potestate S. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si à vinculo anathematis solui vellet, ad legem illam politicam ferendam: eâdem potuit eundem cogere ad aliam legem politicam saluti necessariam ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifestè colligitur, *inquit*, multo maiori ratione potuisse Pontificem Maximum Ecclesiæ vniuersæ Præsidem, imperare Principibus temporalibus, sub anathematis pœna, vt leges politicas spirituali bono necessarias ferant: & contrà, vt eas abrogent, quæ spirituale bonum impediunt. Atque hoc modo spirituali potestati temporalem potestatem esse subiectam.] Hactenus Bellarminus, de potestate Ecclesiæ, circa leges ciuiles.

XI. Pu-

XI. Putauit obiecto nomine fori externi, se vulneri remedium attulisse; nihil tamen profecit. Nam forum etiam illud externum, vbi agitur vel de excommunicatione, vel de publica pœnitentia, totum est Ecclesiasticum. Et neq; directè neque indirectè in tali foro exercet Ecclesia iurisdictionem vllam in temporalia. Iniungit enim pœnitentias salutares, vel corporis afflictiuas, vel eleemosynarum, vel alterius cuiuspiam actionis externæ & temporalis; & tunc corpus pœnitentis, pecunia, & quæcunque actio humana & temporalis, non sunt illa, circa quæ occupatur proximè Ecclesiastica iurisdictio; sed sunt vel obiecta, vel materia, circa quam occupatur actio ipsius pœnitentis voluntaria, & nullo modo coacta. Ecclesia enim inducit tantùm, vt ille velit: & ex sola præcipit hypothesi, Si vis absolui, fac hoc; ille verò liber est, vt faciat, vel non faciat, velit aut nolit absolui. Et si nolit, nihil ampliùs potest in eum Ecclesia, quæ sane coactionem nullam in suos fideles habet; sed volentibus duntaxat præest, vt clariùs etiam in superioribus *lib. 5. c. 2. & 7.* est explicatum. Et nulla prorsus adest hîc subiectio potestatis temporalis ad spiritualem; sed homo fidelis habens potestatem temporalem, regi debet à spirituali, circa suæ potestatis vsum, vel abusum. In toto itaque hoc negotio, quantum ad leges, positis his omnibus, quæ ponit Bellarminus, nihil prorsus habetur, quomodo aut directè, aut indirectè possit Ecclesia suâ Ecclesiasticâ potestate leges vllas ciuiles aut ferre, aut abrogare: aut quomodo etiam possit vel directè, vel indirectè præcipere, & cogere, vt illæ à Principibus vel ferantur, vel abrogentur. Potest tantùm, & sane directè, præcepto Ecclesiastico, hoc est, libero & haud coactiuo, monere, rogare, regere, ac sub diuini iudicij interminatione indicere Principibus fidelibus, vt legem talem ferant, vel talem abrogent: hoc tamen non nisi ex summa, vera & reali necessitate, & cum magna prudentia, circumspectione, & modestia faciendum.

XII. Ad illud, quod affert ex Glossa, de abrogatione legis de præscriptionibus: Respondet Maior hoc pacto: [*in 4. distinct. 24. q. 3. Et Almayn. de domin. nat. ciu. & Eccles. conclus. 2.*] Quamuis autem leges ciuiles de præscriptionibus tollat Papa, *vt in c. fin. de præscript.* vel aliquas alias; hoc non arguit Pontificem habere dominium super Reges: sed idcirco facit, quòd lex illa nutrit peccatum; & actus ille non est iurisdictionis ciuilis, sed Ecclesiasticæ, ad quam spectat, singula peccata salubri remedio cohibere. Alioquin nullam legem ciuilem tollere potest, vt dicit Glossa, in regula, *Possessor.*] Si tamen ex prohibitione peccati, quam facit Ecclesia, in præscriptione malæ fidei, Lex ciuilis talem approbans præscriptionem tota concideret, & vim suam amitteret in foro ciuili, proculdubio hoc esset, Ecclesiam indirectè habere potestatem in leges ciuiles, ad eas abrogandas. Et hoc puto intendere Bellarminum. Sublatâ enim actione peccati, quod aliquo modo aufert Ecclesia sua Ecclesiastica potestate, oblique ac indirectè & consequenter auferri necesse est legem illam, quæ actionem peccati fouet & tuetur. Ego tamen non puto, legem talem, si qua esset, per illud Papæ decretum infringi, & annullari, neque directè, neque indirectè; sed tantùm doceri fideles, vt caueant sibi ab illa lege, ne eius vtantur beneficio: quia peccaret, qui illâ vteretur. Lex tamen manet in suo robore, donec à Principe abrogetur. Fatetur hoc Glossa *in illud idem cap. fin. de præscript.* nimirum per illud capitulum legem ciuilem non infringi, neque aboleri: imò in iudicio ciuili, ait, tunc seruari legem ipsam ciuilem, etiam post datum illum canonem. Quamuis Christianus deberet sequi canonem, & à beneficio legis abstinere, quæ illum à peccato non excusat. Hic etiam erit sensus Glossæ in regulam *Possessor*: vt vbi sunt contrariæ leges, canonica & ciuilis, si ciuilis seruari non potest nisi cum peccato, quòd illa foueat & præcipiat; tunc fideles ipsos teneri abstinere ab illa lege, & sequi canonem. Qui tamen canon legem illam non abrogat, sed legis illius vsum aperit non licere sine peccato. Lex tamen illa, donec ab habente authoritatem, hoc est, à Principe laico abrogetur, viuit vigetque, & fortasse iudex secundùm illam iudicando non peccabit. Aliud est, nauiganti ostendere scopulum, vt ab eo caueat; aliud, tollere penitus scopulum: Ecclesia indigitat periculum peccati in lege latens, sed non tollit legem. De legum tamen vi & abrogatione aliàs.

XIII. Propterea etiam sanctio illa Iulij secundi in Concilio Lateranensi, *sess.* 4. qua Francicam Pragmaticam nisus est, sed frustrà, abolere, nullam aliam vim habere potuit, nisi vt vsum ipsius fidelibus interdiceret, & illi ab eius vsu, vbi peccatum adesse sufficienter ab Ecclesia fuisset declaratum, cauere tenerentur: Ipsa tamen interim viua & integra permansit, donec Leone X. adnitente [*Concil. Lateran sub Leone X. sess. 11.*] Franciscus Rex ipsius moderationem potius, quàm abrogationem admisit, ad conuenta seu concordata deueniendo. Quod si quis mihi obiiciat decretum Clementis quinti, [*Clem. Pastoralis, de sent. & re iudic.*] quo sententiam Imperatoris Henrici, quâ condemnauerat Robertum Siciliæ Regem, ad suam reuocauit censuram, eamque iudicialiter & solenniter per publicam sententiam cassauit, irritauit, & aboleuit, nullamq; & inualidam declarauit; Respondebo ex lege talionis, nempe etiam Imperatorem reperiri, nimirum Ludouicum Bauarum, qui processus Ioannis XXII. & contra se latam sententiam, solennissimè per sententiam iudicialem, non multò pòst, par pari reddendo cassauit & aboleuit. Et quoniam decretum Clementis cuique obuium est, in Corpore Iuris Canonici; Ludouici verò non ita; operæ pretium esse duxi, hîc illud integrum exscribere, vt facta comparatione Lector iudicet, vtrius actus firmiùs iuri consonus: nam factum vtriusque cernimus: de iure verò meum non est nunc disputare. Factum facto oppono: nam fortasse vtriusque præsumptum est, & attentatum. Ludouici decretum est huiusmodi à Nauclero relatum: *gen. 45. ann.* 1338.

XIV. Ludouicus quartus, Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus: Vniuersis & singulis Regibus Christianorum, ac Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, quocunque honoris præfulgeant culmine; & cæteris Ecclesiarum Prælatis: necnon secularibus Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectoribus, Iudicibus, Prouincialibus Ciuitatum, Terrarum, Romano Imperio subiectarum, & ipsorum cuilibet, incolis & habitatoribus, ac omnibus & singulis Christi fidelibus, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, gratiam suam, & omne bonum. Fidem Catholicam, quam Sancta Mater Ecclesia docet & tenet, firmiter credentes, fideliter confitentes, & ipsius Ecclesiæ doctrinam in sacris canonibus traditam sequi volentes, quibusdam allegationibus, impugnationibus, & oppositionibus, quæ contra nos, & electionem, ac promotionē de nobis factam ad culmē dignitatis Imperialis, & contra Imperialem auctoritatem & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, duximus in his scriptis respondēdum. In primis cōtra nos, & Imperialem auctoritatē, dignitatē, potestatē, & ius Imperij allegatur; Quòd potestas

& aucto-

& auctoritas Imperialis eſt à Papa, & electus in Regem Romanorum, ex ſola electione non eſt, nec dici poteſt verus Imperator, nec habet poteſtatem iuriſdictionis, & antequam inungatur, conſecretur, & coronetur, Papa in temporalibus etiam habet plenitudinem poteſtatis. Ad quod reſpondemus, hanc oppoſitionem ſacris canonibus, iuri ac rationi obuiare; ſicut expreſſe patet in c. *Cùm ad verum.* & c. *Si Imperator.* 69. diſt. Vbi habetur, quòd nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperij ſibi vſurpare debet. Vbi Gloſſ. dicit: Quòd iſtæ poteſtates ſint diſtinctæ: & quòd neutra dependet ab altera: Imperator enim non habet Imperium à Papa, ſed à ſolo Deo: 3. diſtin. cap. Legimus. Vbi text. quòd exercitus facit Imperatorem; & Gloſſ. ibi dicit, eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmatur. Probatur idem in c. *Quoniam.* 10. diſtin. Quem text. ponit in longum; infert, quòd Papa non habet vtrumque gladium: alioquin ſi Imperium haberetur à Papa, in temporalibus ad Papam poſſet appellari: quod prohibuit Alexander Papa, dicens, illa temporalia habere ſuam iuriſdictionem, de appell. *Si duobus.* c. *Cauſam, ſi que ſin. Sunt.* & ibi. Gloſſ. facit & Text. in c. *Quod iure.* 8. diſt. & c. *Nouit.* de iudic. Ex quibus concludit, quòd poteſtas Imperialis eſt immediatè à Deo; & Imperator ex ſola electione, antequam inungatur, aut coronetur, habet poteſtatem Imperialem: nec Papa habet in temporalibus dictam poteſtatis plenitudinem. Secundò obiicitur nobis, quòd Ioannes XXII. per ſuos proceſſus caſſauit ac annullauit electionem de nobis factam; & nos poſtea adminiſtrare non potuiſſe iura Imperij; ſed adminiſtratio ad ipſum Papam pertinebat de iure. Quæ omnia ſunt contra iura Imperij, & contra iura & libertates eorum, ad quos, vacante Imperio, pertinet electio: & contra iura ac libertates Principum Alemaniæ, & ſubditorum Imperij, contra conſuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Inſuper per proceſſus ſuos, bullas, aut literas, quas dicitur per mundum direxiſſe, in quibus aſſerit, ſe totam Italiam ab Imperio & Regno Alemaniæ ſeparaſſe: Inſinuans quòd Papa eſt Dominus vniuerſalis, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus. Ad quæ omnia diximus reſpondendum, quòd dicti omnes ſui proceſſus, aſſertiones, & literæ, & circa prædicta geſta ſunt atque fuerunt nulli & nulla, nullius roboris vel momenti, rationibus infrà ſcriptis. Prima ratio: Quòd Papa quantumcunque legitimus talem poteſtatem in temporalibus, maximè ſupra iura Imperij non habeat; clarè determinant iura ſuprà allegata: vnde quicquid dictus Ioannes XXII. fecit in prædictis, tanquam à non ſuo iudice factum, nullius fuit roboris, vel momenti. 2. q. 1. c. *In primis.* de iudic. At ſi clerici. cum ſimilibus. Secunda ratio ex eo, quòd dicti proceſſus, imò verius exceſſus, contra nos & in præiudicium enorme noſtri, & illorum, qui nos elegerunt, & aliorum Principum Alemaniæ, ac totius Imperij, ex notoriè falſis cauſis, & nullo iuris ordine ſeruato, nobis & aliis, quorum intererat, abſentibus, & nullo modo legitimè citatis, emanarunt; ſunt ipſo iure inualidi, nulli, nullius roboris vel momenti. 3. q. 9. per totum. vbi dicitur, quòd omnia, quæ contra abſentes in omni negotio aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquam obtinent firmitatem. Non obſtat autem, ſi dicatur dictus Iohannes Auinione exiſtens cum ſua curia, per literas, quas dicitur ad fores Eccleſiæ publicaſſe, & abſentes citaſſe; quoniam talis citatio in ſimili negotio eſt nulla, nec dicenda legitima; rationibus infrà ſcriptis. Prima, quia ſecundum iura ad hoc, vt citatio dicatur legitima, neceſſe eſt, quòd citandus perſonaliter citetur, ſi inuenitur, aut publicetur ad domum: aliàs contra ipſum non poteſt procedi: Probatur 4. q. 5. c. *Quiſquis.* de dol. & contum. c. cauſam. de cleric. non reſid. ex tuæ. cum vulgaris iuribus. Secunda ratio, quia ad hoc vt citatio arctet ad veniendum, neceſſe eſt vt aſſignetur citato terminus & locus ad comparendum ſecurus, prout probatur c. *Ex parte.* de app. 3. q. 9. *Hortamur.* Vt lit. non conteſt. *Accedens.* ff. de iudic. *Si locum.* Sed notorium eſt, quòd dictus Ioannes tàm nos, quàm noſtri Imperij fideles, & amicos odio capitali, & etiam hoſtili exercitu perſecutus eſt. Ciuitas verò Auinionenſis? & ipſe Papa, ac Dominus Ciuitatis, nos, & Rom. Imperium habebat odio, ex antiquo. Quare deſiperet, qui diceret, talem citationem aliquo modo fuiſſe canonicam; Imò irrita fuit & nulla. Tertia ratio; quia nullus in propria cauſa debet eſſe iudex, vel ius ſibi dicere. 23. q. 4. *Inter querelas.* C. ne quis in prop. cauſ. in rubro & nigro. Sed notorium eſt; quòd dictus Ioannes contendebat, ſe etiam in temporalibus; & in nos, ac in totum Imperium habere plenitudinem poteſtatis; & quod contra nos, ac iura Imperij de facto mouebat, & iura Imperij vſurpare conabatur; & vt hoſtis perſequi curabat: Vnde & contra eum, tanquam aduerſarium, & hoſtem noſtrum & Imperij, pro defenſione noſtra, & fidelium noſtrorum appellauimus ad futurum generale Concilium, in loco tuto & ſecuro celebrandum. Igitur, & cætera. Tertiò obiicitur contra nos, quòd dictus Ioannes XXII. tàm in nos, quàm in omnes ſequaces & fideles noſtros, habentes; & tenentes nos pro Imperatore vero, & legitimo; & nobis tanquam Imperatori reuerentiam exhibentes, & in omnes admittentes nos ad diuina, ſeu participantes nobiſcum, fulminauit execrationis ſententiam, & interdictum in Vniuerſitates: & dicitur, quòd ſententia Paſtoris, ſiue ſit iuſta, ſiue iniuſta, ſeruanda eſt, & tenenda. Ad quæ reſpondemus, quòd ſecundùm ſacros canones, ſententia, & proceſſus huiuſmodi fuerunt, & ſunt nulli, & nullius momenti: Quod probatur rationibus. Prima ratio: Certum eſt, quòd cùm Prælatus Eccleſiæ in ſuo mandato excedit formam & poteſtatem à ſacris canonibus ſibi traditam, in contrarium facientes non incurrunt ſententias, &c. Probatur per c. Cùm ad quorundam. de exceſſ. Prælat. Nam ſacri canones & Eccleſia prohibent ea, & non concedit Papæ ius Imperij, & poteſtatem in temporalibus: Sed Ioannes XXII. ius & poteſtatem Imperij ſibi vſurpare nitebatur; ergo, &c. & hic eſt vnus ex caſibus, in quibus execrationis ſententia non eſt aliquatenus timenda, nec obſeruanda. Secunda ratio: Certum eſt de iure, vbi error eſt expreſſus in ſententia vel mandato, ſententia eſt ipſo iure nulla: Puta præcipit ſubdito, vt non obediat ſuo ſuperiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra Sacram Scripturam: pro quo. 11. q. 3. c. Si is qui cum duobus. Et idem eſt, vbicunque ſententia eſt ipſo iure nulla. Probatur in c. *Per tuas.* de ſent. excomm. de procur. *In noſtra præſentia.* cum ſimilib. Sed manifeſtum eſt, quòd dictus Ioannes mandauit, vt non obediatur nobis, cui omnes ſubiecti Imperio obedire, & reuerentiam exhibere, ſecundùm diuina & humana iura debent. Et quòd hoc fecit, volēdo ſibi ius Imperij in temporalibus vſurpare: Quod eſt contra Deum, & omnem iuſtitiam. Ergo, &c. Tertia ratio: Manifeſtum eſt, quando ſententia execrationis, vel interdicti fertur poſt appellationem legitimam, quòd tunc eſt nulla, nec timenda, nec obſeruanda. Probatur de offic. deleg. *Cùm Abbas.* de ſentent. excom. *Per tuas.* & in Gloſſ. Sed manifeſtum eſt, quòd nos contra dictum Iohannem, & proceſſus ſuos con-

tra

tra Deum & iustitiam in nos fulminatos, appellauimus ad futurum Generale Concilium, & ad sanctam Catholicam Ecclesiam: quæ appellatio fuit ad ipsius Iohannis notitiam deducta, prout constat legitimè: & quod ipse postea contra dictam appellationem promulgauit contra nos, fideles nostros, & nobis consilium, fauorem, & auxilium præstantes. Ergo, &c. Nec obstat, si dicitur, quòd Papa non habet superiorem; & sic non possit ab ipso appellari: quoniam manifestum est, secundùm doctrinam Catholicam, quòd Papa, vbi de fide agitur, subest Conciliis. 16. distinct. Sicut. in Text. & in Gloss. 25. q. 2. *Sunt quidam*. 19. dist. *Anastasius*. 40. dist. *Si Papa*. Item vbi de iure diuino agitur, Concilium est supra Papam, iuribus alleg. Cùm autem pro defensione iuris Imperij, quod à iure diuino, & fide Catholica pendet, appellauerimus, sequitur, quòd appellatio nostra interposita fuit ad superiorem; id est, ad Concilium generale, contra aduersantes nobis, & nos, ac Imperium, & fidem Catholicam, quam Sancta Romana tenet Ecclesia, impugnantes. Quamobrem de consilio ac consensu Prælatorum omnium, & Principum Alemaniæ congregatorum in Oppido nostro Francofurt, denuntiamus & decernimus processus huiusmodi nullos esse, & nullius roboris, aut momenti. Ac vniuersis & singulis sub nostro degentibus Imperio, cuiuscunque status & conditionis fuerint, districtè præcipimus, & mandamus, quatenus nulla singularis persona, aut communitas, dictas sententias execrationis aut interdicti præsumant obseruare. Quicunque autem contrafecerit, eum omnibus feudis, quæ teneat ab Imperio, & omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus, & emunitatibus priuamus. In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri fecimus, & nostra Imperialis Maiestatis bulla iussimus communiri. Dat. in Oppido Francfurt, præfatis Prælatis, ac Principibus ibidem nobis assistentibus. Die 8. Mensis August. Ann. Dom. 1338. Ind. 6. Regni nostri anno 24. Imperij verò 11.] Hactenus Decretum Ludouici Imperatoris.

XV. Quantum denique ad personas, fatetur Bellarminus *de Rom. Pont. lib. 5. c. 6.* in Papa non esse ordinariam autoritatem deponendi Principes, etiam iusta de causa, & modo, quo deponit Episcopos, vt iudex ordinarius. Posse tamen, ait, Papam mutare Regna, & vni auferre, atque alteri conferre, tanquam summum Principem spiritualem, si id necessarium sit ad salutem animarum. Et in huius rei probatione versatur non parum. Cuius probationes inferiùs ad trutinam reuocabo. Nunc tamen indirectam hanc potestatem deponendi Principes, neque intelligi, neque defendi posse ostendo; sed eam esse merum figmentum; & naufragij scopulum in Ecclesia Christi perniciosissimum. Assumo igitur, & vt probatum cumulatissimè, & ex sponte ab Hieromonarchicis ipsis Theologis concessum, & cõfirmatum; In Ecclesia nullam prorsus, vel minimam esse temporalem potestatem, circa temporalia, ac præsertim circa dispositionem Regnorum temporalium; sed quicquid potest Ecclesia, id totum sola sua spirituali posse autoritate. Canonistarum enim ineptias, quas (heu!) Theologi nonnulli quoque sunt secuti, penitus contemnimus, neq; impugnatione nostrâ hic esse refellendas censemus; siquidem Bellarminus ipse contra eos egregiè pugnauit, falsitatisq; solidè ac manifestò conuicit. Nunc itaque videndum, quomodo spiritualis potestas possit se ad temporalia extendere. Directè enim & proximè id eam non posse, & est manifestissimum, & concessum, tàm vniuersè, quam singulariter: hoc est, Ecclesiam nihil posse authoritatiuè propriâ potestate spirituali, siue in omnia negotia temporalia, siue in aliqua: & siue limitatè, siue illimitatè, & siue indifferenter, siue in certis tantùm casibus: Vt puta si dicas, posse eam Reges destituere pro quacunq; causa iusta; aut non nisi pro hæresi, aliaq; simili causa ex grauissimis, & specificè nominatis. Atque hoc pacto auferimus, etiam, velint, nolint, consentientibus Theologis Papalinis, limitationem illam Innocentij, (*casualiter*) quatenus ponit in Ecclesia potestatem temporalem, quæ sola directè possit in temporalia, & in Principes, ratione temporalium, in certis tantùm casibus & occasionibus. Directè enim circa temporalia, non nisi temporalis potestas vim exercet: quæ cùm in Ecclesia non sit, (quicquid nugentur Canonistæ) neque directam actionem habere potest vnquam Ecclesia in temporalia, ac potissimùm in Reges temporaliter.

XVI. Indirectè igitur, si illa potest aliquid, id nullo modo possumus intelligere, nec explicare, nisi quòd interdùm contingere possit, vt Ecclesia suâ potestate spirituali aliquid efficiat directè & spiritualiter, ad quod necessariò & consecutiuè alius etiam effectus consurgat in temporalibus, quem Ecclesiæ potestas per se & directè & proximè attingere non poterat; & si secutus estis, remotè tantùm & obliquè ac indirectè est secutus. Sicut cùm quis directè suffuratur aut eripit egeno & famelico necessaria alimenta, & ille fame pereat, is profectò directè furtum tantùm vel latrocinium committit; indirectè verò etiam homicidium. Et si iste potuit ex aliqua causa licitè auferre illa alimenta directè, potuit profectò etiam licitè hominem illum fame necare, & illius esse homicida, sed indirectè. Neq; valet quorundam oppositio, qui dicũt, & sic vrgent: [*Barcl. de pot. Pa. c. 3.*] Quod non licet alicui directè, neq; licere potest indirectè.] Nam in casu proposito ille non potest directè egenum illum necare, potest tamen indirectè; auferendo enim illa alimẽta, puta quia ipsius sunt, & ille ipsis eget, eorumq; habet extremam necessitatẽ, licitè aufert; etsi inde mors sequitur alterius, hoc ex accidẽti: cuius tamen mortis directè & per se nõ poterat iste esse causa. Ita in nostro negotio, si Ecclesia ex iusta causa sua vteretur in Regẽ potestate spirituali per actus suæ spiritualis potestatis proprios, puta excommunicatione; & excommunicatio necessariò secum ferret Regni priuationem: proculdubio Ecclesia directè excommunicando Regem, indirectè etiam Regem priuaret. Et quamuis Ecclesia non possit licitè directè Regem priuare, suo tamen licitè fungens munere directè excommunicando, si inde necessariò consequatur priuatio, quod spectat ad Ecclesiam, illa licite priuat Regem, sed indirecte. Sic actionem indirectam sumit, & explicat ipsemet Bellarminus *de indulg. lib. 1. c. 6.* vbi Ecclesiæ potestatem extendit etiam ad pœnas inferni remittẽdas, sed indirecte, dum videlicet directe absoluit à peccatis, quibus debentur pœnæ æternæ; inde enim ex necessitate sequitur, vt pœna æterna remittatur, & ideò indirecte Ecclesia pœnas quoq; æternas remittit. Probare itaq; deberẽt, ad aliquam actionem spiritualem necessariò cõsequi effectum temporalem: quod nunquam probabunt, quo ad Principum priuationem, & eorũ depositionem. Nulla enim propria Ecclesiastica actio spiritualis habet sibi necessariò adiunctam in temporalibus mutationem. Et quamuis possit pœnitentias iniungere salutares, ieiunij, eleemosynæ, peregrinationis, &c. quæ & ad corpus, & ad pecuniam pertingunt; ad hoc tamen Ecclesia non habet vim coactiuam, vt docui, sed directiuam: & ille pœnitens non necessariò, sed libere sua voluntate ad istas externas & tẽporales deuenit actiones. Imò potest Ecclesia etiam iniun-

iungere Regi, vt se Regno abdicet, si videat Regnum huic esse in damnationem animæ, nec sit spes, vt regnando saluus fiat: ad hoc tamen eum cogere non potest, & ille, si vult saluari, tenebitur ex hac hypothesi, se, sponte tamen & liberè, regno abdicare. Quod dicendum etiam est de quacunq; alia euidenti causa, vel præcipiti ac ineuitabili occasione peccati, quæ ex rebus nascatur temporalibus, ad quas Ecclesiastica non potest se extendere coactio. Quando autem Papa siue Ecclesia priuat Regem regendi potestate ex causa salutis animarum, quæro, quo actu illum priuat? Si actus est huiusmodi: *Ego tibi aufero ius regnandi*: hic actus cùm directè & immediatè attingat tanquam proprium suum effectum aliquid temporale, totus est temporalis, & consequenter à spirituali potestate non potest sic directè & immediatè proficisci. Directè ergo & non indirectè fiet hæc priuatio, quod tamen à spirituali potestate fieri non posse iam conceditur. Alius ergo actus excogitandus est, qui proprius sit spiritualis potestatis directè operantis, & nihilominus effectum priuationis rerum temporalium per quandam necessariam consequutionem pariat, & non sit iste actus hoc pacto militans, *Ego te depono*, &c. In potestate quidem laica ego facilè inuenio dari actus ipsius proprios, qui indirectè postea & consequutiuè effectus ad Ecclesiasticam potestatem pertinentes efficiant; Verbi gratiâ, sicut Ecclesia suâ propriâ spirituali potestate constituit in Ecclesia tali vel tali Episcopum, ita eadem potestate, ex causa, ab illa sede eum deponit. Si verò Princeps exilio perpetuo mulctet Episcopum, vel Papam, præsertim ex causa legitima (quod eum posse partim probaui *lib. 4. cap. 11.* partim & fusiùs probabo *libro octauo*) facit directè id, quod ipsius politica propria potestas attingit, indirectè verò & per necessariam consequutionem talem Episcopum etiam suo Episcopatu priuat, & deponit, ac de sede eiicit. Ecclesiæ etenim sine suis Pastoribus esse nequeunt: & si quis eorum suæ Ecclesiæ non potest inseruire, quippe ab ea in perpetuum ablegatus, omnino ei alius subrogandus est. Exempla multa suppetunt, vt in superioribus innuebam, *cap. 7. numer. 108. bruis*, & suo loco plenè explicabuntur. Ita etiam ostendi *lib. 5.* humanas actiones naturales, & temporales, indirectè assequi effectum spiritualem, & supernaturalem, quem directè nullo modo possint habere. Vt dum lotione corporea ministet Ecclesiæ rectè dispositi baptizati animam abluit; quatenus facta directè illa lotione, necessariò & indirectè inde sequitur, ex diuino pacto & diuina operatione, vt anima quoque à peccatis abluatur, ita de remissione peccati coram Deo per claues, *sup. lib. 5. cap. 12. num. 51.* Facilius igitur est, ostendere, ex quibusdam actionibus & potestatibus temporalibus indirectè sequi spirituales, quàm ex vllis spiritualibus temporales. Neque tunc actio, seu potestas temporalis extenditur ad effectum spiritualem: manet enim illa, & terminatur in solo illo temporali, quod directè operatur, sed ad eam consequitur diuinâ ordinatione ex necessitate & indirectè effectus spiritualis. Videamus itaque, qui sit effectus spiritualis, qui directè à potestate spirituali ita proueniat, vt indirectè & consequutiuè temporalem quoque, eumque necessariò, producat effectum.

XVII. Excommunicationem fortasse proferent: at verò excommunicationem neminem priuare suis rebus, quas possidet, temporalibus, non puto esse dubium; quamuis dicatur illa vsus quosdam interdicere, hoc est, vt sine peccato non liceant excommunicato quidam actus, qui ei alioquin licerent: possessione tamen & dominio non priuat, vt fusiùs egi *lib. 5.* Actus sanè iure diuino debiti, nullâ ratione possunt interdici, aut prohiberi; quia ius positiuum humanum Ecclesiasticum nihil potest supra ius naturæ & diuinum. Itaque sicut non potest excommunicatio prohibere, ne paterfamiliâs suam regat familiam, eamq; alat, doceat, instruat, & moderetur: ita neque potest Regi prohibere, ne suam familiam, hoc est, regnum vniuersum administret, regat, gubernet, moderetur, eis ius dicat, & id, quod iure diuino tenetur, erga eos exequatur. Nam & propterea iam vidimus *supr. cap. 8. num. 25.* in Conciliis & Doctoribus Catholicis, ab excommunicatione liberum statim censeri eum, quem Rex ad suum admiserit commercium. Et sanè ex hoc ipso capite inter alia tuentur Scholastici, Papam non posse excommunicari. Non potest (*inquit Almaynus q. de domin. nat. ciu. & Eccl. ad finem.*) Papa separari à communione fidelium: ergò non potest excommunicari. Probat antecedens: Quia cùm quis excommunicatur, eius subditi licitè cum eo non possunt communicare; sed Summo Pontifici quilibet fidelis est subiectus; ergo nullo modo potest separari à littera fidelium communione. Et confirmatur: Papa enim iure diuino tenetur quemlibet Christi fidelem pascere, & quilibet Christi fidelis ab eo pasturam accipere; quia iure diuino est ei determinata cura cuiuslibet fidelis, quando Christus dixit: *Pasce oues meas*: & à præcepto diuino Concilium vel Ecclesia soluere non potest, &c.] Quod igitur militat in Papa, imò in quocunque Episcopo de pasturâ spirituali; hoc prorsus militat in Rege de pasturâ ciuili, & temporali, vt patet.

XVIII. Aliqua sanè excommunicatione posse Reges percelli, non est dubium, vt *suprà cap. 9. n. 22. 23.* quatenus tamen excommunicatio aufert communicationem & consuetudinem cum fidelibus, illa profectò sicut patrifamiliâs nihil obest in sua familia, ita neque Regibus in suâ, hoc est, erga omnes subditos. Nam de iure diuino naturali est, vt Rex & subditorum curam gerat, & subditi ei non denegent obsequium. Quod si nobis exemplum Oziæ proferent: [*Bellarm. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 8. & contra Barcl. c. 37.*] respondebimus, iure diuino leprosum quemcunq; debuisse corporaliter à cœtu aliorum separari, & Oziam, licèt in domo vixerit separata, fuisse tamen, & nomine, & re vsq; ad mortem Regem, lepramque, ac illam separationem non abstulisse ei Regiam dignitatem: & si abstulisset, id non humanâ aliquâ sententiâ Ecclesiasticâ, & Sacerdotali, sed diuinâ speciali percussione, & diuinâ expressâ voluntate contigisset. Præterea Reges Israël bellorum potissimorum curam gerebant: iudicia verò ciuilia, & reliquum populi regimen erat penes Iudices varios, vt patet in Scriptura. Addo demum Oziam, etiamsi leprosus esset, & consequenter ex Ciuitate eiiciendus, in Ciuitate tamen mansisse vsque ad mortem, sed in domo separata, vt vidimus *supr. cap. 9. numer. 62.* ex Chrysostomo, *de verb. Isa. Vidi dom. hom. 4.* vt ne figuraliter quidē ex eo habeamus, Reges esse ex Ciuitate Ecclesiæ eiiciēdos, quantumcunque dignissimi eiectione. Miror autem, quomodo Bellarminus, Vir alioquin prudens, dixerit *contra Barcl. c. 12.* Azariam Pontificem administrationem Regni Oziæ filio detulisse: Azarias enim nullam habuit partem in illius substitutione.

XIX. Dicant mihi, quæso, potéstne Ecclesia per excommunicationem plus, quàm ei à Christo Domino datum est, & concessum ve possit? Quid ait Dominus de excommunicato, seu potiùs excommunicando? *Sit tibi*, inquit, *sicut Ethnicus & publicanus*: hoc est, ne retineas eum ampliùs in numero exteriorum

fide-

fidelium: sed cum eo loco habeas, quo habes Ethnicos. Ethnicus profectò Rex ex Ecclesia eiici potest, Regno priuari non potest, eo tantùm nomine, quòd sit Ethnicus. Princeps igitur Christianus, si est adeò malus & incorrigibilis, vt dignus sit, qui excommunicetur, eò deiicitur, vt sit perinde, ac si esset Ethnicus, & non ampliùs Christianus. Ethnicum verò esse Regem nihil impedit. Sicut Iulianus abnegatâ fide, & religione abiuratâ Christianâ, factusq; Ethnicus, ac idololatra, non propterea amisit Imperium, etiam erga Christianos; qui ei tanquam suo legitimo Imperatori parebant, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, *Rom.15.5.* Quando dicebat ille, *inquit Augustinus 11.q.3.c.Iulianus.* producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.] Et si priuatus excommunicatus nihil suorum bonorum amittit per excommunicationem; cur Princeps amittet? Non igitur excommunicationem consequitur indirectè Regni amissio.

XX. Obiicit Bellarminus iura Papalia, c. *Ad probandum*, de sentent. & re iudic. c. *Decernimus*. de sentent. excommunicat. in 6. Poterat etiam huc aduocare: c. *Exceptionem*, de except. In quibus, *inquit contr. Barcl. c.33. 36.* excommunicati priuantur, non solum spiritualiter Sacramentis & suffragiis, sed etiam commercio ciuili, ac præcipuè forensi, vt non possit excommunicatus pro tribunali sedere, & iudicare, neque subditi coram eo in iudicio comparere.] Hæc tamen me nihil mouent: Primùm, quia Papæ soli, supposita falsa ipsorum in temporalia authoritate, (non Concilia, præsertim antiquiora) post tempora Gregorij septimi, id statuerunt: Gregorius nonus, Innocentius tertius, & Alexander quartus. Ecclesiastica enim potestas in excommunicando, sicut meritò aufert ciuilem conuersationem excommunicatis, vbi ius maius iure Ecclesiastico positiuo nihil obuiet; ita non potest impedire actus iure naturæ debitos; puta regimen patris in suam familiam, & Regis in suos subditos, & iudicis in subiectos, vbi præsertim, qui suppleat pro Iudice excommunicato, non habetur. Deinde, quia Textus primus & tertius, de solis loquuntur & intelliguntur Iudicibus minoribus, & Magistratibus, ac delegatis: de supremo verò Principe nequaquam. Et meritò Princeps debet amouere Iudicem suum excommunicatum ab actu iudicandi, & substituere alium. Ipse tamen Princeps in hoc excommunicationi non subest, vt iam declaraui. Et secundus Textus nihil dicit de iudice excommunicato; sed tantùm iudicibus laicis præcipit, vt excommunicatos actores & testes à iudiciis repellant. Denique, quia, etsi ad summos etiam Principes iura hæc extenderentur, quod est falsum, nihil tamen habeteтur de priuatione temporalium. Ius enim regendi & iudicandi intactum & integrum relinquunt hæc iura in Iudice; solum vsum interdicunt. Quæ non est priuatio potestatis, sed simplex illius suspensio temporanea.

XXI. Potest, *inquiunt*, Ecclesia mali Regis & excommunicati subditos Christianos absoluere à iuramento fidelitatis, & eis præcipere, ne Regi suo ampliùs obediant, sed alium eligant, aut cui competit post illum, curent substituendum. Ex quo sequitur indirectè, vt ille per Ecclesiam priuetur.] Sed ego quæro; Potestne Ecclesia & absoluere à iuramento, & ista præcipere directè, an indirectè. Proculdubio cùm hæc plenè sint temporalia, ab Ecclesia directè præcipi non possunt, quia temporalem non habet illa potestatem: spiritualis verò potestas huc extendi non potest. Si ergo hæc præcipiet, directè præcipiet: atque ita planum erit, in hoc casu priuationem etiam fieri ab Ecclesia proximè & directè. Idem enim est auferre subditos Principi, vt eius potestati non subiiciantur, atque auferre Principi potestatem in subditos: & ita priuatio hæc non fiet indirectè, sed directissimè. Iam verò probatum est, & concessum, potestatem spiritualem directè in temporalia nihil posse: at cœcus videt hîc dari Ecclesiæ potestatem, vt directè possit præcipere merè temporalia. Regem enim vnum expellere, & abdicare, & alterius curare substitutionem, est res maximè temporalis, & nihil spiritualis. Si dicant, hoc eis præcipi, ne ab eo seducantur, & in spiritualibus, vel lædantur, vel impediantur; Respondeo, satis esse Ecclesiæ, si in tali casu moneat, & præcipiat, vt fideles Regi non pareant in illis rebus, in quibus sit peccatum, & spirituale animæ detrimentum, vt dicebat Augustinus de Iuliano; vlterius Ecclesia nihil potest. Atqui, *inquiunt*, circa vota & iuramenta habet Ecclesia maximam & propriam facultatem: Respondeo; In iuramentis promissoriis, quibus homini aliquid promittitur, etiamsi liberum quid, & non aliâs debitum promittatur, Ecclesiam nullam habere potestatem relaxandi, [*Almayn. de potestat. Eccles. & laic. q.2.c.12.*] sine consensu illius, cui facta est promissio: Potestas enim datur Ecclesiæ in ædificationem, & non in destructionem, *2.Corinth.10.8.* Et est de iure diuino naturali, vt seruentur pacta inter homines; quanto minus poterit Ecclesia quicquam contra iuramentum de re aliâs iure diuino debitâ, etiamsi nullum intercederet iuramentum, cuiusmodi est obligatio subiectionis suo legitimo Principi? Et quousque ille est ipsorum Princeps, ipsi ei iure diuino debent obedientiam. Quantumcunque igitur eos Papa absolueret à iuramento, quod tamen non potest, vt patet, manerent adhuc cum sua naturali obligatione, in quam Papa nullam habet potestatem. Priùs itaque deberet Regem deponere, si potest; & tunc posset declarare, subditos ei ampliùs suo iuramento, aut sua naturali obligatione subiectionis non teneri. Sed quàm diu ille Rex est, hi sunt eius subditi. Neque igitur ex hoc capite potest Ecclesia indirectè Reges suo dominio priuare.

XXII. Posse Ecclesiam declarare iuramenta, etiam promissoria, non esse seruanda, non videtur dubium; vt si sint de re illicita, vel fuerint priús de re licita, facta tamen fuerit postea res illa illicita. Hoc tamen non est absoluere ab obligatione iuramenti, sed declarare obligationem iam cessasse. Si tamen res iurata licita fuerit, & sit, non potest vllo modo Ecclesia in præiudicium illius, cui facta est promissio licita, tollere hanc iuratam obligationem; quia de iure diuino naturali est inter homines, stare pactis: & tanto magis si iuramenti addatur obligatio: Religio enim postulat, vt in Dei reuerentiam iuramenta seruentur; neq; potest Ecclesia contra religionem tollere obligationem. Si Deo soli fiat promissio, vt in voto, Deus fortasse censetur dedisse hanc suæ Ecclesiæ potestatem, vt possit interpretari voluntatem eius, & votum siue soluere ex iusta causa, siue mutare: Ecclesia enim, quasi in Dei locum subintrat, & de eius consensu ista facit. Sed vbi agitur de alterius præiudicio, sine ipsius consensu nemo potest licitas auferre obligationes, iuramento etiam confirmatas. Subditi porrò omnes rem licitam, imò necessariam iurant suo Principi: quàm diu ergo licita est, seruanda est: quam diu verò Princeps est legitimus Princeps; licitum, imò necessarium est ei, etiamsi hæreticus sit, in temporalibus parere, & politicis. Non ergo potest Ecclesia declarare, id

id non licere, aut factum esse illicitum: Potest tantum declarare, Principem hæreticum in hæresi non esse sequendum, neque audiendum. Et hoc nihil pertinet ad temporalia.

XXIII. Ex his conuictus Bellarminus non potuit hæc ipsa non fateri, ait enim: *contr. Barcl. c. 23.* Respondeo, quando Summus Pontifex soluit homines iuramento, non tollit ius quæsitum ex iusta & licita obligatione; sed vel declarat, obligationem & promissionem fuisse, vel factam esse illicitam; vt cùm absoluit populos à iuramento fidelitatis præstito Principi hæretico, vel qui postea in hæresim lapsus est: aut tollit vinculum iuramenti, relicta promissione in suo vigore, ad eum finem tantum, vt possit, qui promiserat, sine periculo sacrilegij, prosequi ius suum coram legitimis iudicibus.] Rem igitur licitam quanto magis, si necessariò sit debita iure diuino, iuramento adhuc magis stabilitam qui non seruat, sacrilegio se obstringit. Et obligatio per Papam tolli nō potest, nisi per solam declarationem, quòd res promissa fuerit illicita, vel facta sit postea illicita. Iam verò ostendat, si potest, obedientiam suo Principi vel esse illicitam, vel factam illicitam. Hoc sanè nunquam probare poterit: nam Principatus terrenus non fundatur in fide, neq; in gratia & charitate; nisi velit cum Armacano & Vuicleffo delirare. Capax ergo est & hæreticus, & Ethnicus dominij temporalis, & Principatus, etiam in Christianos: & quamuis non possint licitè, neq; debeant Christiani, vt dicam infra meliùs, eligere infidelem in Principē, si tamē elegerint, electio tenet, & ille potestatem à Deo accipit; & consequenter res illicita fuit illa electio; sed facta electione etiam illicita, iam obligatio sequitur & licita & debita. Et si Princeps bonus & Catholicus fiat hæreticus, vel apostata, amittit quidem ille gratiam & fidem, & charitatem, dominium tamen non amittit. Et consequenter adhuc obligatio subditorum, & licita, & necessariò debita perseuerat. Declaratio itaq; illa nullo modo fieri potest; & ita absolutio à iuramento fidelitatis à Papa facta contra Principes etiam hæreticos, aut apostatas, est maxima præsumptio, & errorem cōtinet intolerabilem, ante Gregorium septimum incogitatum, nedum usurpatum; & ab ipso Gregorio primùm cum immenso Ecclesiæ scandalo inductum; vt incredibili audacia se tollere posse obligationes iuris naturalis & diuini præsumpserit; & alij non pauci post ipsum.

XXIV. Quid ad hoc Bellarminus? Non semel, *inquit ibid.* à nobis explicatum est, id esse intelligendum de obligatione parendi Regibus, dum Reges sunt: non esse autem iuris naturalis & diuini, vt Rex non possit Regno priuari, si hæreticus efficiatur; vt ratio manifesta, & vsus frequens apertissimè demonstrauit.] De ratione hîc ampliùs nihil dico, iam enim satis fusè rationibus euidentissimis id fieri non posse ab Ecclesia, probaui, & rationem potestatis indirectæ totam conuulsi, & euacuaui: & alias, si quæ supersunt rationes, inferiùs penitus eneruabo. Vsum verò consequenter esse turpissimum abusum, liquidò constat. Sed & vsus iste, reuera abusus, non demonstrat, quod dicit Bellarminus. Is enim contendit, subditos absolui à iuramento & obligatione fidelitatis & obedientiæ, postquam Princeps fuerit Regia potestate priuatus; sed videat, quomodo processerint Gregorius Septimus, Vrbanus Secundus, Innocentius Tertius, & similes: & videbit, non vsum, quem ipse ponit, sed abusum, quem nos reprehendimus, in illis obseruari. Meminerit Decreti Hildebrandici, quod sic habet in quodam Concilio per eum Romæ celebrato: [*inter epist. Gregor. VII. lib. 6. post epist. 13. & habetur 15. q. 6. c. Nos sanctorum.*] Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excōmunicatis fidelitate aut Sacramento obstricti sunt, Apostolicâ autoritate à Sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus.] Hîc solùm excommunicationem præcedere vult, non priuationem aut depositionem. Quamuis contra Henricum Quartum ipse protulisset iam sententiam simul & excommunicationis, & depositionis: [*ibid. lib. 3. post epistol. 5.*] eandemq; non multò pòst innouârit, [*ibid. lib. 7. post epist. 14.*] Hoc tamen Decretum, cùm sit generale, solam supponit excommunicationem. Vt propterea mihi facile persuadeam, Hildebrandum, & successores in ea fuisse sententia, excommunicationem Principis secum etiam ferre necessariò depositionem. Ita etiam Vrbanus secundus [*15. q. 6. c. Iuratos.*] excommunicationi Hugonis Comitis statim subdit liberationē ab obligatione iuramenti. Et Innocentius tertius *lib. 1. epist. 38. & c. Excommunicamus. 1. de hæret.* Marcoualdum denūtiat excommunicatum; & propterea etiam subditos ipsius, qui Sacramento fuerant ei adstricti, à tali Sacramento absoluit. Imò & Aquinas his deceptus Gregorij, Vrbani, & Innocentij exemplis, priuationē posuit tanquam necessarium effectum excommunicationis, dicens: *2. 2. q. 12. art. 2.* Quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto subditi absoluti sunt à dominio eius, & à fidelitatis iuramento, quo ei tenebantur.] Maluit Theologicam, alioquin Theologus bonus, posthabere rationem, (quæ conuincit iure diuino obedientiam deberi Principi cuicunq; & fideli, & infideli, dum Princeps est, & eum ius regendi habitū à Deo non amittere, amissa fide vel gratia,) quàm factum Gregorij, Vrbani, & Innocentij reprehendere, aut respuere. Et iure non diuino, sed Ecclesiastico, vt explicat eum ibidem Caietanus, vult adnexam esse priuationis pœnam excommunicationi ob hæresim vel apostasiam. Neque voluit considerare, Ecclesiam non posse imponere pœnam temporalem, præsertim quæ sit iuri diuino naturali contraria. Excommunicationem porrò neminem regno priuare, aliove quocunq; bono temporali, iam puto à me factum esse notissimum. Ac proinde cùm Papa neq; directè & immediatè, neq; indirectè mediante excommunicatione possit quenquam Regno priuare: clarissimum relinquitur, neq; posse à iuramenti obligatione & fidelitate atq; obedientia iure diuino Principibus debita, quenquam subditorum eorundem Principum absoluere & liberare. Ecclesia Romana, *inquit Ivo epist. 195.* à Deo nullam iniustam accepit potestatem fœdera violandi, videlicet debita sua cuiq; non reddendi.] Negat q; Papam potuisse absoluere suis priuilegijs Abbatem, ne Episcopo seruet debitam subiectionem, Quātu magis id negaret circa obedientiam & subiectionem diuino iure naturali Principibus debitam?

XXV. Si dicas, posse Papam contra malum Principem & excommunicatum, monere alios Principes, & prouocare; solicitareque subditos ad rebellandum, consilioque & adhortatione ad illius depositionem concurrere; hoc nihil est: nam esto, possit hoc de facto saltem, hoc non est posse, neq; directè, neq; indirectè Principem illum deponere: idem enim potest quilibet alius etiam priuatus, non modò Sacerdos, sed & laicus. Et hæc non est potestas physica, quam in hac disputatione quærimus, sed moralis, suasoria tantummodò, non autem præceptiua.

XXVI. Suam tamen potestatem indirectam passim explicant illi, qui Papam omnino cupiunt etiam temporali potestate in Principes ac temporalia corroborare,

beare, præſertim Bellarminus, eam eſſe in Eccleſia ſpiritualem quidem ſupremam, ſed quæ ſe extendat indirectè ad temporalia, vbi nimirum ita neceſſitas requirat ſalutis animarum. Ita vt Papa Regem non poſſit deponere, niſi ex ſola cauſa, quando id ad ſalutem conducat animarum. Neque vident, hoc eſſe dare Papæ poteſtatem directiſſimam & temporalem, in temporalia; non quidem vniuerſalem, ſed limitatam: hoc eſt, vt poſſit hoc, & ſanè directè, non niſi ex cauſa: & non ex quacunque cauſa, ſed in caſibus ſolis, in quibus ſalus ita flagitat animarum. Meliùs loquerentur cum Innocentio, ſi dicerent, hoc poſſe Eccleſiam caſualiter; & non indirectè. Et reuera hoc idem eſt, quod Innocentius ſuo illo *caſualiter* prætendebat. Prætendebat autem directam poteſtatem & temporalem; non indirectam, & ſpiritualem, quæ ſe extenderet ad temporalia. Et ita verbis tantùm, non re ipſa Theologi iſti diſcrepant à Canoniſtis. Tanto illis peiores, quanto directa illorum poteſtas eſt verecundior, vtpote non exercenda, niſi ſeruatis ſeruandis, & ex cauſa manifeſta & probata auditaque Regum defenſione: indirecta verò horum poteſtas his omnibus prætermiſſis, tanquam fulmen de cœlo tranſuerberans, antequam auditu vel viſu percipiatur, poteſt derepente miſerum Regem è throno deturbare ac proſternere, ſolo generali Papæ prætextu, propter bonum ſpirituale ipſi ſcilicet Papæ ſoli notum, de quo ſolus iudex eſt, & de quo non tenetur cuiquam in terris reddere rationem. Sed in eo etiam decipiuntur, quòd putent, & ſanè perperàm, depoſitiones iſtas poſſe eſſe interdum neceſſarias pro ſalute animarum; quod ego iam docui eſſe falſiſſimum. Chriſtus enim ipſe, qui ſalutem vel maximè quærebat animarum, & ſua omnipotentiâ poterat tyrannos fidem ipſius perſequentes facili negotio deprimere, & regnis ſpoliare; nunquam tamen hoc iudicauit eſſe neceſſarium. Ita Apoſtoli & Sancti omnes, quo Reges erant crudeliores fidei perſecutores, eò magis Chriſtianorum virtute conſtantiam, patientiam, ſpem, fidem, charitatem probè nouerant, adeoq; ex his non impediri, ſed promoueri ſalutem animarum. Moneat Eccleſia ſuos fideles, ne Regibus malis in malo pareant: ſed ſe ſubmittant mandatis piis faciendo, impiis patiendo, & hoc ... eſt. Reliqua diuinæ prouidentiæ permittantur. Moneantur etiam & doceantur Reges ipſi, obſecrentur, arguantur, increpentur, & quantum opus ſit, cenſuris etiam & pœnis Eccleſiaſticis terreantur: vlt ſed vltra quod faciat Eccleſia, (vt toties dixi & oſtendi,) nihil profectò habet.

XXVII. Et, ſi ex cauſa ſalutis animarum poſſet Papa Reges deſtituere, & inſtituere, bone Deus, ſub hoc ſolo prætextu quid non faceret? quid non tentaret digito deſignans animarum ſalutem, limis oculis ſua ſubintuens priuata commoda, ac ſiniſtris affectibus ſeruiens? Quid non fecerunt multi? quid non tentarunt? quod adeò iuſtum adeoq; ſtabile regnum inter Chriſtianos eſt, cui ſubuertendo, prout libido ſuaderet, non poſſet ſalutem prætexere animarum? Si liceret Papæ cum cauſa ſalutis animarum Reges deponere, iam breui idem poſſet etiam ſine cauſa. Perſuaſerunt initio Papæ palpones & adulatores, poſſe eum in ſacris canonibus cum cauſa diſpenſare. Quò tandem deuenit res? Vt iam etiam ſine cauſa, imò turpi ex cauſa, diſpenſet ex plenitudine poteſtatis. Publicè proſtat taxa Datariæ, vt cum cauſa in gradibus prohibitis diſpenſentur matrimonia, ſub tali pretio: ſine cauſa verò, etiam diſpenſentur, ſed ſub pretio longè maiori. Quid dicent Theologi? Factum (Inquiunt) tenet, etiam ſine cauſa, propter plenitudinem poteſtatis. Ita ſi abſque vlla cauſa deponat Regem, vt ſe, vel ſuum quempiam aſſeclam Regem faciat, factum tenere aſſerent, propter poteſtatis plenitudinem. Obiectum fuerat hoc periculum Bellarmino, facilè poſſe contingere, vt Papa pro libidine fingat ſibi cauſas & neceſſitates ſalutis animarum, ſiquidem ad ipſum etiam ſolum ſpectat, vt volunt, iudicare & declarare, an ſit id neceſſarium pro ſalute animarum. Ad hoc tamen periculum euitandum, audi ridiculum ex Bellarmino remedium appoſiti ſolitum: Quoniam res hæc grauiſſima eſt, *inquit cont. Barcl. c. 12.* & neceſſitas manifeſta & explorata eſſe debet, idcirco Pontifices ordinariè in Synodis Epiſcoporum, vel conſiſtoriis S.R.E. Cardinalium, expoſitis rationibus, & conſentientibus Patribus, iſta geſſerunt.] In Synodis Epiſcoporum? Hui! quæ iam diu exoleuerunt. Sed conuocentur Epiſcopi: quid tum? Quis contra Pontificem vel mutire audeat? Sed audin, bonis Regibus vniuerſis ſalua res eſt in Conſiſtorio. Nugæ: vbi profectò Cardinales cum ſuo Papa ad Monarchiam, ad quam ipſorum etiam plerique, ſaltem ſpe, aſpirant, libenter omnes conſpirant, etiam in temporalibus ſtabiliendam. Libido illa dominandi toti orbi, & principes ſibi ſubiiciendi, eos profectò titillat omnes; quia nullus eorum eſt, qui Papatum ſpe iam non deuorauerit. Quod ſi reluctarentur Cardinales (quod tamen fore nunquam arbitror) ac Papa nihilominus in ſententia perſiſteret, quid facerent, quid tentarent hi meri conſultores? Nunquid ipſorum refragatio, vel reſiſtentia faceret Papæ decreta inualida, & nulla? Enimuerò etſi penes Cardinales eſſet truculenta huiuſmodi Paparum conſilia impedire, quis adhuc tamen Rex in tuto poſitus? Quod ſceptrum firmum, cui frangendo, & conculcando, aliquot Cardinales oris ſui ſpiritu valebunt? Reges ſcilicet tàm diu erunt Reges, quantiſper deliberantibus Papæ & Cardinalibus viſum erit.

XXVIII. Alio etiam modo idem Bellarminus hanc à Papa amouet ſuſpicionem, hoc eſt, locum non eſſe ſuſpicandi, ne Papa pro ſuo affectu, ſuaq; aut ſuorum ambitione, ad Regum, ſub obtentu ſalutis animarum, iniuſtas deſcendat depoſitiones: Poteſt, *inquit ibid.* quoq; Pontifex alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen, cui libuerit, ſic enim verè precariò Reges regnarent; ſed cui iure debetur; ſiue ſucceſſio, ſiue electio, locum habeat; & ſi forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit eſſe tribuendum.] Sed ſi ſemel Pontifex animum adiecerit ad eripiendum ex ſola libidine alicui Regnum, ſicut ei per noſtros Theologos conceditur, vt id poſſit indirectè, ſi neceſſitas ita requirat ſalutis animarum, cuius neceſſitatis ipſe ſolus iudex eſt, & arbiter, ſicut ſub talis neceſſitatis prætextu poteſt Regem regnantem & Regno priuare, & iure regnandi: cur non eodem prætextu poterit etiam ſucceſſorem priuare iure ſucceſſionis, & electores iure eligendi? diceretq; ſaluti animarum illius regni pluriſmum expedire, imò & neceſſarium id eſſe, vt non ille, qui ſanguine vel electione vindicat, ſed talis vel talis vir Catholicus, & pius, ac potens, hæreſiumq; profligator, & oſor, & ex aliis ſimilibus cauſis, ſiue ipſamet Sedes Apoſtolica, regnet ibi & imperet, etiamſi à ſucceſſione ſit ille remotiſſimus, contempto ſucceſſore, contempta etiam electione, derogando pro illa vice electoribus. Nonne profitetur Sedes Romana, ſe Electoribus Imperij dediſſe poteſtatem eligendi Imperatorem? cur etiam pari iure non poterit eandem auferre? nonne quotidie iuri patronatus laicorum derogat Papa, & pro illa vice ipſis patronis aufert poteſtatem eligendi, ſuaque plenitudine poteſtatis confert

beneficia patronata, quibus vult, patronis omnino contemptis? quo non se extendit immensa illa potestatis plenitudo? Vbi verò, *inquit*, non sit successio vel electio, facta priuatione, Regnum illud, cui ratio dictauerit, tribuetur. Cuiusnam, rogo, ratio? ipsius certè Pontificis. Quo Dictatore dictante illam rationem? ipso profectò eodem Pontifice. Concilium tamen Lateranense sub Innocentio III. id tribuit occupanti, *c. Excommunicamus. 1. de heret.* Ita scilicet inter Saxum (quod aiunt) & Sacrum versantur Reges, periclitantes hinc inter Papam regna proiicientem, illinc raptorem Regno inhiantem. Sed de hoc lubrico & ancipiti Regum statu audiamus Barclaium *de potestat. Pap. cap* 11. Atque ita semper in Papæ voluntate situm erit, vtrum velit sceptra Regibus adimere. Quod, quid est aliud, *inquit*, quàm Reges omnes velut iure precarij Regna ad nutum Pontificis auferenda detinere? Ecce quàm lubrico in loco Reges & Principes Christiani consisterent, si verum esset, Papam habere potestatem, etiam indirectè, disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, qui eam potestatem suo semper arbitrio iudicioq; metietur: vt nihil irato illi facilius futurum sit, quàm indirectæ potestatis exercendæ causam prætexere, quoties eum aut priuatas iniurias vlciscendi libido, aut ambitiosè dominandi cupiditas incesserit; aut etiam vbi se læsum spretumve, quamuis sine publica offensione, esse credet.] Hæc ille. Vtinam exempla, etiam multa, non occurrerent, imò oculos incuterent. Andegauenses videbimus *cap* 12. à Romanis Pontificibus in Regnum Neapolitanum vocatos & intrusos; legitimo & innocente superstite Conradino successore. Quid non tentarunt Bonifacius octauus, Iulius secundus, & alij? Nostra ætate vidimus Regnum Angliæ à Pontificibus non modò Regi, seu Reginæ regnanti, sed etiam toti auferri successioni, atque cuicunque extero illud occupanti, concedi. Idem propemodum vidimus de Regno etiam Franciæ florentissimo. Sed hoc mirum, quòd nunquam prorsus huiusmodi priuationes & depositiones atq; occupationes (vna misera Nauarra excepta) vllum effectum habuerint, toties tamen per Pontifices tentatæ: Deo Optimo Maximo iniqua Principum consilia reprobante, *Psalm.* 32. 10. & tentamenta huiusmodi tanquam iniustissima abominante, qui sibi soli Principum depositiones & Regnorum translationes reseruarit, *Dan.* 4. 29.

XXIX. Sed & illud quæro: Estne salus animarum omnibus commissa Episcopis in Ecclesia Christi? Cur igitur pro salute animarum solus Papa potest Reges deponere, & non reliqui etiam Episcopi? Illud præterea mirabile est, Ecclesiam sua spirituali summa potestate posse indirectè, hoc est, vbi necessitas adsit salutis animarum (quod non est indirectè, sed casualiter, ac directissime) Principes Christianos suis priuare Regnis, Ethnicos non posse: quod omnes melioris notæ Theologi sponte fatentur; & facillime probari potest, in Ethnicos nullam prorsus, neq; directam, neq; indirectam, habere Ecclesiam potestatem. Non poterat itaque ex vlla causa Constantinus, dum Ethnicus esset, priuari ab Ecclesia suo Imperio: cùm primùm verò baptizatus est, firmissimo ipsius iuri regnandi plurimum derogatum est, & fides Christi atq; baptismus, cui nihil prorsus negotij est cum temporalibus, longe eum in hoc deterioris fecit conditionis, quàm esset priùs, dum erat gentilis: siquidem iam in potestate Papæ est, illum pro animarum salute Imperio priuare: pro qua salute eundem, dum infidelis erat, priuare non poterat. Si salus animarum extendit spiritualem Ecclesiæ potestatem etiam ad dominia temporalia, cur ad Christianos Principes, & non etiam ad Ethnicos illam extendit? An non quod de Christo canimus;

Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cælestia;

accipiendum est de quocunq; Regno, in cuiuscunq; sit manu? Hoccine erit inuitare Reges infideles ad fidem, an potius eos repellere, & absterrere? & priuati homines, nihil patrimonij, nihil iuris, quod habent in temporalia, amittunt per baptismum, Principes amittent id, quod eis maximum est, ius Imperij? neque potest Papa, quantacunque salus animarum id requirat, priuatum hominem suis fortunis spoliare; alioquin diuites omnes ordinariè suis diuitiis, ad peccatum, ac animæ suæ perniciem abutentes, per Papam possent diuitiis suis & possessionibus priuari; quod nec ipsi nugivendulæ dicent: & poterit Principes ob eandem animarum salutem Papa throno Regali deiicere? Vanitas vanitatum. Spiritualis supremæ potestas ad priuatorum fortunas etiam indirectè non se potest extendere, & ad sceptra Regum & diademata se extendet?

XXX. Sed per hoc, *inquit Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 7. & cont. Barcl. c.* 16. quòd Reges per baptismũ potestati spirituali Pontificis se subiecerint, censentur etiam eidem potestati spirituali Regna sua subiecisse, & politicam potestatem; vt videlicet à Pontifice dirigi & corrigi vellent, si quo modo circa temporalia à via salutis deflecterent. Neque tamen Christi Vicarius Regna filiorum suorum spiritualium affectat, aut iurisdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, vt apertè scripsit Innocentius *c. Per venerab. qui fil. sint legit.* sed prouidere nititur, vt ita regnent in terris, vt Regnum cœleste non amittant; & vt Regna terrena Regno cœlesti famulentur; vt præclarè scribit S. Gregorius *lib. 2. epist. 61.*] Fingamus etiam, *inquit idem Bellarminus contr. Barcl. c.* 24. Regem aliquem infidelem, ad Ecclesiam venire cupientem, ita loqui: Ego ciuis Sanctorum per baptismum effici cupio, & sanctè promitto, sceptrum meum Christo velle subiicere, Ecclesiam eius pro viribus defendere, & nunquam à sancto proposito deficere: Protestor tamen, quod si forte fidem fregero, si Hæreticus, si Apostata, si Paganus euasero, si religionem Catholicam persequi, & funditus euertere, conatus fuero, nolo ab Ecclesia, vel eius præside, sed à solo Christo pœnâ temporali puniri: & si forte Præses Ecclesiæ per sententiam excommunicationis me de cœtu piorum expulerit, volo, vt nihilominus fideles Ecclesiæ filij, mihi, vt Regi seruire & obedire teneantur; Neque ab huius obedientiæ vinculo absolui vllo modo possint.] Quæritque, an eiusmodi Rex ab Ecclesia, vt idoneus, ad baptismum possit admitti? Ille sanè negat, & addit. Nam si quis ciuitate terrenâ donari vellet, & protestaretur, si proditor Ciuitatis fieret, nolle se à Præside Ciuitatis, sed à solo Rege, in longinqua regione manente, immediatè posse puniri, quis non rideret? Certè qui paratus esse debet, iuxta Euangelium, vitam propriam exponere pro Christi fide, quantò magis paratus esse debet Regnum terrenum amittere? Ridiculum autem est, dicere, paratus sum Regno priuari, si fidem fregero, sed nolo priuari per sententiam hominum; volo per Angelos de Cœlo sententiam pronunciari. Certè etiam Ecclesia valdè esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impunè grassari in Ecclesiæ membra, & nollet, fidelem populum posse per vllam hominum mortalium authoritatem à sua tyrannide liberari.] Hucusq; Bellarminus.

XXXI. In

XXXI. In multiloquio tamen non deest peccatum, *Prouer. 10. 19.* Atq; hinc ego primum colligo fundamentum huius potestatis, quam indirectè volunt operari, non esse internum, ex diuina proueniens concessione; ita vt potestas suprema spiritualis de se, licèt non directè, sed indirectè (& meliùs fortasse diceret, virtute & eminenter, non formaliter) nequaquam extendatur ad temporalia, quod hactenus contendebant; sed externè, non ex vi potestatis ipsius, sed ex tacito quodam pacto cum Principibus ad fidem venientibus, seu baptismum recipientibus: quo illi virtute & interpretatiuè intelliguntur sponte consentire, vt Ecclesia possit eos ex causa priuare. Et sic neq; hæc erit potestas propria Ecclesiæ, sed extrinsecè ex pacto tacito conquisita: neque erit indirecta, sed directissima: consensus enim iste tacitus, & interpretatiuus, dat authoritatem temporalem Papæ, vt directè possit Regem Regno priuare, si quædam causæ intercesserint. Atque ita sola explicationum inconstantia, falsitatem arguit positionis. Deinde & se & nos Bellarminus pluribus decipit æquiuocis. Rex enim, sicut & quiuis alius, dum suscipit Baptismum, se quidem potestati spirituali subiicit, quo ad spiritualia: sed neque se, neque quicquam sui, quod sit temporale, Ecclesiasticæ subiicit potestati. In vsu quidem temporalium vult instrui, & dirigi ab Ecclesia, quatenus vel prodesse, vel obesse potest ipse vsus ad animæ salutem: ipsorum tamen temporalium dominium Ecclesiæ neq; subdit, neq; subdere tenetur. Potest itaq; Ecclesia vsum docendo ac monendo moderari; Dominium tamen intactum oportet possessori liberum relinquat: nisi fortè etiam dominium temporalium in hoc homine, & in hoc Rege Regia potestas, ipsi vel malo titulo adipiscenti, vel insanabiliter abutenti esset laqueus ineuitabilis ad æternam animæ damnationem. Et tunc potest quidem Ecclesia illum hortari, adiurare, ac terroribus impellere, vt se sponte abdicet vel prædio, vel domo, vel etiam Regno, si velit saluari; auferre tamen illi Regnum, vel bona nullo modo potest. Sicut potest furi, vel deceptori præcipere, vt restituat ablatum, si modò velit saluari: auferre tamen furi rem furtò vel dolo malo partam suâ vi aut potestate, nunquã potest Ecclesia, ne quidem, vt illud proprio domino restituat. Tum verò etiam pacta illa tacita cum Ecclesia, & promissa à quocunq; fideli facta perinde intelliguntur, ita vt quilibet bonus fidelis paratus esse debeat potius fortunas & vitam profundere, quàm mortaliter peccare: id enim promittit DEO in Baptismo, saltem virtualiter. Non propterea tamen confert cuiquam Ecclesiastico, neq; Papæ ius, vt possit, si peccet, & fidem frangat, bona ei & vitam eripere. Quis igitur adeò bardus, vt crassos hîc nõ aduertat paralogismos? An verò Papa, vt homo, affectet vel affectare possit Regna filiorum suorum spiritualium, cùm homo sit & ipse, doceat & humana fragilitas, & experientiã. Quid verò omnes hi tractatus Hieromonarchicorũ, contra quos nos hanc in arenam descendimus, intendunt? quid moliuntur? quid conantur? nisi suffossionem ruinamq; iurisdictionis Principum temporalis, & omnium gentium perturbationes? Possunt profectò egregiè Reges Christiani regnare in terris, & cœlesti simul Regi famulari, possunt in se beatam spẽ alere regni cœlestis, etiamsi regnum terrenum non deponant, modò deponant abusus & iniquitates; ad quos reformandos regni certi legitimi depositio nõ requiritur. Et regnum terrenum, hoc est, populus regni terreni, egregiè Domino cœlesti famulari potest, etiamsi Rex suis iniquitatibus ei non famuletur; vt propterea Regis abdicatio non sit necessaria ad hoc, vt Regnum ipsius Domino famuletur: nam etiam sub tyrannis & persecutoribus Regna Christianorum exactiùs adhuc, quàm sub piis Imperatoribus Christianis, vt iam ostendi, DEO sunt sæpè famulata.

XXXII. Fingam ego Regem Ethnicum Christi fidem cupientem, alio modo loquentem correctiùs & meliùs, quàm fingatur à Bellarmino, videlicet: Ego ciuis Sanctorum per Baptismum effici cupio, & sanctè promitto sceptrum meum, hoc est, vsum meæ Regiæ potestatis Christo, ac sanctæ Ecclesiæ Christi velle subiicere; & ipsam Ecclesiam defendere laborantem, audire docentem, monentem, increpantem, adeoq; nunquam à sancto Christianismi pietatisq; proposito deficere: protestor tamen, quòd ius meum Regium nulli in terris homini, vel sanctissimo, propterea volo subiicere; sed soli DEO, à quo illud accepi: siquidem scio Christi fidem cum iure legitimo regnãdi non pugnare, ipsumq; hoc regnum nõ gratiæ Christianismi, sed iuri naturali ac ciuili debeam. Quod si fortè fidem fregero, si DEO propter peccata mea permittẽte, apostata, si Paganus euasero, si religionem Catholicam persequi, & funditus euertere conatus fuero, lubẽs patiar ab Ecclesia argui, increpari, & pœnis omnibus Ecclesiasticis ad mentem saniorẽ reduci, & ad summum si obstinatus voluero perseuerare, ita eiici ab Ecclesia, vt iterum redeam ad meum statum Ethnicorum, & gratias omnes spirituales amittam, ac simul vitam æternam. Regnum tamen hoc temporale, quod nunc Ethnicus iure teneo, volo etiamsi redierò ad hũc eundem statum, adhuc, donec à Deo priuer, retinere. Propterea si eiectus fuero ex Ecclesia, & inter Ethnicos per excommunicationem numeratus, volo, vt nihilominus mei subditi, etiam Christiani, mihi, vt Regi, seruire, sicut olim Iuliano, & obedire teneantur: neque assentior, vt à quocunque homine, vi meæ consensionis, vel Christianæ subiectionis possint à vinculo fidelitatis, quo Deo ipso autore, mihi sunt obligati, absolui & liberari. Redibo enim in pristinum; &, si mea culpa melioris conditionis noluerim esse per Baptismum, neque par est, vt fiam deterioris conditionis per eundem. Hunc ego Regem, cuiuscunq; sapientis iudicio, ad Baptismum promptissimè admissum iri non dubito. Etiamsi simplicitas pij & boni affectus à Deo inspirati tales non sit suggestura cogitationes aut protestationes. Nisi fortè Rex aliquis gentilis cordatus, & de Romani Pontificis miris prætensionibus circa huius mundi Regna temporalia factus certior, vellet sibi ab eò prudenter cauere.

XXXIII. Neq; exemplum proditoris, qui diceret, se nolle à Præside ciuitatis, sed à Rege immediatè iudicari, & puniri, quod exemplum affert Bellarminus, huic causæ quadrat. Ille enim neq; est supremus, & independens Dominus illius ciuitatis, sed subditus Regis, & consequenter in crimine potissimum læsæ Maiestatis, etiam ministrorum Regis: & esset reus criminis, cuius cognitio & punitio tota est fori Regij, & ideò tàm à Rege, quàm à ministris tale crimen esset puniendum. Nos verò loquimur de Rege supremo, qui nullum habet in terris superiorem in temporalibus, nisi immediatè ipsum Deum, cuius in terris nullus est minister ordinarius, qui Dei nomine, contra Regem, possit procedere in temporalibus. Et crimina temporaliter punienda ad forum merè Ecclesiasticum nullo modo possunt pertinere. Qui in Rempublicam admittitur, & ciuitate donatur, etsi nullam sponsionem expressam emittat, tamen eo ipso, quòd ciuis fit, se subiicit legibus illius Reipublicæ, ac magistratibus, non tantùm supremo, sed & inferiobus, puta Prætoribus, ac Iudicibus; ab iis nomine Regis puniendus,

dus, si homicida, vel proditor fuerit. Non tamen se submittit pœnis aut magistratibus alterius Reipublicæ, quæ ab illa non dependet. Simili ratione qui in Christianitatis Rempublicam admittitur per Baptismum, submittit se quidem Christi ministris spiritualibus, & superioribus, & inferioribus, quoscunque ipsius animæ cura attingit, pœnis nempe illius Reipublicæ, hoc est, spiritualibus coërcendus, non alterius ab illa haud dependentis Reipublicæ legibus aut pœnis, hoc est, temporalibus, per hanc affligendus. Itaq; aperte suam comparationem iugulat Bellarminus, dum producit eum, qui nolit à præside Ciuitatis, sed à solo Rege puniri. Supponit enim (quod est ridendum magis, quàm concedendum) Papam esse à Deo optimo maximo constitutū Præsidem ad pœnas temporales infligendas; alioquin eius ratio militat tantum contra eos, qui nolunt se Dei vicariis, ministris Ecclesiasticis, subdere, pœnas spirituales irrogantibus, quod nihil facit ad hanc, de qua agimus, sceptrorum ablationem. Bene ergo dicit iste Rex: Cùm ego sim supremus Rex in meo Regno, soli Deo immediatè subiectus, nolo ex eo, quòd fiam Christianus, consentire, vt circa Regni iura in alterius ius concedam, præter Deum, quem scio in terris nullum habere Præsidem, cui ego subiiciar in temporalibus: ab eo ergo immediate volo deponi, & non ab alio, si depositione dignus fuero: nisi forte Deus ipse id muneris specialis contra me extraordinariè alicui committeret, certò & euidenter. Et sicut pro fide iste Rex paratus est vitam propriam exponere, ita etiam paratus est & Regnum terrenum pro Christo, si ad salutem animæ eius sit necessarium, amittere; videlicet vel tolerando patienter, si Deus eum aliquo modo priuari voluerit; vel etiam se sponte abdicando, si ita viderit esse pro Christo necessarium. Ad hoc tamen se per hominem posse cogi, sine speciali Dei mandato: nullo modo intelligit ille, aut consentit: etiamsi degeneraret in tyrannum; à qua tyrannide vt liberetur, consentit in omnes pœnas Ecclesiasticas: in priuationem tamen non consentit. Scit enim, nullum mortalium esse in terris ordinarium, qui autoritatem habeat ad illum deponendum, sed ad summum in armis & ferro ius tandem consistere; in quo Ecclesia nihil potest, vt *cap.* 8. est demonstratum. Vt propterea etiam, quia Ecclesia vires coactiuas non habet, neque potest habere, vt Ecclesia, satis pateat, Ecclesiam ipsam Principes non posse destituere, quia non potest suam exequi destitutionem; sed ad summum habere posset vim tantummodò declarandi, illum Regem esse meritò deponendum. Et hoc non est iudicis, neque superioris, sed consiliarij & doctoris, & hanc potestatem habent omnes viri docti & sapientes. Dices, si Vasallus sit fortior suo Rege, tunc Rex non habet vim executiuam contra eum: & tamen de iure illum potest priuare, etiamsi non de facto. Ita arbitri ferunt sententiam iudicialem, eam tamen non possunt exequi. Respondeo, in Vasallis hue interdum posse & per accidens contingere: Rex verò, sicut habet potestatem priuandi, ita etiam ordinariè habet vires id exequendi: & quando eas ille non habet, prudenter abstinet à priuatione. Papa verò nunquam habet vel actu, vel habitu, vt suas, vllas vires temporales, etiam contra minimum Regulum, imò minimum priuatum. Et arbitri sunt tanquam iudicis ordinarij delegati; ideoq; eorum sententias iudex ordinarius assumit exequendas, si sit opus executione. Papa verò nullius ordinarij nomine contra Principes procedit, qui Papæ iudicatum assumat, tanquam proprium, propriâ authoritate exequendum. Valeat itaque cum directa, tota etiam indirecta Ecclesiæ potestas in Reges: merum Hiero-Monarchicorum, aut dormientium insomnium, aut potius vigilantium inane figmentum.

XXXIV. Audiant, quam potestatem agnoscat Ambrosius Ecclesiæ erga Principes. Is enim ad Valentinianum Imperatorem scribens, illud habet: *epist.* 32. Quando audisti, Clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse?] Et paulò post: At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopum solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?] Obseruatu digna illa reduplicatio: *In causa fidei, in causa, inquam, fidei?* Timebat Ambrosius, ne cui videretur ipse aut Ecclesiæ dare potestatem aliquam, quæ non esset in causa sola fidei, erga Imperatores; aut Imperatoribus adimere potestatem erga Episcopos, in causis, quæ non essent fidei; ideò illam adhibuit repetitionem. Et Cassiodorus *in Psal.* 50. Si quis, *inquit*, de populo erfauerit, & Deo peccat, & Regi: nam quando Rex delinquit, soli Deo reus est; quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet: meritò ergo Rex Deo tantùm se dicit peccasse, (tibi soli peccaui,) quia solus erat, qui eius potuisset admissa discutere.] Intelligit proculdubio ita discutere, vt censoria & iudiciali virga pœnæ, & discussionis externæ posset illa corrigere: nam de spirituali admonitione & correctione inducente ad voluntariam pœnitentiam, iam Dauid audierat Nathan Prophetam, 2. *Reg.* 12.

XXXV. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, vir & doctrinâ & sanctitate illorum temporum in Ecclesia Christi admodum insignis, atque inter Sanctos, vt audio, ab Ecclesia Gallicana numeratus, vehementer abhorruit ab hac vsurpata, contra Principes, Romanorum Pontificum autoritate; eamq; acriter, non propriis verbis, sed alienis, ad vitandum, aut saltem mitigandum contra se Papæ Adriani secundi odium, perstrinxit, ita scribens ad eundem Pontificem: [*apud Baron. tom.* 10. *ann.* 870. *n.* 20.] De hoc, quod scripsistis, vt si ipse Rex Carolus in obstinatione suæ perfidiæ, post meam conuentionem, persistere maluerit, quàm iuxta vestra monita resipiscere, ab illius me communione & consortio sequestrem; & secundum Apostolum Ioan. *epist.* 2. ne Aue ei dicam: & si vestræ communionis volo esse particeps, præsentiam eius modis omnibus deuitem. Cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam & Ecclesiastici, & secularis ordinis viri, qui de diuersis Regni partibus Rhemis plurimi conuenerunt, quos mandatum vestrum ibidem mihi delatum, quia non debuit, latere non potuit, exiguitati meæ, qui, quantum sciui, & potui, semper Apostolicæ Sedis priuilegium extuli, improperando dixerunt, & dicunt, nunquam huiusmodi præceptionem ab illa Sede vlli prædecessorum meorum missam fuisse. Cùm inter Reges Sacramentis etiam confœderatos, sed & inter patrem, & filios, ac inter fratres prælia & seditiones eorum temporibus fuisse nascantur. Nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum, siue tyrannorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt Constantius Arianus, ac Apostata Iulianus, & Maximus tyrannus, præsentia, & salutatione, siue collocutione Sedis Apostolicæ Pontifices, vel alij magnæ authoritatis atque sanctitatis Episcopi, cùm locus & ratio ac causa exegit, se subtraxisse leguntur. Et dicunt, secularem scripturam dicere: Quia omne Regnum seculi huius, bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apostolicis vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur. Et Scripturam

ram diuinam proponunt dicere: *Dan. 2. 21.* *Quia Domini est Regnum, & cui voluerit, dat illud*, ministerio Angelorum, & hominum: Quibus cum verba beati Iacobi Apostoli opponimus dicentis: *Iac. 4. 1.* *Vnde bella & lites inter vos?* &c. Et cum potestatem à Christo S. Petro primo Apostolorũ, & in eo suis successoribus datam, sed & Apostolis, & cæteris Episcopis Pontificium ligandi & soluendi collatum insinuare volumus: Respondent, & vos ergo solis orationib. vestris Regnum contra Nortbmannos, & alios impetentes defendite: & nostra in defensionem nolite quærere. Et si vultis ad defensionem habere nostrum auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adiutorium, nolite quærere nostrum dispendium. Et petite Dominum Apostolicum, & quia Rex & Episcopus simul esse non potest, vt sui antecessores Ecclesiasticũ ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, disposuerunt: non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis adiuuare non possit, contra subitaneos & frequentes Paganorum impetus: & nos Francos non iubeat seruire, cui nolumus seruire. Quia istud iugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus; quia scriptũ esse in sanctis libris audimus, V pro libertate & hæreditate nostra vsq; ad mortẽ certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum cõtra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit, & nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata illi eam non tollunt. Et non conuenit vlli Episcopo dicere, vt Christianum, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno Regno alicui tollendo, vel acquirendo, nomine Christianitatis debeat priuare, & cum Diabolo collocare; quem Christus sua morte & suo sanguine de potestate Diaboli venit redimere, & Christianos pro fratribus suis animas docuit ponere. Propterea si Dominus Apostolicus venit pacem quærere, sic pacem quærat, vt rixam non moueat. Quia nos non credemus, vt aliter ad Regnum Dei peruenire non possimus, si illum, quem sic commendat, terrenum Regem non habuerimus. Et alia de iuramentis, & periuriis, & de tyrannide, de quibus scripsistis, vobis dicunt, quia vestræ authoritati mandare nobis conuenit: sed & alias comminationes in vos sunt iaculati, quas adhuc nolo proferre, quasque scio, si Dominus illis permiserit, vt iam in deliberatione, ita sine retractione comminantes, in opere monstrare curabunt: & vt mihi experimento videtur, propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, nisi aliud eis obstiterit, Rex noster, vel Regni eius primores, non dimittent, vt quod cœperunt, quantum potuerint, non exequantur.] Ita in sua Epistola Hincmarus aduersus Papalem potestatem feminiam erigentem

XXXVI. Insurgit in eam acerrimus censor Baronius, *tom. 10. an. 870. num. 13.* & primam querelam ait esse iniustam; iuxta Apostolicum illud: *2. Corinth. 10.* *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Idque Adrianum fecisse triplici admonitione, atque duplici legatione præmissa, vt Regi, ne peccaret, esset impedimento.] Nos vero iam ostendimus excommunicationem in Reges non esse sæuiendum; & Ecclesiam tempore caussis grauissimis fidei & religionis, toto millenario post Christum, non modo à tali censura contra Principes abstinuisse, sed etiam eos cum maxima reuerentia, & modestia, siue hæreticos, siue tyrannos, siue alio modo errantes tractauisse, & sua potestate prudentissime vti noluisse: Imo sine peccato graui, neque vti potuisse, aut debuisse. Quanto minus Adrianus potuit, aut debuit pro solis rebus temporalibus, & controuersiis circa ius regnandi inter fratres exortis, gladium exerere spiritualem, vbi neque Iudex erat ordinarius, neque superior: solo consilio, & adhortatione vti debuit, non censuris. Præsertim vero, quod exemplum nullum haberet, quod in excommunicando Rege; & prohibenda subditis eius Episcopis cum illo communione, præsertim reuerentiæ & salutationis, imitaretur. Vt optime opponit Hincmarus, & male soluit Baronius, dicens: Non fuisse illos Imperatores excommunicatione perculsos, neque Episcopus prohibitos ne ipsis excommunicarent, quia sponte id agerent Episcopi Orthodoxi: Quis enim, *inquit*, inuentus Orthodoxorum, qui communicaret cum Constantino, vel Iuliano, vel alio manifeste hæretico Imperatore?] Et ista potuerunt Baronio Maximo Annalistæ excidere? An ignorat, & per literas, & congressibus frequentioribus, Athanasium cum Constantio sæpissime egisse? *Socrat. lib. 2. cap. 18.* neque constat de vllo Orthodoxo Episcopo illum ex religione, si cum Imperatoribus Constantio, Iuliano, Valente, & similibus agendum esset, eorum vitasse congressum. Possem sexcenta proferre exempla; sed ne sim prolixior, abstineo, cum illa passim cuique legenti se dent obuiam. Consulamus nostrum duntaxat Hincmarum: *apud Baron. tom. 10. an. 870. num. 21.* Nec etiam, *inquit*, ab hæreticorum, vel schismaticorum, siue tyrannorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Constantius Arianus, ac apostata Iulianus, & Maximus tyrannus, præsentia, & salutatione, siue collocutione Sedis Apostolicæ Pontifices, vel alij magnæ authoritatis, atque sanctitatis Episcopi, cum locus, & ratio, ac caussa exegit, se subtraxisse leguntur, &c.] Sicut & quod ait Baronius, Imperatores à Rom. Pontif. plures fuisse ante Adrianum excõmunicatione affectos, nõ est omnino admittendum: hoc n. falsum esse superiori c. 9. iam ostendi.

XXXVII. Alteram Hincmari querelam refellit dicens: Imperium Romanum non bellis, sed excommunicatione hæreticorum Imperatorum Orientaliũ, opera Romanorum Pontificũ esse translatum in Francos. Nos de translatione Imperij postea peculiari capite 11. inferius agemus: Nunc tantum in Baronium dicta ipsius retorquemus, quibus ille Hincmarum hominem immenso interuallo in omnibus ipso præstantiorem, impetit satis immodeste: & dicimus adeo ambitionem, & libidinem assentandi solere nos dementare, vt non pudeat sæpe confingere falsitates in rebus, quæ ob oculos positæ à cunctis cernuntur. Cuinam, quæso, imponere voluit Baronius? quid de excommunicatione Imperatorum Orientalium garrit? vbi sententia ista excommunicationis Constantini, & Irenes? vbi priuatio eorum? vbi ereptio per sententiam ab eis Imperij Occidentalis? Irene sola, de Ecclesia Catholica benemerita Imperium vtrumque, & sane iure retinebat. Quid peccauit Irene? quam fouit hæresim? *Baron. tom. 9. an. 800. num. 17.* Adrianus, *inquit*, queritur in Epistola ad Carolum Magnum in fine, Constantinum Augustum, Archi-Episcopatus, & Episcopatus, qui essent specialis iuris Romanæ Ecclesiæ, à prædecessoribus Imperatoribus ablatos, & dempta eiusdem Ecclesiæ patrimonia restituere nolle: ob idque tanquam hæreticum fore decernendum.] Atqui hæc est simplex comminatio; vbi nam lata sententia? quid hic habetur de priuatione Imperij? an pro leuissimis rebus temporalibus est declarandus hæreticus, & priuandus Imperio? Sed quando facta est translatio Imperii, Constantinus iam erat mortuus: & sola Mater ipsius Irene regnabat. Cur ex culpa filij eiusdem matris opera necati Mater legitima Augusta suo iure legitimo priuetur?

Videat igitur Baronius optime, Hincmarum Regnorum conquisitionem ita armis tribuisse, vt nihil deferendum sit Pontificiæ potestati: neque ex hoc, vt ingratum arguat, & eundem, iniquè Episcopalis ordinis contemptorem: sed potius ipse Baronius rubore suffundatur, quod adulatione pessima & falsitatibus gratus fiat, & opprimat veritatem; in quem omnia hæc maledicta, quibus ille magnum Hincmarum immerito impetit, certe multo facilius, & verius possint retorqueri; dum spiritualem potestatem cōtra Christi institutum, totam conatur facere temporalem.

XXXVIII. Tertia Hincmari querela erat, immerito Pontificem Romanum & Episcopum velle esse, & Regem: vbi tamen antecessores Ecclesiasticum ordinem, & non Rempublicam gubernarint. Hæc vos vt verissima iam probauimus. Sed quid ad hæc Baronius? Licebit igitur, *inquit*, Regibus impune contra Dei legem agere, nullo Sacerdote existente vindice regalium delictorum.] Minime vero: Sacerdos doceat, instituat, arguat, & increpet spirituali vi, & à peccato retrahat: procedat vt pater & medicus spiritualis, nōn vt iudex temporalis: temporalia ne attingat; in Regnorum ac Regum iura falcem ne immittat. Regimen temporale in suos subditos Regi ne eripiat; subditis, quod suo Regi iure diuino tenentur, quo minus id suo Regi præstent, ne impediat. His intactis, exerat quod iure potest, sed prudenter.

XXXIX. Obiecerat & illud Hincmarus; Episcopum, si præter legem excommunicet, sibi ligandi potestatem tollere. Præter legem censuit esse illam excommunicationem, quia pro solis temporalibus, quia in discussa caussa grauissima circa ius regnandi, & cuius discussio ac cognitio ad Papam non pertineret. Tollit vero sibi ius ligandi, qui perperam ligat, quia talis ligatio nihil ligat, perinde ac si fieret à potestatem non habente: & in similibus caussis, in quibus est iniusta excommunicatio, nudatur Episcopus potestate iudiciali, quia ipsius sententia nihil facit, vt pluribus lib. 5. Reliqua, quæ opponit Baronius Hincmaro, sunt meræ nugæ, nullius momenti.

XL. Carolus quoque Rex Francorum, idem quem Hincmaro Adrianus vitandum præceperat, ægerrime ferens sibi ab Adriano præcipi, vt Hincmarum Laudunensem, qui Rhemensis Hincmari nepos erat, aliquorum criminum accusatum, & Synodaliter depositum, ad Romanam sedem appellantem Romam venire sineret, nec eum sua authoritate impediret; hoc pacto satis ob hoc commotus ad Papam rescripsit: *apud Baron. tom. X. an 871. num. 100.* Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis, hoc modo: Volumus, & authoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia, ad limina sanctorum, nostramque venire clementiam. —Quæ relegentes contra morem decessorum, ac prædecessorum vestrorum, hoc dictum inuenimus vmbrosum sæculi typum inducere in Ecclesiam, quæ lucem simplicitatis & humilitatis, diem Domini videre desiderantibus, præfert. Quia humano animo facile subripi potest, quod ex deliberatione conueniat imitari. Sed valde mirati sumus, vbi hoc dictator epistolæ nobis per Actardum Episcopum delatę scriptum inuenerit, esse Apostolica authoritate præcipiendum, vt Rex correctior iniquorum, & districtor reorum, ac secundum leges Ecclesiasticas atque mundanas vltor criminum, reum legaliter, ac regulariter pro excessibus suis damnatum sua fretum potentia Romam dirigat. —Vnde sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente caussa necessarium est: quia Reges Francorum, ex regio genere nati, non Episcoporum vice Domini, sed terræ Domini hactenus sumus computati: & vt Leo, ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris diuina potentia præcepit præesse, ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis, iuxta diualia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit: Per iura Regum possidentur possessiones; non autem per Episcopale Imperium Reges villici fiunt, auctoresque Episcoporum. Et Dominus: *Matth. 22. 21.* *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, reddi præcipit. Qui etiam *Matth. 17. 26.* censum Regi reddidit. Et Apostolus seruiri Regibus voluit, honorari, & non conculcari Reges: *1. Pet. 2. 14.* *Regem*, inquit, *honorificate*: & iterum: *Rom. 13. 1.* *Omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit: reddite ergo omnibus debita.* Et paulò superius: *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.* Et si reuolueritis regesta decessorum, ac prædecessorum vestrorum, talia mandata, sicut habentur in literis ex nomine vestro nobis directis, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus inuenietis, &c. —Quis igitur hanc inuersam legem Infernus euomuit? Quis Tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructauit? contra, quam sacris literis ostensa nobis est via, quam sequamur; apposita forma cui imprimimur. Tandem quia vos non legisse vel audiuisse collegimus ex literis ab Actardo Episcopo nobis delatis; quæ antea per illum Paternitati vestræ direximus, iterato scribimus ea, quæ tunc scripseramus. Deprecantes vos in Omnipotentis DEI honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, vt tales inhonorationis nostræ Epistolas, talesque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis, & Regni nostri Episcopis, ac primoribus de cætero non mandetis: & non compellatis nos mandata, & Epistolas vestras inhonorandas contemnere; & missos vestros dehonorare.]

XLI. Ista quidem Rex, iure ac merito; quæ ipsemet Adrianus neque sciuit, neque potuit reprehendere, sed actius admonitione factus sapientior, & lenire studuit Regem, & alia oblata occasione, quæ circa Episcoporum caussas operam Regis requirebat, à præceptione abstinuit; solaque vsus est adhortatione: & ea quidem satis humili, ac obsequiosa: Vt patet in eius literis ad eundem Regem datis, *apud Baron. ibid. num. 105. 107.* Nam circa Hincmari caussam, non amplius vt Rex eum mittat, seu dimittat; sed illud duntaxat, longe modestior factus monet: *ibid. num. 106.* Igitur nos, *inquit*, in depositione illius, quamdiu viuimus, nullatenus consentiemus; ac si ad ad nostram ipso veniente præsentiam, caussa eius depositionis nostro fuerit examine diligēter inquisita atq; finita.] Et in alia caussa cuiusdam presbyteri, ita scribit ad eundem: *ibid. num. 108.* Quapropter Apostolica dilectione gloriam vestrã hortamur, vt aut præsentialiter huic Herlefrido presbytero suam Ecclesiam cum omnibus suis, vsque ad tempus prouincialis Synodi, libere possessuro, pro tempore, quod sacri canones definiere, solenniter reddere faciatis; aut Erpuinum Episcopum suum Legatum nobis, qui hęc plenius veriusq; renunciet, præsentialiter mittere cogatis.] Adrianum ego ita correctius scribentem, meliorem iudicem sequendum non dubito, quonam sensu Caroli literæ sint accipiendæ; quam importunum Baronium eas ita carpentem, ac vellicantem, vt ne capillũ quidem rationis Carolum hunc Caluum in capite habuisse effutire non dubitârit. *ibid. n. 104.* Cum tamen etiam ex hactenus à me disputatis cōstet, nihil dixisse Carolum, quod non iure dictum, & ratio omnis, & tota confirmet antiquitas, & exempla sanctissimorum corroborent Episcoporum.

scoporum.

scoporum. Et vnus Gregorius instar omnium esse debeat ... singularis modestiæ, & humilitatis, ac reuerentiæ & obedientiæ erga Principes exemplum præclarissimum. Et celebre est Anastasij Imperatoris dictum ad Hormisdam: Iniuriari, & annullari sustinere possumus, iuberi nō possumus, *inter epist. Hormisd. post ep.* 10.]

XLII. Illud vero merito vrget Carolus, & sæpius repetit, nullum habere Adrianum exemplum suorum prædecessorum, qui Regibus & Principibus præcipere fuerit ausus: cum potius Imperatores iubere & præcipere Pontificibus Romanis fuerint soliti, vt iam ostendimus. Contra hæc quid Baronius? Iracundia factum Carolum immemorem ait *tom. X. an.* 821. *n.* 105. Cum, *inquit*, (vt taceamus alia complura antiquorum exempla) ipse proximus (quis credat istat?) prædecessor Adriani Nicolaus, ad ipsummet Carolum scribēs, inter alia, his in pari caussa vsus verbis inuenitur, *ep.* 30. *& ep.* 17. Tanquam deuoto filio præcipiendo, fiducialiter mandamus, &c.] O præclaram parenthesim, & reticentiam! nullū ei prorsus antiquum exemplum suppetebat, sed neque suppetere poterat; complura tamen per callidam reticentiam sunt obiecta. Solum Nicolaum illorū dierum Pontificem profert, qui primus cœpit in Principes seculari typho nimium turgere. Sed Nicolai & Adriani cum eadem sint tempora, superiorum temporū exempla erant producenda, quę simul & Nicolai, & Adriani nouum modum, satis immodestum, Principib. imperandi inuehentium, tueri possent, & ab insolita turpiq; nouitate vendicare. Imo propterea arbitror Carolum succensuisse Adriano, quia, quod pietate, vt nouum & insolitum imprudenti Nicolao elapsum verbum texerat, & tacitus excusarat, videns id iam in vsu à sciente & volente Adriano reduci & vsurpari, ne malum vlterius serperet, voluerit obuiare.

XLIII. Carolus, *inquit, Baron ibid. n.* 104. Magnus, Carolo hoc Calno sapientior, *dist.* 19. *c. In memoriam* Sedem Apolicam esse honorandam asseruit; & licet ab ea imponatur iugum vix ferendum, pia tamen deuotione esse tolerandum.] Nondum fuerat expertus Pōtifices impetuosos, qui in temporalibus vellent sibi Imperatores subiugare. Iugum tamen in spiritualibus tolerandū esse indebat, vbi pro salute animæ, & in peccatorum pœnitētiam, grauis etiam satisfactio iniungeretur. Sed nimia conniuentia, imo etiam Principum socordia, qui in hoc Carolū hunc nō sunt imitati, eo deduxit Pōtifices, vt non modo Regibus imperare voluerint, sed etiam eos exauthorare, & deponere. Non ita fecerunt Græci Imperatores, qui semper, vsque ad Imperij illius exspirationem, summos sacerdotes intra suæ Ecclesiasticæ potestatis limites coercuerunt, nec eos egredi ad temporalia permiserunt. Titillauit aliquando etiam Constantinopolitanos Patriarchas hic pruritus sibi Imperatores subiiciendi, exemplo Romanorum Pontificum nonnihil excitatos; sed ipso initio, quo prurigo hæc exarserat, statim compressa est ab Imperatoribus, & exstincta. Narrat Curopalata de Michaele Cærulario Constantinopolitano Patriarcha, & Isacio Imperatore Commeno, quæ sequuntur; videbitur: *Curopal. apud Baron. tom. X I. an.* 1058. *n.* 17.

XLIV. Patriarcha inexplebili beneuolentia fretus Imperatoris, contra ipsum elatus est; non petitionibus modo, & admonitionibus vtens, si quando alicuius rei, aut pro aliquo indigeret; verum minime voti compos, propter frequentes & odiosas petitiones, minas, & absurdas increpationes adhibebat: ac nisi pareret, Imperij amissionem minabatur; vulgare ac tritum hoc dictum proferens: *Ego te condidi furne, & ego te deijciā.* Aggressus est etiam croco tincta induere calceamenta, antiqui sacerdotij morem hunc asserens, & oportere his vti nouum quoq; Archiepiscopum: nam inter sacerdotium & regnum nihil interesse: vel admodum parum: & in rebus pretiosioribus amplius fortasse, & magis colēdum sacerdotium. Hæc audiens Imperator illum mussitantem, studuit potius aliquid ipse perpetrare, quam pati. Quare cum Archangelorum dies festus aduenisset, egreditur Patriarcha ad Suburbana loca, Sostenium nominata, vt ibi studiose, ac solenni ritu, quæ ad diem festum pertinerent, perageret. Imperator autem lucro sibi obata occasione arrepta, veritus ne quis tumultus, aut perturbatio fieret, turmam militum mittit, qui communi lingua appellantur harangij, qui ipsum non sine ignominia è throno ereptum, ac mulo impositum vsque ad littus, quod est in Blachernis, impellentes deduxerunt, & ipsum & patrueles eius: atque inde in lembum impositum ad Proconesum, vbi exularet, perducendum curat.] Ita meruit, qui sibi plus, quam decuit vsurpabat. Et alij successores huius exemplo, vt a simili spiritu vertiginis sibi cauerent, sunt edocti. Si partus hic pestifer in curijs parturitione in Occidente nostro suffocatus, seu potius conceptus in vtero statim oppressus fuisset, immanis hæc potentia terrarum Orbem, cum tanto Principum terrenorum terrore non occupasset.

XLV. Videamus nunc, quomodo Pontifices nostri infelicem hunc conceperint fœtum, & quid eis tantam persuasit eos habere potestatem, & naturalem ex corruptione peccati, fouerit in eis ambitionem. Gregorius VII. qui primus venenatū hunc est enixus regulum, magnum cognominem Gregorium sibi asciscere conatus est fautorē. Is enim priuilegium quoddam, q Xenodochio Augustodunensi concesserat, eiusmodi pœnis comminatis stabiliuit *lib.* 12. *ind.* 6. *ep.* 10. Si quis vero Regum, Sacerdotum, iudicum, ac personarū secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, cōtra eā venire tentauerit: potestatis honorisq; sui dignitate careat— Hæc nisi, &c.— à sacratissimo corpore & sanguine Dei nostri Redēptoris Iesu Christi alienus fiat: atq; in æterno examine districtæ vltioni subiaceat.] Similia habet idem Gregorius in priuilegio Monasterij S Medardi, *in fin. registri.* Atq; ex his Gregorij Magni verbis, Gregorius ipse VII. sibi clypeum parare conatus est, dicens: *lib.* 8. *ep.* 21. Quod B. Gregorius, Doctor vtiq; mitissimus Reges, qui statuta sua super vnum Xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decreuit; quis nos Henricum, non solum Apostolicorum iudiciorum contemptorem, &c.] Item *lib.* 4. *ep.* 2. Considerent, *inquit*, cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuerit, & omnes Francigenas à vinculo iuramenti, quod sibi fecerant, absoluerit. In registro B Gregorij addiscant, quia in priuilegijs quæ quibusdam Ecclesijs fecit, Reges & Duces contra sua dicta venientes, non solum excōmunicauit, sed etiam, vt dignitate careant, iudicauit. Nec prætermittant, quod B. Ambrosius non solum Regem, sed etiam reuera Imperatorem Theodosium moribus & potestate non tantū excommunicauit, sed etiam, ne præsumeret in loco Sacerdotum in Ecclesia manere, interdixit.] Tertio etiam idem exēplum ex Gregorio inculcat. *lib.* 4. *ep.* 23. Haud quidem miror Hildebrandum, qui se semel inextricabili labyrintho implicasset, vndiq; sibi effugia & excusationes conquirere, ne videretur temere ingressus, & quasuis ratiunculas, vt vt leuiculas ac importunas coaceruare: Miror tamē Viros doctos nostros Theologos, ac præsertim Bellarminum *de Rom. Pont. l.* 5. *c.* 8. *& Baron. to.* 8. *an.* 593. *n.* 92. *& an.* 603. *n.* 23. *& to.* 9. *an.* 800. *n.* 24 iactare, tanq̄ Regiæ potestatis magistrum Flagelliferum, planeq; Sceptrorum distractorē Gregor. Magnū: Illum

videli-

videlicet, qui ex obedientia etiam iniquas Mauritii leges promulgabat, neque interea depositionem Imperatoris grauissime, vt ipse putabat, errantis, vel cogitare potuerat; iam Regum faciunt eum; pro sola paucorum Monachorum temporali commoditate, depositorem. Neque certum est illam Gregorij esse simplicem, vt de more fieri solet, imprecationem, ac terrificam adiurationem; Regibus enim, & Iudicibus laicis, si obstiterint, imprecatur, vt, Deo vindice, honoris etiam faciant iacturam; sicut eisdem in dicto priuilegio Sancti Medardi, si modo Gregorij hæc sint, & absit impostura, imprecatur, vt eum Iuda, traditore Domini, in Inferno inferiori damnentur. Imo illud etiam, quod dicit de corpore & sanguine Domini, non est excommunicatio, sed simplex imprecatio; vt in pœnam contemptus Apostolicæ concessionis eo deuenirent, vt eis sacramenta etiam diuina denegentur. Vsus est eodem imprecandi genere etiam Paschalis Secundus in priuilegio Cisterciensium. *apud Baron. tom. 12 an.* 1100. Quinimo etiam Reges laici per modum execrationis & imprecationis soliti sunt excommunicationes iaculari. Ita Ricardus Rex Angliæ in quodã suo priuilegio subdit: *apud Iunes. III. lib. 1. ep.* 109. Nos autem, quantum Rex potest, excõmunicamus, & concedimus, quòd incurrat indignationem Omnipotentis Dei, &c. In hoc S. Medardi priuilegio Regina Brunichildis, & Rex Theodoricus subscripserunt; etiam multi Episcopi; nunquid ergo illi deponunt Reges? Etiam laici, & fœminæ prædia sua donantes Monasteriis, solent aliquando huiusmodi subiungere clausulam contra quemuis, qui irritam donationem fecerit: Dei maledictio, & nostra cadet super eum, &c. Imo vero in Romanos Pontifices ab aliis præcessoribus solent eiusmodi anathemata & excommunicationes proferri: non quidem authoritatiue (par enim in parem non habet potestatem) sed imprecatiue & execratiue. Exemplum habemus Pauli Papæ, qui priuilegium quoddam cuiusdam Monasterij tali quodam anathemate, sicut fecerat Gregorius, vallauit, dicens: *apud Baron. tom. 9. an.* 761. *num.* 12. Si quis autem ex nostris successoribus Pontificibus, aut ex quocunque homine — præsumpserit quocunque argumento — destruere aut dissoluere — sciat se, Domini nostri Iesu Christi, atque beati Petri, Principis Apostolorum, authoritate insolubili anathematis vinculo innodatum esse, & à regno Dei alienatum.] De Theodosio satis dictum est *cap. 9. num.* 18. De Zacharia vero dicam paulo inferius. Miror autem, quod inter tot exempla Gregorium Magnum non protulerit Bellarminus, vbi ille Montanum & Thomam ciues facit Romanos *lib. 5. cap.* 12. Sed, puto, cognouit, non ex Pontificali authoritate, sed ex quadam necessaria sequela, & indirectè eos Gregorium ciuitate donasse, & non per actum potestatis spiritualis, sed per actum potestatis temporalis, quia illos, qui famuli & serui erant Ecclesiæ, manumisit, & cõsequenter libertate donatos ciues fecit. Quo pacto priuatus quisque ciues creabat, dum suos seruos faceret liberos. Nouissimum vero est, tempore Gregorij I. Romanam vrbem totam fuisse iuris Imperatorum.

XLVI. Gregorium secundum obiiciunt, *Bellarmin. de Roman. Pontif. lib. 5. cap. 8. & contr. Barcl. cap.* 41 *& Baron. tom. 9. ad ann.* 726. *&* 730. potestatem suam in Leonem Isauricum, non solum eum excommunicando, sed etiam & obedientia populi Italici, & vectigalibus priuando, exercuisse. De excommunicatione quæ dicitur in hunc Leonem à Gregorio & secundo & tertio lata, iam egi *cap. 9. num.* 18. & ostendi illam non fuisse veram excommunicationem: Quod vero spectat ad hanc priuationem tributorum, planum est, Græcos historicos eam in Gregorium referre authorem: & quod illi dedecoris loco posuerunt, vt nostrum Papam infamia aspergerent, tanquã prohibentem tributa dari Cæsari: *Luc.* 23. 2. nostri Theologi vt magnum decus extulerunt: & vbi huic assertioni obstare deberent, eam illi, etiamsi incerta sit, certissimam esse volunt, & contendunt: ac vt Papam nostrum faciant Regibus & Imperatoribus in temporalibus superiorem, iniquissimum facere non verentur, & diuini, naturalis, atque Euangelici iuris conculcatorem. Absit hoc de Gregorio credere, quod Græci non leui fortasse suspicione moti in ipsum coniecerunt. Sciebat enim aliquandiu Gregorium restitisse populis Italicis, *Anastas. in Gregor.* II. ne deficerent ab Imperatore, quod toties tentarant, tum propter Iconomachiam, tum propter sæpius Gregorio ipsi depositionem & necem intentatam: cum vero tandem oppidò fessus non potuerat eos in obedientia continere, destitit à resistentia, diuinæ prouidentiæ rem committens; tum vero populi ipsi negarant solita vectigalia, qui etiam obedientiam iam statuerant esse denegandam. Et ex hoc Gregorius putatus est author vectigalium subtractorum. Si enim ipse populis iussisset, vt tributa Leoni non penderent, non ex potestate, vt superior, qui in hoc non erat, sed ex odio, vt inimicus, qui erat, in vindictam cum graui peccato id fecisset, contra Christi præceptum: *Matth.* 22. 21. *Reddite Cæsari*: Et Apostoli, *Roman* 13. 7. *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Sed hoc intelligitur, ait Bellarminus, *contr. Barcl. cap.* 41. de Cæsare legitime Imperante. Quis dubitat? At cur Leo non legitime imperabat? Quia, *inquit*, ob crimen hæresis à summo Pontifice publice excommunicatus fuerat.] Hoc falsum esse iam docui: quod si verum esset, excommunicatio non priuat hominem, quo minùs iure suos percipiat redditus. Et ab Imperio, *inquit*, depositus, non erat vere & iure Cæsar; sed tyrannus & persecutor sub titulo Cæsaris.] Ecce, quam facile credunt, quod cupide volunt. En vana veri expertia insomnia: Vbinam ista depositio? quæ etsi daretur, nulla tamẽ esset. Sed vir prudens, pius & sapiens, non tantum sibi arrogasset, quantum Gregorius Septimus primus sibi pessimo exemplo arrogauit. Et Leo vsque ad mortem permansit in Imperio. Sane Gregorius ipse II. epistolas suas signat ordinarie annis eiusdem Leonis Imperatoris, hoc pacto postremam, quæ extet, imperante Domino piissimo Augusto Leone, à Deo coronato magno Imperatore, anno octauo, *epist. 7. tom. 2. epist. Decret. Rom. Pont.*] Sed prætensa illa priuatio facta est *Baron. tom. 9. an.* 726. *n.* 25. anno 11. eiusdem Leonis, & Gregorij XIII. post quem annum nullas habemus dicti Gregorij epistolas; nihilominus Gregorius III. cui etiam Leonis depositio ab Onuphrio superius tribuitur, eodem pariter modo suã subsignat vnam epistolam, videlicet, imperante Domino piissimo Augusto Leone, imperij eius anno 23, *Greg. 3. ep.* 5. qui fuit imperij & vitæ ipsius penultimus, *Baron. tom. 9. an.* 741. *init.* Quis ergo eum asserat depositũ fuisse, quem Roman. Pontifex Imperatorem pene vsq; ad mortẽ agnoscit, & fatetur? Quod vero rebelles ei semper in Italia non paruerint, id ad factum spectat, quod Principes iure regnandi non priuat. Onuphrius, *inquit Bellarminus*, in additionib. ad Platinam in Gregorio II. asserit, Gregorium hunc Leoni imperium Italicum iure eripuisse. Respondeo primò, mihi non constare laudetne hoc factum, an vituperet Onuphrius: habet quidem verbũ (*iure*) sed & ait (*Gregorius maioris ausus*) comparat illum cum prædecessore Constantino, quem primum dicit in os restitisse Philippico, & constantissime recusasse, ne tolleret imagines: at Gregoriũ maiora

ausum

ausum aduersus Leonem: quasi indicet illum merito restitisse hæresi: hunc vero maiora ausum, dum Italicum Imperium ei eripuerit, nimirum vectigalia & obedientiam ei vt negarentur persuadendo effecerit: in quo videtur agnoscere quiddam in magnis ausis deputandum. Respondeo secundo, Onuphrium secutum esse Anastasium Bibliothecarium, & alios, quos citat, authores: videndum ergo esset, quid illi dicant. Respondeo tertio exceptionem hanc Imperij Italici Onuphriũ in chronico Romanorum Pontificum non in hunc secundum, sed in tertium immediate sequentem Gregorium retulisse: & nõ per modum Imperij ac iudicij, seu sententiæ, sed per modum tantum persuasionis & commotionis, ac, vt ita dicam, seditionis. Ait enim: Italia ab Imperatore Constantinopolitano Leone hæretico Iconomacho, authore Gregorio III. Papa, defecit.] Anastasius tamen Bibliothecarius in hoc ipso Gregorio II. narrat, Italos in Imperatorem imagines oppugnantem, & Gregorium persequentem valde commotos, orta inter ipsos diuisione, vt alij partes Imperatoris, alij partes Pontificis sequerentur, Pontificios quidem Paulum Patricium exarchum occidisse, & aliquot Ciuitates, ac ipsum Exarchatum facta cõtra Imperatorem rebellione sese Longobardis dedidisse. Itaq; nullam fecit, nullam dixit, nullam pronunciauit Gregorius in Leonem sententiam depositionis: sed quicquid amisit in Italia Leo, amisit ex ipsorum Italorum defectione. Et quia ex probabili præsumptione Gregorius putabatur author denegationis tributorum, vt dixi, ideo in huius rei vindictam Leo, reditus patrimonij Romanæ Ecclesiæ, quos in Sicilia illa possidebat, in fiscum inferri præcepit, vt tradit Theophanes. Quemadmodum igitur factum hoc Leonis non arguit depositionem Papæ, aut mulctam iuridicam à Leone, tanquam superiore Papæ irrogatam; ita neque factum Papæ contra Leonem, si ei subtraxit Italica vectigalia, tale quidpiam potest in Papa arguere. Nihil igitur habent ex Gregorio Secundo Hieromonarchici.

XLVII. Zachariæ facto Papalem potestatem in Regum depositione, & aliorum substitutione confirmat. Oblitus est sine dubio suæ doctrinæ Illustriss. *Bellarminus de Roman. Pont. lib. 2. cap. 17. & lib. 5. cap. 8. & contra Barcl. cap. 3. & cap. 42. & de translat. Roman. Imp. lib. 1. c. 2.* dum veram cognoscit in Zacharia superioritatem, & authoritatem Childericum deponendi, laudatque & approbat factum, & certo ad hanc depositionem eum deuenisse: & tamen directam in Reges potestatem iam negauit Romano Pontifici in temporalibus, solamque indirectam concessit, vbi ita salus poscat animarum. Doceat itaque quo pacto sua spirituali potestate indirecte priuauerit regnandi potestate Zacharias Childericum. Quicunque vero scribunt de hac Pipini coronatione, omnes eam solam caussam afferunt, quod Childericus esset prorsus ignauus, liberis orbus, vecors, ac stupidissimus. Quid hæc, obsecro, ad salutem animarum? Quid tua, ô Pontifex? Quid tua refert Regum cerebella degustare, verũ salis aliquid habeant, an sint insipida? Quis Petri animarum piscatoris successorem fecit medicum, vel physiognomicum, vt de temperie & indole Regum sententiam ferret, vtrum necne stupidi sint, liberis gignendis inepti, ignaui, ac demum regno inhabiles? O stupendam potius quam stupidam Pontificiæ authoritatis extensionem; cui certe Zacharias ille nunquam se immisceret, nec de his, vt iudex, vnquam responderet; siquidem huius rei iudex non sederet. Consultor, vt mox dicemus, esse potuit; non iudex. Sed ad spiritualem potestatem hæc vult ex obliquo pertinere Bellarminus, *vbi supra*, edoctus, scilicet, à Bonifacio: Bonifacius, *inquit*, scribit, ex hac Regum socordia res quoque Ecclesiasticas & spirituales pessime se habuisse.] Hoc est violentissime prætexere actionem illam casualem: socordia enim Childerici, sicut nihil prorsus oberat optimæ Regni administrationi in temporalibus, quæ erat in manibus Pipini, cum plenissima authoritate; ent, obsecro, rebus Ecclesiasticis poterat obesse? Quid Regi cum Ecclesia (inquiunt Hieromonarchici) quantumcunque alacer sit & solers? Qui tales Reges volunt à Papa deponi ne rebus Ecclesiasticis obsint, ipsi interea nolunt Regem vllum in Regimen Ecclesiasticum & Ecclesiasticorum se posse ingerere. Non igitur culpa & defectu Regis, sed Episcoporum & Prælatorum, spiritualia apud Francos pessum ierant. His subleuandis & restaurandis nihil depositio proderat Childerici: sed reformatio Cleri sola Ecclesiastica Papali potestate debebat promoueri. Si modo ergo de facto sententia iudiciali deposuerit Zacharias, directe & non indirecte hanc præsumpsit depositionem: & quod nullo iure poterat, vt est & ostensum & concessum, id attentauit, & defectu duntaxat rem peregit. Quod si addas rei iniustitiã, quod cum summa Childerici iniuria id factum fuerit, vt non improbabiliter dicunt aliqui: certe Zacharias à graui scelere defendi non poterit. Et quamuis suos habeat laudatores, si rarum contrarium euincat, nõ laudatores erunt, sed (transpositis aliquot eiusdem vocis literis) adulatores. Quamuis historicorum in hoc iudicium, qui facta narrant, & ea non discutiunt, facile sit contemnendum.

XLVIII. Ego vero Zachariam de vsurpata authoritate, quam certe nullam habebat, nullo modo dixerim reprehendendum. Is enim hoc negotio non iudicis & superioris, sed meri consultoris functus est officio. Tunc enim temporis, *ait Almaynus*, non erat Vniuersitas Parisiensis, quia tempore Caroli Magni fundata fuit, & sic pauci erant docti in Francia, & habuerunt recursum ad Papam: & sic deposuit, hoc est, consensit, vt possent deponere; & sic non deposuit authoritatiue.] Hæc Almaynus, *de potestat. Eccles. & laic. quæst. 2. cap.* 8. Et Glossa etiam idem dicit, nimirum: Papa dicitur deposuisse Childericum, qui deponentibus consensit. *Gloss. in cap. Alius. 15. quæst. 6.*] Vnde & Aimoinus narrat *de gestis Franc. lib. 4. cap. 61.* Legatos Romam missos ad Zachariam Papam, vt consulerent Pontificem de caussa Regum, qui in illo tempore fuerunt in Francia: qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem Regiam habebant. Per quos dictus Pontifex mandauit, melius esse illum vocare Regem apud quem summa potestas consisteret. Dataque authoritate sua iussit Pipinum Francorum Regem institui.] Ita Aimoinus. In quo ne vitium offendas, sed consequenter locutum iudices eum seorsum accipe: Consultum duntaxat Papam vtrum censeat nomine Regis digniorem, vnumne qui solo nomine vocetur Rex sine potestate, an alium qui tota plena potestate polleat Regia, sed nomine Regis careat. Et Papam thesi, non hypothesi respondisse, eum qui potestatem habeat regiam, etiam Regem esse vocandum. Ex qua thesi Pipinus & proceres, ac populus, qui illum amabant, & plene Regem expetebant, per hypothesim Regnum Pipino applicuerunt. Ita vt Papa dicatur data authoritate, hoc est, data declaratione theorica, licere populo eum in Regem coronare qui regiam habebat potestatem, iussisse; hoc est, vt rem licitam declarasse, si Pipinus plene Rex sicut erat potestate, ita etiam nomine vocaretur. Idem penitus sensus est pene omnium illorum duodecim, quos in contrarium profert Bellarminus, *contr. Barcl. cap. 11.*

XLIX. Quo-

XLIX. Quoniam tamen habita iam hac à Zacharia dubij resolutione, liceret id, nec ne, duo videbantur impedimenta obstare, quo minus effectum res sortiretur: alterum Iuramenti Childerico præstiti; alterum consecrationis, & inunctionis; voluerunt vlterius à Papa scire, quid agendum, cum præsertim & iuramenta & consecrationes sacri iuris esse viderentur. Vtrumq; Papa sustulit, qui plurimum Pipino debebat, & à quo auxilium aduersus Aistulphum & Longobardos sperabat. Ideoque hoc etiam declarauit, iuramentum fidelitatis Childerico factum nihil obstare, quo minus cōuerterant illud erga Pipinum: quandoquidem Childericus, qui nihilo secius iamdiu Regnum nō gubernabat, sed Pipinus, sicut sponte cesserat & cedebat potestatem regiam Pipino, ita in eum subditos omnes, eorumque obligationes omnes iam transtulisse sponte censendus erat. Et consequenter licentiam dabat, vt Bonifacius illum sine scrupulo, vt dicitur, inungeret, & Regem consecraret. Quæ omnia sunt accidentaria Regi & extrinseca: Neque enim per hæc Rex acquirit Regnū, ac regiā potestatem: vnde & rursus Pipinus voluit suam consecrationē repeti à Stephano Papa, *Anastas. in Steph.* 3. tanquam rem, quæ ad deuotionem, & non ad authoritatem pertineret. Itaque Zacharias neque deposuit proprie Childericum, neque Pipinum fecit Regem, sed cum populo optimates; Zacharia tamen suo consensu, seu consilio rem licere ostendente. Et hoc tantum sibi volunt authores omnes, qui authoritate Zachariæ Pipinum Regem factū esse, ante Gregorij VII. tempora scripserunt. Alios vero posteriores, quicquid dicunt, & quocunque sensu id dicant, non moramur. An vero bene vel male Zacharias id consoluerit, viderit ipse; ad rem nostram hoc nihil facit: satis nobis est Zachariam suam in hoc potestatem nullam exercuisse, sed solum consilium interposuisse. Immerito ergo in hoc Barclaius temeritatis arguitur à Bellarmino.

L. Eodem consilij genere vsi sunt postea Lotharij Imperatoris fratres, Ludouicus & Carolus, quando Lotharium è regno Francico pepulerunt. Aquis enim (vt scribit Nithardus, qui præsens erat, *apud Baron. tom. 9. an. 842. init.*) substiterunt, quid consultius de populo ac Regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primum quidem visum est, vt rem ad Episcopos, Sacerdotesq;, quorum aderat pars maxima, conferrent, vt illorum consulto veluti numine diuino harum rerum exordium atque authoritas proderetur; & hoc illis, quoniam meritoratum videbatur, commissū est.] Et post aliquas considerationes ab Episcopis factas addit idem author: Ergo omnibus vnanimiter visum est, atque consentiunt, quod, ob suam nequitiam, vindicta Dei illum eiecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se, iure ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaq̄ illis Episcopi hanc licentiam dedere, donec palam illos percōtati sunt, vtrum illud per vestigia fratris eiecti, an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem, in quantum nosse & posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se & suos gubernare; & regere velle aiunt. Et authoritate Diuina, vt illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.]

LI. Quid aliud, obsecro, fecerunt hi Episcopi, nisi quod, quid liceret, habita consultatione, pronunciarint, ac definierint iam posse, imo & debere Lothario abiecto fratres ipsos curam Regni, & regimen Regnum assumere? Licereque eis in Lotharij locum subintrare? Quid aliud fecit & Papa Zacharias, nisi prorsus hoc ipsum, quod hi Episcopi effecerunt? quis vero hinc colligat, Episcopos illos deposuisse Lotharium, & Ludouicum ac Carolum Reges fecisse? Quamuis Baronius *ibid. nu. 3.* hoc ipsum asserere non dubitarit; feceritq; Episcopos hosce iudices de Regno & Regibus: vbi tamen ipsemet ex Nithardo protulit illos ad cōsultationem tantum adhibitos, remque licere arbitratos, monuisse & hortatos fuisse duos fratres, vt Regnum capesserent. Imo etiam hoc præcepisse, hoc est, ad hoc eos obligatos esse exposuisse; ac ostēdisse, eos Regnum deserere tuta conscientia non potuisse. Frustra ergo ibi lacessit Nouatores.

LII. Hic sequeretur validissimum, vt putant Hieromonarchici, argumentum potestatis Papæ in regna temporalia, ab exemplis & factis petitum; de Translatione nimirum Romani Imperij à Græcia in Carolum Magnum, per Romanum Pontificem facta: sicut & de Electoribus eiusdem Romani Imperij ad septenarium numerum per Sedem Romanum reductis, & institutis. Sed quia hoc argumentum vtroque hoc respectu agitatum, satis longam poscit disputationem, proprio seorsim Capite à me inferius pertractabitur. Nunc aliis à Bellarmino propositis exemplis examinandis pergamus.

LIII. Post octauum igitur exemplum, quod fuit Gregorij V. electores instituentis, profert Bellarminus nonum Gregorij Septimi, qui Henricum Quartum deposuit; *de Rom. Pont. lib. 5. cap.* 8. Decimum Innocentij Tertij contra Othonem Quartum: Vndecimum Innocentij quarti aduersus secundum Fridericum: Duodecimum & vltimum Clementis sexti, qui deposuit Ludouicum Bauarum. Ego vero vlterius pergere nolo in propositis exemplis; sed hic sisto: ac retorqueo in aduersarios hanc machinam, hoc est ductum ab exemplis argumentum, hoc pacto. Per mille & septuaginta annos à fundatione Ecclesiæ Christi, vsque ad Gregorium Septimum, nullum vel minimum signum apparuit vnquam in Ecclesia, vllius siue directæ, siue indirectæ potestatis aduersus Regna & Reges, qua possit eos Ecclesia, quacunq; ex caussa vel occasione, sua propria, Ecclesiastica authoritate instituere vel destituere: ergo Ecclesia tali omnino caret potestate: Nam olim & longe grauiores caussę & occasiones frequentissimę occurrerunt, & salus animarum in longe grauiori periculo sæpissime fuit constituta, & vires nihilo minores, si non etiam sæpe maiores, habuerunt Christiani, præsertim post tempora Caroli Magni, & tamē nunquam in mentem venit Prælatis Ecclesiæ, vt de Regum ac Principum impiorum depositione cogitarent. Nemo vnquam per tot sæcula repertus est, qui in suis vel disputationibus, vel commentariis, vel scriptis quibuscūque, saltem à longe innuerit, in Ecclesia esse talem potestatem: plurimi tamen, vt vidimus, eam negarunt, & reprobarunt: Gregorio soli septimo, eiusque assentatoribus Diaboli ministris, & post ipsum aliis, nostrisq; Hieromonarchicis Theologis proculdubio Sathanas ille inimicus cogitationem sane pestiferam suggessit, & adhuc suggerit; vt sacculo hoc ignibus Tartareis conflato, & Pontificibus in manus iniecto, fodiatur terra Ecclesiæ, ac disponatur, vt ipse seminet maximorum zizania scandalorum.

LIV. Vrgere adhuc possunt & iuramenta fidelitatis ab Imperatoribus exhiberi solita Romano Pontifici Imperatorem coronaturo proferre. Huiusmodi enim iuramenta à subditis fiunt suo superiori in temporalibus. A Papa igitur Imperium se habere, & accipere, tali iuramento Imperator profitetur, & fit homo Papę, eiusq; Vasallus.] Respondeo si hæc iuramenta essent vera fidelitatis iuramenta, cum Vasallagio, ac homagio: certe neque Fridericus Primus, qui ab Adriano coronatus fuerat, eiq; ordinarium præstiterat iuramentū,

Act. Adr.

Ab. Abr. apud Baron. tom. 12. Ann. 1155. tantopere renuisset: (quod infra *sequenti capite* 11. *num.* 16. videbimus.) Imperium à Papa recognoscere: Neque picturam quandam Laterani cum versibus Lotharium hominem Papæ facientibus delendam curasset: Neque Adrianus eam vnquam deleri passus fuisset, neque sua dicta de collatione Imperij reuocasset. Et tantum abest, vt idem Imperator ex coronatione se habere Imperium cognouerit, vt etiam, quo tempore coronandus ad Vrbem accesserat, antequam coronam obtinuerit, se plenissimè Imperatorem & Vrbis Dominum esse sit professus. Romani enim Arnaldistæ legationem ad eum expediuerant, vt antequam Romanæ, non Ecclesiæ, sed ciuitatis nomine & autoritate per Papam coronaretur, priuilegia sibi iuraret vetera, & noua concederet. Atque ei in hunc modum ista reducebant, *Apud Frisin. l. 2. c. 21*: Hospes eras, Ciuem feci; aduena fuisti ex Transalpinis partibus, Principem constitui; quod meum iure fuit, tibi dedi. Debes itaque, &c.] Arnaldistæ sub prosopopeia Romæ ita loquuntur: Sed fac, quæso, ista à Papa dici; potest enim ille hæc commemorare, si ab eo Imperium conceditur. Audi quid Imperator ad istam nondum Imperiali corona à Papa redimitus:

LV. Multa, *inquit*, de Romanorum sapientia, seu fortitudine hactenus audiuimus: Magis tamen de sapientia: Quare satis mirari non possumus, quòd verba vestra plus arrogantiæ tumore insipida, quàm sale sapientiæ condita sentimus. Antiquam tuæ proponis Vrbis nobilitatem, diuæ tuæ Reipublicæ veterem statum ad Sydera sustollis: Agnosco, agnosco, vt & tui scriptoris verbis vtar: *fuit, fuit quondam in hac Republica virtus*: *quondam* dico; atque ô vtinam tam veraciter, quàm libenter nunc dicere possemus: Sentit Roma tua, imò & nostra, vicissitudines rerum; sola euadere non potuit æterna lege ab auctore omnium sancitam cunctis sub Lunari globo degentibus sortem. Quid dicam, clarum est, qualiter primò nobilitatis tuæ robur ab hac nostra Vrbe translatum sit ad Orientis Vrbem regiam; & per annorum curricula vbera deliciarum tuarum Græculus esuriens suxerit: superuenit Francus verè nomine, & re nobilis, eamque, quæ adhuc in te residua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, senatoriæ dignitatis grauitatem, tabernaculorum dispositionem, equestris ordinis virtutem, & disciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? nostram intuere Rempublicam; penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non cessit nobis nudum Imperium, virtute sua amictum venit, ornamenta sua secum traxit: Penes nos sunt Consules tui, penes nos est Senatus tuus, penes nos est miles tuus. Proceres Francorum ipsi te consilio regere, Equites Francorum ipsi tuam ferro iniuriã propellere debebunt. Gloriaris, me per te vocatum esse, me per te primo ciuem, post Principem factum, quod tuum erat, à te suscepisse. Quæ dictis nouitas quàm ratione absona, quàm veritate vacua sit, æstimationi tuæ, prudentumque relinquatur arbitrio. Reuoluamus modernorum Imperatorum gesta; si non diui nostri Principes Carolus, & Otho, nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam, Græcis, seu Longobardis Vrbem cum Italia eripuerint, Francorumque apposuerint terminis. Doceat hæc Desiderius, & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris; quibus tanquam Principibus innitebaris; eos à Francis nostris non solùm subactos, & captos fuisse, sed & in seruitute ipsorum consenuisse, vitam finisse, vera relatione didicimus. Cineres ipsorum apud nos reconditi euidentissimum huius rei repræsentant indicium. Sed dicis: vocatione mea venisti. Fateor vocatus fui. Redde causam, quare vocatus fuerim. Ab hostibus pulsabaris, nec propria manu Græcorum ve mollitie liberari poteras: Francorum virtus inuitatione adscita est: implorationem potius, quam vocationem hanc dixerim: implorasti misera felicem, debilis fortem, inualida validum, anxia securum. Eo tenore vocatus, si vocatio dicenda est, veni: Principem tuum, militem meum feci; teque deinceps, vsque in præsentiarum in meam ditionem transfudi: legitimus possessor sum, eripiat quis, si potest, clauam de manu Herculis. Siculus, in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad priora respiciat exempla: nondum facta est Francorum, siue Teutonicorum manus inualida: Deo largiente, vitaq; comite, & ipse temeritatis suæ quandoque capere poterit experimenta. Iustitiam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo quod Principem populo, non populum Principi leges præscribere oporteat: Prætermitto quòd quilibet possessor, possessionem suam ingressurus, nullũ conditionis præiudicium pati debeat, ratione contendamus.] Et post nonnulla, Ad tertiũ, *inquit*, venio capitulũ. Affirmas pro pecunia quadã iuramentum præberi à mea deberi persona: proh nefas. A tuo, Roma, exigis Principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab institore? A captiuis hæc penes nos exiguntur. Num in captiuitate detineor? num vinculis hostium vrgeor? nonne multò & forti stipatus milite inclytus sedeo? Cogetur Princeps Romanus contra suam voluntatẽ cuiuslibet præbitor esse, non largitor? &c.] Ista Fridericus nondum coronatus, sed proxime coronandus. Et quis, obsecro, dicat hunc proxime fidelitatem iuraturum, & inuestiturã Imperij, scil. sibi præcario dandã tanquam Vasallum accepturum, tam vehementi tamen spiritu se Dominum iam esse & totius Imperij Occidentalis, & Vrbis, & absolutissimũ Dominum & Principem profiteri? Vt propterea Adrianus, Romanis vel inuitis, eum in Vrbem admiserit, & coronauerit.

LVI. Iuramentum itaq; in coronatione Imperatoris ad fauorem Papæ illum Romana autoritate coronantem, papali verò potestate benedicentem, & consecrantẽ, fieri solitum, non est propriè fidelitatis, & obsequij, seu hominij, & Vasallagij iuramentum: sed solũ cõtinet promissionẽ, de ipso Papa non lædendo, deq; ipsius persona ac S. Christi Ecclesia protegendã. Est enim Imperator Christianus præcipuus Ecclesiæ protector & aduocatus. Extat iuramentum Othonis magni factum Ioanni XII. in quo nullum habes vestigium homagij, seu obedientiæ, aut subiectionis. *Dist. 63. c. Tibi Domino.* Et in diplomate eiusdem Othonis sunt promissiones quædam, *Apud Baron. tom. X. an. 962. nu. 3.* quas sibi idem Otho ab eodem Papa voluit iurari; *Ibid. ann. 960. num. 5.* in quibus longè maior cernitur subiectio Papæ, & Ecclesiæ Romanæ erga Imperatorem, *Ib. ann. 962. nu. 8.* Vt omnis clerus (*habet diploma Ottonis*) & vniuersa populi Romani nobilitas —— Sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio —— canonicè fiat; & vt ille, qui —— eligitur, nemine consentiente, consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorũ, vel filij nostri, seu vniuersæ generalitatis faciat promissionem —— qualem dominus & venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.] Romani ergo Pontifices consecrati nõ poterant sine Imperatoris licentia; & promittere Imperatori tenebantur aliquid, quod à Leone promissum fuisse asserit Otto. Quid verò Leo, aliquis ex iis, qui Ottonem non remotè præcesserunt, ante Leonem nimirum octauum, promiserit, non inuenio, si præsertim is fuerit Leo septimus: puto tamen hic intelligi Leonem IV. qui [*Dist. 10. c. de capitulis.*] capitula Imperialia se ser-

uaturum professus est. Nam & Eugenium (profectò secundum) qui Leonem quartum annis circiter 24. sub Ludouico & Lothario præcessit, huius promissionis primum facit autorem Otto in hoc eodem diplomate: quem Eugenium alij successores sunt in eadem promissione de seruandis illis capitulis imitati: *Apud Baron. ibid. nu. 7.* secundū quod, *inquit Otto*, in pacto & constitutione, ac ꝓmissionis firmitate Eugenij Pontificis, successorumq; illius, continetur.] De Henrici II. promissione hæc scribit Ditmarus: Antequam introduceretur (*in Ecclesiam Sancti Petri*) ab eodem (*Papa Benedicto Octauo*) interrogatus, si fidelis vellet Romanæ patronus esse, & defensor Ecclesiæ: sibi autem, suisq; successoribus per omnia fidelis, deuota professione, respondit.] Fidelitatem hanc intellige, tam negatiuè, non offendendo, non persequendo, non impediendo, &c. quam positiuè, in protegendo, & ab hostibus, & persecutoribus defendendo. Vt habetur in juramento Othonis: *Tibi Domino*, &c. De Friderico I. illud habent Acta Papæ Hadriani IV. *Ibid. tom. XII. ann.* 1155. Iurauit vitam, & membra non auferre: sed conseruare Papæ Hadriano, & Cardinalibus eius omnia sibi debita iura; nec malam captionem facere, nec honorem, nec bona sua auferre ab eis, nec auferri permittere: sed &, si quis auferre vellet, omnimodè prohibere, & contradicere: post illatam verò iniuriam pro posse suo, & abdicare facere, & emendare, atque conseruare.] Solam hic etiam audis & vides protectionem, & amotionem iniuriæ. Se verò Imperium non propterea à Papa professum esse accepturum, satis oratio eiusdem ad Legatos Romanos habita, nunc à me recensita declarat. De Henrico V. ita scribitur, *Roger. in Annal. Ang.* Nuncios suos ad Clementem III. Papam, & ad Cardinales & Senatores Vrbis: petens Romanum Imperium, & promittens se in omnibus leges, & dignitates Romanas seruaturum illæsas.]

LVII. De hoc Imperiali iuramento sic Almaynus, *de potest. Eccles. & laic. q. 2. ad Occam cap. 9. 10. 11.* Nego, quòd Imperator teneatur præstare iuramentum fidelitatis Papæ. Imò potius è diuerso, Papa habens prædia tenetur potius præstare iuramentum fidelitatis Imperatori, ratione prædiorū, & ad tributū soluendū. Pręstat tñ Imperator iuramentū Papę, non ratione Imperij, sed ꝙ tuebitur & defensabit Ecclesiam, sicut Rex iurat in curia parlamenti, se defensurum Regnum, & tamen non accipit potestatem regiam ab illa curia. Vnde iure naturali inter Dominum & subditum est mutua obligatio: quia Dominus siue Princeps, tenetur subditos defendere & tueri, & ipsi tenentur ad tributum soluendum Principi. Dico ergo quod non iurat, neque præstat iuramentum Papæ, tanquam recognoscens illum superiorem in temporalibus, sed vt dictum est.] Quod si Papa tenetur ad tributum Imperatori soluendum, profectò in hoc erit subiectus Imperatori, *Extra de cens. c. Omnis anima.* Tributum enim, est probatio subiectionis. Certè in Pontificali Romanus Imperator coronandus hæc tantùm iurat, *Clem. 1. de iureiur.* Promitto, spondeo & polliceor atque iuro — me de cætero protectorem & defensorem fore summi Pontificis, & huius S.R.E. in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo & conseruando possessiones, honores, iura, &c.] Reges similiter Episcopis ipsos benedicentibus, vt est in eodem Romano Pontificali, iurant iustitiam & pacem Ecclesiæ, & Pontificibus condignum honorem exhibere, & Ecclesijs ab Imperatoribus & Regibus collata obseruare.] Sicut igitur Regum hoc iuramentum non est fidelitatis, quia non sunt Episcoporum vasalli, sed contra; ita neq; illud Imperatoris, cum sit omnino simile in substantialibus. Quod autem Clemens V. in propria caussa, cum tanto Imperatorum præiudicio, ipsis neq; citatis, neq; auditis, *Ibid.* definierit, iuramentum illud Imperatorū esse verè & propriè fidelitatis iuramentum, ex iam dictis nullius est momēti; & miror sacratissimos Imperatores illam Clementinā tandiu tolerare, per quam expresse declarantur esse Papæ vasalli. Sunt tamen Doctores, qui mitem illi Clementinę, alioquin intolerabili, adhibent interpretationē, *Ant. de Rosel. par. 1. Monarch. c. 72.* Vt sit illud fidelitatis iuramentum non cum subiectione iurantis, sed quia in eo magis fides exuberat, cum in ipso maximè interueniat bona fides.]

LVIII. Possunt præterea nobis, si volunt, Hieromonarchici Regum etiam aliquot proferre & obijcere per Papam institutiones. De Gregorio enim Magno produnt annales Mediolanenses, *Apud Sigon. de Reg. Ital. ann.* 601. eum concessisse Mediolanensibus, vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius ciuitatis Antistes quisquis esset, coacto Concilio Episcoporū, eligeret Regem quem vellet. Hoc tamen, si commentum non sit, vt merito possumus suspicari, (Gregorius enim hic verè Magnus erat, non immanis Septimus, adeoq; nunquam sibi tantum arrogauit) fuit nil aliud, quàm concedere Episcopis licentiam, vt possent pro communi bono secularia etiam talium electionum tractare, imò assumere negotia. Mediolanenses enim ipsi, vt Regni Longobardorum præcipui proceres, id videntur expetiisse & postulasse. Nam Mediolanensibus id dicitur à Gregorio concessum fuisse: id est, declaratum licere.

LIX. Desiderium Longobardorum Regē à Stephano tertio Regnum & petiisse, & impetrasse, scribit Anastasius in eodem. Fauit nimirum ei consilio, suasu, opibus, gratia, protectione, ac potissimum Franci Regis Pipini gratia & studio. Et hæc nihil spectāt ad Pontificatum. Imò sunt ab eo remotissima & alienissima. Sicut & fecit postea Leo III. qui amicitia & autoritate Apostolica spirituali ad Iustitiā & æquitatem monens, & mouens Anglos fideles, operam suam adiunxit autoritati Magni Caroli in Rege Nordanhumbrorū suo Regno pulso, in Regnum restituendo; vt immeritò ex hoc charitatis opere nostri colligant Papę Dominium, & Potestatem in Regna temporalia, *Baron. tom. 9. ann.* 808. *nu. 40. & Bellar. de transl. Imp. l. 1. c. 12.* Huc etiam afferri posset Papæ antiqua iam & præscripta autoritas, Regium titulum Ducibus, aliisve Principibus concedendi: & similes seculares titulos Principibus distribuendi: Hæc tñ potestas, cum circa sola nomina versetur, in re vero, hoc est, in Ducatus, Principat⁹, & Regna nihil possit, ꝙ intenditur nō conuincit. Fateor vero me nescire vnde & quomodo ad Romanum Pontificē hęc peruenerit autoritas: nisi dicamus inde profectā, quod cum ipsius sit Imperatori titulū Imperialem conferre, vt postea explicabitur, à fortiori minores titulos conferendi ius ipsum habere præsumatur. Quæ consecutio an valeat, viderint alij: ego certè de hoc nō laboro. Scio tamē hanc potestatem nominalem ac titularem à Papa vndecunq; illam habeat, directè exerceri: & nō Ecclesiastica vlla spirituali autoritate. Indirectè enim, & pro salute animarum, quæ id necessario postulet, id Papam facere, nemo, nisi cui anima non est, dicet. Quid enim hi tituli ad salutem faciunt animarum?

LX. Vt exemplorum multitudine Monarchiam Rom. supra Reges etiam & Regna ipsorū temporalia stabiliant ipsius assertores, non contenti Christianorū temporum historijs, ex veteri etiā scriptura ea conantur multiplicare. Oziæ igitur leprosi in primis proferunt eiectionē. De hac nos satis iam disputauimus. Addunt *2. Paral. 23. n. 21.* Athaliæ necē iussu Ioiadæ Pontificis, in

cuius

cuius locum Regem Ioas idem Pontifex crearit. Hoc verò propterea, *inquiunt*, potissimum, quia cultum Baal illa foueret. *Bellarm. de Rom. Pontific. l. 5. c. 8. & contr. Barcl. c. 3. 38.*] Respondet Barclaius *de pot. Pap. cap. 38.* Athaliam tyrannicè Regnum occupasse non suum, & illam tanquam tyrannum potuisse meritò à quoquam etiam priuato interfici. Quia tamen hoc tentare difficile & periculosum erat: ideo Ioiadæ consilio & auxilio opus fuisse, qui homines ad hoc facinus egregium conuocaret & concitaret.] Hęc tamen responsio neq; Bellarmino satisfecit, neq; mihi certe arridet. Licere enim priuato tyrannum actu regnantem interficere, ego nunquam ausim asserere: nempe nisi Rex legitimus & verus tyranno bellum mouerit; aut alius nomine Regis. Moto autem bello iusto, facilè assentior, posse à quouis milite titularem tyrannum, vt hostem legitimum, de medio tolli, vt Rex legitimus suum Regnum sibi ereptum, aut interceptum, ab vsurpatore detentum consequatur. Si tamen Rex legitimo titulo regnans, malus sit, & impius, & iniquus, quoad regimen, (qualem exercitio tyrannum vocant, nobis tamen verè, & propriè tyrannus non est) nullo modo licet priuato in vitam illius insurgere aut machinari. Solus scilicet Deus potest eum deponere, si supra se nō habeat superiorem temporalem, vt dicam etiam inferius. Et à Deo positum fuisse ad regnandum non minus Decium, & Iulianum, atque Neronem, quam Constantinum, dicebat, vt in superioribus vidimus, Augustinus. Et de omni Rege, etiam scelestissimo, intelligitur Apostoli præceptū, *Rom. 13. 1. Omnis anima subdita sit, &c. &, cui tributum, tributū, & cui honorem, honorem.* De iure diuino itaque omni Regi legitimo subiectionem debemus, etiam scelestissimo. Legitimus verô est, non modo qui legitime in Regnum ingreditur, siue per electionem, siue per successionem, siue iure iusti belli; aut alio titulo iusto, sed etiam qui tyrannice ingressus absque vllo iusto titulo, pacifice postea regnum possidet. Nam & hoc iam explicaui, *supr. cap. 8. num. 26. huius.* Nunc ad rem.

LXI. Athalia *4. Reg. 11. nu. 20. & 2. Paral. 22. 23.* tyrannice occupauit Regnum Iuda, non est dubium: sex tamen annis regnauit pacifice: nō ergo poterat ad modum tyranni occidi à priuato. Necis tamen ipsius iusta caussa fuit, quia Ioas verus erat ac legitimus Rex, & in suum solium iam ascenderat, ex quo Athalia toto iure regnandi, si quod possessione sex annorum sibi comparauerat, plane ceciderat: & Ioiada Pontifex, cuius vxor Iosabeth, Iosiæ Patris soror, puerulū absconderat, & internecioni subtraxerat, in temploq; educauerat, iam factum septennem, tanquam legitimum Regem, in solio collocauit; & ipsius nomine tanquam eius tutor & custos, *Occam apud Almayn. de potest. Eccl. & laic. l. 1. ca. 11.* conuocatis, & in fide stabilitis Regis subditis, *2. Paral. 23.* factus est Dux belli, contra Athaliam, & bellum hoc iustum erat, legitimo præsertim Rege in solio iam collocato, illa autoritate publica iuste fuit interfecta. Quam re Ioiadas Pontifex non Pontificali vlla autoritate, sed tanquam Dux legitimi Regis, eiq; affinitate coniunctus, in Athaliā insurrexit: Et tantò promptius, quòd illa foueret idololatriam. Idem postea contigit in Machabæis, quorum pater Matathias Sacerdos, non ex vi Sacerdotis, sed ex zelo pietatis factus est Dux belli, & pugnauit bella Domini. Atq; hinc tandem, vt iam monui, ipsius posteri sunt etiam Regnū Hebræorum assecuti. Inuertit verò nobis sacram historiam, nescio quam bona fide, Bellarminus: dum prius ponit Athaliæ necem, & postea Regis Iosiæ per Ioiadam substitutionem: Quæ tamen non fuit substitutio, sed veri Regni hæredis, & legitimi successoris, publicatio: & inde tyranni vsurpatoris extinctio. Neque scrupulus quem vrgeat, Sacerdotem arma gerere non decere, quia gladius visibilis Sacerdoti tunc non erat prohibitus: sicut est nunc in Ecclesia CHRISTI prohibitus, vt iam docui cum Augustino *de fide, & op. cap. 2.* & potestatem Athalia habebat à DEO non nisi ad tempus, & conditionatam.

LXII. Coaceruant tamen, *Sand. de visib. Mon. lib. 2. c. 4.* ex eodem veteri Testamento alia exempla: Saulis *1. Reg. 16. 13.* abrogationem propter Samuelis præcepta contempta. Ahiæ, *3. Reg 11. 30.* Silonitæ diuisionē Regni prædicentis. Eliæ *3. Reg. 20. 28.* Regem Syriæ, & Regem Israel, & Prophetam Elisæum ad multorum internecionem vrgentis. Hæc tamen exempla nihil ad rem facere optimè ostendit Barclains *de pot. Pap. cap. 36.* In his enim nihil aliud habemus, nisi extraordinaria Dei iudicia, per seruos suos Prophetas explicata, & mandata executioni. In quibus nihil sui iuris, nihil suę propriæ potestatis habuit Synagoga, seu Sacerdotium. Et quia etiam Bellarminus *contr. Barcl. cap. 37.* ex his tribus exemplis fatetur nō colligi, nisi probabile aliquod argumentum, quod firmioribus soleat admisceri; à me etiam contemnuntur. Nouerit item Bellarminus *ibid. cap. 3.* Prophetas fuisse huiusmodi in negotiis semper extraordinarios Dei ministros: & diuinæ specialis ordinationis executores. Quorum Ecclesiastici nostri nullam gerunt hac in parte similitudinem. Iam verò satis de exemplis. Venio ad rationes aduersariorum: quamuis hactenus maxima ex parte sint à me in hoc libro, variis occasionibus, iam propositæ & solutę. Si quid verò eis desit, nunc absoluam.

LXIII. Pro confirmanda Pontificis Romani potestate suprema, quæ ad temporalia etiam, præsertim ad Regum & Principum Christianorum depositiones, & regnorum dispositiones se extendat, paucas addidit Bellarminus rationes, *de Rom. Pont. l. 5. c. 7.* sed vt arbitror, illas, quas ipse putarit omnium optimas & neruosissimas. Admonet tamen in hac disputatione rationes tantum & exempla, non scripturas, Concilia, & Patres adduxisse: quoniam ista, *inquit*, in libris superioribus (*quatuor præcedentibus de Romano Pontifice*) copiosissime persecutus fueram, in confirmando primatu spirituali summi Pontificis: quo confirmato, & firmiter stabilito, facillimum esse censui ex eo, tanquam ex fonte, deducere riuulos rationum, ad potestatem in temporalibus comprobandam. *contr. Barcl. cap. 13.*] Hunc ego fontem iam totum ei penitus exsiccaui, & in libris meis superioribus, præsertim in primo & quarto, omnem Monarchicum in Ecclesia Principatum, etiam spiritualem depressi, & ab Ecclesia remoui: atque cum sacra Scriptura & Conciliis ac Patribus, totum destruxi: riuulos itaque eius necesse est, & ipsos esse iam omnino exsiccatos, in quibus aliquid cœni potuit superfuisse: aquam tamen limpidam fluere nemo cernet, qui tranquilla mente nostros tractatus percurrerit. Soli supremæ Ecclesiasticæ potestati Hieromonarchici nostri tribuūt, vt possit indirectè ad regna & Reges se extendere, atq; inde quoniam in solo Papa supremam hanc ponunt potestatem, soli Papæ ius hoc indirectè tribuunt in Regum depositione. Cum verò falsum esse iam satis in pręcedentibus libris ostenderimus, & sane fusissime, in solo Papa supremam hanc residere potestatem, etiamsi illa posset indirectā illam habere extensionem, perperam tamen id potestatis soli Papæ tribuitur. Sed & falsum est quamcunque Ecclesiasticam potestatem eò se extendere, vt hactenus est à me demonstratum, siue ipsius consideremus directam, siue indirectam operationem: ideirco concessa etiam Papæ suprema Eccle-

siastica potestate, negamus tamen eum vel directè, vel indirectè posse quicquam contra Reges aut regna, effectu temporali; & meritò id ei negandū esse, abundè est probatum: quare & rationes, quæ afferuntur in contrarium, mera erunt sophismata, quod iam ostendo.

LXIV. Prima ratio Bellarmini petitur ex subiectione & subordinatione ciuilis potestatis ad spiritualem. Æquiuocat tamen, vt fuse docui *cap.* 3. Hæ enim duæ potestates sunt inter se omnino distinctæ & separatæ, & fines earum similiter distincti, & separati: neque inter se, vllo modo internè & essentialiter subordinati: & sunt duæ Respublicæ in vno & eodem populo inter se, non materialiter, sed formaliter distinctissimæ, ac disparatæ: vnaquæque in suo statu per se completa & absoluta, & ab altera independēs. Hæc omnia sunt à me iam exposita, & probata. Et Princeps quidem, vt fidelis, subiectus est Ecclesiasticæ potestati, etiam quoad vsum vel abusum suæ laicę potestatis: potestas tamen ipsa laica nullam habet subiectionē ad Ecclesiasticam, neq; finis potestatis laicæ, fini potestatis Ecclesiasticæ est subiectus: Claudicant itaque argumentantes ab habente potestatem ad ipsam potestatem. Exemplum etiam spiritus & carnis, quatenus nobis videtur obstare, totum euacuauimus. Non sunt, *inquit Bellarminus*, in Ecclesia Christi Pontifices, & Reges, vt Principales arietes in ouili; sed vt pastores, & oues, *cont. Barcl. cap.* 13. Ego verò iam docui, eundem populum materialiter, esse duo ouilia formaliter: & Pontificem esse pastorem eiusdem populi, vt est ouile spirituale, in quo ouili spirituali, princeps etiam temporalis, vt fidelis, est ouis sub Pastore Pontifice: Principem verò eiusdem populi, vt est ouile ciuile, esse pastorem, non ouem: & Pontificem in hoc ouili esse ouem, non pastorem.

LXV. Concordia, *inquit*, inter has duas potestates, est necessaria, *Idem ibid.* pertinuit igitur ad sapientiam Christi, vt vnam potestatem alteri subiiceret, quo facilius pacem & concordiam inter se retinerent, & coherent.] Imò ob hoc ipsum pertinuit ad sapientiā Christi, vt eas ita separaret, vt vtraq; alterius ope indigeret; & vtraq, alteri in suo genere subijceretur: Nimirum, vt optimè loquitur Gelasius, *tom. de anath. vinc.* & Christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerēt, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, imperialibus dispositionibus vterentur: vt modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus.] Et quæ maior caussa discordiarum inter Sacerdotium, & Regnum, quam quod Sacerdotes velint semper eminere Regibus, & nunquam eis subiici? & quia Sacerdos, dum se præsumit vtroq; suffultum, nimium extollitur? Dum verò Principes fuerunt, vt sunt & nunc, plenè spirituali potestati in spiritualibus subiecti, & Pontifices pariter temporali Domino plenissimè in temporalibus paruerunt (quod nunc negant) mira pax, mira concordia floruit in Ecclesia.

LXVI. Si temporalis, *inquit*, administratio impedit spirituale bonum, tenetur Princeps mutare illum modum administrandi etiam cum detrimento ciuili: quod est signū subiectionis, *Bellar. de Rom. Pont. l.* 5 *c.* 7.] Respondeo: Si ille modus administrandi contineat in se peccatū, vel sit necessario inductiuus peccati, tū Princeps fidelis, quia peccat circa vsum suę potestatis, tenetur quidē iuxta Ecclesiasticā directionē, quæ circa peccata versatur, abstinere; & modum Christiano Principi illicitum, in modū licitum mutare: neq; hinc sequitur detrimentū vllum verum Reip. ciuilis, sed apparēs. Vt si ad multiplicandos subditos, & augendas vires in copia bellatorū, Princeps Polygamiā iuberet: cùm illa sic contra legē Dei, & consequenter peccatum, damnum Reipublicę nō dicitur sequi, si illa impediatur: quia vtilitas vera Reipublicę est illa, quā licitè potest consequi. Sicut damnū nō patitur verū latro, si impediatur ab aliquo, ne furetur. Si verò modus ille sit de suo genere bonus, & licitus, & ex solo accidenti extrinseco sequatur in aliquo impedimentū boni spiritualis: tunc nō tenetur Princeps talē modum mutare, nec pati detrimētum sui cōmodi ciuilis, etiam si ex accidenti sequatur aliquod damnū spirituale. Hoc n. damnum non erit ex culpa Principis, eiusq; regiminis; sed aliunde, cui Princeps occurrere nō teneatur, neq; ad occurrendum pōt ab Ecclesia compelli. Ac mihi certè non videtur vnquā posse contingere, vt Respublica ciuilis teneatur pro bono spirituali pati detrimentū iusti & liciti commodi, ad sui conseruationē omnino necessarij: quia nunquā iustū & licitum in conscientia cōmodum ciuile, ad Reip. cōseruationē necessarium ex se & per se est inductiuū detrimenti spiritualis: at ea quæ sunt per accidens quatenus sunt per accidens nō veniunt in considerationem. Nō igitur subijcitur regimen ciuile regimini spirituali, sed rector ciuilis in vsu sui regiminis ratione peccati vel virtutis subijcitur regimini spirituali, quod nihil facit ad institutum, quia et excluso regimine Ecclesiastico, Rector ille tenetur in suo regimine rectam sequi rationē, & ei subijci: quod est subijci Deo secundum lumen & ius naturæ. Hoc sensu concesserim Bellarmini verbis (non sensu) teneri Principem temporalē mutare modū administrādi illum, qui per se fouet impietatē, ac religionē destruit, nempe teneri sub pœnis spiritualibus. Vnde nō sequitur, coactiuè subiectam esse temporalē administrationem (quod infert Bellarminus) sed tantum suasiue & moraliter, nempe sub terrore amittēdi regni æterni, non temporalis. Ex quo nihil lucratus est ad argumentum suum stabiliendum: & ingeniosæ ipsius subtilitates in tenues auras facillimè totæ euanescunt.

LXVII. Secunda ratio Bellarmini: Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, ac sibi sufficiens in ordine ad suum finem—& necessaria est ad hoc potestas disponendi de temporalibus rebus; quia alioqui possent mali Principes impunè fouere hæreticos & euertere religionem: igitur & hanc potestatē habet. *de Rom. Pontif. lib.* 5. *c.* 7.] Respondeo, finem Ecclesiasticæ potestatis esse salutē animarum, atq; æternam beatitudinem. Ad hunc verò finē consequendum Ecclesia satis est instructa exterius sacra Scriptura, sacra doctrina, Sacramentis, & censuris, ac similibus; intus spirituali gratia, fide, charitate, constantia, patientia, contemptu mundi, expectatione futuri sæculi, &c. Et hæc sola media Christus dedit Ecclesiæ ad suum finē consequendum. *Finis* n. cum sit spiritualis, extra & supra omnē ordinem naturalē: media et debent esse eidē proportionata, nempè spirituales adhortationes, minę, censurę, nō ciuiles aut temporales. His Princeps Christianus, pietati se fortè opponēs, arguendus est, obsecrandus, increpandus, & tādem excōmunicatione, si aliud nō obstet, feriendus. Hic terminus esto. Nihil vltrà. Iam n. ostendi, vlterius Ecclesiā nihil posse: sed ad lacbrymas esse confugiendum. Quod autem ad Ecclesiasticæ Reipublicæ perfectionem attinet, aio illam sufficientiam non requirere, vt Ecclesia valeat actu saluare omnes, saltē Christianos, (tunc enim nulli essent infideles, aut hypocritæ) sed vt medijs suis spiritualibus debito modo vtatur. Ars medica in suo genere perfecta est, & sufficienter instructa, dum singulorum morborum curabilium nouit quæ sint remedia, & medicamenta: quo tempore, quantum, & quomodo adhibenda. Quia tamen medicus naturæ tantùm minister est, eiusdemque vires egredi non potest, atq; ars ipsius est coniecturalis: nemo in ea quærat potestatē, qua certò & infallibiliter

possit

possit omne genus morbos atque vulnera curare: neq; ex hoc, quod talis illimitata potestas non adsit, dici potest ars insufficiens, & imperfecta. Ita in nostro negotio, quamuis Dei ministra spiritualis mater Ecclesia non possit agere vltra sphæram actiuitatis suæ; ac egredi naturam suam spiritualem, nempe vi cogere, vt quis saluetur, neq; vi impedire amouereq; omnia obstacula salutis; quo ad euentum enim modo agit coniecturali, ac propterea dicenda nō est imperfecta & insufficiens. Iam enim ostendi *lib. 5. cap.* 2. Ecclesiam præesse tantum volentibus, Principes verò etiam inuitis. Hinc iam assero, Ecclesiam in terris agere partes oratoris, seu Legati obsecrantis, & suadentis, non militis aut lictoris rapientis, & impellentis; nec posse ad salutem æternam cogere, imò ne ad cultum externum, sed tantum media proponere, applicare, ac vrgere, euentu diuinæ benedictioni commisso. Et videant, obsecro, nostri, quibus artibus sit fundata Ecclesia, & fides Christi per Apostolos propagata, quos nemo dixerit ad finē hunc consequendū parum instructos: num bellis? nū pœnis corporalibus? nū minis? num externis terroribus? num bonorum spoliatione? num quacunque alia vi & coactione? Et quibus artibus aliquid comparatur; iisdem maximè etiam conseruatur atq; augetur.

LXVIII. Quod autem infert Bellarminus, nisi instructa sit Ecclesia huiusmodi potestate disponendi de temporalibus, posse malos Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem: facilè respondeo primò, Principem huiusmodi nō impunè laturum, qui nempe & in foro interno Deum ipsum sentit vindicē, & in externo gladium Ecclesiæ (scil. spiritualem) contra se vibratum conscius ac tremulus intuebitur. Deinde cum ex his afflictionibus euersionem religionis metuat bonus noster Cardinalis: certè, vt politicus, vel potius vt Paganus, nō vt Christianus loquitur, oblitus non modo suauissimarum & firmissimarum promissionum, quibus Deus testatus est, se Ecclesię suę laboranti affuturum, sed & suę in casu prorsus simili responsionis: cum alibi obiectionē sibi proponens de malo Pontifice vexante Ecclesiam, eamq; destruere conante, & quærens, an in tali casu Ecclesia vllo efficaci remedio instructa sit, liberè & rotundè respondet, in eo casu manere Ecclesiam sine remedio humano efficaci, *De concil. l. 2. c. 19.*] Si verum esset, quod supponit, Papam in terris non habere Superiorem, à quo deponi legitimè possit, eiq; ab omnibus fidelibus absolutam & perpetuam iure diuino deberi obedientiam; verum etiam esset, quod ait, Ecclesiam in eo casu remedium humanum efficax nullum habere: nam & ratio, quam subnectit ex iam dicto supposito, est profectò solidissima: quandoquidem, *inquit*, non nititur salus eius præcipuè humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit. Itaq; Ecclesia, etsi non possit deponere Pontificem, tamen potest, ac debet DOMINO SVPPLICARE, vt ipse remedium adhibeat; & certum est Deo fore curæ eius salutem, qui talem Pontificem vel conuertet, vel de medio tollet antequam Ecclesiam destruat.] Non modo capitalibus, sed & aureis si possem literis illam Bellarmini vocem lubens consignarem: mutato scilicet Pontificis nomine in Regis, qui verè superiorem in terris non habet, & cui iure diuino ab omnib. subditis plena, & perpetua in humanis debetur subiectio: omnia aptissimè quadrant cum ipsa veritate & pietate contra Regifugas Hieromonarchicos hunc in modum: Itaque Ecclesia, etsi non possit deponere Regem Ecclesiam deuastantem, tamen potest, ac debet DOMINO SVPPLICARE, vt ipse remedium adhibeat, qui talē Regem vel conuertet, vel de medio tollet. Contra Regem enim legitimum, humanum remedium re vera nullum suppetit, sed ad solum diuinū est recurrendum. Non tamen ita est de Roman. Pontifice, qui si malus sit, aut ineptus, aut perniciosus, deponi potest à Synodis, & ab Imperatore etiam de sede deturbari, & vrbe profligari; vt planè ostendam lib. 8. Quod verò subiungit ibidem Bellarminus: Haud inde tamen sequi, nō licere resistere Pontifici Ecclesiam destruenti: Licet enim, *inquit*, eum; seruata reuerentia & modestia, corripere: repugnare etiam vi & armis; si Ecclesiam destruere velit (ad resistendum enim, & vim vi repellendam, non requiritur vlla autoritas.] Id iam repugnat dictis, stante illo supposito. Correptionem modestam admitto, resistentiam per vim, & arma, impiam dico, & omnino iuri diuino aduersantem: tum quia vi, & armis fides non est defendenda, vt *cap. 8.* docui: tum quia resistentia hæc per vim, & arma amouere non potest Ecclesiæ destructionem, per Pontificem intentatā, nisi vel ipso eiecto à Sede, vel interfecto: at si ei iure diuino debetur subiectio absoluta, & perpetua, hoc licitè fieri nequit. Quod tamen in Rege est verissimum. Si autem hæc resistentia liceret, vt vis vi repellatur, iam igitur esset in Ecclesia remedium humanum: & hoc negabat Bellarminus, sibi ipsi in paucis verbis contradicens: neq; illud vnicum remedium superesset, DOMINO SVPPLICARE. Ita incautum Romanæ Monarchiæ pugilem suo sibi iugulauimus gladio; & simul Regum iugula liberauimus.

LXIX. Confirmat eandem secundam rationem Bellarminus, dicens: Potest quælibet Respublica, quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem: imò etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniurijs: Ergo multò magis, &c.] Hic ego primum in hac Bellarminiana propositione videor mihi contradictionis implicationem obseruare. Quælibet Respublica potest cogere aliam ad mutandam administrationem. Certè omnis Respublica absoluta, & independens supponitur esse perfecta, (ex thesi): At quæ ab alia cogi potest, vt mutet vel regimen suum, vel rectorem, non est perfecta, ne in suo quidem genere; cum præsupponatur independens: ergo eadem Respublica simul erit perfecta, & non erit; erit vt cogens aliam, non erit vt cogibilis ab alia. Deinde dico hanc rationem militare contra ipsum Bellarminum, ac posse facillimè ita in ipsius Pontificis caput retorqueri. Potest quælibet Respublica (quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet) imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem; imò etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniurijs: At Imperium Romanum, Regnum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Respublica Veneta, &c. singula per se sunt Respublica temporalis; eaque in se perfecta, ac sibi sufficiens; Ergo fas est Imperatori, Regi Christianissimo, Regi Catholico, Regi Defensori fidei, Dominis Venetis, &c. aut cuiuis eorum, per Pontificem Romanum læso, oppresso, vel impetito, si se aliter ab eius iniurijs defendere nequeant, ipsum Pontificem deponere, etiam imperare spirituali Reipublicæ, hoc est, Ecclesiæ, vt Episcopo Romano frænos iniiciat, imò etiam cogere ad mutandam administrationem suam, nempe ad Papatum auferendum. En, cordate Lector, quò Papam perduxerunt argutiæ Bellarminianæ? Eodem hoc flatu strepero plenis buccis emisso, quo Regum solia concutere satagit, certè Papalem Cathedram inscius facit contremiscere. Sed vt ad Bellarmini rationem propius acce-

damus, adhuc apertiùs ei directam adornemus responsionem.

LXX. Aio igitur, potestatem hanc in his duabus Rebuspublicis esse solas vires; non ius, aut iurisdictionẽ: neq; enim potest Rerumpublicarum independentium altera alteri ita præcipere, vt illa teneatur parere. Si enim alterius Reipublicæ commodum sit alteri incommodo & detrimento, dummodò commodum illud, vt paulò antè dicebam, sit de se licitum & iustum, & ex accidenti alteri perniciosum, hæc altera Respublica non potest iuste illam suo commodo priuare; multò minus vt suo iure cedat præcipere: sed potest rogare, & amicè rem componere. Quod si incommodum & damnum alterius sit per se & directè, ac illicite, & cum iniuria ab altera illatum, aut tam graue, etiamsi ex accidenti, & ex licito alterius commodo proficiscens, vt vltimum alteri exitium possit inferre; tunc erit non quidem Imperium, aut Autoritas, sed se tuendi ius in solis armis: & negotium erit tandem ferro decernendum. Hinc igitur neque à simili, neque à maiori aut minori potest vllum peti contra nos argumentum. Non à simili, quia vtraque illa Respublica est eiusdem generis, nempe temporalis, ac eodem armorum & virium genere instructa. Non sic Respublica spiritualis, & temporalis: nam ad summum poterit spiritualis, si iniustè à temporali vexetur, exercere contra illam gladium suum, hoc est, spiritualem, excommunicationis. Non à maiori, vel minori; quia, in quo ibi altera validior, superat inualidiorem, in hoc ipso Ecclesia nihil prorsus potest, nempe armis temporalibus. Non ergo valet: potest validior carnalis Respublica, alteram carnalem imbecilliorẽ sibi iniuriam armis, quo vult, flectere; ergo à fortiori potest spiritualis carnalem: Quia spiritualis est omni inualidissima carnali in temporalibus longè imbecillior, vtpote viribus temporalibus penitus semper ex se destituta. Et fateor, rationem posse præcipere sensui in homine, ipsumque moderari, & coercere: quia in homine sensus & ratio, seu spiritus & caro, vt supra docui, sunt essentialiter inter se connexa; & vtraque simul iuncta faciunt vnum hominem per se, cum subordinatione essentiali sensus ad rationem. Non ita est in Republica spirituali, & temporali, quæ etiam inter Christianos sunt totæ essentialiter distinctæ: & est omnino extrinsecum, valdeque accidentale naturæ meræ humanæ, vt ad finem supernaturalem, & totum spiritualem ordinetur. Ac propterea natura & gratia nunquam possunt ita misceri, vt faciant vnum quid per se. Sublata verò hac vnitate essentiali, aufertur etiam omnis subiectio & dependentia intrinseca & essentialis. Quæ omnia sunt à me iam in præcedentibus fuse explicata. Affert pro eiusdem rationis explicatione Bernhardum, Petro vtrumque gladium dantem, & qui nutu Pontificis debeat à milite exeri. Sed de hoc etiam ego satis disserui, *capite octauo*, *numero* 54. *& sequent.* & Bernhardi verum sensum explicui: sicut & Extrauagantem *Vnam Sanctam*, ibidem *numero* 43.

LXXI. Tertia ratio Bellarmini est talis: *Ibidem*: Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur ad infidelitatem & ad hæresim illos pertrahere: at iudicare an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis: ergo Pontificis est, iudicare Regem esse deponendum.] Ita scilicet Papa, cum de Regum coronis agitur, fit & iuris & facti Arbiter irrefragabilis; quod ex sylogismo huiusmodi practico constat, cuius & conclusio, & præmissarum vtraque à Domino Papa pendent. Primum quoad maiorem, nempe de iure, quodnam dogma sit habendum pro hæretico, ex infallibili pendet Papæ iudicio. Deinde, quoad minorem, nimirum de facto, an hic aut ille Rex tale dogma in se, & in subditis suis foueat, iudicat idem Papa. Denique ex his conclusionem eruibrat idem Papa, hunc Regem esse hæresum & hæreticorum fautorem.

His etiam alia ex oraculis nostrorum Scriptorum, præsertim Iesuitarum, superstruitur sequela; Rex hæresim fouens in se & subditis suis (scilicet Bellarminus dixit) est deponendus: Hic Rex fouet hæresim (scilicet Papa pronunciauit, cui commissa est cura religionis) ergo regno exuendus. Exemplo hæc applicemus. Negare, penes Papam esse, Reges hæreticos deponere, est hæresis: (nempe, si velit Papa ita ex cathedra pronunciare, ac quidni ita pronunciet apertè, vt & se stabiliat, & orbem hac in quæstione anxium liberet?) At Rex talis (puta Franciæ, vel Hispaniæ,) audet negare, hoc esse penes Papam, & subditos suos pro Papa Depositore sentientes conatur in suam sententiam pertrahere, idque ipsius Papæ iudicio constat: Ergo hic Rex est deponendus ideo, quia se negat deponibilem. Ita Reges debent regna Papæ, quia non aufert. Si fateantur se deponibiles, tum debent Papæ regnum ex confessu: Si negent, tum id debent, quia Papa hoc negantes non deponit, cùm possit.

Sed ad citata Bellarmini dicta propius accedens, Respondeo primo, hac, quam contexuit, ratione inferri, potestatem deponendi Reges non in solo esse Papa; Sed in vnoquoque Episcopo, ac præsertim in Synodis, quarum etiam est iudicare de hæresi. Respondeo secundo, ex hoc argumento nullam poni potestatem in Papa aut in Ecclesia deponendi Reges: sed ad summum docendi & explicandi Regem esse deponendum: quod non minus est cuiuscunque etiam priuati Doctoris: vbi præsertim non adest potestas compellendi depositores, vt Regem depositione dignum declaratum deponant. Respondeo tertio, Christianis, præsertim Ecclesiasticis, haud quidem licere tolerare Regem huiusmodi, si hæc toleratio intelligatur assensus, vel conniuentia, vel incuria, ita vt nunquam moueant, ac increpent; Horum certè est, propter Sion non tacere, & propter Hierusalem non quiescere, sed attollere vocem & clamare, *Isai.* 62. 1. ac tremenda Dei in persecutores iudicia intonare, demumque modo opportuno censuras Ecclesiasticas adhibere. Quod si (quæ mens debet esse Bellarmino) nõ tolerare, idem sonet, quod de solio detrudere, tum dico & edico falsum esse, non licere tolerare Regem illum: tales enim & scriptura iubet cum subiectione coli, & Ecclesia semper patientissime hoc sensu tolerauit, etiam quando vires habuit, vt iam docui. Quis autem, dum hanc & similes Bellarmini ac similium Papicolarum sententias legit, non toto pectore horreat hanc seditionum seminam, ac Regicidiorum officinam, vnde scelestissima illa hominum monstra hauserunt persuasionem illam, licere cuicunque priuato etiam per insidias, Regem proprium, si hæreticus sit, vel hæreticis faueat, occidere.

Ex hac doctrina nostris diebus in Francia duo Reges sublati sunt nefando ac Christianis pudendo parricidio. Ex hac doctrina toties in Anglia in vitam non modo Reginæ Elizabethæ, sed & Iacobi Regis, sunt factæ horrendæ conspirationes. Ex hac denique doctrina, addita folius Pontificis (sane hominis ad Monarchiam suam dilatandam propensi, fortè

etiam

tiam ad totius mundi temporalem aſpirantis) declaratione, aliquem Regem eſſe hæreticum, vel fidei perniciosum, omnium Regum ſceptra, ipſæque adeo vitæ in extremo ac perpetuo verſantur diſcrimine, vno Papalis oris ſpiritu diſſlandæ. Si enim non liceat tolerare talem Regem, tenentur ſubditi illum expellere: expulſio vero cum ſit difficillima, imo vt plurimum impoſſibilis, tenebuntur illum de medio tollere: ſi non poſſint vi aperta, certè dolis & inſidijs; nam, *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Ecce doctrinam peſtiferam gladios, & ſicas venenatas in Regum iugulum ſumma immanitate acuentem. Ita expreſſe Baronius laudat factum Vitaliani, qui Anaſtaſium Imperatorem crudeli parricidio necarat: *tom. 7. anno* 520. *num.* 1. Si quæ fecit, *inquit*, non regnandi animo, ſed rectæ religionis intuitu præſtitiſſet.] Præclarum ergo facinus eſt Baronio, vt reliquis noſtris horum temporum ſanguinarijs Theologis, Regem proprium religionis cauſa priuato auſu interficere, & rebellionem ei excitare.

LXXII. Falſam verò eſſe illam propoſitionem Bellarmini etiam inde patet, quod ab hominibus ſeu electus, ſiue ſucceſſione, ſiue alio humano modo conſtitutus, accipit à DEO immediatè poteſtatem, vt iam eſt à me *cap.* 2. cumulatè probatum. Quam poteſtatem ſolus adimit, qui dedit. Ac niſi DEVS ſpecialiter reuelet, aliquem Regem ſupremum eſſe deponendum, nulla eſt poteſtas in terris, quæ poſſit Regem iam conſtitutum iudicialiter deponere. Inter homines Regum depoſitio ſola vi fit armorum, iure ne an iniuria DEVS iudicat, loquor de Rege legitimè atque abſolutè electo, vbi Regna ſunt electiua, & in poteſtatem Regni legitimè & ſufficienter inducto. Si enim electio fuerit conditionata, DEVS ſtatim electo non dat Regiam poteſtatem, niſi conditionibus adimpletis: ijs verò non adimpletis, & contemptis, electio nulla eſt, & ad aliam procedi poteſt, cum contra conditiones quid factum fuerit. Et poteſtas à DEO tunc confertur Regi electo, quando in poſſeſſionem eſt inductus, vt actu regnet. Ideo ante poſſeſſionem actualem Regni, Electores poſſunt, ex iuſtis cauſis ſuam reſcindere electionem, & ad aliam procedere: prioremque electum reſpuere, quia ille nondum à DEO regiam accepit poteſtatem. Et habuit ius duntaxat ad rem, non in re. Non ita eſt in regnis hæreditarijs: primus enim electus, & in poſſeſſionem inductus, cœpit actualem poſſeſſionem pro ſe, & pro tota ſua poſteritate: & illi primò DEVS dedit Regiam poteſtatem pro ſe ſimiliter, & pro tota poſteritate: & propterea ſucceſſores per hæreditatem non indigent noua electione. Iam verò ſi in communitate ponatur poteſtas Regia, quam ipſa immediatè à DEO recipiat, & mediatè ſuo Regi, vel Senatui, vel Magiſtratui communicet, dubium non eſt, eandem communitatem poſſe etiam talem Regem deponere, & ei Regiam poteſtatem auferre: & noſtri apertè profitentur, *ſupra ad finem cap.* 2. in habitu, & in certis caſibus penes communitatem, Regiam poteſtatem reſidere, quam poſſit, ſi velit, actu etiam recipere. Quod ſi poſſit in certis caſibus, poterit etiam in omnibus: ſemper enim poteſt ſaltem prætendere iuſtam cauſam, vel illam comminiſci. Neque hæc conſequentia mihi eſt ab Hieromonarchicis deneganda: cum ſimilis ſit illi, quam hoc in loco nobis ſuggerit Bellarminus, Nempe iudicare an Rex pertrahat ad hæreſim, pertinet ad Pontificem. Ergo Pontificis eſt, iudicare, Regem eſſe deponendum. Vnde certè ſequitur (vtcumque hoc alibi diffiteatur Bellarminus) penes Papam eſſe, quaſuis nomine hæreſeos cauſas comminiſci. Similiterque dico penes communitatem fore huiuſmodi licentiam illimitatam ac immanem. Et hoc eſt viam ad perpetuas ſeditiones aperire, Regnaque perpetuis reuolutionibus & mutationibus ſubijcere: atque hoc ipſum directè cum diuina prouidentia & diſpoſitione pugnat. Quod enim vnicum & firmum remedium DEVS eſſe voluit in natura humana corrupta ad ſocietatis ciuilis conſeruationem, Regiam nimirum ſeu Principalem poteſtatem, quam ipſe, vt iam probaui, tradit immediatè Principibus, ea iam eſſet prima & potiſſima occaſio tumultuum, ſeditionum, ac rebellionum. Facilè enim vulgus, quod eſt beſtia multorum capitum, regimen mutare tentaret, ſi in ipſius id poteſtate ſitum eſſe ſibi perſuaderet. Et Principes contra ius facerent, contra conſcientiam, & tyrannice (quod nemo non inſanus dixerit) dum populum ad rebelliones proclinem patibulis, arcibus, & militari manu compeſcunt, ne vnquam ſe in libertatem poſſit vindicare. Quod qui aſſereret, & egregiè deſiperet, & rebelliones foueret. Roma itaque iam hanc falſam doctrinam de populi in ſuos Principes poteſtate plurimum dilatat, & tuetur: Quod patet ex Bellarmini recognitione ſuorum librorum, in qua ſibi contrarius huic tandem adhærere opinioni coactus fuit; vt vidimus *cap.* 2. *num.* 37. *huius.* Vt nimirum, quod non ſperat ex tantopere oppugnata Papæ poteſtate in Regibus deponendis, ex populorum in ſuos Reges ſeditionibus & ſubuerſionibus ſperet facilius obtinere. Sed videamus quomodo peſtiferam illam propoſitionem Bellarminus confirmet.

LXXIII. Non licet, *inquit*, Regem hæreticum tolerare, quia non licet talem conſtituere.] Ego verò non concedo, licere Chriſtianis (quando in ipſorum libertate ſitum eſt) Regem ſibi infidelem, vel hæreticum præficere: nego tamen inde ſequi, non licere talem tolerare. Si enim in hominum poteſtate eſt, Regem eligere: contra rectam rationem erit vt Chriſtiani infidelem eligant; non licet ergo, quia peccatum eſt: ſi tamen eligant, electio tenet, & ille verè Rex eſt: fides enim, aut charitas non ſunt fundamentum capacitatis regnandi, ſed ſola natura. At in poteſtate hominum non eſt, Regem iam electum, & à DEO confirmatum, ac poteſtate Regia donatum, reijcere & reuocare. Cardinales Papam ſua electione facere poſſunt, nunquid vero deponere? Et eſt hac in parte par ratio vtrobique, vt iam in ſuperioribus capitibus demonſtraui. Profectò non licet Cardinalibus Papam adulterum, rapacem, atque aliunde ſceleſtum, imò ne coniugatum ſibi præficere: ſi tamen talem eligant, & in Cathedra conſtituant, non licebit Cardinalibus illum excathedrare. Ita Chriſtiani ſi eligant ſibi Regem infidelem, peccabunt quidem grauiſſime, electus tamen & in Regnum ingreſſus Rex eſt ipſorum legitimus, neque electores amplius habent ius vllum electionem à ſe factam caſſandi, vel nouam ineundi, ſed Regi iam conſtituto parere, ac eundem etiam ſæuientem tolerare tenentur iure diuino naturali. Verum enimuero, vt vt iſthæc ſe habent, quid hoc ad Papæ vel Eccleſiæ poteſtatem? Si poſſet populus licitè ſuum Regem ex cauſa deponere, idcone Papa illum deponeret? Eſto, explicet Papa populo, Regē eſſe hæreticum, & deponendum, & populus inde ſe accingat ad depoſitionem, Ego in Papa poteſtatem deponendi nullam hic video, ſed in ſolo populo totam. Inſtat Bellarminus, eiuſdem periculi eſt & damni, eligere nō Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum: & tolerare infidelem fidei perſecutorem, eſt exponere euidentiſſimo periculo religionem.] Reſpondeo, Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Damnum eſt & periculum, eligere non Chriſtianū, abſtineatur ab e-

lectione, possunt etenim, & tenentur. Damnum externum est Christianis, habere Regem non Christianum, & eum tolerare. Quid tum? Num deponant? Minimè verò: damnum incurrunt maius spirituale coram Deo: non enim licitè possunt, neque talem habent potestatem, sed iure diuino naturali tenentur tolerare. Multa fieri non debent, quæ tamen facta tenent, neque possunt licitè destrui & aboleri. Malum propriæ libertati proprioque corpori facit homo liber, dum se triremi ad remigandum accepto stipendio obligat certo tempore, & potest se non obligare, & si sapit non debet se obligare, imò & tenetur secundum humanam prudentiam se non obligare, ingressus tamen in triremem non potest amplius se ab ea sua sponte liberare; sed omnia triremis incommoda & mala, quæ sunt grauissima, vsque ad constitutum obligationis terminum tenetur tolerare. Ita malè faciunt illi, sibi liberè Regem ipsos afflicturum in fide, præficientes, si tamen eum præfecerint, tenentur illum vsque tolerare. Religio porrò neque necessariò ex bono & pio Rege crescit; neque ex malo & impio persecutore decrescit. Imò contrarium docui: religio enim nostra Christiana totam vim totumque splendorem habet internum in animis fidelium gratia diuina suffultis, ac patientia munitis; quæ persecutionibus non obtenebratur, sed magis elucescit; vim enim persecutiones nemini in internis possunt inferre. Sed adhuc instat Bellarminus, Quando ius diuinum & humanum pugnant, &c. — De iure autem diuino est, vt religionem conseruemus, & de iure humano, vt hunc vel illum Regem habeamus.] Primo dico in eundem scopulum semper impingere Bellarminum, dum vult, à nobis & ab externa Ecclesiæ pace pendere religionis conseruationem; quasi pugnarent inter se adeò religio & persecutio, vt necessariò posita persecutione religio obruatur. Sanguine rigata est & creuit Ecclesia, vt sæpe monuimus. Quod si quem deijciat vel concutiat persecutionis procella, culpa est ipsius, qui noluit constanter resistere tentationi, ac in fide persistere. Deinde nego esse iuris humani habere hunc & illum Regem, quiiam Rex sit, licet iuris humani fuerit habere hunc vel illum. Ante electionem, iuris humani est determinare personam; sed facta electione, & considente in solio iam hoc Rege, & postea alio, ac alio, de iure diuino est, ei parere in mandatis iustis, & eum tolerare in iniustis, humiliter crucem subeundo. Neque potest vnquam contingere in huiusmodi officijs perplexitas, vt ius diuinum pugnet cum iure diuino; vel etiam cum legitimo ac laudabili iure humano: quandoquidem positis omnibus circumstantiis bonum bono non repugnat. Sed idem ius diuinum, quod à nobis fidei professionem exigit, & officia inde necessaria emanantia, simul etiam mandat, vt & intra debitos nostræ conditionis ac vocationis limites nos contineamus, etiam in religione ipsa promouenda, ac supereminentium potestatum iugum haud excutiamus. De iure certè diuino est veram fidem & religionem seruare, nempe fidei depositum in conscientia pura custodire: sed eandem in aliis modo indebito promouere, aut eiusdem oppugnationem per media iniqua & illicita impedire, non est de iure diuino, sed planè contra ius diuinum. De iure diuino naturali obligamur omnes homines ad iustitiam seruandam, ad suum cuique reddendum, ad alios subleuandos prout ipsi subleuari cupimus: non tamen inde nobis aut incumbit, aut licet, omnes truculentos patres, aut crudeles dominos, aut alios fratrum oppressores vrbe aut domo sua expellere, nisi quatenus publica autoritate alicui hoc commissum fuerit. Similiter vtcunque nobis pax Sionis optanda est, non tamen licet subditis Regem suum pios vexantem exuere, nisi probent supremam penes se esse potestatem, qua Reges gladio malè vtentes in ordinem redigant, & coërceant. Desinat verò Bellarminus in his iuris diuini ac humani pugnam nobis obtrudere.

LXXIV. Antiquissimæ ac purissimæ Ecclesiæ praxi etiam conatur occurrere Bellarminus; Quod si, *inquit*, Christiani olim non deposuerunt Neronem, Iulianum, Diocletianum, &c. id fuit, quia deerant vires temporales Christianis: nam quod alioqui iure id facere potuissent, patet ex Apostolo, qui iubet constitui nouos iudices à Christianis temporalium causarũ, ne cogerentur coram infideli fidei persecutore causam dicere 1.*Cor*.6.4. Sicut igitur potuerunt noui iudices constitui, ita & noui Principes, &c.] Vires habuisse Christianos iam ostendimus *c*.9.*nu*.8. & statim confirmabo; suberant tamen illis persecutoribus, *Rom*.13.5. *non propter iram, sed propter conscientiam*. Et hoc argumento supponitur potestas illa in subditis, non in Papa; qui ne nunc quidem habet vires temporales, neq; vnquam est illas, vt Papa, habiturus. Ostendi id loco citato, cui in rei confirmationem nunc addo, Maximinum in sua Epistola testari, tẽpore Diocletiani, omnes ferè mortales Deorum cultu relicto, Christianorum genti se commiscuisse. *Euseb*.*l*.9.*c*.7. Et Iuliani exercitus cùm Iouianum Imperatorem postulasset, ille que renueret, Non possum, *inquiens*, cum sim Christianus, eiusmodi hominibus imperare, neq; regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit: conclamarunt vno ore milites, Christianis hominibus imperabis. *Theod*. *hist*.*l*.4.*c*.1. & profitentur, ipsorum animos non esse Iuliani impietate infectos. Et de Cõstante Constantini Magni filio hæc habet Baronius: *tom*.3.*an*.305.*n*.4. Agebat securus Constans, qui sciret, legatum dedisse exercitui Christianum: nec timebat aliquid in Imperium moliri posse à Deorum cultoribus ad quos continuo reprimendos nosset se habere Duces ac milites Christianos. Imò non modò circa illa tẽpora Christiani vi & armis instructi erant satis ad Imperatores, si salua conscientia potuissent, vel è medio tollendos, vel deponendos, sed & ante illa sæcula ipsis Apostolis vires haud defuerunt, quibus in Imperatores & Reges Ecclesiam vexantes ac vastantes insurgi poterat; vires, inquam, temporales quoad effectum, licet spirituales quoad originem, & quoad modum. An non pollebant potestate miraculorum? an non illa virtute instructi, vt plerumque vitam aut sanitatem restituerent, ita etiam aliquando cæcitatem, mortemque adeo ipsam intulerunt? qui certè effectus in re erant tẽporales, & corporales. An non Petro ac Paulo ex natura rei tam facilè fuit Herodem, aut Neronem, quàm *Act*.13. Elymam, aut *Act*.5. Ananiam oculis orbare, atq; etiam ante pedes solo verbo mortuos prosternere? Hæc certè tremenda vis miraculorum longè potentior atq; efficacior fuisset ad abolendos tyrannos fidem infestantes, quàm vlla potestas persecutores deponendi iudiciaria, quæ Ecclesiæ semper inesse fingitur, non tamen effectum sortiri sine aliorum plurimorum subsidio potest; cum isthæc miraculosa, si promatur, semper executionem sine vllo obstaculo sortiatur. Quæro itaq;, poterant ne Apostoli, an non poterant ex miraculorum dono confundere ac abolere Reges Ecclesiam dilaniantes? saltem eosdem impedire, ac inuitos retrahere ne sæuirent in Sanctos? Si vi miraculosa adeò generali & illimitata donati fuerint à Deo, vt ne ipsi quidem Cæsares ab eorum plaga exempti fuerint, cur hoc flagello Neronem non percusserunt, ne illi os gladio

dio sanctus Paulus percuteretur, nisi quod probe sciret ex doctrina magistri sui & nostri, supereminentes potestates ferendas esse, nō feriendas; Christianorū esse; p Christo vitam suā, non Imperatores, deponere, occidi, non occidere? Quod si Deus ipse, cum suos pugiles his armis extraordinarijs instrueret, murum interposuerit, ne hoc telo sacra Regum capita aut sceptra læderentur, ne iura naturæ ac gentium pietatis prætextu violarentur, ne societatis humanæ fundamenta quaterentur, inde certe constat, noluisse, vt Ecclesia posteris sæculis, si quando armis ordinarijs, hoc est, viribus temporalibus externisque valeret, ijs vteretur ad exturbandos eos, qui Dei ministri sunt, & gladium portant.

LXXV. Mirabilis vero est illa consecutio, graui certe Theologo indigna, ex verbis Pauli extorta: Abhorrebat Apostolus ab omni communicatione Christianorum cum infidelibus; & suos fideles eo conabatur reducere, vt citra necessitatem nullo modo cum infidelibus communicarent. Sciebat esse vocem Christi, malum Christianum, & incorrigibilem habendum *Matth.* 18.17. sicut Ethnicum; supponebat ergo Christus; Christianos ab Ethnicis debere esse, quam maxime fieri posset, in omni negotio remotissimos; ita tamen vt *Matt.* 22.21. Cæsari Ethnico tenerentur reddere, quæ essent Cæsaris. A Magistri doctrina non recedit Paulus; sed suadet, imo & præcipit, vt Christiani in causis ciuilibus sua sponte & voluntate, ac propria electione & deliberatione non adeant iudices gentiles. 1.*Cor.* 6.14. *Quæ enim participatio*, inquit idem Apostolus, *iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial; aut quæ pars fideli cum infideli? Nolite iugum ducere cum infidelibus.*] Liber enim est actor in causis suis tam ciuilibus, quam criminalibus; & pati potest, si vult, potius iniuriam, quam litigare: vel etiam potest amice cum aduersario componere: neque iudex ordinarius, & Princeps temporalis potest eum cogere, vt litiget, aut coram se, vt actor, inuitus compareat. Neque vllum fit Principi præiudicium, si litigantes inter se consenserint de non adeundo tribunali ordinario in suis causis, ac sibi elegerint & præposuerint aliquem iudicem Arbitrum, non modò pro singulis & personis & causis, sed etiam pro vniuersis, ita vt ille sit Arbiter ordinarius omniū, omnibus scilicet ita consentientibus, & sua se sponte obligantibus, tacite & virtualiter hoc modo compromittentibus. Is tamen in vno sensu erit quidem Iudex horum ordinarius, nempe durante hac compromissione charitatiua, non tamen excedit vel minimum quid potestatem meri Arbitri: & coactiuam vim nunquam habebit pro suorum iudiciorum executione. Ac interim iudex ordinarius verus, & Princeps, etiam si Ethnicus, non priuatur ab his, qui ita consenserunt, vel minima suæ ordinariæ potestatis particula: nam si ex illis aliquem vocet ad sua tribunalia, actore aliquo instante, vel crimine, ac delicto ita poscente, tenetur ille omnino respondere, & iudicio illius substare, vt plenius libr. 10. tractabo. Maxima igitur differentia est à constitutione iudicis arbitri, quæ nullum affert Principi ordinario præiudicium; ad Regis constitutionem, quæ est cum grauissimo Regis ordinarij præiudicio; imo cum ipsius plena exclusione: & nullo iure vetamur priuata æquitatis ac charitatis iudicia, omisso Rege, in nostris causis exquirere, vetamur tamen iure diuino, Regi, regiam auferre potestatem. Quod etiam haud obscure innuere videtur Thomas Aquinas *in* 1. *Cor.* 6. (in hunc Apostoli locum) dum ait, Apostolum hic non prohibere fideles sub Principibus infidelibus constitutos comparere coram eis, quando vocantur: hoc enim esset contra subiectionem, quæ Principibus debetur. Sed prohibet ne voluntarie recurrant, &c.] Hic valde arridet mihi illa illatio, quasi ad absurdum, aut impium ducens; *Hoc enim esset contra subiectionem &c.* quæ certe supponitur inuiolabilis, alioqui hæc ratio non militaret. Ista lubentius inculco, & ipsum Thomam à meis partibus produco, quem pro insigni patrono habent Hieromonarchici.

LXXVI. Fuit in hoc à Barclaio conuictus Bellarminus; nam & ait: Non præiudicat Apostolus per illam iudicum Christianorum constitutionem, iurisdictioni & Imperio Principum infidelium; quoniam non iubet Christianis, vt non compareant coram iudice infideli, si vocentur; sed tantum præcipit, vt sponte non accedant *cont. Barcl. cap.* 21.] Ex hoc vero consecutio illa tota redditur inanis; nam Regem nouum constituere, est cum grauissimo prioris Regis præiudicio. Vt tamen vulneri medeatur, addit Bellarminus: sed quod non potuerit Apostolus eximere Christianos à subiectione Principum infidelium, si id vtile, vel necessarium censuisset, & vires ad perficiendum habuisset, id sine graui errore dici non posse arbitror.] Discedit igitur à suo argumento, & succumbit: neque licebit amplius ex facto Apostoli colligere potestatem Reges abrogandi. Hoc iam est nouum argumentum; nimirum; Licuit Apostolo, & potestatem habuit liberandi Christianos à subiectione Regum infidelium; ergo idem licet Papæ seu Ecclesiæ. Sed probare debebat nouam hanc assumptionem, vel potius præsumptionem suam: quam ego sine graui errore proferri non posse arbitror: Non enim est Pauli proprium præceptum, eius propria & quasi priuata autoritate datū: *Rom.* 13.1. *Omnis anima subdita sit &c.* Sed diuini præcepti naturalis explicatio, CHRISTI etiam præcepto confirmati *Matth.* 22.21. *Reddite Cæsari, &c.* Et exemplo obedientiæ practico corroborati. *Matth.* 17.26. Propterea nec voluit nec potuit sibi Apostolus arrogare potestatē diuina præcepta abrogandi. Sed non est, *inquit Bellarminus*, iuris naturalis à CHRISTO confirmati, & ab Apostolo declarati, vt nō possit sublimior potestas, per aliam sublimiorem tolli de medio, & per hoc fieri, vt ei subiectio, & obedientia non amplius debeatur: *ibid. vbi supra.*] Optimè: Cōsentio: non nego. Ostende igitur Pauli potestatem fuisse in eodem genere sublimiorem, Potestate Regum Ethnicorum, si vis, Paulum potuisse eximere Christianos à Principum infidelium subiectione. Subiectio hæc iure diuino debetur; ostende quomodo Paulus contra ius diuinum quicquam potuerit. Ostende quomodo tota Ecclesia idem possit. Ostende cur solus Papa in hac potestate Pauli Paulo successerit, cum Paulus non fuerit factus caput Ecclesiæ, sed Petrus. Ostende quænam sit illa sublimior potestas supra Reges? Solus nimirum DEVS, vt est toties ostensum. Respondet: Cum Rex, vel à spirituali suprema potestate in casu hæresis, vel ab alio Rege in casu Victoriæ de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apostolus ait; *Omnis anima, &c.*] Doce prius Paulum illud, quod negauimus, potuisse, & tunc venias ad Ecclesiæ supremam potestatem: nam si eam Paulus non habuit, certè neque Ecclesiam eam habere arbitror. Quo fugis? Quo diuertis? Cur locum & stationem mutas? Quod verò Rex alius viribus superior inferiorem deijciat interdum, & ita liberet subditos illos à Regis deiecti subiectione: non hinc sequitur, Paulū, aut Ecclesiam habere potestatem Reges deijciendi. Iuris, *inquit*, naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati *Eph.* 6. & 5. est, vt filij obediant parentibus, & serui Dominis; & tamē filij emancipari, & serui manumitti possunt: & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus,

nec

necisti Dominis suis obedire teneantur.] Hui quam longè abscessit ab eo, quod probandum erat? nimirum Paulum potuisse eximere Christianos ab obedientia Regum Ethnicorum. Leges emancipationis adsunt: adsunt & manumissionis expressæ: ostende igitur etiam legem expressam idem fieri posse in liberatione subditorum à Regum subiectione. Non enim licet ex speciali lege vniuersalem facere: alioquin inde licebit colligere, posse etiam vxorem autoritate humana à maritali potestate omnino liberari, contra illud, *Matth. 19. 6. Ephes. 5. 31. Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quod nemo dixerit. Nouerit tamen Bellarminus, emancipationem auferre Patri potestatem quandam erga filium externam & ciuilem, vt non possit eum vendere, neque in eius propria bona ius habere: & sui iuris externi facere filium, vt sit liber à tali externa humana & ciuili potestate. Sed emancipatio, quæ fit iure solo humano positiuo, non attingit obligationem naturalem filij, quæ est ei diuino iure imposita, neque liber est à præcepto illo: *Honora patrem & matrem*: neque efficit, vt pater non sit adhuc pater. Ita seruus iure diuino non est seruus, adeò præsertim, quin sit semper in potestate Domini eum liberare: & ille seruus non est, nisi quandiu Dominus illum vult esse seruum. Nihil igitur ista ad rem. Nam subiectio debita Regibus est perpetua & absoluta, neque in terris est, qui supra illam habeat potestatem: sicut neque in terris est, qui filio auferre possit naturalem iuris diuini obligationem erga parentes, ita vt non teneatur eos amare, reuereri, & in necessitatibus eis subuenire. Et quia Ecclesia supra diuina præcepta nihil potest, hinc dicimus per Ecclesiasticam autoritatem Reges deponi non posse. Et hoc abundè iam probauimus. Ex qua probatione habemus non tantum esse contra ius diuinum, negare Principi obedientiam ciuilem, dum Princeps est; sed etiam esse contra ius diuinum, quod Ecclesia potestatem habeat Principem deponendi: sicut & contra ius diuinum est, prohibere filios, ne parentibus obsequantur: & pariter etiam contra ius diuinum est, eximere filios à paterna subiectione naturali, nec datur in terris potestas, quæ hoc possit: In quibusdam tamen ciuilibus, quæ subsunt humanis potestatibus, nec iure diuino debentur Patri, potest pater patria potestate ciuili, ciuili autoritate priuari.

LXXVII. Vrget adhuc; Summus Pontifex Vicarius DEI est; ac per hoc habet potestatem à DEO dispensandi, & mutandi in multis, secundum voluntatem DEI, cuius ipse interpres est: Ita, *inquit*, cum S. Thoma, 2. 2. *q. 10. art. 10.* Ecclesiam habere autoritatem DEI, qua Principes infideles priuare possit Dominio.] Vt hinc habeamus, posse Ecclesiam Principes fideles regno ex causa priuare, DEI autoritate. Confundit, puto, Papam cum Ecclesia, & Ecclesiam cum Papa. Neque tamen verum est, Papam posse solum, quod tota potest Ecclesia; vt alias probaui: neque si Papa est Vicarius DEI, Ecclesia tota erit Vicarius DEI. Sed admittamus nunc, Papam esse Vicarium CHRISTI, & posse, quod tota potest Ecclesia: adhuc nihil habet. Negamus enim, Ecclesiam posse quicquam in temporalibus, siue directè, siue indirectè: & hoc est à nobis pluribus iam declaratum, & confirmatum. Quare neque Thomas est in hoc, sicut neque in multis, Scoto teste, audiendus. Vicarius verò DEI non est propriè, sed CHRISTI hominis, vt homo, vt iam probaui: Et CHRISTVS, vt homo, nullam erga Reges habuit in temporalibus potestatem, vt toto primo huius libri capite constat. Solius verò DEI est, Principes deponere. Sed neque Vicarius potest omnia, quæ potest ille, cuius est Vicarius. Esto enim, Papa sit DEI Vicarius, poterit ne creare? mundum fabricare? Sacramenta instituere? gratiam infundere? & similia? nihil ergo potest Vicarius, nisi quæ habet in commissione. DEVM verò sibi soli Regum depositiones & mutationes reseruasse, ostendimus ex Scripturis; etsi in hoc vt plurimum vtatur opera hominum, nullum tamen in hoc habet suum ordinarium & certum executorem: sed quem ipse singulariter expressè vel tacitè & occulta dispositione deputauerit. Quod sacræ diuinæ Scripturæ passim docent. Huc spectat blasphemia Glossæ, de qua nos supra, *lib. 2. cap. 6. ad finem.* Vrget vlterius, *de Rom. Pontif. l. 5. cap. 7.* Cur non potest liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, si coniux *1. Corinth. 7. & c. Gaudemus, de diuor.* fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, si adsit iniuria fidei? Non enim, *inquit*, minor est potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos; sed aliquanto etiam maior.] Pergit tamen casus singulares facere vniuersales, & particulare vnum, ad aliud extendere particulare; Quod superius etiam monui nequaquam esse faciendum. Et quando Princeps de sua aliqua lege aliquid remittit, aut eam etiam in certo casu abrogat, non licet subditis à simili etiam in alia remittere, & eam abrogare. Si itaque matrimonium inter infideles est vinculum sua natura & diuina naturali institutione insolubile, (de quo ego lib. 5.) voluit DEVS legem hanc matrimonij, & insolubilitatis totam cessare, vbi alter coniugum dimissa infidelitate, ad veram DEI fidem conuerteretur, & suo iure vellet vti. In hoc enim casu, abrogata ipso facto intelligitur tota lex subiectionis matrimonialis, DEO ita suæ Ecclesiæ manifestante. Quam manifestationem huius abrogationis supponit Paulus vt notissimam. Cum enim contra hanc abrogationem esset aliquid docturus, & suasurus, nimirum vt coniugium retineatur, nec dissoluatur, vbi esset spes etiam alterius coniugis conuersionis, præmisit huiusmodi admonitionem; *1. Corinth. 7. 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus*: & postea adhortationem ipsius propriam, non Domini præceptum, exposuit dicens: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier, &c.*] Quasi dicat; Quicunque coniugatus conuersus est ad fidem, si alter coniux in infidelitate permanserit, sciat se, si velit, statim esse solutum à vinculo coniugij: neque Dominus amplius præcipit, vt vinculum maneat insolutum: Ego tamen, non Dominus suadeo, & hortor, vt vir fidelis vxorem non dimittat, si &c. Hic itaque habemus, Dominum liberasse fidelem à vinculo Matrimonij cum infideli: quod vinculum etiamsi fortius esset vinculo, quo subditi suo Regi obligantur, cum in Scriptura habeamus casum, in quo tale vinculum à DEO solutum intelligatur, quis audebit aliud vinculum alterius generis, diuina lege constrictum, soluere & disrumpere, cuius obligatio in Scriptura sit expressissima; & solutio, seu deobligatio nulla prorsus appareat? Ac sanè casum hunc tacitè ipse quoque Bellarminus concedit nihil pertinere ad Regis hæretici, sed solummodo ad Regis Ethnici depositionem. Nam vt in coniugio, vbi & maritus & coniux fuerint baptizati, altera parte in hæresim lapsa, & coniugem semper vrgente & solicitante ad præuaricationem, matrimonij tamen vinculum omnino manet insolubile; sic ex vi huius comparationis Rege Christiano in hæresim lapso, ac pertinaciter obstinato, suosque conante ad suam sententiam pertrahere, manebit nihilominus vinculum fidelitatis ac subiectionis, qua quiuis subditi Christiani obligantur, nec vllo modo

licebit hoc Rege pulso aliũ sibi superinducere. Quod si fecerint, se reddent certe, ex Bellarminiana hac illatione, reos Politici, vt ita dicam, pellicatus, vel potius adulterij. Et quod asserit Bellarminus, non minorem esse, sed aliquanto maiorem potestatem coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, nullo modo concesserim. Quis enim dixerit, penes maritum esse potestatem vitæ & neçis in vxorem ob crimina omnia capitalia? Imo hac assertione Bellarminus non modo seuus videtur in vxores, erga quas Regiam, imo plus quam Regiam vult à maritis exerceri potestatem, sed etiam in ipsos maritos iniurius, cum eos vicissim vxorum Imperio Regio subdat. Potestas nempe coniugis in coniugem mutua hic esse debet, qualis apud Paulum ibidem exprimitur, cum ait, in hoc casu non esse seruituti subiectum fratrem aut sororem, hoc est, neutrum coniugum. Ita contradictionem implicabit hæc Regalis mutua coniugum potestas. Quod si potestatis nomine intelligat vinculi arctitudinem; impropriè satis id quidem, neç verè dictum: cum potestas illa coniugum mutua in corpora alterutrius tolli possit tum in casu adulterij, tum etiam in casu conuersionis, ex CHRISTI & Pauli dictis, tum etiam humanis legibus iusti diuortij, vt ostendi *libr.* 5. *cap.* 11. at verò potestas Regis in subditos neque exceptionem vllam habet in scripturis, neque potestas in terris est vlla, quæ vinculum subiectionis supremis potestatibus debitæ possit abrumpere, vt iam probauimus, & nunc in solutionibus contrariarum rationum versamur.

LXXVIII. Quarta ratio Bellarmini ponit pactum quoddam inter Reges, cum fidem Christi suscipiunt, & Ecclesiam *de Rom. Pont. l.* 5. *cap.* 7. cui ex tali pacto sceptra sua subijciunt. Hanc ego rationem totam supra *num. trigesimo & seqq. huius capitis* sufficienter discussi, & excussi, & exclusi.

LXXIX. Quinta ratio eiusdem ibidem est, Petro dictum fuisse à Christo; *Ioan.* 21. 15. *Pasce oues.* Habuit ergo facultatem omnem ad pascendum, & tuendum gregem. Triplex porrò, *inquit*, potestas fuit pastori necessaria. 1. Vt possit arcere lupos. 2. Vt arietes, si cornibus petant, recludat, & prohibeat, ne gregem ducant, eumque præcedant. 3. Vt ouibus conuenientia pabula tribuat. Lupos dicit esse hæreticos; si igitur Princeps fiat hæreticus, abigendus est. Aries malus, est Princeps Catholicus, sed furiosus, & qui Ecclesiæ, ac religioni plurimum obsit: ideoque recludendus, & in ordinem ouium redigendus. Oues autem sunt fideles à Pastore cogendi ad ea, quæ quisque pro suo statu tenetur, seruanda, & exequenda. Ita Rex, Christi ouis, cogi debet, vt pro suo statu Ecclesiam defendat, & puniat hæreticos: & ille tenetur Pastori hoc præcipienti obedire: & si non obediat, cogi debet per excommunicationem, & alias commodas rationes.] Respondeo primò, Petrum, & omnes Apostolos, ac consequenter Prælatos Ecclesiæ, accepisse curam pastoralem, cum omni necessaria potestate pascendi spiritualiter, & tuendi etiam gregem, resistendo lupis per sanam doctrinam, & monẽdo oues, vt caueant à lupis, nec sibi insinuari sinant falsitates & hæreses: contra quos nullus clypeus melior, quàm *Eph.* 6. 16. scutũ fidei. Et est valdè magna differentia inter lupum verum, vnde ducitur hæc similitudo, ac lupum hunc mysticum. Pastor enim ouium irrationalium eas sufficienter tueri non potest, nisi habeat potestatem coactiuam, & arma materialia ad abigendos, & etiam occidendos lupos: lupus enim ingressus in ouile, & gregi se immiscẽs, si non abigatur, aut occidatur, cruentas facit ouium strages, quæ se à lupi morsibus nullo modo possunt defendere. Non ita est in ouibus spiritualibus; has enim nullus lupus potest mordere, si scuto fidei bene præmuniantur. Et sicut satis præsidij Pastor materialis haberet ad suas oues à morsibus luporum tuendas, si armaturas aliquas haberet, quibus oues suas obtegeret, quæque vim omnem Lupini dentis irritam & nullam possent reddere. Et tunc pastor, si non posset abigere lupum, neq; illum interficere, vbi præsertim tam multi essent, & adeò validi, vt ipse cum illis congrediendi satis virium non haberet, ouibus suis sine tali cõgressu sufficientissimè prospiceret. Illa enim sola periret, quæ sponte abiecta à se armatura, sese voluntariè in fauces luporum inijceret: quæ non esset culpa pastoris. Ita prorsus contingit in spiritualibus. Pastor enim spiritualis, cum nullas habeat vires ad abigendos corporaliter, & interficiendos lupos hæreticos, sine ope illius, qui gladium portat, si hic ipse fiat lupus, non propterea pastor est destitutus omni remedio ad tuendum gregem, etiamsi lupum arcere non possit: muniat suas oues firma fide, & doctrina sana, nulla enim, nisi volens, peribit. Arceat lupos à communione Ecclesiæ, si possit, & prudentia id expeditè dictauerit; & ad hoc vtatur gladio ipsius proprio spirituali. Quid vltra faciat contra lupum, nihil habet: habet tamen vnde oues muniat, & optimè tueatur ne lupus eis obesse possit. Atque ita nulla necessitas coget eum iubere ouibus, vt suum temporalem pastorem, à quo optima pabula pro vita & statu temporali recipiunt, & sine quo esse non possunt, & à cuius cura non possunt abduci, sed iussu Dei illum in temporalibus sequi tenentur, fugiant & vitent, etiamsi quoad spiritualia factus sit lupus. Ad hoc enim ne eis noceat possunt armari; & interim in temporalibus, in quibus est eorum legitimus pastor, non lupus, eius ductum omnino sequantur. Optimè dicit Bellarminus, posse pastorem Ecclesiasticum arcere ab Ecclesia per excommunicationem, Principem factum hæreticum; nimirum nisi quid aliud obstet: pessimè tamen & absque vllo fundamento adijcit, posse etiam simul iubere populo, ne eum sequantur, (intelligit etiam in temporalibus) ac proinde priuare eum Dominio in subditos.] Cum enim iure diuino populus sit suo Principi temporali subiectus, Ecclesia contra ius diuinum nihil potest populo præcipere: & si præciperet, præceptum esset absonum, nullius roboris, ac planè nullum: & proinde populus, contempto hoc absurdo præcepto, tenebitur suo Principi, quicunque ille sit, in temporalibus adhærere; cauereque ne eum in spiritualibus errantem audiat, aut sequatur. Hæc enim simul consistunt, vt alicui in temporalibus obediamus, & in spiritualibus resistamus, & è contra. Respondet Bellarminus *cont. Barcl. cap.* 26. De iure diuino est, vt inferior obediat superiori, quandiu superior est, sed si desierit esse superior, desinet etiam præceptum de obedientia illi exhibenda.] Ita sanè est: Sed aduertat Bellarminus, se vtrobique contra leges boni disputatoris, assumere ipsam, de qua quæritur, propositionem ad ipsammet confirmandam. Isthæc enim limitatio de Rege, quandiu superior est, & illa ratiuncula de abigendo lupo, quorsum afferuntur, nisi vt inde probetur, Ecclesiam posse Regem deponere? nos dicimus, non potest deponere, quia de iure diuino populus tenetur suo Regi parere; non ergo potest Ecclesia ei præcipere vt Regem deserat, & alium constituat. Respondet Bellarminus; potest populo præcipi, vt non pareat Regi iam deposito. Bene habet. Sed quis eum deposuit? Ecclesia, inquit, & populus. Atqui hoc ipsum quærebamus, an Ecclesia & populus id possint. Indignus prorsus tyrone logico, ne dum consummato Theologo, modus disserendi.

LXXX. Ve-

LXXX. Venio ad Arietis exemplum. Aries si munus arietis peragit vt debet, furat quantum velit in alio, recludi non debet. Si oues præclarè ducit, cur recludendus? ita Princeps dum bene suum regit populum in ciuilibus, populus sunt ipsius legitimæ oues, & ipse ouium legitimus aries, & pastor. Si verò furat hæresi, sibi furit: & si oues conatur ad hæresim perducere, non eum sequantur in hæresi: reluctentur, se auertant, resistant, possunt etenim: eius tamen ductum in ciuilibus interim, vt debent, sequantur. Quod si in vtroque furat, de furore ciuili, & malo regimine temporali, nihil ad Ecclesiam; nisi ratione peccati in foro pœnitentiali. Quoad ciuilia, regula est vniuersalis, & sane insignis illa Augustini: *epist.* 124. Aliquando, *inquit*, iniusti perueniunt ad honores sæculi; cùm peruenerint & facti fuerint vel Iudices, vel Reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam populi sui, non potest fieri, nisi, vt exhibeatur illis honos debitus potestati.] Loquimur verò de solo furore spirituali; nam ex hoc solo contendit Bellarminus arietem esse recludendum. Sed hoc etiam demus: recludatur tandem separatione spirituali, excommunicetur; quid hoc ad depositionem? Negamus profectò posse pastorem Ecclesiæ illum in ordinem ouium redigere, & ex Rege ac pastore, priuatum, & ouem facere. Rex enim est, & pastor ciuilis, ab hominibus electus, sed à Deo confirmatus immediatè, & potestate regia donatus, neq; Ecclesia habet in hoc vllā potestatē. Sicut & iam ostensum est, excommunicationem temporalia nunquam per se, aut necessariò attingere. Similitudo itaque arietis recludendi, cùm nihil aliud concludat, nisi ad summum excommunicationem; excommunicatio verò secum non ferat depositionem; nihil conficiet pro depositione, quam ex hac similitudine intendit Bellarminus. Respondet, *cont. Barcl. c.* 36. Non intelligo per reclusionem solam separationem excommunicationis, sed etiam depositionem. Quemadmodum enim pastor non solum separat Arietem à grege, sed etiam recludit quasi in carcere, vt non amplius gregem ducat: sic Pastor Ecclesiæ non solùm excommunicat Principem infidelem, sed etiam deponit, & in ordinem redigit, vt non amplius populos regat.] Sed non considerat Bellarminus argumenta à simili sæpissimè, imò vt plurimum claudicare: etsi enim in aliqua particula similitudo optimè cohæreat, in pluribus tamen alijs partibus illa vehementer ab instituto discordat. Si vult ex hac similitudine, quod instituit, probare: faciat prius Arietem certum, & singularem, iure diuino (aut saltem tali, in quod pastor non habeat potestatem) gregis ducendi officium sortiri: faciat similiter Arietem in ducendo grege se præclarè gerere, neq; ouibus in earum bono corporali & temporali quicquam obesse: furiosum tamen esse erga oues, non in ipsarum corpora, sed in alio in quo ille ouium ductor non est. Alioqui similitudo nihil valet, nisi in ea tantum parte, quod, sicut aries temporaliter nocens ouibus est recludendus, & separandus, ita malus Princeps spiritualiter. Quod verò Aries priuetur officio ducatus à suo pastore, quia in eodem officio sit furiosus, non est ad nostram rem. In illo enim ipso ducatu subest aries pastori, in quo peccat. At noster Princeps neque peccat in suo ducatu, neq; si peccaret in ipsius proprio officio, subest pastori Ecclesiastico, sed immediatè Deo. Et si peccat non in suo proprio officio arietis, sed in alio, in quo subest Ecclesiæ, propter hoc baculo Ecclesiæ spirituali est distinendus ab ouili, nempe alio, non hoc suo proprio, sed spirituali. Ab officio verò arietis in quo neque peccat Ecclesiasticè, neque subest Ecclesiæ, non potest per Ecclesiam recludi. Pastor arietem furentem recludat sed pedo suo, ac manu sua; Rex populorum pastor sceptro, gladio, manu armata, quæ pœnas mere spirituales non infligit: Episcopus Pastor Ecclesiasticus virga spirituali censuris verè Ecclesiasticis, quibus nihil temporale imminui potest aut attingi. Imo his aliquid plus ad dōs Pastorem Ecclesiasticum in temporalibus esse: quem sub illo Ariete: vt est à me iam probatum: ouis vero suum Arietem non potest recludere, aut à ducatu gregis amouere; sed debet eum sequi; &, si fuerit corrupta, ac interdum lædat gregem, tamen cogitur eum tolerare, donec Pastor, qui curam gerit & ouium, & Arietis, incommodis occurrat. Ecclesia enim, inquit, Beda, non resistendo Principibus, etiam impijs, sed perferendo roborata est *serm.* 18. *de sanctis. in die pent.* ...] Huc faciunt dicta Nazianzeni, & Chrysostomi, quæ supra posuimus, *cap.* 8. *num.* 40. Tertia pars quintæ rationis, nihil contra nos efficit: totam enim similitudinem concedimus quoad pabulum spirituale, & pœnas, ac coactiones spirituales, & præsertim excommunicationis, iuxta prudentiæ præscriptum. Et illas alias commodas rationes, quibus ait Bellarminus posse Ecclesiam cogere Principes, vt in officio contineantur, si à recta fide deuiauerint, intelligo intra terminos potestatis spiritualis, ita vt ad temporalia nullo modo extendantur. In alio enim sensu plurimum fallitur, vt est toties à nobis copiosè in nostris tractatibus præcedentibus explicatum & probatum.

LXXXI. Solent etiam pro suæ potestatis in Principes cōfirmatione illud proferre, quod Deus dixit Hieremiæ: *Hier.* 1. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*] Hæc profectò dicta sunt Hieremiæ: Sed quando hæc dicta sunt Romano Pontifici? aut quomodo Romanus Pontifex succedit Hieremiæ? Ille erat Propheta singularis, & extraordinarius, quem Deus mittebat, cum speciali cōmissione, & autoritate ad populū Iudæorum. Sed vt à persona ad rē ipsam descēdamus, falluntur, aut potius fallunt, qui potestatē hanc datam Hieremiæ trahunt ad Regū depositiones, & Regnorum. Quē, quæso, Regē deposuit Hieremias? quid in tēporalibus immutauit? Tota illa potestas est spiritualis, & spiritualiter fuit exercita: illa euulsio, eradicatio, & plantatio præstanda erat in gladio oris, non in ore gladij; per propheticas præmonitiones, & verbi diuini inculcationes; non per iuridicam & imperiosam Regum de sedibus suis deturbationem. Vox ipsius Dei Prophetā mittentis hoc sonat; *ibid.* 1. 5. *Prophetam in gentibus dedi te:* & in verbis immediate præcedentibus locū citatū, *Ecce posui verba mea in ore tuo; Ecce constitui te hodie super gentes & regna:* (vbi etiam obiter aduerto regna sumi materialiter pro toto aggregato ex Rege, & populo illarum gentium, non formaliter pro regimine politico, aut Rege separatim considerato.) Officium autē hoc propheticum erat partim operationis, nempe vt spirituali ac potenti sacræ agriculturæ sarculo & ligone Idololatriam, abususque circa religionem & diuinum cultum, nec non vitia & peccata euelleret, destrueret, disperderet, ac dissiparet, non modo in viliori plebe, sed etiam in personis Regum, & Sacerdotum, ac potentiorum: virtutes verò fidem, pietatem, religionem, iustitiam, & alias ædificaret & plantaret: vt optime Hieronymus & Lyra explicant in eundem locum. Et Gregorius Magnus. *Pastoral. par.* 3. *admon.* 35. Partim etiam prædictionis erat munus illud Prophetæ commissum, nempe quatenus verbis Dei in eius ore positis, hoc est, prophetiæ donis instructus, & iussu diuino obligatus, multarum gentium ac regnorum ruinas prædixit, ac publicauit: nec ex ceratum modo nationum calamitates prænunciauit; sed Iudæorum, quorum captiuitatem

tem & restitutionem his euellendi & plantandi vocibus designari docent Theodoretus & Lyra in hunc ipsum locum. Num quid, obsecro, harum destructionũ sua manu præstitit, aut potestate iurisdictionali fieri mandauit sacer hic etiam extraordinarius DEI minister? Certè Prophetarum & Apostolorum olim fuit, adeoque Ecclesiasticorum esse nunc debet, regna cõuertere ad Deum, non subuertere propter DEUM. Maneat igitur, & semper profectò, velint nolint nostri Soliorum suffossores, Ecclesiasticam potestatem ad temporalia, ac potissimum in Regna & Reges nulla ratione posse extendi: quod erat huius decimi capitis in hoc libro institutum: & satis sit Papæ, omnibusque Ecclesiæ ministris, si laudabiliter in rebus spiritualibus solis ordinarie occupentur.

LXXXII. Dices; ex dictis sequi, nullum esse in terris remedium aduersus Principes malos, ac præsertim si & fidem oppugnent, & politiam malè gubernẽt, & subditos in vtroque homine vexent & affligant. Cũ enim sola depositio sit remedium opportunum, si à nemine possint deponi, actum erit de remedio. Respondeo primò, in terris quærendum rerum humanarum, imò & Ecclesiasticarum, statum, non qui protsus nulli pateat incommodo, sed qui paucioribus, minusque exitialibus. Longè autem perniciosiores, magisque societatis humanæ destructiuæ sunt illæ confusiones, quæ ex subditorum rebellionibus, bellisque ciuilibus oriri solent, etiam ad vrbium & regionum deuastationem, quam quæ ex truculenti Regis crudelitate in quosdam subditos exercita eueniunt. Deinde dico, ex natura rei hoc esse proprium cuiusque Principis supremi, qui in terris superiorem temporalem non habeat, vt deponi iudicialiter, & autoritatiue non possit; solo enim DEO sunt in terris inferiores, & sunt immediati DEI Vicarij, & ministri in terris, in temporalibus, vt iam ostendi. Et sicut Papa, dum dicitur (sed perperam) esse Vicarius CHRISTI immediatus, necessariò ponitur non habere in terris vllum superiorem; Ita omnino iure dicendum est de supremis Principibus, eadem ratione. Sunt multa profectò humana (vt hæc obiter attingam) quorum totum penè ius in facto consistit: ita DEO ordinante, & disponente, ad ciuilem pacem, & tranquillitatem: Vbi præsertim in terris non sit, qui ius dicendi habeat super aliquo negotio, aut personis, facultatem: aut si est, qui ius dicere possit, sed vim coactiuam non habeat, qua iudicatum possit executioni mandare. Vt si piratæ lattones maritimi, preciosas merces institorum rapiant, & mox superueniens classis, institorũ amica, eripiat piratis quicquid illi rapuerant; hoc solo facto, sicut vsus obtinuit, merces illæ sunt ereptoris: & institor per summam iniuriam, & merum latrocinium spoliatus, in suas merces totum ius amisit, nec eas amplius, si legibus stetur maritimis, potest iure ab ereptoribus repetere. Hinc etiam præscriptiones sunt exortæ, vt solo facto ius acquirant & dominium in res iuris alieni. Ita si vnus supremus Princeps in sua ditione, alteri item supremo in sua, etiam per iniuriam rapiat partem Dominij, cum supra se non habeant iudicem in terris, nisi amicè, & amicorum aliorum Principum beneuola & priuata opera componantur, totum ius erit in armis: ita vt si malus vsurpator validior fuerit, in eam Dominij malè vsurpati partem solo facto sit ius etiam acquisiturus: Tale videlicet vt populus acquisitus per iniuriam ei tanquam legitimo suo Principi iam parere debeat, etiam si ille peccauerit vsurpando, & tuta conscientia nõ possit vsurpatum Dominium retinere, sed illud proprio Principi restituere teneatur: facilè tamen siue ex colorato saltem aliquo titulo, siue, quod verius est, ex diuinæ prouidentiæ occulta dispositione legitimus fieri potest tandem Dominus. Sed siue ille legitimè possideat, siue illegitimè, populus ei tanquam legitimo subijcietur, qui sine Rectore esse non potest: neq; populi est ius dicere, aut super iure cognoscere, & decidere; & interim sua indiget directione.

LXXXIII. Electiones etenim Principum, seu personæ deputationes, & ingressus eorundem Principum in Regna, & Imperia sunt incertissimi, & innumeris fiunt modis, & malis & bonis, & justis & injustis, & pacatis & violentis: sic enim natura secum fert corrupta; neq; naturale remedium potest vllum dari, aut inueniri: DEUS verò naturam non vult miraculis, & medijs supernaturalibus gubernari: disposuit tamen, vt superioribus temporalibus omnino pareant homines, ac propterea noluit, vt electiones huiusmodi, siue ingressus in Dominiũ perpetuo, & semper, & necessario darent ius dominandi, & regendi potestatẽ; ita vt quis dicat, potestatẽ regendi non esse legitimam, nisi in ijs solis, qui legitimũ habent ingressum in Principatum; Sic enim naturæ humanæ gubernatio esset confusissima, & vix interdum sciremus, cui parere in ciuilibus teneamur. Vixque ipsemet noster Papa suum ius legitimum in Vrbem & dominia, quæ obtinet temporalia, probare posset, & se ab vsurpatione liberare. Prouisum itaque esse voluit Deus, vt ingressus interdum fierent quoquomodo, ipse tamen immediate ingresso daret regiminis potestatem. Atque ita in scriptura videmus, Deum dici transferre Regna atq; Imperia: & dedisse maxima dominia Nabuchodonosor, & Cyro, alijsq; Monarchis mundi, quos tamẽ scimus injustissime Regna illa inuasisse, & igni ac ferro viam sibi violentissime ad summam potẽtiã, & gloriam patefecisse: de quibus Augustinus ita loquitur; Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos, sola Regni cupiditate conterere, & subdere; quid aliud quam grande latrocinium nominandum est? *de Ciu. Dei, l. 4. c. 6.*] Vt tamen regimen ciuile hinc vel minimum, vel nihil patiatur, DEUS sua admirabili prouidentia efficit, vt injustissimi inuasores potestatem tamen habeant legitimam, quam eis ipse concedit, populos male occupatos regendi: & DEUS vult populos eis subdi & omnino in regimine subijci: *Quicunque* inquit, *non curuauerit collum suum sub iugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, Hier. 27. 8.*] Item: *Subijcite colla vestra sub iugo Regis Babylonis, & seruite ei, & populo eius, & viuetis.*] Ita etiam iam monuimus, Iulij & Augusti Imperium, quod initiò fuerat forrasse merum latrocinium, cum iniustissima ac tyrannica liberæ Reipublicæ Romanæ oppressione, à Christo Domino fuisse *Matt. 22. 21. & Matt. 17. 26.* approbatum in Tiberio; licet Augustinus iustam illam censuerit fuisse occupationem. Vt supra vidimus *cap. 2. num. 10. huius.*

LXXXIV. Occulta vero DEI iudicia nos non penetramus: qui ipse vel vt Reges & Principes, vel vt populum puniat, non modò permittit, sed iubet etiam & vult, vt aliquis Princeps Regno priuetur, & alius solo facto, vt nobis apparet, in Regnum ingrediatur, interdum bonus, excluso malo in ipsius pœnam: interdum malus excluso bono, in populi punitionem. Iudicia DEI abyssus multa. *Ps. 35. 7.* Interdum etiam magnus fit motus, vt Regno aliquis expellatur, & alius intrudatur, & expulsus iterum Regnum recipiat: quia non diuina, sed humana voluntate sola, à DEO non approbata, hæc intentabantur. Neque habeo certiorem regulam ad cognoscendum, quando diuina voluntate fit Regnorum mutatio, quando non, nisi ex ipso euentu; iuxta illud Gamalielis: *Si est ex hominibus consilium*

hoc, aut opus, dissoluetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, Act. 5. 38.] Remedium itaque solum à Deo est expectandum, qui solus Regna mutat & Imperia: Humana porrò vis, & rebelliones & conspirationes, & potentiorum arma, sæpe solent remedium adhibere. Sed de his nihil potest certi statui, nihil definiri, nisi hæc de se nunquam licere, & esse iniustissima: an verò interdum ista contingant diuina voluntate, remedium aliquod per hæc adhibente, an solum diuina permissione, qui postea malum factum ad bonum deducat euentum sua prouidentia inenarrabili, nemo nouit; solæ nobis ex euentibus, vt dixi, sed & ipsæ incertissimæ, relinquuntur coniecturæ.

LXXXV. Hinc est sanè quod Bernardus nullam inter homines agnoscat ordinariam potestatem deponendi Principes huius mundi, nisi cœlestem; per militiam nimirum cœlestem diuinæ iussionis executricē: ait enim de ordine Angelorum, qui Principatus dicuntur: Tanta proinde Principatus dignitate donantur, vt vbique terrarum habeant potestatem, quasi de summo quodam rerum cardine, Regna & Principatus, & quaslibet pro arbitrio mutare & ordinare dignitates, pro quorumcunque merito; facere primos nouissimos, & nouissimos primos; deponere potentes de sede, & exaltare humiles, *super cant. serm. 19.*] Et alibi, Putemus Principatus ijs quinque prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terris Principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur, *de consid. l. 5. c. 4.*]

LXXXVI. Quæret quispiam; Si in Republica Ecclesiastica Rectores ipsius ordinem seruant Hierarchicum, & vnus subest alteri, ad vitandam in regimine spirituali confusionem, cur hoc idem non fit in regimine temporali? Respōdeo, quæsitum hoc fermè egredi nostrum institutum: soluendum tamē est, quia hinc natura vtriusq; Reipublicæ melius patescet. Et aio, iuxta modernam Theologorum nostrorum Monarchiæ Papalis assertorum doctrinam, in Ecclesiastica etiam Republica necessariò admitti, supremum ipsius Principem non habere in terris superiorem: & si is malus sit & vitijs corruptus, Ecclesiamque malè regat, & scandalizet, à solo Deo esse expectandum remedium: & id solo facto solere adhiberi, quando Principes, vt olim sæpius fecerunt, illum à sede deponerent, longè ablegarent, & alium substituendum curarent; is profectò esset legitimus Papa, vt fuit Vigilius, viuo adhuc, & superstite Syluerio: vt alias ostendi. Ego tamen Hierarchiam illam Ecclesiasticam, cum subiectione Episcoporum ad Metropolitanos, & horum ad Primates, & Primatum ad Patriarchas, qui sunt singuli in suis ditionibus supremi, neque amplius inter se subiecti, iam docui *lib. 3.* esse totam humana Ecclesiastica autoritate constitutam. Cæterum institutione Christi in Repub. Ecclesiastica, cuius ipse autor est & ordinator, omnes huius Reip. Rectores inter se vnitate perfecta, summopere necessaria, cohærent, & vnicum constituunt Gubernatorum corpus in solidum, vt iam *eodem lib. cap.* n explicaui. Atq; Episcopi quilibet (quos paris omnes prorsus feci potestatis) ita suam regit propriam, vt tamen illa non sit vna per se Ecclesia ab alijs separata; est enim pars vnius totius Ecclesiæ, quæ est vnica sola per totū mundum diffusa, in qua vnus est Christus caput ipsius, vna fides, vnum baptisma, vnum Euangelium & idem, vna & eadem lex Euangelica. Et si vnus Episcopus à recto regiminis suæ Ecclesiæ tramite deuiauerit, debet statim corrigi & emēdari per reliquæ totius Ecclesiæ sensum, & spiritum, in Synodis & Concilijs declaratum, & explicatum: Vt suis locis fusè tractaui, & adhuc tractabo.

LXXXVII. Hæc vnitas non est necessaria in Republica ciuili: tot enim sunt Respublicæ huiusmodi, quot Regna, & Imperia, hoc est, quot Principes sunt absoluti, & quot ditiones suum supremum, & independentem ab alijs habentes Principem: singulæ enim suis proprijs reguntur legibus, cum maxima inter ipsas varietate, & differentia: & dummodo rectam rationē naturalem sequantur, satis est: recta verò ratio non semper eandem legem dictat; sed aliam hic, aliam verò alibi; iuxta varios hominum mores, & inclinationes. Nulla ergo vnio, nulla connexio, nulla necessaria est cohæsio inter mundi Principes in ciuilibus: sed quisque in suo sensu potest abundare. Ac propterea quisque Princeps supremus liber est in sua ditione à quacunque subiectione ad alterum; siue ad omnes alios Principatus: quia turbatio vnius Principatus nihil turbat neque confundit alium Principatum. Attamen vna Ecclesia ab alijs dissentiens soluit vnitatem eiusdem fidei, & eiusdem doctrinæ Euangelicæ, & facit schisma; ideoque per alias Ecclesias debet ille omnino corrigi, ac reduci ad vnitatem in Republica Ecclesiastica adeò necessariam retinendam: tota enim Ecclesia est vnicum duntaxat corpus vni capiti mystico accrescens, cuius singula membra debent non modò capiti, sed inter se toti corpori cohærere: & totum corpus habet potestatem in singula sua membra. At Respublicæ ciuiles singulares non sunt membra vnius totius Reipublicæ ciuilis totius mundi: sed singulæ per se suum proprium corpus integrum constituunt, & ex ipsius Bellarmini placitis sunt in se perfectæ, ac sibi sufficientes. Tot nempe completa corpora ciuilia sunt in mundo, quot Respublicæ integræ & per se, ab alijs separatæ; absque vlla inter ipsas cohærentia, aut subordinatione, nisi immediatè ad Deum. Neque alia est alterius in alteram potestas, nisi facti, virium, & armorum, prout paulò antè explicabam. Quod si aliqua deberet esse inter ipsas dependentia, ac subordinatio, ea tandem deberet non ad Papam, sed ad Imperatorem, aliumve supremum Principem redigi temporalem: Vt enim in natura omnis elementi pars ad homogeneum & suum reducitur principium, non ad alienum: gleba ad terram, non ad aërem remeat; ita in his temporalia ad temporalem, spiritualia ad spiritualem supremam motu naturali recurrunt potestatem. Et sunt hæ duæ Respublicæ inter se distantissimæ, & toto genere differentes, vt est à me probatissimum.

LXXXVIII. Reuera tamen & ratio naturalis dictat, & primus Principatuum progressus docet, plurimos debere esse Principes, supremum quenque in sua & parua ditione; vt quisque Reipublicæ suæ corpus tantæ molis regat, quantum vires humanę, hoc est, exiguæ in vno, ferre possint: & populi à se remotos Reges, quos nunquam videant, audiant, adeant, vix sibi æquo animo tolerant præfici. Iustinus certè ex Trogo Pompejo ita narrat: Principio rerum, gentium nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad fastigium huius majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat: populi nullis legibus tenebantur; arbitria Principum pro legibus erant: fines Imperij tueri magis, quam proferre mos erat: Intra suam cuique patriam Regna finiebantur. *Primus omnium* Ninus Rex Assyriorum, veterē, & quasi auitum gentibus morem, noua Imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos vsque Lybiæ perdomuit; & magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios

transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit, *apud Aug. de Ciu. Dei, l. 4. c. 6.*] Ninus habet facilè etiā Christianos Principes imitatores. Videant tamen, inquit Augustinus, ne fortè non pertineat ad viros bonos gaudere de Regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus iusta bella gesta sunt, Regnum adiuuit vt cresceret. Quod vtique paruum esset, si quies, & iustitia finitimorum contra se bellum geri nulla prouocaret iniuria: Ac felicioribus sic rebus humanis omnia Regna parua essent, concordi viçinitate lætantia, *de Ciuit. Dei, l. 4. c. 15.*] Et addit: Felicitas maior est, vicinum bonum habere concordem; quam vicinum malum subiugare bellantem. Mala vota sunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, vt possit esse, quem vincas.] Hæc tamen mala vota inter nostros abundant Principes: qui si sint potentiores, ad totius orbis terræ aspirant Monarchiam. Non immeritò igitur Numa Pompilius Rex sapiens statuit vt in sacris Terminalibus nullius hostiæ sanguis effunderetur; Quia (inquit Plutarchus *in qq. Rom. q. 15.*) Romulus terminos agro populi nullos posuit vt liceret progredi, alijsq; ademptum adijcere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam (vt Laco ille dicebat) hasta assequi possent. Numa autem Pompilius homo iustus, ciuilis, ac philosophus limitibus suum agrum à vicino distinxit, ijsque Terminum nuncupans inspectorem atque custodem amicitiæ & pacis, existimauit sanguinis purum, nullaque inquinatum cæde debere seruari.] Itaque Roma quoque sub Numa exiguis limitibus contenta in proximorum Regum ditiones erumpendum nequaquam esse censuit. Postea tamen omni modestia exuta, & sublatis nimium propinquis terminis, totum sibi mundum voluit subiugare. Habemus hinc interim, quam imperitissime puri legistæ, qui totius mundi temporale imperium ad vnicum spectare hominem, siue Imperator ille sit, siue Papa, contendunt: cùm potiùs & natura, & naturæ nondum tantopere vitijs contaminatæ primi progressus plurima & exigua regna esse voluerint inter se omnino diuisa, independentia, & separata: non sic Ecclesia. Quod si vrgeas posse à communitate Principem deponi, sicut potest Episcopus ab Ecclesiâ, Respondeo; Factâ solâ Principis, suprema potestate induendi, electione quacunque; statim à DEO immediatè illi Principi, si Regimen arripiat; dari potestatem, ideoque à solo DEO est ritè deponendus, quia electio non dat potestatem, sed DEVS. At verò sola electione Episcopus non fit, nec dum accipit à DEO potestatem, sed eam accipit à DEO facta per alios Episcopos legitima ordinatione personæ electæ, & ipsius autoritatiua missione, vt *lib. 2. & 3.* explicaui. Et Christus voluit, vt, qui possunt mittere aliquem in ministerium spirituale, possint etiam illum, si indignus fiat & ineptus, dimittere. Et in hoc nullum periculum est confusionis, aut perturbationis in regimine; quia Episcopi sunt puri ministri, & non Domini suæ Ecclesiæ: & facile est ministrum mutare, & alium substituere. Principes verò sunt absoluti Domini in suis ditionibus. Nō capit regnum duos. Ecclesia verò tolerat etiam plurimos, imò postulat ministros, & vno deficiente statim alter supplet.

LXXXIX. Ad confirmationem denique huius, quam impugnamus hoc capite, Pontificiæ potestatis, circa Regum depositiones & Regnorum dispositiones, spectat Doctorum & Conciliorū autoritas. Quos sanè plures, & aliquot Concilia, collegit in vnam massam Bellarminus post præfationem sui libri, quem scripsit contra Barclaium: & in Responsione ad Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ Apologiam, edit. 3. Romana *pag. 103.* De his igitur & nos pauca attexamus. Doctores itaque, quos multos congerit, in suas classes sunt ab ipso distincti. Ex Italia ponit Gregorium VII. Thomam de Aquino; Bonauenturam; Ægidium Romanum, Augustinū Triumphū; Ioannem de Capistrano; Antoninum; Isidorum Mediolanensem; Gabrielē Biel, Thomā Cajetanum; Alexandrū de S. Elpidio; Petrū de monte, Petrū Ancharanū, Syluestrū Prierā, Astensem, Abbatē Panormitanū, Ioannem de Anania; Bartholū Iuris Consultū; Baldum; Petrū Andream Gambaram; Restaurū Gastaldū, Cardinalem Tuscum. Ex Gallijs; Bernardum Clareuallensem; Petrū de Palude, Durandum Meldensem; Eruæum Brittonē, Henricū Ostiensem; Petrū Bertrandum; Ioannē de Sylua; Stephanum Aufreriū, Gulielmum Speculatorē, Ioannem Fabrū; Ægidium Bellamera, Ioannē Quintinum; Remundū Ruffum. Ex Hispanijs, Raymundum, Pelagiū Aluarū; Ioannem de Turrecremata, Cyprianum Benetū, Franciscum Victoriam, Dominicum à Soto, Alphonsum de Castro, Iacobū Simancam, Dominicū Bannes; Martinum Ledesmiū; Gregorium de Valentia, Gulielmum de Monserat, Alphonsum Aluarez, Antoniū Cordubensem; Ludouicū Molina; Didacū Couarruuias, Ferdinandū Vasquium, Michaelē de Aninyon; Martinum Nauarrum. Ex Germania, Stephanū Alberstatensem, Hugonē de S. Victore, Henricū de Gandauo, Vlricū; Dionysium Carthusianū, Ioannē Driedonem; Albertum Pighium, Iacobum Latomum, Conradū Brunū: Ex Anglia, & Scotia, Alexandrum Alensem, Robertum Olchot, Franciscum Mayronū, Ioannem Bachonum, Thomā Valdensem; Reginaldum Polum; Nicolaum Sanderū. Concilia verò quæ recenset; sunt; Synodus Romana sub Gregorio secundo, & septimo; Beneuentana habita à Victore tertio, Placentina ab Vrbano secundo, Romana à Paschale secundo; Coloniensis à Gelasio secundo; Rhemensis à Callisto secundo: Quæ confirmarunt, inquit, sententiam Gregorij Septimi; Claramontanum Concilium sub Vrbano Secundo; Lateranense Generale; sub Innocentio Tertio, & Lugdunense sub Innocentio Quarto.

XC. Si tamen Autores hos tam multos; quos Bellarminus ad 70. in acie collocauit, cribro diligenti exagitemus, decident plurimi eorum in quisquilias, etiam Bellarmino ipso eos contemnente; & inter malè sentientes; imò inter errantes; & in hac materia nequaquam audiendos; reponente; ac secernente. Itaque inprimis Iuristas omnes abijcimus cum ipso Bellarmino *de Rom. Pont. l. 5. cap. 1. 2. 3. 4. 5.* Hi enim directam potestatem temporalem tribuunt Papæ in Reges & Regna; directumque faciunt mundi Dominum in temporalibus; à quo Reges regna sua accipiant, & debeant recognoscere. Quod esse meram infantilem stultitiam conuincit etiam Bellarminus. Ac meritò: Hi enim cum sint & atheologi, & alogi, literam solam, imò vmbram vanam pueriliter consectantur: & quia in Decretalibus Romanorum Pontificum seipsos extollentium & sibi potestatem, imò ferè omnipotentiam diuinam struentium, & arrogantium, cernunt hanc falsam potestatem sæpe astrui; quas Decretales quia plusquam Euangelium & sacratissima antiqua Concilia sibi sequendas illi proposuerunt, non audent discedere. Iuristas verò huiusmodi, vltra viginti in turba illa Autorum posuit Bellarminus: itaque prima hæc cribratio totam penè tertiam partem Autorum difflauit ac abiecit; inanes certè paleas, & ventorum iusta ludibria. Hem date mihi ventilabrum in manum denuo. Hui quanta etiamnum nubes pulueris leuiculi ac quisquiliarum? Ecce in secunda cribratione decidunt etiam Theologi non pauci, qui eo-

dem ridiculum cum oscitantibus nequeunt non turpiter oscitare: eos intelligo, qui Iuristarum sequantur ineptias: quos tamen ipsos etiam inter Iuristas possemus commodiùs & veriùs recensere. Hoc in puluere decidunt Augustinus Triumphus, Petrus de Monte, Raymundus, Pelagius Aluarus, Turrecremata, Vlricus, Cyprianus Benetus, Gulielmus de Monserat, Aluarez, Dionysius Carthusianus, Pighius. Atq; hi etiam vt ex acie illa extrahantur, Bellarminus ipse consentire cogitur. Adhuc iterum cribrum concutio. En tertia cribratio ex relicta massa eijcit illos omnes, qui de potestate Papæ abijciendi & deponendi Reges, aliosve instituendi, nihil dicunt: sed solam generalem potestatem agnoscunt in Papa siue in Ecclesia, etiam erga Reges & Principes, sed in spiritualibus, non expressè in temporalibus: & si aliquam ponunt potestatem Ecclesiæ in temporalia, eam non tantam ponunt, vt ad Principum depositiones se extendat. Hi verò sunt, Aquinas, Ægidius Romanus, Capistranus, Cajetanus, Elpidius, Bernardus, Durandus, Meldensis, Eruæus, Vasquius, Hugo de S. Victore, Gandauensis, Brunus, Alensis, Holcot, Mayronus, Polus. Hic iam rursus non paucos excludimus autores. Itaque ex numero septuagenario triplici cribratione exciderunt ad quinquaginta. Magna ergo classis ad solos vix viginti est redacta autores. Hæc etiam tota caterua septuaginta pugilum haud satis firmatæ est ætatis. Omnes scilicet non exclusi post fulminea Hildebrãdina tempora orbi Christiano ingruentia, erecta iam aperta mole Romæ immanis illius & vsurpatæ atq; confictæ Monarchiæ: Alij metu, alij spe, alij ex inscitia potestatem hanc extulerunt. Hæc itaque tam copiosa, & instructa Bellarmini septuaginta autorum acies, maximum nobis præbet argumentum, potestatem hanc esse merum figmentũ nouum, ante Gregorij Septimi tempora per mille & vltra à fundatione CHRISTI Ecclesiæ annos in ipsa Ecclesia inauditum.

CIX. Huic aciei si ego vellem aliam opponere, facilè educerem primo Christum ipsum supremum Imperatorem; & sub ipso Petrum & Paulum; inde vero Ignatium, Irenæum, Cyprianum, Tertullianum, Origenem, Hilarium, Hieronymum, Augustinũ, Ambrosium, Gregoriũ, Chrysostomũ, &c. totam ferme Sanctorum Patrum venerandam cohortem, quorum certè vel vnus quilibet solo nominis sui sono posset has omnes vmbras & Pygmæorum exercitum in fugam agere. Hi autem veteranæ Ecclesiæ pugiles, quasi iuncto vmbone in illas laruas impetum faciunt, & vno ore omnes prorsus temporalem potestatem Ecclesiæ, siue directam, siue indirectam ademerunt; omnem iurisdictionem temporalem siue in temporalia, verbo, & exemplo excluserunt: Principes mundi, etiam Ethnicos, Apostatas, & hæreticos omni sunt veneratione, & obedientia, in ciuilibus prosecuti; eosq; primus post Deũ in terris posuerunt: Vt facile quisque passim, toto hoc libro potest perspicere. Quod verò nemo antiquorum scripserit disertis verbis, Papam, vel Ecclesiam nõ posse Reges deponere, nemo miretur: Quia nunquam potuit eis in mentem venire, posse quempiam Christianorum eo dementiæ, vt id suspicaretur, deuenire: & satis superque fuit, omnem in temporalia potestatem ab Ecclesia excludere. Si verò vellem, post nostri huius partum, autores, qui illud damnarunt, recensere, aciem producerem in immensum: abstineo tamen ab ostentatione, quia tantum negotium à recenti autoritate nihil pendet. Et quotquot fortasse producerem contra hanc Papæ potestatem recentiores Autores, statim à nostris Romanis illi audirent scilicet hæretici; & vt hæretici exploderentur. Cum tamen in hoc certè hæretici non sint; & longè citiùs ac faciliùs nostri Monarchici omnes possent hæresis in hoc conuinci & condemnari. Vtinam Ecclesia hoc negotium seriò discuteret ac definiret.

XCII. Ne tamen quis seducatur, & putet, etiam post Gregorium Septimum neminem catholicorum, cum Romana Ecclesia communicantium, nec ab ea exclusorum ab hoc portento abhorruisse: cogor ostendere paucis, veritatis lumen, non adeò fuisse inter nos etiam obscuratum, vt nemo vnquam repertus fuerit, cuius ante Baal iam erectum genua non fuerint incuruata. 3. *Reg.* 19. 18. Bernardum Clareuallensem iam ostendi cognouisse; & scripsisse, Papam in alienam messem falcem extendere, si ad terrena iudicia velit deflectere: & in criminibus non in possessionibus, quantò minùs in Regnis, potestatem illius esse; & gladium materialem esse Imperatoris, non Petri, nisi quoad suasionem & hortatum. Sed & illa eiusdem Bernardi verba sunt hoc loco maximè obseruanda, dum ait, [*epist.* 170.] Si totus terrarum Orbis aduersum me coniuraret, vt aliquid moliar aduersus Regiam Majestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem. Nec enim ignoro vbi legerim, [*Rom.* 13. 2.] *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*] Quid si Papa Regem deposuerit, & vos ipsos subditos à subiectione absoluerit, vosque contra Regem insurgere præceperit, propterea nimirum quod Rex Ecclesiam conculcaret? Profectò, *inquit epist.* 220. stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra, armis quibus licet, non scutis, & gladijs, sed precibus, fletibusq; ad Deum.] Obedientiam in temporalibus erga Regem se obseruaturum perpetuam significat, neq; excipit casum, si à Papa priuaretur, quia talem potestatem in Papa esse, ne somniare quidem potuit. Et contra Reges Ecclesiam oppugnantes remedium non posuit in priuatione per Papam faciendam, sed solas preces & lachrymas, cum Nazianzeno, & Ambrosio posuit, tanquam vnicum & singulare remedium. Alexander Alensis affirmat, Reges à Deo solo materiali pœna puniendos esse [*Alen.* 3. *p.q.* 40. *m.* 5. *q.* 4. *ad* 1. 2. 3.] Atque ita, *inquit*, 1. Petr. 2. Rex dicitur præcellere in suo ordino secundum potestatem ad vindictam, non spiritualem, sed corporalem; qua vindicta si deliquerit non habet qui eum puniat, nisi DEVM.] Quid si hæreticus esset Rex, & vindicta illa sua corporali cogeret subditos suos Catholicos, vt ipsius hæresim sequantur? Non habet, *inquit Alensis*, qui eum puniat pro hoc delicto, nisi DEVM.] Oblitus est hic Doctor, & omnes sequentes, potestatis Papalis, spiritualis quidem, sed indirectè etiam ad punitionem Regum se extendentis, scilicet. Clerus Leodiensis contra Paschalem secundum ex sacra Scriptura, & doctrina Sanctorum Patrũ pluribus docet, Papæ excommunicationem nihil posse ad auferendam ab Episcopis & Cleri fidelitatem, & communionem, quam iure diuino debent Imperatori, quantumuis à Papa is proscriptus fuerit, & excommunicatus *Tom.* 2. *Conc. Colon.* Et Episcopi omnes Germaniæ ibidem clamant, inauditum esse, vt Papa collator Imperij dicatur, & temporalia vllo modo administret.] Quo tempore controuersia hæc in Ecclesia Catholica plurimum ventilabatur, an Papa posset deponere Imperatorem, occasione dissensionum inter Ludouicum Bauarum & Clementem Sextum, Gulielmus Ocham defendebat, id non posse Papam, nisi in solo casu; si contingeret Principem secularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei aliostamen Doctores id tunc absolutè negasse affirmat Almaynus *de potestat. Eccles. & lai. cap.* 9. *& quæst.* 2. *ad cap.* 9. 10. 11. 12. non ergo eo tempore communis fuit

Catho-

Catholicorum sententia, sed aderant qui potestatem hanc Papæ impugnarent. Et Ioan. Trithemius *in Chronicio Monast. Hirsaugien. an.* 1106. Scholastici, *inquit*, certant, & adhuc sub iudice lis est, vtrum Papa Imperatorem possit deponere,] *Naucl. gen.* 45. *an.* 1338. Dantes Florentinus scripsit librum de Monarchia, in quo probat Imperatorem nullam dependentiam habere à Papa, nisi in spiritualibus. Ioannes Maior *in 4. dist.* 24. *q.* 3. Papam non habere in Reges, ac eorum leges potestatem, docet pluribus; atque expresse negat, posse Papam instituere & destituere Reges, nisi forte suadendo, consultando, prouocando, &c.] Ioannes Gersonius, vir sanctitate & fide Catholica, ac doctrina singularis, *de potest. Eccles. consid.* 12. inter subdolæ adulationis voces ponit illam, quæ Papæ dat potestatem in temporalia, & vt possit transferre Reges & regna; & concludit ipse, Ecclesiasticam potestatem in regimine temporali Regum, si reducatur abusus potestatis temporalis in fidei impugnationem, & blasphemiam creatoris, Ecclesiæque iniuriam manifestam, dominiũ tantũ habere regitiuum, directiuũ, regulatiuum, & ordinatiuũ.] Hoc est, posse Ecclesiam docere, instruere, monere, hortari, rogare, obsecrare increpare, &c. & nihil amplius. *Apud Almayn. vbi sup q.* 2. *c.* 5. *& c.* 8. *Ochami.* Ioannes de Parisiis negat omnino, Papam posse vlla ex causa deponere Imperatorem, sed ad summum posse illum excommunicare, & subditos per excommunicationem cogere, vt illum deponant.] Et hoc nihil est: erat in opinione communi, sed falsa, in populo esse talem potestatem; quod tamen nihil fauet Papali potestati: & eodem modo Autor hic è conuerso statim asserit, posse etiam Imperatorem cogere Electores Papæ, per subtractionem temporalium, vt Papam depositione dignum deponant; si nimirum vtatur sua potestate in detrimentum Reipub. Malè verò in sua acie Bellarminus reposuit Almaynũ: is enim solum declarat sententiam Ochami, suã non profert, imò concludit *c.* 12. ea, quæ dixerat Ochamus simpliciter esse probabiliora, videl. quod nec per excommunicationem, nec alio modo potest Papa Principem deponere à suã dignitate Imperiali & Regali.] Nicolaus Cusanus Cardinalis *concord. Cath. l.* 3. *c.* 4. 5. 41. negat Papæ autoritatem dandi Reges vel Imperatores per prouincias. Negat quoque Electores Imperij habere à Papa autoritatem suam ita, quin possint etiam sine ipso, & sine ipsius consensu ad electionem procedere. Distinguitq; potestates tanquã à Deo vtramquamque per se dependentes, nec inuicem subordinatas. Et ait, Regum deponendorum autoritatem in Papa nullis niti fundamentis solidis, quin clarissimè ad ea responderi possit. Vincentius Belluacensis potestatem hanc Ecclesiasticam in Reges & Regna, nouitatem vocat & hæresim, eamque cum magno stomacho detestatur. *Spec. hist. l.* 25. *cap.* 84. Antonius de Rosellis tractatum edidit amplum de Monarchia, in cuius primo libro ex professo Imperatoriam potestatem defendit aduersus Pontificiam, & Imperatorem soli Deo immediatè subijcit. Cardinalis Cajetanus ait, 22. *q.* 43. *art.* 8. Per verba illa; *Quodcunque ligaueris, &c.* datas esse Petro claues Regni cœlorum, & non Regni mundi huius: & spiritualem cibum ei mandatum, vt daret quando ei dictum est, *Pasce oues.* Cynus Pistoriensis I. C. Clementinam Pastoralis de re iud. quæ potestatem Papæ in Reges confirmat, ex errore profectam docet. Albericus *in dictio. V. Electi.* Decretales Romanas potestati Imperiali aduersantes iuri consonas esse negat, proditasq; affirmat contra iura & libertatem Imperij, & asserit potestates esse distinctas. Ioannes Ferus *l.* 3. *in Matth. in cap.* 16. somniare eos dicit, qui putant, Petrum accepisse à Christo potestatem, vt possit dare, auferre, alienare Regna. Principatus, &c. Frigidè verò Sixtus Senensis *Biblioth. l.* 6. *annot.* 72. ad deprauationem commentariorum illorum Feri cõfugit. Franciscus Duarenus I. C. doctus & Catholicus ab Alano Copo *dialog.* 6. *cap.* 11. laudatus *de sac. minist. ac benef. l.* 3. *cap.* 4. 5. Potestatem hanc deponendorum Regum negat posse in Ecclesia reperiri. Regnum Franciæ eo nomine decretum Concilij Trident. *Sess.* 25. *cap.* 20. repudiauit, *Extract. ex regis. p.* 35. Quia sit contra Regis autoritatem, qui suo temporali priuari non possit, nec parte ipsius: cuius respectu Rex, *inquiunt*, non agnoscit vllum superiorem, quicunque sit.] His addo ad extremum Gulielmum Barclaium virum Catholicum, qui aduersus Bellarminum Principum terrenorum potestatem & majestatem non minus doctè & eruditè, quam disertè tuetur, & in plenam vindicat libertatem. Et Rogerum Widdringtonum; virum Catholicum Romanæ professionis in Anglia, qui profectò prudenter doctè & eruditè Apologiam pro iure Principum, & de iuramento fidelitatis Regis Angliæ scripsit; de Romana secta alioquin optimè meritus, pro qua caput suum oppigneratum habet; Apologia eius his diebus in Bibliopolijs Venetijs prostabat. Sed quia pro hac veritate decertauit, Romæ non bene audijt, & scripta eius mox nullius erroris conuicta, neque à quoquam in vlla particula confutata, in indicem prohibitorum quasi in barathrum sunt coniecta. Et quia humillime supplicauit apud Sanctissimum, vt ei errores suorum scriptorum ostenderentur, etiam supplicationem ipsam inter prohibita proculdubio reponent. [*Sane eodem Decreto, quo partum hunc meum etiam nondum natum suffocare voluerunt, supplicationem illam VViddringtoni diris deuouerunt.*] Ecce ergo viginti Autoribus, vel circiter, quibus Bellarminus potestatem hanc Papalem tuebatur, nos vt clauum clauo pellamus, totidem alios eiusdem fidei, nec minoris in Ecclesia Romana autoritatis opponimus; adeò vt non modò potestas hæc Papæ in Reges iam non possit esse de fide, sed neque apud ipsos Romanos scriptores, communi consensu teneri dici possit. Et pro hac adeò imbecilla opinione, imò graui errore ac periculoso, quasi pro aris ac focis, quasi pro certo ac nobili articulo fidei iam nos Romani volumus miseros Anglos Catholico-Romanos teneri; & arctari ad sanguinem prodigendum, & verbotenus martyrium, sed reuera iustum, simulque infame perduellium supplicium subeundum. Quod postea fusius considerabo. Nunc venio ad obiecta Concilia.

XCIII. Gregorij secundi sententiam contra Leonem Isaurium in Synodo datam asserit Bellarminus ex Zonara. Cum tamen Synodi huius acta nulla extent; neque id dicatur in ea Synodaliter definitum, contemnatur. Præsertim quod supra suo loco docuerim, neque illam fuisse veram excommunicationem, neque depositionem, aut priuationem Ecclesiasticam, sed secularem.

XCIV. Gregorij Septimi sententiam in Henricum excommunicationis, & depositionis, & ipsam, in Romana Synodo factam *l.* 7. *post. epist.* 14. profert Bellarminus *cont. Barcl. cap.* 9. Quam sententiam confirmarunt quinque Concilia à successoribus habita. Miram certo hominis artem in Concilijs multiplicandis, vt scilicet rem faciat de fide. Sed vbi acta? vnde scit hæc fuisse in illis Synodis, Synodaliter, & Conciliariter decreta, & definita? Id moris fuit tunc, vt Papa, quæ ipse decerneret solus, & ex propria sola voluntate, ea, conuocata Synodo, in Synodo potius publicaret,

blicaret, quam discuteret. Sicut & nunc fit in consistorio, quod iam & in Synodorum, & in Conciliorum etiam generalium successit locum; Papa rem iam penes se deliberatam, ad speciem tantum in consultationem proponente, suam tamen solam voluntatem executuro; Cardinalibus interim ei, velint nolint, consentientibus. Et quando iam semel sibi hanc potestatem Reges deponendi Papæ assumpserint, quis Episcopus, his temporibus auderet id reprehendere, & Papæ in faciem resistere? Et nunquid Concilia prouincialia, etiam præsente Papa, faciunt rem de fide?

XCV. In Concilio Claramontano excommunicatus fuit ab Vrbano Secundo Philippus Francorum Rex, Gallicanis Episcopis in eandem excommunicationem concurrentibus; quia causa erat Ecclesiastica, ob legitimam vxorem repudiatam. Sed quid hoc ad Regum depositionem? Sensit Iuo *ep. 46.* inquit Bellarminus, in excommunicatione inclusam fuisse depositionem, dum suadet Papæ ne coronam restituat Regi, eum absoluendo ab excommunicatione, sine debita satisfactione. Quid tum si hoc Iuo sensit? Videndum est quid in Synodo fuerit factum, & definitum; sola nempe excommunicationis sententia lata est: & hæc non excedit Ecclesiasticam spiritualem potestatem. An verò excommunicationi adiuncta sit per se & necessariò priuatio & depositio, aliunde constat, & Iuo abundet in sensu suo. Nec Iuonis opinio, imò etsi communis esset multorum, facit vt Decretum Côciliare suam mutet naturam; & quod non est nisi circa excommunicationem, sit circa Regum depositionem. Sed ne Iuonem quidem agnosco hac in parte mihi aduersarium. Is enim Regem per excommunicationem illam regno depositum nunquam censuit, neque eum pro exauctorato vnquam habuit. Eodem enim tempore, quo Philippus erat excommunicatus, ad eum Iuo literas scripsit, quibus illum pro vero Rege & suo Domino agnoscit, huiusmodi titulis; *epist. 22.* Philippo piissimo Francorum Regi, Domino suo, Iuo humilis Carnotensium Episcopus sic gubernare temporale regnum, vt non amittat æternum.] Hic audis Philippum gubernare suum regnum ex ore ipsius Iuonis. Et Magnificum Francorum Regem in alia epistola vocat *epist. 28.* & in alia *epist. 56.* Serenissimum. Dum itaq; ad Vrbanum scribit, aliquos Regis partiales ei suggesturos, Regem cum regno ab obedientia ipsius discessurum, nisi ei coronam restitueret, illumq; ab Anathemate absolueret, quidnam alij dicturi sint narrat, eorum videlicet verba, qui excommunicatione Reges deponi, saltem ad mentem Pontificis, & iuxta tunc Romæ inolitam opinionem, hoc est, errorem, censerent: ipse verò Iuo ex se nihil dicit, neque ipse coronæ restitutionem aut suadet, aut dissuadet. Sed suadeat ipse etiam, vel dissuadeat, debuit profectò se accômodare sensui Pontificis, quem sciebat Regem pro deposito à se habere: imò quem sciebat Episcopis Regni omnibus interdixisse, ne Regi coronam in solennitatibus, vt moris erat, imponerent: quod Iuo ipse non semel fatetur, *epist. 66. 67. 84.* quia nimirum volebat Papa Philippum, stante ipsius excommunicatione, pro Rege non haberi. Firmat igitur Iuo Papam in sua sententia, vt neq; coronam restituat, quam se ei abstulisse pro certo ipse Papa arbitrabatur, neq; ab excommunicatione absoluat. Quamuis ipse Iuo depositionem illam nullam esse certò sciret.

XCVI. In Concilio quodam, quod dicitur Lateranense, sub Innocentio Tertio, mirum in modum exultat Bellarminus, & insultat Barclaio, & consequenter nobis adhuc magis. Cuius Concilij canon tertius huiusmodi esse dicitur; Vt Domini temporales, qui fuerint negligentes in purgandis ab hæreticis suis terris, eandem per Papam puniantur absolutione vasallorum ab eorum fidelitate; & permissione vt Catholici occupent illas terras.] Ponitur hic canon in corpore iuris à Gregorio nono collecto, *De hæret. c. excommunicamus*, & dicitur esse Innocentij tertij in Concilio Generali. De eo sic Bellarminus: *cont. Barcl. post præfat.* Hæc si non est vox Ecclesiæ Catholicæ, vbi eam inueniemus? & qui eam audire contemnit est tanquam Ethnicus & Publicanus. — si non habet summus Pontifex potestatem in terris disponendi de temporalibus, vsq; ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi hæretici sunt, vel hæreticis quoquomodo fauent; cur in editione huius canonis nullus ex tanto numero reclamauit? Cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum & Regû Oratoribus mutire ausus est?] Hæc Bellarminus. Eo etiam gloriabundus, quòd Concilium hoc fuerit generale, & omnium amplissimum. At si demas cucullatos à *Matth. Paris. ad an. 1215. & Naucl. Gener. 41. eod. anno*, octingentos, qui ad id concilium concurrerant, monasteriorum Priores (puto vt Papæ cupienti, & petenti subsidia ad recuperandam terram sanctam offerrent militum, & remigum, ex innumerabili otiosorum, & militaris potiùs quam religiosi animi multitudine Monachorum, ac fraterculorum, ad centena millia) qui sanè cucullati in Concilijs ius nullum habent suffragij; & numeres solos Episcopos, *Bellar. de Concil. l. 1. c. 15.* inferius hoc Concilium erit in numero Patrum Concilio Chalcedonensi, & aliquo alio ex posterioribus.

XCVII. Congregatum porrò fuisse per Innocentium III. hoc Concilium; non est dubium; Historici enim plures id testantur; sed quid in eo, vera & completa Conciliari tractatione peractum fuerit, planè non constat. Sanè Matthæus Paris, post exhortationem Innocentij ante omnia recenset fuisse recitata in eo sexaginta, vel vt alij volunt, septuaginta capitula, quæ, *inquit*, alijs placabilia, alijs videbantur onerosa, & tandem de Cruciata propositum fuisse negotium ad recuperandam Terram Sanctam.] Habet idem Autor illa quoque verba in sua historia minori; Concilium illud generale, quod more Papali grandia prima fronte præ se tulit, in risum & scommata, quo — omnes ad Concilium accedentes artificiose ludificatus est, desijt. Illi enim, cùm iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad sua cupidi veniam sigillatim petierunt; quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent, quam à mercatoribus Romanis prius accipere mutuo, Papæque soluere coacti sunt, antequam discedere Roma potuissent. Papa iam accepta pecunia quæstuosum hoc Concilium dissoluere gratis, (*hoc est nulla re in eo, ad quam conuocatum fuerat, peracta*) totusque Clerus abijt tristis.] Hæc ille. Scio statim à nostris hunc Matthæum Schismaticum proclamandum, mendacem, & erga sedem Apostolicam male affectum: & tamen ab Innocentio Quarto laudatus fuit, vt constaret literis eiusdem Innocentij, quas ponit priori loco citato idem Paris: eademque libertate scribendi, vt sincerum decet historicum, vtitur vel contra proprios Reges, & magnos illius temporis viros, etiam contra suos Monachos. Sed nobis Romanensibus familiare est; graues Autores, vbi nostris commentis vanis aduersantur, sub iniusta contumelia hæresis & schismatis reijcere. Godefridus Monachus, illius temporis scriptor, in suis Annalibus scribit, *ad an. 1215.* In hoc Concilio nihil dignum memoria, quod cômendari possit, actum esse: nisi quod Orientalis Ecclesia se subditam Romanæ exhibuerit. A Latinis nimirum Prælatis, vt est à me obser-

obseruatum, *lib. 3. cap. 11. num. 28. & seqq.* Nauclerus de eodem Concilio ita scribit: Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicq̄ apertè potuit; quod & Pisani, & Genuenses maritimo, Cisalpini terrestri bello inter se certabant, *gener. 42. an. 1215.* Editæ tamen nonnullę Constitutiones referuntur: è quibus vna existit, Quoties Orbis Principes alter in alterū deliquerint, correctionem ad Romanū Pontificem spectare. Multa deniq; pro recuperatione terræ sanctę tractata fuere.] Platina verò de eodem Concilio habet: Multa quidē tum in consultationē venisse, nec decerni tamen quidquam apertè potuisse, eo quòd Pisani & Genuenses — certabant: eò itaq; proficiscens tollendæ discordiæ caussa Pontifex, Perusij moritur.]

XCVIII. Ex his quatuor Autoribus in vnum conflatis, facilè colligitur, non modò circa Cruciatam & bellica negotia ad terræ Sanctæ recuperationem nihil fuisse conclusum; sed neque circa quodcunque aliud negotium Ecclesiasticum. Concilium enim gratis dissolutum, & ludificatos Episcopos tristes abijsse scribit Matthæus. Nihil memoriâ dignum in eo fuisse actum, id est, conclusum, scribit Godefridus. Nauclerus, & Platina, multa aiunt in consultationem deuenisse, sed nihil conclusum fuisse. Ex quo sequitur sexaginta illa, seu septuaginta capitula ab Innocentio quidem formata, & parata fuisse, ac Concilio approbanda proposita; sed Concilium nihil circa ea statuisse, dum aliqua viderentur placabilia, aliqua verò onerosa, vt ait Matthæus. Et Editas constitutiones nonnullas fuisse ex sola relatione habuit Nauclerus; non igitur eas viderat authenticas, neq; in Actis Concilij illius publicatis: hæc 70. capitula nō nisi post 300. annos prodierunt, nam neque editio Coloniensis anni 1530. Concilium hoc habet, cùm tamen posteriora habeat Constantiense, & Basiliense. Quis non videt igitur ante omnia, Concilium hoc, tanquam abortiuum, non maturum, non completum, esse reijciendum, & ad dogmata confirmanda nullius ipsum esse roboris, nullius autoritatis? Et Canones illos, seu decreta, seu septuaginta capitula esse solius Innocentij, non tamen Concilij: quæ vt plurimum, vbi à Gregorio IX. in suis quinque libris decretalium ponuntur, Innocentij III. dicuntur esse, in Concilio: quia proposita fuerunt, in Concilio, sed non approbata, quod constet; & quæ in Concilio approbantur, si adsit Papa, publicantur quidem sub nomine Papę, iam posterioribus temporibus, sed additur us, sacro approbante Concilio: quod non est in hoc canone, quem discutimus. Nihil ergo virium habet hic canon à Generali Concilio, quod prætenditur: neq; illa est vox Ecclesiæ, sed solius vox Romani Pontificis Innocentij Tertij.

XCIX. Deinde in eo Conciliari decreto nulla datur, aut declaratur Papæ potestas circa Regum depositiones: sed post pœnam Ecclesiasticam excommunicationis ordinariorum, si ea sit inutilis, monendum esse Papam iubet, vt ille denunciet Vasallos à fidelitate iam esse absolutos, & terram exponat aliis occupandam. Igitur in hoc Concilio non habemus Papam absoluere Vasallos illos à fidelitate, sed eum tantummodo, exacto anno ab excommunicatione, denunciare, Vasallos illos esse absolutos: & ex hoc, quia iam supponuntur absoluti, terram aliis exponere occupandā: nimirum declarando duntaxat Dominum illum esse priuatum, & per consequens terram illam, cum Domino vacet, posse occupari. Excommunicationem verò solam eo ipso priuare Dominum suo dominio temporali, & sane excommunicationem nō Papalem, sed Metropoliticam, & Episcopalem, per huius Concilij decreta firma fide corroborare, neque Bellarminus, neq; vllus sanæ mentis, vt puto, audebit. Si quid ergo volumus ex hoc Concilij decreto colligere, id ad summum erit; posse Metropolitanos cum suis comprouincialibus, sola excommunicatione, absoluere subditos Principum à fidelitate; & sic Principes, si infra annum non resipiscant, à suo cadere Principatu; Papam verò fore huius rei denunciatorem. Quærere etiā possum, cur occupanti, Concilium, imò Papa, dat terras istas? Si enim subditi ipsi dant proxime suis Principibus potestatem regendi, vt volunt nostri passim, certè deposito Principe, & liberato ipso populo ab eius fidelitate, ipsius populi & communitatis erit, sibi Principem, quem voluerit, statuere. Occupanti igitur terra illa tradi iustè non potest, nisi per vim & iniuriam tyrannicè. Quo nomine etiam Decretum illud iniustum est, ac intolerabile & ipso iure nullum.

C. Tum verò addo, eo toto canone, sicut & reliquis penè omnibus, nihil admodum dogmatis Catholici definiri; canon enim est totus practicus, non ad doctrinam, sed ad disciplinam, & regimen externum Ecclesiasticum decretus. Pœnas igitur minatur Concilium, imò Innocentius Tertius in Concilio, si Concilium fuit; Concilio ipso audiente, sed non decernente; & sanè pœnas iam per summum abusum, post Hildebrandum, vsitatas. Si ideò fide Catholica credendum est, Papam posse Reges deponere, quia hoc in pœnam proponitur in hoc canone, etiamsi canon esset Conciliaris, de fide igitur etiam erit Concilium posse homines reddere infames: efficere vt aliquis non possit à Principe ad publica officia, vel consilia assumi: nec in testem admitti: posse etiam homines priuare, ne in naturali hæreditate possint testari aut succedere, & Aduocatos, ac Tabelliones publicos, ne suo fungantur munere, & officio: & similia: quæ in eodem canone in pœnam imponuntur. Hæc verò omnia eo Cōcilio definiri tanquam articulos fidei, nunquam arbitror dicet Bellarminus, qui vtique contrarium docuit, *de Conc. l. 2. c. 12.* Ludebat igitur.

CI. Tacitam huius canonis tanquam legitimi approbationem inde venabatur Bellarminus, quod nemo ex Principum Legatis, qui ei intererant Concilio, quicquam opposuerit. Sed cur opponant, si in Concilio nihil super eo decreto statui cernunt? Et quando 70. capitula Innocentij toti Concilio proposita fuerunt, vt adhibita consultatione approbarentur, ibique aliqua placabilia visa sunt, aliqua onerosa, vt est apud Matthæum, cur non possumus supponere, inter onerosa, & reprobata à Concilio fuisse hoc ipsum Decretum numeratum, cui vel maximè Legati Principum restiterint. Prodant nobis Acta integra illius Concilij abortiui, vt videamus, quænam ex 70. capitulis approbata fuerint, quæ reprobata, & tunc sciemus, quibus Legati restiterint, quibus non. Inuenit Surius 70. illa Capitula ab Innocentio in consultationem adducta, sed neque stabilita in Concilio, neque maturata, imò soluto absq; vlla conclusione Concilio, prorsus abiecta; & ea imprudenter satis, tanquam Decreta Conciliaria publicauit. Innocentius tamen ipse eorum Autor, seu Gregorius IX. aliqua in corpus iuris iniecit. Sed neq; ideo non est in eo Concilio aliquid factum, quia in illis 70. capitulis non recensetur.

CII. Concludimus itaq; Decretum illud neque fuisse Decretum conciliare, à Concilio editū & approbatum, ac promulgatum: neq; si fuisset Conciliare, habere vim vllam definitionis; vt iam rem faciat de fide. Supponeret quidem, se potestatem habere tales pœnas imponendi, sed non definiret propterea se habere talem potestatem. Et tales suppositiones, si aliunde non sint veræ, & de fide, ex hoc duntaxat, quod à

Concilio supponantur, neq; necesse est eas esse veras, neque de fide. Ex talibus quidem Conciliorum dictis, vel suppositis, vel narratis, colligitur aliquid tunc fuisse iam in opinione, & in vsu: sed non colligitur & opinionem veram fuisse, & vsum legitimum. Sic ergò potest in talibus vel dictis, vel narratis, vel suppositis Concilium errare: quin posito etiam, Concilium legitimum esse ab errore immune (de quo agam libr. 7.) in factis, dictis, narratis, suppositis, &c. immune ab errore non erit; nisi in solis ad summum definitionibus, & declarationibus scientificis, tam speculatiuis, quàm practicis; vt est etiam doctrina Bellarmini. Quod si quis quærat, num decretum hoc in se sit legitimum: Respondebo ex toto præsenti tractatu de potestate Ecclesiæ erga Principes, & temporalia, hoc ipsum inquiri, & examinari, ac probari esse penitus illegitimum, quoad potestatem præsertim legislatoris; quia nec Papa, nec Concilium possunt quicquam aut statuere, aut exequi in temporalia. Legitimum profectò posset esse, si supremorum Principum concessione tacita, vel expressa editum fuisset. Sed hoc neque constat, neque supponere possumus, aut debemus: licet enim decretum ipsum in multis non nisi vel Magistratibus, Principum ministris, vel Principibus inferioribus, qui supremi alicuius Principis sint vasalli, conueniat: absolutè tamen etiam ipsos Principes supremos ferit. Nam eorum terras aliis occupandas permittit: Feudatariorum autem terræ, si à Feudatario aliquo modo decidant, etiam per priuationem quamcunque, ad principalem Dominum redeunt, neque possunt iustè ei eripi, & alijs occupantibus tradi, nisi in eiusdem pœnam, si potestas eũ puniendi adsit. Principes verò supremos concedere Ecclesiæ facultatem contra se ipsos, neque est verisimile, neque vllo modo supponendum, & sic nulla ratione potest esse legitimum.

CIII. Addit Bellarminus *post præfat. cont. Barcl.* huic Lateranensi, etiam Lugdunense sub Innocentio IV. Concilium Generale: cuius tamen nulla vsquam acta conciliaria apparent authentica. In quo, *inquit*, Ecclesiam Vniuersam sine dubio repræsentante, lata est sententia in Fridericum secundum Imperatorē, qua omni dignitate & honore priuatur, & subditi eius à iuramento fidelitatis absoluuntur, & electoribus præcipitur, vt eligant successorem, *C. ad Apost. de sent. & re iu. in 6.* Hæc sententia est, *inquit*, summi Pontificis, toto approbante Concilio: hoc est, tota consentiente & laudante Christianorum præsulum vniuersitate: & tamen audet vnus, nescio quis (*Barclaius*) contra disputare, & librum suum in lucem edere, atq; imperitorum oculos fascinare?] Tu tamen, Illustrissime Bellarmine, & certè tua ipsa reclamante conscientia, nostros conaris oculos fascinare. Optimè enim nosti, ante Barclaium omnes illos, & non paucos, quos paulò antè recensui, Catholicos scriptores, te doctrina nihil inferiores, & fulgore etiam Cardinalatus aliquos tibi pares, post Lateranense tuum, & Lugdunense Concilium, Papæ potestatem hanc deponendi Principes, totam ademisse. Ne dicas igitur, vnum, nescis quem, contra disputare, & libros edere: neq; dicas totius Ecclesiæ sensum esse nobis contrarium: quia si Concilia hæc, nomine totius Ecclesiæ aliquid in hoc genere statuissent, nemo Catholicorum ausus fuisset dissentire. Tuum ergo fascinum, diuinæ scripturæ, sanctorumq; Patrum, ac totius veræ sanctę Ecclesiæ incorruptæ & purę, pura & sincera Veritate repellimus: & dicimus in Concilio Lugdunensi Papam, non Concilium, illam tulisse sententiam: quod verò illam approbante Concilio tulerit, ipse dicit, sed in actis Concilij nihil constat fuisse prius discussum Conciliariter, an videlicet Papa possit priuare Imperatores honore & dignitate, & definitum. Quare vt dixi de prioribus; solam præsentiam exhibuerunt Patres in eo Concilio, & testes fuerunt sententiæ Papalis: & Papæ voluntati fortasse tacite, ac dissimulanter arriserunt; quis enim ausus fuisset repugnare? Tota porrò sententia hæc quid aliud nisi factum continet? Concilia verò omnia in ijs, quæ facti sunt, facillimè possunt errare, vt tradam libro sequenti. Et imperitus est, qui hæc, quæ facti sunt, ad fidem Catholicā in humanis actibus singularibus putet pertinere. Quia verò Bellarminus imperitus non est, & hæc ipsa optimè nouit; videat ipse an nos docere, an vero fascinare contendat, & tot Conciliorum vana obiectatione terrere.

CAPVT XI.

Neque Romani Imperii à Græcis ad Francos translationem, neque septem Imperii Electorum institutionem esse Romani Papatus opus.

SVMMA CAPITIS.

Romani Imperij Occidentalis translatio Papali potestati in Reges & regna nil prodest. Primum quia ex facto non colligitur ius, num. 1. 2. 3. 4. 5. *Secundo, quia non potuit fieri à Papa, vt Papa est, ob defectum potestatis ad hoc necessariæ*, nu. 6.

Tertio, quia Papa ad hoc concurrit tantum vt membrum Reipubl. ciuilis totius Imperij, & simul cum Principibus ac populo Romano, à num. 7. *ad* num. 14.

Quarto, quia coronatio, & consecratio, qua Papa coronat & consecrat Imperatorem, nihil ei confert Imperatori. Et Carolus iam armis suis terras Imperij in Occidente Barbaris ereptas sibi acquisierat, à num. 15. *ad* num. 21.

Obiectiones duæ ex Bellarmino soluuntur, num. 22. 23.

Testimonia in contrarium ab eodem adducta refelluntur, aut explicantur, à num. 24. *ad* num. 29.

Septem quoq; Imperij Electorum prima institutio huic Papali potestati nihil fauet. Primo, quia nihil certi affirmari potest, quis fuerit Papa, qui id instituit, num. 30. 31. 32. 33.

Secundo, quia electio hæc de iure spectat ad Principes Imperij omnes, non ergo potuit eis sine ipsorū consensu eripi, & in paucos transferri. Sed neque constat, quo tempore septem viri ceperunt soli Imperatorem eligere, num. 34. 35. 36.

Tertio, quia Principes ipsi Imperij simul cum Imperatore, & Romano Pontifice vt Imperij Principe id statuerūt, n. 37. 38. 39.

Quarto, quia Cardinalis Cusanus etiam negat hanc institutionem Papæ deberi, num. 40.

Nodus circa hanc institutionem dissoluitur, num. 41.

Obiectiones proponuntur & soluuntur, num. 42.

NVLLVM habent speciosius, & in quo magis exultent Hieromonarchici argumentum, ad comprobandam ex factis, & exemplis, Papæ in Reges, etiam quoad temporalia, potestatem, quàm Romani Imperij Occidentalis à Græcis ad Francos, per Romanum, vt prætendunt, Pontificem in Caroli Magni personam factam translationem. Vt propterea laborem satis arduum assumpserit Bellarminus, post reliqua controuersiarum opera, opusculo satis amplo separato translationem hanc confirmandi, & ab obiectionibus eam oppugnantiam vendicandi. Propterea ne dicta translatio mihi quoque obsit, & veritati fucum faciat, ego quoque eius considerationi & explicationi iam cogor aliquantisper immorari. Ac ne caput hoc crescat in immensum, nimiaque prolixitate tædium lectori generet, & fastidium, eò duntaxat totum hunc laborem contraham, vt nonnulla iaciam quasi fundamenta, per expositas aliquot obseruationes, ex quibus tota hæc aduersariorum machina corruat

ruat

tuat ipsa per se, & veritatem, quam doceo, relinquat inconcussam.

II. Prima obseruatio; Ex facto non semper licet ius colligere: & multa sæpè fiunt ab hominibus, quæ iure illi facere non possunt, neque eis illa facere licet, vt alias etiam, nec semel, monui: quando præsertim eiusmodi sunt, iique viribus præditi, vt possent, nemine repugnante, dicto illo vti: *Sic volo, sic iubeo.* Qualem fuisse tunc Papam Leonem Tertium, non est dubium. Is igitur Imperatorem Græcum absentem, imò fœminam imbecillem; non auditam; non citatam, nulla caussa cognita, aut discussa, nulla sententia prolata, etiamsi autoritatem habuisset, iure imperij priuare non potuit: & si fecit, factum cerni potest, sed iure factum quis probabit? *Supr. lib. 4. cap. 11. num. 56. 57.* Syluerius Papa fuit à Iustiniano Imperatore, siue eius ministris, vt iam vidimus, à sede depositus, & Vigilius ei substitutus; depositumque omnino Iustinianus esse voluit, si reus fuisset inuentus proditionis: & Ioannes XII. ab Othone, *Luitpr. l. 6. c. 7.* aut saltem Othonis Imper. præcipua opera, & ipse depositus fuit, & ei Leo VIII. subrogatus: Has tamen depositiones præsumptas fuisse, & indebitas; clamant nostrates: neque patiuntur hinc colligi in Imperatorum potestate esse Rom. Pontifices deponere. Quamuis, si volunt, posse Papam sua Ecclesiastica potestate indirectè, vbi salus animarum ita postulat, Reges etiam & Imperatores deponere, si illi sint fidei & religioni perniciosi: nescio cur, iniqui procul dubio iudices, negent posse etiam Imperatorem laicam suam potestatem, nó directè, sed indirectè extendere etiam ad Papæ depositionem, vbi ita salus & conseruatio Reipublicæ postularet, si Papa ciuili bono regiminis esset perniciosus. Nam & Ioannes de Parisijs dicit, Quod Imperator potest Papam deponere, puta si Papa vtatur sua potestate in detrimentum Reipublicæ.] Hoc refert Almaynus, *Apud Almayn. de pot. Eccles. & laic. q. 2. c. 8.* neq; dictũ reprobat, sed confirmat atq; explicat, id fieri posse, cogendo pœnis temporalibus eos, ad quos spectat, vt pro executione Imperialis sententiæ Papã deponentis, procedant ad depositionem, & ad alterius electionem. Licitum est Principi, *inquit idem Parisiensis de pot. Reg. & Pap. c. 21. ad 37.* abusum gladij spiritualis repellere, etiã per gladiũ materialẽ, præcipue vbi abusus gladij spiritualis vergit in malum Reipub. cuius cura Regi incumbit; aliter enim sine caussa gladiũ portaret.] Et Victoria, Possunt, *inquit, relec. 1. de pot. Eccl. sec. 7. & 8.* Principes seruare proprias Resp. ab iniuria aliorũ: & ab iniurijs clericorum.] Nunc tamẽ demus hæc omnia attentari, si ad factum deueniatur: Cur etiam non dicemus Leonis factum præsumptum fuisse & contra ius & fas improbè attentatum?

III. Respondet Bellarminus, *de Rom. Pontific. lib. 5. cap. 8. & de transl. Imper. l. 1. cap. 12.* Hanc translationem ritè & legitimè factam fuisse, apertè constare: Primò, ex consensu, *inquit*, totius orbis Christiani. Quia omnes Principes Christiani Carolum pro vero & legitimo Imperatore agnouerunt, & eius successores: eumque præcedere siuerunt. Secundò ex fœlici euentu huius translationis: Carolum enim Deus multis victorijs ornauit. Tertiò, ex confessione ipsorummet Græcorum Imperatorum, qui Carolum vt legitimum Imperatorem salutarunt.] Me tamen ista nihil mouent: Primum si quis contenderet, (quod infra considerabimus) translationem hanc factam fuisse non à Papa, neque autoritate Papæ, sed alia autoritate laica & legitima, tres dictæ rationes concidunt omnino, vt per se patet. Deinde quia Augustum & Tiberium, vt non semel hactenus monui, non modo homines mortales, qui oculis tantum apparent, cernentes, siue imbecillitate, alia ve ratione potentioribus subiecti, siue humano aliquo affectu ab alio pendentes, & consequenter iudicij fallacissimi; sed ipsemet Christus sapientia increata, pro vero & legitimo Imperatore agnoscit. Nunquid ergo & Iulius Cæsar, & ipse Augustus ritè & legitimè ius regnandi à Republica Romana ad se ipsos transtulerunt? Rempublicam oppresserunt? & se Reges fecerunt? In iure regnandi potissimum hoc cernimus, vt quæ initium habent interdum malum, & iniustum ingressum atq; tyrannicum, paulò pòst, imò fortasse statim, aliqua ratione, & potissimũ diuina occulta ordinatione conualescant. Nam hoc & in Regno spirituali Ecclesiastico contingere, & sæpe contigisse alias probaui: & insigniter in Vigilio apparet, cuius ingressus in Pontificatum turpissimus, etiam legitimi Papæ Syluerij immani parricidio præparatus, Pontificatum tamen eius, quo minus legitimus semper fuerit, nõ impediuit. Et de hoc iam satis suis locis est actum.

IV. Et quod ait Bellarminus, Deum, vt ostenderet iure factum fuisse, multis victorijs Carolum ornasse, regnumque eius florentissimum & Ecclesiæ vtilissimum esse fecisse: Respondetur, etiam *Hierem. 27. 6.* Nabuchodonosorum Babylonium, & Cyrum Persarum Regem, ex mera ac simplici diuina voluntate, & protectione apertissimè manifesta, (quod de Carolo piè credi, asseri tamen non potest) victorias habuisse penè incredibiles. *Isa. 45. 1. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam corã eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conterã, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana Secretorum, vt scias, quia ego Dominus.*] Mira sunt ista promissa, & secuta sunt facta, vt narrat Xenophon. Et tamen de eodem Dominus subdit, & ait: *Et non cognouisti me: ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus: accinxi te. & non cognouisti me.*] Victoriæ admirabiles Cyri nullam Cyri actionem præcedentem, nullum ipsius meritum confirmabant: qui nihilominus Idololatra in sua infidelitate permansit: Dei certè Ecclesiæ vtilissimus erga Iudæos, *1. Esdr. 1. 3.* & in Domini templũ plurimum beneficus fuit, Deum tamen, tanquam bonorum autorem, vt par erat, non agnouit. Et fatetur Bellarminus, cum Augustino, Cyrum, etsi Deus ei magna Regna attribuit, non tamen propterea iustè aliena Regna inuasisse, *de transl. Imper. lib. 1. cap. 7. num. 3. Aug. lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 6.* Nunc ergo, teste etiam Bellarmino, magnæ victoriæ à Deo concessæ, erant indicium iusti iuris, & iustæ occupationis. Quænam feliciora Romani Imperij tempora, quàm sub Augusto? Sequitur ne inde Augustum iure suam Rempublicam oppressisse? & valdè imprudentis est, ex euentu humanas actiones dijudicare: Sæpè enim pessimum consilium felicem sortitur euentum: & è contra: nec damnanda est Imperatoris prudentia vel imperitia, si victor in prælio non extiterit. Et merito Posthumius & Torquatus filios proprios imprudenter & contra mandatum cum hostibus congressos capite plectendos esse censuerunt, quamuis insignẽ fuissent illi victoriam consecuti, *Valer. Max l. 2. c. 7.*

V. Irene, *inquit*, Græca Imperatrix, cui ereptum fuerat Imperium Occidentale, non modò non reclamauit, sed etiam Caroli expetijt coniugium, tanquam legitimi Imperatoris.] Prudens fœmina, quod vendere, vt dici solet, non poterat, & è manibus fuerat iam irrecuperabiliter elapsum, donare cupiebat, & donando retinere. Vt quod ei inuitæ, & per iniuriam ablatum fuerat, saltem ab ea habitum recognosceretur: Et quod non poterat amplius iure successionis & possessionis, saltem iure coniugij in consortio retineret. Nicephorus, *inquit idem Bellarminus*, Irenæ

proxi-

proximus, & Michael Nicephori successor Legatos ad Carolum, vt ad legitimum Imperatorem miserunt. Ita etiam Persæ.] Quid facerent illi duo, qui Imperatorē de facto cernebant, & vires ad renitendum non habebant? etiam ad Turcam, tanquam ad Imperatorem Orientis in facto, magni Principes quotidie suos mittunt Legatos, pro humanis negotiis opportunis: num hinc nostri colligent Turcam legitimè Orientis Imperium occupasse? Emmanuel, *inquit*, Græcorum Imperator obtulit auxilium Alexandro Tertio, si vellet ei Imperium Occidentis reddere: & hoc solum titulum, & ius, non possessionem petebat, quam armis recuperandam esse sciebat. Sed quid putas de Emmanuele, & de multis etiam nostræ ætatis & religionis magnis viris, qui ambitione dominandi disrumpuntur? Si Diabolus offerret eis Regna mundi, vt quondam Christo obtulit, *Matth. 4.8.* etiamsi certissimè sciant, illum de iure non habere vllam in ea potestatem, si tamen de facto sperarent se illa à Diabolo obtenturos, annō credis aliquos libentissime & promptissime ad ipsum adorandum procisuros, nedum ab eo postulaturos, & eū rogaturos? Si verò ius solum petebat, sciebat post quadringentos propemodum à translatione annos, se nullum posse in Occidente ius prætendere: & à Pontifice non leue etiam auxilium ad acquirendam possessionē sperare poterat. Et hæc quidem satis diluunt propositū ab Hieromonarchicis argumentum: Quoniam tamen ex hac responsione nostra, & nonnihil in Carolū piissimum Imperatorem iniuriæ resultare videtur, si is dicatur à Papa non habente autoritatem, de facto tantùm Imperium accepisse: & ego fortè mihi ipsi contrarius arguar, qui ante Gregorium VII. nullum Roman. Pontific. in Imperatores & Reges ius vllum temporaliter exercuisse, & hactenus innui, & postea sum apertè confirmaturus: in hac responsione haud figam pedem. Sed inde ad alias venio obseruationes.

VI. Secunda obseruatio. Ex probatis iam, & à Theologis Hieromonarchicis, præsertim Bellarmino, concessis, spiritualis Papæ potestas, qua sola pollet vt Papa, directè nihil potest in temporalia. In hac verò Leonis actione, cum ipse apertè, & sine ambage dicatur Imperialem dignitatem Græcis ereptam, in Francos, hoc est, in Carolum transtulisse, nihil indirectì inspici potest, aut obliqui. Sed actio ipsa tota fuit directissima, quæcunque fuit: nam indirectè fit, quod ad directam necessariò consequitur actionem, respectu tamen agentis fit per accidens: vt est à me iam explicatum. Et quæ, obsecro, facta est directa actio spiritualis à Papa, ad quam translatio hæc necessariò aut secuta sit, aut sequi debuerit? & quomodo salus animarum necessariò poposcit, vt fieret hæc translatio? iam fatentur solùm titulum, seu potius nomē Imperatoris à Papa datum Carolo: nam & vniuersaliter Adrianus Papa Quartus, *Apud Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 3.* Ex electione, *inquit*, Principum suorum, habet nomen Regni: ex consecratione nostra, habet nomen Imperatoris.] De quo plura inferius: & planum est, Carolum, quando coronatus est Imperator, plena Regia potestate in toto Occidentali Imperio, quod ipse iam bello acquisierat, fuisse prēditum, adeóq; per dictam coronationem, & nomen Imperiale nihil maioris potentiæ accessisse: Potuit æque bene rerum Ecclesiasticarum defensor esse, & protector, etiam sine nomine imperiali; nihil ergo vrgebat salus animarum, vt nomen acquireret Imperatoris. Id itaque neq; indirectè, neq; ex caussa Ecclesiastica, sed directissimè & sine caussa est à Papa consecutus: vt supra etiam in Pipino Caroli parente considerabam, & opponebam: non ergo Papali, hoc est, spirituali potestate id consecutus est.

VII. Tertia obseruatio: Episcopi omnes sunt & ipsi pars & membra ciuilis Reipublicæ, & ex dignitate Episcopali, licet ea spiritualis sit, acquirunt tamen, vt in Republica inter principalia membra vt plurimū numerentur, vbi præsertim Regalia possident; & inter sapientiores ciues facile reponantur, vt ad consilium regendæ Reipublicæ aptissimi. Romanus igitur Episcopus, vt membrum Principale Reipublicæ Romani Imperij, in negotiis publicis, in omni consultatione fuit adhibitus. Vt vidimus in Gregorio Magno, qui pro custodiendis Imperatori Ciuitatibus, & subditis in fide erga ipsum Imperatorem retinendis, plurimum laborauit. Plena sunt Concilia Toletana, & Gallicana Regum electionibus, & statutis ad regimen etiam ciuile pertinentibus. In Ecclesia etiam Constantinopolitana, Patriarchæ in Comitiis, seu consultationibus publicis, primas habuere: ac potissimum vbi ad Imperatoris electionem esset deueniendum. Populus enim simul cum Patriarcha, tanquam vnum ciuile corpus, cuius nobilissimum membrum esset ipse Patriarcha, electionem in solidum peragebant. Tiberius profectò Iustini posterioris successor à Iustino morti proximo [*Miscell. l. 16.*] astante Senatu, & Eutychio Patriarcha designatus fuit Imperator; & postea in palatio, ad vitandas insidias, *Greg. Turon. hist. Franc. l. 4. c. 36.* vocato ad se Vrbis Papa, cum consulibus, atque præfectis, indutus purpura, diademate coronatus, throno Imperiali impositus, cum immensis laudibus Imperiū confirmauit.] Pari, & meliori ratione Romani Pontifices in Imperatorū Romanorum electionibus partes suas desiderari meritò pati non debuerunt. Cur enim Nouæ Romæ Primates, nempe Constantinopolitani, & Senatus cum suo Patriarcha, Romanorū Imperatorem eligere potuerunt, & Senioris Romæ proceres, ac Senatus, cum suo Pontifice, proprium Imperatorem eligere non debuerunt?

VIII. Obstat, *inquit Bellarminus*, quia mos semper fuit, post constitutam à Iulio Cæsare, & ab Augusto Monarchiam, vt aut ab alio Principe nominaretur, aut ab exercitu crearetur Imperator: & quos senatus aut populus creauit, ij & paucissimi fuere, & non diu tolerati, vt Nerua, Maximus, cum Balbino, & Tacitus, *de transl. Imp. l. 1. c. 10.*] Priscum morem fuisse, vt exercitus Romanum crearet Imperatorem, non est dubium: Quandiu præsertim perpetuis erant in armis Romani, & nunquam sine exercitu, à Senatu tamen confirmabatur: Ælius Pertinax Senatus consensu confirmatur. *Naucl. gen. 7. 8. 9. 10.* Septimus Seuerus Senatus sententiam expectauit. Macrino interempto Senatus Alexandrum Cæsarem dixit. Maximum & Balbinum oderant milites, quod non à se, sed à Senatu electi essent. Gordiano occiso, Senatus primò Marcum, & post Seuerum Ostilianum creat Imperatorem. Aureliano interempto, exercitus retulit ad Senatū de Imperatore eligendo, Senatus verò electionē in exercitum refudit, sciens non libenter iam milites accipere Imperatores, quos Senatus elegisset, renuit iterum, & tertiò exercitus, & tandem ex S.C. Tacitus factus est Imperator.] Mitto alia exempla veterū: hæc omnia collecta habes à Nauclero. Postremis tamen temporibus, quando nulli erant exercitus, quis Imperatorem eligeret, nisi senatus, & populus, cum primoribus quibusque? imò & quando oderat exercitus proceres, & senatus magnam ad huc partem in electionibus habuerunt, cum illis tamē etiam exercitu consentiente. Martianus certè ad Leonem Papam ita scribit: *Ante Concil. Chalced.* Ad hoc maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæq; militiæ.] Iustinus prior de sua electione Constantinopoli facta, ita

scribit

scribit ad Hormisdam, *Inter epist. Hormisd. post epist. 21.* Proinde sanctitati vestræ per has sacras declaramus Epistolas, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis fauore, deinde amplissimorum procerum, sacri nostri palatij, & sanctissimi senatus, nec non electione firmissimi exercitus, ad Imperium nos, licet nolentes, & recusantes, electos fuisse atq; firmatos.] Et inter proceres mihi probabilissimū est fuisse etiam Patriarchā. Ita etiam ostendi, alterum Iustinum non sine Patriarcha & Senatu successorem Tiberium designasse: iisdemq; præsentibus & assentientibus, ipsum Tiberium thronum Imperialem accepisse; nihil ad hoc exercitu concurrente, qui fortasse tunc nullus erat. Mos ergo antiquus seruatus est, si exercitus aderat: sin minus, proceres cum Senatu electionem peregerunt.

IX. Caroli igitur tempore, erat quidem vnicus de iure, & de facto, tum Orientis tum Occidentis Imperator, qui tamen in Oriente Constantinopoli residebat. Quia verò Barbarorum illuuies Italiam ferme totam occuparat, & Hispaniæ iam, nec non Galliæ ab Imperio auulsæ propriis parebant Regibus, tanquam supremis Dominis, & ab Imperatore indepēdentibus, Carolusq; Francorum Rex, hoc est, & Franciæ & Germaniæ, quæ vnicum erant regnum, *Adrian. epist. 1. ad fin.* Barbaris ipsis nimirum Longobardis abstulerat Italiā ferme totam, Illyricum quoq; armis suis occuparat, & ita iam planè quicquid erat fermè Imperij Romani in Occidentis continente, Regio iure possidebat, Græco Imperatore à possessione inde penitus excluso: illud consilij ceperunt Romanus Pontifex cum Proceribus, & populo Romano, quod in Francia sub Childerico captum esse supra vidimus; Vt qui re ipsa Imperium potestate, & regimine actuali retineret, nomen etiam Imperatoris obtineret. Qua in re Papa duplici nomine, imò triplici, partes suas collocauit: primum consilio ac definitione, vt fecerat Zacharias cum Pipino, declarando id iam licere, & nullam Græco iniuriam fieri, siquidem Occidentale ipsum Imperium iam pro vacuo fortasse & amisso atque derelicto haberetur: ad quod recuperandum in Græco nulla spes reliqua videbatur, quod vi & necessitate compulsus iam quasi cesserat. Vacante verò Imperio Romano in Occidente Romani ipsi merito poterant ad electionem Imperatoris deuenire. Et quia Romani nullum habebant exercitum, electio ad Proceres ac Senatum cum reliquo populo pertinebat. Atque hoc est alterum caput; quod merito Papa, vt præcipuus ex Romanis Proceribus, potuit id pro sua virili exequi, quod iam licere absque peccato, tanquam Pontifex consuluerat, & definierat. Adde tertium, quòd præcipuus fuerit suasor & impulsor, vt reliqui Proceres & populus hanc peragerent electionem.

X. Quod si dicas, id sine Græci iniuria fieri non potuisse, quod si possessionem amiserat, ius tamen non amiserit, neq; iuri cesserit.] Responderi potest; in humanis istis regnandi iuribus, tantū semper in armis ius posuisse ipsosmet Principes, vt possessionem ius etiam consequi vt plurimum non dubitarint. Iustinianus iurium non modò peritissimus, sed etiam penè autor & promulgator, Africam iuris Imperialis fuisse nō ignorabat: & tamen Vuandalis eam occupantibus, sibi in eam ius nullum reliquum fuisse agnoscebat; quippe q̄ ad Reges illos iam totum cum possessione peruenisse animaduertebat. Ita enim scribit ad Regem Gilimerem; *Apud Procop. de bell. Vand. l. 1.* Impiè facis, minimeq; dignum Genserici testamento, quòd Hildericum legitimum Regem in custodia teneas, cum breui pòst tempore tibi liceret ex lege omnino succedere: nunc verò vt modicum præuenias tempus, iura prodis, & Regni nomen in tyrannidem conuertis. Hunc igitur hominem sine donec viuat, Regni saltem imaginem habere: ageque tantum quod Regem deceat, & aui tui Genserici mandatum circa Regni tui successionem expostulat; vt quod nunc iniustè possides, ex æquo retineas. Hoc si in animum duxeris, & res tibi fœlicius, & nostra simul amicitia prouenerit.] Et iterum acrius eundem momordit, minitans se, amicitia & fœdere, quod cum Genserico pepigerat, relicto, eum armis petiturum. Audis hic occupatores Imperij Reges legitimos vocari, & ex æquo Regnum retinere supponi, & regias successiones approbari. Atque hæc ad eum Iustinianus non ex autoritate Imperiali, sed ex amicitia scripsit. Ipse verò etiam Gilimer Iustinianum in Africæ Regno nullum prorsus ius habere satis animose rescripsit. Ait enim: Neque ego per vim Regnum accepi, neque contra meos propinquos quicquam iniustum perpetraui. Hildericum enim noua quærentem in familiam nostram Vuandalorum gens magistratu deiecit, meq; tempus, & ex lege ætatis honor in Regnum vocauit. Talem enim quendam virum bonum Regnum expostulat, qui nec alienas ab se curas persequatur. Tu verò, item Rex, curiose facis ac iniuste aliena curare. Quod autem fœdera solues, nobis bellum inferendo, respondere sum paratus, quibus potuero viribus, &c.] Imperatorem in nullo sibi superiorem esse patitur: nec id Imperator amplius prætendebat, qui amicitiam & fœdus veluti cum pari conseruabat, & tamen Imperii Romani partem, & sane nobilissimam, Vuandali proprium sibi Regnum effecerant, ac profectò confessione Iustiniani legitimum.

XI. Cum ergò nullus esset Imperator Occidentis, sed vacaret ibi Imperium, pro vt explicatum est, Carolus, qui reliquias Imperij in Occidentali Europa armis erat, profligatis Barbaris, consecutus, factus est plenè in Occidente, Procerum & populi electione, Romanorum Imperator: Papa Leone fortè id in primis, vt licitum & æquum, declarante; deinde etiam suo suffragio, vt dixi, concurrente: erat enim vnus, & præcipuus ex proceribus Reipublicæ ciuilis, vt est explicatum. Ac sanè ferè est communis historicorum consensus, populi ac Procerum, Senatusve opera, (non excluso Pontifice) Carolum fuisse factum Imperatorem. Ij verò sunt sequentes: Annales Francorum tempore Caroli Magni fideliter conscripti, sic habent, *Apud Bellarm. de translat. Imper. lib. 1. cap. 4.* Leo Papa coronam capiti eius (*Caroli*) imposuit cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto, &c.] Ego acclamationes illas fuisse omnino Imperatoris electiuas & confirmatiuas non dubito. Imperatores enim non per suffragia in comitijs vllis, sed per solas exercitus aut populi acclamationes, eligebantur. Neque mihi alias electiones quisquam proferet, dum exercitus Imperatores constituebant, nisi solas acclamationes, cum optimis imprecationibus sæpius repetitis. Easdem ponit acclamationes populi in Caroli electione etiam Aimoinus *lib. 5. capit. 17.* & Ado Viennensis in Chronico, & Rhegino Abbas, & Marianus Scotus, qui Pontificem ne nominauit quidem: ait enim: Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est, *in Chronic. lib. 3.*] Totidem verbis vsus est & Lambertus Schafnaburgensis. Hermannus Contractus in suo Chronico ait, Carolus Imperiali benedictione sublimatus Augustus & Cæsar Romano more appellatur.] Ostendant mihi an vnquam prisci Imperatores fuerint à Papa facti: & qui fuerit priscus Romanus mos: certè is fuit, vt S. P. Q. R. & simul exercitus, si erat, Imperatorem nominarent. Acclamationem populi coniungit coronationi etiam Otho

Frisin-

Frisingensis, *lib. 5. cap. 31.* Et Godefridus Viterbien. in suo Chronico. Et Ludolphus Bamberg. de iurib. Imp. cap. 1. Sigebertus, & Vincentius Romanos dicunt vno consensu Carolum Cæsarem & Augustum vocasse, ac per manus Leonis Pontificis coronasse. In Romanorũ verò nomine Papam etiam includi necesse est. Neque intelligunt, Papam fuisse ministrum Romanorum in Carolo coronando: sed Papam suo & Romanorũ nomine, vnica nimirum & eadem in solidum potestate id effecisse. Blondus Flauuius, Leo, *inquit*, Pontifex populi Romani scito, precibusq; Carolum Imperatorẽ Romanum declaratum, diademate vetusto Imperatorum capitis gestamine coronauit, *decad. 2. lib. 1.*] Populi scitum elegit Imperatorẽ: populi preces coronationem à Papa impetrarunt. Æneas Syluius in Abbreuiatione Blondi: & Platina in Leone III. idem populi scitũ ponit. Sed & illud habet Syluius: Populus ille Romanus, qui suo sanguine tantum pararat Imperiũ—Carolum Magnum Francorum Regem—primo Patricium, post Augustum, concurrenti Summi Pontificis consensu, salutauit Cæsarem, *de ortu Imp. Rom. c. 9.*] Antoninus, *2. part. lib. 14. c. 4.* Carolum dicit Imperiũ, conferente seu confirmante illud sibi Papa Leone, accepisse. Confirmante correxit, quia populi electionem coronatione confirmabat. Philippus Bergomensis, lib. 11. supplc. & acclamationes populi ponit, & preces, vt à Leone Carolus coronaretur. Ioannes etiam Cuspinianus ponit acclamationem. Iacobus Wimpfelingius Populi Romani scito, & precibus, ait, Carolum à Pontifice Imperatorem declaratum, *Incipit. Germ. cap. 9.* Donatus Acciaiolus in vita Caroli Magni, Carolum, ait, à Pontifice dignitatem & nomen Imperatoris, non solum consentiente, sed etiã applaudente Populo Romano, suscepisse. Paulus Æmilius, Carolum à Pontifice magno Procerum Romanorum assensu Imperatorem factum asserit, *Apud Bellarm. de transl. Imp. 1. cap. 11.* Auentinus lib. 4. annal. Boiorum, Pontifex, ait, Senatus, populusq; Romanus Imperium transferre iure suo in Germanos, Carolumque, tacito Senatus consulto, plebiscitoq; decernunt.] Tacitum vocat Senatusconsultum & plebiscitum, quia non expresse scriptũ, & exaratum; sed virtute, & tacite per olim consuetas acclamationes expressum. Alciatus hæc habet, *Apud Bellarm. ibid. lib. 1. c. 7.* Igitur Carolus, Maximi hac expeditione apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cùm arma per Germaniam omnem Pannoniasque circumtulisset, & non Italiam tantum, sed & Illyrici aliquas Regiones Græco eripuisset; vt iustum aliquem titulum, adepto Imperio, prætendere posset, Cæsarem se & Romanum Imperatorem à Pontifice populoque Romano designari procurauit. Iohannes Parisiensis *de potest. Reg. cap. 6.* Non fuit factum per solum Papam, *inquit*, sed populo acclamante, & faciente, cuius est se subiicere cui vult, sine alterius præiudicio.] Onuphrius denique apertissimè asserit, *Apud Bellarm. ibid. lib. 1. cap. 10.* Carolum S.P.Q.R. suffragiis (*acclamationibus videlicet expressis*) Imperatorem & Augustum appellatum. Neq; quicquam noui aut inusitati dicit, vt ei opponit Bellarminus, sed quod fortasse viginti saltem ante ipsum historici scripserunt, quodque mos olim obtinuit, & Romæ sedatius: & posterioribus temporibus Constantinopoli frequentissimus. Vt insulsa sit Lupoldi oppositio, qua quærit, *apud Bellarmin. ibid.* Cur populus Romanus tempore translationis huius habuerit, vel etiam hodie habeat maiorem circa eam potestatem, quàm quicunq; alius populus Imperio Romano subiectus.] Habuit enim potestatem Romanus, & Constantinopolitanus Senatus & Populus: quia Romæ tantum, & Constantinopoli Romani Imperatoris Curia & Senatus Imperialis residebat. Et vacante Imperio, modò altera tantùm ex his duabus Imperialibus Ciuitatibus, si vnicus esset vtriusque partis Imperator, modò alterutra eligendi Imperatoris sui vim habebat. Et translatio hæc nihil aliud fuit, nisi declaratio quædam, vacare in Occidente Imperium, Græco Imperatore ex Occidente prorsus abiecto; & proprij Imperatoris electio. Quòd nulli alij populo sub Imperio Romano constituto potest conuenire.

XII. Pontificem porrò Romanum in nouis creandis Imperatoribus ius eligendi habuisse, non ratione Pontificatus præcise, sed quia esset primus ex Romanis proceribus in Republica ciuili, facilè constat ex aliquot Imperatorum Caroli successorum electionibus. Ita vt facta Imperij diuisione sub Carolo Magno, & tanta, quanta nunquam antea fuerat, (nam prius erant collegæ, & Imperium totum duo vel plures Imperatores in solidum gubernare dicebantur, communique nomine leges sanciebantur, & publica acta notabantur: postea verò in Carolo facta est omnimoda & completa diuisio, absque vlla inter Occidentalem, & Orientalem regiminis communicatione) facta, inquam, hac diuisione, Romanorum fuit apertior noui Imperatoris electio, & in ea semper potissima affuit opera Pontificis, qui præcipuum censebatur membrum Romanæ Ciuitatis in ciuilibus: Eam in electione Caroli Calui, huius Magni Caroli nepote, perspicuam publicis monimentis consignatam cernimus: sic enim Iohannes Octauus in Concilio Ticinensi loquitur: Elegimus merito, & approbauimus, vna cum annisu, & voto omnium fratrum, & Coëpiscoporum nostrorum, atque aliorum S.R.E. ministrorum, amplique senatus, totiusq; Romani Populi, gentisque togatæ, & secundum priscam consuetudinem solenniter ad Imperij Romani sceptra prouex imus, & Augustali nomine decorauimus, vngentes eum oleo extrinsecus, &c. *Apud Baron. tom. X. ann. 876. num. 7.*] Et in suis Epistolis idem Ioannes Octauus se elegisse scribit Carolum, *lib. 8. epist. 43. &* 155. Electionemque ac consecrationem suam facit: Electio tamen solius Papæ non erat, vt fatetur, sed simul cum reliquo Clero, Senatu, populo, & gente rogata. Quæ erat Papæ prærogatiua tota temporalis: id enim iuris habebat nõ ex Papatu, nisi tanquam ex conditione, sine qua non habuisset; sed ex eo, quòd esset præcipuum membrum in Republica ciuili. Et ita directè potestate temporali, non indirectè potestate spirituali in his electionibus suas partes exercebat.

XIII. Hunc ipsum Carolum Caluum à Iohanne factum Imperatorem scribit Marianus Scotus, & Vspergensis in Chronico: in quo eorum dicto magnum momentum, pro autoritate Papæ, in faciendis Imperatoribus, ponit Bellarminus, *de transl. Imper. lib. 1. cap. 4. num. 18.* qua verborum formula vsos etiam non paucos profert historicos: cum tamen ex actis ipsis constet, Ioannem in faciendo hoc Imperatore vnum fuisse, licet præcipuum, ex electoribus: & postea coronatorem post factam electionem à Papa, Clero, Senatu, & Populo, atque Togatis, planum est, eos omnes, qui dicunt à Papa factum esse Imperatorem, intelligendos esse, Papam ad eius electionem concurrisse, & postea ad rei complementum, coronasse. Hæc tamen non ponunt in Papa autoritatem illam absolutam, circa Imperium, quàm prætendunt. Sed & illud habet Marianus, Carolum hunc Caluum, datis Ioanni Papæ magnis muneribus, factum Imperatorem. Et Baronius *tom. X. an. 876. n. 17.* contendit pluribus, Ioannem neruos Apostolici vigoris dimisisse, & prudentia carnis vsum,

nis vsum, in Carolo ad Imperium promouendo. Nunc quæro ex Bellarmino, & Theologis nobis contrariis: Ioannes Octauus quando Carolum indignum & immeritum, quod non ignorabat, ex auaritia & prudentia carnis Imperatorem faciebat, vtebatur ne potestate aliqua temporali directè: an spirituali sola, sed indirectè? Si temporali, cum illa ad Papam ratione Papatus nulla spectet, Papa ratione Papatus ista non faciebat. Si spirituali, & indirectè, quænam fuit actio spiritualis directa? ergo etiam salus animarum ita necessariò postulabat, vt Carolus Caluus à Papa fieret Imperator. Quomodo verò salus animarum id postulabat, si & Papa suam, & Caroli animam graui peccato obstringebat, dum muneribus illectus, & prudentia carnis persuasus, rem iniustissimam faciebat? Cùm itaque salus animarum id non postularet, indirectè potestas Papæ ad hoc se extendere non poterat, nec casualiter: & ita factum nullum erat, nisi attentatum & præsumptum. Carolus igitur non erat legitimus Imperator, sed intrusus. At quis hoc dicet? erat itaque legitimus Imperator, quia legitima electio facta à Papa, potestate directa & temporali, simul cum aliis electoribus: & auaritia, atque prudentia carnis non effecit, vt electio esset nulla, quantumcunque peccarint electores, vbi præsertim agitur de dignitatibus temporalibus.

XIV. Aliæ etiam non desunt similes confirmationes ab exemplis. Ottho Frisingensis de Conrado Tertio ita scribit: *lib. 7. histor. cap. 22.* Conradum Imperatoris Henrici sororium, præsente Theodosio Episcopo Cardinali ac S. R. E. Legato, summi Pontificis, ac totius Romani Populi, Vrbiumque Italiæ assensum promittente, nonagesimum tertium ab Augusto Regem creant.] De Henrico Tertio hæc scribit Vrspergensis in Chronico *Anno* 1053. Filium, *inquit*, suum Henricum, Romani Pontificis (*Victoris Secundi*) cunctorumque Pontificum & Principum Regni electione Regem constituit.] Opera nimirum Hildebrandi, qui erat Legatus in Germania, *Naucl. Gen. 36. an.* 1055. Nam & idem iam factus Papa Gregorius Septimus ad Sueuiæ Ducem illud scripsit: *Gregor. VII. lib. 1. Epist. 19.* Vnde nobilitatem tuam scire volumus, quia non solùm circa Regem Henricum, cui debitores existimus, ex eo, quòd ipsum in Regem elegimus, &c.] De Lothario Saxone continuator Segeberti ita scribit: *Anno* 1126. Mense Augusto, Legati Apostolicæ sedis, & Archiepiscopi cum Episcopis & optimatibus Imperij ex condicto conuenientes Moguntiæ consulrant sibi, & toto Romano Imperio, de substituendo Rege. Lotharius Dux Saxonum, vir sapiens & industrius, & Ecclesiastico iuri deuotus, præpotens diuitiis & victorijs omnium consensu eligitur.] Vides Papæ consensum, cum Optimatibus cæteris, in electione Imperatoris.

XV. Quarta obseruatio: Coronatio, & quædam consecratio siue benedictio, cuiuscunq; Regis, & magni Principis Christiani, fieri solita est per primum & maximum illius Regni siue Regionis Episcopum: sicut in Germania per Coloniensem: in Gallia per Rhemensem: in Anglia per Cantuariensem: in Vngaria per Strigoniensem, &c. quæ ceremonia ex veteri sacra Scriptura desumpta est, in qua videmus Reges à Deo, & populo electos, Olei vnctione per Prophetas, 1. *Reg.* 10. 16. inaugurationem diuina ordinatione accepisse. Cum igitur in toto Imperio duæ essent Ciuitates Imperiales, vt dictum est, in quibus Palatium, Curia, & Senatus fuerit Imperatoris, Roma vetus; & Constantinopolis, Roma noua: Si in Oriente coronandus fuisset Imperator, à Patriarcha Constantinopolitano coronam, inunctionem & benedictionē accipiebat: Romæ verò à Romano Pontifice, sic in Occidente. Referam aliquos. Iustinus à Ioanne Constantinopolitano est coronatus: scribit hoc ipsemet Ioannes ad Hormisdam, *Inter epist. Hormisd. post ep. 34. epist.* 8. Ac iterum post sex annos, cum adesset Ioannes Papa Romanus Constantinopoli, voluit ab eo etiam Iustinus coronari, *Anastas. in Ioanne.* Quis igitur dicat coronationem facere Imperatorem? Nunquid per sexennium non fuit Iustinus Imperator? & tot alij qui à solis Patriarchis sunt coronati, nunquam verò à Papa Romano? nunquid non fuerunt plene Imperatores? an Patriarcha etiam Constantinopolitanus habet illam plenitudinem potestatis, quam Romano tribuunt, vt indirectè possit Regnis, & Imperiis Reges & Imperatores priuare, & alios instituere? Si ex coronatione Imperatorum hæc potestas in coronante esse colligi debet, prorsus id de Constantinopolitano colligetur. Theodosius Mauritij filius eius iussu coronatur Imperator collega patris à Ioanne Patriarcha Constantinopolitano: vt habetur ex Theophane. A Polyeucto Ioannes, *Apud Baron. to. 8. ann. 593 nu.* 103. Ita alij: Eorundem Patriarcharum exemplo, & eadem autoritate spirituali, ex deuotione, & pietate introductum est, vt felicibus auspiciis Regna & Imperia cum benedictione Sacerdotali susciperentur. Carolus fuit à Leone inunctus, & coronatus: & post ipsum omnes fere successores. Ludouicus I. à Stephano: Carolus alter à Ioanne Octauo, Otho I. à Ioanne XII. &c. *Apud Baron. tom. 10. anno 969 nu.* 12. Quæ sanè coronatio cum inunctione, & benedictione, etiamsi mera esset externa ceremonia, ex pietate videlicet & deuotione, non ex necessitate profecta, & inducta, visa tamen post translationem semper fuit ad perfectam nominationē Imperatoris necessaria: vt ante coronationem Regis duntaxat siue Germanorum, siue Romanorum per electionem nomen obtinuerint, aut postea etiam electi Imperatoris: & post coronationem prædictam iam plenè Imperatores vocarentur. Quod etiam hodie videtur obseruatum: Vt qui coronati non sint, Imperatores electos se inscribant, & ita vocitentur. Nihilominus tamen, quod spectat ad plenissimam potestatem, eam ex sola electione legitima, etiam absq; Romani Pontificis coronatione, Imperatores electi se habere semper professi sunt, & profitentur. Vt suprà Ludouicus Bauarus: *cap. 10. nu.* 14. Neq; in hoc Pontifices Romani sapientiores potuerunt repugnare.

XVI. Sane Adrianus Quartus in Fridericum Primū nonnihil commotus, ad eum literas dedit aliquando acriores, illud improperans: *Apud Radeu. in Frider. lib. 1. ca.* 8. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quàm grataanter, & quàm iucunde alio anno Mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractauerit: quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris: & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissimè conferēs, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere; nihil prorsus efficiens, quod Regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obuiare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse. Sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesię Dei & nobis per te incrementa possint & cōmoda prouenire, nō immerito gauderemus, &c.] Quàm ægrè tulerint Principes Imperij hæc Adriani dicta, narrat Radeuicus *ibid. lib. 1. cap.* 10. his verbis: Talibus literis lectis, magna Principes qui aderant indignatione commoti sunt, qui tota literarum continentia non parum acedinis habere, & occasionem futuri mali iamiam fronte sua præferre videbatur. *Præcipuè*

tamen vniuersos accenderat, quòd in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem, sibi à Romano Pontifice collatã, & insigne Imperialis coronæ de manu eius Imperatorem suscepisse, nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset. Atque ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quòd à nonnullis Romanorum temere affirmari nouerant, Imperiũ Vrbis, & Regnum Italicum, donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idq; non solum dictis, sed & scriptis atq; picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Vnde de Imperatore Lothario in Palatio Lateranensi super huiusmodi pictura scriptum est:

Rex venit ante fores, iurans prius Vrbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Talis pictura, talisq; superstitio Principi, quando alio anno circa Vrbem fuerat, per fideles Imperij delata, cum vehementer displicuisset, amica prius inuectione præcedente, laudamentum à Papa Adriano accepisse memoratur, vt & Scriptura pariter, atque pictura talis de medio tolleretur: ne tam vana res summis in Orbe Viris litigandi & discordandi præbere posset materiam. His omnibus in vnum collatis, cum strepitus & turba inter optimates Regni de tam insolita legatione magis ac magis inualesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt vnum de Legatis: A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium? Ob hoc dictum eò processit iracundia, vt vnus eorum, videlicet Ottho Palatinus Comes de Baioaria (vt dicebatur) prope exerto gladio ceruici illius mortem intentaret.] Hæc omnia Radeuicus. Qui post narratam dimissionem Legatorum Papæ, literas Imperatoris ponit, quibus toti Regno significat, quàm malè habitus à Papa & eius Legatis fuerit, dum Regnum & Imperium Papa suæ prætendat esse donationis, & collationis: cũ illud ipse Imperator habeat à Deo per Principum electionem. Ponit & literas Papę ad Episcopos Germanię de male intellectis suis literis, & de malè habitis suis Legatis conquerentes, eosq; ad arguendum Imperatorem commonentes. Quibus Papæ literis Germaniæ Episcopi sic respondent inter cætera:

XVII. *Radeuic. ibid. lib. 1. cap.* 16. Equidem à verbis illis, quæ in literis vestris cõtinebantur, quos per Nuncios vestros prudentissimos & honestissimos D. Bernhardum, & D. Rolandum Cancellarium, venerabiles presbyteros Cardinales misistis, commota est vniuersa Respublica Imperij nostri, aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neq; aures Principum sustinere. Omnes ita continuerunt aures suas, quod nos, salua gratia vestræ sanctissimæ Paternitatis, ea tueri, propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus: eo quod insolita & inaudita fuerunt vsque ad hæc tempora: literas autem quas nobis misistis, debita cum reuerentia suscipientes, & complectentes, commonuimus filium vestrum D. N. Imperatorem, sicut iussistis: & ab eo responsum, Deo gratias, accepimus tale, quale decebat Catholicũ Principem, in hunc modum: Duo sunt quibus nostrum regi oportet Imperium: leges sanctæ Imperatorum; & vsus bonus prædecessorum & Patrum nostrorum. Istos limites Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus: quicquid ab his discordat, non recipimus. Debitam Patri nostro reuerentiam libenter exhibemus: liberam Imperij nostri coronam, diuino tantum beneficio adscribimus: electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest cæteris secundum ordinem Principibus recognoscimus. Regalem vnctionem Coloniensi: supremam verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici. Quicquid præter hæc est, ex abundanti est, à malo est.] Adduunt alias Imperatoris ad alia querelarum Papæ capita excusationes: & ita concludunt. De cætero sanctitatem vestram suppliciter rogamus & obsecramus, vt nostræ parcatis infirmitati, vt magnanimitatem filij vestri, sicut bonus Pastor, leniatis scriptis vestris, scripta priora suauitate melliti dulcorantibus, &c.]

XVIII. Horum Episcoporum literis & conuictus Papa Adrianus, & exoratus, alias prioribus longe modestiores ad Imperatorem dedit, in quibus autoritatem à se omnem circa Imperij collationem amouet, sola sibi coronæ Imperialis impositione reseruata. Ait enim: *Ibid. lib. 1. cap.* 22. Licet hoc nomen, quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quàm ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quàm nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum: & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ Scripturæ corpore inuenitur. Vbi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius, gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quòd nos ita bene & honorifice Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quòd quidam verbum hoc & illud, scilic. *contulimus tibi insigne Imperialis corona*, à sensu suo visi sunt ad alium retorquere; non ex merito caussæ, sed de voluntate propria & illorum suggestione, qui pacẽ Regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerũt. Per hoc n. vocabulũ, *cõtulimus*, nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus.] Atq; ita argute satis palinodiam suam cecinit bonus Adrianus.

XIX. Oppositiones quas facit Bellarminus aduersus literas Friderici, *de transl. Imp. l.* 1. *c.* 3. vt ad nostrũ negotium impertinentes omittimus, siue bene Fridericus, siue malè argumentetur, & sacræ Scripturæ testimoniis vtatur, hoc nihil ad nos: dummodo ex verbo illo beneficij & collationis tollatur ambiguitas pro vt eã ipsemet sustulit Adrianus: & illud Friderici dictum integrum maneat & illæsum, Nempe, Regnum nostrum à solo Deo est: iuxta doctrinam à nobis secundo huius libri capite fusius explicatam: Nam electio quidẽ personæ, & mutatio ex vna natione in aliam, occasione vacationis similiter per electionem est ab hominibus, & nõ à quibuscunque, sed ab illis, penes quos legitimum residet ius eligendi; à Deo tamen potestas Imperialis ritè electis conceditur immediatè. Ac propterea electores eligere quidem possunt pro ipsorum libitu personam, electam tamen, & iam à Deo potestate ornatam destituere non possunt: vt iam explicatum est, & explicabitur. Nos interim ex Adriani confessione teneamus, solam coronæ impositionem in capite noui Imperatoris, post ipsius legitimam electionem factam à Principibus Imperij, ad Papam pertinere: post abdicatam præsertim à populo Romano electionem, de qua infra.

XX. Hanc coronationem esse meram quandam externam ceremoniam, ex qua nomen etiam Imperatoris Imperatorem consequi ipsimet Principes consenserunt, nihil tamen potestatis Imperatori tribui, quam ex electione nõ habeat, & abunde probatur, ex iis quæ tradidi *Cap.* 2. & contendebat Fridericus, vt vidimus, cum toto Ecclesiasticorum ac Principum secularũ cœtu: & Ludouicus Bauarus contra Ioannem XXII. vt supra retuli, *num.* 14. id querulis vocibus prosequebatur: & Nau-

& Naucleros testatur dicens: *gen. 31. ann. 915.* Sed de iure electus in Regem, seu Imperatorem Romanum à Principibus Regni, potest statim ex ipsa electione licitè nomen Regis Romani assumere, & iura ac bona Regni & Imperij, in Italia, & in aliis prouinciis eiusdē Imperij administrare.] Et Iacobus Almaynus, *de pot. Eccles. & lait. quæst. 2 ad Cap. Occam. 10. 11. 12.* Eo facto, *inquit*, "quo electus est Imperator, habet summam potestatem Imperialem: sicut Papa electus, ante confirmationem, quamuis etiam non sit sacerdos, habet omnimodam potestatem iurisdictionis in Ecclesia. Similiter dicendum de Imperatore, isto modo. Idem argumentum curreret de Rege Francorum, qui inungitur ab Episcopo Rhemensi, & tamen nihil potestatis ab illo accipit: nam illud est solùm solennitatis, & non potestatis. Similiter multi fuerunt Imperatores, qui non coronabantur à Papa; & erant veri Imperatores: nam talis coronatio, saltem iure diuino, nihil dat potestatis, sed est tantummodò solennitas.] Nihil igitur corona, vel vnctio eis addit potestatis: quam tamen coronam & vnctionem Papa negare non potest sine grauissima caussa: *Extr. de elect. c. Venerabilem.* sed ordinariè tenetur vel inuitus, Catholico Principi electo vnctionem, & coronationem exhibere: nec liberum ei est, vt coronam Imperij, cui ipse velit, tribuat: vt ex hoc etiam maximè appareat, Imperialis dignitatis Papam non esse pro sua voluntate collatorem. Quanquam Baronius ex angulo, nescio quo, vnicum Glabri dictū eruerit, *tom. X. ann. 996. num. 15.* quo solo leuissimi momenti, imbecillisq; autoritatis, contrariū se putat probare: vt sit adhuc in potestate Papæ, Imperatorē quem ipse velit deligere: In hoc hallucinatur Glaber, & cum illo Baronius: quia & ratio, & vsus eis repugnat. Videtur tamen Glaber intelligi debere de sola coronatione. Etenim sicut Papa statim electus passim dicitur habere totam plenitudinem potestatis, etiam antequā coronetur, neque Diaconus primus Cardinalis, qui illum coronare debet, dicitur Papam facere, aut ei Papatum donare, vel concedere: ita in Imperatore contingere quis negabit? Et sicut, si eligatur Papa nondum Episcopus, ordinationem Episcopi sumit ab Ostiensi, & Ostiensis merito potest dici Papam quodammodo facere: non tamen propterea Ostiensis habet in sua potestate, quem ipse vult, Papam facere. Ita prorsus se res habet in Imperatore. Solum igitur nomen Imperatoris ex hac consecratione & coronatione accipit Imperator à Pontifice; quod etiam ipsum non est in libera Pontificis potestate, vt possit id ei vel concedere, vel negare: &, vt ait Albertus Crantius, *lib. 2. Metropol. ca. 14.* Mutatæ sunt vices ab eo, quod olim fuit, quando Imperatores supplicijs Pontifices afficiebant, vt iam non habeatur Imperator, (*hoc est, vocetur plene hoc nomine*) nisi quem Romanus Pontifex confirmarit & consecrarit.] Præcedit igitur personæ electio, cui Papa dat quoddam neque necessarium complementum: & ita Papæ non est, quem ipse velit, facere Imperatorem. Atque ex iam positis quatuor obseruationibus facilè quæstionem soluimus.

XXI. Carolus namque Magnus, solum nomen Imperatoris habuit à Romano Pontifice, & partem suæ electionis, tanquam ab vno eoque præcipuo ex Romanæ Ciuitatis Proceribus, forrasse totum etiam corpus ciuile Romanum repræsentante: Imò totam illam electionem meriro potest dici à Pontifice illum habuisse, quatenus Pontifex suo consilio, & impulsu, & inuentor fuerit, & præcipuus autor, vt Carolus ad titulum Imperij eueheretur. Cæterum quoad Regiam potestatem plenam in Romano Imperio Occidentali, quę nihil differt ab Imperiali, iam ipse sibi eam parauerat iure belli, per Barbarorum Imperium ipsum occupantium oppressionem. Vis scire quonā arma sua Carolus protenderit? Audi Otthonem, *Frising. l. 1. cap. 30.* Igitur Carolus Victoriosissimus, qui iam subiugatis sibi Baioariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Northmannis, Britannis, Pannoniis, multisq; alijs Prouincijs, Regnum Francorum plurimum dilatauerat.] Inde est quod morti proximus terras omnes, ac vniuersum sui imperij statum, facta prius donatione S. Petro, suo testamento inter filios sit partitus: vt narrant Francorum Annales, *Apud Baron. tom. 9 ann. 806. nu. 25. &c.* Si quid ergo præter nudum nomen, ab illa electione est consecutus, id fuit Ius, vt licitè iam posset, si quid Imperio supererat, recuperare: & titulos iustæ possessionis hinc cumulare; vt quod iure belli iam possidebat, possideret etiam titulo electionis in Imperatorem. Imò ad cumulationem iustorū titulorum spectat, quod postea Michel saltem, *Bellarm. de transl. Imp. l. 1. cap. 11.* si non etiam ipsa Irene cessionem iurium Imperialium in Occidente fecerint Carolo iam Imperatori, eum tandem imperiali titulo in suis literis decorantes. Ac postea Ludouicus Caroli filius, & ipse Imperator, easdem terras omnes, quas Carolus filiis distribuerat, noua distributione inter ipsius filios diuisit, *Baron. ibi. an. 838.* Nudum ergo nomen Imperatoris vacuum relinquebant.

XXII. Neque obstant Bellarmini oppositiones. Opponit primò Carolum Longobardorum Regnum bello obtinuisse; Romanos tamen nunquam bello vexasse, *Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 7.*] Hispaniæ erant obscuræ, Francorū verò Reges iamdiu se ab Imperij subiectione exemerant: sola Italia, Pannoniæ, & Illyricum reliqua Imperio fuerant in Occidente: Italiā verò quoties exteræ Nationes Imperatori eripuerant? postremò Longobardi: his deuictis, Carolus iā Imperij reliquias etiā extra Italiam possidebat. Cur verò Romanis bellum moueret, si post Longobardorum victorias, Romani eum Patriciatus dignitate ornarāt, *c. Adrianus, & c. In Synodo, dist. 63.* eique subiectionem iurarant, *Apud Bellar. ibid. c. 7.* Et Francos, vt scribit Zonaras, Romam admiserunt, quando, *inquit*, & Italia vniuersa, & ipsa Roma sunt potiti.] Nimirum, vt ait idem, sub Constantino, & Irene: & exaggerat, vt infra dicam, Fridericus. Non igitur intulit Romanis bellum, quia eos voluntaria deditione subiectos habuit: si non sub titulo Imperatoris, certè sub titulo Regis, & Domini ac Patricij: Patriciatus enim ille proxima dignitas post Imperialem fuit cum Dominio, & sine dependentia ab Imperatore *Cusan. de concord. cath. l. 3. c. 3* Et quicquid sit de titulo seu nomenclatura, res certa est de Dominio.

XXIII. Opponit secundo Carolum Regna illa armis conquisiisse, & comparasse, quæ erant Romani Imperij, Imperium tamen armis non comparasse, quia post dictas victorias factus est Imperator.] At nemo contendit, Carolum sibi titulum Imperatoris iure belli acquisiuisse: sed Imperium ipsum, hoc est, terras, & regna Imperii omnia, quæ supererant in Occidente. Quæ iam non Imperiali, sed Regio titulo possidebat, vt propria: solum verò nomen, & titulum nudum Imperatoris à Romanis, opera Leonis, fuisse consecutum: non armis, neque vi, sed ex libera Papæ ac Romanorum electione, & coronatione: quam Papa non Ecclesiastica, sed laica, hoc est, Romanorum nomine, potestate faciebat, & facit; vt postea opportunius explicabo: & sola benedictio erat à Papa tanquam ab Episcopo.

XXIV. Opponit tertiò Carolum Magnum totum Imperium Pontifici acceptum tulisse. Siquidem cum testamento, *inquit*, Imperium filijs diuisisset, rem totam à Leone Pontifice confirmari voluit, vt non sine

consensu eius, à quo illud acceperat, Imperium aliis tradere videretur, *de transl. Imp. l. 1, c. 5.*] Vellē ego in hoc Hieromonarchicos inter se conuenire, vt sciré, quo cū mihi pugnandum sit. Baronius enim & testamentū integrum Caroli protulit, & de Imperio nihil Carolum disposuisse asseruit: *to. 9. ad an.* 806. vt nimirum Imperij pro libito tradendi cui voluerit, penes Pontificem totam ostenderet residere potestatem. Bellarminus verò contendit, Carolum de Imperio toto disposuisse, sed consensu Pontificis, cui testamentum suum miserit ab eo confirmandum: & ex tali confirmatione testamenti à Papa obtenta, Imperij diuisionem vult robur habuisse, & Ludouicum ante mortem etiam Patris, Augusti nomen, & electionem ad Imperium obtinuisse. Pugnant ergo inter se Bellarminus & Baronius. Ego verò ab vtroque dissentio: & diuisionem Regnorum, quorum Dominus erat absolutus partim iure successionis, partim iure belli, suo disposuit testamento. Quid verò sibi voluerit Carolus, qui parta Regna, vt Dominus illorū absolutus, inter filios naturales successores, ne illi post eius mortem inter se digladiarentur, testamento diuidebat, & à Pontifice Romano approbationem testamenti petebat: tunc Bellarmino explicabo, quando ille mihi explicuerit, cur idem Carolus idem testamentum voluerit etiam ab optimatib. Francorum iureiurando confirmari. *Ado in Chron.* Nam si sui testamenti confirmatione Papā sacri Imperij Dominum facit Carolus, etiam optimates facit Dominos: ant hi optimates iurant, & confirmant, ad hoc vt se obligent stare ei diuisioni, igitur & Papa requiritur à Carolo, vt approbet & subscribat testamentum, ad hoc vt ligatus etiam ipse maneat, contra illam dispositionem eum nō venturum, sed ei pro sua virili, vt vnum ex primis Imperij optimatibus, pariturum: & in hoc dissentio à Bellarmino. Ab vtroque verò dissentio in eo, quod Carolus, non quidem testamento, sed autoritate propria, de more priscorum Imperatorum, non expectata vlla cuiusquam electione, sed solo habito Principum Imperij consensu, saltem pręcipuorū (illis enim inconsultis Carolum id fecisse non est par credere) Ludouicum filium Augustum appellarit: quod à quibusdam asseri fatetur Bellarminus: licet ex confirmatione testamenti Augusti, confirmationem conetur ille expiscari: cum tamē testamentum totum integrum extet, in quo de Imperio nihil dispositum à Carlo agnoscit & obseruat Baronius. Nam propterea Ludouicus, post Patris obitum, sola eguit coronatione, vt ex Annalibus Francorum, sub anno 813. est manifestum. Malè ergo Baronius integrum ius eligendi Imperatorem à Carolo Papæ relictum affirmauit.

XXV. Testimonia porrò, quæ profert Bellarminus toto capite quinto libri primi, de translatione Imperij, ex ipsismet Principibus, qui Papæ operam vt necessariam aut dixerunt, aut etiam quæsierunt pro plena Imperij assecutione, nihil aliud euincunt, nisi Papam, siue electione iam explicata Imperatores pro sua virili promouisse: siue saltem coronatione & vnctione atque Imperiali nomine decorasse. Neque mirentur, quod Carolus Caluus, qui dolo, vi, & astu Imperium fratri Ludouico præripere conabatur, tam anxiè Romam accurrit, vt coronam de manu Pontificis prece & precio extorqueret: sola enim illa & nuda ceremonia, si ritè electo iungebatur, plenè faciebat illum dici & ab omnibus teneri pro Imperatore. Cùm verò Carolus ex paterna hæreditate præsumeret, non minus se habere iuris in Imperium, quam frater Ludouicus: satagebat, vt suæ, non electioni, sed hæreditariæ successioni (diu enim Imperium fuit penè hæreditarium, post Carolum Magnum) coronatio adderetur, aut quòquo modo se melius aduersus fratrē tueretur. Albertus verò Imperator conatus est à Bonifacio Octauo impetrare pro se & suis hæredibus Imperij confirmationem: quia neque erat bonus Theologus, neq; bonus Iurista, sed optimus miles: ideoq; ipsius sententia de potestate Papæ nihili est facienda; & meritò Bonifacius negauit id, quod in sua potestate situm non esse intelligebat: & iam dixi etiam à Diabolo diademata & sceptra multos libenter suscepturos; quod tamen de Alberto non dixerim. Henricus Septimus: Ludouicus Quartus, Carolus Quartus: & Fridericus Primus à Papa petierunt, & voluerunt coronā & consecrationem Imperialem, vt inde nomen Imperatoris ritè obtinerent; & ad culmen Imperij, hoc est, ad complementum, quod ipsimet Principes Imperij consecratione & coronatione peragi consenserunt, euherentur: Vnde & Fridericus supra negabat, se à Papa aliud habuisse præter nudā coronationem. Mitto quod multa ex vrbanitate, multa ex adulatione erga Papam à Principibus, Papali aliqua ope indigentibus, proferuntur. Michael Græcus Imperator libellum pacis voluit, & à Carolo Magno Imperatore, & à Papa Leone etiam confirmari, & subscribi: pax enim debebat esse, & vnio tam in temporalibus, quam in spiritualibus: & Papam agnouit, vt pręcipuum Caroli consiliarium, & magnum Principem temporalem & præcipuum Romani Imperij in Occidente optimatem. De Emmanuele Commeno, dixi supra *num.* 5. De Philippo Rege Francorum Imperium à Papa affectante, idem dico, quod de Alberto: & addo, malè fundatos & quouis colore obductos titulos, satis esse eis, qui plus in armis, quam in iure confidunt.

XXVI. Autoritate etiam Romanorum Pontificum idem euincere nititur Bellarminus: quos tamen testes esse domesticos, & in propria caussa satis suspectos, nemo ignorat: ostendo nihilominus vix illos etiam nobis aduersari. Gregorium Quartum, *inquit, de transl. Imper. lib. 1 cap. 6.* rescidisse Francorum decretum, quo fuerat Ludouico Imperium abrogatum: neque enim, *inquit*, id Gregorius ausus fuisset, nisi ab Apostolica Sede Imperium ad Francos delatum, atque ab eadem sede pendere intellexisset.] Video tamen dolum, ignoscat mihi Illustrissimus Bellarminus, video non bonam fidem: decipere nos voluit in verbo, *Francorum*, sciebat enim, quinam Franci decretum fecerant de Ludouici abrogatione, non sanè Principes & Barones, sed Episcopi & Concilium, sola spirituali & Ecclesiastica autoritate id fecerant; & in pœnitentium vilissimorum numerum, propter quædam peccata, ipsum coniecerant, omniaq; imperialia insignia ei abstulerant. Inaudita Episcopi, *inquit Theganus*, locuti sunt, inaudita fecerunt, quotidie improperantes ei. Abstulerunt ei gladium de femore suo, iudicio seruorum suorum, induentes eum cilicio.] Ac tandem facto Concilio, sententiam dixerunt, ab Imperio deposuerunt & publicum pœnitentem esse voluerunt. *Apud Baron. tom. 9. ann.* 833. *num.* 10. *& seqq.* quam depositionem mali filij gratam habuerunt, si non etiam procurarunt, vt eum omnino imperio spoliarent. Hoc igitur Episcoporum Decretum, quod erat pœnitentiale, factum abusu clauium, & mera Ecclesiastica potestate, Gregorius dicitur rescidisse. An vt iniustum? Et tamen Ludouicus sponte se ei subiecerat, nec voluit recuperare insignia ei ablata, nisi per manus eorundem Episcoporū, qui illa abstulerāt, *Ibid. an.* 834. Ac priùs voluit publicè in Ecclesia Sancti Dionysij reconciliari, & cōmunioni S. Ecclesię restitui. Rescidit ergò indulgendo & relaxando pœnitentiā: quamuis exercitus ēt vndiq; confluebant, qui Decretum hoc gladiis dissuadissent.

XXVII. Adria-

XXVII. Adriani Secundi factum producit, quo per literas Carolum Caluum terruit, ne Imperium Ludouici fratris & Imperatoris armis tentaret, *de translat. Imp. lib. 1. cap. 6. & contr. Barcl. cap. 4.* Pater profectò vniuersalis, & communis pastor spiritualis, ac specialis arbiter controuersiarum inter fratres, Lotharij Imperatoris filios, ne pacta inter se iuramentis firmata, & ad Papam ipsum transmissa, cum promissis effringerent & violarent, paterna authoritate monuit, & pœnas minatus est spirituales, vt ex ipsiusmet literis constat, *apud Baron. tom. X. an. 820. nu. 3.* Sed hic etiam nos fallit Bellarminus, dum scribit Adrianum in defensionem Imperij Ludouici à Carolo inuasi insurrexisse. Non enim Carolus inuaserat Imperium fratris, sed partem Regni Francorum hæreditarij, quod inter ipsos fuerat diuisum: illam nimirum partem, quæ Ludouico Imperatori, non ex dignitate Imperiali, sed ex diuisione hæreditatis obtigerat. Pergit Bellarminus alia exempla objicere. Adrianus, *inquit*, Quartus: Alexander Tertius; Innocentius Tertius: & Clemens Quintus, expressè asserunt, à Sede Apostolica translatum esse Imperium à Græcis in Francos: & Imperatores ab eadem culmen sumere imperij.] Sed intelligendi sunt de electione, suasu, vnctione, & coronatione, vt iam est explicatum. Pium denique Secundum adducit offerentem Turcorum Regi titulum Imperij Orientalis, si fidem Christi amplectatur. Potuit meritò id offerre, & polliceri, vbi iam tota cessauerat curia Constantinopoli, & Senatus; cùm verò illa adhuc Romæ perseueraret, & imperium etiam Orientale radicem suam primam haberet Romæ, potuit Pius, eodem iure, titulum Turco polliceri, & si assensus ille fuisset, etiam procurare, quo iam explicui potuisse Leonem Imperialem titulum Carolo magno conferre. Imò dum adhuc Constantinopolis erat Christiana, & sub Imperatore legitimo Christiano, Nicolaus primus *Epist. 9.* monebat Michaëlem Imperatorem: Ne ingratus filius circa matrem suam (*Romanam Ciuitatem*) ex quâ Imperandi fastigium ipse & Patres ipsius, ordine cœlitus disposito, percepisset, appareret.] Considerabat enim totũ Imperium, non modò Occidentis, sed etiam Orientis, Romæ esse exortũ: & inde tanquam ex radice, & origine, totam vim habere. Et quia Michaël Romanã Ecclesiam contemnebat, quam in gratiam Romanæ Ciuitatis, vnde Imperium eorum habuit, venerari debebat: arguit illum erga matrem Romam ingratitudinis.

XXVIII. Translationem hanc Pontifici Romano totam deberi inde probat ad extremum Bellarminus, *de transl. Imp. l. 1. cap. 12.* quòd Papa sit & supremum totius Christi Ecclesiæ caput: & quòd ipsius supremæ Ecclesiasticæ potestatis sit, vbi necessitas Ecclesiæ ita postulet, Regna & Imperia transferre. Atq; hæc confirmat ipsorummet Principum confessione, & rationibus ex tractatu de summo Pontifice repetitis. Nos ei primũ dictum nunc donamus, quamuis falsum ipsum esse iam in libris præcedentibus demonstrauerimus: Quia quod sit summum caput in rebus spiritualibus, si aliqua potestas est in Ecclesia, non apparet cur in solo supremo Ecclesiæ Hierarcha illa sit, & non in aliis Hierarchis: & si spiritualis est, temporalia ad eam nullo modo spectabunt. Ideo de altero dicto nihil hîc seorsim dicendum est: hoc enim ipsum duntaxat in toto præcedenti & hoc capite discurimus. Certè si ex translatione Imperij probat Bellarminus esse illam potestatem in Papa: non video cur agendum sit circulo, & obscurum per obscurius comproberur, nempe vt ex potestate Papæ in Regna, probari debeat translatio illa iure facta. Nos tamen translationem negamus à Papa solo, & papali autoritate factam, vt hoc nobis obstaculum remoueamus; & potestatem in Papa nullam esse in Regna & Reges, promptiùs defendamus.

XXIX. Hæ nostræ itaq; obseruationes sic vt sunt à nobis explicatæ, quæstionem totam de translatione Romani Imperij occidentalis à Græcis in Francos, nõ video cur non prorsus absoluant: nimirum in ea adfuisse, Primum declarationem Papæ, definitionemq;, (vt Confessoris aut Casuistæ) posse meritò; & citra peccatum, atq; iniuriam Græci Imperatoris, Occidentis Imperium ei nomine & iure concedi, qui illud iam facto, nec iniustè, possidebat. Deinde Papæ (vt potentis ciuis Romani ac prudentis consiliarij) adhortationem, & impulsum, quo Romani facilè adacti sunt, vt in electionem Caroli consentirent. Tum verò electionem per Romanos Primores, ac totum populum, incluso etiam Pontifice (vt primario, vt ex Proceribus Romanæ Ciuitatis) peractam. Ac demum consecrationẽ Imperatoris, & coronationem à Pontifice Leone, vt Romano Patriarcha, celebratam. Quicunq; igitur historici translationem hanc Imperij à Papa factam scribunt, quos triginta; & tres numerat Bellarminus, *de transl. Imp. lib. 1. c. 4.* partim de electione loquuntur, in qua simul cum populo Romano Papa suo concurrerit suffragio, & hos ego ad viginti quatuor nominaui, & protuli: partim ad Papæ consilium; declarationem, & impulsum respexerunt: partim de sola inunctione & coronatione, cum appellatione Imperatoris, sunt locuti. Et omnes non indirectam, & spiritualem atque Apostolicam in hoc; sed directam & temporalem in Apostolico potestatem agnouerunt & posuerunt.

DE ELECTORIBVS IMPERII.

XXX. Magnum sibi etiam præsidium Hieromonarchici ad Papalem in Reges, & Imperium potestatẽ, factis ipsis confirmandam, ex eo petunt; Quòd Pontificia autoritate & sanctione ius eligendi Imperatorẽ dicant septem Germaniæ Principibus collatum, *Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. c. 8. & de transl. Imp. l. 3.* quæ sanctio vsq; ad hanc diem seruetur. In hoc ego argumento nõ diu versabor, paucis enim expediri potest. Respondeo itaque primò: incertum esse, & plurimũ disputabile, quęnam fuerit illa sanctio, à quo & quando edita: alij enim Gregorium V. alij Gregorium X. faciunt autorem; alij Innocentium IV. Gregorium V. autorem facit Autor libri de regimine Principum *lib. 3. cap. 19.* & Augustinus Triumphus *in Sum. de potest. Eccles. q. 35. art. 2.* Decimum verò Auentinus *lib. 5. annal. Boior.* Et Onuphrius *lib. de Comitiis Imp.* Innocentium Baronius *tom. 10. ad an. 996. nu. 56.* Et ita alij illos, alij hos sequuntur. Et quamuis ad Pontificiam hanc potestatem æquè faciat; quilibet horum id fecerit, modo Pontificia potestate Electores hi fuerint constituti: Ego tamen ex incertitudine hac, atq; varietate nihil certi arbitror posse affirmari: si enim nihil constat certum, quis Pontifex id decreuerit, neq; constare potest, ab vllo Pontificum id fuisse institutum: & ita argumenti vis tota eneruatur.

XXXI. Certè Gregorium V. autorem talis sanctionis non fuisse, inde maximè conuincere nititur Onuphrius *de Comitiis Imper.* quòd post Gregorium dictum, ad longum tempus Principes omnes Imperij, & Itali, & Germani, & Ecclesiastici, & laici, Imperatorũ fecerint electiones: qualis fuit electio Henrici Secundi, Conradi Primi & Secundi, Henrici Quarti & Quinti, Lotharij Secundi, Friderici vtriusq; & Philippi. Neque valet effugium Bellarmini *de transl. Imp. lib. 3. cap. 2.* Quod tot Principes interfuerint tantum electioni, eam tamen non peregerint, nisi illi sex seu septem: satis enim clarè apparet, eos non solũ electionibus interfuisse; sed

etiam eas propriis suffragiis promouisse: vt ex Gregorii VII. Epistola 3. lib. 2. 4. ad omnes Episcopos, Duces, atque Comites Teutonicos, de noui Regis Electione facienda, si Henricus non resipisceret, redditur manifestum; & pluribus egregie conuincit Baronius, *tom. X. anno 996. nu. 48. & seqq.* qui publicis probat documentis, electores fuisse post tempora dicti Gregorii V. varios Comites, Episcopos, & Abbates, atque hoc sub Innocentio III. Sed neque Gregorio X. posse constitutionem hanc tribui, ex eo contendit Bellarminus *de transl. Imper. lib. 3. cap. 1.* quia de septem his Electoribus mentio inuenitur in Autoribus, qui ante Gregorium Decimum scripserunt: Vt est Martinus Polonus, qui sub Innocentio Quarto scribebat: & Hostiensis *in c. Venerabilem, de elect.* qui sub Gregorio Nono: & Chronicum quoddam eiusdem temporis: adde Concilium Generale Lugdunense sub Innocentio Quarto, *Apud Baron. tom. X. ann. 996. num. 26.*

XXXII. Baronius tamen primam horum Electorum institutionem ponit in hoc eodem Concilio Lugdunensi ab Innocentio Quarto factam. Quod si ei opponas Thomam de Regimine Principum, & alios rem ad Gregorium Quintum expresse referentes, respondet, æquiuocationem quandam in Martino Polono, erroris caussam esse. Quia dictus Martinus (ante quem neminem inueniunt horum Electorum mentionem fecisse) sic habet in vita Othonis tertii: Et licet isti tres Othones per successionem generis regnauerint, tamen postea fuit institutum, vt per officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet, primò tres Cancellarii isti, Maguntinensis Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ: Marchio Brandenburgensis Camerarius est; Palatinus Dapifer; Dux Saxoniæ Ensem portat: Rex Bohemus pincernam agit.] Videtur itaque ad Othonem Tertium hanc septem Electorum institutionem reducere; sub ipso nimirum Gregorio Quinto. Sed æquiuocat, *inquit Baronius*, quod enim ait Martinus, postea fuisse institutum, intelligit suo iam tempore, nimirum ab Innocentio Quarto, sub quo Martinus scribebat. Aquinas verò, qui ex solo Martino id didicerat, putauit Martinum de temporibus Othonis Tertii locutum: ita & cæteri. Sed Innocentius Quartus huius constitutionis nullo modo autor primus potest asseri: tum quia Ostiensis, & Chronicum eiusdem temporis, numerãt eosdem septem Electores: qui Ostiensis, & illius Chronici scriptor, aut scripserunt ante hoc Concilium Lugdunense; aut eodem circiter tempore, quo Concilium est celebratum: & illi, sicut & Polonus, scribunt de his Electoribus, tanquam de veteri institutione, & non nouissima ipsorum tempore facta: neque dixisset Polonus, postea fuit institutum; sed dixisset, nuper, vel nunc fuit institutum: Ita etiam Thomas, *de regim. Princip. lib. 3. cap. 19.* seu quis alius, qui tempore huius Concilii Lugdunensis viuebat, quomodo asseruisset, hos septem Electores fuisse à Gregorio Quinto institutos, ante ducentos & septuaginta annos? & cur sequatur Martinum sui temporis scriptorem, & in actione sui temporis? Augustinus etiã Triumphus potuit esse iam natus, quando Concilium hoc Lugdunense est celebratum, & quamuis tunc infans fuerit, cur ad Gregorium V. reducit & ipse hanc institutionem, quæ ipsius diebus facta fuerit, *de transl. Imp. l. 3. c. 1.* mortuus est enim anno 1328. ætatis annorum 85. Anno igitur 1245. quo celebratum est illud Concilium, & ponitur à Baronio Innocentiana hæc constitutio, puer erat biennalis. Tum quia (& hoc mirror à nemine fuisse obseruatum) hi septem Electores iam erant instituti sub Adriano IV. nam Fridericus I. dicebat, vt supra vidimus, se in sui electione Francofurti primam vocẽ habuisse à Moguntino Archiepiscopo, & à cæteris secundum ordinem Principibus *Radeuic. l. 1. c. 16.* iam ergo fuerant instituti septem Electores: quamuis non hi soli septẽ: sed simul cum reliquis Principibus Electoribus elegerint Fridericum, vt expresse asserit Frisingensis: & inferius explicabitur, *num. 41.* Adrianus autem hic præcessit Innocentium IV. supra octoginta annos.

XXXIII. Cum itaque neque Gregorius siue Quintus, siue Decimus, neque Innocentius Quartus septem hos instituerint Electores, neque de vllo alio Pontifice quicquam in hoc genere habeamus, non possumus, nisi temere, Pontifices facere Electorum institutores. Adde verò contra Baronium; illos septem Electores, quos ponit Concilium Lugdunense sub Innocentio Quarto, esse longè diuersos ab his, qui nunc sunt, quosque numerant supra positi Autores, eiusdem tamen temporis, si non etiam anterioris, cum Concilio Lugdunensi. Nunc enim sunt & tunc fuerunt, Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis, Palatinus, Saxo, Brandeburgensis, & Bohemus: Concilium verò illud ponit Duces Austriæ, Bauariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ: Episcopos verò Coloniensem, Moguntinum, & Salsburgensem. Ineptè verò dicit Baronius, hos successu temporum fuisse immutatos: quia eodem tempore legimus illos eosdem fuisse, qui nunc etiam numerantur, vt ex Polono constat, Ostiensi, & Chronico, & aliis.

XXXIV. Respondeo secundo, electionem Imperatorum iure antiquissimo, & fortasse etiam diuino naturali, ad optimates, Senatum, Populumq; Romanum, & exercitum Romanorum, quando is erat, semper spectasse: & post translationem Imperii potissimũ, ac omnimodam separationem, electionem per eosdẽ Romanos proceres, quorum primus esset Papa, peractam iam satis ostendi supra. Quanquã à Carolo Magno, per plures successiones, filius vt plurimum Patri successerit, non tamen absque electione prædicta, aut saltem Imperatoris viuentis nominatione, cum Papæ tamen, & reliquorum optimatum consensu, vt iam est ostensum. Et hoc sibi voluit Otho Frisingensis, *Lib. 2. de gest. Frid. cap. 1.* dum scripsit: In oppido Francofurt, de tam immensa Transalpini Regni latitudine vniuersum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit, vbi cum de eligendo Principe Primates consultarent (nam id iuris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinẽ propaginem descendere, sed Principum electione Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici filius petitur, cunctorumque fauore in Regem sublimatur.] Hæc est Imperii prærogatiua, vt, non successione, sed electione Imperator habeatur.

XXXV. Ludouicus porrò Tertius ex Caroli Magni sanguine, Arnulphi filius, vltimus fuit Imperator, in toto Caroli Magni Imperio: *Naucl. gen. 31. ann. 912.* qui tamen coronam Imperialem à Papa nunquam accepit. Is prole carens à Berengario Veronæ victus, & Italiam, & oculos, & libertatem, & vitam, & Imperium amisit. Hicq; iam imperium confundi cœpit. Itali enim & Romani, partim vi, partim voluntate, suos sibi creabant Imperatores, quales fuerũt Berengarius, Ludouicus Bosonis, Hugo Arelatensis, Lotharius eius filius, Rudolphus Burgundiæ, &c. Nam Romani Pontifices, quoscunq; occurrentes ad Imperium admittebant, *Naucl. ibid.* Ex alia verò parte Franci Principes, & Germani, Ludouico defuncto sine liberis, Regem fecerunt Conradum, postremum ex Carulino sanguine, qui to-

qui totum Occidentale Imperium, sola excepta Italia, feliciter administrauit: & pro Imperatore habitus est semper, quamuis à Papa Romano coronationem nunquam habuerit: quia tunc Italia proprios habebat tyrannos ne, an Imperatores? Conradus morti proximus, vocatis omnibus Regni Principibus persuasit eis, vt Henricum, Saxoniæ & Thuringiæ Ducem, in Regem & successorem eligerent: quod & perfecerunt. *Naucl. ibid. an.* 917. Sed neq; ipse habuit, (non enim voluit) titulum Imperialem, *Bellarm. ad transl. Imp. l.* 2. *c.* 2. quem ei cum vnctione & coronatione Pontifex Ioannes X. offerebat: Romani tamen Regni ipsum culmen habuisse scribunt historici. *Crant. l.* 3. *Saxon. c.* 2. Ex his tribus Ludouico, Conrado & Henrico, qui plene Imperium administrarunt, & iure possederunt, licet de facto Italiam non haberent, quippe ab alijs occupatam, habemus, non modo ius electionis semper idem, & penes eosdem, nimirum Principes Frācos, & Germanos (Italos iam ab alijs oppressos excludo) substitisse; sed etiam sine Papæ coronatione eos re ipsa, non tamen nomine, fuisse Imperatores. Vt inanis mihi videatur totus Bellarmini labor de translatione Imperij à Francis, ad Saxones, seu Germanos, *toto lib.* 2. Sola enim coronatio Papæ, sicut facta nihil addit Imperatori iuris & potestatis, nisi solum, & nudum nomen; ita negata, vel omissa, nihil eidem detrahit, excepto nomine. Potestas vero Papæ de iure in omni electione Imperatoris, & consequenter in translatione Imperij ab vna natione in aliam, (quæ nihil aliud est, nisi sola personæ electio) firma erat, & indubitata: Vt simul cum reliquis Imperij Principibus, sicut vnus ex ipsis, imo & præcipuus, personam eligeret. Quamuis igitur expresse Papa etiam suo suffragio concurrisset ad Henrici electionem, nihilominus tamen non ipse solus, sed ipse & Principes, tanquam electores legitimi, omissis Francis, translationem in Saxones fecissent; & renuente etiam Papa, nec consentiente, aut eo ex causa prætermisso, si maior pars reliquorum electorum in quencunque consensisset, cur non ille legitimus esset Imperator? omissus verò fuit Papa, & alij Itali, quia alijs Principibus, etiam sub titulo Imperiali seruiebāt. Et hic mansit Francia sub suis Regibus, amisso Imperio.

XXXVI. Henricum primum secuti sunt tres Othones, non quidem sola sanguinis successione, sed etiam Principum omnium electorum, Francorum pariter, ac Germanorum, electione, ac Papali præterea inunctione, & coronatione. *Naucl. gen.* 32. *an.* 937. *& gen.* 33. *an.* 975. *&* 983. Et de primo quidem magno Othone ita scribit Nauclerus: *Ibid gen.* 33. *an.* 960. Electus autem fuit ab omni populo Francorum, & Saxonum; & postea à Ioanne XII. Romæ inunctus, & coronatus.] Italia iam per ipsum strenue recuperata, Regni sui Romani anno 24. & consequenter iam per plures annos facta à Francis ad Saxones Imperij re ipsa translatione. Idem habemus & de alijs; & de eorum successoribus, vsque ad Fridericum Secundum. Fieri ergo non potuit, vt vel Papa, vel Imperator, eorum propria & sola autoritate, sine dictorum Principum consensu eos potestate eligendi priuarent, & totam ad solos septem reducerent. Et nihilominus constat, septenarium hunc numerum fuisse institutum post tempora Othonis Tertij, vt ait Polonus. Et ante tempora Gregorij Decimi, imò & Adriani Quarti, vt probaui. Constat etiam institutionem hanc in vsum plenè redactam non fuisse, vt soli septem eligerent, nisi post Fridericum Secundum. Cogimur itaque fateri incertum omnino esse, à quo præcise & quando fuerint ipsi septem electores instituti: & proinde si negetur Papam esse eorum institutorem, id nullo modo à quoquam redargui posse. Certè Cusanus Cardinalis *concord. cath. l.* 3. *cap.* 4. ista scribit; Vnde Electores, qui communi consensu omnium Alemanorum & aliorum, qui Imperio subiecti erant, tempore secundi Henrici constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui sibi naturali iure Imperatorem constituere poterant, non ab ipso Romano Pontifice, in cuius potestate non est dare cuicunque prouinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem, ipsa non consentiente.] Etiam paulò antè dixerat; Nō est igitur eo modo concedendum, Electores à Romano Pontifice potestatem eligendi habere, sic quod, nisi ipse consentiret non haberent, aut si vellet, ab ipsis tollere posset.]

XXXVII. Respondeo tertio, vt hunc etiam scrupulum plenius eximam, mihi probabilissimum videri, Othonem tertium, simul cum Papa Gregorio Quinto, & aliquot ex præcipuis Imperij Proceribus, ad septenarium numerum, data constitutione publica, electores Imperij reduxisse. Cum enim Otho ipse prole careret; & schismata in Imperio, ex tanta electorū multitudine facillimè oritura timerentur, sapienter cogitarunt, illud remedium fore opportunum: sperantes illud ab omnibus Imperij Principibus facilè, vt valdè salubre, approbatum iri: *Lupold. de iur. Imp. c.* 3. quamuis spes hæc illos aliquandiu fefellerit: Principibus ordinarijs electoribus neque omnino consentientibus, neque suo iuri prorsus cedere volentibus. Hinc itaq; est, quòd aliquot scriptores septem electorum primam institutionem ponant sub Gregorio V. & Othone III. seu statim post eius mortem in Henrici eius filij ad Imperium euectione, sub Syluestro Secundo: quando primum nonnulli volunt sanctionem in vsum redactam. *Naucl. Gen.* 34. *an.* 1002. Falluntur tamen, quia à Principibus in Germania electus dicitur ipse Henricus, *Deitmarus apud Baron. tom.* 11 *an.* 1002. *Frising. l.* 6. *cap.* 17. *& Onuphr. de comit. Imp.* & non à septem electoribus. Et quamuis circa executionem fallantur, eos tamen circa constitutionis septem electorum editionem nequaquam falli docent ea, quæ iam protuli de varijs autoribus, qui circa tempora Friderici Secundi scribētes, vt rem veterem, & vulgatam, septem electores numerarunt: quamuis eorum tempore per illos solos septem electiones nondum fierent. Fridericus enim secundus, qui tunc Imperabat, & diu Imperauit, postea ab omnibus Principibus electus est ad Imperium, *Vrsperg. in chron.* & ipsius antecessores, etiam Fridericus I. vt vidimus paulò antè in Othone Frisingensi. Nam licet Moguntinum ponat primum ipsemet Fridericus, Frisingensis tamen expresse tradit, ab omnibus Principibus fuisse electum: de quo mox dicam. Quia igitur sanctio facta quidem fuerat etiam ante tempora Friderici prioris; sed in vsum reduci plene non potuerat, renitentibus vt dixi Principibus ordinarijs electoribus, ideo de illa mentionem non fecerunt scriptores multi qui actiones Gregorij Quinti, & Othonis Tertij literis consignarunt, eamq; non nisi pauci quos iam recensui posuerunt. Et non nisi qui vel sub Friderico Secundo, vel post eius obitum scripserunt. Manifestum enim est, viuente Friderico dicto, & turbas plurimas in Ecclesia, & in Imperio ciente, iam serio agi cœptum de constitutione septenarij plene executioni, cum primum ad electionem deueniendum esset, demandanda. Et quia de illa exequenda iam publicè agebatur, nam & in Concilio illo Lugdunensi de illa actum fuisse vidimus tempore Friderici Secundi, scriptores cōstitutionem olim factam, & nunquam absolutè vsu receptam, nuper tamen, vt tandem vsui foret, designatam,

tam, suis scriptis quæ nam illa esset expresserunt. Atq; ita chronicum illud, de quo suprà, habet, Gregorium Nonum egisse cum Principibus Imperij de abrogando Imperio Friderico, & nouo Imperatore eligendo; ab eisque responsum accepisse, id muneris ad septem illos spectare, & ab illis esse electionem faciendam, *apud Bellar. de transl. Imp. l. 3. c. 1.* Ex quo perspicuum redditur, quod dixi, jam inter Principes actitatum de constitutione illa executioni mandanda. Principibus igitur hoc modo consentientibus, & vsum illius sanctionis, potius priuatis colloquijs, & per literas ac nuncios, aut in publicis alijs occasionibus factis conuentibus, quã in generalibus vllis comitijs, approbantibus & collaudantibus, vires quas illa non habebat, sumpsit & conualuit; ac re ipsa post obitum Friderici Secundi vsque in præsentem diem perpetuò est inuiolabiliter seruata.

XXXVIII. Respondeo itaq; quarto, Reductionẽ electorum Imperialium ad numerum septenarium, totam deberi omnibus Imperij Principibus Italis, Francis, Germanis, Ecclesiasticis, laicis: inter quos Papa primum tenet locũ. Et quamuis probabilissimũ sit, Papã cũ Imperatore, siue fuerit is Gregorius cũ Othone, siue alij subsequentes, fuisse præcipuos huius cõstitutionis autores, illa tamen vires neq; habuit, neq; habet, nisi ex vniuersali, aut maxima parte Principum reliquorũ. Hoc enim & ratio suadet, vt supra considerabam; & graues confitentur autores. Chronicum illud, de quo supra, & quod approbat Bellarminus *de transl. Imp. l. 3. c. 1.* sic habet: Ex prætaxatione Principum, & consensu, eligunt Imperatorem, Treuirensis, Moguntinus, &c.] Augustinus Triumphus, sic scribit, *de pot. Eccl. q. 35. art. 2.* Gregorius V. tempore Othonis Imperatoris, conuocatis & requisitis Principibus Alemaniæ, septem electores instituit, &c.] Lupoldus *de iur. Imp. c. 3.* ait: Tempore Othonis tertij, qui filijs caruit, fuit institutum; vt per certos Principes Germaniæ, scilicet per officiarios Imperij, seu curiæ Imperialis, eligeretur Imperator.] Illosque paulo post enumerat. Gregorium Quintum ita faciunt sequentes autores Septemuirorum institutorem, vt tamen ex assensu Othonis Tertij id effecerit. Iacobus Wynphilingus *Epit. rer. Germ. c. 20.* Albertus Crantzius *lib. 3. Metrop. cap. 40.* Blondus *dec. 2. lib. 3.* Platina *in Greg. 5.* Syluius *in epit. Blondi.* Cromerus *de rebus Polonicis*, & alij: & aliqui quidem ex his Othonem dicunt cum consensu Papæ, aliqui vero Papam cum consensu Othonis id fecisse; quia vterque æque consenserunt, vt est à me iam explicatum. Naucleruin tamen seorsim audiamus; Hoc tẽpore, *inquit, Gen. 34. an. 994.* electores Imperij primùm instituti leguntur: de quo aliqui scribunt, quòd Otho Tertius, cùm hæredes ex se descendentes mares non haberet, constituit ex Cõcilio Principum Germaniæ, vt Imperatore mortuo, in oppido Francfurt, perpetuò fieret electio, electoresque constituit tres Archiepiscopos, &c.] Et enumeratis illis, sic ait: Hi septem Principes eligendi Imperatoris ius & potestatem sic acceperunt.] Et statim subdit: Itaque aiunt, Gregorium Quintum, cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, quò diutiùs apud Germanos summa potestas remaneret, illeque cæteris præesset, qui virtute, & dignitate cæteris præstaret, retulisse sanctionem de Imperatore deligendo; videlicet solis licere Germanis Principem deligere, qui Cæsar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Augustus, & Imperator haberetur, cum à Romano Pontifice, benedictione præmissa, conaretur. Et quòd ordinauerit, cum Procerum Germaniæ consensu, electores prædictos, qui vice omnium eligere deberent.]

XXXIX. Hic est integer Naucleri locus; quem sicut Bellarminus *de transl. Imp. l. 3. c. 4.* merito queritur, non fuisse Germana fide ab Illyrico integrum productum, sed mutilum, ita neq; ipse Bellarminus satis Romana fide defectum Illyrici suppleuit: nam & ipse alia verba prætermisit, & sub suo, (&c.) astute tacita, conclusit: nimirum, *& quod ordinauerit cum procerum Germaniæ consensu, &c.*] Atque, quod pejus est, illa ipsa verba, quæ suppleuit, non satis fideliter adduxit. Quod enim ait Nauclerus, Gregorium retulisse sanctionem, &c. ipse posuit, Gregorium sanctionem tulisse. Certè meus codex habet verbum, *retulisse*, & non *tulisse*, hoc est, sanctionem iam ab Othone factam cæteris Principibus retulisse, & habito eorum consensu illud ei etiam addidisse, vt sine benedictione & coronatione Romani Pontificis, electus in Romanorum Regem & Cæsarem, nomen & titulum Imperatoris atq; Augusti non assumeret. Itaq; soli Papæ, ex hoc Autore, nullo modo sanctio hæc, sed multo plus Othoni, & sua in parte etiam Pontifici est tribuenda.

XL. Audiamus iterum Nicolaum Cusanũ Cardinalem *de concord. cath. l. 3. c. 4.* Vnde electores, *inquit*, qui communi consensu omnium Alemanorum, & aliorum, qui Imperio subiecti erant, tempore secundi Henrici constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui sibi naturali iure Imperatorem constituere poterant: non ab ipso Romano Pontifice: in cuius potestate nõ est, dare cuicunq; Prouinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem, ipsa non consentiente.] Item: Concurrebat, *inquit*, ad hoc consensus ipsius Gregorij Quinti, tanquam vnius Pontificis Romani, qui iuxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habet, rectè: sicut in Concilijs Vniuersalibus concurrit in primo gradu autoritas ipsius, per consensum cum alijs omnibus ipsum Concilium celebrantibus; vigor nihilominus definitionis, non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius & aliorum consensu dependet.] Et infrà: Ita quod puto in veritate, consensum Romani Pontificis à principio interuenisse, dum isti Electores constituerentur. Vnde ipsi communi fungentes Legatione omnium, qui Imperio subsunt, etiam totius Sacerdotij, & Romani Põtificis, eligunt.] Hæc omnia Cusanus. Quem tamen Bellarminus *de transl. Imp. l. 3. c. 4.* ipse hallucinatus, dicit hallucinari; inopiaque illum excusat historicorum. Quid vero ait de historicis? non ne potiores & meliores, quos iam produximus, hanc in electionibus mutationem cum Imperatoris & procerum consensu factam perhibent? quis contrarium asserit? & si aliquis Gregorium, aut Sedem Apostolicam facit autorem, nunquid asserit, solum Gregorium absque vllo Imperatoris aut Principum consensu hoc sanxisse? Habuit ergo Cusanus & historicos sibi fauentes plures, & nullum contrarium: & vt Theologus, vltra nudam historiam; validissimæ innixus est rationi: de iure enim naturæ, vt ego suprà innuebam; electio spectat ad populum totum, aut saltem ad omnes Primates: & si interdum numerus plurimorum electorum, ad vitandas confusiones, & schismata, est ad pauciores contrahendus, quis habet autoritatem priuandi illos plures, & naturali potestate spoliandi? Nisi igitur illi ipsi consentiant, & sua suffragia, suamque potestatem in aliquos paucos transferant, qui omnium nomine eligant, contractio hæc, sine graui injuria, nullo modo fieri poterit. Illi enim omnes intelliguntur virtute & tacitè, vt iam explicaui, etiam sine comitijs, aut conuentu, in illos paucos compromittere: & illi septem, non sua sola & ipsorum propria autoritate eligunt: sed

omnium

omnium prorsus iam Ecclesiasticorum, quam laicorum nomine, quotcunque in electione de iure aut consuetudine partem habebant: & quia Papa vnus est, & præcipuus ex electoribus, non ratione Papatus, vt dixi, sed quia est membrum principale totius Romani corporis ciuilis, vnusq; ex Principibus, & Vasallis Imperij propter Regalia, & expresse consensit pro parte sua in septem Electores, iam etiam ipse suam potestatem electiuam in eos transtulit per compromissum, non singulare & temporaneum, sed vniuersale & perpetuum, cum cæteris: & quia, si absque hoc virtuali compromisso fieret electio, & Principes reliqui in aliquem consentirent; solus verò Papa dissentiret, nihilominus electio Principum vinceret: ita facto compromisso optimè dicit Cusanus, radicaliter Electores vim habere à communi omnium consensu, & non à solo Romano Pontifice, qui inter Electores innumerabiles, qui compromiserunt, non est nisi vnus. Sicut decreta Conciliorum sunt à toto Concilio, & non à solo Præside, nisi tanquam ab vno. Et vbi est communitas, vnus quantumlibet primus in communitate, pro tota communitate non potest compromittere, nisi ex ipsius totius communitatis consensu tacito, vel expresso; ita neque solus Papa, neque solus Imperator, neque vterque simul, possunt sine tacito, vel expresso reliquorum Electorum consensu, in pauciores compromittere.

XLI. Atque hinc factum est, vt constitutio ipsa diu suo pleno vsu caruerit. Quia Principes, vt etiam superius dicebam, cum nollent omnino iuri suo cedere, permiserunt tantum, vt septem Electores personam duntaxat proponerent in publico conuentu Principum, ipsi tamen ipsorum consensu propositam personam à septem Electoribus, vel maiori eorū parte, firmarent. Quod in Friderico priori vidimus manifestè: is enim se dicit à Moguntino primo nominatum, & deinde ab alijs ordine: & hoc Francofurti, vt ait Frisingensis; ipse tamen Frisingensis asserit, ab omnibus electum Principibus Imperij in maximo conuentu. Et licet vt Francofurti fieret Imperialis Electio, eadem constitutione sancitum fuit, qua septem instituti sunt Electores, vt vidimus ex Nauclero. Atque hinc facile soluimus graues obiectiones Onuphrij, vt post Gregorium Quintum, septem Electores semper personam eligendam proposuerint: Omnes tamen Principes seu maior eorum pars, electionem perficerent in propositam ab Electoribus personam consentiendo. Sed tandem post Fridericum Secundum, plenam per iam dictum compromissum, & totalem atque absolutam electionem ipsis solis septem reliquerunt Electoribus, iuxta primæuam eiusdem constitutionis sanctionem. Confirmo, quæ dico, ex eo etiam, quod supra vidimus de Gregorio Nono: cur enim ad omnes confugit Principes pro electione noui Imperatoris, & abrogatione Friderici; si soli septem peragere deberent electionem: an hoc ille ignorabat? sed quia vsus adhuc vigebat, vt omnes Principes electionem perficerent, Electores verò tantum proponerent; vsus verò nouus iam inducebatur, vt soli septem electionem absoluerent. Et Principum responsum, vt electores ad hoc requirerentur, supponit, electores fuisse iam pridem, & non adeo nuper institutos, vt eorū institutio Papam lateret. Nunc soluamus obiectiones.

XLII. Obijciunt primo Autoritatem Innocentij Tertij, *Ext. de elect. c. Venerabilem.* cuius verba sunt; Verùm illis Principibus ius & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus vt debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere: Præsertim cùm ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos.] Testis tamen in propria causa est suspectus. Sed neque nobis aduersatur: ait enim de iure & consuetudine electionem spectare ad Principes Germaniæ; & non loquitur de illis septem Electoribus, qui nondum soli electiones peragebant, vt est demonstratum; sed ex sola, falsa tamen, suppositione translationis Imperij factæ per sedem Apostolicam in Carolum, ius & consuetudinem electionum in Germanos Principes etiam consequenter sentit transijsse. Soli enim Romani Proceres, cum populo, ius habebant deligendi Imperatorem: facto autē Carolo Imperatore Germano seu Franco, (Franci n. etiam Germaniam incolebant) vult simul per necessariam consequentiam ius electionis etiam ad Francos, seu Germanos Principes deuenisse. Quod mihi videtur esse inexplicabile. Quando enim Romani elegerunt sibi in Imperatorem Seuerum Africanum, Heliogabalum Syrum, Maximum Thracem, Philippum Arabem, Decium Pannonium, Claudium Iuniorē Illyrium, Diocletianū Dalmatam, Theodosiū Hispanū, & sic de alijs, nunquid propterea in illas nationes ius electionis transferebatur? Addo Innocentium sibi ipsi præiudicium creare, & suam propriam non agnoscere autoritatem; dum potestatem totam eligendi Regem ita concedit esse in Germaniæ Principibus, vt tamen in ipso Pontifice, ipsiusve Legatis illam non esse fateatur: & tamen iam & ratione, & vsu ostendimus, Papam habuisse in electionibus Imperatorum suum etiam, & primum suffragium, donec post obitum alterius Friderici soli septem Electores electiones absoluerent. Quid ergo sibi velit Innocentius, videant alij: ego nil moror: mihi non officit.

XLIII. Et si Innocentij dictum defendi non potest, quomodo defendetur id, quod Innocētij sensum secutus, quidam Iordanus asseruit? *Apud Bellar. de transl. Imp. l. 3. c. 3.* nimirum, Carolus Magnus Imperator, de consensu & mandato Romani Pontificis, ordinationē sibi diuinitus inspiratam instituit, & præcepit, vt Imperium Romanorum apud electionem canonicā Principum Germanorum in perpetuum remaneret.] Sunt hæ nugæ aniles: neq; enim Papa, in Carolo eligendo & coronando, dicat qui vult, etiam faciendo & creando, quicquam de electione disposuit; sed electio mansit penes ipsum Papam cum suis Romanis, vt iam ostendi. Quomodo ergo dices, & quando Principes Franci, & Germani, etiam ipsi Romanis electoribus sese immiscuerunt? Respondeo id propterea factū, quia Romani nō amplius Imperium, sed nudum Imperatoris nomē poterant Imperatori conferre: Imperium verò, hoc est, regna & ditiones, quia Franci & Germani ipsi Imperatori contulerunt, in quibus Regnis & ditionibus iam ab Imperio auulsis, & iure belli legitimè occupatis, ex iure naturali optimates ipsorum potestatē habebant eligendi, ea neq; potuerunt, neq; debuerunt priuari: suum enim Regem, post adeptū Romanorum electione Imperium, voluerunt iuxta perpetuam, vt dicebat supra Otho Frisingensis, *de gest. Frid. l. 2. c. 1.* Imperij prærogatiuā, esse non amplius successiuū, sed electiuum, & hoc Germani seruant adhuc: Franci verò Occidentales, cum primum Saxones ad Imperiū fuerunt euecti, paulatim se ab Imperio separarunt, & peculiare, vt prius ante Carolum Magnum, regnum esse voluerunt, ab Imperatore independens, & successiuum. Quod si Papa in Carolum etiam potestatem electionū transtulisset, vt vult Innocentius, & eā transferre potuisset, argumentum mihi videtur insolubile,

nin

non potuisse postea amplius Papam eandem electionem ad solos septem reducere electores. Quo Bellarminus conuictus cogitur assentiri: Id Papam potuisse præsente Imperatore, Germanisque Principibus consentientibus, *de transl. Imp. l. 3. c. 4.* Quod nihil aliud est nisi quod nos volumus, Papam simul cum illis id fecisse. Quamuis ne hoc quidem sit integrum eis dicere, qui cum Innocentio fateantur, Papam in Carolum etiam totam potestatem eligendi transtulisse. Iam enim, cum eam à se abdicarit, nihil potest. Hæc enim potestas, vt docui, non est Ecclesiastica, & spiritualis; sed tota merè temporalis. Papa enim, illa etiam à se abdicata, integrè manet Papa, cum tota sua potestate spirituali.

XLIV. Obijciunt secundo dictum Concilij Viennensis, quod tale est: Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes ius & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum peruenit.] *Clem. Romani Principes, de iureiur.* Respondeo: Non quicquid legitur in Concilijs, est Decretum Concilij, nisi illud ipsum, conciliariter examinandum fuerit propositum, discussum, & ex professo definitum. Hoc verò non nisi narrando fuit dictum: pendet ergo totum à veritate historica; & de hac iam satis diximus. Neque nim alio sensu Romana Ecclesia aut transtulit Imperium, aut Septemuiros instituit, nisi consultiue, adhortatiue, impulsiue, & suo suffragio temporali simul cum alijs concurrens. Eadem sit responsio ad autoritatem Aquinatis, *de regim. Princ. l. 3. cap. 19.* seu quis sit, & Aluari Pelagij *de Plan. Eccl. l. 1. art. 41.* quorum prior ait à Gregorio V. prouisum super electoribus: alter verò electionem hanc dicit perseueraturam, quantum Ecclesia Romana permiserit.] Quòd si nollint hi duo autores nostræ subijci interpretationi: valeant, per inane voluent, & soli aërem verberent: sunt enim Hieromonarchici; vnde & vterque addit, tantum duraturum hunc electionis modum, quantum Ecclesia Romana expediens iudicauerit, & permiserit: quæ supremum gradum in Principatu tenet; & cuius est Regna transferre.] Nos verò hoc ipsum tota huius capitis disputatione negamus, & potestatem electiuam in solo Papa non esse abundè probauimus: & eam à se semel abdicatam recuperare non potest; nisi aliquo casu Imperium vacuum ad Romanam Ciuitatem deuoluatur, vt sub Magno Carolo deuolutum fuisse ostendimus.

XLV. Obijciunt tertio testem domesticum, intra munitionem Castri S. Angeli, seu molis Adrianæ latentem: hoc est, instrumentum quoddam Principum Germanorum, cuius exordium tale est: Nos Principes Imperij vniuersis præsentem paginam inspecturis: Complectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesia, quadam quasi Germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen, temporaliter tantū præsidentium super terram; Plantans in ea Principes, tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ autoritate suffulti, velut Germen electum, per ipsorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperij, germinarent, &c.] Datum anno Domini 1279. Indictione 7. regnante Domino nostro prædicto D. Rodulpho Romanorum Rege glorioso, Regni eius anno sexto. *Apud Bellar. de transl. Imp. l. 3. c. 3.*] Ecce fatentur, *inquiunt*, ipsi Principes Germani ab Ecclesia Romana in Germanos & Imperium, & potestatem eligendi peruenisse. Respondeo illos eo respexisse, quod præcipua Romanorum Pontificum opera, suasu, impulsu, atque suffragio, & Imperium & electio transierint ad Germanos. Aut si falsa aliqua opinione ex obscuris historijs imbuti & ipsi falluntur, vel Pontifici Romano abblandiri voluerint, quid ad nos? Scriptum est instrumentum sub Rodulpho primo, qui primus etiam à septem illis Electoribus fuit plenè electus, post obitum Friderici Secundi. Cumque illa prima esset ab illis Septemuiris facta plena electio, ex veteri tamen & incerta institutione, sub nomine fortasse solius Gregorij V. euulgata, mirum non est, si à Romana Ecclesia se hanc habuisse potestatem, fortasse etiam nonnihil assentando, fateantur.

XLVI. Videant tamen nostri Hieromonarchici conculcatores Imperij, ne dum latens proferunt Instrumentum, sperantes ex eo Monarchiam Romanam confirmandam, eandem reddant imbecilliorem. Principes enim hi Germaniæ corroborant hoc Instrumento & confirmant Papæ Nicolao III. terras Ecclesiæ Romanæ, quas nuper habuerat à Rodulpho: nimirum, vt quicquid per dictum Rodulphum ipsi Nicolao & successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, de nouo donatum, declaratum, siue concessum, iuratum, & actū, seu factum fuerat per priuilegia. Nos, *inquiunt*, nostri nomine *Principatus*, in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, & voluntatem nostram, assensum, atque consensum vnanimiter atque concorditer exhibemus, & promittimus, quod contra præmissa —non veniemus; sed omnia procurabimus obseruari.] Omnium verò terrarum catalogum iam posuerat specialem. Ex qua approbatione videtur primum posse colligi, donationes temporalium factas Ecclesiæ ab Imperatoribus non esse stabiles & firmas, nisi à singulis Imperatoribus confirmentur. Deinde donationes Imperiales, si à *Principibus* Imperij non confirmentur, ratas & firmas non præsumi: tum verò etiam ista temporalia esse verè & propriè regalia Imperij, propter quæ *Papa* sit Imperatoris vasallus, ei subditus, & obligatus, non minus, quàm alij Imperij feudatarij. Sed his nolo nunc insistere, nec vrgere. Et mihi iam satis sit neque Imperij translationem, neque Septemvirum institutionem fuisse opus Romanæ sedis: ac præsertim opus, quod ex potestate spirituali indirectè potuerit proficisci. Atque hic mihi iam huius libri finis esset; nisi me ad Siculæ Monarchiam, quæ hactenus in hoc libro dilatui, traherent, imò vi quodammodo raperent, cogerentque, vt per modum fermè corollarij ex iam à me dictis & probatis, Baronianas machinas, quibus ille eam quatit, totas euerterem, destruerem, & reducerem in fauillas. Vt hine potissimè tanto melius *Principum* omnium Christianorum potestas in rebus Ecclesiasticis confirmetur.

CAPVT XII.

Monarchiam Siculam à Baronio male & immerito oppugnari.

Svmma Capitis.

Quia fundamentum Monarchia Sicula censetur diploma Vrbani 2. diploma à calumniis Baronianis vindicatur, à num. 1. ad nu. 25.

Potestates omnes, quas videtur dictum diploma concedere, reducuntur ad ius naturale omnium Principum Christianorum ordinarium, nu. 26. 27. 28. 29.

Monarchia hæc non est reducenda ad concessionem Antipapæ Anacleti, nu. 30. 31. 32. 33.

Cessiones Willelmi & Friderici Regum Siciliæ nullæ sunt, à n. 34. ad nu. 42.

Nulli veri abusus Monarchiam hanc consequuntur, num. 43. 44. 45.

Legitima ſucceſſio à Friderico I. vſque ad Manfredum incluſiue, defenditur, abſque deuolutione Regni ad Sedem Apoſtolicam, à nu. 46. *ad* nu. 58.

Petri Arragonenſis ſucceſſio defenditur: Siciliam non eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ probatur, & Andegauenſium intruſio reprobatur, à nu. 59. *ad* nu. 72.

Filum Monarchiæ per duos Fridericos non eſt interruptum, à n. 73. *ad* nu. 80.

Ex inueſtituris Pontificiis conceſſis Alfonſo Arragonenſi, & ſucceſſoribus, non tollitur Monarchia, à n. 81. *ad* nu. 90. *Sicut neque ex vſu rerum, & exemplis*, nu. 91. 92. *Neque ex tabulario Camerali*, nu. 93.

Declamationes Baronij contra diploma Vrbani refelluntur, & diplomatum neceſſitas pro Monarchia aufertur, nu. 94. 95. 96. 97. *Licet aliquis vſus diplomatis Vrbani in Sicilia ponatur*, nu. 98. 99.

Talia diplomata à Papis non poſſe legitime fieri male contendit Baronius, nu. 100. 101. 102.

Epilogus Baronij epilogo contrario excipitur, nu. 103.

I. AD confirmandam vſu aliquo, & praxi Regum Catholicorum, poteſtatē illā, quam ego *c. præſertim 5. huius ſexti lib.* Chriſtianis Principibus tribui in externo etiam Eccleſiarum rerumque ſpiritualium regimine, potuit mihi (quod & interdum innui) Siculis illa, quæ vocatur, Monarchia plurimum inſeruire. Quia tamen eam Baronius acriter impugnauit, & totam conatus eſt demoliri: auſus non ſum tam apertè inde exempla petere, vbi tot Principes ac ſanè religioſiſſimos, & demum ipſos Catholicos Reges Siciliæ Dominus, omnes vſurpationis reos conatur ipſe Baronius condemnare. Nunc igitur, ſicut antiquos Imperatores piiſſimos Theodoſium, & Iuſtinianum, quos multis calumnijs idem Baronius nimium liberè eſt inſectatus, ab ipſius loquacitate mihi liberandos eſſe cenſui *cap. 9. huius libri*, ita Reges Catholicos, hac in parte innocentes, & naturale Regum omnium Chriſtianorum ius retinentes, ab inani eiuſdem Baronij impoſitione vindicare ſtatui; vt ex ipſa rerum Eccleſiaſticarum in Siciliæ Regno per Regem gubernatione, tanquam legitima praxi ea tutius confirmem, quæ in hoc genere hactenus diſputaui. Iamdiu etenim Principes Inſulæ Siciliæ Domini, præter ciuile regimen, in Eccleſiaſticis quoque magnam exercent autoritatem, & ideo Monarchiam vocant, quia vnicus eſt in eo regno vtriuſque fori ſupremus Rector & Gubernator. & Princeps Laicus Legati etiam Apoſtolici & munera obit, & poteſtatem exercet in Eccleſiaſticis. Hanc Monarchiam, reſpectu rerum Eccleſiaſticarum ſibi ſumpſit Baronius longo tractatu impugnandam, *tom. XI. ad an. 1097. num. 14. & ſeqq.* Serio itaque admodum ſe aggredi tractationem de male inſtituta Monarchia Siciliæ profitetur. Ideoque tractatus ille ſatis amplus in iuſtum penè excreuit librum; qui ſane tractatus ſi mihi ſeorſim fuiſſet & diſcutiendus, & refellendus, non digredi parumper, ſed plenum volumen conſcribere debuiſſem. Nunc verò quoniam iam & fundamenta omnia huius tractationis ſunt à me iacta, fuſe probata, ac confirmata: & materia fermè tota huius ædificij præparata eſt in ijs, quæ hactenus, ac præſertim in hoc ſexto libro diſputaui: idcirco agam paucis, & breui rem totam expediam. Satis enim erit eam doctrinam innuere tantum, & indicare, quæ Siciliæ Monarchiam optimè confirmat: ſolutionibus tamen argumentorum, ſeu difficultatum, quas opponit Baronius, tantiſper immorabimur.

II. Totius huius diſputationis, imo diſſenſionis, fundamentum ac lapis angularis, ſeu potius petra ſcandali, cenſetur à Baronio eſſe Vrbani Secundi diploma Rogerio Comiti, & hæredibus eius conceſſum Salerni, vbi iidem Papa, & Comes ſimul conuenerant. Diploma porrò, vt circumfertur, ita habet: *ibid. num.* 18. Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam ſupernæ Maieſtatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Saracenorum finibus Eccleſiam Dei plurimum dilatauit, & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ deuotam ſe multimodis ſemper exhibuit; Nos in ſpecialem atque cariſſimum filium eiuſdem Vniuerſalis Eccleſiæ te aſſumpſimus: idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimum confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum autoritate firmamus: quòd omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus: Quinimo quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam, Legati vice, cohiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro mitteremus, ad ſalutem ſanctarum Eccleſiarum, quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt, ad honorem B. Petri, ſanctæque eius Apoſtolicæ Sedis, cui deuotè hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenuè & fideliter adiuuiſti. Si verò celebrabitur Concilium, & tibi mandauero, quatenus Epiſcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quos, & quot volueris mittes: alios verò ad ſeruitium Eccleſiarum tuarum retineas. Omnipotens Devs actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te à peccatis abſolutum, in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi; tertio nonas Iulij, Indictionis 7. anno Pontificatus noſtri XI.

III. Huic primum diplomati fidem derogare conatur Baronius *ibid. num.* 16. pluribus de cauſis, fictionisque ac impoſturæ ſuſpectum reddere, quòd diutiſſimè latuerit, & non niſi ſub Ferdinando Catholico, opera Ioannis Lucæ Barberij, ſimul cum pluribus alijs in vnum volumen collectis, primum in lucem prodierit; decreto tamen eiuſdem Regis Ferdinandi fides illi collectioni derogata fuerit, niſi ex autographo ſingula comprobarentur: autographum verò huius diplomatis non appareat. 2. Quòd in altercationibus, quæ ſæpe poſtea contigerunt in eo Regno, de iuribus Eccleſiæ & Regum, nunquam à Regibus fuerit exhibitum; plurimis tamen, vt id facerent, occaſionibus exigentibus *ibid. nu.* 17. 3. Quòd tempus dati diplomatis in eo poſitum non congruat, ſed conſtet eo tempore Vrbanum Romæ, non Salerni fuiſſe, *ibid. num.* 20. 4. Quòd probabile non ſit, Vrbanum, feruentiſſimum iurium Eccleſiaſticorum defenſorem, eorundem iurium fuiſſe adeo prodigum, qui in vindicandis ijs ab vſurpatione laicorum, nulli Pontificum experiatur fuiſſe ſecundus *ibid. num.* 29. 30. 31.] Hæc obijcit Baronius.

IV. Si ille in hoc firmus perſiſteret, ac diplomatis mordicus aſtrueret falſitatem, exactiores etiam ipſe pro illius fide tuenda inſtituerem reſponſiones: Parcius tamen ago, quia tandem diploma admittit, licet correctius & plenius, vt infrà apparebit. Imò & verè à Pontifice Vrbano datum Salerni ipſemet probat ex Gaufredo monacho illius temporis ſcriptore, nuper reperto, & in publicum emiſſo *ibid. num.* 32. qui licet ipſum diploma non exſcribat, quale verbis Pontificis fuit expreſſum; ipſius tamen argumentum & omnium conceſſionum capita diligenter eſt perſecutus *ibid. n.* 33. Eius porrò verba ſunt, dum narrat congreſſum Salernitanum inter Papam & Comitem:

Sed

Sed quia, *inquit*, ipse Apostolicus, iamdudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, Legatum in Sicilia ad exequendum ius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem grauiter ferre, & nullo modo vt stabile permaneat assentire; cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotijs Ecclesiasticis exequendis zelo diuini ardoris exferuescere, cassato quod de Episcopo Trainensi fecerat, legationem B. Petri super Comitem per totam Siciliam vel habendam hæreditaliter ponit, ea discretione, vt dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis hæredum suorum zeli paterni Ecclesiastici executor superstes fuerit, Legatus alius à Romana Sede ipsis inuitis nullus superponatur. Sed si qua Romanæ Ecclesiæ iuris exequenda fuerint, Chartularijs à Romana Sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum eorundem Prouinciarum authenticè definiatur. Quod si Episcopi ad Concilium inuitati fuerint, quot & quos ipsi Comiti, vel suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant: nisi fortè de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit in Sicilia vel Calabria, in præsentia sua authenticè definire nequiuerit.] Hæc Gaufridus *lib.* 4. *cap.* 29.

V. Cum igitur nihil sit in dicto diplomate, quod Gaufridus hic non referat, planum relinquitur diploma hoc ipsum esse, cuius tenorem his verbis expressit Gaufredus. De mutilatione verò agam inferiùs: corrigi ergo potest, sed negari non debet neque potest, neque totum imposturæ insimulari. Quod diu latuerit non est insolitum: sed neque absolute latere dicuntur munimenta scripta, ac monumenta etiamsi in vulgus typis excusa non edantur, sed in archiuis eorum, quorum interest, bona fide conseruentur, possunt etiam autographa sæpissime vel incendijs, vel bellis & direptionibus, vel dolosis furtis, vel carie, & putredine, vel similibus causis interire, & in exemplaribus tantum, & transumptis conseruari: quæ exempla sæpissime in eorum manibus reperiuntur, quorum nihil interfit ea habere, quæque casu, & fortuito, vel aliqua occasione in eorum archiua sint illapsa; sed nihil melius autographa deperdita in exemplaribus qualibuscunque confirmat, quam vsus diuturnitate temporis confirmatus.

VI. Hoc verò priuilegio si suis opportunitatibus non fuisse vsos Reges priores quis dicat, an verò propterea id negabitur, quia historici de ipsius vsu nihil affirmant? quis nescit argumenta à negatione ducta nihil conficere? Addo si occultatum, aut corruptum, aut alias deperditum fuit autographum, eo vti illos non potuisse. Imo & sæpe in archiuis latent multa, quorum, quia necessitas non vrget, perit sæpe memoria: occasione vero litis nouæ suscitatæ, quæ initio litis non suppetebant, addita ex necessitate diligentia, vt mihi in causis meæ Ecclesiæ sæpius contigit, quæ latebant scripta tandem prodeunt; vt fortasse huic diplomati contigit, de quo diu fuit silentium, quia diu pacifice illius effectu, & beneficio fruebantur Reges: postquam vero Pontifices eos turbare cœperunt, occasio fuit, vt, post diuturnas latebras, ipsum diploma prodiret in lucem.

VII. De temporis errore fatetur etiam Baronius, ex librariorum negligentia ipsum irrepere potuisse: imo etiam irrepsisse necessario fatendum est. An vero probabile sit, vel improbabile, Vrbanum talia concessisse, prudens Lector poterit statuere ex ijs, quæ nos in præcedentibus *supra c.* 7. *nu.* 113. *& seqq.* de Vrbano & ipsius successoribus Paschali, & Callisto, tradidimus; nimirum eos & sensisse pro Regibus aduersus temerarios Gregorij Septimi conatus; & illæsam potestatem circa Ecclesiastica externa, ac integram Regibus seruare voluisse: aut saltem ita negotium moderatos, vt, salua Ecclesiæ pace, Reges sua iura, cum aliqua modestia, retinerent. Et ego inferius ostendam, in eo potissimum Vrbanum laborasse, vt potestas Ecclesiastica ipsius Ecclesiæ propria, hoc est, circa spiritualia, laicis eriperetur; & in Ecclesia sola conseruaretur; in alijs non adeo laborarunt prisci Papæ, imo neque laborare debuerunt. Ex hoc vero diplomate, vt ostendam in sequentibus, nihil spiritualis & Ecclesiasticæ propriæ potestatis laicis conceditur; neque laici ex eo, vt puto, sibi quicquam talis arrogant potestatis. Iam igitur consentimus, hoc diploma non esse fictitium; neque meram imposturam; sed ab Vrbano re vera datum, saltem in eo sensu & integritate, in qua illud Gaufredus retulit, & intellexit.

VIII. Nomen tamen hoc Monarchiæ nostro bono seni Annalistæ nauseam commouet. Scilicet, sed contra eum illud Apostoli *Rom.* 2.1. optimè quadrat: In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas: & qui alium doces, te ipsum nō doces: qui prædicas non furandum, furaris.] Exhorruit semper, *inquit, ibid. Baron. n.* 23.24. Catholica Ecclesia, assueta seruare quod antiquitus traditum, voces nouas; deuitans profanas vocum nouitates 1. *Tim.* 6.] statimque subiungit: Si vna est consensu fidelium omnium in Ecclesia à tempore Euangelij promulgata monarchia, nec alteram superinduci ab illa, quæ Christi ore noscitur stabilita, ad Petrum tantum, non ad alium quemquam Apostolorum ista dicentis, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, *Matth.* 16.18 & ad eundem post resurrectionem, *Pasce agnos meos, pasce oues meas, Io.* 21.15. vnquam passi sunt orthodoxi; Quomodo hodie infaustum nomen vox infelix, altera auditur in Ecclesia monarchia?] Sciat tamen Baronius, infaustum hoc nomen monarchiæ, & vocem in Ecclesia CHRISTI prorsus infelicem, nunquam olim in ea fuisse auditum; ipse tamen (& passim cæteri Hieromonarchici) profanam vocis nouitatem etiam nunc induxit, dum ait, Romanam Monarchiam in Ecclesia à tempore Euangelij consensu omnium fidelium fuisse promulgatam. Vbi nam vero nomen hoc monarchiæ reperit in Ecclesia olim vsurpatum? re ipsa, inquiet, monarchia promulgatur, dum solus Petrus Ecclesiæ præficitur.] Atqui tu nomen & vocem hanc monarchiæ reprehendis in Siculis scriptoribus, tanquam indebitum, & inusitatum: Cur vero tu Monarchiæ nomine vteris, in significanda Petri potestate, quæ re vera monarchica non fuit, vt fuse docui libris 1. & 4. laicis vero Regibus, qui re vera monarchæ sunt in suo Regno, nomen monarchiæ, vbi suum proprium habet locum, non permittis? Et si tu monarchiæ nomine vteris, vbi tibi videtur adesse ipsa monarchia; cur vetas Siculos nomine eodem vti, vbi illi censent rem eandem adesse? Imo in Ecclesia monarchiam inter homines mortales nullam esse iam reddidi libris præcedentibus manifestissimum; & si Petro dictum est à CHRISTO, *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Et, *pasce oues meas*; *Ioan.* 20. 21. Reliquis etiam Apostolis dictum est, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: &, *Euntes docete omnes gentes*, *Matth.* 28.19. quod est pascere oues, & ædificare Ecclesiam: Rex vero Siciliæ optimo iure adiecta potestati ordinariæ regali etiam potestate actuali externa Ecclesiastica, monarcha in Siciliæ toto regno vocari potest: nam in alijs Regnis duæ sunt ordinariæ potestates, altera Ecclesiastica, altera laica: in Sicilia vero si prætenditur Ecclesiastica vnita laicæ in vnica persona,

propter

propter hanc duarum potestatum vnionem, monarchia appellatur. Errabundus tamen per deuia Baronius incedit, dum monarchiæ suæ nomine putat Siculos significare solam perfectam & absolutam Ecclesiasticam potestatem. Detur igitur ei in vno Romano Pontifice monarchia Ecclesiastica super totam Ecclesiam; adhuc Rex Siculus erit in suo Regno monarcha, non super totam Ecclesiam totius mundi; sed quia vnicus est, qui & laicam & Ecclesiasticam externam exerceat potestatem. Quo sensu etiam Papa monarcha est in statu Ecclesiastico, quia in eo solus vtramque habet potestatem, & spiritualem, & temporalem; extra statum vero Ecclesiæ in hoc sensu monarcha non est, vt quisque facile concedet. Sed mittamus ineptias nominales, ad rem ipsam accedamus.

IX. Esto, *inquit Baron. ibid. numero 25. 26.* concesserit ista Rogerio, eiusque filijs Vrbanus Papa, nunquid hæredibus cunctis, & successoribus omnibus esse concessa affirmare poteritis? nullo modo: diploma enim habet, Omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit. Habebat enim, *inquit*, duos filios Rogerius, Simonem & Rogerium: Papa ergo expressit ipsum Rogerium Patrem, & duos filios: nam alter dicitur de duobus. Noluit ergo illos duos filios vel Simonem, vel alterum, si hæreditatem paternam habuerit, priuilegium excedere: iam ergo extinctum est: tanto magis, quòd hæredes Rogerij iamdiu omnino defecerunt.] Huic grammaticali considerationi facile est occurrere. Cum enim in priuilegio non nominetur ille alter, profectò vox hæc, *alter*, vt sæpe solet penes notarios & tabelliones; alium quemcunque significat: & quis scit, Rogerium duos tantum filios tunc habuisse? Quid si interim alios etiam liberos procrearet, & illi duo Simon, ac Rogerius morerentur, alius verò ex nascituris filijs Rogerio Patri succederet? Itane ligatur priuilegium ad illos duos; vt tertius aut alius Patri succedens priuilegij beneficio non sit gauisurus? Nomen igitur hæredis legitimi, significat vel Simonem, vel alium quemcunque legitimum hæredem & successorem. Priuilegia verò in ambiguis esse amplianda, & pœnas restringendas, docent omnes Academiæ Iuristarum. [*c. Odia. de regul. iur. in 6.*] Sed quis melius explicabit sensum illorum verborum [*vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit*] quàm Gaufredus ille, qui illi congressui præsens adesse potuit; [*Baron tom. 11. anno 1097. num. 9.*] & consequenter intelligere ipso auditu ex ore Pontificis, quæ mens fuerit ipsius, quo ad hujus concessionis extensionem? ipsum consulamus: Legationem, *inquit*, B. Petri super Comitem, per totam Siciliam, vel habendam hæreditaliter ponit.] Hoc est, vt etiam ad hæredes & successores transeat. Ea, *inquit*, discretione, vt, dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis hæredum suorum.] Et postea: Quod si, *inquit*, Episcopi ad Concilium inuitati fuerint, quot & quos ipsi Comiti, vel suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant.] Vides Gaufredum non descendere ad speciales duos filios, sed terminis vti generalibus, vt hæreditaliter habeatur; dum Comes vixerit, vel aliquis suorum hæredum: & quod visum fuerit suis futuris hæredibus; quæ generalitas includit omnes: quod verò priuilegia ex sua natura perpetua non solos includant hæredes per continuatam generationem prodeuntes, sed etiam alios quoscunque, qui hæreditatem adeant per quamcunque successionem, iam est notissimum; neque mihi nunc vacat Iuristarum allegationes multiplicare.

X. Opponit deinde acutus noster Baronius, *tom. 11. anno 1097. num. 28.* per verba diplomatis Comitem non fieri Legatum à latere; sed ei vices tantum Legati concedi, & in his tantum cohibendis, quæ per Legatum Apostolicæ sedis cohibenda forent. Alijs namque, *inquit*, formulis, ijsdemque plenioribus, atque adeo specificis consueuisse concedi ab ipsis Romanis Pontificibus legationes à latere, nemo ignorat, qui eiusmodi lectionibus assueuit.] Nemo certè, qui Curiam Romanam frequentare assueuit, imò ne famulus quidem talium, sed neque ipse ignorat esse Legatos à latere ordinarios, & extraordinarios: illi habent suam potestatem ordinariam semper eandem, quæ iam trita est, & omnibus notissima. Et eo tempore si Regnum illud erat Apostolicæ Sedis feudum, vt supponitur, iam notum erat quænam negotia ad Legatum Romanæ Sedis ibi etiam temporalia pertinerent; & ad quid solerent Legati in Siciliam mitti: sicuti nunc notissima est potestas Legati Auinionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Romandiolæ, Marchiæ; &c.] Quæ cum sint legationes ordinariæ, ordinariam etiam habent potestatem. Extraordinarij tamen Legati specificas & singulares accipiunt commissiones, pro vt singulare negocium, pro quo mittuntur, requirit. Cum igitur alicui communicatur potestas tota Legati ordinarij à latere, etiamsi re vera non detur ei nomen hoc, Legati; neque mittatur verè à latere Pontificis: ille nihilominus tantundem potest; etiamsi vices tantum Legati habuerit, quantum potest verus & proprius Legatus. Hujusmodi sunt omnes Legati, qui dicuntur nati: vt fuerunt olim penè in singulis Regnis; nunc verò nescio an sint amplius: de quibus egi, *lib. 4. cap. vlt.*

XI. Hæ tamen Baronij oppositiones, sunt leues duntaxat ipsius velitationes, & eminus factæ jaculationes: iam cominus pugnantem, & manus conserentem inspiciamus. Sed qu d detineo, *inquit, ibid. num. 32.* vltrà lectorem, & non citò detego aduersantium malas artes; qui non, vt se habuit, ipsum verum germanum legitimum, in omnibus integrum ediderunt diploma; sed mutilatum, decurtatum, atque corruptum in omnibus, quibus jura Romanæ Ecclesiæ salua essent, exhibuerunt ipsum?] Hicque immensas Deo agit gratias, quod Gaufredi historia Sicula in lucem nuper prolata fuerit ab Hieronymo Surita: ex qua Gaufredi historia, exposcente ipso Rogerio Comite scripta, scelus grauissimum conatur prodere, imposturam detegere, dolum malum aperire. Ex ipso, ait, diplomate ablatæ sunt illæ partes quæ respondere debeant illis Gaufredi verbis: sed si qua Romanæ Ecclesiæ juris exequenda fuerint, chartulis, seu chartularijs, à Romana Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum earundem prouinciarum, authentice definiantur.] Et illis: Nisi fortè de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit in Sicilia vel Calabria, vt in præsentia sua authêtice definiri nequiuerit.]

XII. De prioribus illis verbis, Ista sunt, *inquit, ibid. num. 34. 35.* quæ manus audax, ad sacrilegium prompta, abstulit à recitato Papæ diplomate: quæ tanti noscuntur esse momenti, vt si ista restituantur in ipsum, nullũ penitus videas irrogatum damnum per eam concessionem priuilegij Rogerio factam, juribus Apostolicæ Sedis: cum sit his verbis illi integrum reseruatum, vt, cum opus esse judicauerit Papa, ministros suos in Siciliam mittat, causas vrgentes cognoscere: Qui & si ita placuerit ipsis, Episcopos ad Synodum congregent, quorum consilio ipsorum sententia expectetur. Talia igitur tantaque è diplomate subduxisse, quanti reatus fuerit, judicent omnes.] Hucusq; Baronius. Qui mox subdit, factis ipsis Romanam Sedem, post datum di-

ctum priuilegium, reseruationem hanc ad opus reduxisse, dum Paschalis proximus Vrbani successor, Apocrisarios misit in Siciliam ad exigenda Apostolicæ Sedis iura *c. Significasti, de elect.* Et concludit de his prioribus verbis: Habes ex his igitur & quod ex diplomate demptum fuerat, restitutum; & quod fuit in eo declaratum, eiusdem Vrbani Papæ successoris exemplo, vt nihil sit quod de his desiderari vlterius possit.]

XIII. De posterioribus autem verbis, sic innehitur: *Baron. ibid. nu. 36.* At non hic finis latrocinij, expilati diplomatis; aperiantur cætera, vt restituatur in integrum tantopere passa damnum veritas ipsa.] Et recitatis Gaufredi verbis; En quanta, *inquit*, ista, quæ dolosus artifex, in gratiam Principum abstulit; similis illi, de quo in Psalmo; *Sicut nouacula acuta fecisti dolum, Psal. 51. 4.* Abradens à diplomate, quæ sibi ad concinnandam quam moliretur fraudem, viderentur esse contraria. Qui enim visus est indulsisse Vrbanus Papa Rogerio, vt vocatos ad Concilium Episcopos, quos vellet, retineret, vel mitteret; cum superaddidit: Nisi fortè de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit; planè significauit quod ipsi esset liberum cum vellet, Siculos & Calabros Episcopos ad dicendam causam vocare ad Apostolicam sedem: cum videlicet, vt subdit, ipsorum causa in Sicilia, vel Calabria authentice in præsentia sua definiri nequiuerit. Nam quid est, quod ait, authenticè definiri non posse? nisi canonicè secundū leges Ecclesiasticas terminari? quæ prohibent Principes cognoscere & judicare causas Episcoporum: quibus quidem casibus, causæ Episcoporum quæ agitari authentice, vt ait, coram Principe sæculari, nō possunt, ad sedem Apostolicam sint deferendæ.] Hæc Baronius; qui & pergit declamare, aitque: En vides, Lector, quanta subtraxerit, & quanti momēti veterator (quisquis fuerit ille) quæ si in locum suum restituantur fient etiam integra, vnà cum diplomate, sedis Apostolicæ iura, & Vrbani Papæ laudanda prudentia erit, quod ita indulserit roganti Comiti, vt tamen voluerit Romanæ Ecclesiæ juribus in omnibus esse consultum. Quis ista considerans (*pergit idem ibid. 37. 38.*) non exclamet: O fraudem solemnem, Cornelia lege plectendam? quam non timuit, in quam peccauit mutilando, &c.] Et paulò pòst: Siccine bona fide res acta, vt ad monarchiam construendam oportuerit prius ita destruere Vrbani Papæ diploma, & ita ipsum reddere mutilatum? cum in promptu esset resarcire jacturam, & sublata fragmenta conjungere, ab eodem Gaufredo suppeditata, deque his monere lectorem: atque ita bene mereri de prodita veritate?] Inde verò denuò agit gratias Deo, quòd ex historia iam dicta Gaufredi integrum diploma appareat: Atque ita integritati suæ restitutum laudat, admittit, approbat, deosculatur: Quia ita indulget Principi, vt tamen juribus Sedis Apostolicæ non sit detractum. Cui simile priuilegium affert à Callisto Secundo, tertio Papa post hunc Vrbanum, Henrico Anglorum Regi concessum, Vt omnes consuetudines, quas Pater ipsius in Anglia & Northmannia habuerat, ei concederentur; & maximè, vt neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi Papa permitteret, si non ipse Rex, aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Episcopis Regni sui terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet. *Roger. in annal. Angl.*] Quibus, inquit Baronius, planè nihil derogatum scitur Apostolicæ Sedis juribus, quin majoribus exigentibus causis, ab Ecclesia Romana legationes in Angliam fuerint frequentatæ; eædemque decenti cultu à Regibus Anglorum exceptæ, pro vt declararunt euenta.] Ita demum hoc de mutilatione diplomatis cōcludit argumentum: *ibid. num. 39.* Iam igitur patefacta fraude; & ostenso ipso diplomate vitiato, adulterato, deprauato, atque corrupto; & quod, ita vt est editum, corruat penitus, & non subsistat; planè necesse est, vt ingens ista moles erectæ desuper monarchiæ magno fragore ruat, si res jure agitur, & non violentia.] Hic est Baronij totus pene de insigni, quam se putat consecutum, victoria, triumphus.

XIV. Mihi sanè in hac tam vehementi declamatione, & eximia lætitia, Baronius similis videtur puerulis illis, qui si inter rudera, & quisquilias, testulam offenderint lucidiorem, vel forte cupri, aut æris ramentum inuenerint, toti lætabundi ad matrem currunt, thesaurumque inuentum, aurum esse credentes, ostentant, ac inter preciosiora collocant crepundia. Diploma sane Vrbani, siue addas ei, quæ addi ex Gaufredo contendit Baronius; siue demas, & tale quale circumfertur relinquatur; eandem prorsus vim habere, neq; quicquam potestatis Regi Siculo addere si illa demas, neque auferre si addas facile ostendam. Si tamen prius monuero, ipsum diploma, si eo, quo post redintegrationem vult Baronius, sensu sumatur, vanissimum esse, ac prorsus puerile, indignumque vt à Papa concedatur, nisi dicamus eum magni nominis Principi illudere voluisse.

XV. In priuilegio Vrbani conceditur Comiti, Nullum Legatum in eius terras a Sede Apostolica mittendum, præter ipsius Comitis voluntatem, aut consilium, & successorum; sed ipsum Comitem vices Legati habiturum; & quæ cohibenda sint per Apostolicam Sedem, ea opera ipsius Comitis tanquam Legati vices gerentis cohibenda fore. Huic concessioni moderationem ex Gaufredo ita vult supplendam Baronius, vt tamen integrum reseruetur ipsi Apostolicæ Sedi, vt cum opus esse judicauerit, Papa ministros suos in Siciliam mittat. Itaq; quod concedebatur, statim destruitur & aufertur; ibi dicit Papa se non missurum Legatum, præter voluntatem, aut consilium Comitis; hic vero statim sibi reseruat vt possit semper, quoties vult, etiam sine voluntate & consilio Comitis, ministros suos in Siciliam mittere. Annon hæc puerilia? Dicet fortasse, ibi promittit, se Legatum non missurum; hic verò reseruat vt possit non Legatos, sed Chartularios, siue Apocrisarios mittere: ergo totum hoc priuilegium ad solum nomen Legati terminatur, vt mittantur quidem ministri, cum potestate quacunque etiam Legatorum, Legati tamen non vocentur. O ridiculum priuilegium. Dicet præterea, imò & dicit, ministros Papam pro necessitate tantum missurum, ad causas vrgentes duntaxat cognoscendas. Et quando, quæso, mittuntur Legati à latere sine prætensa causa vrgenti? & reseruatio est valde generalis; si qua, *inquit*, Romanæ Ecclesiæ juris exequenda fuerint.] Complectitur itaq; omnia negotia, quæ ad jus Romanæ Ecclesiæ possunt spectare. Quid ergo relinquit Comiti Vice-Legato? Certe nec rerum quicquam Ecclesiasticarum, nec verò ciuilium, nec ipsam Siciliam, si modò Romana Ecclesia, in ordine ad spiritualia, velit sibi arrogare jus de regno illo disponendi.

XVI. Est & illa in diplomate Vrbani concessio: Vt occasione Concilij celebrandi, Episcopos & Abbates, quos & quot voluerit, mittat Comes, detentis alijs ad seruitium Ecclesiarum.] Huic etiam concessioni apponit ex Gaufredo moderationem huiusmodi, Vt id concessum intelligatur, nisi forte de aliquo ipsorum Episcoporum, vel Abbatum in Concilio agendum sit: quia tunc authentice & secundum Canones laicus in judicijs Episcoporum non debet se immiscere. Quis ergo casus erit, in quo liberum sit Comiti mittere ad Concilium, & retinere quos voluerit? Sane Con-

ne Concilia vel congregantur propter negotia fidei & religionis: vel propter iudicia Eccleſiaſticorum: ſi in iudicijs Eccleſiaſticorum interdicitur hac moderatione Comiti vſus conceſſi priuilegij, multo minus authenticè & ſecundum canones ingerere ſe debet in Concilijs, vbi agitur de fide, & religione? nunquam igitur poterit in Conciliorum congregationibus ſuam autoritatem interponere; & ita ſtatim ei eripitur, quod ioco tantum conceſſum fuerat.

XVII. Neque verba ipſa Gaufredi, quæ à Baronio putantur continere limitationem illius conceſſionis, quia datur Comiti autoritas circa mittendos ad Concilium vel retinendos, vllo modo pati poſſunt ſenſum, quem facit Baronius. Verba conceſſionis ſunt: Quod ſi Epiſcopi ad Concilium inuitati fuerint, quot & quos ipſi Comiti, vel ſuis futuris hæredibus viſum fuerit, illuc dirigantur.] Quæ verò ſtatim ſequuntur, & limitationem addere aſſerit Baronius, ſunt iſta: Niſi fortè de aliquo ipſorum in Concilio agendum in Sicilia vel Calabria in præſentia ſua authenticè definiri nequiuerit.] Dico hæc verba nullo modo poſſe ferre ſenſum Baronij, etiam addita particula (vt) ſtatim poſt verbum (*Calabria*) quod diuinando facit Baronius: Quem enim ſenſum facies ſi dicas: Comes habeat poteſtatem mittendi, quot & quos voluerit Epiſcopos ad Concilium; niſi fortè de aliquo ipſorum Epiſcoporum ſit agendum in Sicilia vel Calabria, vt in præſentia Regis definiri nequiuerit? Epiſcopus ne definitur? In ſua tamen Gloſſa ſeu paraphraſi, addit ex ſe Baronius duo verba; nimirum (ipſorum cauſa) ſic: vt ipſorum cauſa definiri nequiuerit.] Si locus eſt corruptus; cur cogimur ſequi verba ex Baronij arbitrio addita; vbi poſſunt alia addi, quæ contrarium prorſus ſenſum efficiant?] Neque verbum (*authentice*) poteſt trahi ad excluſionem perſonæ Regiæ, vt trahitur à Baronio. Iam enim dixerat; Si poſſint definiri in Sicilia vel Calabria Epiſcoporum Concilio, & Regis opera, procul dubio etiam præſentia, vt poſtea ſubdidit, authenticè definiantur, hoc eſt, ſeruatis ſeruandis, & prout neceſſitas, iuſtitia, lex, æquitas, commoditas, vtilitas, &c. poſtulabunt: nam poſſet eſſe cauſa tam grauis aut difficilis, vt ſeruatis quibuſcunque ſeruandis, authenticè tamen definiri nequeat in paruo Concilio, vbi maioris & plenioris Concilij requiratur autoritas.

XVIII. Iam igitur verum oſtendo ego diplomatis ſenſum, ſeruata etiam integra Gaufredi narratione. Illudque præmitto, Vrbanum Papam in ea fuiſſe opinione, Siciliam ipſam eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ, ex priuilegijs datis Roberto Guiſcardo à Nicolao Secundo, Alexandro Secundo, & Gregorio Septimo (de quibus agam inferius) Quæ opinio, licet falſa, diutiſſimè viguit & viget in Romana Eccleſia. Hinc itaque duplicem ſe habere poteſtatem in Calabria & Sicilia ſupponebat Vrbanus; Eccleſiaſticam alteram; alteram temporalem tanquam Dominum directum illius feudi. Præmitto ſimiliter Eccleſiaſticam poteſtatem duplicem eſſe, vt iam toties in hoc opere explicui; alteram totam ſpiritualem & internam, circa fidem, doctrinam, ſacramenta, &c. alteram verò externam circa diſciplinam, ritus, mores, regimenque externum Eccleſiæ, ac legum ipſius executionem. Legatos igitur mittebant Romani Pontifices in Siciliam cum poteſtate non modo vtraque Eccleſiaſtica ordinis & iuriſdictionis; ſed etiam cum temporali ſupra terras ipſas, & ipſum Comitem, tanquam præſumptum Vaſallum & Feudatarium Papæ. Quia igitur id graue & moleſtum erat ipſi Comiti, auditis eius querimonijs, & cõſideratis meritis; Vrbanus, vt mihi videtur, voluit à Legatorũ moleſtia ipſum liberare; ac ſecurum reddere; cedẽs hac in parte de iure ſuo, quod ſupremi Dominij temporalis in Sicilia prætendebat; & promittens ſe Legatos; qui cum temporali etiam poteſtate mitti ſolebant, amplius non miſſurum: imò verò eidem Comiti etiam Eccleſiaſticam externam poteſtatem concedens. Hæc enim poteſtas externa Eccleſiaſtica, cum eſſet in Papa, non modò, tanquam in Epiſcopo ac primate, ad quem illa, partim ex officio Epiſcopali, partim ex Principum conceſſionibus, vt iam docui, pertineret; ſed etiam multo magis illam ſe habere cenſeret tanquam ſupremum illius terræ Principem temporalem (ad Principes enim iam oſtendi ex officio ſimiliter ipſorum pertinere curam magnam rerum Eccleſiaſticarum) voluit Vrbanus tanquam Princeps & Dominus, vt præſumebat, transferre hanc poteſtatem Principis & Domini, in Comitem Rogerium; vt ea vteretur tanquam Princeps ſupremus & abſolutus; ſimul cum tota ſucceſſione.

XIX. Si Rogerius reuera fuiſſet Vaſallus Papæ; procul dubio indigebat huiuſmodi indulto, vt licitè poſſet Eccleſiaſtica curare: Quia ſi ſupremus Princeps non erat, ſed ſuperioris Principis (nempe Papæ) vt Domini temporalis ſubditus, & Vaſallus, neque poteſtatem naturalem habebat, quam habent alij Principes abſoluti, (vt eſt à me in ſuperioribus declaratum) tali tamen indulto aut priuilegio Papali non indigent alij Principes, qui non ſint ſedis Apoſtolicæ feudatarij. Ita quicquid poſſunt alij Principes abſoluti in ſuis Regnis in regendis Eccleſijs (poſſunt autem multa, vt docui) iam poſt diploma Vrbani poſſunt etiam Comites & Reges Siculi in Sicilia; etiam ſi prius fuiſſet Sicilia feudum Romanæ Eccleſiæ. Hoc enim diplomate ſe Papa ſuo iure priuauit in perpetuum, dum ſit legitima ſucceſſio poſt Rogerium, poteſtate illa ſupremi Principis temporalis in ordine ad Eccleſiaſtica; & illam, ſi qua erat, in Rogerium & hæredes tranſtulit; ac ſucceſſores; dum concedit, vt quicquid poterant Legati ipſius in Sicilia, certe veluti gerentes vices Domini directi, qui præſumebatur, idem iam poſſit Rogerius, & ſucceſſores, perinde ac ſi nullũ ſupra ſe haberet Dominum tẽporalẽ. Venio nunc ad reſeruationes, ſeu limitationes.

XX. Si tamen contingat aliquod negotium in eo regno, quod totum ſit iuris ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, illius iuris, quod in priuilegio neque fuerit incluſum, neque includi potuerit, aut debuerit; vt ſunt nimirum negotia purè ſacra & ſpiritualia, ſiue fidei, ſiue hæreſis, ſiue Sacramentorum, & ſimilium grauiora; tunc mittet Papa chartularios, non ſane Legatos, quia Legatus non eſt, niſi cum illis omnibus poteſtatibus; at iam cõceſſum eſt vt Comes aliquas illarum plenas habeat, nec ei auferri poſſint, nec ſucceſſoribus, ſed vt dixi chartularios, ſeu Apocriſarios, hoc eſt, ſpeciales Nuncios, cum ſola poteſtate ad ea negotia, quæ Comiti cõmitti non potuerunt, vt ea in Concilio Epiſcoporum abſoluant. In quo tamen Concilio Comes nihilominus habeat Principis ſupremi ordinariam poteſtatem, de qua nos aliqua in præcedentibus, *puta cap. 5. huius*, multo plura habemus *lib. 7. cap. 3.* vt poſſit eos conuocare, quos ei libuerit, alijs ad ſuas Eccleſias dimiſſis; & interſit ipſe Concilijs, tanquam Princeps; hoc eſt tanquam iudex, defenſor, promotor, arbiter, &c. non deciſor. Iuuetque vt negotia Eccleſiaſtica authenticè in Concilio definiantur: niſi fortè de aliquo, id eſt, de aliqua re, ſeu de aliquo negotio, in ipſorum Epiſcoporum Concilio ſit agendum, quod in Sicilia vel Calabria definiri non poſſit: tunc enim non ſunt conuocandi ad Concilium Epiſcopi vlli, ſi negotium ſit adeo arduum, Eccleſiaſticum tamen, vt maioris Concilij

XXX 2 quam

quam prouincialis indigeat congregatione, seu Sedis Apostolicæ decisione. Ego enim sic legenda puto illa Gaufredi verba, cum leuissima correctione, nam in eis mendum esse, non est dubium; videlicet, Nisi forte de aliquo in ipsorum Concilio agendum sit, *quod* in Sicilia vel Calabria, in præsentia sua authentice definiri nequiuerit.] Baronius apposuit de suo particulam *vt*, & loco importuno; quæ nihilominus nullam facit perfectam orationem: ego verò transpono tantum particulam *in* & addo particulam *quod*, indeque oratio redditur perfectissima; neque ad conficiendum sensum sunt vlla verba subintelligenda, & mutuo extra accipienda: vt fit in Baronio: & sane verba illa (*nisi forte, &c.*) non coniungo cum immediate antecedentibus, vt fecit Baronius, cum maxima violentia, & sensu imperfecto ac distorto, sed cum paulò antè dictis hoc est: si contingant negotia talia, fiat Concilium in partibus, conuocante & præsente Comite; nisi forte sint eiusmodi hæc negotia vt non possint in tali Concilio definiri; quia tunc non est cur conuocetur Concilium; aut si iam conuocatum est, & in tractando negotio Ecclesiastico, pro quo missus fuerit Nuncius Apostolicus, grauis emerserit difficultas, majoris indiga judicij, tunc non est, cur tale negotium ibi absoluatur, & definiatur; sed erit alibi definiendum. Hic est planus, germanus, minimeq. coactus illorum verborum sensus.

XXI. Itaque, vt proposui suprà, hæ moderationes seu limitationes, quas addidit Gaufredus, nihil aut addunt aut detrahunt Comiti ex concessis in diplomate, etiam, vt comminiscitur Baronius, deprauato, ac mutilato. Hæc enim sunt de solis negotijs mere, & proprie Ecclesiasticis, in quibus Reges neque habent, neque volunt habere jus vllum, nisi curæ cujusdam generalis, & superintendentiæ, vt est à me jam explicatum: Neque in his datur Comiti vlla potestas in diplomate ea decidendi, & definiendi. Igitur & reseruatio hæc seu limitatio eidem nihil detrahit, relinquitur enim interim ei plena potestas reliqua super externo Regimine Ecclesiarum; tota videlicet quam nos *cap. 5.* probauimus esse propriam Principum supremorum: atque hoc virtute hujus diplomatis (supposito tamen feudo) quod potius cessionem continet, quàm concessionem: & prodit à Papa tanquam à Principe, potiùs quàm à Papa.

XXII. Fuisse porrò mala fide decurtatum hoc diploma, & mutilatum, nunquam crediderim; qui enim id audere voluisset, debuisset esse certus exemplū nullum vsquam reperiri, nisi id quod penes ipsum sit; vt inde omnes postea exciperent; aut debuisset conuenire cum omnibus, penes quos aliquod exemplum reperiretur, vt omnes ex suis exemplis illa verba abraderent. Quod igitur Gaufredus referat aliqua, quæ in diplomate, quod circumfertur, non habentur, indicium est manifestum, in diplomate ea tantum posita fuisse, quæ ad concessionem seu cessionem tantum spectarent, limitationes vero illas, seu reseruationes fuisse à Papa viua voce tunc Rogerio explicatas, & in historiam à Gaufredo conjectas.

XXIII. Ad confirmationem prædictorum addo, Legatos Papæ in Sicilia solitos fuisse satis deprimere Principis Potestatem; & in temporalia, prætextu dominij directi, manum extendere: quod sibi injuriosum semper censuit Comes, qui se vasallum Papæ nequaquam agnoscebat: ideirco grauiter conquestus est apud Papam, & se Legatos non amplius toleraturum est contestatus: quippe qui nimiam soleant exercere potestatem, & multo plus in temporalibus, quam in spiritualibus. Id colligo satis ex primis Gaufredi verbis supracitatis, dum narrat occasionem diplomatis fuisse, quia Papa destinauit Legatum in Siciliam Episcopum Trainensem: Perpendens vero, *inquit*, Comitem id grauiter ferre, & nullo modo, vt stabile permaneat, assentire, &c.] Hac occasione voluit etiam, diplomate dato, Papa abstinere ab iniuria, & relinquere Comiti plenam, vt absoluti Principis, potestatem, auferens vsum Legatorum. Quasi pro solis & meris spiritualibus & pure Ecclesiasticis negotijs mitterentur; & certi essent Reges, Legatos nihil aliud prorsus tractaturos, nisi pura Ecclesiastica, non puto tunc eos repugnaturos. Quia pura Ecclesiastica sunt pure juris Ecclesiastici, & laici sunt huius juris incapaces. En minacissimi fluctus in sinu Baroniano concitati, quam facile ex prima ad littus solidum veritatis illisione desæuierunt, conuersi in spumam contemptibilem?

XXIV. Sed quid dicemus de facto Paschalis? Cur statim fermè post datum hoc diploma mittit Apocrisarium suum in Siciliam? Tacuit prouidus senex, vt simplicioribus imponeret, negotium, cuius causa missus fuit in Siciliam à Paschali Apocrisarius. Si enim id consulto non occultasset, ipsummet negotium omnes docuisset, nihil illum Apocrisarium diplomati obfuisse. Imo vero hinc ego vel maxime meam confirmo sententiam iam explicatam. Transmisit Papa Paschalis per nuncium specialem, seu tabellarium, vt est moris, pallium Episcopo Panormitano: Quid hoc, obsecro, contra diploma? negotium est priuatum; solius Sedis Apostolicæ est concedere pallium; pallium de corpore B. Petri debet sumi: Roma ergo est aliò deportandum ad eos Episcopos, si ipsimet non adeant Romanam Sedem, qui sunt pallio decorandi: pallium solam & simplicem potestatem Ecclesiasticam designat; quid ergo Regi cum pallio? hoc est vnum ex negotijs puris Ecclesiasticis, quæ ex more recepto, per nullum possunt absolui, nisi per solum Papam, à quo scilicet solo pallium immediate est petendum, & concedendum, & per nuncios Papæ est alio deferendum; cuiusmodi Nuncij nullam habent publicam potestatem: tales verò mittat Papa in Siciliam quotcunque placuerit, non inueniet, vt puto, obnitentem: hoc enim Principis potestati nullum affert præjudiciū, nullum detrimentum.

XXV. Est verò nonnihil diuersæ rationis concessio facta à Callisto Henrico Anglorum Regi, ab hac Vrbani concessione, (nisi quis absurdè contendat, etiam Regnum Angliæ tunc fuisse feudum Romanæ Ecclesiæ) Rex enim Angliæ, vt supremus in suo Regno temporalis Princeps, poterat suo proprio jure impedire Legatos Romanos, si illi venirent cum potestate, etiam super externo Ecclesiarum Regimine, & super bona temporalia earundem: cum enim hæc à Regum potestate maximè pendeant, vt *lib.* 10. ostendam, ipsis certè inscijs, & inconsultis, non potest quisquam in illa se ingerere. Quod ergo certus juris sui regij tuendi, tamen modestè requisiuit Henricus à Papa, vt consuetudines Regni & majorum ei seruarentur, non fuit petere priuilegium vllum, seu gratiam, & indultum, aut concessionem; sed modestè expostulare, & requirere, vt Papa ab attentatis abstineret; & jura Regum Ecclesiæque Cantuariensis, suis à latere Legatis non turbaret: Optimè enim meminisse poterat Calistus, quantopere ei, dum Guido erat, & Legatus Romani Pontificis, restiterit ipse Henricus initio sui Regni. Vt enim scribit Villelmus Malmesburiensis [*L. 1. de gest. Pont. Angl.*] Effugabātur Legati Apostolici à Regno Angliæ omnes cautela Henrici. Nolebat n. ille in Angliam, præter consuetudinem antiquā, recipere Legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum.] Is itaque

quæ iam Regni & mos, & ius erat. Imò hæc erat fermè communis consuetudo omnium Regnorum; nam & propterea contra eam postea insurrexit Papa Ioan. 22. peculiari sua constitutione. [*Extrauag. Super gentes in commun. de consuet.*] Si igitur hoc ipsum petebat Rogerius, quem tamen suum Papa prætendebat esse feudatarium, & minabatur se alioquin Legatos non toleraturum, vt vidimus ex Gaufredo: quanto magis Rex Angliæ poterat id requirere, qui Princeps verè liber esset, & in suo Regno supremus? Præsertim vbi Legati nimia auiditate & insolentia, non ad Ecclesiastica curanda in Prouincijs, sed ad Prouincias expilandas & expoliandas Ecclesias discurrerent; de quibus nos alias. Itaque & hæc Calisti multo magis fuit ex debito iustitiæ facta cessio, quam concessio. Quod verò Legationes Apostolicæ postea in Regno illo frequentes fuerint, fuit conniuentia, & assensus Regum, qui certis occasionibus & opportunitatibus, vt res humanæ feruot, cedendum tantisper tempori, & de iure suo remittendum sint arbitrati.

XXVI. Dixi ex Vrbani priuilegio nihil amplius Reges Siciliæ consecutos, nisi ad summum, vt plenam supremi Principis temporalis in eo Regno haberent, etiam quoad Ecclesiastica, potestatem, non obstante, quòd putarentur esse superioris Principis, hoc est, Papæ, feudatarij. Hoc verò posito, & quasi quodam impedimento sublato, quid possint per suam Monarchiam Reges Siculi in Sicilia, non est amplius ex Vrbani priuilegio petendum, neque ex Legati seu Vice-legati Apostolici autoritate, de qua Baronius, *ibid. num.* 22. sed ex ipsa supremorum Principum Christianorum ordinaria & naturali potestate: ex qua habent, vt possint iudicare & punire quoscunque Ecclesiasticos, (de laicis non est dubium) etiam Episcopos, & Archiepiscopos, & multo magis Cardinales, (qui, vt iam docui *lib.* 4. *cap.* 5. sunt longè Episcopis inferiores, & nihil aliud, quam Clerus Romanæ Ecclesiæ,) si tamen crimen seu delictum commiserint in rerum ordine temporali; & si pro Ecclesiastico etiam crimine sint temporali pœna puniendi: hoc enim meo *l.* 5. *cap.* ostendi, & postremo libro probabo. De potestate excommunicandi & absoluendi qui sit vsus in Sicula Monarchia ignoro: & suspicor hanc quoque autoritatem Baronium inter potestates illius Monarchiæ nodium potius, quàm vt reuera illam exerceant Reges, recensuisse. Indubitatum enim est apud Catholicos, vt præcedenti libro 5. cap. 9. docui, excommunicationem illam & absolutionem, quæ pendeat ab illa potestate, quam dedit CHRISTVS dicendo, *Matth.* 18. 18. *Quæcunque ligaueritis, & quæcunque solueritis,* &c. ab alijs non posse fieri, nisi ab Ecclesiæ ministris, Apostolorum successoribus. Hanc igitur potestatem si laicus vllus sibi concessam putet, aut potuisse à quoquam, vel etiam à Papa concedi, versatur in errore grauissimo: hæc enim potestas cum solo sacro presbyteratus seu Episcopatus ordine communicatur. Si tamen sermo sit de sola externa excommunicatione & absolutione, hoc est, expulsione ac restitutione corporali, qua quis ex cœtu pellitur Christianorum, & in eum iterum reponitur: quis dubitat hoc multò meliùs posse Principes ipsorum propria autoritate efficere, ita vt effectum habeat, quàm Ecclesiam? ad hæc verò non est necesse, vt Princeps sit etiam Legatus natus, sicut neq; ad hoc, vt possit appellationes ad Sedem Romanam impedire: si enim iudicia Ecclesiastica & Ecclesiasticorum omnia externa in Ecclesia exerceri non possunt, nisi sola Principum concessione, vt libr. 10. ostendam: tribunal certè & forum in tantum erunt in Ecclesia, in quantum Principes concedunt, siue loquamur de tribunali primario, siue de tribunali appellationis. Et iam fusè docui capite quarto huius, etiam Ecclesiasticas causas, quæ essent propriæ Ecclesiasticæ, per appellationem solitas fuisse ad Principes deuolui. Et de hoc plura *lib.* 8.

XXVII. Mirum itaque non sit, si Abbas Panormitanus consuluerit, vt refert ipse Baronius, *ibid. n.* 42. licere Regi ex longa consuetudine appellationes eorum, qui ad Sedem Apostolicam prouocant, impedire.] Et futilia sunt, quæ respondet Baronius; primum, Abbatem hanc sententiam suam declarasse in casu, quando non esset tutus accessus ad Sedem Apostolicam; vel tempore schismatis: & hanc declarationem, *inquit*, reperiri in Abbatia dicta Nouæ lucis, in eodem Regno Siciliæ, & in alijs monasterijs. Deinde, dicta sapientum vim legis non habere. Tertiò, Abbatem eo tempore, quo id consuluisse dicitur, cum schismaticis contra legitimum Papam collegisse, & in hoc desipuisse. Isthæc, inquam, friuola sunt. Nam nihil authentici profert, nisi, vt video, ex auditu; neq; probabile est Virum adeo doctum tantopere desipuisse, vt pueriles & ridiculas ediderit declarationes. Quis enim nescit, appellationes nullas posse vnquam eò deuolui, quò tutus non sit accessus: & in tali casu nulla Regis opera, nulla impeditione opus esse? sola pars per se ipsam potest excipere, & ita se liberare. In schismate verò tribunalia Romana silent, si duo vel plures Papæ inter se certant, & ad quem appellandum sit, nescitur: At si iam vnus est declaratus Papa legitimus, & alius, vel alij sint Antipapæ, cur legitimus Papa amittit suum ius admittendi & audiendi appellationes ex hoc, quòd habeat Antipapam? & quid iuris acquisiuit Rex Siciliæ contra legitimum Papam, ex eo, quòd contra eum insurrexerit Antipapa? Et sanè cum Panormitanus dixerit, ex longa consuetudine id Regem habere, quomodo longa consuetudo induci potest, si casus illi vel intuti accessus, vel schismatis, sunt rarissimi? Sapientum porrò responsa, etiam si legem non faciant, ostendunt tamen, eos, qui Regibus illam attribuunt potestatem, non errare: siquidem secum habeant sapientes consentientes. Esto etiam tunc temporis Panormitanus Abbas ex parte schismaticorum fuerit, cur desipuit in hoc consilio? defendebat ne Antipapam contra legitimum Papam? defenderit: quid tandem conabatur? vt hic, quem ille defendebat, esset Papa Romanus, & Sedem Apostolicam obtineret: nunquid aliam Sedem contra Sedem Romanam erigendam curabat, & ad eam appellationes, quas Romanæ Sedi auferebat, deuoluebat? Minimè verò. Aut fortè Regi concedebat, vt impediret appellationes ad Papam, & non ad Antipapam? eius consilium est, vt, quicunque Papa sit, siue ille, qui verè est, siue alius, qui verum oppugnat ad veram tamen Papæ Sedem, hoc est, Romanam, appellationes ne deferantur posse Regem impedire. Et frustra quærit Baronius, cur Abbas hanc suam sententiam in suis commentarijs non defendit & probauit; quia aliud est generalibus interpretationibus leges explicare; aliud particularibus & singolaribus casibus respondere.

XXVIII. Inter Monarchiæ Siculæ potestates ponit Baronius etiam Nunciorum Apostolicorum non admissionem. Sed hanc iam dixi esse omnium Principum potestatem, vbi Nuncij, seu Legati voluntaur possunt eos turbare, & in illis se ingerere, quæ ad ipsorum Principum potissimum curam spectent: ad eorum verò præcipuam curam & gubernationem Ecclesiastica multa externa spectare, iam probauimus. Vbi ergo ipsi & possunt, & volunt Ecclesijs succurrere, & prouidere, ad quid alij prouisores? moneantur, requirantur

tur vt prouideant, si interdum obdormiant, muneri suo non deerunt. Quid si deessent? quid si excitari non expergiscerentur? Faciat Ecclesia quod suum est: nunc satis nobis est, quid possint, videre. Si verò nolint vti sua potestate vbi debent, vel ea abutantur, alterius sit considerationis. Substitutionem etiam miratur Baronius, quod Reges Siculi vt Legati nati, se arbitrentur posse substituere alios, cum eadem autoritate: quid mirum? si potestas est ipsorum propria & non delegata, vt docui, cur non possunt delegare eam, quibus volunt? Profectò docebo *lib.* 10. Ecclesiasticos etiam exercere iudicia omnia externa, tanquam Principum delegatos. Et quoties Constantinus Magnus causas Ecclesiasticas delegarit, iam vidimus *c.* 4.

XXIX. Ac tandem totus admirabundus, eam generatim recenset huius monarchiæ potestatem, vt respectu Ecclesiasticæ iurisdictionis, neque ipsam Apostolicam Sedem velit recognoscere, & superiorem habere.] Merito sane, quia iam probaui nullam esse in Ecclesia externam iurisdictionem, quæ sit ipsius propria. Quomodo ergo Princeps, qui primus est, & supremus in tali iurisdictione (loquor semper de externa iudiciorum, morum, & disciplinæ) superiorem agnoscat? Nisi, *inquit*, in eo casu præuentionis.] Et hoc est multum; vt vbi Ecclesiastici nullam propriam habeant iurisdictionem, nisi quantum eis Principes laici permittant, habeant tamen illam certam & firmam in casu præuentionis: quia forsan Papa, qui se supponebat Dominum directum illius Regni, vt Dominus eius temporalis, sibi solam præuentionem in concessione Regni reseruatam esse persuaserit. Nam vbi Principes sunt absoluti, ne in præuentione quidem coguntur, si nolunt, iudicia externa, & externam iurisdictionem, Ecclesiasticis permittere. In hac itaque Siciliæ Monarchia illud mihi videor obseruare, multas iurisdictiones, quas ordinariè Christiani Principes habentes & volentes relinquunt Ecclesiasticis; cum potestate tamen semper eas ad se reuocandi, tam in singularibus casibus, quàm etiam in vniuersum, Siciliæ tamen Reges iam ad se vniuersas penè reuocasse, & actu ipso iamdiu resumpsisse, vel Papa Vrbano sponte cedente; relicta Ecclesiasticis sola in aliquibus præuentione. Cum tamen in alijs Regnis Christianis multas liberè & absolutè Prælati Ecclesiæ à Principibus concessas & permissas exerceant. Vt propterea illa monarchia, quæ est communis de iure omnibus Christianis Principibus supremis, cuique in suis terris, de iure & de facto in Sicilia dominetur ex illa Vrbani cessione: cuiusmodi nunc etiam est monarchia Papæ in Vrbe, & suis terris.

XXX. Exhibitum est iam Baronio aliquod Siculæ monarchiæ fundamentum, diploma Vrbani Secundi, eoque monarchiæ defensores, vt ipsemet fatetur, toties se niti sunt professi, indeque originem suæ duxerunt monarchiæ, & non ex alia alius cujuscunque concessione: in eo igitur conuellendo, quod laborarit, licet frustra, non ægrè fero: Dum tamen ipse aliud monarchiæ principium & fundamentum, etiam nolentibus obtrudit, vix tolero. Ab Anti-Papa Anacleto, hoc est, Petro Leonis, monarchiam Siciliæ ducere originẽ omnino vult persuadere, *Baron. ibid. n.* 46. *& seqq.* vt eam melius reprehendat, & subsistere non posse clarius doceat. Bone D e v s, quid hoc? An sibi Gigantes homo hic, quibuscum tuto & gloriose pugnet, confingit in aëre imaginarios? Quinam ex aduersarijs, quos ipse oppugnandos suscepit, oppugnatam tuetur monarchiam Anacleti concessione? Anacletum nolunt, valere jubent; ab eo se accepisse quicquam negãt, & pernegant: Si Vrbani concessio, siue cessio, aut non est, aut nulla est, cedunt, dan e manus, potiùs, quàm Anacleto se tueri velint. Putide ergo in longam de Anacleto digreditur disputationem: contra quam tamen hæc ego pauca annotasse non grauabor.

XXXI. Primum: Negamus ab Anacleto fuisse quicquam concessum Rogerio illi, quod Ecclesiasticæ prius fuerit potestatis: & fundamentum tam magnæ, quã nititur construere, machinæ in leuissima arena, imò potiùs in exili & tenui nubecula, ab ipso collocatur. Ex Petro Diacono *chr. Cassin. l.* 4. *c.* 99. verba illa est expiscatus: Petrus Cardinalis (*iam factus Anacletus*) Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per priuilegium Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanũ, cum Apulia & Calabria, & Sicilia ille confirmans, Regemq; constituens ad se attraxit.] Hęc omnia sunt merè temporalia: hæc nihil ad Ecclesiasticam potestatem. Addit verò: Præcipiens, vt Episcopi & Abbates, qui in suæ ditionis solo manebant, ei obtemperarent.] Nihil præterea. Et in his paucissimis verbis ingentem monarchiæ molem contineri sibi leuissime persuadet. Quæ tamen verba nihil aliud significant, nisi pleniorem concessionis temporalis confirmationem; & quasi executionem; dum mandat Episcopis, vt pro Domino temporali, & Rege illarum terrarum Rogerium agnoscant. An putat Baronius obtemperare Regi, imò & vere ac propriè quoad temporalia obedire & subijci Ecclesiasticos dedecere? Ego sane jam plene docui, jure diuino & Apostolico & Ecclesiastico nos ad hoc teneri. Fallitur itaque si putat hoc præcepto indebite subdi Episcopos & Abbates Regi; & in hoc consistere tyrannicam monarchiæ vsurpationem: exclusa enim, & funditus destructa, vt ipse vellet, monarchia, adhuc tamen Episcopi & Abbates Regibus legitimis in temporalibus sunt perfectissime subjecti, nisi ab ipsismet Principibus priuilegio eximantur. De quo in vltimo libro fuse agam.

XXXII. Deinde nulla est probabilitas, Rogerium hunc, qui erat filius Rogerij illius, cui Vrbanus priuilegium concesserat, à Papa hoc Anacleto, etiam si fuisset verus, & indubitatus ac legitimus Papa, postulasse id, quod jam in persona etiam ipsius propria habuerat ab Vrbano; qui Rogerio Patri, & Simoni, alterique filio, vt non negat Baronius *ibid. nu.* 26. qui est hic ipse Rogerius, illa, quæ in diplomate continentur, concessit; & si ab hoc Anacleto cœpisset hæc monarchia, cur in sola Sicilia illa seruaretur, & non in Apulia, & Ducatu Neapolitano, & Principatu Capuano; quas ditiones omnes simul cum Calabria & Sicilia ei confirmauit, & super his Regem nominauit ac creauit? Ac quemadmodum dignitatem hanc Regiam adhuc retinent, qui has terras possident, licet ab Anti-Papa Rogerius hanc dignitatem primum sit consecutus; ita possent etiam reliqua, quæ eo priuilegio Anacletus concessit, retinere: & tamen monarchiam sola Sicilia insula profitetur, & semper ab Vrbano professa est: reliquæ terræ, quæ in eodem priuilegio Anacleti continentur, non profitentur.

XXXIII. Prætereà Fazellum immerito flagellat Baronius *ibid. nu.* 48. atque ei improperat, quod arte & dolo, ne in autorem monarchiæ offenderet Anti-Papam, tacuisset Anacleti concessionem in Ecclesiasticos potestatis: & mentitum in historia, Anti-Papam Anacletum non simul cum Innocentio, sed lõge post ea schisma fecisse, ne cogeretur asserere, monarchiam ab hoc Anacleto ortum habuisse. Tacuit sane Fazellus de concessione potestatis Ecclesiasticæ: quia nulla Ecclesiasticæ potestatis facta est ibi cõcessio, vt nũc ostendi: Quomodo vero mendacium, quod ei appingit, eo seruiat, vt verum monarchiæ initiũ in Anacleto

non

non offendat, prorsus non video: Loquacem certè agnosco senem, qui hîc verborum prodigus est, non vt quicquam sani & solidi dicat, sed vt videatur aliquid dicere, somnia enim sua suis aliis somnijs conatur cõfirmare. Quandocunq; enim Petrus Leonis schisma fecisse ponatur, si ab eo iã facto Anti-papa Monarchia cœpit, mendaciũ illud temporis nihil releuat, quominus autor ipse Monarchiæ, si fuit, dici & inueniri possit.

XXXIV. Ad hæc malè plantatam ab Anti-papa Monarchiam dicit breui eradicatam, *ibid. nu.* 89. si quidem hic idem Rogerius posterior, & filius eius Willelmus Adriano Papæ tandem paruerit. Sed videamus vnde probet, Rogerium & Willelmum Adriano obsecutos, adeò vt potestatem, quam prætendit Monarchia, Ecclesiasticam à se abdicauerint. Ex inuestitura, *inquit*, quam fecit Innocentius III. Constantiæ, id colligitur; quia hęc Innocentij inuestitura omnino eadem est, quæ fuerat ab Adriano facta Willelmo Rogerij huius filio: id ipsomet Innocentio in dicta Constantiæ inuestitura attestante.] Videamus igitur quid dicat Innocentius de Adriani inuestitura, & quomodo ex ea colligatur, Willelmum & Rogerium Adriano paruisse, & Monarchiam abiecisse. Verba Innocentij in inuestitura Constantiæ Rogerij posterioris filiæ, sunt ista: *lib. 1. ep.* 410. Ad quod etiam inclytæ recordationis Rogerij quondã Patris Willelmi fratris, & Willelmi nepotis tuorum, Regũ Siciliæ, filia Imperatrix, grata memoria nos inducit, qui in Apostolicæ Sedis, ac prædecessorũ nostrorum deuotione firmius persistentes, ab eius non potuerunt vnitatis firmitate diuelli, quia tanto fortius in ipsius obsequio permanerent, quanto aduersus eam se amplius impetus extolleret tempestatis.] Hic nihil aliud de Rogerio habemus, nisi eum in deuotione Sedis Apostolicæ permansisse; & ipsum etiam esse inclytæ memoriæ Regem. Rex verò factus est ab Anti-Papa Anacleto: & sicut titulum Regium ab Anti-papa habitum libenter admittit Innocentius, cum nobili laudatione, cur non admittit & cætera quæcunq; in eadem Anacleti habuerit inuestitura? num quia dicit Rogeriũ in obsequio sanctæ Sedis permansisse, abiectionem vllam sibi priuilegio concessorum significat? quasi verò nemo in omnib' priuilegio siue Anacleti, siue Vrbani, siue alterius, nõ potuerit etiã, si velit, verũ Papæ Vasallum & fidelem Sedi Apostolicę, se exhibere? Sed ad Willelmum Rogerij huius filium, & Constantiæ Imperatricis fratrem accedamus. Pergit Innocentius.

XXXV. Hac igitur consideratione diligenter inducti, accredẽtes quod prædictorum Regum vestigia Regia serenitas, in deuotione ac obsequiis imitetur, vobis & hæredib' vestris (qui sicut dictus Rex Willelmus quondam frater tuus, felicis memoriæ Adriano Papæ prædecessori nostro exhibuit; nobis & successoribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, & hominium exhibere; ac quæ subscribuntur voluerint obseruare) concedimus Regnum Siciliæ—& reliqua tenimenta, quæ tenetis à prædecessoribus vestris, hominibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, iure detenta, & contra omnes homines adiuuabimus honorificè manutenere.] Video Willelmum Adriano Papæ hominium & Vassalagium iurasse, sed Monarchiam abiurasse nõ video. Neq; video inuestituram hanc Innocentij, factã Constantiæ, esse aut dici factam ad instar illius, quam Willelmo Regi concesserat Adrianus: nisi in hoc tantum, quod sicut illa facta est accepto fidelitatis & hominij Sacramento: ita hanc etiam idem requirere Sacramentum. Quod verò conditiones speciales in hac iurandæ sint illæ eædẽ, quas iurauit Willelmus, nihil prorsus ex Innocentij dictis constat: Ita solet ex falsis suppositionibus sæpissimè procedere Baronius. Quod igitur Willelmus iurauerit fidelitatem Adriano, nihil obstat, quò minus priuilegium Auo ipsius Rogerio, & successorib. ab Vrbano concessum in reliquis retinuerit: & Sedi Apostolicæ fuerit obsequentissimus.

XXXVI. Capitula obiicit Baronius, *Ib. nu.* 52. quæ supponit fuisse iurata, & iuranda, ac promissionibus firmata, ac firmanda, iuxta illud, quod scripserat Innocentius; nempe se concedere inuestituram si hominiũ ei fecerint, cum iuramento fidelitatis, vt Willelmus fecerat Adriano, ac quæ subscribuntur de censu soluendo, quæq; duobus capitularibus cõtinerentur, voluerint obseruare: Quænam verò sint ista, quæ duobus dictis capitularibus ad obseruandũ fuerint Constantię & filio proposita, si quæras ex Baronio, Respondet esse illa capitula, quę Innocentius posuit in aliis literis ad Clerum Siciliæ datis, *lib. 1. Epist.* 412. in quibus sic habetur, post datam, vt supra, regulam de electionibus: Volumus etiam nihilominus & mandamus, vt de cætero ad Romanã Ecclesiam liberè, cum opus fuerit, appelletis, & interpositis ad nos appellationibus curetis humiliter & deuotè deferre. Nos & quoties necessitas postulauerit Apostolicę Sedis Legatos ad vos curabimus destinare; qui quæ plantanda sunt plantent, & euellant, quæ fuerint euellenda: quorum obediatis monitis, & præceptis: nullo prorsus in omnibus præscriptis capitulis obstante priuilegio, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum. Vt aũt, quæ præscripta sunt, apud vos nulla possint obliuione deleri, mandamus atq; præcipimus, quatenus forma literarũ ipsarum ad perpetuam memoriã, in maioribus Ecclesiis transscripta seruetur.]

XXXVII. Quibus statim ista subdit Baronius, *ibid. num.* 57. Hactenus capitularia, primum (vt audisti) ab Adriano Papa præscripta Willelmo Rogerio filio: deinde ad instar illius concessionis ab Innocentio repetita in Inuestitura facta Constantiæ, & filio Friderico: quibus quæ concessisset Vrbanus de non mittendis Legatis, & aliis, audisti sublata.] Hallucinatur tamen D. Cardinalis, & errat dupliciter: Primum quia dato etiã hæc capitula fuisse in Inuestitura Innocentij posita, seu ei adiuncta, & iurata atq; firmata à Constantia, aut saltem ei, & suo tempore filio, iuranda, & firmanda proposita, & acceptata; nullum tamen extat vestigium, aut vel minimum indicium, hęc ipsa capitularia fuisse prius ab Adriano Willelmo in Inuestitura præscripta: Quia, vt vidimus, ad exemplum Adriani nihil aliud petit Innocentius, nisi vt ei præstetur hominium, sicut præstitum etiam fuit Adriano à Willelmo: Iam enim plures Reges post Willelmum, vsq; ad tempora Constantiæ, absq; Inuestituris vllis vlloque iuramento, aut hominio, quod fatetur Baronius, *ibid. num.* 50. regnarant. Prima ergo conditio, quam ponit Innocentius Constantiæ, est vt Inuestituram ab eo accipiat, & postliminio reuersa obligatione hominij, eam sicut prius fuit, tempore Adriani, & Willelmi, exhibeant: altera verò conditio Innocentij est, vt illas etiam speciales admittãt Constantia, & filius, obligationes, quas erat eis subscripturus. Quid hæc ad Adrianum, & Willelmum? sunt mera illa Baronij somnia, ex more scilicet frequentia. Imò Adrianus Monarchiam, prout ab Vrbano fuerat concessa, confirmauit. Scribit enim Antoninus *Chron. 3. part. titul. 19. cap.* 1. §. 1. hoc pacto de Innocentio: Sed ipse sapientissimus Pontifex, diligenter attendens, quod priuilegium concessionis indultum primo ab Adriano, & postea à Clemente renouatum, super quatuor capitulis videlicet de electionibus, legationibus, appellationibus, & Concilijs, derogabat non solùm Apostolicæ dignitati, sed etiam Ecclesiasticæ autoritati, remandauit Imperatrici, quod illis capitulis renunciaret omnino.]

Quomodo ergo Innocentius Adriani insistit Inuestituræ, si Adriani Inuestituram conatur omnino rescindere? nullo, *inquit Innocentius*, in omnibus præscriptis capitulis obstante priuilegio, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum.] Proculdubio ab Adriano, & Clemente, vt constat ex præmissis.

XXXVIII. Errat præterea, quia pro capitulari, quod dicitur ab Innocentio duplicatum, sigillis partium munitum, Inuestituræ huic esse adiunctum; nobis obtrudit quædam capitula Episcopis & Clero Siciliæ ab eodem Innocentio præscripta: capitulare tamen illud, quod Constantiæ traditum est cum Inuestitura, & ab eo iuratum dicitur, non exhibet, neq; enim extat; & consequenter neq; scit Baronius, neque scire potest, quasnam illud capitulare conditiones contineret; nisi quantum ex Antonino iam citato colligere possumus, quatuor fuisse capitula concessionum tam à Sede Apostolica habitarum, quæ reuocabat Innocentius; circa appellationes, legationes, electiones, & Concilia. Non debuit igitur nobis Baronius pro Capitulari inter Papam & Constantiam seruato, aliud obtrudere: cum præsertim potuerint tunc Episcopi, & Clerus, propriis abusibus occasione secularis Monarchiæ introductis, abundare; quos fortasse voluerit tollere Innocentius. Atque illa quatuor capitula debuit proferre Baronius, quæ seorsim ab Innocentio dicuntur duplici capitulari excepta, ac sigillis partium munita: & de quibus conquestus postea fuit Fridericus, vt dicā infra, quod Innocentius antiqua iura electionū abstulerit in Inuestitura facta matri ipsius Constantiæ, *Naucl. Chronog. gen.* 41. *anno* 1221. non illa, quæ clero præscribuntur, quæque cum illis quatuor in totum non cohærent: nihil enim hæc continent circa Concilia. Et quod Episcopis & Clero seorsim proscribitur, certè Constantiæ & Regibus non præscribitur. Constantiam tamen illa & iurasse & obseruasse, vt piam fœminam, & quę quocunque modo Infanti filio Regnum illud stabilire prudenter nitebatur, ex à me nunc dictis, non ex Baronij vllis certis constitutionibus, dubium non videtur.

XXXIX. Quod tamen innuit ille, *Ibid. num.* 58. Fridericum etiam filium Constantiæ, iam puberem factum, capitula ista Innocentij admisisse, & promisisse: profectò errat grauissimè: Aurea etenim Bulla, quam ipse Baronius producit, facta est à Friderico iam Romanorum Rege & Imperatore electo; in qua nullum præstat hominium, nullum Vassalagium, nullam specialem promissionem, circa Regnum Siciliæ ex debito Innocentianæ Inuestituræ; sed propter Romanorum Regnum, ad quod fuerat assumptus, honorificentiam, obedientiam, & reuerentiam, ex ordinaria ceremonia, exhibet Innocentio Pontifici: eodemq; nomine ad infrascripta descendit, dicens, *ibid. num.* 59. Illum igitur volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, decretum in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, vt electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum; dummodo nihil desit ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & caussis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant; earum prosecutionem siue processum nullus impedire præsumat. Illum quoq; dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueuerūt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda; vt quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo rectà distributione reddantur.] Hæc ille. Pollicetur etiam operam suā & auxilium contra hereses: & dimittit possessiones Romanæ Ecclesiæ per suos antecessores detentas, & alias ab aliis occupatas se spondet recuperaturū: & ad finē ista pauca de Regno Siciliæ subinfert.

XL. Adiutores etiam erimus ad retinendum & ad defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ: cum omnibus ad ipsum spectantibus, tum citra Pharū, quàm vltra: necnon Corsicam, & Sardiniam, ac cætera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur: tanquam deuotus filius, & catholicus Princeps.] Iam se igitur vasallum Papæ ratione dicti Regni, renuit appellare: tantum abest, vt hac Bulla Papæ præstet hominiū: Et concludit: Vt autem hæc omnia memorato sanctissimo Patri Nostro Domino Innocentio, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, eiusque successoribus, per nos, & nostros successores Romanorū Reges & Imperatores obseruentur firma, & inconuulsa semper permaneāt, præsens priuilegium conscriptum Maiestatis nostræ aurea Bulla iussimus communiri.] Nihil ergo hæc bulla spectat ad Regnum Siciliæ in specie; neque ex ea potest probare Baronius, *ibid. num.* 57. neminem putare posse, Fridericum adhuc puerum inuitum illis consensisse, puberem verò factum resiliisse. Si quis enim hoc diceret, bulla hæc ei non obsisteret, quæ plus fauet dicenti, eum resiliisse, quam dicenti contrarium: siquidem in paucis illis verbis, quæ de Sicilia protulit, nihil penè subiectionis in se agnoscit; sed solam verborum dat satisfactionem, supponendo Papam habere aliqua iura in Sicilia etiam vltra Pharum; sed quæ iura sint ista, nihil dicit. Et mihi aliunde constat, ipsum verò resiliisse; de eo n. ista lego: *apud Naucl. chronog. gen.* 41. *an.* 1221. Deinde Romam veniens, mores mutauit, spreta iurisiurandi religione (*in coronatione Imperiali facti*) multa, & quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificiam, Pontifices, & Archiepiscopos ponēs in Ecclesiis modo suo: & institutos à Papa expellens: Collectas ab Ecclesiis exigens. Dicebat enim, ius Regibus Siciliæ in electionibus Prælatorum, ex antiquo debitum, minorari à Papa, quod eorum priuilegium Innocentius III. sustulisset Constantiæ, Friderico puero existente, vt suprà dictum est, & forte fuit priuilegiū de quo in glossa Summæ. 16. q. 7. Quòd Apulię Reges habeant inuestire.] Hæc Nauclerus. Constantia enim consenserat in quatuor capitulorum abrogatione, vt infanti filio Regnum illud confirmaret. Qua de re sic Antoninus: *p. 3. tit.* 19. *c.* 1. §. 1. Remandauit Papa Imperatrici, quòd illis capitulis renunciaret omnino: cumq; ille nō esset aliter concessurus, tentauit illa eius propositum muneribus immutare. Quod cum efficere nequiuisset, missis solemnibus Nunciis obtinuerunt concessionis priuilegium innouari, capitulis illis omnino sublatis.] Et de hoc queritur Fridericus: Qui se sciebat in Regnum Siciliæ successisse, tum ex materno sanguine, cuius mater ipsa Constantia, Rogerii posterioris filia, proximis suis propinquis inibi, sine vlla vllius inuestitura, iam regnantibus, successerit, *Baron. ibid. num.* 40. tum ex iure paterno, cuius Pater Henricus Sextus Imperator, iam Apulia & Campania armis in prouinciam redacta, Siciliam quoque iure belli, & propriis impensis, pacto interueniente cum Cælestino Papa, suo in eam transmisso exercitu, & optimatibus quibusque trucidatis, plene deuicerat, & sibi subegerat, in prouinciamq; redegerat. Vt propterea neque inuestitura Innocentij opus haberet, vt innuit etiam Nauclerus, *gen.* 11. *Ann.* 1193. 1198. neque in ea præscripta obseruare teneretur Fridericus; qui infans in cunis cum matre ab Henrico Patre fuerat In-

nocco-

nocentio Papę in tutelam commendatus: Quæ tamen tutelaei pessimè gesserat, tutore ipsius iura destruente.

XLI. Itaque quod dixit Fridericus de electionibus, de appellationibus, de spolijs, de possessionibus, non sunt confirmatoria horum Innocentij capitulorum: sicut neque illis omnia conformia: sunt enim plura ab illis diuersa; sed sunt nouæ promissiones factæ à Friderico, non tanquam Rege Siciliæ, sed tanquam Imperatore: nihil ergò illa obsunt Siculæ Monarchiæ; imò ne Imperio quidem, dum explicat se dicens, ea esse intelligenda in caussis merè spiritualibus; ac velle, vt quæ Dei sunt, Deo: & quæ Cæsaris, Cæsari reddantur. Multò minùs ad rem nostram, hoc est, ad negotium Monarchiæ Siciliæ, faciunt, quæ importunè ingerit & impertinenter Baronius *ibid. num.* 64. de alijs bullis Aureis eiusdē Friderici iam Imperatoris: cuius edicta huc à Baronio allata, & à nobis in superioribus explicata ad Imperium spectant in genere, non ad Regnum Siciliæ in specie, cuius proculdubio integra voluit priuilegia seruari: & dum irritat statuta omnia, & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas editas, explicat similiter, se loqui de statutis Ciuitatum, vel Cōsulum, vel inferiorū Magistratuum: non de illis, quę ab Imperatoribus, & Principibus supremis edita fuerint: ac multò minùs si à Papa sint profecta: ait enim, *Ibid. nu.* 65. si sint aduersus canonicas, & imperiales sanctiones: & diuino ac humano iuri obuient.] Immeritò itaq; Baronius *ibid. num.* 64. asserit, ista Fridericum edidisse in destructionem malè erectæ à Rogerio, vel eius filio Willelmo, cognomento malo, Monarchiæ Siciliæ. Nihil enim prorsus huius destructionis hîc apparet. Et quomodo Willelmus dictur malè malus erexisse monarchiam in Sicilia, si ex Adriani confirmatione illam habuit?

XLII. Retinuisse porrò Fridericum integrum suum ius proprium Principis absoluti in Sicilia, patet ex querelis Gregorij Noni aduersus ipsum, qui & in bona, & in personas clericorum suam potestatem exercere. *Antonin. 3. p. titul. 19. cap.* 4. Poterat vero iure. Hoc enim ei & ius commune Principum proprium, & specialis cessio Vrbani & Adriani, & Clementis concedebat: ideoque perperam, & contra ius fasque, ac contra omnem antiquæ Ecclesiæ vsum, & sanctorum doctrinam, Papa ei minas intentauit. Ille verò diu contra indebitas sibi illatas à Romanis Pontificibus molestias repugnauit. Sed, *inquit Baronius, ibid. nu.* 68. ad mortem tandem Fridericus vltimo elogio in suo testamento nullius decreuit esse momenti, quæcunque contra libertatem Ecclesiasticam statuisset, ita mandans: Item relinquo totam terram Ecclesiæ liberam, & volo, quòd iura Ecclesiæ restituantur. *Matth. Paris. in anal.*] Hæc nihil ad Siciliam, sed ad Romanæ Ecclesiæ pertinent patrimonium.

XLIII. Post hæc monarchiæ huius, quam se, vt sibi ipsi persuadebat, iam totam deiecisse gloriatur, *ibidem nu.* 69. quandam imaginem conatur repræsentare, ex facto quodam, à Ioanne Sarisburiensi narrato: nescio profectò quorsum hæc: ad infirmandam ne monarchiam, an potius ad illam confirmandam? Factum est, quod Robertus Rogerij primi Regis Siciliæ Cancellarius, ex collatione, de more illius temporis, per codicillos Regios, tribus diuersis Ecclesiam Auellanam, pretium offerentibus per speciem addixerit: ac postea tribus his reiectis, quartum quendam consecrandum curauerit. Additque ista fuisse per Adrianum sublata, quando cōcessit inuestituram Willelmo Rogerij huius filio: Vt declarat, *inquit*, Robertus Abbas, in additamento ad Sigebertum, anno 1157. his verbis: Cum Papa Adriano pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum Regni sui, & ducatus; sicut antiquitus eas habuit Ecclesia Romana: vnde discordia fuerat inter Patrem suum Rogerium, & Innocentium, & Eugenium Romanos Pontifices. Idem verò Apostolicus concessit ei regnum Siciliæ, & ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ.] Quorsum ista afferat, rursus ingenuè fateor, me non intelligere; Certè dum morem fuisse asserit Sarisburiensis, vt per codicillos Regios Episcopatus conferrentur tempore Rogerij primi Regis, ego colligo concessionem Vrbani, & inuestituras à me supra defensas, vt proprias Regum tunc in vsu fuisse. Si reprehendat ministri Regij auaritiam & simoniam (supposito quòd patrarit simoniam) meritò reprehendit, ego quoq; abusum reprehēdo, sed ex hoc non cadit ius Regum, & monarchia. Quanquam Rogerius ille Cancellarius in eo facto præclaram meruerit laudem: is enim non ex auaritia, aut simoniaca labe, sed in pœnam & confusionem ambitiosorum, qui non meritis, sed pecuniis freti in dignitates Ecclesiasticas inuolare conabantur, eos deludere voluit, & simul punire, *Ioan. Sarisb. in polic. l. 7. c.* 19. Nam & statim eos accusauit ambitus, & vt pactā pecuniam soluerēt coëgit, ac interim ab Ecclesiastica ambita dignitate cū ignominia & damno repulit, & bonum quendam Monachū, ab his tribus diuersum, legitimè gratis promouendum curauit. Imago ergo, si qua tunc fuit Monarchiæ, optima erat, siquidem in detestationem Simoniæ ambitiosi Simoniaci cum tanta ignominia & damno repellebantur. Et potius labes hæc erat in emptoribus ambitiosis, quam in Principibus auidis. Habemus simile factum delusorium Regis Angliæ eorundem temporum apud eundem Sarisburiensem, qui accepta iam pecunia, cum ad Abbatiam occultum emptorem Monachum vocaret, isque simulata hypocrisi se indignum diceret, & ficta humilitate excusaret, compositaq; ad speciem modestia reniteretur, Rex hinc capta occasione, Planè indignus es, *inquit*, quia eam (*dignitatem*) clàm data mihi tanta pecunia emisti, *Ibid. cap.* 18. Sed quandoquidem per me non stat, quominus pactio impleatur, liberum me haberi iustum est: & tu domum redeas, & qui dignus est destitutæ præficiatur Ecclesiæ.] Quod igitur abusus hosce Rom. Pontific. tollere sint conati, est omnino laudabile. Quod etiam Adrianus inito pacto, & fœdere cum Willelmo, eosdem abstulerit abusus, perplacet: Sed hoc non scribit Robertus Abbas. Nisi velit Baronius ex Roberto colligere, Monarchiam ipsam fuisse ex dicto inito pacto sublatā: sed fallitur: Adrianus enim Monarchiā, vt vidimus, Willelmo confirmauit: & solas consecrationes restituendas esse Papæ voluit Willelmus: at cōsecrationes Episcoporum nihil ad Regis Monarchiam pertinebant, nunquam enim Reges sibi consecrationes has arrogādas esse censuerūt, quarum faciendarū, potestatis sunt prorsus incapaces. Sed Episcopi Regni apud Regē effeciebant, vt consecrationes in ipso Regno fierent per Metropolitanos, vt est sacris optimè cautum canonibus. In hoc tantum gratificari voluit Papæ Willelmus Rex, vt iam sineret Episcopos Romam ad consecrationem proficisci; quos antea non pro vllo suo proprio iure conseruando, sed vt petitionibus Episcoporum acquiesceret, detinebat. Neq; hoc igitur impugnat, aut debilitat Monarchiam.

XLIV. Tacere hic non possum Baronij in historiis antiquis conscribendis aut recensendis graue peccatū; vt aliquid ita gestum narret (cui nec ipse interfuerit, neq; à quoquam scriptum & relatum confirmet) ac si præsens ipse interfuisset: & non erunt ista somnia [illegible] sane video ex additamento Chronici Sigeb[illegible] fuisse ab Adriano concessionem [illegible]

dicere Inuestituram, non repugno) Willelmo Rogerij filio: sed Willelmum hunc Inuestituram ab Adriano Papa IV. quæsiuisse, & super hoc fuisse altercatum, expetente illo, vt narrat Baronius, *ibid. num.* 50. Inuestituram ab Adriano iniquis conditionibus, ac fortasse iisdem quidem quibus Rogerius Regnum accepisset ab Anacleto Anti-papa, non inuenio. Ac licet, *inquit*, Legati ab Adriano ad eum pacis caussâ missi, visi sint ex parte aliqua his quæ petierat concessisse; Adrianus tamê omnino resiluit, nec Inuestituram concedere voluit, cum infamibus conditionibus illis, quibus monarchia illa malè composita per schismaticum Papã subsisteret, sed aliis plenè contrariis.] Hæc profectò tota narratio est meru figmentum: & qua facilitate ille hæc sua sola dictione astruit, eadem nos negando duntaxat omnia ea destruimus; & ex Innocentio nihil horũ colligi posse iam docuimus: Imò clarè ostendimus, *num.* 37. ex historiis authenticis, Adrianum monarchiam Willelmo quatuor capitulis, & postea Clementem confirmasse. Cur enim resistat Adrianus, vbi Vrbanus Reges illos diplomate indubitate munierat, non Anacletus? & negamus, vllos vnquam ex illis Pontificibus laborasse, vt concessa ab Vrbano reuocarent, quæ potius confirmarunt.

XLV. Nunc tandem percipio senis artificium, dum ad Anacletum Antipapãm reducit Monarchiam, & ab Vrbano amouet, atq; ab Adriano: quia nimirum aliqua Pontificum acta, quæ nihil minus, quam Siciliæ Monarchiam, vt vidimus, & videbimus, oppugnant, contra Monarchiam erat producturus, timuit ne postea meritò insurgeret quis, & diceret, *Matth. 12. 26. Si Sathanas Sathanam eijcit, aduersus se diuisus est, quomodo ergo stabit Regnum eius?*] Et *Gal. 2. 18. Si quæ destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.*] Ideirco ab aliis Pontificibus impugnari vult acta, non Vrbani, aut Adriani, sed Anacleti. Attamen in vanum laborat: Satisque fuerat illi negare concessionem Vrbani, aut moderari, vt fecit, impugnareque Principum vsurpatam ex se Monarchiam: a vanitate verò de concessione Anacleti prorsus ridicula debuit abstinere: & Adriani Clementisq; concessionem, nunquam debuit, conficta falsa historia, in denegationem conuertere.

XLVI. Audiamus tamen militem gloriosum, Vbi ergo, *inquit Baron. ibid. num.* 20. quod poluerunt recentiores, Siculæ monarchiæ fundamentum, Vrbani Papæ diploma? nonne oportuit, si ita fuisset aliquando, ea tanta totius eius molis ruina, tam Pontificia autoritate, quàm Regia potestate remansisse sepultum, tot tam contrariis editis scriptis, tum ab ipso Pontifice, tum etiam à dominantib. Principibus ipsis aduersus omnes quascunq; Ecclesiasticorum iurium oppressiones?] Hactenus tamen, bone Baroni, nihil probasti: nulli Pontifices adhuc in tuo opusculo, nulli Principes, ne tantillũ quidem, de Vrbani cessione, Adrianiq; ac Clementis confirmatione, de Principum naturali in Ecclesia potestate, detraxerunt. Oppressiones iurium Ecclesiasticorum sicubi sint, vel fuerint, tollantur, atterentur, aboleantur, omnes conlaborabimus, primique erunt Principes Christiani: iura tamen legitima Principum, potestatem ipsorum iure diuino eis concessam, & à Papis, qui interdum eam sibi nimium vsurparint, cessam, tu ne, censor superciliose, voces oppressionem. An verò posthac sis melius, quod spondes, probaturus, iam expendamus. Metam hanc tamen nos hic interim ponimus, optimè & solidissimè fundatam: à Rogerio Primo, vsque ad Constantiam, siue, quod idem est, ab Vrbano Secundo, vsque ad Innocentium Tertium, Monarchiam Siciliæ intactam, illæsam, inuiolatam, integram, approbatam, non impugnatam, non reprehensam, non reuocatam, sed post Vrbanum Secundum, à duobus Pontificibus, Adriano Quarto, & Clemente Tertio quatuor capitulis mansisse confirmatam, *Supra num.* 37. Quid postea fuerit post Innocentium Tertium videamus.

XLVII. Vide sis, obsecro Baroni, si defectam vis fuisse, vel à Pontificibus, vel à Principibus Siculã Monarchiam, ne mihi scita & leges obiicias generales, destruentes in genere, quicquid sit contra Ecclesiasticam libertatem. Primum quia semper negabo esse contra veram Ecclesiæ libertatem, quæ sit ipsius propria, si iure suo vtantur Principes, ac præsertim in Sicula Monarchia: Deinde quia semper respondebo sanctiones huiusmodi, & edicta, libertatem Ecclesiæ restituentia, si pro libertate velis intelligi illam, quam dono Principum possidet Ecclesia, contra eos duntaxat promulgari, qui vsurpatione iniusta Ecclesiam tali priuauerint libertate: & nunquam contra eos, qui vel voluntaria Ecclesiæ cessione, vt est in hac Monarchia; vel proprio & naturali iure, cum in illam potestatem legitimam habeant, eandem repetierint, & ad se reuocauerint. Tu igitur ita monitus vide quæ profeias, ne oleum & operam perdas.

XLVIII. Fidericum itaque iam toties nominatum, cum filiis Conrado, & Manfredo (quos satis immodeste perpetuò impios vocat tyrannos Baronius, *ibid. num.* 75.) non negat, imò expresse fatetur suæ Monarchiæ potestatem in Regno Siciliæ exercuisse: Cur verò non exercerent id, quod à maioribus per multos annos pacificè possessum, & sibi traditũ agnoscebant, vel ipsis Romanis Pontificibus nõ modo consentientibus & approbantibus, sed suis diplomatibus confirmantibus? Gregorius tamen, *inquit*, Nonus, non modò non consensit, sed etiam Fridericum excommunicauit, & Innocentius Quartus eum in Concilio Lugdunensi etiam Regno spoliauit. Inter alias verò, *inquit*, *ibid num.* 75. 81. caussas eius abdicationis, hæc allata est, quod electiones sacrorum Antistitum in Sicilia atque in Imperio turbasset, talias à clericis exegisset, Ecclesiasticosq; coram laicis conueniri permisisset.] Sed in hoc quoque conatur nos Baronius decipere. Quasi verò sententia Innocentij Quarti contra Fridericum non sit omnibus obuia in sexto decretalium? *c. Ad Apostolicæ de sent. & re iud. l. 6.* in qua abdicationis hæ ponuntur caussæ. Quod deierauerit toties pacem iuratam violando; Quod captiuos fecerit Cardinales, Episcopos, Clericos, & alios religiosos ad Concilium venientes; Quod de hæresi suspectus haberetur; Quod Ecclesias Siciliæ expilauerit, & Sacerdotes ad nihilũ planè, & in seruitutẽ redegerit? Quòd Rom. Ecclesiam, *cuius* homo & Vasallus esset, offenderit, & hostiliter impugnauerit; Quòd censum negauerit. Hîc de electionib. nihil, multũ minùs de taliis, & de Ecclesiasticorum iudiciis: hæc enim communissimo iure ad omnes Principes spectare, suo loco patebit. Et, si mei instituti esset, sicut tot excessus Friderici nõ assumerẽ defendendos, ita excusare illum, nonnihil conarer, Quod ex imprudentia, & nimio rigore Pontificum, sicut iam dixi de Henricis, & de primo Friderico, totus exulceratus, & ex aliqua iniuria circa iura legitima ei irrogata commotus, bellum non Ecclesiæ, neque Papæ vt Papæ, sed Papæ vt Principi temporali, & fortasse iustissimum mouerit: non enim patet, vt Papa clypeo Prælaturæ spiritualis, Principatum suum adaugere velit temporalem; & in temporalibus Principes Christianos iniustè ac impunè vexare, iura ipsorum propria eis per vim, tutus spirituali dignitate, eripiendo.

XLIX. Meum hic omnino est, occasione huius sententiæ in Fridericum à Papa Innocentio IV. latæ, in

memo-

memoriam reducere Romanis nostrorum temporum consultoribus, qui sanctissimo Domino Papæ Paulo consulere debuissent, dum, vt cõtra Serenissimam Venetam Rempubl. fulmina Ecclesiastica contorqueret, persuaserunt, percipiant, obsecro, sententiam illam, à me tamen in sequentibus non omnino approbandam; & ponderent verba illa Innocentij: Offerte preterea (*fuimus*) quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitũ læserat, quod non credebat, parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare: Et si diceret ipse, quòd in nullo contra iustitiam læserat Ecclesiam, vel quòd nos eum contra iustitiam læsissemus, parati eramus vocare (*non dicit Cardinales, Iesuitas, Carmelitas, & Sedis Apostolicæ seruos: sed*) Reges, Prælatos, & Principes, tam Ecclesiasticos, quàm seculares, (*nõ Romæ, sed*) ad aliquem tutum locum, vbi per se, vel per solennes nuncios conuenirent, eratq; parata Ecclesia de consilio Concilij sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam (*excommunicationis, iam per Gregorium Nonum lata*) si quam contra eum iniustè tulisset.] Vbinam declarationes libellantium, seu potius debachationes: Neminem in terris debere esse censorem sententiæ summi Pontificis; ipsummet, & non alium, qui non velit hæreticus censeri, debere suarum sententiarum esse censorem? Innocentius non putauit Papam esse Deum in terris, omnino impeccabilem; sed sciebat, se esse hominem peccato & errori obnoxium: ideoq; censores alios, & non ei amore vel timore, vel spe deuinctos, sponte admittebat paratus malè pnunciata retractare. Quoties verò illa religiosissima Respublica bonitatem suæ caussæ se ostensuram, si esset cui, obtulit? quoties de iniuria sibi facta conquesta est? cur non loco tuto, & à personis non suspectis est audita? sed vi & armis, adhuc magis opprimi parabatur, nisi Spiritus Sancti afflatu Pontifex, spreto consilio Achitophel, 2. *Reg.* 15. pũssima Serenissimorum Christianissimi, & Catholici Regum opera, à malè cœptis prudentissimè distitisset, eorumque religiosissimi Ducis, & sapientissimorũ Senatorum, illam Rempublicam per tot sæcula integerrimè gubernantium, innocentia. Ad nostra redeamus.

L. Cauerat Alexander Quartus decreto speciali, ne in posterum liceret Regnum Siciliæ iungi cum Imperio. Ex quo tale contra Monarchiam Baronius, *ibid. num.* 75. format argumentum: Quomodo passos esse Romanos Pontifices quis dicet, vt ex Ecclesiæ iuribus monarchia Siciliæ innouaretur, qui & additamento secularis potentiæ eam conflari penitùs vetuere? tantum abest, vt ex spiritualibus eam augeri voluerint.] Ego verò de voluntate Pontificum posteriorum non dubito: certus sum eos omnem mouisse & mouere lapidem, vt Principum potestatem, quàm maximè fieri possit, ad se trahant, & omnem aliam deijciant Monarchiam, vt propriam augeant, & stabiliant. Neque inspiciendum est, quid tentauerint, animo siue bono siue malo, sed quàm iuste tentauerint, & quid meritò obtinuerint. Et decretum Alexandri quàm prudens aut iustum fuerit, non discutio: non video tamen quomodo certum habere potuerit effectum; poterat quidem statuere, si Sedes Apostolica plenum habebat Dominium directum in illud Regnum, vt eo deuoluto, de ipso non inuestirentur Imperatores, ne nimia potentia postea, vt fecisse dicitur Fridericus, dedignarentur esse Papæ vasalli, & molirentur Regnum hoc omnino sedi subtrahere Apostolicæ. Quid si tamen Rex Siciliæ ad Imperium eueheretur? sed mittamus ista: Decretum fuerit optimum; quid contra monarchiam? si ageretur de monarchia instituenda, aliquid esset: sed monarchia erat iam plenè instituta, & ante ipsius institutionem hoc decretum factum non fuerat: non ergo ad tollendam monarchiam est factum, sed ad conseruandum Dominium directum Sedis Apostolicæ, quod optimè stat cum monarchia: Et sponte fatemur, post illam iam institutam, nullum Pontificum illius mentis fuisse, vt illam institueret, si non esset instituta; & omnes eam destruere, si fieri posset, cupierunt, non tamen potuerunt.

LI. Lata in Fridericum abdicationis suprà posita sententia, factaq; in ea declaratione, Regnũ Siciliæ iam vacare, & procedendum ad nouam prouisionẽ; etiamsi Manfredus Princeps Tarentinus Friderici nothus filius, absq; vlla Inuestitura illud occuparet, conatus tamen est Alexander IV. *Ibid. num.* 76. vt de illo Regno aliquem inuestiret, qui Manfredum posset expellere & designato ad hoc Edmundo Anglici Regis Henrici filio, inuestituram ei dandam præparauit, in qua reuocabat ad se electiones & confirmationes Episcoporum: & vniuersè ferme totam, quoad iurisdictionem Ecclesiasticam, destruebat monarchiam, *Baron. ibid. nu.* 81. Cum tamen hæc Inuestitura nullum effectum habuerit, *Ib. num.* 77. quia Anglus aliena Regna noluit inuadere: non est, cur de illa disputemus: omittatur: neque enim Baronio prodest, neq; nobis obest. Solum inde videmus, quæ fuerit mens Alexandri, nimirũ, vt monarchiam aboleret. Quod nos non negamus, & ridemus interim confidentiam nostri Baronij, qui ex his nihilominus solo æquari turres monarchiæ, aërem verberans, 1. *Cor.* 9. summopere gloriatur.

LII. Manfredo in prælio occiso, liberiori dispositione, *inquit Baronius*, idem Siciliæ Regnum ad iura Ecclesiæ Romanæ reuersum est, *ib. nu.* 77. *& seqq.*] Carolusq; Andegauensis, de eo iam à Clemente Quarto inuestitus, in totalem Monarchiæ Siculæ, quoad iura Ecclesiastica, extinctionem consensit, & subscripsit: Vt omnes electiones Prælatorum libere essent penes Ecclesiasticos, adeò vt nec ante electionem, siue in electione, siue post, regius assensus; vel consilium aliquod sit requirendum; Vt ita prouisi vti possint liberè omnibus bonis & iuribus suis, saluo tantùm iure patronatus Regio, quod antiqui Reges Siciliæ habuerint; Vt forũ Ecclesiasticum in omnibus caussis Ecclesiasticis saluũ sit & liberum; Vt appellationes ad Sedem Apostolicam sint liberæ, & earum prosecutiones: Vt clerici non iudicentur ciuiliter, nec criminaliter à iudice seculari, neque Regi subiaceant; quod talias Ecclesiis Rex non imponat; Vt sedibus vacantibus Rex spolia non faciat.] Hæc ille fusius ex aurea bulla Caroli Andegauensis, primi Siciliæ, ex Franciæ genere, Regis. Quibus tamen monarchia vel nihil, vel parum admodum mihi videtur labefactari. Et cur non promitteret Carolus adhuc maiora, vt celebri Regno in Italia hospes, & alienigena, priuatus ferè miles, licet Regis Galliæ Ludouici frater, potiretur? hisce verò capitulis nõ tam cedit Carolus de speciali Siciliæ Regum, & eò vsq; ordinaria, quàm naturali cuiuscunq; Principis potestate, quã esse Principũ propriam iure diuino naturali tam ostendi. Imò, vt proprie loquar, ne cedit quidem, sed concedit, & indulget, vt est à me in præcedentibus confirmatum; cum præsertim in eadem bulla suas etiam faciat reseruationes. Ait enim, *ibid. nu.* 80. Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur, secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, pro vt canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prelatis, quorũ predecessores antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt: Ab illis aũt Prælatis, & Ecclesiis, qui regalia, siue temporalia bona tenent: si qui tamen sint, qui huiusmodi bona teneant, à Domino Regni, & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione huiusmodi bonorum ab antiquo cõsueuerunt Regibus, & ipsis Dominis tẽporalibus

seruitia exhibere, eiusmodi honesta, & antiqua seruitia, eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, prout statuta patiuntur canonica, impendantur, salua semper circa Ecclesias cathedrales, & alias regulares, ac personas, ac loca Ecclesiastica, tam in faciendis prouisionibus & electionibus confirmandis, quam in aliis quibuscunque Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ iurisdictione ac autoritate plenaria & libera potestate.] His verbis aliquid datur, & aliquid retinetur: vt fieri solet ab iis, qui cum minimo proprio præiudicio aliquid donant, quod donare coguntur. Interim tamen manebat eidem integra sua naturalis potestas Principum, vt dixi, propria, vt posset etiã concessa ad suum beneplacitum, ex caussa legitima reuocare: nam neq; sibi, neq; successoribus præiudicabat: quod est à me iam fuisse probatum *supr. cap. 5.*

LIII. Magni facit, & inculcat sæpius Baronius, *ibid. nu.* 81. aliud capitulum, quod in eadem bulla sequitur, videlicet: Reuocabo quoq; omnes cõstitutiones, seu leges per prædictum Fridericum, vel per Reges Siciliæ, siue per Conradũ ipsius Friderici filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, qui de facto Regnum ipsum detinuit occupatum, editas contra Ecclesiasticam libertatem: Nec statuta vel constitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ iuri vel libertati Ecclesiasticæ derogetur.] Cum tamen quænam & quales fuerint huiusmodi constitutiones non constet, ad hoc capitulum nihil est respondendũ; & circa eas, vt supra monui, Baronius diuinat, contra fidem actorum publicorum, & in corpore iuris canonici positorum, sua obtrudit. Mox eadem capitula ad verbũ fuisse post Carolum ab ipsius successoribus promissa & iurata, in accipiendis Pontificum inuestituris, cõmemorat: quamuis non nisi Siciliã, citra Pharum retinuerint, *ib. nu.* 83. 88. occupata adhuc sub hoc Carolo Sicilia vltra Pharum per Petrũ Aragonensem: eadẽ ergo dicit, *ibid. nu.* 84. *& seqq.* promisisse & iurasse bis Carolum II. Robertum eius Nepotem, & Ioannam.

LIV. Dicam nunc & ipse libere, sed modeste, ne videar aliorum procacitatem & petulantiam contra Principes insolescentem imitari. Dicam, inquam, Hos omnes fuisse in illud Regnũ intrusos, & mercenarios, non pastores, qui per ostium non introierant in ouile, *Ioh.* 10. 1. sanè alienũ; sed aliunde. Quid igitur ad ipsos de conseruandis illius Regni iuribus, qui Regnũ vsurpabant? Dicam rursum libere, sed verè ad vsurpationẽ hanc, non dicam ad latrocinium & rapinam, concurrebant Romani Pontifices, & indebitas imò iniustas, & nullius roboris inuestituras faciebant, per summam vim, nondum regno ad ipsos deuoluto; etiam dato, quòd in ipsum totũ haberent directi Dominij iura, quòd de Insula nõ credo: si igitur nullæ & iniustæ erant inuestituræ, nullę et & iniustę erant leges, & conditiones in ipsis positæ; quæ veros & legitimos Reges nunquã possent obligare; suisque antiquis, imò & naturalibus iuribus spoliare. Ita & promissiones intrusorum, nihil poterant ijsdem legitimis Regibus præiudicare.

LV. Vtinam Romani Pontifices, carnem & sanguinem sequentes plusquam nimium, se ad negotia temporalia, & vanitates, ac insanias falsas, *Psal.* 39. 5. ad dominandum temporaliter non extendissent, suosve affines exaltare per fas & nefas, nõ laborassent: regnorum sanè reuolutiones, bellorum incendia, prouinciarum deprædationes, & iusti ac innocentis sanguinis tot effusiones non vidissemus. Fridericus Imperator huius nominis secundus, verus, & legitimus Siciliæ Rex, quia adiuncta Imperij potestate iura regalia acrius contra illa deprimentes Pontifices defendebat, ab Honorio Tertio fuit ob hoc plurimum vexatus, & excommunicatus, ac Regnis priuatus, *gen.* 41. *ann.* 1221. atque hęc fuerunt seminaria, *inquit Nauclerus*, malorum plurimorum.] A Gregorio item nono bis excommunicatus fuit, quòd ad sacrum bellum in Orientem non perrexisset, *Platin. in Gregor. IX.* ac tantis Pontificis minis cogitur nauigare, & post reditum absoluitur, soluta tamen ingenti pecunia Pontifici. Tertiò etiam ab eodem anathemate feritur pro quibusdã excessibus contra libertatem Ecclesiæ, vt vult Antoninus. Sed tamen ex Gregorij eiusdem Epistola ad Regem Franciæ patet eum excommunicasse, quia non properabat ad subsidium terræ sanctæ, *Apud Naucl. anno* 1230. Extrudebatur censuris miser in Orientem, vt interim Papa ad eripiendum ei Siciliæ & Neapolitanum Regnum vires & artes omnes commodius expromeret. Mortuo Friderico Conradus eius filius Regnorum hæres fuit: Cuius loco Manfredus Siciliæ regnum administrabat, quod & tandem occupauit: & quia Papam noluit Manfredus pro Domino temporali agnoscere: suumque Monarchiæ ius, more maiorum, exercebat: hinc indignatus Papa Vrbanus Quartus, aduersus eum Carolum hunc Andegauensem cum copiis ex Gallia euocauit: ac tandem Clemens Quartus bello deuicit, & occidit, viuo tamen & nullius culpæ participe Conradino, Conradi filio, Friderici nepote, & Patris atque Aui legitimo in omnibus Regnis successore; cuius etiam nomine Manfredus se Regnum administrare profitebatur.

LVI. Cur ergo Papa intrusit vi Carolum, vbi legitimus extaret hæres? ac vt videas Pontifices nullum in hoc ius, nullam voluisse sequi, aut tueri æquitatem: sed suis perturbationibus, & auiditati regnandi obsequutos, scias Innocentium Quartum, qui Fridericum profligauit, Neapolim & Capuam, ex Friderici Regno, rapuisse; Ciuibus persuasis, & adductis ad defectionem: & quia miser Conradus conabatur paternam recuperare hęreditatem, excommunicatus fuit ab Innocentio, & Regno priuatus; autorque fuit idem Innocentius, vt, eo abdicato, electores Imperij alium eligerent Regem Romanorum, eique opponi fecit Gulielmum Turingum: Et dum impiè veneno sublatus fuisset à fratre Manfredo Conradus, maximas fecit congratulationes Innocentius, & reconciliatus est cũ Manfredo, quem tanquam pueri Conradini tutorem agnoscit, & in Salernitano Principatu confirmauit Vt ex Blondo & Antonino liquet, ac alijs scriptoribus, *videlicet Naucl. Gen.* 42. *ann.* 1252. Atq; ita Pontifex Manfredi fauore subleuatus, fines Regni intrauit, & in breui deiectis Conradini pueri tutoribus, cuncta in suam potestatem accepit. Hinc igitur illæ lachrymæ: hæc tota spectabat Monarchiæ Siculę oppugnatio: hæ excõmunicationes Friderici & Cõradi; hæ priuationes & abdicationes: vt arma spiritualia, & potestas à Christo data pro Ecclesia in spiritualibus gubernanda, ad regna temporalia occupanda inseruirent.

LVII. Et tamen contra hunc Manfredum Virum Innocentio optimum, & Sedis Apostolicæ amicum maximum, eique ad Regna temporalia occupanda ministrum non infedulum, ac legitimè in Sicilia regnare existimatum, vbi & ille vsurpatum à Papa Regnum Nepotis sui Conradini recuperare conaretur, neque tam potentem Principem Papa Vrbanus, & Clemens post illum ferre possent; sed suspectum haberent: oppugnandum omnino esse, tanquam hostem, statuerunt, Carolumque ex Gallia aduocarunt, & in Conradini viuentis & innocentis adolescentis, legitimi in illo Regno successoris locum, occiso Manfredo, subrogarunt; opemque tulerunt, vt ab alienis alienum Regnum occuparetur. Nunc Rex nouus pro (scilicet)

religio-

religionis zelo à Papa factus, prostrato Manfredo, eiusque fusis copiis, Saraceni pacem concessit, ac permisit, vt suis legibus in Italia viuerent. *Naucl. Gen. 43 ann.* 1264. Neque dicant, per mortem Manfredi Regnum illud pleno iure ad Ecclesiam rediisse, *Baron. ibid. n. 77.* optimè enim sciebat Clemens, Cōradinum verum & legitimum successorem esse superstitem. Audiamus historicos: *Naucl ibid.* Resciit tum Clemens Pontifex Conradinum adolescentulū, Conrado genitum, Copias in Germania parare; mox Imperii curam assumpsit, & Carolum Francum Regem in Hetruria Vicarium Imperii constituit: contendebant enim de Imperio Alfonsus Hispanus, & Richardus Anglicus. Insuper idem Clemens scripsit vniuersis Christi fidelibus, ac Conradino, vt Regi scriberent Siciliæ; nec illi contra Carolum Siciliæ Regem consilium, auxilium, aut fauorem præstarent.] Audi etiam iustissimas eiusdem Conradini querelas: His, *inquit Naucler. ibid.* auditis, Conradinus scripsit lamentabilem epistolam, quæ incipit, *Ex abundantia cordis.* In qua iniurias sibi illatas enumerat. Cōqueritur in principio de Innocentio IV. quod sibi Innocentii nocuerit: Nam Conradus Pater suus Siciliæ Rex condito testamento, se tenellum in manibus S. Matris Ecclesiæ reliquerat; & quòd tunc Papa Innocentius sub prætextu Conradini, asserens se eius baiulum, totum Regnum occuparit, qui tum possessione adepta nomen suum extinguere conatus sit, terras ipsius Conradini distribuens in suos consanguineos & nepotes. Deinde cùm Manfredus pro se Conradino tunc terras Regni recuperauerat, qui tum perfidia motus, ad se, mentitus mortem Conradini, Regnum traxerit; & mortuo Innocentio Alexander succedens, ad illum Episcopum Venusinum miserat, vbi pacis mentio fuerat habita: nihilominus ipse Alexander per literas suas alios ad Regnū inuitauerat. (*nempe Edmundum Anglum.*) Quo mortuo consequenter idem Conradinus conqueritur de Vrbano, quòd sibi fuerit inimicus: Nam, se Conradino neglecto, egerit cum Manfredo, voluerit q; eidem ac suis hæredibus Regnū concedere: & cùm tractatus ipse mansisset incompletus idem Pontifex in excidium ipsius Conradini, Carolum inuitauerit ad Regnum. Illo verò Pontifice defuncto, conqueritur, quòd Clemens Papa contra eum inclementer egerit, & in Regno prędicto Anii Regem crearit. Nec his contentus, sed & processus fulminauit, non reputans esse satis, quod contra DEVM & omnem iustitiam abstulerit sibi Regnum, nisi Regni etiam titulum tollat. Deinde præfatum Carolum per vniuersam Italiam Imperii Vicarium statuerit, quo cōmodius vires suas comprimat.] Hucusque literæ miseri ac infelicis Conradini.

LVIII. Hæccine tibi videtur, Baroni, Regni Siciliæ ad Ecclesiam deuolutio? Annon hoc est vi, nō iure, agere? hoc non est infame latrocinium? Inuestituræ hæ Andegauorum, an non sunt rapinæ iniustissimæ? Et quia Conradinus paternum & auitum Regnum armis recuperabat; instructo contra eum exercitu Carolus à Pontifice adiutus, cui Regnum vi eripuerat, etiam vitam miserrimo adolescenti eripuit, captum enim viuum & incolumem impiissimè fecit obtruncari. Obiiciat nunc Baronius Andegauorum inuestituras, & Regni ad Sedem Apostolicā deuolutiones; ac iurium Monarchiæ tyrannica oppressione depressiones; nihil profectò inde aliud obtinebis, nisi & Papis non æquè agentibus, & sibi veritatem occultanti, & callidè eam subticenti, solidam infamiam; dum occiso Manfredo, Regni dispositionem liberiorem ad Sedem Apostolicam deuolutam asserit: de Conradino verò legitimo hærede & innocente turpissimè eiecto & oppresso ac trucidato, ne verbum quidem.

LIX. Conuertitur inde Baronius *ib. nu 90. & seqq. & nu. 107.* ad Petrum Arragonum Regē, qui post Vesperas illas Siculas Siciliâ Insulâ fuerat potitus; inde etiam Monarchiæ oppugnationē eo nomine instituit, quòd cùm ipse Petrus non modò illam exerceret, sed etiam hominium Sedi negaret Apostolicæ, & directo etiam dominio illam spoliaret, fuerit à Martino IV. excommunicatus, & Regnum interdicto suppositum generali: Digrediturq; in eiusdem Petri contumelias; quòd licet Manfredi filiam haberet vxorē, eam solam ex Rugeriorum & Friderici sanguine superstitem, non potuisse tamen esse liberum, quin teneretur à Sede Apostolica inuestituram petere, & accipere; eique hominium & censum exhibere: Sicut Vuillelmus licet malus, fecerat; & Constantia Friderici mater, ipseque *inquit*, Fridericus, ac denique præter tyrannum Manfredum, inuestituras omnes acceperunt.] Hoc (pace tanti viri) falsum est. excepto enim Vuillelmo & Constantia, cuius inuestitura effectum nō habuit, Friderico merito resistiente, nemo prius, neq; antea, neq; postea pro Insula Sicilia inuestituram accepit: nec ipse Petrus tenebatur eam accipere, vt ostendam inferius.

LX. Degener, *inquit*, fuit Petrus à Prædecessorum pietate, & in Sedem Apostolicam ingratus; eò quòd, cùm esset Romanæ Ecclesiæ feudatarius, ratione Regni Arragonum, Regiumque titulum Regni eius beneficio Sedis Apostolicæ possideret, cùm Auus ipsius item Petrus Regnum illud Romanæ Ecclesiæ obtulisset, nunc tamen Romanæ fuerit factus Ecclesię aduersarius.] Producitq; Regium diploma, in quo hæc habentur: Ego Petrus — cupiens Sedis Apostolicæ protectione muniri, Tibi — & Apostolicæ Sedi offero Regnum meum: illudque Tibi & successoribus tuis in perpetuum, diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ meę, & progenitorum meorum, constituo censuale; vt annuatim de Camera Regis ducentæ quinquaginta Massemutinę Apostolicæ Sedi reddantur, & ego & successores mei specialiter ei fideles, & obnoxii teneamur. Hoc autem lege perpetua seruandum fore decerno; quia spero firmiter & confido, quod tu, & successores tui, me ac successores meos, & Regnum prædictum Apostolica autoritate defendetis, præsertim cùm ex multo deuotionis affectu me ad Sedem Apostolicam accedentem tuis quasi Beati Petri manibus in Regem solenniter coronandum voluisti.] Ita prior Petrus in suo diplomate.

LXI Sed neq; hæc ad negotium, quod tractatur, quicquam faciunt: Esto enim, fuerit feudatarius ratione Regni Arragonum, si Regnum Siciliæ non censebat esse Romanæ Sedis verum feudum, cur se & Regnum supponat in eo, in quo se Regnum liberum esse arbitratur? Sicut gloriosissimus Rex Catholicus, si nunc Papæ ab eo impertinenter poscenti subiectionē omnium suorum Regnorum, eam negaret: profectò ingratus nō esset, etiamsi ratione aliquarum terrarum Regni Neapolitani, sit Papæ censualis. Sed ad dilatanda phylacteria, magnificandasque fimbrias Sedis Apostolicæ, *Matth. 23. 5.* ista importunè ingessit Baronius: Vt omnia penè Regna Christianorum Papæ subiiciat, omnesque Reges ipsius faciat Vasallos: vt nimirum, extincta eorū linea, Regna ipsa ad Papam deuoluantur. Et si per extinctionē lineæ ea vt deuoluantur, nō possit exspectare, conabitur, vt publicata ex aliqua prętensa causa excōmunicatione, & Regni priuatione, aut, quod peius est, etiam machinata nece, vt factum est in misero Conradino, omnino deuoluantur. Est tamen mera vanitas, feudatarios facere Reges, vbi illi ex mera deuotione eleemosynam ex Regno colligendam, siue ex ærario Regio annuatim accipiendam,

Sedi Apostolicæ concedunt: eleemosynam vero huiusmodi iam Romani Hieromonarchici volunt esse tributum, seu censum in recognitionem feudi. Sane Constantinus Magnus, & filii, vt scribit Athanasius in vita Antonii, se ipsi Antonio, & Imperium enixe commendabant, vt precibus & sanctis monitis ac consiliis eos adiuuaret; dicemusne propterea illos se fecisse Antonii feodatarios, etiamsi ei subinde de terrenis opibus, quas tamen ille contemnebat, aliquid subministrassent? Non nego tamen principes contermiinos fauisse vt plurimum, & fauere Pontificibus, ad veram feudi rationem, in huiusmodi piorum Principum deuotionibus obtinendam, vt mendicatâ aliquâ occasione persuadeant opportune iisdem Romanis Pontificibus, vt deueniant ad priuationes; & ipsis contermiinis, seu ad illa Regna aspirantibus, faciant inuestituras; atque hoc pacto aliena Regna inuadant; & interim à se iniustorum inuasorum notam effugiant, & crimen deprecentur; vt factum est in hoc ipso Aragoniæ Regno, quod Galli Reges à Martino quarto, in odium huius Petri impetrarunt, & crudeli bello tentarunt, sed frustra. *Antonin. 3 p. tit. 20. c. 4. §. 10. 11.* Maxima tunc Christiani sanguinis facta est effusio, duo Reges vitam amiserunt, Petrus Arragonum, & Philippus Francorum, filius Ludouici sancti: qui certe sanguis diu clamauit in Cælum contra Martinum, qui præcipuus ad eum effundendum viam aperuit.

LXII. Semel vero iam etiam ipse ingressus in Petri defensionem, illud addo, ne in eo quidē merito reprehendendum, q inuestituras pro Regno Siciliæ à Papa noluerit requirere, aut accipere. Sciebat enim Siciliam non esse verum feudum Ecclesiæ eo modo, quo sunt feuda Principum laicorum; & Pontifices conati sunt, vt sibi, ad modum laici feudi, regnum illud subiicerent, sed immerito. Quomodo enim Sicilia ad manus Pontificis deuenerit, ita vt plenum in ea haberet saltem directum dominium, quod ego sciam, non apparet. Et si quid tale haberetur, id Baronius, cui intima Sedis Romanæ archiua patebant, non reticuisset; qui etiam impertinentia hac occasione publicauit. Scimus profecto Siciliam tempore Michaëlis Imperatoris totam fuisse à Saracenis occupatam; nam Michaël ipse misit Georgiū Maniacum ducem strenuū (vt autor est Curopalata, & Leo Ostiensis *l. 2. c. 68.*) qui maxime vsus Northmannorum ex Apulia virtute, totam Insulam recuperauit, deuictis & pulsis Saracenis; & eam sub pleno iure Constantinupolitani Imperatoris denuo ei subiecit. Sed statim rursus à Saracenis occupata, statim etiam iisdem eiectis per Græcos Duces est recuperata, vt idem habet Curopalata & Cedrenus. Scimus præterea Robertum Guiscardum Principem Northmannorum celeberrimum, facile sibi subegisse ducatum Apuliæ, Calabriam, Campaniam, & finitimas regiones; & quia multas terras occuparat S. Petri, fuisse eum cum Northmannis à Sede Apostolica excommunicatum: & vt in gratiam cum illa redirent, eos ad se aduocasse in Apuliam Nicolaum secundum: qui Richardo Capuanum Principatum, Roberto Ducatum Apuliæ Calabriæ atq; Siciliæ confirmauit: *Leo Ost. l. 3. c. 15.* Eiusq; iuramentum factum Nicolao, est apud Baronium *to. 11. an. 1059. n. 59.* quod sic habet:

LXIII. Ego Robertus Dei gratia & S. Petri, Dux Apuliæ & Calabriæ, & vtroq; subueniente, futurus Siciliæ, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis de omni terra, quā ego proprie sub dominio meo teneo, & quam adhuc vlli vltramontanorum vnquā concessi vt teneat, pmitto me annualiter pro vnoquoque iugo boum, pensionem scilicet duodecim denarios Papiensis monetæ persoluturum Beato Petro, & tibi Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus successoribus tuis &c.] Subditur ibidem eiusdem Roberti iuramentum fidelitatis; cuius initium idem est, videlicet: Ego Robertus Dei gratia, & S. Petri, Dux Apuliæ & Calabriæ; & vtroque subueniente, futurus Siciliæ, ab hac hora &c.]

LXIV. Post viginti circiter annos rursum, vt occupator terrarum S. Petri à Gregorio septimo priùs excōmunicatus, deinde in gratiam ab eodem est receptus. Cui simile exhibuit Robertus fidelitatis, seu potius confœderationis iuramentum, his verbis: [*Inter ep. Gr. 7. l. 8. post ep. 1.* Ego Robertus Dei gratia, & S. Petri, Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ Dux, ab hac hora &c. — Tibique adiutor ero ad tenendum, acquirendum, ac defendendum regalia sancti Petri eiusque possessiones; pro meo posse, contra omnes homines (excepta parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, vnde adhuc facta non est definitio) & adiuuabo &c.] Et inuestitura Gregorii sic habet: Ego Gregorius Papa inuestio te, Roberte Dux, de terra quam tibi concesserunt antecessores mei sanctæ mem. Nicolaus & Alexander: De illa autem terra, quam iniustè tenes, sicut est Salernus, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo, in confidentia, &c.] Ille verò facit pmissionem census his verbis: Ego Robertus Dei gratia, & S. Petri, Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra, quam ego teneo propriè sub dominio meo, & quam adhuc nulli vltramontanorum ita concessi vt teneat, promitto me annualiter pro vno iugo boum &c.]

LXV. Ex his tamen nolo disputare, quid iuris tūc habuerit Ecclesia Romana in terras Apuliæ, Campaniæ, Calabriæ, &c. & quales essent istæ inuestituræ, qualiave iuramenta, Infeudationis ne & vasallagii, an tantùm amicitiæ, deuotionis & cōfœderationis; quicquid id fuerit, non laboro. Illud tamen contendo, Siciliam Insulam nondum fuisse siue Græcis, siue Saracenis ereptam à Northmannis: nam ante annos quadraginta, quàm Robertus ista cum Gregorio septimo transigeret, Sicilia erat, vt vidimus, plene subiecta Græco Imperatori; & quamuis Northmannorum ope Græci tunc expulerint prima vice Saracenos, tamen postea statim Saraceni iterum Insulam occuparunt, procul dubio eiectis etiam Normannis: Quam rursum Græci sub Saracenis abstulerunt. Robertus vero Guiscardus viginti circiter annis post recuperatam à Græcis Siciliam, & vt arbitror, denuo à Saracenis occupatam, ostendit quidem se ad illam recuperandam aspirare, nondum tamen eam possidebat: ait enim, vt vidimus sub Nicolao 20. Robertus Dei & S. Petri gratia Dux Apuliæ & Calabriæ, & eorundem gratia futurus Siciliæ.] Quæ verba & significant votum tantum, & desiderium ac consilium: & eam à solo Deo, ac intercessione sancti Petri, non á Papa eiusve concessione habiturum. Quòd verò in iuramento post alios viginti annos facto Gregorio septimo, idem iam se vocet Ducem Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, omnino intelligendum est Siciliæ in voto & spe, vt suprà, cum iure potiùs ad rem, quam in re: quia de Sicilia per eum recuperata temporibus Gregorii 7. nondum video vllum indicium. Imò cùm Gregorius inuestiat illum de solis terris, de quibus inuestitus fuerat á Nicolao & Alexandro, quorum temporibus clarissimum est, Siciliam non fuisse alieniginis ereptam, planum redditur, hoc tempore nondum fuisse Ducem actualem Siciliæ. Fortasse permouerant eum Nicolaus & alii, vt animum adiiceret, & vires præpararet ad acquirendam

Sici-

Siciliam, & paganis eripiendam, tituloq; illum Ducis etiam Siciliæ decorarant, vt tanto promptior se ad eam subiugandam accingerẽt; vt ex iuramento, & promissione Nicolao factis, clarè patet; ideoq; Leo Ostiensis ait, Nicolaum Roberto Ducatum Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ confirmâsse: Siciliæ profectò non nisi titulo tenus. Ex titulorum verò concessione nescio an Sedes Apostolica titulatos à se sibi faciat feudatarios. Certè tunc ipsa Sedes Apostolica nihil prorsus iuris habebat in Sicilia, & tamen titulum Ducis Siciliæ dabat Roberto. Esto etiam, potuerit Papa terras infidelium distribuere, & confirmare, quibus placet, vt fecit Alexander VI. in diuisione noui orbis: *Maffeius lib.1. Indic. hist. & Bulla Alex. VI. inter cætera*, sed hæc non est infeudatio; neque enim propterea Hispaniæ aut Lusitani Reges fuerunt, & sunt Papæ, pro Indiis, per inuestituram earum à Papa acceptam, feudatarij. Neq; possum intelligere, quo iure potuerit Alexander terras infidelium absolutè donare Regibus dictis, & suâ proprietate spoliare Reges illarum terrarum infideles. Viderint hoc alij.

LXVI. An verò postea Robertus, siue per se, siue per Rogerium, ipsius vt puto fratrẽ, Siciliam recuperarit, nõ pugno cum Baronio *to.11. an.1085. n.25.* Illud tamen etiam atq; etiam contendo, Rogerio potissimũ, ab Vrbano II. tribui laudẽ Siciliæ subiugatæ, *supr. n.2.* & de manibus Saracenorum ereptæ: fecerit id adiutus à fratre Roberto Northmannorũ insigni Principe; & fratris concessione opeq; factus fuerit Siciliæ Comes, & de Sicilia ab eo inuestitus, à quo & ius Siciliæ sibi comparãdæ à Pontificibus illi, vt diximus, cõcessum, fratriq; communicatũ, & vires militaresq; copias habuerit; nihilominus in Rogerio hoc primo merito primam ponimus Siciliæ plenam subiugationem, & de manibus paganorũ liberationem: quo tempore oportuit Constãtinopolitanos Imperatores adhuc Siciliæ Dominium prætendisse. Ex Vrbani diplomate huius contentionis fundamento, quæ dico, apparent: Quia prudentiam, *inquit*, tuam supernæ Maiestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit: & probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, & sanctæ Sedi Apostolicæ deuotam se multimodis semper exhibuit, &c.] Erat ergo Regnum Siciliæ sub potestate Saracenorum, & consequenter nõ erat iuris Ecclesiastici, neq; in spiritualibus, nedum in temporalibus, quia dicitur Ecclesiam Rogerius in finibus Saracenorum dilatasse. Neq; ante habitum ab Vrbano priuilegium pati poterat Rogerius, vt Papa Legatos cum tãta potestate in Insulam mitteret, vt vidimus n.4. ex Gaufredo: non igitur erat Rogerius Papæ feudatarius, quia obniti Papæ nõ potuisset: & dum ei Vrbanus morem gerit, cedit potius, & cessat ab iniusta molestatione, quàm cõcedit aut indulget. Domini verò feudorum aliter se gerunt cum vasallis. Et illud diploma, nõ est inuẽstitura, sed simplex, vt dixi, cessio; ne ille in suis iuribus turbaretur. Iam igitur & Robertum & primum excludo Rogerium à Papæ vasallagio.

LXVII. Alter Rogerius, prioris filius, fuit quidem à Papa, seu Antipapa Anacleto Rex primũ titulo nominatus, & in Ducatu Apuliæ & Neapolitano, & Capuano, & reliqua Sicilia, vti Rex, confirmatus: *Baron. tom.11. an.1097. n.47.* de inuestitura tamen vlla aut vasallagio nihil prorsus habemus. Illud scio, hũc Rogerium fuisse aliquando tanquam Papæ Anacleti præcipuum fautorem & defensorem aduersus Innocẽtium II. à Lothario II. Imperatore Innocentium defendẽte, fusis eius copiis Rhegio pulsum, *Otto Frising. apud Naucl. ge.38. an.1137.* & tunc Ducatum Apuliç datũ Rainaldo viro forti, atq; in eo inuestiendo controuersiam penè subortam inter Papam Innocentium, & Imperatorẽ, vtroq; Ducatum Apuliæ sui iuris esse affirmante: quæ lis consilio tandem hoc modo decisa dicitur, vt in dando Duci vexillo, vterq; manum adhiberet. Et tũc Ioannes Cõstantinopolitanus Rogerio infensus, quod illius, vt arbitror, Siciliam possideret, Legatos ad congratulandum cum Lothario misit de Rogerio fugato. Si tũc Sicilia, cuius nomine citra Pharum venit etiam Apulia, erat feudũ Ecclesiæ, cur Imperator Lotharius eam sui iuris facit, præsente Pontifice, & assentiente, vt manum super vexillum poneret? quamuis non multo postea Rogerius, instauratis viribus, & Ducatum recuperauerit, & Innocentium captiuum fecerit cum suis Cardinalibus, qui tumultuario coacto exercitu, cõtra Rogerium, insigni exemplo Christi Vicarij, armatus processerat. Quem ipse statim liberauit, obtento ab eo priùs Regni & titulo, & confirmatione, vt narrat Gotfredus Viterbiẽsis, & ex eo Antoninus, *apud Naucl. ibid. an.1138.* ac plures alij; & sic, *inquiunt*, recognouit Rogerius Regnum ab Ecclesia: & ab eo tempore Regnum Siciliæ patrimonium Sancti Petri scriptum est; Quod Conradus & successores sui, ratum habere noluerunt, secutaq; inde multa sunt mala.]

LXVIII. Initium ergo prætensionum Ecclesiasticarum in Regno Siciliæ, fuit spõtanea oblatio Rogerij posterioris sub Innocentio II. Ideoq; filius eius Willelmus primus fuit, qui Inuestituram ab Ecclesia Rom. acceperit, vt fatetur etiam Innocentius III. in Inuestitura Constantiæ, vt suprà. Altera Inuestitura fuit facta eiusdẽ Rogerij filiæ Constãtiæ ab ipso Innocentio III. sed prius iam Henricus Imperator, Constãtiæ vir, Friderici pater, ex pacto etiam cũ Cælestino, propriis impensis, vt vidimus, Siciliam iure belli sibi plenè subiugarat, quæ tota rebellauerat, *Naucler. Gen.40. ann.1198.* Quomodo ergo Papa vult in eam ius feudi habere, si alterius impensis & sanguine est recuperata? Soluat saltem prius impẽsas: sic verò scribit idem Nauclerus: Verùm ego vereor hanc mutationem (*vbi Constãtia cessit quatuor capitulis*) causam fuisse multorum malorum: Cùm Henricus non gratis, sed suis sumptibus, hoc Regnum, pacto interueniẽte cum Cælestino, acquisiuisse videatur.] Alias Inuestituras nullas prorsus reperies ante Carolũ Andegauensem; & ipsa Caroli cum seqq. fuit violenta, & nulla, atq; attẽtata, & præsumpta. Ideoq; hallucinatur Baronius *ibid. n.90.106.* dũ ait, Petrũ Aragonium debuisse accipere à Papa inuestiturã, quia & Willelmus eam ab Adriano acceperat, & Cõstantia Friderici mater, ipseq; Fridericus; ac deniq; inquit, præter tyrãnum Manfredum, Inuestiturã omnes acceperũt.] Id enim falsum est: nam solus Willelmus & Constantia Inuestituris se subiecerunt; nemo alius præterea, atq; ij renitente ac reclamãte Imperio: ita vt nunquam fuerit in pacifica possessione Ecclesia Reges Siciliæ inuestiendi: & quod bis factũ est, idq; non sine oppositione, ne factũ quidẽ merito existimatur; cũ præsertim id etiã interruptè factũ fuerit; iam ante Willelmũ Northmãni omnes sine inuestituris in Sicilia regnarũt, vt probaui; & post Willelmũ rursus, anteq̃ Constãtia Inuestituram accepisset, omnes, *Baro. ib. n.50.* & nemo postea eorũ amplius à Rom. Pont. Inuestiturã accepit.

LXIX. Ad pleniorẽm porrò Petri ipsius Aragonẽsis, quam suscepi, defensionem, quem passim immeritò certè, ne dicam inuerecundè, Baronius tyrannum vocat, & rebellem, illud addo, meritò eum ad Siciliæ Regnum accessisse, iure sanè hæreditario, vxorio tamẽ nomine, cuius vxor Manfredi iam dicti filia sola, aut saltem proxima post Manfredi & Conradini necem, ex Rogerij I. sanguine esset superstes; nihil verò ei obstabat, quod Manfredus illius parens fuerit ex pellice

Friderici filius illegitimus: extinctis enim legitimis hæredibus omnibus, Iure naturalis successionis priuari non poterat: cum præsertim Regnum illud totum esset liberum Northmannorum, à Rogerio, vt diximus, suis sudoribus, de Saracenorum manibus ereptum, & sibi plenissimo Iure ac liberrimo, ac toti suæ prosapiæ comparatum. Iure vero naturæ inter legitimos & nothos nulla est distinctio: & compertum habemus in historiis, hoc ipsum Regnum, etiam ad solos filios adoptatos postea transiisse, vt videbimus in Alfonso: quanto magis ad naturales transire debet? ad filios enim omnes ex quacunque matre natos, hæreditas paterna spectat, nisi à patre ipso, vel aliis exceptio facta fuerit; quam exceptionem in nostro casu proferet. Et si quis nolit vxori Petri successionem hanc concedere in Regnum Siciliæ, propter Patrem; concedat illam necesse est, quia sola exstaret proxima cognatione Conradino, qui vltimus verus & legitimus de iure Rex Siciliæ decessit. Quod si Manfredus longa possessione pacifica illius Regni, factus est Rex legitimus, quod fieri solere etiam in sacra Scriptura habemus, & concedit Bellarminus, *contr. Barcl. cap.* 38. & ego iam aliquoties monui, iam etiam propter paternam successionem Regnum illud ad Constantiam vxorem Petri pertinebat. Carolus vero Andegauensis legitimum ius nullum in eo habebat.

LXX. Sed quid miror? Nicolaus Tertius Pontifex Maximus Petrum Arragonum, ad comparandum sibi Siciliæ Regnum vxoris nomine ei debitum inuitauit; imo & solicitauit. Scribit n. Bartholdus Lucensis, *apud Naucl. gen. 43. an. 1210. & Platin. in Nicol. 3.* Nicolaũ; nisi eius consilia mors præoccupasset; voluisse duos Reges creare, vtrumque Vrsinum; alterum Hetruriæ, alterum Lombardiæ; qui inde Teutonicos alpes incolentes; hinc Gallos, Siciliam & Regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent: vt vero id facere posset facilius, Petro Arragonum Regi persuaserat, vt iure hæreditario Constantiæ vxori suæ Regnum Siciliæ repetere annitteretur, quæ erat Manfredi filia, & neptis Conradini *(hoc est Conradi)* & hoc Ioannis Prochitæ opera.] Vrbanus, & Clemens Carolum ex Gallia in Siciliam inuitarunt; Nicolaus Petrum ex Hispania; Illi prorsus alienigenam, cui Iniustam Inuestituram concesserunt: Hic agnatione ad Regum Siculorum sanguinem proxime attinentem. Vterque à Pontificibus Romanis vocatus, vterque ab his vt Regnum Siciliæ occuparet persuasus: nunc cuius sint potiora iura lippi etiam oculi vident. Vt sane longe prudentius Nicolaus, etiamsi, vt illi, humanas secutus sit affectiones, non Inuestituram suam sit pollicitus, sed iura naturalia naturalis successionis Petro in mentem reuocarit. Quid ergo tãtopere debacchatur in Petrum senex, & Carolum intrusum in cœlum euehit, ex eo tantũ, quod cessione Siculæ iustissimæ Monarchiæ, in Papalem iniustam consenserit Monarchiam? Ita semper Baronius Regula vtitur Lesbia.

LXXI. Petrus tamen, *inquit Baronius, ibid. num. 63.* & Iacobus eius filius, & proximus in Regno Siciliæ successor, propterea & excommunicationi, & interdicto, ad multos annos subiacuerunt; quia Inuestitura Romanæ Sedis carere voluerunt.] Beati tamen qui persecutionem patiebantur propter iustitiam, *Matth. 5.* Excommunicatio si feratur iniustè in innocentem, multo plus nocet excommunicatori, quam excommunicato. De iniustis huiusmodi excommunicationibus & interdictis, ac censurarum pro solis rebus temporalibus abusu satis multa disputaui huius operis libro quinto: & nonnulla addam in sequentib. Iniustas porro fuisse censuras omnes in Petrum & filium, patet clarissime ex iam dictis. Hic me interpellat Baronius, & ait: Dixeris ne tu Lector si bona rem agis, eos omnes qui eo temporis spacio Reges Arragonum in Sicilia, qui inuita, contradicente atque irrogante pœnas Sede Apostolica regnauere, legitimos fuisse Reges; an potius iure censuris nominandos fuisse tyrannos? Dixerisne, si æquitatis es arbiter, ipsos Romanos Pontifices eodem tempore consulentes Romanæ Ecclesiæ iuribus in Sicilia collabentibus, non legitime inuestisse de eodem Siciliæ Regno à tyrannis eo modo occupato atq; detento Andegauenses, quousque Arragonenses in ea contumacia perstitere, & pulsando ostium Romanæ Ecclesiæ ea aperiente ingredientes, legitimi facti sunt Regni Siciliæ possessores?

LXXII. Dixerim ego profecto, bona, imo optima fide rem agens, illos Reges in omni Regno esse veros Reges, & non tyrannos, quicunque & legitimum habent in Regnum ingressum, vt legitimæ successionis; & iuste regnant ac regunt; etiam si Romana Sedes in Dominia temporalia contra Christi, Apostolorum & Sanctorum Patrum doctrinam, præcepta & exempla inhians, sine caussa legitima contradiceret; ac per summam iniuriã pœnis Ecclesiasticis, pro rebus mere temporalibus, abuteretur. Dixerim etiam, vt sincerus æquitatis arbiter, Romanos Pontifices in Sicilia nullum tunc ius tẽporale habuisse quod collaberetur; sed contra ius & fas, aduersus legitimos Siciliæ, & prorsus in omnibus innocẽtes, vt erat saltem Conradinus, Regem Andegauensem, non dicam tyrannum, sed intrusum, excitasse; quo tempore ne somniabant quidem Petrum Arragonensem futurum Regem Siciliæ, ab eis excommunicationibus, & interdictis plectendum. Quasi vero Andegauensibus datæ sint primum Inuestituræ, Petro iam & Hispanis Siciliam detinentibus. Imo iusto Dei iudicio tam turpem occupationem Andegauensium non ferente, mali male perditi sunt, & illa Insula aliis locata est agricolis, *Matth. 21. 41.* nempe Petro, ad quem naturali iure spectabat.

LXXIII. Vt filum Monarchiæ huius interrumpat Baronius, quod sæpius hactenus, sed in cassum tentauit; duos nobis commemorat Fridericos, secundum dictum, & tertium; *ibid. num.* 94. Et secundum quidem, Petri filium, dicit, inita concordia cum Andegauensibus, Carolo secundo, & Roberto eius nepote; iunctoque fœdere nuptiarum ita cum illis pactum esse, vt ipse dum viueret esset Rex Insulæ Siciliæ, sed post eius mortem ipsa Insula perueniret ad illos eorumque hæredes: Atque interim recognosceret Romanam Ecclesiam totius illius Regni dominam, censumque ei persolneret, & certas conditiones omnino monarchiam destruentes seruaret, & seruandas iuraret. Hæcque omnia à Friderico, ait, promissa fuisse ad tempus suæ vitæ seruanda. Et probat ista ex Bonifacij VIII. diplomate quod incipit: *Rex pacificus.*

LXXIV. Hæc tamen omnia sunt verba duntaxat; factis & non solis verbis & firmatur & infirmatur firmata hæc monarchia: doceat igitur Fridericum & promisisse, & promissa seruasse. Et si ille non potest docere eum ista seruasse, vt vere nõ potest, ego docebo nunquam ista seruasse Fridericum, sed perpetuo, quoad vixit, in sua integra monarchia illum perseuerasse. Sic enim de ipso scriptum inuenio: *apud Antonin. 3. p. tit. 21. cap. 4. §. 10.* Insuper Rhegium Ciuitatem, & alia quæ acquisierat manu armata in Calabria, repetita in manu ipsius Papæ *(Ioannis 22.)* sibi restitui, cum Papa de facto illas tradidisset in potestatem Roberti, cõtra assensum suum; propter quod asserens se deceptum à Pontifice, assentire noluit dictis treguis triennalibus, sed diffidatẽ fecit ipsum Regem Robertum. Ex hoc indignatus

Papa

Papa cum Cardinalibus, sententiam excommunicationis fulminauit contra Dominum Fridericum; sed in contemptum huius Fridericus ipse coronam Regis Siciliæ filio suo primogenito, Domino Petro dedit, non tamen sibi auferens Dominium, dum in humanis esset. &c.] Isthæc ne est reuerentia & obedientia debita suo Domino à vasallo? tota igitur illa concordia fuit ficta, vt asserit Antoninus, & quæ nullum effectũ habere deberet; sed facta ad speciem, vt minori cum dedecore Carolus Valesius, quasi facta pace cũ optimis cõditionibus, domum redierit: vbi tamen ipse vt pacẽ conficeret, summopere satagebat, rebus omnibus in Italia per ipsum pessimè gestis. Audiamus Antoninũ 3. *p. tit. 20. c. 8. §. 16.* de Carolo hoc Valesio ista scribentem:

LXXV. Vt tamen minus erubescentiæ ex recessu sine profectu aliquo sustineret, (tentauerat enim bello Siciliam parum feliciter,) ordinauit cum prædicto Friderico simulatam pacem, sine scitu Caroli Regis Apuliæ, cum certis pactis, videlicet, quod Fridericus acciperet in vxorem filiam Regis Caroli, vocatam Eleonoram; & quòd Rex Carolus & Ecclesia iuuaret Fridericum in acquisitione Sardiniæ, aut alicuius alterius Regni: Tunc & eo casu traderet Siciliam Insulam in manibus Caroli. Vbi autem aliud Regnum minimè obtinere valeret, tunc acciperet seu teneret Fridericus Siciliã nomine dotis vxoris suæ, & post mortẽ suam & filiorum Fridericus teneretur eam Siciliam dimittere Carolo Regi & hæredibus eius, dando ei centum millia vnciarum auri. Quibus conuentionibus initis inter partes, & iuramento firmatis, reuersus est Carolus Valesianus cum classe sua Neapolim, & filia Caroli sine conuentione desponsata fuit Friderico, sed talia promissa impleta minimè extiterunt.] Hæc Antoninus. Simulatè igitur tota hæc conuentio transacta est; neq; tamen in ea vllæ conditiones extant de recognitione Papæ, de solutione census, de subiectione Regni, de cessione Monarchiæ, quæ fingit Baronius, vel ex se addidit Bonifacius, nunquam tamẽ seruanda, sed fictè & simulatè promittenda, per voluntariam partium collusionem: Nam & reuera ridiculæ sunt huius conuentionis conditiones; & à Victo Victori impositæ. Fridericus itaq; hic secundus ostium Romanæ Ecclesiæ nunquam pulsauit, præsertim ad hoc, vt sua prisca iura ei cederet.

LXXVI. Nunc descendendum ad Fridericum tertium, ad cuius tempora ab initio Siculæ Monarchiæ, ipsa per trecentos fermè annos, absq; vlla legitima interruptione, vt hactenus ex nostra patet defensione, perdurauit. Tam igitur, an illam resciderit ille Fridericus, videamus. Asserit id Baronius *ibid. n. 95.* nempe inter Ioannam Reginam Apuliæ, & Fridericum Regem Siciliæ initam fuisse concordiam, vt Fridericus hic tertius Regnum Insulæ Siciliæ, vt ab ipsa acceptum retineret, eiq; homagium faceret, & successoribus successores; penderet ei & successoribus quotannis censum inter ipsos pactum, idq; sub Papæ, qui tunc erat Gregorius XI. beneplacito; qui alias nõ paucas addiderit conditiones Monarchiam ipsam prorsus destruentes; quam dicit Fridericum ipsum spõte admisisse, ac iuramento firmasse. Mihi verò primum hæc non nisi domesticis testibus à Baronio cõfirmari videntur, quibus quantum credendum sit, ignoro; nam & domestici sunt, & adhuc intra domesticos latent parietes bibliothecæ & Archiui Pontificum Romanorum, neq; adhuc prodierunt: sed ista, quæ attestatur Baronius, illi testes ei secretò, clàm omnibus, in aures insusurrarunt. De hoc fœdere nihil illorum temporum scriptores, quod sciam; nihil posteriores Chronographi, nihil Historici: ex quibus potius contrarium licet colligere. Nam Ioannam tradunt, defuncto Gregorio, & dato ei Vrbano successore, sibi ab eo plurimũ timuisse, ne contra ipsius Regnũ aliquid machinaretur; ac ideo autorem præcipuã schismatis faciendi illã extitisse, quæ Cardinalibus ab Vrbano deficientibus securitatem & commoditatem in suis terris dederit, ad aliam faciendam electionem; Clementiq; Anti-Papæ fundis facto, eam vel maximè cõtra Vrbanum sæuisse, *Antonin. 3. p. tit. 22. c. 2.* Illàne igitur, quæ sibi à Papis plurimum timebat, nouis Regnorum & vasallorum ac tributorum accessionibus illorum vires auxisset? & vbi promissiones homagij per illam paulò antè & Fridericum factæ huic tàm citò euanuerunt? Ostendat mihi, vt modò dicebam, de priori Friderico, non verba, sed facta, & promissionum executionem.

LXXVII. Quid verò obsecro adegit Fridericum hunc tertium, vt, qui liber erat Insulæ Siciliæ Rex, duplici iugo colla subderet, & se tributariũ faceret? Nam & Ioãna sibi ab eo hominium reposcebat, & tributũ; & Gregorius addidit, sibi quoq; & Ecclesiæ Romanæ faciendum, *Baron. ibid. n. 95. 96.* Certè quod ipse potui obseruare, Ioanna tempore Gregorij XI. Fridericum neq; strinxit, neq; bello pressit vllo; imò tota occupata fuit in mittendis bis auxiliaribus copiis pro Gregorio contra Florentinos, [*Antonin. 3. p. tit. 22. c. 1. §. 4.*] inter quos bellũ ardebat immanissimũ, cuius occasione bella alia omnia in Italia conquieuerant. Sicut igitur suprà vidimus, Bonifacium VIII. diploma quoddam cuiusdam compositionis fictitiæ inter Fridericum II. & Carolum Valesianum, conditionibus pro suo arbitratu nunquam effectum habituris refersisse; ita etiam de Gregorij diplomatibus in hac alterius Friderici cõpositione cum Ioanna, idem prorsus dicendum arbitramur: vt fuerint potius minutæ quædam, & dispositiones fiendorum, ac desideratorũ per Papam, & designatorum, quàm factorum corroborationes.

LXXVIII. Interim accipio ex ipsius Baronij confessione, Aragonios in Sicilia, post extinctam huius Friderici in vnica eius filia lineam, regnando absq; inuestituris diu perseuerasse; & eos sanè, qui in Petrum primum Siciliæ Regẽ suam referrẽt originem. Quem Petrum, etsi ipse tyrannũ vocet, & inuasorem, & propterea maledictionẽ cum tali hæreditate asserat possideri; nos tamen ab hac maledictione liberamus eius hæredes, quia longè iustiorem, & multo magis legitimum illum Regem fuisse, ex iam dictis reperio, quam fuerit tertius hic Fridericus; ad quem vel inuitos pertrahere conatur Baronius posteriores in hoc Regno successores, vt eos Papæ in temporalibus plenius subdat, quamuis posita etiam pro ipsius arbitratu hac linea, nihil tamen inde de hac subiectione, vt est ostensum, consequeretur. Meminisse enim deberet, fraudulentam huius Regni inuasionem per Fridericum secũdum, huius tertij, ni fallor, auum, cum turpissima infamiæ macula factam. Eam ab Antonino *ibid. tit. 20. c. 8. §. 5.* & Nauclero *gen. 14. an. 1296.* aliisq; narratam accipe.

LXXIX. Petrus Arrago, quo tempore Siciliæ Insulæ accepit Regnum, Alfonsum filium primogenitum Regem instituit in Arragonia; & decedens ex Sicilia, vt Aragoniam & Cathaloniam contra Gallos defensaret, quas occupare tentabat Carolus Valesius Regis Ludouici frater, à Papa Martino IV. de illo Regno inuestitus, in pœnam Petri inobedientiæ, vt qui Sedis Romanæ illud esse feudum prætenderet; in Sicilia filium Iacobum secundo genitum, qui & Dangianus siue Dongianus vocabatur, coronandum curauit. Mortuo verò tàm Petro, quàm Alfonso, quem Galli extrudere nunquam potuerunt, cùm Iacobus

cuperet pacificè Regnum suum in Hispania obtinere, sibiq; Papam & Gallos obstitutos sciret, laborauit, vt mediante ipso Papa Bonifacio, pax sequeretur, initumq; est opera dicti Bonifacij fœdus inter Iacobū & Carolum Apuliæ Regem II. vt liceret Iacobo ad Arragoniæ Regnum quietè peruenire. Siciliam verò Insulam Carolus ipse Apuliæ Rex sibi vniret, & Iacobo filiam vnam traderet in matrimonium. Carolus itaque Andegauensis, cessa Andegauia Carolo Valesio Regis Galli fratri, vt ille cederet iuribus, quæ à Papa Martino habuerat in Hispania, tradidit nuptui filiam Iacobo, qui statim etiam pacificè & quietè Auitum Regnum Arragoniæ est assecutus. Vbi verò Carolus Andegauensis putabat se similiter pacificè Insulam Siciliæ recepturum, ecce tibi Fridericus Iacobi frater, tertius Petri filius, Insulam occupat, & se Regem facit. Cumq; Carolus de fraude sibi facta plurimum, imò & Bonifacius conquererentur, Iacobus, vt ostenderet, se inscio & inuito ista facta, obtulit suas vires, & personam ad bellum contra fratrem Fridericum. Instituta que vtrinque classe, Siculi fugati sunt; ita tamen vt Fridericus euaserit, ac Insulam omninò retinuerit: Carolus verò delusus actum egit.

LXXX. Nunc tu, æquanime Lector, esto iudex, vter turpius Siciliam occuparit, & iniustius; Petrusne pater, an Fridericus filius? Ille vocatus, & inuitatus, & proximus, imò fortasse solus, vxorio nomine, naturalis Regum legitimorum hæres; hic verò nullum prorsus ius habens, & fratre Iacobo, qui erat legitimus Rex, solenni pactione, imò permutatione ferè Regnum hoc legitimè in Carolum transferente. Et nihilominus mauult Baronius, Arragonensium posteriores in Regno Siciliæ successores, per Fridericum tertium, & consequenter per hunc illius auum, fœdissimum vsurpatorem, ad iura Regni peruenire; quàm per aliam lineam, vitato hoc inuasore, à Petro legitimo primo ex Arragonensibus Siciliæ Rege, legitimas ducere successiones.

LXXXI. Accedit mox ad posteriores Siciliæ Reges Baronius, *ibid. num.* 100. 101. 102. nimirum ad Alfonsum Arragonensem, qui vi adoptionis à Ioanna vltima Andegauensium stirpis in Apulia, & Calabria, ac Campania, hoc est, in Sicilia citra Pharum Regina, vtriusque simul Siciliæ factus est plenè Rex vnicus, anno Christi 1443. Hunc igitur, ait, Inuestituram obtinuisse ab Eugenio Papa quarto, in qua, pro vtraque Sicilia, tàm vltra quàm citra Pharum, & fecerit Papæ homagium, & iurauerit fidelitatem, & admiserit leges & conditiones, easque solenniter Sedi Apostolicæ seruandas promiserit, quæ exciderint vincula omnia Siculæ Monarchiæ. Dicit enim Baronius in diplomate Eugenij sub anno Domini 1443. Id. Iulij, positas fuisse expresse multas conditiones, quas etiam Clemens quartus posuerat in Inuestitura Caroli primi Andegauensis, & eas post biennium ab Alfonso ratificatas, promissas & iuratas, Eugenij diplomate ad verbum recitato.

LXXXII. Quoniam tamen hæc omnia ex secretioribus Vaticanæ Bibliothecæ angulis depromit, neque verbatim describit, Scriptores verò ad hæc particularia, quos ego viderim, non descendant, Vereor, ne cæcorum pugnam cum ipso ineam: si Eugenij diploma integrum verbatim exscripsisset, & euulgasset, sicut exscripsit Alfonsi ratificationem & iuramentum, tutius & solidius cum ipso loquerer. Interim tamen habeo per trecentos & quinquaginta circiter annos, à Rogero primo vsq; ad hanc Alfonsi Inuestiturā, Monarchiam Siculam integram, & nunquam abruptam perseuerasse. Illud etiam habeo ex ipsomet tractatu Baronij, *ib. n.* 43. afferri à quibusdam in exemplum seruatæ Monarchiæ, etiam ab Alfonso, eum appellationes ad Romanam Sedem, ante elapsum annū sui præstiti iuramenti, impediuisse, ac postea petentibus Siculis, dato etiam ad hoc rescripto, impedimentum reuocasse. Et tamen inter capitula Eugenianæ Inuestituræ, *ib. n.* 44. recensetur hoc de huiusmodi appellationibus non impediendis. Baronius tamen periurū statim clamat fuisse Alfonsum; & pro lege non esse habendum, quod periurus percitus furore aliquando facere voluisset.

LXXXIII. Ego tamen, sicut in magnanimo Rege Christiano, qui nuper pacem cum Rom. Ecclesia solenni iuramento firmauerat, contemptum magnum religionis, imò & consequenter propriæ existimationis, nō admitto, qui si noluisset ex timore Dei, & Christiana religione, certè ex timore humanæ ignominiæ, qua Principes præsertim fidelitatis desertores grauissimè commaculat, debuisset ab illicitis, & fide Regia ab se abdicans abstinere; ita nō dubito, illum voluisse in suo iure antiquorū Regū, & suorū prædecessorū, per plura secula in Insula Siciliæ continuato perseuerare: quas enim conditiones promisit Eugenio, & iurauit, eas in solo Regno Siciliæ citra Pharū nuper acquisito, & pro quo solo hominiū faciebat, & Inuestiturā Papæ accipiebat, se seruaturū promisit: non ita in Regno Siciliæ vltra Pharū, quod liberū pacificè & quietè per tot annos, continuata antiquissima suorū maiorū possessione, successione legitima detinebat, neque vlla indigebat pro eo Inuestitura. Hoc enim verba ipsius clarissimè & apertissimè præ se ferūt: Namq; ait: Ego Alfonsus Dei gratia Rex Siciliæ, plenū homagium ligium & vasallagium faciens vobis Domino meo Eugenio Papæ IV. & Ecclesiæ Rom. pro Regno Siciliæ, & tota terra ipsius, quæ est citra Pharū, &c.] Et postea: Regalia S. Petri, tàm in Regno Siciliæ & terra prædictis, quā alibi consistētia, &c.] Et iterum: Vniuersas & singulas conditiones suprascriptas, & cōtentas in præsentibus literis Apostolicis, super ipsorum Regni, & terræ concessione cōfectis, &c.] Et in fine: Datum, &c. Regnorum nostrorum anno trigesimo: huius verò Siciliæ citra Pharum Regni vndecimo. *Baron. ibid. n.* 101.

LXXXIV. Considerare debuisset Baronius, in omni feudatione Principum duo esse; alterū ius ipsum regnandi, & exercendi dominium & iurisdictionem in personas Regni seu loci infeudati: alterum in terras ipsas & possessiones, ex quibus vectigalia & tributa siue census solet colligi: Dum igitur ait, *pro Regno Siciliæ*, intelligit primum ius; dum verò addit, *& tota terra ipsius*, intelligit ius posterius. Ac planè ineptè Baronius *ibid. nu.* 101. 108. intelligit nomine Regni Siciliæ, Insulam; nomine verò terrarum citra Pharum, Apuliam, Calabriam, & alias. Quis enim dicet, terram totam, quæ est citra Pharum, esse terram Regni Insulæ Siciliæ? Regnum enim Siciliæ vltra Pharum habet suas terras, ipsam Insulam: Regnum verò Siciliæ citra Pharum habet suas, Apuliam, Calabriam, & alias. Et sanè pro illo tantum Regno se declarat hominium facere, cuius terræ sint citra Pharum: & ita nullo modo potest includi Insula. Atque hic non est cauillus, sed ipsamet apertissima veritas.

LXXXV. Non dubito Papam Eugenium in suo diplomate posuisse & declarasse, se vtriusque Siciliæ Regnum Alfonso concedere, & iam debere vnitum hoc Regnum ad successores, nulla amplius facta ipsius diuisione, transire: Volebat enim bonus Pontifex hac occasione etiam in Insulam ius vel nunquam prius habitum acquirere, vel iam amissum recuperare; & ipsius licet prædecessorum inuestituræ datæ Andegauensibus, in Regni citra Pharum

duntaxat

duntaxat effectum semper post Carolum Primum habuerint: eas tamen se dare pro Regno vtriusque Siciliæ semper illi sunt professi. Quid mirum igitur, si Eugenius, qui inuestituram dabat illi Regi, qui Siciliam vltra Pharum effectu ipso possidebat, & iam effectu pariter esset vtramque Siciliam plene habiturus, vtramq; in sua posuerit inuestitura, cum obligatione tamen, vt Regnum hoc in posterum non diuideretur. At vero ipse Alfonsus, ne in verborum apicibus caperetur, voluit in sua ratificatione optime se & clarissime explicare, se à Papa non recipere nisi Siciliam citra Pharum, & pro illa hominium, & conditiones promittere, non pro Sicilia vltra Pharum. Fuit igitur ipsius humanitatis, si Appellationes, petentibus id Siculis, ad Romanam Sedem permiserit: seruata procul dubio sibi sua Regia potestate, hanc ipsam permissionem, si necessitas aut opportunitas ita requireret, reuocandi: cum nullum præiudicium aut ipsi, aut suis in Regno illo successoribus huiusmodi remissio posset generare.

LXXXVI. Hinc igitur est, quod Ioannes Alfonsi frater, Catholici Regis Pater, Siciliam Insulam cum Regno Arragoniæ, decedente Alfonso sine legitima prole, obtinuerit; *Baron. ibid. num.* 103. *& seqq.* & inuestituram à Papa noluerit; quia neque Alfonsus, neque vllus ex Alfonsi præcessoribus illam voluerat, vt iam est ostensum. Neque quicquam prodest Baronio, quod Nicolaus Quintus, & Pius Secundus, & Sixtus Quartus, inuestituram plenam fecerint vtriusq; Siciliæ Ferdinando Alfonsi filio illegitimo, quia vt vidimus, semper Pontifices in inuestiendis Regibus Apuliæ, pro cautela vtriusque Siciliæ dabant inuestituram, vt ita viderentur sua iura quæ prætendebant cõseruare; quamuis nunquam illæ effectum habuerint in Sicilia vltra Pharum; sicut neque hæ ipsæ Ferdinandi nothi effectum habuerunt, Ioanne Arragonio, & postea Ferdinando Filio, Rege Catholico Insulam integre sine inuestitura retinentibus. Et quod Ferdinandus ille Alfonsi filius conditiones omnes à Papis impositas plene admiserit & seruarit, nihil ad rem nostram, qui de Monarchia Siciliæ vltra Pharum disputamus, non de Regno Apuliæ, siue Neapolitano, hoc est, de Cicilia citra Pharum, in qua Monarchia illa non prætenditur. Nam & Ferdinandus Catholicus per naturales successores à Petro primo Arragonensi iam Rex Arragoniæ, & Siculæ Insulæ liber & naturalis, cõsecutus Regnum etiam Siciliæ citra Pharum, consentit libenter in Iulij Secundi inuestituram, sed explicate de Regno Siciliæ citra Pharum; neque Siciliæ alterius in illa mentionem voluit fieri.

LXXXVII. Sed quæ ratio est, *inquit Baronius*, vt Siciliæ citra Pharum peteret inuestituram ab Apostolica Sede, Siciliæ vero vltra Pharum minime? cum æque vtriusque Siciliæ Dominium penes eandem Apostolicam sedem esset; & sicut illius, ita & istius inuestituram conferre cõsueuerint Romani Pontifices à primis temporibus, cum ea Saracenis expulsis sunt potiti Northmanni, & Robertus Guiscardus, qui primus inuasit, & frater eius Rogerius, qui plene possedit, (vt pluribus de singulis dictum est superius suis locis) sicut & posteri vsque ad tyrannos Conradum atque Manfredum & Conradinum, de Sicilia vltra Pharum; sicut de Sicilia citra Pharum, quam vocãt, æque ab Apostolica Sede acceperunt inuestituras.] Ita Baronius, manifeste vt appareat historicam ipsam veritatem peruertens: nam & misero Conrado ac Conradino nondum quicquam male meritis de Sede Apostolica per illam perperam exclusis, datum est, vt vidimus, Regnum Andegauensibus: & falsum est, vsque ad horum tempora præcessores eorum omnes ab Ecclesia habuisse Siciliæ Insulæ inuestituras. Quæ omnia iam supra elucidaui, & reddidi manifesta: nimirum solum Willelmum, (si tamen Innocentio III. qui solus id affirmat, credendũ sit) & Constantiam, nescio ficte ne an serio; neminem præterea, siue prius siue posterius, inuestituras hasce accepisse: Inuestituram tamen datam Constantiæ nomine pueri filij eius Friderici, ipse iam adultus, vt vidimus, ratam habere noluit.

LXXXVIII. Cum itaque Iulius II. inuestituram fecerit Ferdinando Catholico de sola Sicilia citra Pharum, & Insulam nõ incluserit, id ita volente Ferdinando, qui se Dominum Insulæ citra Papales inuestituras liberum agnoscebat, quis non videt & conscientiam in hoc Pontifice, & prudentiam? noluit ex conscientia quæ alij mali vsurpauerant prædecessores iniuste retinere, seu potius prætendere, qui nullum ius Ecclesiæ temporale in illa Insula agnoscebat: Prudentia vero ei dictabat, ne vellet incerta retinẽdo certa etiam in discrimen vocare: & vt pacem cum magnis Principibus, omissis omnibus discordiarum occasionibus, conaretur plenam conciliare. Hæc itaque meo iudicio fuit cessio libera & absoluta, qua se Romana Ecclesia omni prætensione feudi in Regno Siciliæ vltrà Pharum abdicatur, & consequenter priuilegia omnia illius Regni integra & inuiolata voluerit permanere. Vnde toties oppugnata cum grauissimis scandalis monarchia Sicula in suo robore tandem subsisteret.

LXXXIX. Negat tamen Baronius ex hoc Iulij decreto derogari quicquam iuribus Romanæ Ecclesiæ, & actibus prædecessorum: Siquidem, *inquit, ibid. num.* 107. de ea re priuilegia per singulas inuestituras diuersis collata, vsu recepta, probata, confirmata, atque adeo stabilita fuere, vt ad abrogationem eorum specialem mentionem requirerent, & causam magnam exposcerent.] Et postea *ibid. num.* 108. 109. mitatur, quomodo Iulius solam Siciliam citra Pharum intellexerit, & non vtramque; cum semper à maioribus vtraq; inclusa fuerit. Indeque cõtendit, etiam in hac Ferdinandi Catholici inuestitura, nomine Siciliæ & terræ citra Pharum, intelligi vtramque, si debet eo sensu accipi quo à prædecessoribus Siciliæ nomen est vsurpatum; vt Sicilia & terra citra Pharum, sint duæ res, hoc est vtraque Sicilia, alioquin, *inquit*, si alio sensu quam sonant verba ista sint posita, ecce in verbis, captio & deceptio.] Repetitq; & toties eam inculcat, à tempore Nicolai Secundi vsq; ad hunc Ferdinandum, per quingentos annos inuestituram huiusmodi Sedem Apostolicam habuisse possessionem; quę tamen est crassa & palpabilis falsitas. Nam inuestituræ quas commemorat, aliquæ omnino non fuerunt, aliquæ simulatæ sunt; alię nullum vnquam effectum sunt sortitæ; aliæ notorie iniustæ, per vim & vsurpationem factæ sunt; aliæ denique de sola Sicilia citra Pharum habuerunt executionem; duas solas easq; non omnino indubitatas ei reliquimus: alias omnes prædictis ex causis ei iam eripuimus.

XC. Dum vero quærit specialem priuilegiorum derogationem, iniquus sane Iudex est: Pondus enim & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum; *Prou.* 20. 10. non enim eadem trutina nostra ponderat qua sua; neque eadem mensura metitur. Ad infringendum enim Vrbani Secundi diploma, nullam vnquam specialem protulit derogationem; sed ex quibuscunque factis siue decretis, etiam remotissimis, illud omnino concidisse probare. At vero ex Iulij facto, quoniam specificam non continet derogationem, iura, imo vanas & nunquã fundatas non patitur concidere prætensiones: & tamen Iurista est, & optime nouit, quantopere facta contraria derogent

 priuile-

priuilegiis. Neq; est cur miretur de facto Iulij insulam, excludente; id enim, vt dixi, & conscientia, & prudẽtia dictabat. Et plurimum seipsum decipit Baronius, aut callidè nos decipere conatur, dum variat terminos & structurã verborum: aliud enim est, si dicas; *Sicilia & terra citra Pharum*: aliud verò, si dicas, *Regnum Siciliæ, & terra ipsius, quæ est citra Pharum*: prior locutio duas regiones significat; quæ locutio non est in illis inuestituris, & homagiis: posterior significat duplex ius in vna, & eadem regione, vt iam exposui; personale alterum, & iurisdictionis; alterum verò reale, & vtilitatis; neq; in alio sensu hæc verba fuerunt vnquam posita; nimirum in inuestitura Alfonsi & in hac Ferdinandi. Non itaque in verbis est captio & deceptio; sed cautio & exceptio; cauent enim vterque, ne in verbis capiantur; & excipiunt expresse Regnum Siciliæ vltra Pharum, ac separant à Regno Siciliæ citra Pharum. Et Ferdinandus multo clarius loquitur, dum suos titulos restringit, & se vocat Regem Siciliæ citra Pharum; tacens de suo Regno vltra Pharum; quia ratione solius Regni citra Pharum & Hierusalem hominium præstabat: Pro Regno, inquit, Siciliæ & Hierusalem, atque tota terra, quæ est citra Pharum.] Hoc est, pro pleno titulo Regis Siciliæ ex adiectione Regni citra Pharum; & pro tota terra eiusdem Regni Siciliæ citra Pharum. Insulam verò non includi, his verbis patet, quia Insula etiam habet suas terras: & tamen homagium præstat pro sola terra, quæ est citra Pharum. Si verò homagium præstaret etiam pro Regno Siciliæ vltra Pharum, procuLdubio includeret etiam terras vltra Pharum: cùm verò eas non includat, neque Regnum includit, quod sit vltra Pharum. In vanum itaq; hucusq; laborauit Baronius.

XCI. Postremus ipsius in hoc tractatu labor est, in ostendenda possessione iurium Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, ex vsu veterum. Incipitq; ab Innocentio tertio, sub quo, ex suis tantum somniis, extinctam fuisse autumat malè cœptam Monarchiam. Ecce, *inquit ibidem, n.116.* Innocentius ipse Visitatorem mittit illuc plenissima facultate; ea quæ opus esset agendi; Cardinalem Episcopum Ostiensem, *lib.1.epist.413.* & rursus Cardinalem S. Laurentij in Lucina, *Ext. de offic. iud. deleg. c.2.4.* & Syracusanum Episcopum, *lib.1.epist.511.* & alios, *epist. 571.572.573.574.* Insuper causas ad Sedem Apostolicam deferri solitas, idem diuersis Episcopis in eadem Insula delegauit: *lib.1.epist.180.310.576. & lib.2.epistol. 14.* Et anno quinto sui Pontificatus misit in Siciliam Cardinalem S. Marcelli: & anno septimo Cardinalem S. Adriani, dando ei vices tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus. Et ad Regem Siciliæ Fridericũ scripsit literas, vt eiusdem Legati monitis & consiliis acquiescat, & alias ad eundem Legatum de optimo statu Regni instituendo, *ibid. n.111.*] Apparent profectò expeditiones per Innocentium factæ, illarum tamen effectus & executio nõ apparet: & dicere oportet, non tàm hæc Innocentium scripsisse; quàm illa peregisse: & esto etiam peregerit, de consensu tamen Imperatricis Constantiæ, & eius prudenti pro tempore conniuentia, ista illum peregisse oportuit. Et in Vrbani priuilegio non aufertur Papæ tota potestas absolutè Legatos in Siciliam mittendi, sed cauetur, & promittitur, illos non fore mittendos præter volūtatem Regis & consilium. Et talis vsus nihil oppugnat Monarchiam, vbi de consensu Regis ista fiunt.

XCII. Idem dico de Honorio, quem non est dubium plurimum certasse pro exteriori ista Ecclesiæ libertate, & in priuilegiis salua esse voluisse iura Ecclesiæ Romanæ: sed & contra Fridericum perpetuo pugnasse; non quia in Sicilia iurisdictionem Ecclesiasticam externam exerceret, sed quia in toto Imperio id faceret, in quo non prætendebat hanc Siciliæ Monarchiam, *ibid. n.112.* Et licèt Fridericus vt Princeps prudens sese interdum excusaret, ne Pontifex irritaretur, tandem excussa patientia, quantum restiterit, plenæ sunt historiæ. Collectas verò in Regno Siciliæ indixit Honorius, & Appellationes indicauit, non tamen præter ipsius Friderici voluntatem. Innocentius etiam Quartus similiter, si misit Legatos & Nuntios in Siciliam; [*ibid. n.113.*] Rege annuente, & sponte Pontifici consentiente id factum oportuit.

XCIII. Ex tabulario Camerali plura profert, *ibid. n.111. & seqq.* quæ eundem vsum videntur confirmare. Sed omnia, aut sunt pro solo Regno Siciliæ citra Pharum; aut pro rebus merè spiritualibus, & propriè Ecclesiasticis, fidei, religionis, Sacramentorum, & censurarum; aut sunt cum consensu & beneplacito Regis; aut agitur de nuntiis siue missis pro priuatis negotiis absq; vlla publica potestate: aut nescitur, an effectum habuerint, vt potius fuerint designata à Papa, quàm peracta; aut fuerunt interdum missi meri exactores, vel collectarum, vel decimarum, vel spoliorum, procuLdubio cum consensu & brachio Regis. Vt propterea nihil conficiant.

XCIV. Conqueritur inde de iniuria, *ibid. num.120.* quam, *inquit*, scriptis omnibus reclamantibus, iuribus omnibus contradicentibus, cœlo terraq; testantibus, Apostolica Sedes in Regno Siciliæ patiatur: & de ignominia, quam eadem ibidem subire cogatur, rebus ipsis in deterius prolabentibus.] Heu nos miseros! ad quæ deuenimus tempora? vt iniuria Ecclesiæ reputetur & deploretur, si ei etiam supra modum turgenti temporalia auferantur; & tota ipsius ignominia in eo putetur sita, si huius mundi glorioso dominatu, tantoperè à Christo, sanctis Apostolis, & Patribus abominato, spolietur. Typhus seculi huius ille, quem oculorum & carnis concupiscentia, superbiaq; vitæ genuerunt, & educarunt, ad filios lucis iam penetrauit; efficitque, vt gloriam pro ignominia habeant, ignominiam pro gloria. De gloria Ecclesiæ in prædicando Euangelio, in gentiũ cõuersione, in fidei & religionis Christianæ propagatione, ne minima quidẽ exsurgit cogitatio in illis, qui se tenẽtur exhibere ministros Dei in multa patiẽtia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma Iustitiæ à dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. *2.Corinth.6.4.*] Et vbi priùs per tot sanctissima post Christum secula, viri pariter sanctissimi, Pontifices, & nostræ religionis Patres, Omnia arbitrabantur vt stercora, vt Christus lucrifieret, *Philipp.3.8.* & Principibus omnibus, & præsertim Christianis, omni humilitate & modestia se subijciebant, ne illi ad iracundiam propter sola temporalia prouocati, etiam in spiritualibus detrimento essent: nũc, heu heu, pro solis tẽporalibus Dominijs, & pro sola ambitione externi dominatus, Principes etiam valde pij & religiosi ab Ecclesiasticis contemnuntur, flagellantur iniurijs, & contumelijs proscinduntur, & inde horribiles tragœdiæ excitantur. Sed ad nostra.

XCV. Declarat Baronius vnico & leuissimo Vrbani diplomatis prætextu, nihil tale, vt ipse putat, concedentis, non potuisse tàm multa, quę sunt in Monarchia hac, firmari, quæ multis diplomatibus concedi oportuerat, specificisq; sententijs, & apertis clausulis definite, elucidari periodis, obsignari sigillis, & subscriptio-

scriptionibus muniri, vt vim aliquam obtinerent; neque par fuisse, vt tam leui prætextu diplomatis ex omni parte nutantis, penitusque ruentis, ea seruanda Principes Siciliæ Domini sancirent, vsu rerum inducerent, retinerent, defenderent, in diesque deterius propagarent, quibus descisceant à matre, diffideant ab Ecclesia, eam renuant, vel in iis, quæ iuris diuini, naturalis, canonici, communisque sint, parere.] Hæc ille verbosè quidē multo magis, quàm scitè aut sapienter.

XCVI. In Vrbani putat ille solo diplomate totam vim Siciliæ Monarchiæ contineri: Mihi verò longè alia mens est, quam etiam superius explicaui. Necessitatem ego Papalis concessionis aliquam ponebam in Sicilia, ex solo hoc supposito, nempe si Sicilia fuisset Sedis Apostolicæ verum feudum; vt cōsensu & quasi cessione Domini principalis & directi, Rex feudatarius plenè de Principis supremi ordinaria potestate inuestiretur. Et ad hoc dicebam sufficere diploma Vrbani pro omnibus, donec feudum plenè liberum, extinctis prorsus omnibus de stirpe & prosapia illa, necnon eorum de iure naturali successoribus, ad Dominum suum rediret: quod tamen nunquam in Sicilia contigisse, iam cumulatè probaui: Northmannorum enim prosapia vltimo loco recidit in Manfredi filiam, Petri Aragonensis vxorem: Aragonensium verò stirps per fœminam similitèr successiones Regnorum & earum in Austriacam Augustissimam transtulit familiam: quæ adhuc feliciter & regnat & imperat: itaque vis diplomatis, etiamsi Sicilia vtraque esset sub Dominio directo Sedis Apostolicæ, adhuc viget, vt Siciliæ Reges in Insula illa sint vt pleni supremi Domini in sua naturali potestate exercenda, vt superius explicabam.

XCVII. Nunc verò illud assero, posse meo iudicio Siciliæ Reges facilè & libenter ab Vrbani diplomate & Adriani quarti, Clementisque tertij confirmatione discedere; & nihilominus suam adhuc intactam & validam retinere Monarchiam. Cùm enim, vt ostensum est, & sufficienter probatum, ipsa Sicilia Insula sit libera, & pleno iure suis subiecta Regibus; quicquid possunt omnes Reges & Principes absoluti & supremi in suis Regnis, hoc profectò ex seipso & naturaliter potest etiam Rex in Sicilia. Posse verò Reges omnes circa Ecclesias, & res Ecclesiasticas iure Regio omnia illa, quæ in Monarchia continentur Sicula, est à me cumulatissimè in præcedentibus huius libri capitibus comprobatum. In Regno verò Apuliæ, hoc est, in Sicilia citra Pharum, id Regi nunquam concedetur; si in his terris non est Dominus supremus, & absolutus, sed super illos accipit à Papa Inuestituras, & iurat fidelitatem, ac promittit conditiones Monarchiæ satis contrarias: quibus promissis & iuramentis, si quæ sunt, omnino stare debet: & diploma Vrbani ad hoc Regnum citra Phar[...]e non extendit, nisi ad solam Calabriam: in qu[...]n vim habeat, scire non possum, & videndum[...]m fiant etiam de illa à Papis inuestituræ, sub titulo generali terrarum citra Pharum; & an post Carolum Andegauensem, ab omnibus vsque ad hæc tempora successoribus, admissæ sint & iuratæ. Inquirant hæc alij curiosi, & quorum interest: me nihil ista vrgent. Potestatem ego Principum, quoad Ecclesiastica, stabilire conatus sum, & incidenter ad Siciliam diuerti Monarchiam. In qua satis mihi fuit ostendere, iura Principum naturalia eam secum ferre, & Baronium frustra in contrarium laborare.

XCVIII. Sed neque in Sicilia ipsa vltra Pharum omnino arbitror esse illud Vrbani diploma, etiamsi minus, vt monui, necessarium. Dicam enim, & abundè probabo in vltimo libro, iurisdictionem externam externumque regimen Ecclesiasticorum, ita ipsis conuenire, vt illam à Principibus habuerint, iurisdictionemque Ecclesiasticis concessam Principum priuilegio aut permissione, posse Principes, quandocunque eis placuerit, ad se iterum ab Ecclesiasticis auocare. Docui verò *cap. 5.* Principes ex generali superintendentia, maximam, quando volunt, & quando necessitas requirit, huius regiminis partem habere. Quia tamen si priuilegia Ecclesiasticis passim concessa reuocarentur, nimis durum id videretur, eo potissimum Regibus Siciliæ diploma illud cum Adriani quarti & Clementis tertij concessione inseruit, vt, resistendo, ne Legati Romani ad eos perueniant, & Ecclesiastica externa eo modo, quo Legati solebant, exercendo, durum hoc non debeat videri; quia quod possent propria authoritate, & possunt, si volunt, Principes omnes supremi in suis ditionibus, iam clypeo Papalis etiam consensus muniti Reges Siciliæ, possint liberius, & citra obmurmurationem. In hoc itaque tantummodò discrepantem inuenio Monarchiam Siciliæ, à Monarchia omnium aliorum Regum Christianorum; quòd illa ordinariè, & de iure, & de facto exerceatur: hæc verò ordinariè ad Reges de iure spectent; de facto verò in multis actibus non nisi extraordinariè. Nihil ergo ad Monarchiam hanc opus tot diplomatibus, tot sententijs, tot clausulis, tot subscriptionibus, tot sigillis. Diploma enim vnicum à Deo immortali naturæ impressum exit sigillo luminis vultus Domini munitum, *Psalm. 4. 7.* ab Apostolis euulgatum, à Concilijs & Patribus explicatum, & vsu perpetuo per octingentos saltem annos in Ecclesia Christi receptum, & corroboratum, vt penes Principes esset huiusmodi externa Monarchia. Quæ ego omnia an verbosè tantum, an etiam solidè, aperteque iam probarim, sapientis & sinceri Lectoris esto iudicium.

XCIX. Sed neque opus fuit, vt Principes ipsi sibi ipsis hanc sancirent potestatem; qui eam habent à Deo immediatè, sed ex illa iam à Deo habita possunt leges sancire quascunque viderint ad commune bonum externum, etiam Ecclesiasticum, profuturas: & nisi abutantur hac potestate, impia omnino est Baronij assertio, lege Cornelia vindicanda, qua incautè dicit, per hoc Principes ab Ecclesia desciscere; illi enim per hoc purificant, mundant, expoliunt Ecclesiam, dum Ecclesiasticos in officio continent: & à fæce rerum mundanarum & temporalium eos, qui immersi sunt, auertunt; vt in illis occupentur, quæ sunt propria ministrorum Christi in Apostolico ordine constitutorum. Parent verò Ecclesiæ, dum ab ea in vera fide & pietate instrui volunt, Sacramentum accipiunt, precum beneficia expetunt, & discunt, quomodo salus sit quærenda animarum. Parere verò non est Ecclesiæ, sed Ecclesiam corrumpere, & labefactare, vbi Ecclesiasticorum auaritiæ, ambitioni, & libidinimos geritur; & ad fastum gloriamque mundanam consequendam adiuuantur. Ego verò nostrorum dierum Principes (quod pace illorum dixerim) ab Ecclesia propterea desciscere affirmarim: Quia quiescentur Prælatos Ecclesiasticos sua authoritate, & potestate, quam erga nos à Deo acceperunt, ne per abrupta feramur, compescere, à temporalibus abstrahere, ad spiritualia promouenda compellere; nobiscum simul sua siue negligentia, siue humana prudentia, ruunt in interitum; & Ecclesia interim inculta ipsorum culpa tota obsolescit. De his satis: pergamus ad alia.

C. Quæ quidem (addit Baronius *ibid. n. 122.* de Si-

cula Monarchia) etsi authentico, obsignato, subscripto, omniq; ex parte fide constante diplomate alicuius Romani Pontificis concesso monstrari possent, nec sic subsisterent, quæ contra præcipua Ecclesiæ Romanæ iura inuenirentur esse disposita.] Hæc assertio contra nos nihil facit, qui nō diplomate Pontificio, sed diuino, Principum Monarchiam erectam fuisse confirmauimus. Sed videamus an suam assertionem ritè cōfirmet Baronius, (videtur enim paradoxū esse, quod affirmat, Vt quæ sunt iuris positiui, à potestate Papæ, per Romanæ Hieromonarchiæ propugnatores amoueantur; Et vbi dicta illa, Papam esse Deum in terris? igitur, etiamsi Papa expresse concederet Monarchiam in externa, humana iurisdictione Ecclesiastica, cōcessio non subsisteret?) Quî probas? quia Victor tertius Papa mascula voce id dixit. Quidnam obsecro? Sedes, *inquit*, Apostolica, domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnib. prælata: & ideo nulla omnino ratione sub iugum à quoquam mitti potest, *Chron. Cassin. lib. 3. c. 59.* Quid hoc ad rem? loquebatur de electione Romani Pontificis; & negat ab Imperatore illā esse faciendam. Quid hoc ad potestatem Papæ in conuellendo iure positiuo? Imò ne ad rem quidem est cōtra Imperatorem; nam velis nolis electio ipsius Papæ ab hominibus Papa inferioribus est facienda; & tamē non propterea est ancilla: si non est ancilla Cardinaliū Papam eligentium, quomodo erit ancilla Imperatoris eundem eligentis? mitto etiam verba hæc plus mihi redolere aulam Herodis, quàm præsepe Christi.

CI. Sed, *inquit*, subdit Victor; Quod si à Nicolao Papa factum est, (*vt Imperator expectaretur in electione,*) iniustè profectò & temerè præsumptum est: non tamen cuiusque stultitia vel temeritate amittit Ecclesiā dignitatem suam.] Stultitia ergo est & temeritas Papæ, quoties concedit priuilegia; neque illa valent. Si nos hoc dicto vteremur, væ nobis. Dic mihi, Victor, & tu Baroni. Si ex stultitia & temeritate Papæ non potest derogari iuri & dignitati Ecclesiæ, potestne ex eadem stultitia derogari iuri & dignitati Principum? certè eadem ratio stultitia & temeritas nulli debet derogare, si non ipsi stulrescenti, multo minus aliis stultè impetitis. Cur ergo stultitia & temeritas Papæ derogauit Conradi & Conradini Regali dignitati, quando Andegauensi Carolo datum est Siciliæ Regnū? & si Nicolai hoc factum nihil efficit, cur illud effecisse defenditur? cur rursum stultitia & temeritas hæc contra sacros canones quotidie derogat sanctissimis & antiquissimis Ecclesiæ institutis? & adhuc derogationes hæ defenduntur.

CII. Et Nicolaus primus, *inquit Baronius ibid. num. 122.* inter alia in quadam Epistola, hoc habet: Sic Apostolica Sedes aliena iura custodit, vt sua non minuat: Sic honorem debitum dat, vt suum non tribuat alienis: nam & arma illi à nobis collata (*Rhemensi Archiepiscopo*) ita volumus, vt pro eo fine valida, vt potius pro nobis, vbi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant.] In propria authoritate in infinitum adaugenda, quis nescit Pontifices sibiipsis non defuturos? Sed tamen hæc ad oppugnandum Vrbani diploma non possunt afferri: quia non fit contra Romanam Ecclesiam, nec eam oppugnari potest dici, vbi quid fit ipsiusmet concessione. Alioquin stultum & puerile esset priuilegium, si diceret Papa alicui Principi: Volo vt possis eligere Episcopos in tuo Regno: verùm nolo facias contra meum ius, quod ego mihi reseruaui, nempe vt ad me spectent electiones. Sed bene valet (& hoc intendit Nicolaus) si dicat: nolo tamen, vt possis meum inimicum, & qui contra me sit insurrecturus, in Episcopum eligere. Quod est cauere, ne ille priuilegio abutatur; non tamen impedit, ne illo vtatur.

CIII. Ad extremum Baronius *ibid. n. 123.* quasi Epilogo contra idem diploma Vrbani exclamat, tanquam quod deprauatum, cōcisum, nunquam ab alio Papa confirmatum, in Rogerij hæredibus desinens, contrariis cōstitutionibus rescissum & abolitum, post tot secula obliuione sepultum, à nemine Regū in suis controuersiis exhibitum, non nisi vltimo seculo sub Carolo V. emersem rediuiuum. Cuius occasione flāma incensa Siculam depascat Ecclesiam, quæ infelix veluti igne consumpta, redacta suspiret in cinerem.] De hoc diplomate nos satis diximus, non esse deprauatum, sed integrum: & si latuerit quoad ipsum scriptum, non latuisse quoad effectum; confirmationem ab Adriano & Clemente habuisse; sed neque eguisse confirmatione, quia semper viguit in vegeta viuidaq; obseruantia; concessiones verò iam obsoletæ & demortuæ nouis confirmationibus excitantur? Neque extinctum est in hæredibus Rogerij, quia eius successores legitimi adhuc perseuerant: neque contrariam vllam habuit, quæ valeret, constitutionem. Etsi semper non potuerit, vt dixi, in scriptura exhiberi, exhibitum tamen semper fuit in suo (quod longè efficacius est) legitimo vsu: & quamuis vltimo seculo quoad scriptum emerserit, haud tamen emersit nunc primum quoad vitam, & animam suam, hoc est, praxim & exercitium; cum præsertim Monarchia illa soli huic diplomati non nitatur, sed ordinariæ Principum, ac naturali potestati. Et sanè mera est vanitas, ne dixerim deploranda inuidia, hoc nomine ruinam Ecclesiæ Siculæ deplorare, quæ sine Legatis Apostolicis illam expilantibus longè rutilior, etiam in exteriori splendore elucescit: internis verò eius ornamentis isthæc Monarchia nihil præiudicat, imò plurimum prodest: quid enim faceret Ecclesia Romana ad promouendam illius Ecclesiæ sanctitatem, (salua semper erga ipsam reuerentia, & debita cum illa vnione, dummodo sana sit, aut esse velit, & ordinaria canonica dependentia) quod non possit, imò & quod nō faciat multo melius Rex pius, & Episcopi simul vigilantes? Si verò de litibus agas & externis controuersiis, illæ in proprio Regno & citius & expeditius absoluuntur; neq; habent tot Harpyias, quæ & rapiant, & fœdent. Si de electionibus, Rex & abundat viris egregiis, & cognoscit melius, qui sint apti, neq; promouet etiam ineptissimos in gratiam curialium. Si agitur de reformatione cleri, adsunt Episcopi, Metropolitani, & Primates, Synodique frequentiores; adest reuerentia & terror Regis, qui maximè omnium prodest ad reformationem. Quid plura? Per Regiam diligentiam longè melius potest Ecclesiasticum regimē externum promoueri, quàm per Romanam. Neque profectò vllum video incommodum ex huiusmodi Monarchia emergens, quod etiam ex Romano regimine non possit & soleat longè maius consequi, si bonum Ecclesiæ Siculæ spectemus: contrà autem multa cerno pro eadem Ecclesia commoda ex hac Monarchia profecta, quæ non tàm facile ex Romano Regimine haberentur. Taceo reliqua, & plurima.

CIV. De temporali ad temporalia à Deo ordinata, & data hominibus potestate, satis in hoc libro disputaui: eamque primum ab Ecclesia totam exclusi, spiritualemque potestatem, quæ sola est in Ecclesia, ad temporalia nullo modo neq; directè neque indirectè posse extendi, at verò ipsam temporalem potestatem in rebus etiam Ecclesiasticis plurimum posse, reddidi manifestissimū. Quare Episcopi omnes, etiam Dominus Papa, si volunt inter Christi ministros Apostolorū succes-

successores numerari, á sæculari potestate sibi arrogandas abhorreant necesse est, & ad solam se reducant spiritualem, eamque solam, vt par est, exerceant piè, religiosè, ac solicitè: sæcularia sæcularibus relinquantur, nisi publicum Ecclesiæ bonũ aliud interdum suadeat. Sæcularia intelligo, quæcunque externa sunt, & ad spiritualem potestatem proximè non pertinent, neque per eam possunt obtineri. Vos verò inclyti Principes, quæ propriè spiritualia sunt ea sub spirituali plenissimè relinquite potestate, vos ipsos etiam & animas vestras, quod spectat ad salutem æternã, eidem subijcite. Interim tamen quia Dei vicarij estis in terris, & ipsam quoq; Ecclesiam commendatam habetis, erigite animos, expergiscimini, curate, imò facite (potestis enim, & soli) vt à nobis Ecclesiasticis, quæ Dei sunt Deo reddantur, & quæ Cæsaris Cæsari. Nimia Episcoporum sub Romano, ac præsertim ipsius Romani in temporalibus potentia, & temporalem vestrorum regnorum pacem, & spiritualem perturbat. Hinc bella, seditiones, clades, & innumera mala: hinc Ecclesiastica dissidia, schismata horrenda, & animarum pernicies indies magis ingrauescunt. Quid vestrum sit, quid nostrum, iam planè agnoscitis. Bonum commune promouete: quid faciendum sit, quæve remedia tot malis adhibenda, primùm inter vos statuite, tum verò seriò satagite, vt nos Ecclesiastici ministri ad reformandam Ecclesiam accingamur: imò ad hoc etiam, velimus nolimus nos compellite. Aut vos frænum nobis inijcite, ne extra Ecclesiastica sine necessitate euagemur, sed dissidia circa puritatem fidei componamus: Alioquin nos nostris dissidiis nullam vobis pacem in vestris regnis tutam relinquemus; & præterea nostris viribus temporalibus, ad quas nos nimium excrescere permisistis, nostraque autoritate, qua populos nobis, vt nostra sequantur consilia, subiicimus, denique innumerabilibus artibus, quibus sub prætextu religionis simplicis vulgi animos illicimus ac subuertimus, ipsa diademata de capitibus vestris deijciemus. Cauete.

QVIBVS oculis Rex Philippus intueatur Papales hos conatus, Siculi Regni Monarchiam Regiam, per Baronii hanc quam ego impugnaui Scriptionem, deprimentes, iudicet LECTOR ex sequenti Edicto:

EDICTO DEL REY DON PHELIPPE D'ESPANA, Contra el Tractado, &c.

Edictum Philippi Hispaniarum Regis contra Tractatum de Monarchia Siciliæ, a Cæsare Baronio XI. Annalium Ecclesiasticorum Tomo insertum.

PHILIPPVS, &c.

DOM. PHILIPPVS DEI gratiâ Rex Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Lusitaniæ, &c.

Quoniam nobis innotuit, & consultationibus nostrorum consiliorum, & prudentum virorum relationibus, qui obsequii, existimationis nostræ, & quietis clientum nostrorum, specialium fidelissimi Regni nostri Siciliæ Indigenarum æmuli sunt, ad nos perlatum est, Cæsarem Baronium olim S.R.E. Cardinalem in vndecimo Annalium suorum Ecclesiasticorum Tomo (quos scriptos & editos reliquit) in vita Vrbani Pontificis II. Anno cIↄ. xc. vii. longa & prolixa dissertatione, verbis & rationibus minus æquis & modestis, ac ipsius postularet professio, cùm accusantis, & inuehentis potius, quã historiam referentis personam induat, aggressum, non modò in suspicionem adducere, sed etiam falsos & iniustos, ac violentos titulos & origines euincere, quarum ope decessores nostri Serenissimi Reges Siciliæ, simul cum dominio regales & prærogatiuas acquisiuerunt, quas hucusque pacificè tutati sunt & conseruârunt, & quæ ad nostra vsq; tempora sine interruptione legitima deriuatæ sunt. Quia verò non debemus, nec possumus sinere, vt lectione relationis adeo temerariæ, cuiusmodi est hæc Cardinalis, commoueantur, turbentur, & in nos subditorum insurgant animi, & Regum illorum, ac nostra existimatio, & conscientia vlla vnquam labe adspergi queat, cùm certum sit, vt ex ipsius exclamationibus & exaggerationibus colligere est, priuato abreptum fuisse affectu, exigua cognitione præditum, & ex veritatis historiæ ignorantia minimè condonanda scripsisse, cùm id palam notum sit, illos decessores nostros iura illa Majestatis, sceptri, & huius Regiæ Coronæ, ceu attributa propria & prærogatiuas ante hac acquisiuisse, & obtinuisse, vt deinde retinuerunt, & conseruârunt, cum benedictionis, concessionis, permissus taciti & expressi summorum Pontificũ, quantum foret opus, accessione, qui hæc, ratione iustæ gratitudinis deuincti, in aliquam magnorum & eximiorum beneficiorum remunerationem contulere, quibus Catholici Reges de DEI Ecclesia, & sancta Sede bene meriti sunt, quòd Regnum hoc in ipsius sinum & eius obedientiam reuocârint, & coëgerint: posteaquam multos iam annos, arcano Dei permissu in dedecus & ignominiam, non sine discrimine & terrore aliorum Regnorum, ac Orbis Christiani Prouinciarum, pręcipuè verò Italiæ: quinimò ipsius vrbis in qua est thronus S. Sedis Apostolicæ, matris & capitis Ecclesię Catholicæ: potestati Saracenorum subiectum, & Mahumetanorum jugo mancipatum fuisset, quodque in adeò pręclara victoria sanguinem suum profunderint, atque etiam ingentes opes, & Regium Patrimonium consumpserint instaurandis, & dotan-

dotandis Ecclesiis & Monasteriis, quæ cũ olim Templa fuissent, in quibus cultu diuino verum Domini nostri nomen celebrabatur, vbi confessio & professio Catholicæ religionis fiebat, illa infideles in perfidi Mauhmetis Moschitas, & equilia versa, & mutata sacrilegio detestabili cõtaminauerant. Quæ gesta cum adeo grata sanctis Romanis Pontificibus fuerint, nec non aliis, quæ nõ minoris æstimanda sunt, cumulata sint, quibus successores primorum illorum Regum, & nostri progenitores, ac nosmetipsi, Sedis Apostolicæ autoritatem Maiestatemq; tutantes, personas, & facultates nostras, quibuscunq; hostibus, quibus eam minuere aut euertere fuit animus obiiciendo, bene mereri de illa sede perreximus, ita vt Dei beneficio floruerit, & etiamnum purius, & Catholicè magis in Siciliæ Regno, quàm in cæteris Orbis Christiani partibus vigeat. Inde colligere licebit, nõ iniusta aut vitiosa, sed cõtrà iustissima, & illustrissima principia fuisse, quæ titulum possessioni vindicârũt, qua per tot sæcula supradicti Reges, ex harum Regalium, & prærogatiuarum iure potiti sunt, & qua cum nostræ conscientiæ, famæ Christianæ, & ad Sanctam Sedem Apostolicam obseruantiæ fiducia, frui potuimus, & potiri perpetuò possumus. Quocirca opportuno præcauere volentes remedio, quo periculũ id arceatur, quod tandem nobis tolerantibus, aut dissimulantibus libri illius concessa lectio, & relatio pareret: ac officio satisfacere cupientes, quo iura legitima & iusta, in quæ simul cum Regnis & ditionibus, quas Domino nostro nobis visum est cõmittere, successimus, tueri tenemur: ansam, qua per has ipso etiam maleuolarum, & nostræ fœlicitatis æmulorum iudicio, calumnias Maiestati & Coronæ nostræ nota inuratur, manifesto cum scandalo, quod & in nostro Siciliæ Regno, vel aliis accidere posset, prębere nolentes: causa cõmunicata, & in consistoriis nostris in deliberationem vocata, decernere, mandare, & iubere hoc edicto, & Pragmatica sanctione constituimus. Ne cui, cuiuscunque sit ille dignitatis, sortis & conditionis, quouis insignitæ priuilegio, dictum vndecimum tomum, adscripto autoris, vel alterius cuiuspiam nomine, excusum, vel manu scriptum quocunq; extet idiomate, cum dissertatione illa aduersus dictã Monarchiam, quæ à versu incipit, *Hic Autor aggreditur*, & definit, *Iam vero canentes receptui, quæ post Vrbani Papæ datum Diploma Salerni sunt secuta, narramus*, sine examinis & castigationis à Delegatis factæ testimonio, exponere, habere, vendere, & in Regnis nostris, & ditionibus emptitare liceat. Mulcta primo delinquenti quingentorum aureorum in Regno, & ditione in qua id accidet vsitatorum, irrogata: qui Regio nostro Fisco, Iudici, & delatori, ad trientem addicantur. Iterum delinquenti eadem mulcta pecuniaria irrogabitur, & quinquennale à Regno exilium, quo non seruato duplum nobilis pendet, ignobilis ad remigia damnatus addicetur: quod ad eos etiam pertinet, qui nunc eum Librum habent, nisi Delegatis ad hanc castigationem intrà decimum quintum ab huius Edicti promulgatione diem reuelârint, & tradiderint. Quod vt sigillatim debita cum obseruantia executioni demandetur, Diplomata, & mandata nostra ad omnes Senatus, & Consistoria prope nos residentia perferri iubemus, vt cæteris in Regnis ac ditionibus obseruentur, & effectum sortiantur. Præterea iubemus Pro Regibus, Præfectis, Legatis, Strategis, Consistoriis, Senatibus, Cancellariis, Audientiis, Tribunalibus, Iudicibus, Iudiciis, eorumque Officialibus, maioribus & minoribus, præsentibus & futuris, & ipsorum singulis, vt in Prouincia, & iurisdictione sua, inuiolatè quod Regio nostro Edicto præscribitur, executioni demandari curent. Datum S. Laurent. 3. Octobris cIↃ. IↃcx.

EGO REX.

R. vidit Lanz. R. vidit Quintana Duegna. R. vidit Caymus. R. vidit Marcus Antonius de Ponte. R. Dominus Rex mandauit mihi Laurentio de Anguine, Panormi die 16. Decembris IX. Indictione 1610. præsentata Illustrissimo Domino Locumtenenti Generali. Et mandat quod spectabilis Regius Consiliarius, Conseruator Regii Patrimonii recognoscat, & referat. Vincentius Lanfrucous M. N. eadem facta recognitione, & relatione prædicta, sua Illustrissima Dominatio mandauit, quod fiant executoria. Io. de Vegha Conseruator. Quare S. M. præscriptum executioni mandantes, & impositis mandatis obsequentes, Iniungimus, vt præinserta Diplomata, & Edictum iuxta eius seriem & normam, exequimini, per eos quorum exequendi, & obseruandi sunt partes, demandari curetis, si Regia gratia vlla est æstimatis, contrarium cauentes. Datum die 17. Septembris, IX. Indictione cIↃ. IↃcx.

Cardinalis Iannetinvs Doria.

OSTEN-

OSTENSIO ERRORVM, QVOS ADVERSVM FIDEM CATHOLICAM ECCLESIÆ ANGLICANÆ CONATVS est defendere

P. FRANCISCVS SVAREZ Societatis Iesu, in suo Libro, quem Defensionem fidei Catholicæ, *inscripsit.*

Per M. ANTONIVM DE DOMINIS, Archiepiscopum Spalatensem.

PROOEMIVM.

CONTIGIT eodem prorsus tempore & *Patri Francisco Suarez* & mihi, vt in eodem fere toto argumenti genere scribentes versaremur. Ipsius tamen sex librorum volumen, quod exagitandum nũc demum suscepi, in lucem prodijt absolutum, quando mei decem de REPVB. ECCLESIASTICA Libri & ipsi penè iam absoluti, delitescere cogebantur. Argumentum tractandorum idem penè vtriq; ; tractatus ipsi longe diuersi, ac inter se penitus contrarij: Quid ni? Non eadem mens vtriq;, non idem consilium; fines diuersi, scopi longe distantes; impulsus, vt res ipsa loquitur, varij. Ille sibi Societatique suæ Pontificis gratiam venatur, ego Christi; ille veritati nebulam conatur obducere, ego lucẽ afferre; ille pro Papa ingenio & arte laborat, ego Scripturis & Patribus pro Christo; ille Ecclesiæ sub Papæ pedibus oppressionem molitur, ego eiusdem Ecclesiæ libertatem quam à Christo sortita est tueri cupio; Ille demum quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, quantum potest, adnititur, vt omnia Romano Pontifici in sinum proijciat: ego, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddo. Quę fundamentis à me positis contraria scripsit ille, iis locis in meis tractatibus refellere non potui, nisi cum ingenti & labore & incommodo totos pene ipsos meos tractatus peruertere, ac denuo reficere voluissem. Satius igitur duxi hic iam seorsim, non modo Patri Suarez, sed etiam Cardinali Bellarmino vices reponere, vbi illi ea quæ struximus munimenta visi sunt quærere, breui profecto & succincto curriculo. Quæ enim meis Sex de REPVB. ECCLESIASTICA libris hactenus explicaui, sola eorum applicatione satis possunt quicquid ab his duobus (alios non moror) post mea scripta, siue etiam dum illa parabam & pariebam prolatum est, demoliri. Concertationes cum Serenissimo Sapientissimoque Magnæ Britanniæ Rege, hoc ipso tempore & ortæ & agitatæ sunt atque editæ, in quibus & Bellarminus & Suarez, certe parum fœliciter, desudarunt. Legi vtrinque omnia, exacteque perpendi: Meos à me non frustra susceptos labores plurimum lætatus sum: Machinas scil. his controuersiis dissoluendis aptas, quasi ad manum in meis libris positas & stabilitas cernebã. Atq; vbi ex Doctiss. Regis Tractatibus neruosis, ac æternitati consignandis didici, me non inutiliter laborasse, sed mentem ipsius diuinitus illustratam, in multis esse assecutum, omnib. incessi lætitiis. Iecit ille profecto eiusmodi suorum dictorum fundamenta, vt & minora magni Bellarmini, & minora Suarezij aduersus illa edita volumina aliunde euerti non debeant, nisi ex ipsismet Regiis elucrationibus vere aureis. Ostenderunt id viri reuerendi ac egregij, Prælati Britannici celeberrimi: qui iam omnem omnibus hoc in genere scribendi & materiam & gloriam præripuerunt. Nihilominus mihi, etiam post tam locupletem gazam ab aliis effusam, meum quoq; minutum haud premendum, sed eo magis promendum iudicaui; non quod plenam iam victoriam à veritatis hostib. Rex fortissimus non reportarit, sed vt mea quoque scripta nihil damni à tam celebribus scriptoribus passa esse reddam manifestum.

II. Negotium quidem mihi potissimum tecum Reuerende pater Suarez: ita tamen, vt & Bellarminus interdum ex latere irrumpens non sit à me vel subterfugiendus, vel silentio omittendus. Tuam autẽ (copiose Francisce) hanc quã indigitas fidei Catholicæ Defensionem dum intueor, miror cur in ea adeo tibi cõplaceas, vt omnino putes Regem rerum sacrarum scientia & constantia insignem, adeoque Doctores magnæ Britanniæ, perspectis rationibus tuis, statim manus daturos vestroq; Papæ sanctissimo se denuo subiecturos, præsertim si modo coram disputandi tibi facultas daretur. Sed si doctrina aliqua reconditiore non polleas, quam quæ abs te in sex huiusce Defensionis libris deprompta est, desinas obsecro, imo moneo, de te tam altum sapere; & tantopere gloriari; si obloquente conscientia Defensionem hanc, vt tenebras veritati offunderes, scripseris, me hortatore tenebras ames, ne quæras lucem, siste precor, ne prouoces ad solẽ. Si vero in media errorum Papalium lacuna ab infantia educatus, penitusq; imbutus, in Societate ista, quæ totam se Papatui dedicauit, forte tua simplici bona fide (vt mihi aliquandiu contigit) in eisdem erronib. es firmatus, laudarem si cõgressum cominus cum Rege sapientissimo (quem te cupere innuit *lib. 3. in fine.*) habere conateris: nisi enim & diuinæ gratiæ resistere, & Regi solidissime respondenti ac disputanti obfirmato animo velles cõtra conscientiam reluctari, in Catholicam Regis sententiam te breui transiturum non dubito, & Papatui, Transsubstantiationi, Purgatorio, inuocationi sanctorum, & similibus nugis valedictutũ. Interim vero dum hoc non datur, ne grauere leuioribus velitationibus mecum eminus congredi.

III. Sex illos tuos Pater Reuerende defensionis libros ad totidem ego Capita reuocabo: 1. De vera fide Catholica, in genere. 2. De præcipuis articulis controuersis. 3. De Principum & Papæ potestate. 4. De immunitate clericorum. 5. De Antichristo. 6. De causa Britannici iuramenti. Et omissis, vt cupis & in extremo illo tuo tractatu requiris, tuis digressionibus, verborumq;

rumq; vanis contentionibus, ad solam fidei caussam accedam, & solo veritatis amore rem ipsam, fideiq; veritatem inquiram. Et hoc coram Deo, teste mea conscientia, testor & polliceor. Rogoq; tuam vicissim Reuerentiam, obsecroq; & per Iesum Christum obtestor, vt tu quoq; omni humano consilio omisso, suspensisq; tantisper tuis quibus imbutus es præiudiciis, sepositaq; quarti tui voti ad modicũ tempus, dum ista amice discutimus, religione, ea sola addita coram Deo cogitatione & protestatione, vt si indebite & imprudenter emissum fuerit, animæ tuæ nullum possit detrimentum inferre, soli veritati cor aperias. Idẽ enim, quod ad me attinet, ego tibi, ac Deo spondeo ac polliceor corã facie Iesu Christi Seruatoris nostri, attestante sancto spiritu veritatis duce ac vindice. Eius gratia illuminet sensus & corda nostra, Amen.

CAPVT I.

Ecclesiæ Anglicanæ fidem esse veram fidem, integram, puram, Catholicam, & Apostolicam.

I. QVÆ à Patre Suarez in primo suę defensionis libro tractantur, non possunt quidẽ à me, ex pręcedentib. sex meis *de Repub. Ecclesiast.* libris omnia discuti & examinari. Multa n. de certitudine, infallibilitate, & regula fidei ab eo proponuntur, quorũ ego in meo sequenti *septimo libro* pleniorem institui tractationẽ: qui cum reliquis in tertiam partem est à me coniectus. Ne grauetur igitur P. Suarez, & quicunq; hæc æquo animo lector perlustrabit, multa quę ad huius mei primi capitis spectant probationes me in ipsum meum *Septimum librum* reijcere, quem sub prælo iamiam sudaturũ spero, non diu expectabunt. Ibi enim proprius mearũ de fidei regula tractationum locus est: Hic antẽ nostra illa doctrina, per modum ferme digressionis vel anticipationis est duntaxat prælibanda & degustanda.

II. Religionem Christianam, quæ nunc viget publicè in Anglia, sectam scil. & hæresim, vocat Suarez *in defens. fid. lib. 1. c. 2.* idq; probare conatur, vt hinc Regi piissimo & nomen obliteret *Catholici*, & iustissimum titulũ auferat, *veræ Catholicæ & Apostolicæ fidei Defensoris*. Probatio ipsius in genere ea est: Religio vera Catholica illa est, quæ primum fuit in Angliam introducta quando primi Euangelici ministri Euangelium eo detulerunt. Sed quæ nunc viget non est illa, sed alia ab ea diuersa: Ergo hæc Catholica non est. Romana vero huius temporis illa ipsa antiqua est: Ergo Anglia cum Romanam fidem non teneat, sed eam repellat & reijciat, Catholicam fidem non tenet. Hoc argumentum, quoad has propositiones, fuse exagitat Suarez *primis octo capitibus primi libri*. Ego vero ipsius vestigiis libẽs insisto, & idem contra ipsum retorqueo argumentum, atque aio; Vera Catholica Apostolica fides est illa sola prima, quam vbiq;, etiam Romæ prædicauerunt Apostoli, & inde per viros Apostolicos est in extremas etiam terras & Insulas delata: Sed fides quæ nunc Romę traditur, omnino illa sola non est, sed in multis articulis penitus alia, illi etiam fortasse contraria; quod non est nunc in Anglia, nec in aliis Ecclesiis reformatis; igitur hæc est vera Catholica fides, & non Romana. De maiori propositione non est cur contendamus, est enim litigantium vtriq; communis: & illam tutam fuisse perpetuo anchorã Patribus & Ecclesiæ, regulamq;, ac lydium lapidem ad veram, sinceram & puram fidem cognoscendam, probo ipse etiam ex Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Augustino, & aliis, *meo septimo libro*; & Cypriani dictum, quod Suarez præmisit *suo primo capite primi libri*, fit vtriq; nostrum militantis tessera, vel etiam gemma preciosissima, lo assumptione vtriusq; tota erit inter nos difficultas. Ipsius ego assumptionẽ dum demolior, meã confirmo.

III. Circa factum, & historiam ingressus fidei Christianæ, ipsiusque mutationem in Anglia non immoror, Anglicos Scriptores recentiores, quorum maxime interest suæ gentis antiquissimas reuoluere historias, cõsulat; moneo duntaxat primum, in historiis præsertim antiquis, & Gildam, & Bedam, & Polydorum, nonnunquam aliorum somnia, sæpè incerta, & Apocrypha narrasse, *nu. 1. & 2.* 2. Moneo, Augustinum quoque fuisse initio Manichæorum erroribus imbutum; postea vero errores illos abiecisse, *ibid. num. 4.* Ita fecit Henricus octauus. 3. Moneo, edictum Edouardi VI. quod omnis iurisdictio, etiã Ecclesiastica, à Regia potestate, velut à supremo capite, manat; esse legitimum, si bono & apto sensu sumatur: *ibid. n. 6.* quod patet, tum ex *meo lib. 5. c. 1.* in quo iurisdictionem veram propriè dictam abstuli Ecclesiæ; tum ex *lib. 6. c. 5.* in quo probaui, Principes in suis ditionibus ex officio proprio esse Ecclesiæ in externis supremos gubernatores: Tum demum ex *meo lib. 4. c. 7.* in quo docui, Romanum Pontificem extra propriam Romanam Diœcesim, Ecclesiasticum Episcopale regimen nullum habere. 4. Moneo, longe profecto aliud esse potestatem in spiritualibus, & potestatem spiritualem, *ibid. n. 8.* In spiritualibus, significat in rebus Ecclesiasticis, prout distinguuntur à ciuilibus; Reges ergo Angliæ post Henricum octauum supremi sunt gubernatores suorum regnorum, tam in ciuilibus quam in Ecclesiasticis, sed externis, vt à me probatum est *lib. 6. cap. 5.* Potestas vero spiritualis est tota ex se Ecclesiastica, & ad Principes nullo modo pertinet, vt probaui *lib. 5. toto*, præcipuè autem *cap. 1. 3. 4. 7. 12.* Parum oculatus igitur index est Suarez, certè iniquissimus censor, aduersus Regem Serenissimum IACOBVM, dum eum audacter nimium asserit esse potestatis spiritualis vsurpatorem; *ibid. n. 9.* quæ certe est mera & crassa calumnia: spiritualem enim potestatem illam, quam ego *toto libro quinto* consideraui, integram totam suis relinquit Regia Maiestas Prælatis & ministris Ecclesiæ.

IV. His annotatis, admitto primam fidem Christianam in Angliam primum aduęctam, fuisse veram Catholicam & Apostolicam fidẽ. Vrget Suarez *c. 2. n. 1.* Socraticè per interrogationes hoc pacto: Fides illa prima vsq; ad Henricum octauum fuit ne vera Catholica an non? Dilemma simile ex Augustino *l. 2. cont. Epist. Gaud. c. 71.* profert, quo ille Donatistas arctabat. Si tempore, inquit, Henrici octaui nõ erat eadem Ecclesia, sed perierat, quæ ergo Ecclesia vos genuit? Si erat, nec perierat, cur ergo vos ab ea separastis? Defectio hæc est. Adducitque *cap. 2. n. 2. 3.* contra talem defectionem locum Pauli. *Gal. 1. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, &c. Cito transferimini, &c.* cum Hieronymi & Chrysostomi interpretationibus. Respondeo, maximam esse fallaciam in hoc genere argumentandi, vbi res eadem perseuerat, & mutatio externa tantum fit in adiectis. Fides profecto diuina ex detractione vel minima tota perit, & consequenter Ecclesia vera non est, ne visibilis quidem, in qua integra fides professione publica non retinetur: Sic Ariana Ecclesia non erat vera Ecclesia, quia in CHRISTVM diminutum credebat, diuinitatem Christo omnino detrahens; sic Nestoriana, quæ vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarũ negabat; Sic aliæ hæreses, quę omnes per defectum & ellypsim fidem destruunt, dum non admittunt aliquã etiam minimam particulam veræ fidei vt *lib. 7.* ostendo, & Theologi omnes fatentur. At vero ex additione, per hyperbolem & excessum, vt mihi videtur, fides non perit: nisi in additis virtute adsit,

deera-

detractio, & veræ fidei seu partis alicuius negatio, seu non admissio. Fides enim est omnia credenda credere. Infidelitas vero est nihil illorum credere: at hæresis est aliqua credendorum credere, aliqua verò negare, seu non credere, aut discredere, siue positiua illa sint, siue negatiua. Credere tamen omnia, & aliquid amplius, quod tamen à Deo credendum non proponitur, etiamsi id falsum sit, & vt verum, ac de fide credatur, non puto aut infidelitatem, aut hæresim in se continere: sed errorem; nisi virtute, vt dixi, adsit alicuius veritatis à Deo reuelatæ reiectio. Et consequenter reijcere, & non credere fide diuina, illa additamēta, quæ Devs credenda non reuelauit, sed homines addiderunt, etiamsi alioquin vera sint, & non falsa, nullum facit veræ fidei detrimentum, neque hæresim continet, neque peccatum ex eo duntaxat, quod tanquam res de fide non credatur. Et sic vera Ecclesia etiam visibilis erit quæcunque omnia plenè credit, & publicè profitetur, quæ sunt à Deo, tanquam fide diuina credenda citra dubietatem reuelata. Et sane pura Ecclesia & sana erit, quę sola ista credenda credit, nec humana admittet diuinis: vera quoque Ecclesia erit, sed ægra, & impura, ac per excessum inquinata, non per defectum corrupta, illa, quæ omnia similiter credenda credit, & præterea aliquid aliud tanquam à Deo reuelatum admittit & docet, quod à Deo tamē reuelatum non est, aut quod nondū sufficienter constat esse à Deo reuelatum, qui est error grauissimus, & dissensionum causa, atq; schismatum: cum periculo etiam, ne articulis fidei aduenti, & per excessum inducti, virtute etiam defectum ferant, & veri alicuius articuli reiectionem contineant, & consequenter in hæresim inducant; aut saltem, quoad mores & praxim, æternam salutem impediant.

V. Ad dilemma igitur Suarezij respondeo, in Anglia (idem dico de alijs verè reformatis Ecclesiis) ante Henricum octauum fuisse illam quæ est vera fides, & veram fuisse Ecclesiam, aliquando sanam & puram, vt initio, in primis quatuor quinqueve post Christum sæculis: aliquando ægram & impuram, per excessum, ex humanis additamentis; & modo magis, modo minus morbidam, ac inquinatam, prout interdum pauciora fuerunt additamenta, vt tempore Gregorij, & Augustini monachi; interdum, vt postea, plura. Et tempore Henrici octaui erat ægerrima ex plurimis hisce additamentis; vt est nunc Romana & omnes sub ea. Post factam vero reformationem, eadem adhuc est Ecclesia vera, & fides vera quæ prius, absque vllo defectu, quia omnia credenda vt prius credit, & nihil ex veris credendis negat, aut discredit, sicut nec prius negabat; pura tamen nunc est & sana, quia ab excessu se liberauit, & ea abiecit à sua fide quæ erant humana additamenta. Negabo igitur ante reformationem Ecclesias reformatas fidem Catholicam amisisse, quia defectus mutilans in vera Catholica fidē, ante reformationem nullus erat: excessus tantum aderat, qui veram fidem Catholicam non tollit; & ab hoc excessu se liberarunt, vt vera fides Catholica purgata & sana maneret, ac propriè reformata. Quod vero Henricus VIII. non omnia auferenda sustulerit, *cap.2.nu.5.* mirum non est; Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam. *Psalm.*18.2. In eo sane admirabilis diuina prouidentia, quod ex effectu aliquo Regis, forte non bono, Deus, vt solet, boni maximi, nempe reformationis illius Ecclesiæ iecerit fundamenta. Exemplum habemus in Iehu, 4. *Reg.*9.*&*10. qui à Deo excitatus ad abscindendum Achab, & Idololatras, vix tamen dici potest omnia animo pio patrasse, imo nec Ecclesiam illam penitus perpurgasse. Deus tamē illius manu vsus est ad tollendos Sacerdotes Baal. Ferocem, ac crudelem Tyrannum nostri vocant Henricum, atq; eo nomine huic reformationi odium conciliant: Ego verò dico, quod si asperior fuerit ille Rex, non tamen hanc causam lædit. Annon Deus contra Tyrannos excitat eos, qui in Tyrannidis suspicionem ipsi vocantur? De Henrici Tyrannide ego non quæro: Certe maximum Ecclesiæ Tyrannum è Regno suo feliciter expulit, & commodam strauit viam reformationi exactiori. Fundamentum enim primum & maximum perpurgandi Ecclesias, est Papatus humani, Tyrannidem in fidem & animam exercentis, iugum excutere. Hinc cœpit Henricus: alios excessus alij subsequentes abiecerunt Reges, & vtriusq; ordinis potentatus. Dilemma itaq; quo Augustinus in Donatistas insurgebat non potest Suarezio vsui esse contra reformatos: Donatistæ enim negabant expresse, veram Ecclesiam esse extra ipsorum sectam (vt faciunt iamdiu nostri Romanenses veri Donatistæ) sed illam in toto mundo perijsse, in sola Africa penes ipsos solos eam esse. Eos ergo dilemma illud optime constringit. At vero si ego protestantium causam agerem, dicerem, vt dixi, Ecclesiam Catholicam esse vbicunque Christus prædicatur ita vere, vt nihil veritatis Catholicæ à Deo reuelatæ claræ, & definitæ sufficienter, negetur, nullusque in vera fide sit defectus; nulla ellypsis. Quod si veræ fidei superadditus sit excessus, Catholicam quidem ibi fidem adhuc integram manere, sed tamen superadditis falsitatibus, quæ relinquant interim integram veritatem veræ Catholicæ fidei, esse inquinatam. Vt corpus humanum partibus suis integrantibus nequaquam destitutum, tuberibus autem accrescentibus deforme, vel membris numero & magnitudine nimijs monstrosum, ac etiam fœdis vlceribus scatens, corpus tamen suo modo integrum dici potest, licet neque formosum, neque sanum. Ad dilemma igitur hoc pacto pro illis responderem: fides Catholica vera non prorsus exulabat, sed vigebat in nostris Ecclesiis, etiam ante reformationem; & illa quatenus in fundamentalibus vera, & in claris ac definitis non deuians, nec discredens nos peperit; & ab ea nos Catholici sumus: Sed quia inquinata erat multis falsitatibus superadditis, nos illas falsitates errorumque quasi tuberes abscidimus, ac abiecimus: & cum pura fide Catholica mansimus, qualis fuerat in nostris etiam Ecclesiis, antequam inficeretur: quod Donatistæ respondere non poterant, quia facta separatione, cogebantur dicere, Ecclesiam illam in qua geniti sunt non fuisse veram Ecclesiam; siquidem illa malis, & traditoribus sacrorum librorum cōmunicabat. Ideo se ab illis Donatus cum sequacibus separauit.

VI. Quærit Suarez *cap.2.n.6* quo tempore facta sit mutatio in fide Catholica ante Henricum, vt propter mutationē fuerit deserenda, & noua fides amplectenda, antiquæ similis. Respondeo primo, non necesse esse ipsos temporum apices digito designare. Qui hortū habet spinis & herbis inutilibus ac noxiis repletum, ac pene suffocatum, non tam anxie quærit quo mense, aut die exorta sint, aut creuerint illa incommoda, sed potius ijs extirpandis dat operam. Respondeo secundo, mutationem internam in fide ipsa, quo ad essentialia, vel in Ecclesia clarè & distinctè admissa, nullam esse factam, nec prius, nec posterius. Eadem fides Catholica perpetuo, ex quo inducta est, perseuerauit, & perseuerat. Mutatio externa facta est paulatim magna. Papatus ipse, quem caput omnium fidei articulorum facit Suarez, secundum aliquam iam sui particulam (non enim totus statim inualuit, vt *lib.*4. ostendi) in Angliam ab Augustino illo Monacho inuectus est:

nam Gregorius sibi omnes Episcopos totius mūdi iam subiectos esse censebat, quorum iudex vniuersalis esse volebat. Subsecuta est Sanctorum inuocatio, Imaginum cultus, postea transsubstantiatio, & sic alia incrementa seu potius excrementa nostræ fidei, per iam explicatum à me excessum. Hæc enim neq; in Anglia, neq; in vlla Christi Ecclesia primis sæculis fuerunt, sed sunt paulatim inuecta: vt de Sacramentis, & transsubstantiatione docui *lib.* 5. passim. Et de aliis *lib.* 7. Et hoc sibi voluit Serenissimus Rex Jacobus, dum in primis quadringentis post Christum annis Patribus ferme omnibus assentitur. Vnde perperam colligebat Suarez *cap.* 1. *num.* 8. omnem doctrinam fidei, quam Ecclesia Romana post quingentesimum à Christo annum amplexa est, Regi incertam esse, & suspectam. Excessum Rex, non modo suspectum, sed plane explodendum esse merito censet: non fidem veram; quicquid videlicet pro fide obtruditur, quod pro fide illis primis 500. annis non fuit traditum, id inter excessus numerandum bene nuuit: quæ vero Ecclesia Romana tenet & docet, si modo in Ecclesia vniuersali primis 500. annis fidem diuinam obtinuerint, ea Rex, puto, suspecta non habet. Sed non propterea negat, fieri potuisse vt etiā primis illis sæculis aliquid excessus irreperet, vnde neque Patrum scripta singula debeant esse infallibilis regula ad excessus huiusce discernendos; de qua regula ago *lib.* 7. Quanto magis etiam potuit Augustinus ille à Gregorio missus, fidei veræ Catholicæ huiusmodi excessus aliquod admiscere? In fide ergo vera & Catholica summus semper consensus fuit, & est quouis tempore, & in eadem Ecclesia, inter priores & posteriores: & inter diuersas Ecclesias, Catholicas tamen: & consequenter inter Romanam & Anglicanam: dissensio tota est ob superaddita, & excessus: qui prius pauciores, postea plures fuerunt. Ideoque aliud est comparare, seu Ecclesias Catholicas inter se, seu eandem sub diuersis temporibus, in ipsa vera fide Catholica; aliud in excessibus qui sunt extra fidem Catholicam, licet perperam ad fidem Catholicam redocantur. Priori modo omnes Catholicæ Ecclesiæ, tam reformatæ quam reformandæ, summa consensione inter se conueniunt, dum æque omnes cauent ab ellypsi illa, & defectu. Posteriori modo comparatæ nullam habent reformatæ & reformandæ, puræ & impuræ, sanæ & ægræ consensionem.

VII. Anglicanam tamen Ecclesiam modernam cōparat Suarez *ibid. n.* 12. 13. cum antiqua: & conatur ostēdere, modernam esse ab antiqua longè diuersam; cum qua tamē antiqua Anglicana, moderna Romana summopere cōueniat: & probat ex antiquitate cum Beda, in antiqua Ecclesia Anglicana fuisse templa consecrata, basilicas martyrum, altaria, psalmodiam, preces, missas, prædicationem, baptismum, festorū celebrationem, sacrificia, cantum, Episcopos, Sacerdotes, &c. Sed profecto adhuc in Ecclesia Anglicana hæc quasi omnia ego oculis meis intueor. In quibus scil. si recte intelligantur, nullus est excessus; sed laudabilis antiquus diuinus cultus. Missa antiqua, vt docui *l.* 5. *c.* 6. erat sacra liturgia ad communionē celebrandam; & sacrificium in sumptione Eucharistiæ Christi crucis commemoratiuum. Templa sacra sub Sanctorum nomine olim ædificata, sub iisdem Sanctorum nominibus perseuerāt: vt reliquas taceam, Londinensis Cathedralis Ecclesia Sancti Pauli templum vocatur: & reliquæ parœciæ à suis Sanctis denominantur, quorum memoriā adhuc indeletam seruant. Dies festi, non modo Christo colendo consecrati, sed & B. Virginis, & Apostolorum cōmemorationi dicati publice seruantur. Sacra altaria, id est (nam de vocabulis nō pugnamus) sacræ procœna Dominica mensæ in omnibus adsunt Ecclesiis. Adsunt Episcopi, adsunt Presbyteri, adsunt Diaconi: Preces publicæ matutinæ, vespertinæ, etiā cum suaui modulatione in præcipuis quibusq; templis, summa cum pietate & deuotione peraguntur: superpelliceis candidis sacri ministri, & clerici in diuinis officiis vtuntur, etiam nonnunquam ad festa solenniora preciosis pluuialibus. Alia non cōmemoro, quæ cum in se sint adiaphora, & pro libertate Ecclesiarum retineri possint vel omitti, ab Anglis reformantibus nō sunt exterminata, sed prudenter conseruata, vt grata piæ ac venerādæ antiquitatis vestigia. Immerito ergo Suarez asserit, Ecclesiam modernam Anglicanam ab antiqua plurimū discrepare; quæ cœleste (inquit) sacrificium nō habet, vel per fidem recipit, altaria destruit, Sacerdotes detestatur, & templa in honorem sanctorum dicata non admittit.] Hæc omnia falsa sunt, & imprudenter à Suarezio credita audacter vero prolata. Sacrificium n. cœleste quale Christus instituit in memoriam celebrandū, illa celebrat; & per fidem verum & reale ac substantiale Christi corpus in sacra Eucharistia se recipere confidit, & profitetur; modū tamen quo id fiat, vult, vt puto, pie & humiliter ignorare, & rem sincera fide credere: Quod ego fuse explicaui *lib.* 5. *c.* 6.

VIII. Pergit extra oleas noster Suarez; *ibid. n.* 14. & comparat hæc tempora cum temporalibus Gregorij & Augustini de quo & ipsius sociis monachis hæc ait: Illi religiosam sectabantur vitam, quam isti abominantur: illi missas & sacrificia celebrabant, isti tanquam diabolicum commentum effugiunt; illi assiduis vigiliis & ieiuniis seruiebant, & cuncta huius mundi spernebant, isti vero voluptatibus corporis dediti, nihil aliud præter humanum honorem quærunt.] Bona verba quæso; nisi velis haberi rabula, non Theologus. Vtinam his vltimis verbis non magis morderes ipsos Ecclesiæ Romanæ antesignanos purpuratos Patres, quam Reformatam Ecclesiam Anglicanam. Si mores degeneres arguant corruptam fidem, comparet quæso Suarez vitam Papæ & Cardinalium ac plurimorum Episcoporū nostrorum cum vita Christi, cum vita Petri, & Apostolorum; & inde colligat, doctrinæ quoq; & fidei Apostolicæ in ipsis ne pilum quidem superesse. Sed quis quæso oculatus ac Lynceus explorator tibi, bone Pater, hoc insusurrauit in aurem, Anglos voluptatibus deditos nil præter humanum honorem quærere? Vah tu ne scrutator cordium? Vel etiam censor morum? Certè se magis voluptatibus corporis deditos profitentur; qui lupanaria publicè stabiliunt, quæ in reformatis Ecclesiis prostare non audio. Humanum honorem quærunt auidius, qui humanum Papatus inuentum ideo extollunt, vt ipsi à Papa extollantur. Sed Monachos iam non alit Anglia. Nunquid fides sincera, aut prædicari aut esse non potest, vbi nulli sunt Monachi? Sed Apostoli non erant Monachi: & Monachos prædicatio nullo modo decet, vt ostendi, *lib.* 2. *cap.* 12. Proferat Suarez Monachos tales, quales in ipsorum fuerunt institutione, & quales esse debent, vbique cum maxima, non dubito, excipientur veneratione: sed Monachi nostrorum temporum communiter plurimi quales, Deus bone, quales sunt? dicamne? dicam, superbi, arrogantes, deliciosi vt minimum, adulteri, scortatores, sodomitæ, seditiosi, rebelles, exploratores, expilatores, fraudulenti, superstitiosi, impij, an non abominandi? De miraculorum vero splendore nemo glorietur *ibid. n.* 15. miracula enim quæ vera sunt, confirmant doctrinam ex ea parte qua vera est: non autem ex parte excessus si quis adest: sed personam non semper necessario sanctam supponunt: ea enim ad gratias gratis datas spectant;

& mul-

& multis miraculorum patratoribus dicetur à Christo, *Non noui vos*, *Matt.* 7.23. Itaq; Rex optimus non impugnat fidem Catholicam, quā docuit Augustinus, quatenus verum Christum prædicans, sed illius Defensor est acerrimus: si vero iste Augustinus Romanizans, excessus etiam aliquos intulit Papismi, & aliorum errorum, illos certe eum Rege suo Anglia; & merito impugnat.

IX. Frustrà igitur inanem sumit laborem Suarez, *cap.* 3. dum pluribus conatur probare, Ecclesiam Christi non posse veram fidem amittere, vt inde colligat; eandem veram fidem Catholicam quæ olim fuit in Anglia, adhuc in Romana Ecclesia perseuerare; & ab ea Anglos discessisse. Mittamus nunc, posse interdum Ecclesiam adeo labi, vt in paucis admodū sincera fides maneat, vt sub Arianismo contigit: Christo id permittente & quodāmodo dormiente, vt à bonis, verbis illis excitetur, Domine salua nos, perimus. *Matt.* 8.25. In nostra profectò causa lubens concedo, fidem Catholicā nunquam in Ecclesia vniuersali perijsse, neq; perituā: Sed in illis omnibus Ecclesiis, quæ à manifesta hæresi fuerunt, & sunt immunes, eandem integram perseuerare, & ante reformationem in reformatis quoq; perseuerasse. Teneamus tamen iam datam distinctionem, q fides Catholica potest pati detrimentum, vel in defectu, vel in excessu. Ex defectu ipsa verè vel perit, vel mutilatur, ex excessu non perit, sed inquinatur & deturpatur: nō corrumpitur quidem propriè & positiuè; *c.* 3. *n.* 2. siquidem per excessum nulla Catholica veritas tempuitur, aut destruitur, & discreditur; sed corrumpi aliquo modo, potest dici, negatiuè; quia contemptis sæpe, aut nihil factis, etiamsi non expresse negatis aut reiectis veris articulis; insistitur plus humanis & sæpe falsis traditionibus; quā veris à Deo reuelatis. Veritas ergo Catholica manet & manebit in Ecclesia Christi, vsq; ad consummationem sæculi, nō dubito, ita vt per defectum & hæreses nunquam sit in tota vniuersali Ecclesia fides peritura.

X. Hoc Suarezio non est satis, non enim solum ab hæresi facit Ecclesiam immunem, *cap.* 4. Sed etiam à quocunq; errore, & lapsu, præsertim ignorantiæ. Ita vt fides Ecclesiæ Catholicæ, non modo in defectu, sed etiam in excessu nequaquam periclitetur. Et sic ad rem propius accedit: Hic ego rursus superfluas cupio præcedentes disputationes: & aliam appono communissimā & vtitam distinctionem; aliud esse loqui de Ecclesia vniuersali, aliud de Ecclesiis particularibus. Concedam itaq; Ecclesiam vniuersalem non posse in errores illos per excessum incidere, vt aliquid tanquam de fide credat, & doceat, quod tamen de fide non sit, imo quod falsum sit & in Scripturis remotum; vniuersalem autē Ecclesiam intelligo illā, quæ omnes penitus Ecclesias particulares, nulla dēpta, imo vero potius quæ omnes fideles, nullo dempto, complectitur. Quod si vel vnicam Ecclesiam etiam minimam, vel vnicum fidelē excipias, qui alicui errori non consenserit, reliquis omnibus ei consentientibus, tunc Ecclesia vniuersalis non potest dici lapsa in errorem: vt *lib.* 7. est à me declaratum. Vbi etiam ostendo, non admodum tutam esse illam regulam, id verum esse in Ecclesia, quod maxima Ecclesiæ vniuersalis pars iam docet, vel tenet. Quando enim Arianismus totum fere orbem occuparat, paucissimi erant orthodoxi comparatione errantiū. Quomodo autem Ecclesia dicatur columna & firmamentum veritatis, 2. *Tim.* 3.15. similiter *lib.* 7. explicabo. Et quamuis difficultas grauissima sit, an Ecclesia possit esse regula certa fidei, vt eodem *lib.* 7. tracto; hic tamen concedā lubens, vniuersalē Ecclesiam in sensu iam exposito falsitatem amplecti, & docere non posse, quia Deus id nunquam permisit; neq; est vnquā permissurus. Probet igitur Suarez, si potest, aut Romanam Ecclesiam & sequaces solā veram puram fidem Catholicam adhuc retinere, & per excessum non errare: defectum enim & hæresim ego nolo ei tribuere: aut Anglicanam aliasve vere, & bene reformatas, vel per defectū vel per excessum errare.

XI. Venit Suarez *cap.* 5. ad suam Romanam, eamq; distinguit in particularem & vniuersalem: quæ distinctio falsissima est: nec eam probat ipse, sed supponit vt postea probandam. Ego quoq; hic falsitatem ipsius nō demonstro, sed suppono esse à me apertissimè demonstratam potissimum *toto meo libro quarto*, & præsertim *c.* 2. & 7. sed cito finiendæ litis causa donabo Patri Suarez, Petrum fuisse à Christo toti Ecclesiæ præpositum: Quod in sensu Romano falsissimum esse probat aliunde *totus meus primus liber*: dono etiam, imò liberè & absolutè concedo, Petri fidem Catholicā in Petro, quoad ipsius personam non defecisse, rogauit enim pro eo Dominus, *Luc.* 22.32. qui proculdubio exauditus fuit pro sua reuerentia. *Heb.* 5.7. His donatis interim nego Dominum orasse vt non deficiat fides Pontificum Romanorum: illa enim particularis oratio ad solam Petri personam pertinuit; non ad alios eius successores, vt probaui *l.* 1. *c.* 6. *n.* 31. & 41. Probat Suarez ex testimonijs Romanorum Pontificum. At testis in propria causa testimonio impar est: Præterea miror tam grauem Theologum Apocryphorum etiam somniis vti; *c.* 5. *n.* 9. Lucij nimirùm, Marci, ac Fœlicis. Videat censuram meam *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Alij Pontifices quos profert & sancti non sunt, & post Paparus corruptelas vixerunt, ac scripserunt. Leonis dicta ad rem præsentem nihil faciunt. Patet legenti. Quomodo rogo ex his verbis Leonis, *Pro fide Petri propriè supplicatur tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit*, colligitur perpetuum priuilegium in Sede Petri? Possunt hæc de solo Apostolorum collegio intelligi possunt de quacunque particulari Ecclesia respectu sui Episcopi; possunt de quacunq; particulari Ecclesia respectu sui Regis, præsertim Christiani: quid hic singulare habet Leo de sede Romana? Hoc certè non est solidè dogma grauissimum probare, sed ludere: sicut nec solidi Theologi est vti locis scripturæ pro dogmate magno stabiliendō, quæ ipsemet fateatur habere varias interpretationes, (licet ipse vnam meliorem esse putet alia) quam tamen aliam, neq; sciat, neque possit confutare. Et vero sensu verba Christi; *Confirma fratres*: ad solum Petrum pertinuerunt, & sane cum eius depressione, vt exposui *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 39. non cum iurisdictione. Et illud singulare *ib. n.* 10. & 11. ad Petri humiliationem non exaltationem spectat; non fuit priuilegium sed lapsus ipsius commemoratio: quia enim solus Christum negauerat, solus etiam speciali medela egebat. Inde igitur velle inerrabilitatem Romani Pontificis colligere, & Magistrum infallibilem veræ fidei facere, est mera vanitas, vt *lib.* 7. ostendo. Sicut etiam ex verbo Christi: *Pasce oues*, perpetuitatem puritatis fidei in Sede Romana ponere merum est somnium: vt planè constat ex *meo lib.* 1. *c.* 8. *toto*, & *lib.* 7. Falsum enim est, totam Ecclesiam teneri sequi fidem Romani Pontificis: tenetur tamen sequi fidem Petri, & reliquorum Apostolorum, cum præsertim Romanus Pontifex, ne successor quidem sit specialis Petri: vt probaui *lib.* 4. *cap.* 1. & 6. Neque ex ratione Petræ habet Sedes Romana in fide firmitatem, quod ostendi *lib* 1. *c.* 6. & *lib.* 7. *c.* 5. mox edendo. Et Cyrilli locus quem profert Suarez, est plane suppositítius, vt docui *lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 16. & *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 61.

XII. Bene videbat Suarez, se in Ecclesia Romana

stabilitatem fidei ex diuina promissione confirmare non potuisse, itaque recepit se *cap.6.* ad sacram nostrorum Anchoram, traditiones scilicet: Nouus dicendi modus, traditionem (certe diuinam) vocare, quod Patres docent, licet non dicant se id per manus ab Apostolis accepisse: & qui quæso Patres? Eusebius Papa apocryphus *ibid. num.1.* nullius fidei: Gelasius quid ait? se confidere, Sedem Apostolicam non lapsuram: at non ait, certum esse de fide, eam non lapsuram: præsertim in excessu, salua veræ fidei integritate, euitato defectu. Licet suo modo defectus magnus sit, putare, fidem integram non esse, quæ reuera integra est, nisi adulterini ei superaddantur articuli, imo errores, & falsitates, etiamsi hæreses non sint. Quomodo vero Patres alij sint intelligendi, vbi ex Romanorum Pontificum successione veritatem fidei confirmant, prius iam explicatum est à me *l.4. cap.3 nu.33. & c.9. num.6. & l.2. cap.1. num.13. & sequentib.* & postea *lib.7.* Sæpius Augustinus & Hieronymus Romanam fidem laudant, & tanquam exemplar proponunt, quia in essentialibus optime sentiebat, & per defectum nihil errabat, *ibid. nu.2.* sicut forasse nunquam hactenus errauit ipsa videlicet Ecclesia Romana, non loquor de ipsius Pontificibus; & quia turbæ & dissensiones Ecclesiasticæ ad illa tempora omnes fuerunt circa articulos veræ fidei Catholicæ, & non circa surculos adulterinos, spurios; & in veris articulis Romana optime sentiebat, ideo vt exemplar merito, sua etiam conspicuitate, proponebatur. Sed quia postea in excessu superadditione spuriorum errauit plurimum, neque potuit neque debuit esse exemplar, nisi ad perniciem aliarum. Videat quæso Pater Suarez, quid gloriari possit de Hieronymo nostro, *in meo lib.4. cap.10. num.88.* & cognoscet, Hieronymum non agnouisse priuilegium stabilitatis fidei in Ecclesia Romana, tanquam ipsius proprium. Et cuiuscunque Ecclesiæ Christi, quandiu hæresi corrupta non sit, fides eadem est, quæ est Catholica. Quo sensu Catholica Ecclesia potest eadem esse quoad fidem, quæ Mediolanensis, Lugdunensis, Spalatensis, Romana &c. si corruptæ non sint. Hac ratione Hieronymus propter integritatem fidei, Romanam supponit esse Catholicã: & Catholicũ esse eum qui tunc cum Romana sentiret. Et quia ab Oriente Romam venit fides, id est, in Occidente iam, hoc est, Romæ, solem ortum asserit ibidem Hieronymus. Sed post Hieronymum rursus nouus hic Oriens in vlteriorem & vltimum Europæ Occidentem est translatus: nimirum in Angliam: Et si nunc Hieronymus viueret, ad Regem piissimum Iacobum scriberet ex vrbe eadem, quæ ex Oriente scripsit olim ad Damasum in vrbem, *ep.57.* diceretque, Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos *Britannos & adhærentes*, incorrupta Patrum seruatur hæreditas: Ibi cespite terra fœcundo, dominici seminis puritatem centeno fructu refert: Hic *Roma* obruta sulcis frumenta, in lolium auenasque degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur; in Oriente autem, *id est, Roma, quæ Angliæ est Orientalis*, Lucifer ille qui ceciderat, supra sydera, *id est, supra omnes Episcopos, & Principes*, posuit thronum suum. Vos *Britanni* estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa & argentea: *sub tali tantoque Rege, & Regali & Sacerdotali virtute, omniq; doctrina, sacra præsertim instructissimo*; Hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream & æternum opperiuntur incendium.] Ita profecto & merito scriberet nunc, si alloqueretur Angliam, Hieronymus, quem immerito in proœmio operis quod præ manibus habemus, Suarez attulit, quasi dixerit á Papali dignitate Ecclesiæ salutem pendere. Certum enim est Hieronymum *adu. Lucif.* illa de quolibet Episcopo proferre; nã quisq; Episcopus in sua Ecclesia est Sacerdos supremus: Locum Hieronymi explicatum videat *meo lib. 4. c.10. nu. 91.* Sed hæc est iam ordinaria vafricies nostrorum Hieromonarchitarum, vt simplicibus obtrudant dicta Patrum, vbi verbulum aliquod æquiuocum possint ad se vi contorquere, & nihil pensi habent vt veram Patris mentem assequantur.

XIII. Ambrosium profert, *c.6.n.3.* qui *lib. de obitu Satyri.* Catholicos vocat Episcopos, qui cum Romana Ecclesia conueniant. Tunc regula erat bona: quia Catholicam fidem nondum Romana Ecclesia adeo deturparat. Nunc neq; Ambrosius, neque Hieronymus, neq; alius ex antiquis eo se reciperet, si saperet, vt exẽplar fidei ab Ecclesia Romana desumeret. Idem Ambrosius cupiens suam fidem Catholicam, tanquã certam & optimam titubanti Valentiniano iuniori persuadere, exemplar ipsius ex Theodosio patrẽ ex Galliis, ex Hispaniis petiit: Quam fidem, *inquit ep.32.* & iam parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus Imperator, & sequitur, & probauit: hanc fidẽ Galliæ tenent, hanc Hispaniæ, &c.] Nihil hic de Roma. Colliget ne hinc Suarez stabilitatem & perpetuitatem incorruptæ fidei esse debere in quocunq; Imperatore? Et Ecclesias Gallicanas, Hispanicasq; non posse deficere? Imo, si ipsius stetur iudicio, magna Galliarum pars iam defecit. Quod si de Imperatoribus, de Galliis, de Hispaniis nõ colligit ex Ambrosio stabilitatem & illabilitatem in fide, licet Ambrosius pro eo tempore ab illis exemplar sumat veræ fidei; cur colligit id de Romana? sed etiam locus Ambrosii ex *lib.1 epist.4.* mihi suspectus est: nunquam enim eum locum obseruaui, neque possum inuenire.

XIV. Cyprianus veneratus est Ecclesiam Romanam, inquit Suarez; quid inde? si propterea vult inferre, ergo Ecclesia Romana nunquam poterit falsa docere, & falsitates, aut vanitates suas pro fidei articulis obtrudere, illatio erit ridicula. Sed dicet, Cyprianum asserere, perfidiam non posse habere accessum ad Romanos. Non posse nempe iam tum in præsenti, prout se habebat Romana Ecclesia tunc temporis. Non tamen dicit, nunquam fore vt possit habere. Vsq; ad tempora Cypriani id verum erat de facto: quid futurũ esset non profitetur Cyprianus se vaticinari. Locũ vero Cypriani *l.1. ep.3.* de nauigatione ad Petri Cathedram habet á me explicatum, *l.1.c.10.n.17. & l.4.c.3.n.33.34.* Et qui cum Romano Pontifice tunc bono Catholico cõmunicabãt, erant Catholici: certe qui etiam cum quocunq; alio bono Catholico Episcopo communicant, sunt Catholici. Nunc tamen ne Cyprianus quidem cum Papa in tot adulterinis fidei articulis communicaret. Et quia idem Cyprianus *ep.6.* Nouatianum dicit non esse in Ecclesia, propterea quod in Ecclesia Romana non erat, inde vult, Romanam Ecclesiam esse fundamentum Catholicæ Ecclesiæ. Quod si etiam pro eo tempore verum esset, inde tamen non habet, quam intendit Suarez, stabilitatem & incorruptibilitatem. Sed neq; mentem Cypriani est assecutus: Cyprianus enim contendit, Nouatianum nõ esse Episcopum verum in Ecclesia Romana, cuius se Episcopum fecerat, quia iam in ea erat Episcopus legitimus Cornelius: quod ego explico *lib.1.c.12.n.19.* Et cathedra illa vna non est Romana, sed Ecclesiæ vniuersalis potestas: vt ostendo *lib.1.c.10.n.18. & lib.4.c.10.n.76.*

XV. Irenæus doctrinæ veritatẽ confirmat ex reductione ipsius ad Apostolos per Episcoporũ successiones, nõ minus in aliis Apostolicis sedibus, q̃ in Romana, *c.6 n.5.* Sic Tertullianus, sic Augustinus: quæ partim explicaui *lib.2.c.1.* partim, & exactius explico, *lib.7.c.2. & 5.* Et de principalitate Ecclesiæ Romanæ egi, *lib.4.*

cap.

cap.10. num.55. vbi locum hunc Irenæi explicaui: ostendique illum infallibilitati fidei nihil fauere, *ibid. num.6.* Athanasii & Ægyptiorum epistolę ad Marcum Papam sunt apocryphæ, & nullius fidei. Et cur Romana Ecclesia dicatur omnium mater, citra illam infallibilitatem, docui *lib.4.c.3. initio, & nu.7.* Tarraconenses ad Hilarium Papam laudant sinceritatem fidei, quæ tunc erat Romæ sana, vt nunc etiam puto sanam esse in fundamentalibus, seu respectu defectus; licet iam tum respectu excessus, corruptelis non omnino careret. Sed Tarraconenses non asserunt, neque possunt, nisi velint esse ridiculi, asserere eam in eo statu fidei perseueraturam, & nunquam aut defecturam, aut excessuram. Idem dico de Ruffino, & de Cyrillo: quamuis locus Cyrilli sit spurius: vt ostendi *libr.4. cap.10. nu.61.* Idem similiter dico de Theodoreto. Laudant omnes quod tunc erat: augures non sunt futurorum. Et si nunc viderent ipsam Romanam Ecclesiam, summopere ab illa abhorrerent: neq; enim in Romana Curia Romanam Ecclesiam agnoscerent.

XVI. Contra hoc insurgit Suarez *ibid. num.8.9.* & contendit, Patres simul tradere fundamentum, ex quo perpetuitatis & perseuerantiæ in sincera fide priuilegium Romanæ Ecclesiæ confirmetur. Atque hoc est, quod ego omnino negandum esse video. Apocryphæ illæ & supposititiæ quorundam veterum Paparum nominibus fucatæ epistolæ, in propria etiam causa, iactãt verba illa CHRISTI, *Rogaui pro te:* quæ tamen iam ostendi supra, *paragrapho vndecimo*, ad Romanum Episcopum nihil pertinere. Et Hieronymus non ait, super Romana Ecclesia esse fundatam Ecclesiam vniuersalem: Sed ait, super fidem, quam tunc Romæ Damasus tenebat, fundari CHRISTI Ecclesiam. Imo tantum abest, vt stabilem fidei puræ locum Romę collocarit, vt fidem de loco ad locum commigrare sub metaphora Solis docuerit; vt supra *paragrapho duodecimo.* Successio verò quam vrget Suarez, æque in aliis quoque sedibus Apostolicis argumentum suppeditabat; in quibus tamen postea fides per hæresim passa est detrimentum, vt probo *lib.7. cap.2. & 5.* Et falsum est, vllius particularis sedis esse munus & priuilegium proprium ipsius à CHRISTO acceptũ, vt alias doceat, instituat, & confirmet Ecclesias, vt partim ostendi *lib.4.* passim & melius ostendo *lib 7. cap.5.*

XVII. Dimisso tamen suo filo præcipuo Suarez; quod insolitum non est nostris scriptoribus, in controuersiis, mala fide, & contra conscientiam tractandis; vbi confirmare debebat, esse priuilegium stabile & firmum Ecclesiæ Romanæ, vt fidem purã & adulterinis articulis impermistam in perpetuum conseruet, reuoluitur *cap.6. num.10.11.* iterum ad alios authores commemorandos, qui suis temporibus Romanam fidem laudarent. Hoc nihil ad rem: vel laudabant, quod tunc erat, & nunc non est: vel etiam tunc in propria causa nõ nihil cœcutiebant. De œcumenici titulo satis disputaui *libr.4. cap.7 num.10. & seqq.* Vnde Suarezii argumentum totum concidit. Bernardus in verbis CHRISTI; *Ego pro te rogaui*; fundat stabilitatem Romanæ fidei, & alii, sed falluntur, quia locus eo non spectat; vt dixi *num.11.* & alibi fuse probaui.

XVIII. Eo igitur tandem reuoluitur, *ibid. num.12.* vt si non putetur probata iam fidei stabilitas in Ecclesia Romana, sed illa defecisse credatur, designetur tempus & annus, quo illa deficere cœperit. Cum autem homo quilibet, qui diu viuat, ex viro sano & robusto fiat senex, & imbecillis, designet ille mihi tempus & annum, quo primum cœperit homo ille senescere. An nescit sensim & paulatim ista fieri, non simul & vno certo momento? Deficere, aut defecisse Romanam Ecclesiam in fide ego non puto, licet aliquis ipsius Episcopus olim defecerit. Sed rari. Et ratio est, quia corruptelæ fidei in illam Ecclesiam per excessum, & non per defectum, vt iam monui, sunt ingressæ. Fides manca est, si per ellypsim & negationem non credatur totum, quod credendum est: fides monstrosa est, si vltra credenda credat, etiam quod credendum non est. Defectus fide non vtitur, Excessus fide abutitur. Excessus porro in Romana Ecclesia satis mature cœperunt pullulare. In exercendis Iudiciis, præsertim circa negandam vel restituendam communionem, Victoris excessum erga Asiaticos vidimus *libr.4. cap.8. initio.* Progressum verò in excessibus ibidem posuimus satis clarum, prout varii Episcopi, variæque Ecclesiæ sese nimium assumenti & arroganti Romano Pontifici, opposuerunt: Et primum quidem in regimine & praxi gubernationis, quod tandem regimen Romanenses ad articulum fidei reduxerunt. Deinde circa dogmata quoque paulatim doctrinam inuexerunt nouam; & siue disputabilem dumtaxat, siue etiam falsam, & impossibilem: cultum imaginum in Concilio Nicæno secundo stabilierunt: transsubstantiationem circa tempora Caroli Calui, & postea sub Nicolao secundo, vt ostendi *libr.5. cap.6. nu.164.* Absolutionis Sacramentum sub Innocentio tertio. Septem Sacramenta tempore Petri Longobardi: Multa in Conciliis Lateranensibus & aliis posterioribus: multa in decretalibus, & extrauagãtibus. Sed cumulus omnium errorum, & excessuum in doctrina fidei factus est demum in Concilio Tridentino, in quo inutiles, imò falsi, & perniciosi articuli veræ fidei adiecti sunt. Plurimos ostendi iam in præcedentibus: multos ostendam in sequentibus.

XIX. Moralis igitur illa coniectura ex Tertulliano desumpta, *cap.6. nu.13.* Romanam Ecclesiam in his errantem nihil iuuat: vbi supponit ille, errorem non posse vniuersam Ecclesiam peruadere. Hi enim errores, & excessus, tametsi permittente Domino in plurimas Ecclesias irrepserint, in alias illi quidem plures, in alias pauciores, nunquam tamen omnes ad omnes penetrarunt: quia, vt ostendi *libr.4. cap.8.* errores illi Ecclesias aliquas aduersantes semper, & resistentes habuerunt: & ostẽdetur id à me adhuc plenius in sequentibus. Papatui nunquam Oriens est assensus, sed vehementissimè restitit, & etiamnum resistit. Idem factum est in Occidente, vt probaui *libr.4.* Et quidem Tertulliani tempore, quod apud multos vnum inueniebatur, non erat erratum, sed traditum, quia errores statim agnoscebantur, & procul ab omni Ecclesia amandabantur: At verò postea, quando errores inualuerunt, regula hæc fallax fuit, hodieque est fallacissima. Testis sit Arianismus in quarto seculo post CHRISTVM. Et alii subinde errores, qui longè lateque per Ecclesias spargi potuerunt, & aliquandiu perseuerare. Nunc verò errores Ecclesiæ Romanæ plurimi, si non per defectum, certè per excessum inualuerunt; quos quidem multæ Ecclesiæ inuitæ gementesque tolerant, & tolerare per summam tyrannidem, igni ferroque coguntur. Aliæ dolis & fraudibus pelliciuntur. Cum interim etiam plurimæ Tyrannidem excusserint, & se in pristinam à CHRISTO habitam libertatem vindicarint, vindicentque in dies magis, & excessus illos abiiciant, vt fides pura & integra ac defæcata maneat. Neque vero priuati Romanorum Pontificum errores personales obsunt fidei vniuersali, eamve deturpant: *cap.6. n.14.15.16.* sed excessus, qui ex Cathedra illa prodeunt, quæ tandem in ipsius setuo Concilio Tridentino voluit, effecitque vt innumerabiles illi excessus fidei Catholicæ nomine admitterentur, & Ecclesiis obtruderentur, in articulis veræ fidei additis, aut falsis illis

quidem, aut ad summum disputabilibus, & ad liberas opiniones pertinentibus.

XX. De Ecclesia visibili & inuisibili mox disputat Suarez *capit.* 7. ne aduersarii ipsius confugium habeant; & dicant, Ecclesiam inuisibilem Romæ periisse, licet visibilis permanserit; siquidem soli inuisibili Ecclesiæ sit promissum, fidem eius non defecturam, visibili verò id promissum non sit. In his tempus terendum non est. Ego enim defectum non vrgeo sed excessum: & contendo, etiam visibilem Ecclesiam excessibus hisce Romæ, & in sequacibus esse maculatam, & deturpatam, per publicam, & apertam professionem multorum articulorum falsorum, vel duntaxat opinabilium pro veris veræ fidei Catholicæ articulis. Quomodo autem possit visibiliter dignosci vera Catholica Ecclesia à non vera, & de notis veræ Ecclesiæ, disputo *libr. VII. capit.* 4. Nunc satis sit, veram Ecclesiam Catholicam visibilem esse, quæ veram & integram CHRISTI fidem sub veris & à CHRISTO propriè institutis Sacramentis profitetur, & nullum in hac vera fide patitur defectum. Ac propterea veram CHRISTI Ecclesiam ego Romanam cum sequacibus esse, vt toties dixi, opinor: veram item quamcunque aliam ex rite reformatis, salua vera integra fide Catholica. Sed reformata Ecclesia, vera CHRISTI & pura sanaque Ecclesia est: Romana verò, & quæcunque Pontificia, vt vt vera sit, quamdiu defectum fidei veræ non patitur, ægra tamen est; impura & sordida ex additionibus veræ fidei ab ea factis per excessum. Tollat mala additamenta, vt ea Reformatæ abstulerunt, & sic pura etiam ipsa, ac defæcata manebit: & erit vnum ouile CHRISTI, & vnus Pastor CHRISTVS, sub quo omnes Pastores, id est, Episcopi & ministri Ecclesiarum. Et in his duntaxat tota consistit differentia inter Pontificias Ecclesias, & reformatas: conueniunt enim, quantum ego cerno, omnes vtriusque partis in ea fide, quæ est vera, & integra absque defectu, vel mutilatione, verâ fide Catholicâ credendorum, & ex necessitate salutis operandorum. Differunt verò, quia illæ multa non credenda fidei admiscuerunt, & in operando superstitiosa addiderunt: hæ verò ista resecuerunt. Corpus sanum, & febricitans conueniunt in essentialibus, quæ ad animalis constitutionem requiruntur, membris organicis, calore naturali, humoribus, spiritibus, &c. Sed iste ægrotus febri laborans, præter calorem naturalem vitæ fomitem, accersiuit calorem aduentitium, sanitatis vitæque hostem. Cum altero itaque sanus ille conuenit, vt homine; sed ab eo discrepat, vt malis humoribus onusto, ac supereminente temperie grauato. Ecclesiæ reformatæ adhuc vnam faciunt in fundamentalibus, aliisque claris & sufficienter propositis Christianismi dogmatibus, com Romana Ecclesia; neque ea ex parte dicenda sunt se separasse, sed adhuc eidem hoc nomine adhærent, & reliquæ toti Ecclesiæ Catholicæ. Verùm cum Romana vltra metam perrexerit, imò se in deuia, & lacunas præcipitauerit, quid mirum, si reformatæ eò non pergant simul, sed pedem sistant, seque intra limites à CHRISTO duce præscriptos contineant?

XXI. Quid ergo prouocat Suarez *ibid. num.* 12. ad visibilitatem? quid ad antiquitatem? quid ad alias notas? Quid ab Antiquitate habet Ecclesia Romana, quod non habeant reformatæ? ostendat minimam particulam veræ fidei antiquæ Ecclesiæ, à qua discesserint reformatæ. Nouellos surculos adulterinos veritatis falce dissecuerunt & abiecerunt. Probet ille, si potest, hæc, quæ reformatæ abiecerunt, veram habere antiquitatem, CHRISTVM habuisse authorem, & Apostolos promulgatores. Hic P. Suarez te expecto. Verum fundamentum, veram Petram CHRISTVM & sacram Scripturam in tota sua fide habent Protestantes; vos vero Romanenses, pro petra habetis hominem Romanum Episcopum. Habetis fictas traditiones, fundamentum putridum, CHRISTO & Scripturæ, aut contrarium, aut à CHRISTO & Scriptura remotissimum. Amplitudinem ne vrgeat, sed potius defleat, quod errores Romani sint adeò propagati: vera fidei Catholicæ amplitudo in veris fidei articulis consistit, non in adiectitiis, adulterinis, & spuriis. Quicquid vspiam verus & sincerus ac purus Catholicus credidit, creditve, & vt necessarium ad salutem operatur, siue Romæ, siue in quacunque Orbis Christiani parte, id Reformati & credunt & operandum profitentur: hominum factas adiectiones Euangelio nequaquam cohærentes respuunt merito, & abiiciunt. Patrum doctrinam, habito semper necessario delectu, & venerantur & sequuntur, à quibus Pontificii longissimè recesserunt: id à me hactenus sex iam datis libris in quacunque controuersia est aperte confirmatum. Miror verò prudentem P. Suarez *ibidem num.* 13. Iudicem sanctitatis priuatæ esse factum, & Anglis negasse specimen sanctitatis. Scilicet nobis Romanis alia sanctitas non est, nisi tota externa, & vt plurimum hypocritica, vtinam non etiam Pelagiana, vt qui indole ac temperie robustiori, ad speciem plura pati possit ieiunia, verbera, peregrinationes, &c. ille sanctior habeatur. Odiosæ sunt istæ comparationes, & DEO relinquendæ, apud quem sæpè sanctior est, qui viuaciori fide, feruentiorique interna charitate in spiritualia, ipsumque DEVM fertur, etsi foris non ita pomposè appareat; quam qui popularibus oculis externam ostentat sanctitatem, ac vulgi, qui specie ducitur, admirationem concitat. Sed mirum non est, totam sanctitatem Patrem Suarez ab externis metiri, quia in Societate IESV multo plus hypocrysis affectatæ cuiusdam mortificationis Superioribus commendat socium aliquem, & promouet, etiamsi intus lateat fœdissima sentina vitiorum, quam alium interne coram DEO vere compositum; sed fictæ externæ sanctitatis rutilante veste carentem. Ehn autem, bone Suarez, nullane sanctitas vbi frigent & exulant Cucullati, funigeruli, nudipedes, & similia Mundi deceptacula? Nihilne veræ, quæ veram Ecclesiam innuat, pietatis in Anglia? Sparguntur certe à nostris (qui mendacia huiusmodi pietati deputant) inter nostros Romano iugo subiectos populos fabulæ, quæ risum simul stomachumque moueant; post eiectum Papatum in Anglia, nullum esse publicum DEI cultum, nullam Liturgiam, nullas Ecclesias, omnia pietate, & atheismo squalere. Hæc improbi Monachi fingunt, cæci & stulti credunt. Qui autem vel oculati testes, vel æqui sunt rerum æstimatores, facile animaduertent, nec nostrorum eos, qui vitam scilicet Anglicam profitentur, veræ Ecclesiæ signa sufficientia ex suæ sanctimoniæ armamentario expromere, nec reformatos pietatis & bonorum operum luce radiisque destitui. Angliam certe quod attinet, quam despicit ac conculcat adeò noster in sublimi positus Anglicanæ puritatis professor Suarez, partim à bonis authoribus audio, partim cum maxima animi voluptate video, post Papatum denuo fugatum, & reformationem, regnum tenente Elizabetha radicatam, longe plura publica pietatis opera eleemosynaria, Collegiorum, Prochodochiorum, scholarum, &c. esse fundata, ac in perpetuum stabilita, quam tot annorum spacio in vllo vigentis Papismi seculo. Si ad hæc comparentur, quid Ecclesiæ,

quid

quid Reipublicæ profuissent totidem otiosorum Monachorum stabula? Sed in his Angli mea non egent defensione: ipsi se melius ab huiusmodi calumniis vindicabunt.

XXII. Quæ hactenus à Suarezio sunt octo capitibus primi libri disputata, eò spectant, vt probetur in Anglia veram fidem defecisse: scilicet satis ineptè putauit, fidem nuper reformatam esse nouam fidem, de nouo introductam: cum tamen ego ostenderim, reformationem non esse nouæ fidei introductionem, sed veteris repurgationem, quam repurgare, & ab adiectis impuritatibus liberare, non est de nouo reficere, vel à veteri quatenus vera, deficere. Sic itaque in genere fidem veram ab Anglia nondum sustulit, quam in Anglia vel maximè vigere & florere non dubito. Et Suarezii generales illæ impugnationes hactenus positæ nihil probarunt, vt ostendi. Adeoque iure ac merito Serenissimus Rex Iacobus se verè Catholicæ fidei inscripsit & inscribet Defensorem. Ac nisi in particulari defectum veræ fidei in Anglia probauerit Suarez, per alicuius articuli veræ fidei negationem, titulus Regis manebit inconcussus. Conatur id ille quidem *in 2. libro*, sed quam fœliciter videbimus *capite sequenti*. Interim verò adhuc in generalibus perseuerans, fundamentum, cui suæ fidei veritatem Rex sapientissimus superstruit, concutere nititur. Id verò vnicum est, sacra Scriptura. Impugnat Suarez *capit.9.num.4.* & hoc fundamentum solum non sufficere contendit, obiectatque traditiones, *ibid.num.7. & sequ.* De quibus ego *libr.7.cap.2.* Dogmata fidei omnia, quæcunque necessaria sunt ad salutem, in sacra Scriptura plenissimè continentur; ritus forte nonnulli, & disciplinæ externæ ordo potest quidem traditionibus ex parte niti: si tamen euidenter constet, aliquid inde ab Apostolis in Ecclesia, continuata & non interrupta serie per manus traditum, quod iam in paucissimis ritibus dari commonstro *libr.7.cap.2.* vbi etiam *cap.1.* ostendo, vnde libri canonici à non canonicis separentur, & vnde canonici suam habeant certitudinem.

XXIII. Fidem Regis, tanquam non Catholicam, aliunde in genere impugnat Suarez, ex modo videlicet tendendi in obiectum fidei; quod ait Suarez *cap.10.* esse proprias proprii ingenii vires, & quasi acquisitam scientiam. Quorsum hæc? nisi vt ad implicitam fidem reducat sapientissimum Regē, & alios principes Christianos, auferatque ipsis à CHRISTO *Ioan.5.39.* laudatam & approbatam scripturarum scrutationem: nempe vt cœci & stolidi facti temerè & imperitè credant, quicquid Romana Curia in sui commodum confingit, ac credendum proponit. Non scientiam humanam Rex iactat, & aliis suadet, sed diligentiam & studium necessarium iis, qui sibi imponi non patiuntur, nec falsitates & errores obtrudi. An scientiam dixerit humanam Suarez *cap.10.num.4.* eam, quæ in Concilio Nicæno contra Arium stabilita est, quia exactissima scripturarum discussione collecta est, Spiritus imprimis sancti gratia aspirante? Sed de hoc etiam ago *libr.VII. capit.3.* Interrogat verò Regem, an Doctore aliquo & magistro vtendum sit, in sacræ Scripturæ intelligentia: Sed noluit percipere sensum Regis: is vero est huiusmodi: Audi quidem Magistrum hominem, sed ne credas ei ob eius authoritatem, quia ipse dicit, sed quia ipse te manu ducit & conuincit, ita scripturam esse intelligendam; & hæc est certa intelligentia, non homini dicenti, sed ipsius dictis nixa: Te autem conuincet, aut inductione scripturarum, diuina gratia sancti Spiritus iuuante, aut Ecclesiæ plena, & sufficienti definitione. De qua *libr.VII. cap.3. & 4.* vbi de regula fidei fusius disputamus: & quid de priuato Spiritu censendum sit inquirimus: ad quem frustra & satis otiose Suarez digreditur, siquidem Regia Maiestas nullam huic digressioni præbuit occasionem

XXIV. Catholicam non esse fidem Anglicanam, ac proinde Regem non esse fidei Catholicæ Defensorem, conatur probare Suarez *capit.12.13.14.15.16.* Et ille quidem fusissime hæc per plura capita tractat, sudans nitendo, nec proficit hilum. Ego rem paucissimis absoluam, quia tota hæc seges in meo *libr.VII.* per sua loca & manipulos est disposita. Quicquid de nomine, & notatione Catholici *cap.12.* præmittit, admitto, approboque, illam esse verè Ecclesiam Catholicam, quæ continuata successione à primitiua Ecclesia promanauit, & cum illa habet coniunctionem: Et si qua ab illa diuisa sit, eam Catholicam non esse. Dum verò *ibid.num.1.* infert illam Ecclesiam, quæ nunc Romano subest Pontifici, esse Catholicam; distinguo: Ex parte defectus, qua vera credenda non negat, est Catholica: Ex parte verò excessus & deturpationis fidei, & ratione Papatus, nego esse Catholicam: quia illi excessus & illa additamenta fidei spuria, & Papatus ipse, non sunt Catholica: nam neque in Primitiua Ecclesia fuerunt, neque nunc in Ecclesia vniuersali creduntur, ac Catholicum non est, quod in Ecclesia vniuersali vera non est. Falsum est, quod ait, *ibid.num.10.* Patres Catholicam Ecclesiam illam vocasse, quæ vnita sit Romano Pontifici, tanquam capiti. Hoc enim nullus sanctorum Patrum veterum, (nedum Augustinus) somniauit, quia nullam rationem capitis in Romano Pontifice agnouerunt: quod probaui *libr.IV. cap.7. & sequentibus.* Cyrilli locus nihil de Ecclesia Romana habet: sed de Ecclesia vniuersali, quæ Catholica est, absque vllo respectu ad Romanam, & potius Romana Catholica erit per respectum ad vniuersalem, quia ipsius est pars & membrum, vt probaui *libr.IV. cap.2.* Falsum est, Cyprianum, vbi de radice & matrice loquitur, Romanam intelligere: vt iam docui *libr.I. cap.10. nu.17. & lib.III. cap.1. nu.12.* Cathedra quoque Petri illa apud Cyprianum, non est sedes Romana, sed potestas Ecclesiastica in vniuersum, *libr.I. cap.10. num.18.* Illa verò argumentatio an non ridicula? videlicet, Catholica doctrina est in Ecclesia Romana, ex Tertulliano: ergo Romana Ecclesia est illa Ecclesia Catholica vniuersalis. Idem potuit dicere de Eugubina, de Caprulana, &c. Nec nimium soliciti simus, quæ Ecclesia vocetur Catholica, sed quæ sit. Dicat quæso mihi: Franciscana religio nonne vna est, quia vna regula? An propterea Cappucini, vel excalceati, vel qui dicuntur galozantes, vel zoccolantes, non sunt veri Franciscani, quia ex peculiari reformatione à relaxata ad priorem arctam vitam se vtcunque (vtinam non sola externa hypocrisi) reduxerunt: licet qui sunt relaxatissimi, & vocantur Conuentuales, sint ordinarii Franciscani, ab origine suæ institutionis per Franciscum? Ita Romana religio Christiana retinuit nomē Catholicæ, etiamsi plurimū sit infecta: quia reformationem post deformationes nullam admisit: at verò, qui ad veram fidem verè Catholicam se reformarunt, & ab illa Catholica iam deformata se quoad solas deformationes subduxerunt, non aliam religionem aut fidem à vera Catholica diuersam inuexerunt, sed ad priscam veram Catholicam se reduxerunt: quocunque nomine, siue Protestantium, siue Reformatorum, siue alio, ad differentiam communium Catholicorum, hoc est deformatorum, vocitentur. Et antequam Catholica deformaretur, nemo vere erat Catholicus, nisi qui in illa esset Ecclesia vniuersali, quæ vniuersali Catholicæ nomine vocabatur.

At

At postquam illa maxima ex sui parte deformata est, in vera Catholica ille erit, qui idea Ecclesia est; quæ Catholica verè & propriè erat ante deformationem: est tamen Ecclesia hoc sensu Catholica etiam illa deformata per excessum, modo ex defectu non sit deformata. Itaque iam vna & vniuersalis est Ecclesia Catholica amplectens omnes CHRISTI Ecclesias; quæ in fide CHRISTI ex defectu nullum passæ sint detrimentum, licet sint aliæ Catholicæ puriores, aliæ Catholicæ item, sed impuriores ex excessu & additamentis. Atque inter ipsas puriores & reformatas Ecclesias Catholicas, aliæ perfectius, aliæ imperfectius sunt reformatæ. Vtinam totius Ecclesiæ Catholicæ fiat vnica & perfecta reformatio, vt omnes veræ Catholicæ nullum defectum in vera fide passæ; quoad excessus in vnicam formam redigerentur. Stante enim vera fide inconcussa, & citra defectum, non ego sectas esse dicerem, etiamsi varietas adsit circa deformationem & reformationem in excessu: sectas damnabiles sola facit infidelitas, & hæresis vera, in qua sit defectus circa veram fidem. Sicut si nobile ædificium in amœno ac fertili agro collocatum, ex incuria illius, cuius curæ commissum sit, non ruat illud quidem, nec vllam sui partem amittat, sed virgultis, veptibus, situ, mucore totum obductum, ac deformatum sit, ædificium quidem ipsum in se bonum adhuc est, & purgatione duntaxat, non reparatione vlla indiget.

XXV. Non ergo est contradictio in dictis regijs, quam satis leuiter comminiscitur Suarez *cap. 12. nu. 12.* quia Catholicos interdum vocat Pontificios, quos tamen impugnat: sunt enim Catholici ex ea parte, qua defectum passi non videntur, & ex ea parte non impugnantur: sed ex ea, qua per excessum Catholici non sunt, sed deformati. Cuius deformationis Rex Serenissimus defensor non est, sed acerrimus impugnator: est tamen religiosissimus defensor Catholicæ veritatis, quæ etiam apud Pontificios non extincta conseruetur. Vrget Suarez titulum *defensoris* à Pontifice Leone decimo Henrico octauo datum. Sed titulus ille non ex praua & corrupta Pontificis, sed ex vera, & sincera CHRISTI intentatione pensandus fuit Henrico, & Iacobo successori pijssimo. Caiphas inscius & quasi inuitus prophetauit, *Ioan. 11. 51.* cum suaderet, opus esse, vt vnus pro populo moreretur. Eius linguæ vocem, non mens loquentis, sed DEVS illo organo vsus, optimè & interpretabatur & implebat. Similiter profectò de Leone illo prædæ suæ inhiante, dū illum conferret Regi titulum nobis iam iudicandum. Erat Pontifex illius anni: & ille quidem Defensorem sui Papatus, & suæ Tyrannidis quærebat, at boni Reges à CHRISTO instituti intellexerunt, se esse defensores ipsius veræ & synceræ fidei Catholicæ, quæ etiam Romæ tunc vigebat, non tamen excessuum & spuriorum additamentorum, ac deformationum. Quas deformationes abiicere, non est à Catholica Romana, quatenus Catholica est, sed quatenus infecta est & deformata, se separare: nam ex ea parte, qua Catholica est, cum ipsa omnes Ecclesiæ reformatæ egregiè consentiunt, & inter se: adeoque omnes etiam cum illa (velit nolit) sunt vna vera Ecclesia Catholica. Tota dissensio est propter solas deformationes. Inter eas verò deformationes maxima est, quod velit Romana Ecclesia subiicere sibi omnes tanquam famulas, ideoque toties Suarez *eodem cap. 12. numer. 13.* obedientiam inculcat: cum tamen ex CHRISTI institutione nulla Ecclesia particularis obedientiam debeat vlli particulari: sed omnes particulares obedientiam fidei debent Ecclesiæ vniuersali, etiam Romana, non minus, quàm Eugubina, vel quæcunque alia, vt docui *libro IV. cap. 2.* Inter se vero solo charitatis, nullo obedientiæ vinculo debeor esse inuicem obstrictæ, iure diuino.

XXVI. Ex ratione successionis, & nouo titulo supremi capitis Ecclesiæ Anglicanæ, & noua doctrina Caluiniana ab Apostolica diuersa, deducit Suarez *ibid. num. 14.* Ecclesiam Anglicanam non esse Catholicam. Fallitur tamen: doctrina fidei Ecclesiæ Anglicanæ per continuatam successionem fuit semper, & est adhuc illa eadem, quæ fuit in primitiua Ecclesia, vt iam ostendi: Regem vero quemq; in suo regno esse supremum Caput, seu Gubernatorem, etiam Ecclesiarum, & negotiorum Ecclesiasticorum, quoad regimen externū, tam certum est & euidens de iure diuino, vt probaui *libr. VI. cap. 5. & 12.* quam falsum est, vsurpatum, & tyrannicum Papam esse caput Ecclesiæ vniuersalis, vt probaui *libr. IV. cap. 7* Et immeritò queritur, nunquam in mundo mentionem inueniri, Reges esse in Ecclesia Capita: oblitus nimirum Siculæ Monarchiæ, in qua Rex Catholicus multo plus tegit Ecclesiastica, quam Rex Britanniæ in Britannia: & nos de pijs Imperatoribus, & Regibus iam probauimus *cap. V. huius libri.* Caluini autem & Lutheri doctrina in principalibus noua non est, sed antiqua Apostolica, & nullum errorem continens, sed errores deformatæ Ecclesiæ aperiens, & abolens. De scholasticis enim controuersijs disputabilibus nullum nunc meum interpono iudicium.

XXVII. Distinctionem nominum vrget, *ibid. nu. 15. & seqq.* vt *cap. 13.* alij sint Catholici, alij verò Lutherani, Caluinistæ &c. Respondeo, si vos illos talibus nominibus Lutheranorum & Caluinianorū à vobis separatis; illi etiam vos à se nomine Papistarum separant: est enim noua secta, dicent, in primitiua Ecclesia inaudita, vt pro primatu Episcopi Romani fiant certamina, & diuisiones. Sed sicut in veritate vos Catholici cum nomen retinetis, cum vestris corruptelis; Ita illi se Catholicos in genere vocant, sed reformatos, ob abiectas corruptelas: & vix non petatur ex nominibus, sed ex rebus. Olim orthodoxi manserunt cum nomine Catholicorum: Ariani verò sub suo Arianorum nomine sunt à Catholicis separati; quia veritatem etiam Catholicam abiecerunt: At verò Lutherani & Caluinistæ, cum veritatem Catholicam vobiscum retineant, sed sine vestris deformationibus, vobiscum etiam erūt Catholici, ac etiam reformati, quod vos non estis, qui in deformationibus perseueratis. Totus ergò Controuersiæ neruus in eo consistit, An articuli, quos reijciunt & damnant reformati, sint legitimi veræ fidei articuli, an suppositirij dumtaxat. Et antequam eò perueniat Suarez, *cap. 14.* omnia ab contractata veritis tradontur. Contendit enim, fidem in Anglia Catholicam non esse, quod omnino negamus, & dicimus, nullum esse vel minimum veræ fidei articulum, cui Ecclesia Anglicana plenam fidem diuinam non præstet. Et nisi venerit ad particulares articulos, actum agit. Præcipuum tamen articulum, & omnium articulorum caput ponit Suarez *ibid nu. 3.* Papalem primatū: quem quia Ecclesia Anglicana non tenet, ideo illa Catholica non est, scilicet; O miseram fidem Catholicam, cuius vertex & cardo est humanum auaritiæ, & ambitionis inuentum Romanus Papatus, totus commentitius, totus vsurpatus, totus Tyrannicus.

Ex ratione iterum credendi, & ex regula fidei negat Suarez *ibid. num. 4. 5.* fidem Anglicanam esse Catholicam. Ego tamen *libro VII.* ostendo, non priuatum cuiusque spiritum, sed ipsam diuinam Scripturam, cum publico diuini Spiritus cōcursu, & aliis adiumen-

mentis, esse regulam certissimam fidei: & hanc regulam sufficere cuique Ecclesiæ Catholicæ, vt se sciat esse Catholicam, & à non Catholicis discernat: putridam verò illam regulam vt quod Papa ex tripode dixerit, id certum & infallibile sit, ibidem claris demonstrationibus reiicio & conuello.

XXVIII. Vrget *ibid. nu.* 9. 10. defectum Pastorum in Ecclesia Anglicana, vnde Catholica esse non possit, sed id imperitè quidem: non caret illa necessariis ministris, etiam Episcopis, & legitimè ordinatis per veram ab Apostolis successionem; Episcopi enim Romani Catholici ordinarunt aliquos Episcopos, qui in reformatione permanserunt, & illi alios successiue, vt ex ipsorum Archiuis indubitatis constat: & sic legitima facta est ministrorum propagatio. Sed caput vnicum visibile vniuersale requirit, cui adhæreant Episcopi omnes, & ministri. Frustra; tale caput neque datur, neque est necessarium, neque à Christo institutum, qui solus verum caput Ecclesiæ est: vt *toto libro I.* probaui, & *libr. IV. cap.* 7. Cyprianus de vno capite totius Ecclesiæ nihil habet; sensum Cypriani videat in meo *libro IV. cap.* 10. *num.* 74. Regem, inquit, pro Capite Ecclesiarum tenent, eique hærent, quem Christus non instituit, vt esset Caput in Ecclesia. Regem pro Rege agnoscunt, eique tanquam suo Regi adhærent. Tenentur enim iure diuino Ecclesiastici quoque in externo Ecclesiæ regimine à Rege pendere: probauiid *libro VI. cap* 5. & 12. Nugæ autem sunt Suarezii *ibid nu.* 11. vbi ait, in Anglia solum priuatum spiritum esse regulam, quod est falsissimum: & ministrorum differentiam esse ad solam externam politiam: ministri enim ritè & legitime ibi ordinati, habent verbi & Sacramentorum ministrationem eandem prorsus, quam Apostoli habuerunt. Quid verò noster Papa? quid cœtus Cardinalium, quid Episcopi, aut Principes, aut titulares, aut illiterati; tabernarum mortua signa? an non toti politici duntaxat, & temporales? Ridiculum verò, quod ait, se vsque ad hodiernum diem excellentiam donorum & gratiarum in Ecclesia Romana conspicari, & Protestantium conuenticula deplorare.] Ecclesiæ Romanæ dona? quænam? proculdubio dona aurea, argentea, gemmea, quibus gratiæ Episcopatuum, Abbatiarum, absolutionum, remissionum, dispensationum, Sacramentorum, venduntur & emuntur. Castitatis dona inter Cardinales & Episcopos mirabilia: nulla adulteria, nullæ scortationes, nulli cynædi: nulli sanguinarii, nulli rapaces; omnia sanctitatem redolent. Hoccine Catholicismi specimen? Hic Ecclesiæ veræ Lydius lapis? Certe si in moribus doctrina, & Ecclesiarum solicitudine Prælati & ministri Anglicani cum nostris communissime comparentur, illos veræ Ecclesiæ filios, hos spurios, ac pseudoprophetas ex operibus suis manifestos (salua paucorum bonorum existimatione,) esse dixeris.

XXIX. Catholicam Ecclesiam ex sui per vniuersum Orbem diffusione considerat Suarez *cap.* 15 *num.* 1, 2. 3. 4. 5. & optime agnoscit ac probat eam veritatem, quæ sola vel maxime Protestantium confirmat Ecclesias, & Romanam conuincit Tyrannidis. Nihil enim firma fide profitentur Ecclesiæ reformatæ, quod non vniuersa per totum Orbem diffusa Ecclesia omnibus temporibus, iam inde ab Apostolorum prædicatione vsque in hodiernum diem professa fuerit, & profiteatur: Nihilque à sua fide abiicit & repellit, nisi id, quod per summum abusum, solis humanis & temporalibus consiliis inuectum est de nouo in Ecclesias; aliquid quidem post quatuor aut quinque sæcula à Christo: alia verò absurdissima etiam post decimum. Atque hæc addita spuria & adulterina nunquam fuerunt in vniuersa Ecclesia Catholica sponte accepta, & libere admissa: Prælatorum artibus ac dolis, Principum pietatis specie illaqueatorum fauore, ac conniuentia, populorum denique meticulosa superstitione ac seruitute longe satis lateque, in Occidente potissimum, sunt dilatata: eodem modo etiam Arianismus aliquando per totum orbem diffusus est. Non est igitur, cur obiiciat Suarez, fidem Anglicanam vnius regni termino concludi; & ideo non esse Catholicam: tum etiam, quia Romanam, quæ est Catholica, damnat. Falsum est, fidem Anglicanam eo solo regno arctari, vt supra docui. Quicquid enim Apostoli docuerunt, & in vniuersali Ecclesia acceptum est, id totum credit Ecclesia Anglicana, etiam illud, quod Romana, & quæuis alia bene credit Ecclesia. Damnat verò Romanam, non in eo, quod bene secum, sed quod male seorsim credit, & docet.

XXX. Obiicit, *ibid. num.* 6. Regem Serenissimum multitudinem secum per multas orbis partes consentientem, in argumentum suæ Catholicæ fidei sumere: quod impugnat, quia multitudo non conuincit semper Catholicismum. Hic verò Suarez ex eodem ore, eodem ferme momento, calidum & frigidum exhalat. Modo volebat, Catholicam non esse Angliam, quia fides eius non est dilatata: nunc verò, vbi videt esse dilatatam, quasi aspide conspecto contrahit se, & ait, dilatationem solam non esse argumentum fidei Catholicæ. Mox addit *ibid. numer.* 7. dilatationem & conuenientiam esse in schismate, & erroribus. Imò ne in his quidem simul ita conuenire, vt vnum corpus politicum, aut mysticum Ecclesiæ efficiant, ad vnum & eundem finem tendens. Videat tamen, Regem de reformatione iam in multis locis admissa loqui: non vt ex hac multitudine præcise suam fidem Catholicam esse probet, (id enim aliunde ex propria radice probauit) sed vt diuinæ gratiæ lumen iam multis communicatum gratularetur: quo errores & superstitiones, & illi excessus Ecclesiam deturpantes, agnoscantur iam passim & abiiciantur, adeoque fides pura maneat: quæ Catholica in Anglia est, quia eadem est, quæ in toto Christiano orbe, seclusis, qui accreuerunt, erroribus & impuritatibus purgatis. Neque dubium est vnicum confici corpus Ecclesiæ mysticum coram Deo, ex omnibus Ecclesiis, quæ per defectum corruptæ non sint, quatenus in vera fide integra conueniunt, licet per errorem, siue etiam per proteruiam, absque legitima causa, aliquæ se ab aliis separatas esse putent, occasione illorum superiorum addita mentorum, quæ ad fidem pertinere aut decepti putant, aut decipientes contendunt, vel quacunque alia simili occasione. Non est igitur cur obiiciat dissensiones inter Lutheranos & Caluinistas: & inter Puritanos & alios: Etiam inter Scotistas nostros & Thomistas sunt acerrimæ dissensiones; inter Dominicanos item & Iesuitas. Altercantur in disputabilibus, & in iis, in quibus est libertas opinandi, quæ in Ecclesia Catholica sunt adhuc indefinita: & hoc nihil obest fidei Catholicæ: tales esse iudico eas altercationes, quæ adhuc feruent inter Lutheranos & Caluinistas, vt appellant. Puritani autem (qui vocantur) circa articulos fidei non dissentiunt, sed circa ritus & externam Ecclesiasticam disciplinam. Quod si vel hi, vel alii ex his suppullulantes, ob leuiculas controuersias à se inuicem secessionē moliantur, & nouis factionum nominibus classicum canant, non tam propter dogma, quam diuulsionē sunt grauiter reprehendendi, vtpote qui schisma faciant, & communicare cum aliis reformatis renuant. Quod proculdubio facerent etiam nostræ Romanensium sectæ modo à me nominatæ, nisi illos ignis & securis in officio

officio contineret. Obedientiam sæpe inculcat Suarez, *ibid. num. 9.* eamque ad salutem necessariam esse commemorat. Imo probat ex loco Euangelii, *Matth.* 18. 17. Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Si de obedientia Papæ, vt Ecclesiarum omnium Monarchæ, præstanda loquitur, locus hic ad rem prorsus non est. Si de obedientia in rebus fidei per Catholicam Ecclesiam sufficienter definitis eidem Ecclesiæ exhibenda, certè Anglicana Ecclesia in hoc sensu, quod suum est, præstat, lubenter nempe audit Ecclesiam. Sed ne ad hanc quidem obedientiam locus Euangelii recta ducit. Ibi est sermo de correptione fraterna, quæ fiat publicè alicui peccanti coram populo ad Synaxim congregato; & de excommunicatione, vt est per se ex multorum Catholicis interpretationibus notissimum: locus aptus & huic argumento genuinus est ille: *Luca* 10. 16. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Numero sapientum videtur Suarez gloriari, *ibid. num.* 12. at verò reformati à suis habent partibus totam Patrum antiquorum cohortē; nullos vero Ecclesia Romana pro suis additamentis. Et nostra ætate Protestantes (quid quod elatum est, asserere dubitemus?) sapientia vera & Theologica, hoc est genuina sacrarum literarum cognitione, sanctorum Patrum, & Ecclesiasticæ antiquitatis dextra diiudicatione, nec non & reliqua literatura longè superant Pontificios. Quid enim hactenus maioris momenti scripserunt Pontificii in controuersiis, quod non fuerit penitus à Protestantibus dilutū, ac difflatum? Multi autem & insignes libri scripti sunt à Protestantibus contra doctrinam Pontificiam, qua Pontificia est, quibus nemo Pontificiorum, (quantum hactenus vidi,) aut sciuit aut potuit respondere. Iam enim contra eos duo duntaxat eximii Pontificis pugiles insurgūt; ignis, & fulmen. In his solis ei tota spes victoriæ. Quidni ergo hoc nomine vera & Catholica sit fides Regis & Ecclesiæ Anglicanæ: & Rex optimus veræ Catholicæ fidei Defensor?

XXXI. Disputat pluribus, *cap.* 16. quomodo vera Ecclesia Catholica sit per vniuersum mundum diffusa. Sed quid hæc ad Rhombum? Paginas illas quasi totas illi donamus, vt autem aliquo modo, etiamsi impertinens sit, longam hanc orationem contra Anglos dirigat ad finem, ait, *ibid. nu.* 22. sicut nunquam hæretici fidem in nationes disseminarunt, aut lapsos ad fidem reuocarunt, ita neque Anglos post abiectam Romanam Ecclesiam id fecisse, facereve: Quantumcunque *inquit*, hoc iactitent & contendant.] Qui scis? quomodo hanc iactantiam retundis? Tertullianus, inquit, testis est optimus: Macte virtute Reuerende Pater; sic egregius victor eris: Egregiam verò gentium conuersionem, imò euersionem, quæ in Indiis exantlata est. Multa misellorum virorum, fœminarum, puerorum millia deuorauit, & Orco misit gladius ferreus; gladio autem ancipiti verbi Dei vix pauci credo homunciones ad salutem Christi, & Euangelii cognitionē adducti sunt, vtcumque de messe sua spirituali nostri Reuerendi (Apostolorum scilicet æmuli) glorientur. Qui penitius hæc introspexerunt, nostri etiam Patres Societatis, viderunt in paucis & exiguis illis locis, vbi Christi nomen auditum est, & religio Christiana iam vigere iactitatur, vix Christianismi corticem manere, aut certè plantatum fuisse. Ante crucem stolidè procumbere, nomen Mariæ & Diuorum inculcare didicerunt illi barbari, & agnos cereos, numismata ærea, aliaque Romanæ Sedis amoleta collo appendere; salutarem autem Christi cognitionem haud imbiberunt, quia fortè vix vnquam audierunt. Vt autem alia; eorū bona miseris, non vt eorum animas Diabolo eripiant, properantē eò classes, milites, religiosi. Quod autem Anglos attinet, ipsi hac in parte haud steriles. In nonnullam noui Orbis particulam transportarunt Euangelium. Nescio an vnquam audiueris Anglicanæ Ecclesiæ nostrorum dierum labores in ampla illa Virginiæ gentilitate excolenda: vbi Euangelii prædicatores illa habet & sustentat, pro Colonia quidē Anglicana præcipue; sed interim in gentilitatem etiam Ecclesia illa ramos suos quantum opportunitas patitur, extendit, nec sine patentibus miraculis, & fructu conuersionis. Sed est ridicula obseruatio hæc, seu assertio Suarezii, ab hæreticis neq; infideles conuerti ad fidem, neq; deuiantes à fide ad fidem reduci. Nam profectò hæretici, quatenus hæretici, dum alios docent, vt plurimum non nisi proprios errores docent: & si infidelem conuertent ad suam fidem, ad veram fidem integram eum non conuertent: & si errantes ab vno errore reuocent, in alium errorē inducent. In genere tamen æque proprium est erroris, atque veritatis, propagari. Neq; hæretici solent esse infœcundi: Arianismus sit testis. Sed portæ, *inquit*, Inferi non præualebunt aduersus Catholicam. Omnino. Interim nullum habet argumentū Suarez, ex quo colligat, vtra sit pars Catholica, Romana ne, an Protestantium; nisi effectum viderit, quæ tandem sit ex diuina gratia præualitura. Modo enim vtraque pars sua gaudet propagatione, & fœcunditate: & vtraq; asserit, se ab errore ad veritatem homines partis aduersæ adducere. Mirum vero, quod Principum Christianorum pietatem in vera Christi religione propaganda reprehendat Suarez, quasi in hoc Apostolicam authoritatem sint vsurpaturi. Ignorat profectò, aliud esse fidem prædicare, quod est Apostolicum; aliud promouere prædicationem, adiuuare, solicitare; quod est Principum. Legat *cap.* 5. *mei* 6. *libri.*

XXXII. Apostolicam non esse & fidem, & Ecclesiam Anglicanam, suadere conatur Suarez, *cap.* 17. vt titulum Regi Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Defensoris eripiat. Sed, vt alia, infœliciter. Duo requirit *ibid. num.* 2. ad hoc, vt doctrina aliqua sit & dicatur Apostolica: Alterum est, vt ab Apostolorum prædicatione, & eorum verbis aut scriptis aliquo modo duxerit originem. Alterum, vt per legitimam traditionem seu successionem ad nos vsq; peruenerit. An non sufficit primum? quid quærebat? quærebat sane quidnam requiratur ad hoc, vt doctrina aliqua sit & dicatur Apostolica. Num propterea est, & dicitur Apostolica, quia per successionem traditur? quid si non traderetur, sed obliuione deleretur, nonne verissime, & propriissime, & perfectissime, doctrina illa quam Apostoli docuerunt, esset Apostolica, etsi interrupta successione aliquantum in hoc vel illo loco disparuerit? quis dubitat? Successio ergo facit, vt nos certi simus doctrinam, quam nos didicimus, & docemus esse Apostolicam, non autem facit, vt illa in se sit & dicatur Apostolica. Quid potuerit valueritque argumentum à successione deductum, & quid nunc possit valeatque, ostendi *libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. & *cap.* 10. *num.* 18. & *libr* 3. *cap.* 2. *num.* 4. & 5. Et ostendo adhuc melius *libr.* 7. *cap.* 2. & 5. Si fons limpidus solus toti fluuio longe lateque decurrenti aquas suppeditet, & alii cœnosi riuuli in eundem non influant alueum, totus fluuius perpetuo limpidus erit: sin influant, non item: vbi breuis est tractus, facilè constat, aliam aquam non esse, nisi illam, quæ ex fonte fluit: at in longiori tractu, quando iam agnoscitur alias aquas, quæ ex fonte non sunt, permisceri, totam aquam ex puro fonte haberi non constat, imò constat non haberi. Potuerunt prisci illi, Irenæus, Tertullianus, Optatus, Hieronymus, Augustinus, ex successione veritatem doctrinæ Apostolicæ patefacere: non

pos-

non possunt posteriores, nisi prouocent ad antiquitatem, conferentes aquam, quæ nunc in alueo Ecclesiæ defluit, cum aqua, quæ ex fonte puro, nullis adhuc admissis riuulis defluebat, prorsus conuenire, neque enim amplius successio continua & non interrupta infertur; *ibid. nu. 5. 6.* quia etiam sic continuata & non interrupta aliquid alienæ admisit doctrinæ, quæ iam pura non fluit, quia non ex solo puro fonte, vt primis quatuor seculis fluebat.

XXXIII. Quod igitur spectat ad fidem Anglicanam, eam dicimus esse Apostolicam, quia illa eadem est, quam prædicarunt Apostoli, & per successionem continuatam in Anglia perseuerat; & quamuis immediatè per fidem Romanam, *ibid. num. 7.* quæ erat tempore Eleutheri, seu cuiuscunque ex antiquis Romanis Pontificibus, putam adhuc Apostolicam fidem retinentibus (nō enim primum sub Gregorio fidem Christi Britannia cepit) Apostolicæ prædicationi fides Anglicana connectatur, non fides hæc ideò est Apostolica, quia Roma aliquando in Britanniam est transmissa, vt vult Suarez hic *lib. 1. cap. 1.* sed quia ab Apostolis per Romanos eò deuenit: & ita fons non erat Roma, sed alueus, fonti propior: cuius doctrina tunc erat pura Apostolica, non quia Romana, sed quia per legitimas successiones ab Apostolis habita, & aliis communicata: Postea verò progressu temporum, & Romana, & Britannica alienas admiserant doctrinas cœnosas & turbidas, quæ non ex solo & puro fonte, sed ex putridis quibusdam lacunis scaturiebant. Postremò autem hoc sæculo piè & prudenter obstruxit Anglia riuulos aduentitios, solamque sibi retinet aliquam limpidam ex puro natiuo fonte emanantem. Roma autem, cum iamdiu aquæ suæ putridæ assueuerit, gustumq; suum corruperit, cum voluptate haurit & imbibit, quod noxium est, ac vitiosæ suæ intemperiei familiare, nec patitur riuos suos defæcari, aut indagari, quam sint à fonte ipso alieni. Comparetur ergo doctrina antiqua, antequam alienis hisce permisceretur doctrinis; & statim apparebit, quæ sit pura Apostolica quæ impura.

XXXIV. Vnde, *inquit* Suarez *ibid.* habuit Anglia libros illos, *Symbola, & Concilia*, nisi ab Ecclesia Romana? Respondeo primo; Si hæc ratiocinatio valeret, posset Scribas, & Pharisæos ipsi CHRISTO, & Apostolis ... exprobrare suam authoritatem, & successionem. Vnde tu, & discipuli tui, nisi à nobis, habetis illos libros sacros, quos cōtra nos allegatis, legis, & Prophetarum? Cur nostris omnibus expositionibus & traditionibus non creditis? Cur non acquiescitis, cum nobis debeatis illa ipsa oracula, quæ in nos contorquetis? Ita scilicet ipsi CHRISTO os obstruendum. Deinde ad rem ipsam propius dico; Quæcunque ad fidem Catholicam spectantia scriptis habentur consignata, siue ipsa sacra Scriptura sit, siue ipsius authenticæ declarationes, quæ in Symbolis, & Conciliorum vniuersali Catholicorum consensu approbatis definitionibus continentur, illa omnia ex continuatis, & firmis traditionibus omnes habent Ecclesiæ Catholicæ, vt ostendo *libr. VII. cap. 1. & 2.* Quæ enim scripta tota Ecclesia Catholica, in tota vniuersalitate, nulla ex ipsis Catholicis excepta, semper habuit, & seruauit, illa nunc apud omnes Catholicos fidem plenam, authoritatemq; obtinent, non propter Romanam, aut Alexandrinam, aut Hierosolymitanam, sed propter vniuersalem Ecclesiam. Et, si Anglia sacram Scripturam, Symbola & Concilia Catholica habuit primū ab Ecclesia Romana, ipsa tamen Ecclesia Romana primus fons non est, nam illa quoque sacras Scripturas aliunde accepit, solum fortasse Marci Euangelium Romæ scriptum est, & Petri Epistola, & vna, aut altera Pauli. Symbola autem & Concilia prima certè ex Oriente habuit. Dicat ergo Suarez, vnde scripturas nunc habet Romana, & vndè suis Scripturis, Symbolis, & Conciliis fidem conciliat; Inde enim Angli quoque suarum scripturarum fidem probabunt: profectò, certa & constanti successione, & traditione in Ecclesia vniuersali. Et cur quæso Angli certi esse non possunt, scripturas illas quas admittunt esse Apostolicas? Quia, *inquit*, suo arbitrio aliquas admittunt, aliquas respuunt. Falleris bone Pater: illas admittunt pro verè & propriè canonicis, quas inueniunt perpetuis temporibus ab omnibus Catholicis Ecclesiis fuisse admissas, & receptas, atque pro diuinis indubitanter habitas: Illas verò pro diuinis indubitatis non habent, quæ in omnibus Ecclesiis Catholicis pro diuinis, nec habitæ fuerunt, nec habentur, sed in aliquibus tantum, iuxta regulas Catholicas, quas *lib. VII. cap. 1.* exprimo: vbi ostendo, neque Concilia, neque Pontifices, neque Patres, neque Ecclesiam posse aliunde definire, qui sint libri Canonici, qui non, nisi ex solo totius Ecclesiæ testimonio, quod præcedat definitionem; &, si Ecclesia tota absolutè non tenet, tenuitque semper librum aliquem pro Canonico, ipsa nunquam definire potest, illum esse Canonicum, nam definitio ipsius nihil aliud est, nisi attestatio, librum illum penes se fuisse perpetuo pro Canonico asseruatum, & lectum. Quod si de sensu verò sit dubium & controuersia, per resolutionem ad sua principia legitima sensus indagabitur: & vtri melius sensum verum agnoscant & retineant, à suis pendebit regulis certis, & probationibus. Et quod spectat ad exemplum ex symbolo, quod dicitur Apostolorum, *Descendit ad inferos*; *ibid. num. 10.* Ante omnia constare debet, hunc articulum semper in Symbolo Apostolorum lectum & recitatum fuisse: deinde si genuinus fuerit, & non illegitimè superadditus, profectò articulus fidei erit, rem ita esse, vt verba sonant, etiamsi obscurum sit, & ignoretur in Ecclesia, quomodo id sit, aut fuerit. Sicut dixi de præsentia corporis CHRISTI in Eucharistia, *l. 5. cap. 6.* Rem credimus, modum nescimus. Vbi igitur sensus obscurus est de modo, & verba plures modos inter se diuersos secum facilè ferunt, tunc liti & disputationi locus est: quæ lites & disputationes, quomodo ex definitione Ecclesiæ finem accipere possint, declarabo *libr. 7. integro*, interim manente articulo in se ipso. Sine quibus litibus & disputationibus ne Suarez quidem potest verū sensum genuinum illius articuli, quoad modum, ita declarare, vt iam non liceat quicquam, & ex bonis rationibus & scripturis contra ipsum dubitare. Firma fide credo, CHRISTVM ad inferos descendisse: sed quomodo descenderit ad inferos, num descensu in sepulchrum, num ad locum animarū piarum, num ad locum pœnarum, an aliò, in firmis Ecclesiæ definitionibus nō inuenio. Quo ergo sensu & Symbola, & Concilia, & quemcunque articulum fidei Ecclesia Catholica perpetuò credidit, eodem sensu Ecclesia Anglicana isthęc nunc credit; Atque hunc ipsum articulum de descensu Christi ad inferos, in sua comuni confessione illa posuit his verbis, Art. 3. Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.] Hoc proculdubio Rex credit. Veniat ergo Suarez ad res credēdas, & opponat, si quid habet, vnde colligat, ab Apostolica fide Regē & Anglicanam Ecclesiam discessisse.

XXXV. In vniuersali, *inquit ibid. num* 12. omnia, quæ sunt propria illius sectæ, sunt contraria antiquæ fidei vniuersalis Ecclesiæ, quia per defectionem ab illa introducta sunt. Sed defectionem hanc nondum probasti, bone Pater; & quænam sint illa contraria antiquę

AAAA fidei,

fidei, docere debes. Ego verò in genere similiter iam [illegible], nihil tanquam de fide credi à Protestantibus, præsertim in Ecclesia Anglicana, quod antiqua Ecclesia non crediderit: & vice versa, nihil antiquam Ecclesiam rite & legitime credidisse, quod nunc reformatæ Ecclesiæ non credant. Et quod credunt, id legitime ab Apostolis per successiones deriuatum est. Meritoque illæ cum Athanasio possunt dicere tibi Suarez: Pro certo scias, Pater, hanc ipsam fidem nostram ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse. Neque certè, vtcunque argumenta, & antiqua nomina crepas, tu solidi quicquam habes in cōtrarium, quod cum ad singulos articulos descenderis, si æquus disputator & iudex fueris, conuincemus. Articulus verò quem interim vrges de suprematu Regis in spiritualibus, iam tibi superius est à me declaratus, id non alio sensu intelligi, nisi eo, quem ego ipse *meo libr. VI. cap. 5.* sum persecutus: & spiritualia sub Rege esse ea, quæ ad externum Ecclesiæ regimen spectant, & gubernationem. Et [illegible] articulus vt certus & indubitatus, & iure diuino & sacris Scripturis, Ecclesiæq; Catholicæ puræ communissimo sensui consentaneus proponitur, inter articulos tamen fidei ad salutem necessarios non recensetur. Estque articulus, Regiam iure diuino firmans potestatem, non fidem formans Catholicam. Sicut Reges Christianos posse licite & tuta conscientia iusta vectigalia imponere, & exigere à subditis Christianis, est veritas ab omnibus non insanientibus concessa: Non tamen is est articulus Catholicæ fidei. Sed satis est, nihil contrarium fidei in se continere, sed esse fidei Catholicæ conformem. Et si subditi pœnis corporalibus compelluntur, vt id ita esse teneant; non compelluntur ratione fidei, sed ratione obedientiæ ciuilis, quam suo Regi debent. Si quis enim negaret Romæ, Papam posse in suis ditionibus temporalibus, quas habet, tributa iusta imponere, is profecto non ab officio S. Inquisitionis vt hæreticus, sed à politico Magistratu, vt refractarius, & rebellis, seuerè ac meritò puniretur; & ad parendum, fatendumque, obedientiam in talibus iuste deberi, & potestatem Regiam, quatenus regia & à Deo est, ad hæc extendi, cogeretur. Hallucinatur vero cum multis Suarez *ibidem numer. 15.* dum putat, Regem spiritualia propriè, Sacerdotali, hoc est, Apostolica autoritate regenda assumere, quod est falsissimum.

XXXVI. Apostolica igitur est fides Regis, & Anglicana, & Ecclesiarum omnium rite reformatarum. Apostolica etiam est, non diffitebor, vt supra declaraui, etiam fides Romana, ex parte defectus, quia nihil quod ad veram Christi fidem vere spectat, illa negat, quantum mihi constat. Ex parte tamen excessus Apostolica non est, quia addit ad fidem multa, quæ ad fidem non spectant, imo quæ etiam in se falsa sunt, licet fidei veræ fundamentalibus, aut per se claris, & sufficienter definitis non sint contraria. Si enim repugnarent, tunc adesset defectus & negatio. Excutiat illa quantum vult Suarez, *cap. 18. num. 3. 4.* profecto nihil efficiet. Non enim satis est, quod fidei iam certæ, & ab Apostolis explicite traditæ non repugnent. Sic enim Alcorani, Talmudique fabulæ multæ possent nobis fide credendæ obtrudi, quia multæ veritati iam expositæ non repugnant. Si quid nouum, quod prius expressum non fuit, ex Scriptura, necessaria deductione proponatur, id sane ad fidem spectabit: reliqua omnia aut vana & otiosa erunt, aut tantum probabilia, & consequenter à fide remotissima, vt *libr. VII.* explico. Talia sunt plurima in Ecclesia Romana: vt quādo ad singula descendemus, facile constabit. Quæ autem ille dicit apud Protestantes fidei repugnare, profecto non repugnant. Ea sunt, *inquit*, negare traditiones non scriptas; resistere in dogmatibus vniuersalis Ecclesiæ; negare omnem fidei regulam, præter priuatum spiritum; eximere Principes ab obedientia Episcoporum & Pastorum, & similia. Doce prius, bone Pater, aliquod dogma fidei fuisse à sacra Scriptura prætermissum, & traditione sola non scripta traditum; quod negant: Quoad titeris veras traditiones, si veræ sint, & plane constet, eas esse ab Apostolis traditas, non video hic respui. Doce, Ecclesiam habere facultatem nouos fidei articulos proponendi, aut formandi; hoc enim ubi negatur: concedemus duntaxat, posse Ecclesiam ex doctrina accepta dubium aliquod declarare: aliud non potest circa fidem, vt *lib. VII.* explicabo. De regula fidei iam dixi me *libr. VII.* tractaturum: est enim res non clara, vt supponis, sed valde disputabilis; & de priuato spiritu hallucinaris Pater. Principes, vt sunt homines fideles, obedire tenentur præpositis Ecclesiæ in rebus spiritualibus: & hanc obedientiam non negamus: at verò in temporalibus & ciuilibus Præpositi non vt Pastores, sed vt homines, obedire tenentur Principibus; & eis se subiicere: vt *libr. VI.* plene doceo passim. De transsubstantiatione, quàm sit noua, quàm falsa, quam impossibilis, abunde docui *cap. 6. quinti libri.*

XXXVII. Fidei doctrinam non posse crescere, nisi declaratione & explicatione probo *libr. VII.* Nec valet argumentatio, à lege, ad Euangelium. Lex enim erat vmbra futurorum, quæ futura, si non omnia simul, & ab vno, seu per vnum Prophetam sunt data, certe paulatim & successiue per plures sunt proposita: sed profecto vix vnquam Prophetæ dogmata noua afferebant, sed vetera inculcabant semper, & mores reformabant. Quod habet Suarez *ibid. nu. 4.* de cessatione Legalium, & vocatione gentium, apertum est, nil aliud fuisse, quam explicationes doctrinæ per Christum traditæ, imo Christi sanguine consignatæ: *Docete omnes gentes: Consummatum est: Velum templi scissum est, &c.* Locus verò & tribunal, *Deut. 17. 8.* quod Suarez cōmemorat, non erat Sacerdotale tantum, sed mistum: neque nouas poterat doctrinas promulgare, sed iam datas interpretabatur. Qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, facies quodcunque dixerint, & docuerint te iuxta legem eius.] Hæc erat illuminatio. Quando autem venit Christus, ipse, & spiritus eius docuit Apostolos omnem veritatem, *Ioan. 16. 13.* & omnia reuelanda reuelauit ad publicam Ecclesiæ instructionem: neque cuiquam amplius id oneris commisit, vt subinde noua dogmata proponat: suæ tamen assistit spiritu suo Ecclesiæ, vt iam tradita conseruet & exponat, & ab insurgentibus hæresibus liberet, vt ostendo *lib. VII.* per difficilem Suarez *cap. 18. nu. 6. 7.* Tota igitur difficultas in eo cōsistit, vt videamus, an omnes articuli noui, qui in veteri Ecclesia expressi non fuerunt, sint declarationes quasi obscuræ veritatis in veteribus latentis, & inde necessario deductæ: an vero meræ nouitates, meraq; cōmenta in veteribus nullum habentia fundamentum; aut si quod habent, id non nisi per solam probabilitatem habeant. De ritibus & disciplina in praxi Ecclesiæ nihil hic dico, cum ad fidem non spectent.

XXXVIII. Diuertit ad Martyres Suarez *capit. 19.* satis importune, quia Rex se Defensorem illius fidei asserit, quam vetus & primitiua Ecclesia habuit, quamque Martyres suo sanguine illustrarunt. Imponit vero immerito Protestantibus Suarez, eos velle, fidem primitiuæ Ecclesiæ fuisse extinctam, & per ipsos instauratam ac innouatam: non enim illi extinctam contendunt, sed inquinatam, & tot additamentis inutilibus, imo & perniciosis auctam: ipsos vero eam perpurgasse, & ab infectione, non casu, sed per veras Catholicas

regulas,

regulas, liberasse. Tum vero encomium illud Regiæ fidei, quo illa sanguine Martyrum illustris dicitur, ferre non potest, *ibid num.2.* & ipsum præsumptionis arguit: obiicitque inprimis, martyrum testimonium non facere veram fidem, sed fidem facere verum martyrium. Laudo hoc Suarezii dictum Cypriano consonum. Interimque moneo, vt abstineant Romanenses à suæ Ecclesiæ veritate petenda ex Martyrum sanguine, præsertim recentium, qui se victimas non CHRISTI monarchiæ spirituali, sed Pontificis temporali prostituerunt. Sed piis ac veris Martyribus hoc priuilegium denegat Suarez. Non video qui possit. Nam si veri nominis Martyres fuerint, hoc est CHRISTI testes, certe Christi doctrinæ testimonium perhibent, ea ex parte, quam morte sua consignarunt, alioqui frustra supponuntur vt Martyres. Sed esto valeat hæc ratio. Quasi vero ex solis Martyribus Rex putet suam esse veram fidem: qui se eandē fidem tueri profitetur, quam vt intactam seruarent, tot martyres, sanguinem effuderunt. Hæc est descriptio veræ fidei cum suis encomiis, non autem demonstratio aut probatio. Dicat Suarez, fides vera antiqua Apostolica primitiuæ Ecclesiæ, fuitne sanguine Martyrum decorata? Fatetur *ibid. nu.3.* Hanc fidem se tueri ait Rex. Probet Suarez, à Rege fidem eorum oppugnari aut reiici. Ad Martyres recentiores sine causa Pater Suarez digreditur. Sed inuidebat profecto palmā Martyrii tot gloriosis confessoribus, quos Romana Antichristiana persecutio martyres fecit: eo digressionem suam totam dirigit, ac sane, vt cætera, infœliciter, vt mox videbimus. Illam vero ipsam fidem Catholicam esse nunc fidem Anglicanam iam docui: nec ille poterit vnquam contrarium probare, nihil diminutam, nihil auctam; adauctio enim fidei, quoad numerum articulorum, post prædicationem Apostolorum nulla fieri potuit, nisi spurii legitimis accesserint, vt Romanæ contigit fidei. Augmentum quidem credentium factū est, & adhuc fieri potest, non tamen credendorum. Ille verò parum peritè augmentationem Ecclesiæ vult esse accretionem veram fidei, *ibid. num.4. & 5.* nam fidem Anglicanam partem vocat antiquæ fidei. Sed quicquid illa Ecclesia credidit, quam Martyres illustrarunt, id nunc Ecclesia Anglicana credit simul cum tota Ecclesia vniuersali, & singulis particularibus, quæ defectum in fide passæ non sint, & ad quas inde ab Apostolis peruenit fides, licet spuria illa additamenta & reiecerit, & non admittat, quæ ad Catholicam Ecclesiam non spectant, quæque ad accidentale augmentum reducit Suarez *ibid. num.6. & 7.* scilicet eo modo, quo plumbum additum auro, facit auri accidētale incremētum, plumbeū videlicet, sed non aureum: & quo zizania adiecta tritico, cumulum faciunt mole maiorem: Martyres sane aurum duntaxat sine augmēto, non plumbum additum; triticum, non zizania, sanguine suo illustrarunt. Declarationes veræ fidei, cum articulis expressis, qui prius in fide erant, sed non expressi, aurum sunt, non plumbum; triticum, non zizania. Sed illi articuli quos Protestantes reiiciunt, non sunt declarationes, sed meræ spuriæ adiectiones, verè plumbum & scoria, non aurum; zizania, non triticum: neque pro his inutilibus incrementis, ac excrementis mortui sunt veteres sancti Martyres: neque ea incrementa illi vnquam aut morte aut vita obsignarunt; à quibus aut credendis, aut tuendis vehementer abhorruissent.

XXXIX. Frustra obiicitur Ignatius *ibid. numer.8.* quasi subiectionem posuerit laicorum sub Episcopis temporalem; quam ille ponit legitimam subiectionem, eandem ponunt & seruant Angli, vt laicus populus, imo etiam Princeps in spiritualibus sequatur ductum præpositorum spiritualium: Clerici verò, etiam Episcopi, in temporalibus, sublimioribus potestatibus subditi sint, vt probaui *lib.6. cap.3. & 4.* Eucharistiam esse vnam carnem, & vnum sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI, quis negat? Sciunt & profitentur etiam Protestantes se in Sacramento Eucharistiæ, si dignè accedant, veram carnem, verumque CHRISTI sanguinem sumere, nec dubitant, carnem CHRISTI esse panem cœlestem. Et CHRISTVM factum esse nostrum panem, vt *lib.5. cap.6.* Dominicam nullus quadragesimam non omnes respuunt; & de his ago *libr.8.* Frustra obiicit Irenæum: quem enim Primatū ille dedit Ecclesiæ Romanæ, illum eam tunc habuisse nemo negat: sed an illum nunc quoque habeat ex Irenæo quis colligat? Traditiones non scriptas Irenæus vix vllas agnoscit, vt doceo *lib.7.* Neque portenta illa, quæ nunc traditionibus commentitiis obtruduntur, ad traditiones veras Irenæus vnquam reduxit, aut ex iis confirmauit. A præsentia reali illa crassa, & materiali corporis CHRISTI in Eucharistia Irenæus abhorruit, vel maxime, vt *lib.5. cap.6.* probaui. Desine iam quæso antiquos crepare Martyres, *ibid. num 9. & 10.* Quidni iam Rex sapientissimus fidem suam fidem illam Apostolicam esse asserat, quam veteres sancti Martyres effuso sanguine sunt testati, ac proinde merito etiam neget eos pro illis nuperis, & nouitiis, ac spuriis additamentis suam CHRISTO vitam deuouisse? Ad illam autem quod attinet fidem genuinam & solidam, pro qua Martyres illi mortem oppetierunt, etiam Rex piissimus ac religiosissimus non modo vestras subire calumnias, sed, si opus esset, etiam mori (quod ego ex radicatissima ipsius fide catholica coniicio) est paratissimus.

XL. Inepta autem & absona est illa euasio, quam confingit Suarez *ibid. num.11.12.* non enim adeo desipiunt Catholici reformati, vt putent veteres Sanctos, & Doctores, & Martyres, ex aliqua ignorantia in errores illos incidisse, à quibus ipsi reformati nunc abhorrent, & propter quos Ecclesiam Romanam, qualis est nunc, detestantur; Hos enim errores, ista nempe nupera, nouitia, aduentitia, plumbum hoc, & hæc zizania, articulis fidei veris, tanquā auro & tritico permista, ne vestigium quidem vllum in antiquitate habere est ipsis cōpertissimum. Nullum ex his articulis, de quibus est hodierna inter pontificios, & reformatos Catholicos cōcertatio, prisci Doctores & Martyres, siue ex malitia, siue ex ignorantia tenuerunt, docuerunt, defenderūt. In aliis fortasse bona fide, & Scripturæ testimoniis nōdum bene & perfecte intellectis, à veritate circa hæresim, forte & citra peccatum deuiarunt, quæ postea in Ecclesia clarius innotuerint; sed circa ista nullæ sunt nunc controuersiæ; vt de baptismo hæreticorū, quem omnino reprobat Cyprianus, & cum ipso in Africa & Asia Episcopi plurimi, qui in ea etiam sententia mortui sunt, & martyrium pro CHRISTI fide, sed non pro illa sententia passi sunt. Irenæus fuit in Millenariorum errore, sed non pro illo martyrium subiit, &c. Horū illa defensio optima est, quod bona fide cū pietate & caritate citra schisma, citra obstinationē id quod credibile putarunt, credebant, & in quo errorem nullū agnoscebāt, in sensu suo abundabant. Si plenario cuidā concilio Cyprianus interfuisset, quod post eius mortē habitū sæpius cōmemorat Augustinus, & in eo opinionem suam damnati ex sacris Scripturis cōmuniori consensu vidisset, proculdubio ipse quoq; eam dānasset, vt ait Augustinus *de bapt. lib.2. c.4.* Sed quæ nunc pro fidei dogmatibus Romæ vēditantur, ac à Reformatis merito reiiciuntur, illæ neq; serio, neq; per errorē, siue malè, siue bonæ fidei, apud Sanctos veteres locū habuerunt.

XLI. Ad nouos Martyres, de quibus tamen Rex omnino loqui mihi non videtur, accedit Suarez *cap.* 20. vocantem, licet in deuia, sequamur. Si Rex includit etiam nouos Martyres, qui fidem illam, cuius ipse est Defensor, sanguine nuper etiam obsignarunt, quis dubitat, ipsum loqui de Martyribus non Romanos errores amplexantibus, sed Romanos errores detestantibus, ac propterea Papali gladio, hoc est grassatoris occisis? Martyrii coronam hisce veris Martyribus, pro sola puræ Catholicæ fidei assertione tyrannicè mactatis, impositam à Christo Rex nõ dubitat: neq; enim negat Suarez *ibid. nu.* 3. pro sola religione esse interfectos: At verò Martyrii coronam Suarez, & alii Pontificii plurimis perduellibus imponunt, non alio nomine debita morte mulctatis, nisi quia rebelles in proprium Regẽ, ab eo defecerunt, & debitam ei ciuilem obedientiam denegarunt. Ac cõtra ipsius coronam cum exteris hostibus conspirarunt. Agnoscant Pontificii Regis subditi Regem pro suo vero, & legitimo, quoad omnia iura Regum propria, & diuino iure eis debita, atque id simpliciter & absolute, nullo sibi casu reseruato, in quo ciuilem ei obedientiam & fidelitatem subtrahere ipsis liceat, sicut re vera iure diuino naturali fidelitas hæc debetur legitimis Regibus, absque vlla exceptione, simpliciter & absolute; certe nunquam pro religione sola, nisi adsit, aut iuste præsumatur rebellio, ac defectio, nullum vitæ subibunt periculum: Id ipsimet Angli Pontificii optimè norunt. Vtinam verò fabellam aliquam nobis narrasses, credule Pater, vbi *ibid. num.* 9. ais, te à fide dignis audisse, à morte in Anglia liberari Pontificios, si in fide & religione velint suis iudicibus consentire, etiamsi pro aliis delictis digni morte essent. Audin' largæ fidei auditor, aut Lector? Experiatur in Anglia, quæso, Papista aliquis, latrocinium aut homicidium patrans (qualia non desunt exempla) vbi de ipsius iam conuicti suspendio agitur, an possit elabi cõuersionis suæ ad fidem Protestantium sponsione. Is profecto pro salute animæ audietur, & Ecclesiæ reconciliabitur, ac quamuis abiecta superstitione Papistica, crucem ligneam non adoret amplius, abibit tamen in malam crucem. Det vnicum exemplum, quo quis tali conuersione mortem effugerit. Quando verò Papista, solo perduellionis nomine, ex negata Regi ciuili obedientia, reus mortis agitur, si fidelitatem hanc & ciuilem obedientiam Regi spondeat, & sic Regis clementia capistrum effugiat, habet quod ei gratias agat: neque interim ad professionem fidei reformatæ arctabitur. Sed de hac obligatione parendi Regi, & de fidelitate ei debita infra suo loco clarè cum Suarezio disputabo: ostendamq; illos, qui iustas perduellionis pœnas dederunt, fidelissimos quidem Papæ Martyres fuisse, non tamen Christi; & ideo à solo Papa eis coronam sui martyrii expectandam, non à Christo. Interim Martyres, qui non pro Papa, sed à Papa propter Papatum oppugnatum, fiunt, sunt veri Martyres, quia non pro hæresi vlla, sed pro ipsissima pura fide Catholica trucidãtur: & si Macchabæi corona martyrii celeberrima non fraudantur, occisi propterea, quod lege diuina prohibitum cibum nollent manducare, cur veri martyres nõ erunt, qui ideo tantum occiduntur, quia nolunt Catholicam fidem, adulterinis & nouis articulis contaminare? Eos verò omnes articulos, pro quib' Papa, & Reges ac Principes, ipsius in hoc ministri, ac fermè carnifices, in Christianorum Orthodoxorum sanguinẽ innocentem grassantur, esse spurios, nuperos, falsos, ostendã, vbi ad singulos descendemus, per solam fermè doctrinæ meæ in libris de Republica Ecclesiastica expositæ applicationem. Et consequenter neq; hæretici sunt, neque extra Catholicam Ecclesiam, qui sic patiuntur.

XLII. Seposita iam tantisper hæresi, ad schisma Anglicanum se confert Suarez *cap.* 12. licet fateatur, id ad locum suæ tractationis non pertinere: & duo contendit; Alterum est, primam secessionem Angliæ à Papali obedientia verum & proprium schisma fuisse. Alterum est, per diuturnitatem & pertinaciam, in manifestam hæresim schisma transiisse. Quod schisma sit, & cui Ecclesiarum dissensiones imputandæ sint, explico *libr. VII. cap.* 7. Nunc paucis ago, aioque turpissimum & intolerabilem errorem esse, illum hominem, vel illam congregationẽm Schismaticam vocare, quæ ab aliquo Episcopo, ipsiusque se communione separat, propter ipsius Episcopi culpam, & in pura fide errores. Et docui *libr. V. cap* 12. *nu.* 69. 70. 71. licite & valde laudabiliter, imò etiam necessario sæpe id fieri. Verum schisma damnabile est, quando aliquis, vel congregatio aliqua ab Ecclesia vniuersali se præscindit, vt authoritates à Suarezio *ibid. num.* 2. 3. 4. 5. allatæ probant. Ecclesiæ verò reformatæ, ab vniuersali Ecclesia se nunquam separarunt, imò ne à Romana quidem, habita ratione ad fidem illam veram, quam sine defectu ipsa Romana retinet: & per ipsas non stat quo minus, si eadem Romana Ecclesia, & aliæ cum ipsa infectæ, surculos illos malos spurios, adnatos resecuerint, cum ipsa communicent, & charitate perfecta coniungantur. Si vnionem cupit, non refugiunt; si obedientiam absolutam postulat, meritò renuunt; obedientia enim superiori debetur, non æquali. Si solam canonicam requirit obedientiam, quæ Patriarchæ in suo Patriarchatu Occidentali iure Canonico debetur, ne illam quidem se negaturum Rex dixit. Neque Henricus octauus in re, se & Regnum Papatui subtrahens, quicquam errauit. (quo id animo fecerit, nescio, quo ordine nihil dico.) Aliud enim est Papalis tyrannica omnipotentia: Aliud Patriarchalis dignitas: illam merito repudiant, hanc, si ea Romanus Pontifex contentus sit, vt esse debet & tenetur, facile assequetur.

XLIII. Cum igitur Papam pro Papa non agnoscere Schisma non sit, quia Papa in Ecclesia nullus est, nisi per summũ abusum, & tyrannidem, iccirco IACOBVS Sereniss. amota à se hæresi, merito contemnit & irridat, quod ipsum Schismaticum Romanenses vocent; *ibid. nu.* 7. Quia scit, Schismaticum non esse quempiam eo quod à Papatu abhorreat, modo interim vniuersali Ecclesiæ sit charitate coniunctus: & sane ipsam Romanam cæterasque deceptas Ecclesias in visceribus gerit, quatenus per defectũ à recta fide non discedunt, eis verò compatitur in illis excessibus, propter quos communionem suam illis necesse habet negare. Non adhæret ille Papatui, *ibid. nu.* 9. & ab eo defeci ipse, deficiunt omnes, qui puram amant fidem Catholicam; & à Romana, quatenus Papismum colit, fugimus Ecclesia, eo modo, quo aliquis è paterna domo, fratrumque consortio fugit, & alio se proripit, vbi in ea pestẽ grassari animaduertit: nõ quod paternæ domui nuncium remittat, eamve in se consideratam abdicet, sed quod periculum fugiat, ad eam statim rediturus cum pestem cessasse intellexerit. Quod non est verè deficere, sed sibi prospicere & cauere: Neque est à Petro, vnitateque fidei discedere, quando à Romano Pontifice errante quis discedit: Sit ipse verus Petrus recta fide, seruet ille vnitatem fidei cum Ecclesia vniuersali, abstineat ab inanibus & adulterinis doctrinis, ac etiam ab vsurpata tyrannide, hoc est, desinat esse Papa, tunc quidem desinent fideles Christiani eum tanquam scopulum horrere. Nunc etiam qui à Romana recedunt, non recedũt ab ea, quatenus veram fidem tenet, & docet, sed quatenus veræ fidei non addenda addit, & quia hæc non credit, non propterea nouam doctrinam inuehit, sed

veterem,

veterem, quæ adhuc manet in Ecclesia Romana, purgat, & ab inquinamentis abstergit, ratione quorum Romana Ecclesia, & Catholica; non est eadem: iis vero ablatis & abolitis Romana, & Catholica, & Anglicana, & Germana, & Græca, erunt vna & eadem Ecclesia CHRISTI: prout fuse explico *meo libro VII.*

XLIV. Schisma Anglicanum in hæresim transiisse affirmat Suarez *cap.* 22. quia diuturnum schisma solet hæresim parere: Schisma verum, quod fit ab vniuersali Ecclesia, non est dubium quin tale sit: & de vero hoc schismate intelliguntur argumenta illa, quæ exaggerat Suarez, *ibid. num.* 5. & 9. Cum verò schisma non sit, à particulari aliqua Ecclesia errante, vel particularibus pluribus Ecclesiis errantibus etiam, non sine perfecto & sancto odio discedere, modo cum Ecclesia vniuersali seruetur vnio & charitas, argumenta ipsius nihil penitus efficiunt. De Caluinismo & Lutheranismo, quos supponit, hæreses in se manifestas continere, nihil iam dico: quando Caluinismum & Lutheranismū impugnabit, respondebimus: Interim nego, hæreses aut Caluinum aut Lutherum docuisse; & assero, eos fuisse Orthodoxos, & Catholicam fidem strenue ab erectis erroribus propugnasse. Maximam tamen hæresim Suarez *ibid. nu.* 6. 7. & 8. ponit in Papatus deiectione: & queritur plurimum: Papam in odium describi tanquam tyrannum, &c. Sciat autem, Papam (in Anglia potissimum) in se ipsum odia concitasse meritissima, non solum ex generali ratione oppressæ per eum Ecclesiæ, sed speciali propter tot concitatas in Regno illo sæuissimas coniurationes, factus hostis huius coronæ acerbissimus. Quis classes ingentes hostiles ad aucupandum & occupandum hoc regnum, spe immortalitatis mouit, & aureis benedictionum montibus onerauit? Quis puluerarium facinus excogitauit, aut saltem fouit, & per suos satellites promouit? Quis perpetuas suadet vel rebelliones, vel debitæ erga Regem fidelitatis subtractiones? Quis prohibet subditos regni, ne obedientiam ciuilem suo Regi præstent? Hæccine Pastoris spiritualis opera? si quid Reges Angliæ subtraxerunt, si quid negāt Papæ, merito certe. Nempe quod à Papa est vsurpatum, & per summam vim, summumque nefas acquisitum; vt plenè docui *libr. 4. toto.* Papa vero conatur auferre Regi, quæ iure diuino ille possidet, quæque ei à nemine, iure, nisi à solo DEO possunt auferri. Papam enim Regiam potestatem iniuste deprimere constat ex iis, quæ in hoc genere à me *lib. 6. cap.* 10. scribuntur. An verò Suarez habeat aliquid in contrarium, suis locis videbimus. De fundis & bonis Ecclesiasticis, tracto *libr.* 9. Pontificem coli velle tanquam DEVM, probaui *libr. 2. cap. 6. nu.* 15. 16. & *libr.* 4. *cap. 1. num.* 6. & etiam *cap. 7. num.* 41. De Papæ infallibilitate, impeccabilitate, authoritate circa fidem, &c. ago pluribus *libr. 7. cap.* 5.

XLV. Ex quibusdam generalibus signis hæresis confirmare nititur Suarez *ibid. num.* 10. Protestantes esse hæreticos. Ea percurramus, & videamus, num signa illa verius in Papatu se prodant, quam in Ecclesiis reformatis. Primum signum, superbia. Euge vero. Audito superbiæ nomine contremiscunt reformati. Comparet quæso superbiam Lutheri & Caluini, cum superbia Papæ, Cardinalium, & Episcoporum Papalium, rodet digitos suos, qui vocem superbiæ hic scripserunt. Nisi enim Papa affectaret supremos, etiam diuinos honores, non oppressisset Ecclesiam; non vsurpasset in eam, & in fidem dominatum, & pro sola superbiæ æterna schisma horrendum fecit, dum obedientiam despoticam sibi omnino indebitam per fas & nefas ab omnibus conatur extorquere. Sane hæc ingens superbia. Secundum signum, discordia, *inquit,* & separatio ab obedientia Ecclesiæ Romanæ. At quis discordias serit, nisi Ecclesia Romana, dum falsitates docet, & quasi domina sit, obedientiam postulat. Et quis hoc signū de obedientia Ecclesiæ Romanæ præstanda commentus est, nisi ipsamet sibi? vnde ei hoc debitum obedientiæ? est vna Ecclesia particularis, par cæteris, quæ tanquam membrum Ecclesiæ vniuersalis, eidem debet obedientiam: & quia eam iam negat, quam Ecclesiæ Reformatæ non negant, ideo illæ Catholicæ sunt, Romana verò manet ad minimum schismatica, vt probo *libr. 4. cap. 2. ad finem præsertim.* Sed Augustinus *contr. lit. Petil. libr. 2. cap.* 51. & 52. posuit hoc signum, *inquit,* contra Donatistas, quia Romanam Cathedram blasphemabant. Signum hæresis aut schismatis ponit Augustinus, si quis tunc temporis nollet communicare cum primis Cathedris Apostolicis, quæ erant tunc Catholicæ, & non inquinatæ, etiam Hierosolymitanam commemorauit. Nunc aliter se res habet; sicut enim Hierosolymitana hodie non est sequenda, vbi fortasse iam ne Ecclesia quidem est: Ita nec Romana, quæ Ecclesia quidem est, sed impura, sed inquinata. Tertium signum, Inconstantia & diuisio doctrinæ, *ibid. num.* 11. Inter perfectè reformatas Ecclesias nulla est inconstantia, nulla in fide essentialis doctrinæ diuisio; circa ritus & res adiaphoras semper inter se Ecclesiæ varietatem aliquam habuerunt. Et si qua in doctrina dissentit, nondum est plene ac perfectè reformata, adhuc aliquid forte humani patitur, & crudi, quod nondum calore gratiæ diuinæ concoctum est, *August. epist.* 118. Inter vos etiam maiores sunt inconstantiæ; maiores in doctrina Theologica dissensiones: Quantum tibi negotii, P. Suarez, cum Dominicanis in controuersia de gratiæ auxiliis? Quantum, quantum toti Societati molestiæ cum iisdem, ne Molinæ doctrina damnaretur? In fundamentalibus reformationis constantia summa seruatur: Indisputabilibus, scholasticisque nodis quisq; abundat in sensu suo. Quartum signum iactare verbum DEI: & corrumpere illud, ac mutilare, *ibid. nu.* 12. Apocrypha non plene canonica reiicere, non est mutilare verbum DEI: neque Angli absolutè reiiciunt secundi ordinis Scripturas. Et de Canonicis Scripturis, ago *lib. 7. cap.* 1. Ex Apocryphis autem istis velle dogmata confirmare, est super arenam ædificare, vt vos facitis. Iactare Scripturas cum vanis & nuperis, inauditisque olim in Ecclesia pura interpretationibus, est signum corruptelæ: humanas traditiones, sacræ Scripturæ anteferre, aut æquare, est summa abominatio. Sic faciunt Pontificii: suos quos in Scriptura non inueniunt articulos ad traditiones somniatas reducunt. Ingeniosis rationibus ex philosophia & dialectica petitis theologica confirmant; Scripturas deserunt & contemnunt: aut si ad Scripturas compellantur, omisso communissimo illarum sensu à Patribus dato, ab Ecclesia recepto, in litera patentissimo, coactum, violentum, & quem Scripturæ ferre non possunt, comminiscuntur. *Quodcunque ligaueris, circa peccata tantum;* Pontificiis significat, quicquid feceris circa spiritualia & temporalia, tanquam alter DEVS, id ratum, id firmum, id constans esto. *Pasce oues;* significat; esto tu Petre pastor ordinarius, cui succedatur in plenitudine potestatis: vos vero reliqui Apostoli, estote vmbræ, hoc est, subdelegati, & dependentes à Petro, & cauete, ne vllos vobis successores instituatis, nisi cum maximè limitata potestate, qui à Romano Pontifice penitus pendeant, & tantum habeant potestatis, quantum ipse tribuerit, etiamsi nullam. Hæ sunt iactationes & corruptiones Scripturarum. Non ita Protestantes, qui merito à Scripturis potissimum pendent, & genuinum ipsarum sensum; quam maxi-

maxime fieri potest, loquuntur: vt in singulis controuersiis patet. Quintum signum, contemnere Ecclesiam Catholicam, eique errorem tribuere, *ibid. num.* 15. Perseuerat Suarez in suo & communi ipsorum turpissimo errore, Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam Catholicam, id est, vniuersalem. Hanc contemnere huicque errorem tribuere, est summæ audaciæ, fateor, & hæresis: sed vniuersalem Ecclesiam neq; contemnunt Protestantes, neque ei errorem tribuunt: Papalem verò errantem, & errâre fatentur, & quatenus errans est, eam meritò vel contemnunt, vel condemnant. Quod autem Ecclesia aliqua particularis, puta Romana, erret, non præiudicat Ecclesiæ Catholicæ. Neque Catholicam Ecclesiam contemnit, qui errantes Ecclesias particulares, etiam quando plurimæ sint, contemnit. Sextum signum, Conciliis non acquiescere. Signum verum obstinatæ hæresis est Conciliis legitimis, legitimè & sine lapsu aut fractione celebratis, & à Catholica Ecclesia receptis, & sic approbatis; de quibus *lib.* 7. *cap.* 3. abunde disputo, non acquiescere. Certè Suarez Ariminensi Concilio œcumenico nunquam, si sapit, acquiescet; sed non propterea erit hæreticus. Septimum: Contemptus Patrum. In Patribus interdum lapsus inueniri, (homines enim fuerunt, & Scripturas Canonicas non scribebant) non puto negabit Suarez. Millenarium aliqui inducunt, aliqui animas iustorum ante resurrectionem extra locum salutis, & beatitudinis ponunt. Aliqui damnatorum animas precibus iuuari posse aiunt, vt leuior sit ipsis pœna, vt suis locis in meis libris præcedentibus obseruaui. Sunt ne in his sequendi? In reliquis fundamentalibus fidei doctrinis, summo in precio ac veneratione apud Protestantes habentur, & perfectius ab ipsis intelliguntur, longeque melius quàm à Pontificiis explicantur, & ego hactenus in præcipuis quibusque controuersiis agmina Patrum pro veritate, quam sequuntur Protestantes, in aciem produxi: à quorum doctrina Pontificii sunt remotissimi. Octauum signum, proprio spiritu duci. Vt quod cuique proprius spiritus, etiamsi vertiginosus, dictauerit, id verum sit infallibiliter. Hoc falsò tribuitur Protestantibus, vt doceo meo *libro VII.* Nonum, fucata eloquentia, *ibid. num.* 14. Eloquentia in verbis mala non est: quæ verò fucata sit ex rebus innotescit, vtri fucum magis faciant, res ipsæ tractatæ docent. Decimum, nouitas. Non omnis nouitas, seu renouata antiquitas, sed illa, quæ à prima nondum corrupta vetustate recessit, damnanda: post vetustatem erroris, nouitas veritatis non est nouitas, sed puræ & synceræ vetustatis reparatio. Vndecimum, Amissio nominis Catholici, & noui nominis acquisitio. Vos certè in odium vocatis Lutheranos, & Caluinistas, ac vobis ipsis solis Catholici nomen retinetis: quod Catholici nomen, etsi propter assutorum errorum excessus vobis non debeatur, sed verum nomen Papistarum, Protestantes tamen (quamdiu veram CHRISTI, quæ apud vos reliqua est, fidem per defectum non deseritis) nonnulli vobis permunifice indulgent, præsertim vt addito prænomine vocemini Romano Catholici, qui certè terminus est diminuens. Est ergo nomen commune Catholicorum large sumptorum, qui iam diuiduntur in deformatos & reformatos. Duodecimum signum, mores & conuersatio. Hic mihi spaciosus campus aperitur ad disserendum de Papæ, Cardinalium, & Episcoporum, ac vniuersaliter presbyterorum Romanensium & Monachorum moribus, scilicet Angelicis, quorum nidor cœlum ipsum petit, ac Tartara: sed res odiosa est, & verecunde potius sub silentio deflenda. Dictum Tertulliani non potest nisi contumeliose Protestantibus applicari, quod tamen ex parte aliqua multo melius quadrat in Pontificios. Mittamus hæc.

XLVI. Hæreticum se non esse Rex piissimus ex fundamentis optimis confirmarat, quia ipse non elegit sibi fidem, sed à patre & auo paterno habuit. Quia in Catholico-Romana Ecclesia nunquam fuit, nisi ratione baptismi: in quo tamen ab ea non dissentit, quia demum, quod caput est, canonicis Scripturis, tribus primis Symbolis, & quatuor primis Conciliis Oecumenicis plene assentitur. Vt hæc oppugnet Suarez, *cap.* 23. *num.* 5. & calumniam struat Regi Catholicissimo, eumque per summam iniuriam faciat hæreticum, denuo ad regulam fidei relabitur, sine qua iudicium hæresis fieri non potest: cum verò illa egeat exquisita declaratione, totum hoc iudicium ego *in librum septimum* reiicio. Vbi secundum veras regulas, & Regem, & Regnum, & me, & reformatos omnes vere Orthodoxos esse ostendo: & adiecta illa, de quibus tota est dissensio, ad fidem nullo modo pertinere. Prima ratio seu excusatio Regis est optima, quæ eum ab hæresi omnino liberat, Augustino id attestante *epist.* 162. Qui à parentibus, *inquit*, acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.] Sed pertinax est Rex, inquit Suarez Censor veneratodus flagellifer, *cap.* 24. *num.* 1. 5. Imò maxime solicitus. & diligentissimus veritatis indagator. Vtinam vnum aut alterum Cardinalium par ostendere possetis adeo in sacræ veritatis indagatione assiduum, adeo elimato in rebus Theologicis iudicio: quod vos, credo, vringit. Qui certe adhuc neque Regem, neque alium quemcunque Protestantium conuincere potuistis vllius in fide erroris: sed ille vobis perpetuum silentium imposuit, vt in singulis articulis patebit. Secunda item ratio est solidissima: Baptismus enim solus, à Romano Catholico, etiam in Romano Catholica Ecclesia datus, vnit baptizatum veræ fidei, veræq; Catholicæ Ecclesiæ, *ibid. num.* 2. quatenus illa adhuc ex parte fundamentali pura est, & erroribus non inquinata: Ac nisi baptizatus in errores sui rite baptizantis, iam sibi notos, aut saltem suspectos consentiat actu, & ex electione animoque deliberato, Ecclesiæ errantis, vt errantis, non est membrum: Et si fuisset membrum, post agnitos errores, merito Ecclesiam Romanam vt errantem repudiauit. Tertia tamen ratio inuictissimi Regis stat inuictissima. Ea iam in superioribus tractata est, & infra iterum tractabitur, & meas illa poscit explicationes, quas *septimus liber* habet. Interim aio, *Suarezium ibid. num.* 3. 4. 5. *&* 6. plurimum errare, dum negat, Regem, & alios reformatos, symbola illa prima in sensu vero Catholico admittere, & retinere. Nam & Ecclesiam, & peccatorum remissionem, in verissimo Catholico sensu concipiunt, & fide apprehendunt. Si quid habet in contrarium Suarez, proponat, & omnem ei scrupulum, nisi ipse nolit, eximemus; ac ostendemus ipsum cum suis, extra symbola, extra Concilia, extra Scripturam, fidei multa spuria admiscuisse.

XLVII. De Conciliis quærit, *ibid. num.* 7. Cur sicut admittit Rex prima quatuor Concilia, non admittit quintum, sextum, & alia. Et ego quæro, cur Gregorius *libr.* 1. *epist.* 24. primis quatuor Conciliis, æque ac quatuor Euangeliis fidem adhibet, & seorsim ponit quintum? Quatuor prima abstulerunt difficultates, quas hæretici mouerant circa Trinitatem, & Incarnationem, qui sunt duo Cardines totius Christianæ fidei. Quintum corroborauit duntaxat quartum, & plus circa personas de hæresi suspectas, quam circa hæreses ipsas, priuato quasi quodam labore fuit occupatum,

à quo

à quo certe Rex non discedet. Quoad sextum, Monothelitas & Rex & reformatæ Ecclesiæ omnes anathematizant: & in hoc huic sexto Concilio penitus assentiuntur: sed reliqua acta illius Cōcilij cur admittat Rex, si Pontificij illa corrupta fuisse fatentur: & sane continent in se rerū farraginem Oecumenicō indignā Concilio, & in satis iam corrupta tempora incidit, ideoque corruptelarum expers non fuit. Peiora fuerunt subsequentia; *vt lib.7.c.3.* ostendo, & multis nominibus aut nullius aut debitæ authoritatis. Ibidem ostēdo etiam, quæ sit primorum illorum & omnium legitimorum vniuersalium conciliorum autoritas.

XLVIII. Patrum veterum vnanimem consensum admisit Rex, vt sic etiam calumniam hæresis à se amoueret: sed aspides aures surdas habent. Cur non inquit Suarez *ibid.n.9.* etiam posterioribus qui post quintum sæculum floruerunt credit? Imò nec Romanis Pontificibus vetustissimis? In dogmatibus fidei etiam Romanis Pontificibus antiquis, primorum quinq; sæculorum fidem præstat. Sed in propria causa sui primatus aptos esse testes nulla dicet æquitas. Posteriores vero Patres & Doctores, et si veterem fidem non amiserunt, sed totam integram conseruarunt, additamentis tamen futilibus nonnulli forte nō caruerunt. Vrget Suarez *ibid.n.10.11.* quid de hæresibus, quæ post illa prima quatuor quinqueve sæcula exortæ sunt, an non faciant hæreticum, tametsi quis & symbola illa profiteatur, & stet Conciliorum definitionibus? Respondebunt illi: si sit hæresis vera, ea erit vel contra symbola illa, vel contra definitiones illorum Conciliorum, vel demum (quod est omnium hæresium generale) cōtra diuinam Scripturam. Monothelitæ Nestorianismum excitabant, quia duas naturas in vna persona vnitas nōn credebant. Pelagiani Christum verum redemptorem nō faciebant, sed salutem hominis viribus naturæ tribuebant. Et sic negabant articulum Symboli Cōstantinopolitani. *Qui propter nos homines, &c.* Has, & si quæ sint veræ hæreses, ab Ecclesia vniuersali damnatæ, omnes damnant reformati, & à Pelagiana vehemētissime abhorrent. Quicquid pie credendum est de Beata Virgine pie credunt, modo ne Scripturæ aduersetur. Quod probabile & disputabile est, opinionib. relinquunt, & Scholasticis concertationibus, vt quando ad singula venerimus fiet manifestum.

XLIX. Respuit Rex admittere articulos nouitios, in officina Romana post quintum sæculum cusos, priscis inauditos: *Officinam Romanam*, Suarez *c.24.n.2.* interpretatur, *Ecclesiam Catholicam.* Errat ille plurimum. Si quidem Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis, sufficienter definiuit, non dubito Regem religiosissimum, & omnes reformatos amplexuros. Sed peculiaria Romanæ Ecclesiæ placita, licet à multis Ecclesiis seductis ac vi adactis, non tamen ab vniuersa Ecclesia Catholica admissa, ad fidem non possunt pertinere. Et sæpe permittente Domino, errores vniuersam pene peruadunt Ecclesiam: ita tamen vt semper Dominus septem millia virorum relinquat, quorum genua ante Baal non flectantur, 3. *Reg.19.1.* quæ *libro septimo* plene discutio. Hic denuo Suarez *ibid.nu.3.* ad regulam fidei se reducit, priuatum spiritum impugnat, suas traditiones & Ecclesiæ autoritatem obtrudit. Quæ ego *in lib.7.* reieci.

L. Quærit Suarez; *ibid.nu.4.5.* Cur Ecclesia primis quingentis annis non errauit, errauit vero postea? an non idem spiritus eam gubernat? Respondeo, Semper spiritus Christi eam gubernauit, & hodie gubernat; Ita vt nunquam passus sit totam labi, & à vera fide aberrare. Permisit tamen Ecclesias particulares & interdum plurimas, aut à fide per hæresim in parte aliqua deficere, aut sine defectu fidei per excessum, eidem spuria admiscere. Id contigit Romanæ, manente Ecclesia vniuersali in sua fidei puritate. Vnde id, ait, ita esse credis? ex ipsa fidei materia: eam enim primis illis quinque sæculis Scripturæ conformem inuenio, prout in Patribus & Conciliis lego: posteriorem materiam neq; in Scriptura inuenio, sed fortasse contrariam: neque Ecclesiam illis temporibus illa credidisse obseruo; sed aut contraria, aut diuersa. Et tu Suarez vnde probas tuos articulos, quos nobis tanquam articulos fidei obtrudis, esse articulos fidei, quos neq; Scriptura habet, neque veteres Patres agnouerunt? Ex traditione, *inquit,* & autoritate Ecclesiæ. (Mitto nunc hanc regulam esse fallacem, vt ostendo *lib.7.*) Proba mihi hanc traditionem esse veram: id est, id à Christo commissum Apostolis, & ab Apostolis traditum discipulis, & sic per manus sine interruptione vsq; ad hos peruenisse: at vero prima horū initia longe recentia tibi assignamus: quorum prius nulla mentiō, nulla memoria. Doce Ecclesiā falli non posse: nam nos tibi exempla multa afferemus, in quib. maxima pars Ecclesiarum errauit, & diu in errore perstitit. Sed de his postea *lib.7.c.4.*

LI. Errauit ne, *ibid.n.6.* Ecclesia Romana in fide illis primis quinq; sæculis? Fatebor, nōn errauit in fide. Quid hic bonus Sophista Suarez? vel ergo non errauit, quia non potuit, assistente ei Spiritu sancto, vel quia de facto & quasi casu non errauit. Argutulum vero cornutulum dilemma. Elio quæsitum tuum, bone Pater, est de facto. Errauit aut non errauit, factum concedo; & dicō non errauit, quid hic tu misces actum, cum potentia: seu factum, cum possibilitate? quicquid sit de possibilitate, certum est quod initio non errauerit: Et certum etiam est, quod postea errauerit: Inde sequitur profecto, ergo potuit errare; Ergo non habebat priuilegium inerrabilitatis. Vtrique quis dubitat? quid inde? Ergo, *inquit, ibid.n.7.* non certa fide, sed humana coniectura, & libera opinione credis, tunc non errasse. Quid ad hæc necessaria certitudo fidei? quando Parochus, vel concionator vel alius recitat coram vobis professionem fidei, quam Pius quartus formauit, eamq; iurat; vos illum inde pro Orthodoxo habetis: An id de illo fidei certitudine creditis? non puto: potest n. ille aliud in ore habere, aliud in corde. Non ergo transeas à fide obiectiue ad fidem subiectiue. Fides obiectiua certitudine fidei cognosci potest esse vera fides sine errore: fides subiectiue est soli DEO nota. Itaque fides obiectiua Romanæ Ecclesiæ erat sine errore primis illis sæculis; nunc vero eadem fides obiectiua est cum errore: & hoc mihi, materias fidei examinanti, fide, non coniectura constat: fide, inquam, quia fides super actum suum reflectitur, nempe fide scio quæ sint pura fide credenda: & illis contraria, vel ab illis diuersa ac extranea, scio esse vel errores vel impertinentias. At, *inquit,* illi articuli qui prodierunt ex officina Ecclesiæ Romanæ, prodierunt etiam ex officina Ecclesiæ Catholicæ. Tunc temporis non nego. Sed hoc non est satis: Iam dicas si placet: quæcunque postea prodierunt ex officina Ecclesiæ Romanæ, eadem omnia prius prodierant ex officina Ecclesiæ Catholicæ, & hoc est falsissimum. Quid tu ergo assistentiam Spiritus sancti obiectas, pro Romanæ Ecclesiæ infallibilitate, si factum contrarium clamat. Neque verum est, Patrem vllum antiquum vnquam (excipio Romanos Pontifices in propria causa) assistentiam Spiritus sancti Ecclesiæ Romanæ tribuisse. Sed hoc ex more obtinetis, nec iam dediscere potestis, vt quæ vel scripturæ, vel Patres Ecclesiæ vniuersali tribuunt, ea vos ad Romanam trahatis Ecclesiam, cum summa iniuria, & Patribus & Scripturis illata, *ibid.n.8.* De suc-

successionibus alias. De priuilegio non errandi iam diximus esse subreptitium, imo confictum; non enim concordat cum originali ab Apostolis registrato, ac nisi proferatur cum suo sigillo authenticum, non vitiatum, non corruptum, flammis aut furcis addicendum sentiemus potius, quam Christianorum fidei commendandum. Cur vero probemus esse sublatum, cum nusquam tale priuilegium extare sciamus? Sacra tandem Anchora sunt ei Concilia posteriora generalia, *ibid. nu.* 9. 10. 11. quæ errare non potuerint, sicut nec priora, ac proinde eandem fuisse officinam Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ Catholicæ: Cur vero, Pater, non subscribis Concilio Ariminensi, & Ephesino II. quæ fuerunt generalia? Eadē ratione alij nō subscribunt illis posterioribus, post quintum; quia ad stabiliendos errores, dominante, & vndante factione sunt collecta: *vt lib. 7. c. 3.* videbimus. Nunc summam ex conclusionem huius primis Capitis colligo.

LII. Fides Christiana verè Catholica, verè Apostolica & sane pura est illa, quam vniuersalis perpetuo tenuit Ecclesia: cuius veram formam, veramq; speciem facile quisq; in antiqua Christi Ecclesia primus quinq; sæculis potest contemplari. Quicquid contra illā, quicquid vltra illam posterioríb. sæculis aduectum fuerit, id speciem eius deturpat, & inquinat puritatē. Romana Ecclesia vna Ecclesia particularis est, & vnicū membrum Ecclesiæ vniuersalis. Ex quo illa, relicto proprio loco membri, totius corporis se caput Tyrannice voluit constituere, & vniuersalis Ecclesiæ nomē assumere, schismata fecit, plurimum aberrauit, & fidei synceræ multa spuria addidit, quæ fidem quidem fœdarent, ambitioni vero & auaritiæ Romanę inseruirent. Regula ad cognoscenda illa spuria & aduentitia, sit nunc exemplar veteris Ecclesiæ puræ primorum post Christū sæculorum, quod sit quasi legitimus interpres sacræ Scripturæ. Ad hoc exemplar Reformata est Ecclesia Anglicana. Huius synceræ fidei, huius purissimæ Ecclesiæ Serenissimus Jacobus Magnæ Britanniæ Rex Defensor est, & synceritate & iudicio pollens. Tu ne, Suarez, tuis sophismatis tanto Regi te speras impositurum? Quid tanquam Gorgonis caput Romanæ Ecclesiæ antiquitatem ei obiectas? Proculdubio dicet ille vobis Romanensibus, si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, *Ioan.* 8. 39. Si antiquam fidem retineatis, ea in parte laudat vos, & vobiscum penitus in ea consentit. Sed dissensio præsens nō est cum antiqua Romana Ecclesia, sed cum moderna, quæ à seipsa dudum degenerauit. Antiqua non sunt illa nupera, illa nouitia, lapides illi offensionis, & petræ scandali. Quid nouitatem sectæ obijcis? Quod nouitates illas veteras & errores abiecerit, nouum est, non negabitur. Sicut nouum fuit filio prodigo, quod sordidas vestes quibus diu vsus fuerat, deposuerit, & induerit stolam primam, *Luc.* 15. Abijciat Romana Ecclesia illam porcorum escam, sit sorror cum reliquis: sit etiā, si vult (& certe ita haberi vult) multarum mater; nō tamen cuiusquam esto Domina: postulet amorē, & vnionem charitatis, non obedientiam; & Rex Serenissimus ei non resistet, eam non impugnabit, sed amicissime complectetur, fietq; eius defensor amantissimus. Sed quamdiu errores fouet, schismata serit, temporalia sectatur, Principum maiestati & potestati inuidet, rebelliones promouet, obedientiam ciuilem subditorum impedit, Coniurationib. fomenta præbet, opprimit Ecclesias, arma inter Principes Christianos ciet, & malorum omnium in Christiano orbe fons est, & origo, non potest salua conscientia nisi de ipsius expugnatione veris Ecclesiæ armis, quod est verbum Dei, perpetuo cogitare.

CAPVT II.

Articulos, pro quibus Pontificii contra Reformatos pugnant, ad fidem Catholicam non spectare.

ERRORES aliquot præcipuos in fide Regis Angliæ, Anglicanæq; Ecclesiæ & protestantiū considerat *suo lib. 2. Defensionis fidei Catholicæ* P. Suarez: dum negant illi articulos aliquos, quos fidei articulos esse Romana Ecclesia contendit: eos vero articulos, Rex & Protestātes nuperos esse dicunt, ac demonstrant, imo & falsos ac perniciosos. Eosdem ego adulterinos voco & spurios, & additamenta per excessum. Quod verissimū est, vt iam patebit. Non omnes cōtrouersias examinandas sumpsit Suarez, sed paucas quasdam, *lib. 2. c. 1. n. 2.* quas Rex exempli gratia commemorarat. Eæ sunt de corporali præsentia Christi in Eucharistia. De transsubstantiatione; De adoratione Eucharistiæ. De communione sub vtraq; specie, De missis priuatis, De cultu & inuocatione Sanctorum, De reliquiis, imaginibus & cruce. De Purgatorio, De ritibus. Hæc à Bellarmino exacte sunt in suis controuersiis tractata: Addideritne aliquid noui Suarez, videbimus.

II. Controuersias circa sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, illas in quibus maxime vigent concertationes, discussimus *lib. nostro 5. c. 6.* Eo igitur erunt mihi fere omnia remittenda, ac inde solutiones, & explicationes facile peti poterunt. Corporalem præsentiam ante omnia vrget Suarez: & quia illam expresse disertis verbis non negauit Rex, puduisse eum infamiæ arbitratur: quia id iamdiu pro hæresi damnatū erat. Non puduit Regem adorationem reprehendere, & puduit tamen negare corporalem præsentiam? Negare adorationem panis, profecto est etiam consequenter negare corporalem præsentiam Christi sub pane, seu sub speciebus panis: & Regi sat erat, exempli causa, percurrere aliqua sola nominatione eorum, quæ nupera ille esse dixit, & nouitia. Potius Suarezium pudere debuit, ex Bellarmini controuersiis, quasi verbatim describere omnia argumenta, quæ pro suis articulis per Protestantes reiectis in hoc secundo libro profert: cum potius satis illi fuisset Regis assertionem ad libros Bellarmini nominatim amandasse; adeoq; multis chartarum paginis transcribendis pepercisse. Puduit tamen Suarezium ita facere, quia sciebat Bellarmini argumenta fuisse iam ab aduersariis soluta, quas solutiones oppugnare neque sciret Suarez, nec forte propter conscientiam posset. Maluit veteres nostratium cantilenas nudas & solas recinere, vt aduersariorum solutionibus dissimulatis, ipse vacuo in campo vincere ac triumphare videretur.

III. Non est, *inquit, ibid. n. 2.* nouitium affirmare sub speciebus panis & vini legitime cōsecratis, vere ac realiter corpus, & sanguinem Christi Domini contineri. Annon hoc nouitium est, cum per mille circiter annos in Ecclesia Catholica id fuerit inauditum? At CHRISTVS dixit, *hoc est corpus meum, &c.* inquit ille. Cum tamen impossibile sit, vt buccella panis sit corpus humanum, & illius hominis, qui buccellam in manu tenet, figuratam esse locutionem oportet, iuxta regulas Augustini à me positas & discussas *lib. 5. cap 6. nu. 107. 108. 110.* quæ verba Christi in suo literali & materiali sensu per mille annos Ecclesia non intellexit. Idem Christus dixit in Cruce matri, Ioannem tam esse ipsius filium: & ipsam esse Ioannis Matrem; Et Paulus non minus aperte, de re Sacramentali loquens, dixit Petram fuisse CHRISTVM. Sumetne Suarez ista literaliter an tropicè? sequitur quidem necessario ex illis

Christi verbis, *hoc est corpus meum, &c.* nos in Eucharistię Sacramento verũ & reale Christi corpus, si digne accedamus, sumere, & reali præsentia Christi corpus in nos, dum comedimus sacrũ panẽ, ingredi; modo tamen quodam non crasso & materiali, sed Sacramentali, spirituali, ineffabili, ac inexplicabili. Ille enim qui iam promiserat, se carnem suam daturum discipulis ad manducandum, sua diuina sapientia inuenit modum, vt explicat Cyrillus Alexandrinus, *Nostro lib. 5. cap. 6. nu.* 144. quo id verum esse posset citra anthropophagiam, nimirum per comestionem Sacramẽtalem sacri panis: vt videlicet dum comedimus digne illum panem, simul cum illo exhibeatur nobis ipsissimum Christi corpus, sed modo spirituali soli Deo noto: Et hoc sensu verissimum est, quod dicebat Christus de pane, *hoc est corpus meum*, nimirum in manducatione corporali huius panis, vos manducatis vere & realiter, sed spiritualiter, id est modo quodam occulto, interno, inuisibili, ipsum meum corpus, quod ego vobis diuina virtute simul cum pane exhibeo, quæ sunt à me fuse explicata *prædicto cap. 6.* Aliud igitur est, Christum reali sui corporis præsentia adesse in Eucharistiæ perceptione: aliud, sub speciebus panis præsens esse corporaliter, & substantialiter corpus Christi, etiam nemine communicante. Primum est verissimum, in Ecclesia antiquissimum, & in Christi verbis continetur: Secundum est falsissimum, & á Christi verbis remotissimum, ac plane nouitium, nuperum, & adulterinum. Et Patres, non modo quos adducit Suarez, sed reliqui omnes quotquot hac de re, vel aliquid vel multum scripserunt, per integra octo saltem post Christum sæcula, nihil aliud voluerunt: nisi digne Sacramenta Eucharistiæ sumentes, ipsum verum Christi corpus modo spirituali sumere: & panem ac vinum esse signa, sed signa efficacia veri corporis & sanguinis Christi, quod panis sacer sacrũq; vinum digne illa manducantibus, revera exhibent. Panis ergo & vinum sunt typice & non realiter corpus & sanguis: sed vere & realiter, non tantum typice, dignè sumentibus exhibent verum corpus verumq; sanguinem Christi,

IV. Hilarium primum producit Suarez, *ibid. nu. 3.* quem tamen penitus non intellexit. Eo enim loco Hilarius de Eucharistia nihil dicit, vt ostendi *lib. 5. c. 6. n. 63* Sed de fide incarnationis. Neq; enim ait, panem esse vere carnem, & vinum esse vere sanguinem, sed Christum inesse verè carnem & sanguinem, hoc est, vere incarnatum, & verbum carnem factum: quod verbum incarnatum dum nos fide credimus, fit vt ille in nobis realiter sit, sicut nos in illo realiter sumus, quia ille realiter & vere carnem nostrã assumpsit. Hoc qui non credit diuinitatem Christi negat. Quid tu P. Suarez succenses Caluino? numquid ille hoc, vt ais, impiè & ignoranter negauit? An tu potius parum pie, & satis ignoranter, neq; Hilarium neq; Caluinum capiens, captas conuicia? Sed nostris Romanensibus ea lex perennis lata videtur, vt si quando Caluinum nominent, calumniam, quasi corpori vmbram, adijciant. Hoc in scholis pueri, in triuiis plebeij, hoc in Collegiis nouitij fundamentalium instar rudimentorum ad vnguem discunt.

V. Ambrosius de pane ait fieri corpus: *ibid. n. 4.* Sed quæro, vere ne & realiter, an mystice tantum? si vere, quæro an fiat idem corpus Christi quod natum est ex virgine, an aliud, nõ aliud, quia Christus vnicũ corpus habet, ergo idem. At corpus Christi factum est de virginis matris sanguine: non ergo de pane: & si factum est de pane, non ergo idem est quod de virginis sanguine factum est. Non ergo vere, sed mystice, id est, de pane communi per consecrationem fit panis Sacramentalis: qui panis Sacramentalis, typice est corpus Christi, vt explico *lib. 5. c. 6. n.* 86. Nam & idem Ambrosius *de sacram. lib. 4. c. 5.* verba Canonis consecratorij affert, quorum tunc vsus erat, in quibus patet consecrationẽ tunc effecisse, vt panis iam esset figura corporis Christi. Varia effugia aliorum posui *lib. 5. c. 6. in Appendice ad Ambrosium*, §. 14. & reieci. Addit suam explicationem Suarez, figuram esse species sacramentales sub quibus latet corpus, &c. Verba Canonis erant, *Fac nobis Domine hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura; vel, quod fit in figuram corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi*: ipsa ergo oblatio, cum facta fuerit benedictione, ascripta, rationabilis & acceptabilis, tunc erit figura corporis; at oblatio non est specierum dumtaxat, sed veri panis: & hæc ipsa oblatio post benedictionem est figura, quæro quis sit principalis effectus consecrationis: profecto respondebit Suarez, esse, corpus Christi poni sub speciebus illis, & non nisi consequutiuum est, vt species panis & vini maneant propter factã transsubstantiationem. Cur ergo Ecclesia in suo Canone; omisso effectu principali, consecutiuum dumtaxat commemorat? debuisset sic loqui: *fac rationabilem, acceptabilem, quod est ipsum corpus Christi*; cum autem dicat, quod est figura corporis Christi, figuram accipit tanquam principalem effectum, quem intendat Ecclesia per consecrationem. Non intendit autem vt species panis & vini maneant sine subiecto, & sic fiant figura corporis latẽtis sub ipsis: quorsum hæ ambages, si potest statim dicere: *quod est corpus Christi*? sic enim statim & directè intelligo in Eucharistia per consecrationem adesse corpus Christi; quod per illas ambages non intelligo, dum mihi asseritur, species panis per cõsecrationem manere sine substantia panis, ad hoc vt illæ species figura sint, & significent, sub ipsis latere ipsum corpus Christi. Quis vero capiet species panis esse figuram corporis humani, & non potius panem? Quomodo odor & sapor panis repręsentat corpus humanum, & est eius figura? accidens ne nudum est figura substantiæ, & substantiæ alienæ, incapacis illius accidentis? nugæ sunt istæ: & obseruatio Suarezij admonitioq; vanissima.

VI. Hieronymi dictum *ibid. n. 5. allegatum* explicaui *lib. 5. c. 6. n.* 106. Quod si Seneca & Cicero cogerent Patres Christianæ religionis, fortasse etiam Calepinus, ne verbum repræsentandi vsurpent, nisi vbi rem præsentem fieri velint, dicimus cum Hieronymo in Eucharistia veritatem corporis & sanguinis Christi repræsentari, quia in Eucharistia verum Christi corpus, sed spiritualiter, dignè sumentibus exhibetur, cuius etiam sanguinem, spirituali, nõ corporali modo bibimus: & Sacerdos suo ore conficit Christi corpus, quia sua benedictione ex pane communi facit panem Sacramentalem, qui dignè sumptus exhibet modo spirituali ipsum verum corpus Christi. Quod verò dicat Hieronymus [*in ep. ad Tit. c. 1.*] Panes propositionis fuisse vmbram & imaginem ac exemplar; corpus vero Christi esse corpus, & veritatem ac rem ipsam, quid ad rem? an comparat panes propositionis cum pane Eucharistiæ? Minime vero: sed eos comparat cum vero & reali corpore Christi quod in Eucharistia nobis modo spirituali, dum panem Eucharisticum dignè comedimus, exhibetur.

VII. Augustini primum locum quem profert Suarez *ibid. n. 6. 7. 8.* explicatum habebis à me *lib. 5. c. 6. n. 134.* Ferri proprijs manibus esse ænigma oratorium. In altero loco explicando non est cur laboremus, nam neque Augustini est sermo ille de cataclysmo, neque locus est explicabilis; nam quid sibi vellet, ne scriptor quidem illius sermonis sciebat, qui hinc inde dicta vel Augusti-

gustini vel aliorum colligebat, & humano capiti ceruicem equinam addebat. Tertius locus est à me *lib. 5. c. 6. nu. 133.* explicatus. Sacramentum enim pro re Sacramenti sæpissimè sumit Augustinus: & vt Cyprianus declarabat, significata & significantia eodē nomine censentur; ex quo corruunt omnia quæ Suarez ex Augustino coaceruat.

VIII. Ex Cypriano *ibid. n. 9. 10.* nihilo plus habet quā nos *ibid. n. 48. & seqq.* explicauimus. Ex Leone *serm. 6. de ieiunio 7. mens.* hæc habet: Sic sacræ mensæ cōmunicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. hoc enim ore sumitur quod fide creditur: & frustra, *Amen*, ab illis respondetur, à quibus contra id quod accipitur disputatur.] Veritatē corporis modo spirituali in Eucharistia exhibiti nemo Catholicus negabit, & ore sumitur quod fide creditur; fide autem creditur panem illum non esse communem sed Sacramentalem, veri Christi corporis dignè sumēti exhibitiuum, & vt talis ille panis à fideli ore sumitur. Qui autem disputat & contendit se nudum panem sumere, neque credit in comestione illius panis esse Sacramētum corporis Christi, & veritatē corporis Christi sibi spiritualiter exhiberi, frustra respondet, *Amen*: quia non confirmat, sibi cum pane materiali sed sacramentali, verum Christi corpus miraculosè communicari, vt explicaui in *Appendice ad Ambrosium*, §. 4. *& ad Chrysost.* §. 2. *cap. 6. lib. 5.* Optatus vero vocat altare sedem corporis, & calices dicit esse sanguinis Christi portatores; quia, vt Cyprianus optime contendit: significata & significantia etiam vulgari locutione ijsdem nominibus censentur; vt signum pro re signata, Sacramentumque pro re Sacramenti ponatur, vt probaui sæpius *in c. 6. lib. 5.*

IX. De Chrysostomo non est cur simus solliciti; nihil enim, vt arbitror, eius Patris quod ad Eucharistiam spectat intactum reliquimus *lib. 5. cap. 6. nu. 101. & seqq.* ac in appendice ad eundem Chrysostomum: sunt enim hyperbolæ vt plurimum, & tropi: nam sæpe signum pro re signata sumit; & rem signatam pro signo. Et effectum spiritualem etiam sępe exaggerauit. Quomodo enim per escam Sacramentalem nos possumus in Christi carnem misceri? quis hoc realiter sumat, hoc est crasso modo, corporali, materiali: nisi nos in Christum transsubstantiemur? Corpus suum Christus nobis immiscuit, & in nos contemperauit, spirituali modo, non corporali: quis enim corporalem mistionem & contemperationem faciet ex carne Christi, & nostra? solum contactum ponunt nostri transsubstantialistæ, non mistionem. Christus nos sua carne alit, sed non corporaliter, non enim est ille cibus ventris, sed mentis.

X. De Cyrillo Alexandrino similiter non est cur quicquam iuuat, seu de Concilio Ephesino; *ibid. n. 12. 13. 14. 15.* nihil enim omiserūt duo insignes Cardinales, Bellarminus, & postea multo exactior Peronius: sed vtrisq; arbitror me plene, si æquum feratur iudicium, satisfecisse *lib. 5. c. 6. n. 142. & seqq.* & plenius in *Appendice ad Cyrillum Alexandrinum.*

XI. Ex altero Cyrillo, nempe Hierosolymitano, nihil profert Suarez quod non plene discussum à me, & explicatum sit *ibid nu. 69. & seq. & in Appendice ad eum.* Epiphanius, quem Cyrillo annectit, verum esse, ait, nobis Corpus Christi tradi, sed modum quo nobis in Eucharistia Corpus Christi tradatur ait omnino esse incognitum, vt ego posui & exposui ipsum Epiphanū, *ibid. num. 93.* Athanasii verum sensum videat, *ibid. num. 55.* Nazianzeni quoque *ibid. num. 91. & in Appendice ad eundem* §. 1. Nysseni (quem ipse perperam Nicænum vocat,) explicationem habet *meo lib. 5. cap. 6. num. 87.* Basilius viuentem panem vocat, non panem Eucharisticum, sed corpus Christi verum, quod sumitur spiritualiter, dum sumitur Sacramentum. Et dum idem ait, nos nutriri participatione diuinorum mysteriorum, certe nihil præsentię reali fauet; Potius contrarium inde colligitur: nam mysteria diuina, sunt in pane, qui, mysticè, non realiter fit Corpus Christi. Iustinus similiter est ei contrarius, vt ostendi *lib. 5. cap. 6. nu. 25 & 26.* Sic & Irenæus *ibid. num. 17. & sequentibus, & in eorum Appendicibus*: qui sane Irenæus eo loco, quem solum ponderat Suarez, *ibid. nu. 15.* longe aliud intendit, & dicit; quam quod ipse vult. Non enim veritatem carnis Christi ibi confirmat Irenæus, sed contra negantes Resurrectionem, carnem capacem esse docet incorruptibilitatis, idque confirmat argumento ducente ad incommodum: quod duplex est: alterum, quod si nostra caro est incapax incorruptionis, ergo redempti non sumus à Christo: alterum; Ergo Eucharistia non exhibet nobis Corpus & Sanguinem Christi. Primum incommodum sequitur, quia redemptus est totus integer homo, constans anima & corpore: & si caro nostra non potest ad incorruptionem resurgere, homo totus non est redemptus. Alterum incommodū item sequitur, quia inutilis est nobis Eucharistia, si non resurgemus: ad hoc enim Christus nobis per Eucharistiam suum Corpus & suum Sanguinem, modo quodā ineffabili, non tamen corporali, communicat, vt non modo anima dona Spiritus Christi recipiat, sed etiam Corpus ad incorruptibilitatem nutriatur. Illa vero æquiparatio quam ponit Suarez, hic nulla est. Neq; erat et locus Irenæi ita ieiune attingendus, qui diligentissima indiget consideratione. Hunc pensitet *cap. 6. libri nostri quinti: etiam in Appendice*, vbi de Irenæo. Sed bonus pater Suarez vtut veteranus miles est in Scholasticis ingeniosis ex dialectica & Philosophia consutis concertationibus: in hoc alio tamen antiquæ Ecclesiæ, Sanctorum videlicet Patrum, scribendi genere, est plane nouitius.

XII. Transsubstantiationem corroborare mox nititur, *cap. 2.* & eam Patrum testimonijs confirmare: sed etiam in hoc inaniter & frustra laborat, nec profert quicquam quod à me non sit exactè discussum. Illa enim Patrum dicta considerat, in quibus illi mutationem ponunt, vel transmutationem, vel negant esse panem communem; vel aiunt, panem, (seu de pane) fieri Corpus Christi, quæ omnia iam sunt exposita. Mutationem seu transmutationem ponunt in pane accidentalem non substantialem: vbi panis ex communi & ordinario pane, fit panis sacer, benedictus, & sacramentalis, cuius comestio fert secum ipsum verum & reale Corpus Christi, modo tamen quodam ineffabili ac inexplicabili, certe non corporali, sed spirituali, ac sacramentali. Panis fit Corpus & dicitur Corpus, non realiter & formaliter, sed typice & figuraliter, effectiue tamen, quia verum Christi Corpus spiritualiter exhibet. Panis non est amplius panis, nudus videlicet, & communis. Et quoniam Patrum aliquot eadē loca profert, quæ sunt à me fuse *capite illo 6. quinti libri* discussa, nec ille quicquam noui addit, non est cur in his tempus calamumq; frustra teramus.

XIII. Neque præsentiam realem illam corporalem probauit in Eucharistia Suarez, neq; panis substātiæ absentiam: cursim enim attigit aliquot Patres *c. 3.* quorum sententiam bene sciebat doctissimo Regi esse notissimam, & interpretationes veras reali præsentiæ penitus contrarias ad manus, quas ipse impugnare nō est ausus: & tamen inde colligit transsubstantiationē, re quidem antiquissimam, non nuperam, nec nouitiā; nomine vero etiam aut satis antiquam, aut saltem ne-

cessa-

cessariam: de nomine non laboret; si rem probauerit esse in Ecclesia antiquam, facile ei nomen etiam nouū concedetur: sed ne struat quæso fidei ædificia, absque fundamentis; neque in re quærat transsubstantiationem, vbi illa nullum habet vestigium, sed vbi contrarium elucet. Sic igitur assertio Serenissimi Regis, Transubstantiationem esse articulum nuperum & nouitium, manet inconcussa: quod si transsubstantiatio panis non est in Eucharistia, neque præsentia realis in pane, licet præsentia realis corporis Christi, sed spiritualis adsit in Eucharistia, hoc est, vbi dignè recipitur Sacramentum, sequitur omnino adorationem panis esse indebitam, ac meritò reprehendendam, vt contédit sapientissimè Rex optimus. Christum esse adorandum cultu latriæ, de quo agit *cap.4.* non est dubium, sed panem in Christum corporaliter conuerti, est falsissimum, ideoque adorare panem pro Christo, est summæ stultitiæ & impietatis. Mysterium incarnationis facit, vt Christus etiam quoad humanitatem in Verbo subsistentem sit adorandus: mysterium tamen Eucharistiæ hoc vtiq; nō facit: quia in pane corporalis Christi præsentia non est: corporalis tamen præsentia Christi, sed non modo corporali comitatur Sacramentum Eucharistiæ, quæ præsentia non est in pane aut vino sacris, sed est in homine dignè panem & vinum recipiente. Et sic vt corporaliter sibi præsentem Christum, modo spirituali, adorare & possunt, & debent omnes dignè communicantes: & propterea est laudabilissimus mos vt genibus flexis Sacramentum recipiatur, si quidem in hoc Sacramento verum Christi corpus recipitur, licet modo spirituali, & non crasso nec materiali: & ita fit hodie in Anglicana Ecclesia. Ex quo laudabili & decoro gestu adhuc ab Anglis retento, & reuerenter præstito, ego certè, qui eorum synaxi sæpius adsum particeps, non exiguam haurio animi lætitiam, præsertim quoties cum ipso Serenissimo Rege simul communicans, intueor eius Maiestatem pio exemplo hunc sancto huic Sacramento aptissimum geniculationis honorem suis subditis commendantem. De qua, non panis, sed CHRISTI, eiusdemque non corporaliter, sed spiritualiter, præsentis adoratione, quæ erant necessaria declaraui *lib.5.cap.6.* sæpius, & Patrum antiquorum dicta explicaui, vbi de singulis egi. Qui autem post introductam vi, non veri, sed ferri & ignis transubstantiationem, adorationem posuerunt, non sunt audiendi. Circumgestationem fatetur Suarez *ibid.num 6.* esse nuperam & nouitiam; sed eam defendit vt merito introductam, & ab omni superstitione liberam. Supponit enim id quod falsum est, & quod nunquam probabit, panem in corpus transsubstantiari. Et quia hoc non est verum, ideo circumgestatio non modo superstitiosa est sed & ferme idololatrica. Certe si hoc antiquitas supposuisset, & vt verū credidisset, ipsa quoq; & adorationem & circumgestationem instituisset. Sed ideo in antiquitate nihil tale factum est, quia nihil tale credidit. Et ideo non credidit, quia credendum esse nunquam vidit: viderunt postea noctuæ, quod per mille & plures post Christum annos aquilæ videre non potuerunt.

XIV. Communionem laicam sub vna tantum specie Rex merito nuper inuectam doluit; eam tuetur Suarez: *c.5.* ac primum probat, liberum esse cuiq; communicare, etiā sub vna specie, excepto sacrificulo dum sacrificat, & id ex antiquis historiis deducit: quia multi sola communione sub specie panis cōtenti fuerunt. Ad hoc ego respondi, *lib.5.c.6.n.278.& seqq.* ex causa id interdum licuisse, vbi communio non esset publica & ordinaria in Ecclesiastica synaxi: in hac enim, & cibo & potu, sacrum conuiuium erat celebrandum. Abstemius puto potuit á vino abstinere: alioquin præceptū Domini est: *hoc facite*: id videlicet quod ipse tunc faciebat: Præceptum hoc continet actionem Christi, quam tunc ipse faciebat: non tamen continet circumstantias, loci, temporis, &c. Nam verbum illud *hoc*, non continet circumstantias. Et ex eodem præcepto re vera sequitur, quoties Sacramentum conficitur, aliis esse necessario distribuendū. Quod incredibile videtur Suarezio, quia, *inquit*, est contra perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. Sed errat; missæ enim priuatæ, vt inferius dicam, in antiquitate nullum habent exemplum. Et Christi mādatum includit necessario distributionem. Sacrificium vero in missa verum, & proprium nullum esse, sed solam Sacramenti præparationem, docui *lib.5. cap.6.nu.245.& seqq.* Argumentum autem illud de toto Christo sub alterutra specie, & de concomitantia inuentum, est subterfugium scholasticorum hesternum, vanum, friuolum: quia supponit realem præsentiam, cum transsubstantiatione; quam neque probauit, neque vnquam probabit Suarez. Et cum Sacramentum hoc institutum sit sub cibo & potu, profecto integrum non erit, si per modum duntaxat cibi sumatur, aut duntaxat potus: quia in vna specie non est nisi cibus: in alia non est nisi potus: & ita aut erit cibus sine potu, aut potus sine cibo: & quamuis sub cibo lateret potus, ille numquam dicetur bibisse, qui cibum illum comedit, in quo virtualiter esset potus, vt qui vuam comedunt certe non bibunt, licet in vna adsit vinum. Sic si quis potum hauriret, qui haberet vim nutriendi, iste nihilominus nunquam diceretur comedisse, ex eo quod liquidum illud quod bibit esset virtualiter cibus. Sed quid hic opus argumentis, vbi costat Christū ipsum instituisse cœnam hanc sacram non in cibo solo sed & in potu? Instituentis magistri valeat autoritas, etiam sine adiectis rationibus (quæ tamen abunde suppetunt) vt nefas sit nobis ita mutare & mutilare substantiam Sacramenti.

XV. Obijcit ille *ibid.n 12.13.14.& 15.* Patres sæpe non nisi sub vnica specie, præsertim panis, Eucharistiā commemorare. Respondeo sub vnico nomine breuitatis causa, illos sæpe & cibum & potum, panem & vinum comprehendere, eamq; vocant Eucharistiam, benedictionem, Eulogias, & sæpe exemplificant in alterutro tantum, sed intelligentes vtrumq;: frangere panem significat conuenire simul ad edendum & bibendum & non solum ad comedendum, vera enim refectio fit cibo & potu. Itaq; sicut non est negandum, interdum ex iustis causis priuatis, priuatos homines in priuatis eorum communionibus, vel ex ægritudine, vel ex commoditate, vel ex aliqua necessitate, vnica interdum specie vsos, & vti solitos, certé non sine sacramenti mutilatione, non tamen forte adeo culpabili; Ita in publicis etiam communionibus, abs; vlla necessitate, generali prohibitione auferri calicem omnibus laicis, fuit opus iniustum & tyrannicum, contra diuinam institutionem, & contra omne ius, ac fas. Nec vlla ratio mouit Tridentina Papæ mancipia ad negandum calicē tot Christianis Ecclesiis, etiam Romanæ subiectis, illū enixe petentibus, nisi ne errarum esse in ipsius ablatione ex restitutione constaret: & vt clericalis ordo supra laicos hoc insigni sacro actu eueheretur, & hinc à laicis in maiori honore haberetur. Vide Lector historiam Concilij Tridentini per Petrum Suauem Italicæ editionis *pag.* 444.515.543. *&c.* Miror autem tam frequenter obiectare Suarezium Regi, Anglis, & Protestantibus, Concilij Tridentini definitiones, cū sciat ab his Conciliū hoc, nec immerito, contemni, & irrideri: in quo libertate amissa, ac rebus ad Papæ libidinē compositis, etiam qui aderant fremebant, & vel precio, vel

vel minis, si quid bene sentirent, id intra dentes comprimere, & contra conscientiam proferre illud Placet cogebantur.

XVI. Missas priuatas Rex, vt rem nouitiam & nuperam, reijciebat; eas conatur Suarez *cap. 6.* corroborare. Quicquid vero de varietate significationis missæ priuatæ multiplicat, id totũ superuacaneum est: Quod vero caput rei est, aut dissimulat, aut sicco pede pertrãsit, ferrum candens digitis attingere non audet, vt it enim; hoc vero est, sacrificium. Illa enim priuata missa est quæ solam habet sacrificij rationem; & in qua Sacramentum vt sit Sacramentum, nisi fortasse vix vni sacrificanti, non consecratur. Missam vero non posse esse sacrificium satis probaui, *lib. 5. c. 6. n. 195.* nisi valde impropriè & commemoratiuum duntaxat. Relinquitur ergo missa legitima ad solum Sacramentum Eucharistiæ præparandum, quando sunt aliqui communicaturi. Quod si nemo communicaturus sit; tametsi adsit maxima multitudo fidelium, illa est missa priuata; actio ludicra, profecto plena ludibrij. Præparat enim mensam, & dapes instruit, vbi nullus affuturus sit conuiua. Sed missa etiam sacrificium est inquit Suarez. At hoc bene sciebat à Rege & Reformatis negari: Cum vero missæ priuatæ sacrificio maximè nitantur, frustra ad eas confirmandas accedit, qui prius missę verum sacrificium non firmauit.

XVII. Nulla erat prohibitio, inquit Suarez, *ib. n. 4.* nullum præceptum, ne sacerdos solus offerat, nemine præter suum ministrum præsente: neque ex cœna Domini id colligi potest.] Non præsentia populi requiritur vt missa non sit priuata, sed præsentia communicantium. Et communicantes necessario requiri colligitur optimè ex cœna Domini, & eius mandato, *Hoc facite*: nimirum quod me nunc facere videtis, & non aliud: quid vero tunc fecit Christus? Sumpsit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis comedendum. Qui vult ergo facere quod tunc fecit Christus, ipsiusq; seruare mandatum, accipiat panem, benedicat, frangat, & distribuat suis discipulis, id est illis, qui illius curæ spirituali commissi sunt, ad comedendum. Ita de vino, siue adsint omnes, siue aliqui: quod si nullus adsit communicaturus, tunc non fit distributio, & sic non fit id quod tunc à Christo factum est, vt explico ego *lib. 5. c. 6. n. 245.* Frustra vero quærit Suarez præceptum, *ibid. nu. 6.* quo obligentur ij, qui intersunt missæ, etiam communicare. Probauimus enim Missam nihil aliud esse, nisi præparationem Eucharistię pro tunc communicaturis, ipsiusque distributionem. Non ergo ideo quis communicare diuino præcepto tenetur, quia interest Missæ; sed diuino præcepto Missa celebrari non debet, nisi pro communicaturis, quod si præter communicaturos aliquis intersit mysteriorum celebrationi, non puto, vbi scandalum absit, illum grauiter peccaturum, etiamsi non communicet: quamuis vsus fuerit Ecclesiæ, vt non communicaturi recederent, quod iam ostendi *ibidem vbi supra.* Ex Cypriano *lib. 5. epist.* Missas priuatas colligit, *ibid. nu. 8.* quia in carcere apud confessores presbyteri singuli cum singulis diaconis offerebant.] In Ecclesiis in pace totus cœtus intererat sacræ Liturgiæ, vbi plebs esset communicatura; at in locis priuatis, & tempore persecutionis, puta in carceribus, presbyter cum diacono sacra peragebat, & confessoribus Eucharistiam præparabat ac distribuebat, & non solus communicabat, & sic Missæ illæ priuatæ non erant. Hieronymum *ad Hed. lib. q. 2.* nobis *ibid. n. 9.* obijcis, dicentem: quotidie rubentia musta calcamus: Et tamen Hieronymus *epist. 60.* Missas publicas non celebrabat. Ludit Suarez; & ludendo simplicibus imponit. Hieronymus etsi presbyter factus esset, Missas tamen neque publicas neque priuatas celebrabat; *ibid. epist. 61.* vt ostendi *lib. 2. cap. 12. nu. 54. 55.* quando igitur ait; quotidie rubentia musta calcamus, non loquitur de sua persona, sed de Ecclesiæ Christianæ moribus & ritibus: Nos, videlicet Christiani in Ecclesia: vt patet cuique illam Hieronymi quæstionem legenti. Cassianum quoque Narnicensem nobis obijcit ex Gregorio, quotidie pariter sacrificantem. Sacra communio est sacrificium commemoratiuum: quotidie hunc Episcopum Missas narrat celebrasse Gregorius: *in Euangel hom. 37.* sed ostendat Suarez in illis missis quotidianis nullos communicantes illos tunc præsentes habuisse: & tamen Gregorius etiam assistentes commemorat, & populum in vna ex illis quotidianis missis communicantem.

XVIII. Beatissimam Christi Domini matrem ac sanè Virginem Rex Serenissimus, & Deiparam fatetur, & super omnes beatorum spirituum, & hominum ordines in cœlesti gloria collocatam veneratur: sed Suarez *c. 7. n. 1.* nondum cõtentus; vult cogere Regem, vt perpetuam Mariæ virginitatem tanquam fidei articulum credat, atque adeo fide diuina eam credat, quia traditio non scripta hunc articulum offert; imo adhuc cogere vult Regem, vt non modo eam veneretur, sed etiam adoret ea adoratione, quæ sit hyperdulia. Importunus sanè imo reuera iniquus exactor. Epiphanius *her. 78.* blasphemam vocat opinionem illorum, qui perpetuam Dei genitricis virginitatem negarent, sed hæreticam esse non dixit, aut saltem hæresis conuincere non est conatus: neque enim ex scripturis virginitatem hanc perpetuam collegit; imo apertè fassus est, scripturam hac de re nihil apertè dicere; Traditionem vero nullam commemorauit, neque veritatem hanc tanquam dogma fidei, Ecclesiam ab Apostolis per manus accepisse vnquam dixit, aut prætendit, quo solo argumento potuit errorem Antidicomarianorum statim difflare: Ad eos verò refellendos probabilitates duntaxat aliquas coaceruauit, quarum nulla profecto rem demonstrat; aut tanquam necessario credendam conuincit. Argumenta ipsius sunt, quod epitheto communissimo Maria vocetur virgo: quod desponsa dicatur Iosepho, non nupta, ad quod etiam traditiones adducit Iudæorum: quod Iosephus fuerit senex octogenarius, & viduus, ad copulam iam impotens quando Mariam desponsauit, non in vsum, sed vt esset ipsius custos: quod qui audiuerat eam de Spiritu Sancto concepisse, vas Sanctum profanare non esset ausus: quod Scriptura nullum filium commemoret Iosepho ex Maria natum esse: quod Christus non commendasset illam Ioanni, si illa habuisset filios alios proprios, cum quibus, & non cum Ioanne alieno filio eam degere post abitum Christi par fuisset: quod leenæ; quæ sit typus quidam Mariæ, non contingat secundus partus: quod Angelus ei dixerit, *Dominus tecum*, non ergo ei misceri quis potuit quam Dominus custodiret. Atque ex his & similibus conuenientiis & probabilitatibus Epiphanius concludit rem his verbis: Quæ nouimus magis pia & vtilia Ecclesiæ, ea de S. Virgine diximus.] Non commemorat traditionem, non necessitatem credendi, non dogma fidei, sed decentiam & pietatem. Ita Rex Serenissimus, ita quicunque bonus Catholicus, piè & religiosè perpetuam Mariæ colit virginitatem: & à contraria assertione, tanquam ab impia, abhorret, sed dogma fidei in hoc non agnoscit: quemadmodum neque Epiphanius, neque etiam Hieronymus contra Heluidium id agnouit. Hieronymus enim traditionem Heluidio, virginitatem post partum Mariæ deneganti, non obiecit, neque dogma fidei exaggerauit; sed impietatem

tem illius reprehendit, & loca Scripturę, quibus & Antidicomariani apud Epiphanium, & ipse Heluidius vtebantur, soluit, & declarat: quod etiam facit Epiphanius, de qua Suarez c.8. n.4.

XIX. Honorem & venerationem Deiparæ debêri Rex aperte profitetur, adorationem hyperduliæ, seu cultum religiosum exposcere, non est viri Catholici neque Christiani: Singularis excellentia cum sanctitatis, tum etiam priuilegij, quo virgo beatissima effulsit, vt Verbo ex proprijs visceribus corpus daret, dignam efficiunt, vt illam beatam Christiani omnes prędicent, ac omnes generationes summo afficiant honore: humano tamen, non diuino. Honor est in honorante; honorare est excellentiam alterius agnoscere & existimationem dignam conseruare: colere cultu humano possumus homines etiam propter excellentias, quæ non sint ordinis naturæ, & temporales, sed ordinis gratiæ, & spirituales ac supernaturales. Honor vero & cultus quicunque humanus, non transcendit ad religionem: nam religiosus cultus non debetur ab homine vlli creaturæ putæ, quacunque excellentia illa sit prædita, sed Deo soli, vt explico *lib.7.* In religioso enim cultu subijcit se homo ei, quem religiosé colit, tanquam proprio suo Domino, in cuius manibus sint omnia externa & interna ipsius cultoris. Et ita religiosus cultus alius non potest esse, nisi vera latria. Si ergo dulia & hyperdulia non excedunt humanum cultum, humanum honorem, & humanam venerationem, Mariam, & sanctos Dei semos ex corde & venerabimur & veneramur: si autem requiratur à nobis religiosus cultus, absit vt illum erga alium, quam erga solum Deum exerceamus. Sic enim & dulia & hyperdulia, sunt mera latria. Et quia inuocatio religiosa ad modum numinis, & vbi supernaturalem opem quærimus, spectat verè & propriè ad cultum religiosum, & consequenter non est sine latria, ideo Rex merito ab inuocanda B. Virgine abstinet, & quisque Catholicus, & verè Christianus, qui vnicum Deum colit, abstinere debet, vt doceo *lib.7. cap.12.* Sugillat etiam nostrorum scriptorum ineptias, quas illi pietatis, sed certe stultissimæ, ne dicam impiæ, nomine induunt, vbi ad Virginem ipsam vere diuinos honores transferunt, ita vt etiam Scripturas diuinas, quæ de Deo & Christo Domino sunt, Virgini ipsi accommodent. Sunt fateor priuatorum hominum inscitiæ & stultitiæ, sed tamen cum talia ab Ecclesia Romana non prohibeantur nec reprehendantur, sed potius diuulgentur, quam diuulgari tolerentur, & mox illę pro Ecclesię Catholicæ vocibus sint habendæ, errores iam erunt publici, non priuati. Quod vero interdum antiqui Patres Beatam Virginem, & sanctos in cœlo iam existentes inuocare videantur, non propterea inuocatio religiosa est inducenda. Illæ sunt Apostrophæ oratoriæ humanæ, non religiosæ, ex solo humano, non religioso cultu, quæ paulatim nimis excrescentes, heu tandem in latriam apud nos degenerarunt, veramque idololatriam, vt ostendo *lib.7.* Et dum vitamus Antidicomarianos, incidimus in Collyridianos, qui non modo errabant, quia offerebant ipsi Mariæ tanquam Deæ sua sacrificia, sed etiam quia eam tanquam numen inuocabant, *Epiph. hæres.79.* Et vero honorem deberi, proculdubio humanum tantummodo, non cultum religiosum, non religiosam inuocationem, contendit toto illo tractatu Epiphanius.

XX. De sanctorum distinctione, intercessione, inuocatione, canonizatione, quantum satis est tracto *lib.7.* Esse vere sanctos, quos pro sanctis colit Ecclesia, probat Suarez *cap.8. & 9.* tum ex suis illis putidis traditionibus (quas perpetuo supponunt, & non probant nostri) tum ex infallibilitate Ecclesiæ, quę errare non possit: quod suo loco *lib.7. cap.4.* falsum esse ostendi; tum ex Papali Canonizatione, quam etiam eodem differo, vbi de similibus ago. Et interim moneo, Suarezium frustra laborare in probationibus pro sanctorum in cœlis intercessione: quam generaliter sumptam non puto reformatos negare. Sed particularem de rebus cuiusque priuatis intercessionem, aut cognitionem eorum posse nobis fide cōstare, negabunt. Inuocationem sanctorum non esse ad salutem necessariam, (quod lubens lego, & amplector) concedit Suarez, & sufficere si fideles ad Christum solum mediatorem cōfugiant, & nobis à Patre datum aduocatum, *1. Joan.2.1.* Si ergo reformati nolint sanctos inuocare, hoc solo nomine non potest eos reprehendere. An vero articulus fidei sit, licite & vtiliter posse sanctos inuocari, ita vt hæresis sit id negare, disputo *lib.7.* suo loco: Et ostendo, hunc nullo modo posse esse articulū fidei: sed si sermo sit de inuocatione religiosa, esse Ethnicismū, Dei proprium honorem in creaturam transferentem. Si vero inuocatio sit purè humana, eam esse tolerabilem, sed periculosam.

XXI. De sanctorum reliquijs & imaginibus, & agno & cruce, [*de quib. Suarez cap.10.11.12.13.14.*] similiter ibidem disputo, & cultum quoque in his distinguo ac venerationem; humanum quidem neque Rex, neq; Orthodoxi negabunt: religiosum vero & diuinum omnino negandum esse affirmo; fidem vero Catholicam religiosum cultum in his poscere, doceo ibidem esse falsissimum. Nam quicquid sancti de honore & veneratione reliquiarum dixerunt, scripseruntque, de honore humano, de veneratione humana & dixerunt & scripserunt, non de religiosa: sed propter excellentiam qua à Deo fuerunt supernaturaliter exaltati: & non propter solam ciuilem in ipsis excellentiam, honore enim eodem humano vtramq; excellentiam, & diuinā & humanam, in homine prosequimur. Religioso autem, hoc est, diuino honore, solum Deum prosequendum esse arbitramur. Et quando Deo erigitur templū in honorem alicuius sancti, cuius reliquijs in eo templo sepulchrum honestum damus, [*de quo Suarez c.10. n.5.*] Erectio templi diuinum honorem latriæ continet soli Deo debitum: honor vero sancti, qui inde resultat, quia ibi & honestum sepulchrum habet, & nomen eius frequenter memoratur, est honor humanus, sed propter diuinæ gratiæ in eo sancto excellentiam. Idem dico de imaginib. eas optimas & valde vtiles esse quoad rectū vsum, ad excitandam memoriam bene factorum. Sed peculiarem cultum sacrum & religiosum eis deberi nullo modo sine errore potest asseri. Et Suarez frustra se vertit & sudat, *c.11. n.11.12.* dum profitetur quidem, se probaturum cultum & venerationē imaginū, & tamen exempla pene omnia, solius boni vsus ciuilis, & humani, quamuis ad finem spiritualem directi, cōmemorat; in quibus nullus cultus, nulla adoratio, nulla veneratio eiusmodi, quam nos exagitamus, De qua ego plura *lib.7.* Et sicut olim serpens æneus in memoriam diuini beneficij seruatus, factus postea idololatrię occasio, à pio Rege sancte comminutus est: *4. Reg.18.4.* Ita nostræ imagines in memoriam rerum sacratum initio recto vsu introductæ, cum iam saltem plebem in apertam immiserit Idololatriam, merito ex sancto discretoq; zelo, & olim sæpius, & nostris etiam temporib. alicubi ablatæ sunt, & comminutæ

XXII. Purgatorium Pontificium Rex merito irrisetat: & quia totam purgationem hominis fidelis posuit in sanguine Christi, hinc Suarez *cap.12.9. & cap.15.* ingerit satis importune difficultates & controuersias circa applicationem satisfactionis Christi, & circa no-

stram iustificationem. Consistat quæso nunc in purgatorij dogmate, & sciat, omnes bonos orthodoxos soli Christi passioni & morti inniti, tanquã pro omni pœna nostris peccatis debita satisfacienti, & nobis vitam æternã promerenti. Applicationem vero fieri per donũ gratuitum fidei illius viuæ, qui per dilectionem operetur, & per Sacramenta ordinarie, cum necessaria etiam spe & fiducia in Deum. Hæc enim omnia, licet variis modis, & suo ordine cõcurrant, partim ad iustificationem, partim ad sanctificationem, & consequenter ad integram peccati, tam quoad culpã quã quoad pœnã, remissionẽ, sit vero remissio hæc, siue vera peccati ablatio, & ablutio, siue non imputatio, hoc nihil ad Purgatorium. Satis est fructum meritorum & satisfactionũ Christi, quãdo is alicui applicatur, ita applicari vt nunquam culpa remittatur, quin simul & tota pœna integre remittatur: & post remissionem culpæ, nihil pœnæ relinqui, siue æternæ, siue temporalis, quæ culpæ iam remissæ debeatur. Id iam plene ego probaui, *lib. 5. c. 7. n. 49. & seqq. & n. 80. & c. 8. n. 3. & seqq.* Neq; video quomodo sequatur, per merita & satisfactiones Christi non æque omnibus, remissa culpa, remitti pœnam temporalem, sed inæqualiter, vt contendit Suarez, *ibid. n. 8. 9.* ex eo, quod per eadem Christi merita, nõ æque omnibus iustis distribuatur æterna gloria. Nescio an velit, eos minores pœnas temporales pro peccatis soluere in terra, seu in purgatorio, qui maiori gloria sunt in cœlo decorandi: an contra. Illud scio, inæqualitatem gloriæ iustorum, si sit in cœlo admittenda, non à pœnis peccatorum temporalibus, sed vel à diuina prędestinatione, vel à maiori, vel minori Charitatis mensura & fructibus, stante diuina gratia, diuinaq; promissione, pendere. Audio Christum dicẽtem; Cui plus dimittitur plus diligit; & cui minus dimittitur minus diligit; & multa peccata dimitti peccatrici, quia dilexit multum: *Luc. 7. 47.* Sed vtrum hæc dilectio sit causa, an effectus remissionis, non ita aperte demonstratum est.

XXIII. Etiam in hac vita inter iustos est inæqualitas, quoad sanctificationem, quia vnus est sanctior altero: sed quoad ipsam regenerationem, & veram iustificationem, in eo æquales omnes sunt qui iustificantur, quod æque plene per meritum & plenam satisfactionẽ Christi sibi applicatas, liberati sunt à peccatis quisq; suis, & à pœnis quibuscunq; etiam illorum peccatis debitis. Et quamuis inter iustificandos magna sit inæqualitas; nam vnus minori eget satisfactione, vt omnia ei peccata quoad culpam, & quoad pœnas quascunque deleantur, alius maiori; prout vnus est maior peccator alio; in iustificatione tamen equales sunt, quia merita & satisfactio Christi, quæ est infiniti valoris, æque vtrique applicantur, & non finite, ac per partes, quia æque vterque infinita egent satisfactione, quoad precium, & valorem. Maior vero vel minor pœnæ temporalis remissio hic nihil ad rem, quia vel tota vnicuiq; pœna remissa est, remissa culpa: vel nihil, hoc est, neque culpa neq; pœna. Dispositio autem in iustificando est omnino necessaria, non vt causa remissionis, vt declaraui *lib. 5. cap. 7. nu. 5.* sed vt remouens dumtaxat impedimentum. Et hæc dispositio æqualis est in omnibus & non maior in vno quam in alio: si enim tanta est in vnoquoq;, vt obstaculum voluntarium & impedimentum cum diuina gratia auxiliante tollat gratiæ gratum facienti & iustificanti, tunc illa sufficit ad hoc, vt Deus sua opera iustificationis in illa anima operetur. Sed falsum est, DEVM plus iustificare plus dispositum, & minus iustificare minus dispositum: qui enim minus dispositus nunquam iustificabitur, nisi ad sufficientem peruenerit dispositionem necessariæ pœnitentiæ; verum tamen est, in maiori peccatore maiorem, in minori minorem requiri dispositionem: vtraque tamen debet esse tanta, quanta auferat diuinæ gratiæ totum impedimentum: si minor sit non iustificabitur. Maius tamen impedimentum maiorum peccatorum, maiore labore tollitur, minus minori. Itaque peccatoris dispositio non seruit, ad tollendam pœnam temporalem maiorem, si maior sit, minorem, si minor, per maiorem vel minorem applicationem satisfactionum Christi; sed ad tollendum obstaculum peccati; quo sublato, plena sequitur iustificatio, plenaque simul & culpæ, & pœnæ cuiuscunque remissio. Quos sum autem in peccatore & Scriptura & Patres satisfactiones quasdam requirant, trado *lib. 5. cap. 7. fere toto, & cap. 8. passim.* Quibus locis distinguo, pœnitentiam internam, quæ est contritio potissimum: & externam quæ est Ecclesiastica: & hæc requirit satisfactiones, in gratiam Ecclesiæ: nam coram Deo sine his, per solam contritionem, potest quisque à Deo peccati remissionem obtinere, non tamen per claues Ecclesiæ: vt *dicto cap. 7.* fuse tracto & explico. Atque in his pœnis temporalibus etiam Suarez cum communi delirat, & primum ponit fundamentum purgatorij. Alterum ponit similiter cum reliquis purgatorij defensoribus, peccata venialia: vtrumque hoc fundamentum ego subrui *lib. 5. c. 8. nu. 157. & seqq.* Definitio ergo Conciliorum Neotericorum his acreis nixa fundamentis, tota euanescat necesse est. Traditiones merum sunt subterfugium miserorum: & nullæ apparent, cum purgatorium recens sit commentum, & fabula otiosorum, imo ambitiosorum & auarorum in Ecclesia. Patres aliquot adducit: eos ego iã *dicto toto fere c. 8.* explicaui. Scripturas quoq; omnes perpendi, ac ostendi purgatorium esse cõmentum, antiquæ Ecclesiæ penitus ignotum & inauditum.

XXIV. Nonum tamen Patris Suarez argumentum *c. 25. nu. 15.* ex Augustino nolo præterire, quod mihi indignum tanto Theologo visum est. Dixerat Rex, & bene, Christum esse nostrum purgatorium. Docet ille Regem, quomodo Christus sit nostrum purgatorium, ex Augustino *de ciuit. Dei lib. 10. c. 24.* sic loquente; Dominum Iesum Christum esse principium, cuius incarnatione purgamur; Eum quippe (*id est Dæmonem, interponit sua glossa Suarez*) in sua carne contempsit: quam propter sacrificium nostræ purgationis assumpsit. Hũc ille Platonicus non cognouit esse principium, nam agnosceret purgatorium.] Audio sacrificium nostræ purgationis factum esse in cruce, Audio incarnationem esse nostræ purgationis principium, & propterea hoc principium esse purgatorium: adiectiuè non substantiuè: Placuit Suarezio nomen hoc, *purgatorium*, quasi esset substantiuum, & significaret Pontificium Purgatorium subterraneum. Sed in ea etiam sua glossula bonus Pater est hallucinatus: quid mirum? *Quandoq; bonus dormitat Homerus.* Eum quippe (id est Dæmonem inquit Suarez) at vero Augustinus, *eum*, intelligit Christum, non Dæmonem, id est, Porphyrius Christum nõ in sua, (vt male legit Suarez,) sed in ipsa carne contẽpsit: nec voluit cognoscere Christum esse principium; nam si eum esse principium agnouisset, purgatorium quoq; principium per suam carnem ipsum esse, quo anima purgatur, agnouisset. Quid hæc ad purgatorium subterraneum? Quid? Multum inquit Suarez, Nihil enim aliud est, in Christo esse purgatorium, quam esse Redemptorem per quem possunt homines in hac vita perfectissime mundari, si sint apte prius dispositi: alioqui si in hac vita id assequuti nõ fuerint, in futura, si iusti sint, per condignas pœnas secundum rigorẽ iustitiæ purgabuntur: nisi aliqua ex parte propter suffragia viuentium subleuentur.]

XXV. Mira eductio purgatorij, quam à longe? Non

ergo

ergo Augustinus posuit hoc loco nostrum hoc purgatorium: sed quia Christus est redemptor noster & peccatorum remissor, cuius beneficio possumus in hac vita plene purgari, ideo dandum est purgatorium in alia vita. Si ita argumentari licet, & Augustinum facere purgatorij assertoré, longè melius fuisset sacram Scripturā proferre, vbi illa facit Christum Redemptorem, & mediatorem & peccatorum remissoré: sic enim Scripturā quoq; purgatoriū ex simili deductione, assereret. Atqui deductio etiam ipsa nihil valet. Si iustus ex hac vita discedit; Ergo purgatus discedit, purgationem enim per Christi sanguinem habuit. Aut si non purgatus discedit, iustus nō est, sed impius. Sermo enim est de purgatione peccatorum eorum quę inimicum Dei constituunt, *Heb.* 1.3. Incarnatio enim & caro Christi, ac sacrificium crucis ab Augustino afferuntur, quæ sunt omnium peccatorum purgatiua, & tota hæc purgatio est à peccato, non à solis pœnis. Pœnæ enim remissio, si iam culpa sit remissa, non est purgatio: & in tantum pœna est purgatiua, in quantum remissioni culpæ inseruit: alioquin purgatiua non est, licet possit esse satisfactiua. Sed venialia quoque possunt iustis remitti in alia vita sine purgatorio hoc Pontificio, si tamen verum esset aliquem iustum cum veniali culpa discedere, cuius in hac vita non habuerit remissionem, vt ostendi *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 127. *& seqq.* vbi etiam docui orationes pro defunctis purgatorium hoc Pontificium non supponere.

XXVI. Ne videatur Suarez *ibid. n.* 19. omni scripturæ ope destitutus purgatoriū asseruisse, affert primo nouum locum, quem alij non solent afferre: is est: 2. *Cor.* 5.10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Hinc habemus, *inquit*, nullum malum impunitum à Deo relinqui. Fateor; Boni enim ibunt in vitam æternam; mali vero in supplicium æternum: *Matth.* 25. 46. vtrique pro eo quod in hoc corpore gesserunt. Instat ille: Quid si aliquis non satisfecit condigne? Cuinam? Deo an Ecclesiæ? si non satisfecit sua culpa Ecclesiæ à qua pro pecccatis suis ligatus fuerat, neque ab Ecclesia soluetur per claues: & consequenter hoc nomine non soluetur in cœlo: & ibit in supplicium æternum. Si Deo per internam pœnitentiam plene non satisfecit, quia plene eum sui peccati grauis non pœnituit: sic quoque ibit in supplicium æternum: si autem modo dicto satisfecit Deo per internam pœnitentiam sufficienter, iam obtinuit plenam & culpæ & pœnæ remissionem. Similiter si satisfecit Ecclesiæ aut certè cœpit satisfacere per externam Ecclesiasticam pœnitentiam, nec per eum stetit quin eam compleret, habebit solutionem in terra & in cœlo tam culpæ quam pœnæ. Et sic iustus non potest decedere cum vlla pœnæ temporalis obligatione, vt abunde tractaui *lib.* 5. *cap.* 6. Alia Scripturæ loca quæ affert sunt omnia à me soluta, & nihil minus quam purgatorium probant. Optime ergo Rex diuina instructus sapientia, & qui ex medulla Theologiæ, non ex corticibus ac siliquis Scholasticorum suum pauit animum, purgatorium vocauit commentum indignum in quo opera impendatur, Neque Suarez quicquam in contrarium probauit, cuius omnes probationes in mea tractatione *lib.* 5. *c.* 8. funditus subuerti: vbi etiam ostendi vetere friuolas res esse indulgentias, jubilæa, & satisfactiones pro mortuis, vt merito Rex censuit, & dixit; & idem esse fundamentum indulgentiarum, ac purgatorij. Sublato enim omni debito pœnæ temporalis pro peccatis, quis non videt neq; indulgentias quicquam esse, neq; purgatorium? thesaurum similiter meritorum Christi, & Sanctorum eo modo quo trapezitæ indulgentiarum eo vtuntur, oppugnaui ibidem, & expugnaui.

XXVII. Campanarum baptizationes & alias similes nugas, aut prorsus vt ociosas, aut etiam vt superstitiosas abiecit Rex, & merito. Non placet id Suarezio: *cap.* 16. Campanarum, *inquit*, antiquus & bonus est vsus in Ecclesia; quis id negat? & vbi pulchriores & plures, & magis sonoræ, etiam ad modos musicos confectæ, campanæ quam in Anglia? & sane precij immensi, quo solo precio posset commodè magno bello fortasse Papa Romā expelli, & vniuersa ditione temporali expoliari. Non reprehendit igitur Rex Campanarum vsum legitimum, & antiquum. Non reprehendit bene, & sobrie institutos ritus, imo propter hoc iniquos nimium in se Puritanos expertus est. Orationes & preces pias, & religiosas laudat & approbat. Benedictiones & gratiarum actiones in mensa quorumcunque, & magnatum, & plebeiorum & clericorum, & laicorum nullo tempore, nulla occasione prætermissas, nusquam vidi tanta cum religione & pietate adhiberi, ac in Anglia: Reprehendit ergo Rex inutiles ritus & superstitiosos, cum lotionibus, suffitibus, vnctionibus, adiurationibus; exorcismis &c. Et vbi rebus sic benedictis, ex illa benedictione tribuitur facultas aliqua, vel virtus spiritualis, quæ ille ex opere operato mira & supernaturalia efficiant? A qua benedicta dicitur ex opere operato peccata venialia remittere, dæmones effugare &c. Cerei agni quid non possunt? contra incendium, contra naufragium, contra dæmones &c. Hæc sunt plena puerilium superstitionum, defendi non possunt.

XXVIII. In epilogo huius secundi libri per Apostrophem ad Regem, de more suo in hoc opere conuersus Suarez, ante omnia exigit à Rege promissum: vt amplectatur id quod veritatem esse, ipse iam docuerit. Si ita esset, voti compos proculdubio ille fieret. Sed nihil probauit, & regiæ assertiones manent integerrimæ, cur ergo à sua sententia dimoueatur? veritas clarissima ex parte Regis est, sophismata contraria omnia iam sunt soluta, teneat ergo (& certe tenebit) Rex Serenissimus fidem suam, quam tota pura Ecclesia tenuit, & ab his nuperis & nouitiis Ecclesiæ Romanensis spuriisque additamentis, vt facit, abhorreat. Tu vero Pater Suarez, qui certo vides articulos hosce, pro quibus tota rixa, nullū in scriptura fundamentum habere, nullum in Ecclesia per multa sæcula indicium; nullum apud Patres veteres testimonium: quibus aperte cognoscis traditiones nullas suffragari, cum noui sint & olim penitus inauditi; quos iam plane tibi constat per vim, dolos & summas fraudes esse ita propagatos, vt non Ecclesia sit quæ ita censeat, sed inscitia, spes, metus, superbia id à plurimis extorqueat, cessa iam tandem à fidelium, qui tibi tanquā magno Theologo credunt, deceptione: quid sit Ecclesia hæc tua, columna & firmamentum, tandem sensura in his, & dictura ac doctura, si certo vis scire, conare vt sit libera, neque tot terroribus depulsa, aut humanis consiliis delinita, quo minus veritatem etiam eam quam intus agnoscit palam profiteatur; tum profecto videbis te plurimum aut errare, aut decipere, dum doctrinas istas adulterinas alio meliori velo non potes tegere quam Ecclesiæ autoritate, omni alio solido fundamento destitutus. Times Pontificem? times Generalem? times reliquos tui ordinis Iesuitas? sed plus time DEVM: cogitare vos omnes Reuerendi Patres cogitationes pacis & veritatis: Orbis Christianus in manibus pene vestris est: conemini vt vnica sit Ecclesia: nouitates istas abijcite: conferte negotium cum reformatis, pacatè & amicè; & Spiritus sanctus modum inueniet ac mode-

sationem quo facile consentiamus: Sola Curia Romana obstabit, sed Deus illa maior & potentior est, & consilia ipsius terrena cœlestibus ac diuinis non possunt tandem non cedere. Suades tu P. Suarez Regi vt Romano Pontifici subijciatur: quam rogo subiectionem cupis? & quantam? spiritualem ne, an temporalem? ao vtramq;? iniquum petis, iniustum quæris, si temporalem, si, vtramq;. Canonicam subiectionem quamcunq; Euangelium poscit, quam Ecclesia agnouit, approbauit, præstitit, antequam se ille Tyrannum Ecclesiæ constituerit, Rex ei non subtrahit, si ea ille contentus esse velit. Episcopum Romanæ Ecclesiæ, Metropolitanum Romanæ Prouinciæ, ac demum totius Occidentis Patriarcham haud abnuit: id enim ei Rex Serenissimus in sua præfatione vt vidisti, non obscurè concedit: Rex ipse & regnū ipsius Romano Episcopo, Romano Metropolitano, nullā debet subiectionē, cum extra illam diœcesim & illam prouinciam sint, solam Charitatem ei his nominibus debent & amicitiam, nisi ipse respuat. Patriarchalia jura Ecclesiastica & jura debita, neminem puto illi negaturum. Occidentis Patriarchā Rex Romanum Pontificem est confessus, modo intra limites Patriarchales se ille contineat, quid vltra quæris? Plus tuo Pontifici non debetur, vt probatum iam vides *meo lib. 4. & 6.* Vnde etiam tuus tertius iam sequens liber totus corruit. Dices tu quidem verbis, Regem non debere timere ne Pontifex Regiæ deroget quicquam autoritati: sed tu nimium esse tum ac temporum ignarus si te ipsa ita esse credis; Classem Hispanicam contra gloriosæ memoriæ Heroinam Elizabetham quis immisit? & puluerariam stragem, in Iacobum, & filios, totiusque regni proceres tibi paulo ante commemorabam. Quis nisi Papa, aut à Papa, aut propter Papam, obedientiam ciuilem ne promittant iurentque suo Regi ipsius subditi Romano-Catholici, suis Breuibus, & per tua quoque seditiosa, falsa, impiaque scripta, vt inferius videbimus, impedit, & perpetuas fouet, mouet, spirat, suadet rebelliones, & contra regium sceptrum perpetuo per vos satellites aliquid molitur, aut exitij aut periculi? sit ipse verus Pater; puram amplectatur & doceat fidem: abijciat nouos errores: bene sentientes amet, non sua sed quæ sunt Iesu Christi, quærat; Reddat quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & sic tota Ecclesia vniuersalis erit vere vna, & pacatissima.

CAPVT III.

Romanum Pontificem supra Reges in temporalibus nullam habere potestatem.

PAPATVS seipsum in sublimi, imo in supremo totius terræ throno collocare non potuit, nisi Romanum Imperium euertere. Idem vero in eadem sublimitate conseruari non potest, nisi Reges & Principes terreni Christiani eidem fasces submittant, & colla pedibus Papæ subdant: Huc Papæ satellites sua consilia, suas vires dirigunt, vt si quid de facto terrenis viribus obtinere non possunt, id de iure ingeniosis scriptionibus obtineant, viamq; muniant, qua & populos ad rebelliones concitare, & sceptra Regibus eripere, & eos in ordinem redigere, aut necem adere facilius possint, si iugo Papali, etiam quoad temporalia, se plene subijcere nolint. Huc spectant seditiosæ illæ disputationes quibus Regiam diuinitus acceptam potestatem conantur scriptores Pontificij deprimere, & populis subdere, ita vt Principes suam autoritatem propriis subditis plebi ipsi acceptam ferre debeant; Vt ipsi, populo per suas Bullas concitato, possint per eundem populum Reges solijs suis quasi iure & legitime excutere, Annon satis erat Principes Christianos, cum sua plena & independenti ab hominibus potestate, Pontifici tanquam vice Deo in terris subdere? & Papæ potestatem diuinā, imo omnipotentiam quoq; ad Regum depositiones, depriuationes, electiones extendere, atq; interim eos in sua plena, & ab omnibus alijs independenti autoritate relinquere? At Papatus nutat, nisi plane Reges omnes precario regnare, & suorum populorum famuli esse ostendantur: vt sic qui vere est seruus seruorū Dei, fiat solus Dominus Dominorum. Sic itaque P. Suarez cum tertium suum hunc librum Pontificiæ potestati supra Reges & Principes destinasset, parum se posse sibi visus est, nisi prius ipsam Regiam potestatem Regibus eriperet, & in subditos transferret, & casso paruinque pio labore ostendere conaretur, Reges esse meros populi sui ministros, & magistratus, qui non à Deo, sed à populo immediate, tantam & tamdiu habeant autoritatem, quantam & quamdiu insanum volgus velit eis concedere. Doctrina plane seditiosa, & impia, vt plene ostendi *meo lib. 6. cap. 2.* Illud vero sciant Reges, nihil magis cordi esse Pontifici & eius asseclis, quam vt Regiam potestatem vilem reddant, infirmam, imbecillem, & abiectam: ab ea enim sola sibi tyrannidem vsurpatam eripiendam timet. Nam Reges, non Christus Papatum euexerunt, Reges eum depriment, vt docet nos Prophetia Apocalypseos, *c. 17. 12. 16. Decem cornua decem Reges sunt; — & Agnus vincet eos; — Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.*] Insani sunt sicut Herodes, qui suis artibus diuinum decretum conantur eludere; & principibus, ne quid tandem possint, suam eripere potestatem. Legant Principes cordati, non modo quæ scripsit Suarez & prius Bellarminus, de ipsorum potestate, sed etiam libellum quem nuperrime dum hæc ipsa ego meditabar, idem edidit Bellarminus, *De officio Principum.* Et videbunt eo Pontificem & Pontificios collimare, vt Reges non modo Papæ, sed etiam Episcopis, & cuicunque Presbyterculo prorsus subijciant, ac longe reddant ijs inferiores. Ac nisi somnum excutiant Principes, breui virga ipsorum non erit virga ferrea, sed virga plane straminea: & ipsi consequenter erunt Principes straminei: sed ad ea quæ scribit Suarez accedamus.

II. Præmittit c. 2. ante omnia multa, quæ potestatem politicam ad diuinam potestatem spectare probent, & ita politicum Principatum iustum esse & legitimū, & diuina autoritate stabilitum, ac prorsus inter homines necessarium. Ea vera sunt omnia, sed perperam à Suarezio c. 2. intellecta, dum plura Scripturæ loca, & Patrū, quæ DEVM faciunt immediatum potestatis politicæ cuiq; Regenti in particulari donatorem, ipse contendit, illa de potestate immediate Communitati tradita, & per Communitatem Principi, esse intelligēda. Cum neq; Scriptura, neq; Patres, neque Ecclesia incorrupta vnquam mediationem hanc aut intellexerit, aut posuerit, aut commemorauerit, aut etiamnum toleret, vt probaui *lib. 6. c. 2.*

III. Supremam potestatem ciuilem per se spectatam, ait Suarez, *cap. 2. num. 5. 6. 7.* immediate datam esse à DEO hominibus, in ciuitatem, seu perfectam communitatem politicam congregatis: & hoc per naturalem consequutionem, ex vi primæ creationis eius; & sic potestas hæc est in toto corpore Communitatis.] Hoc nullo modo est concedendum, sed omnino negandum: naturalis enim instinctus à DEO naturæ humanæ communicatus, est, vt libenter patiatur & velit

velit regi, & assentiatur huic veritati, necessarium esse vt regatur: quod non est habere à natura, seu per naturam, potestatem rectiuam, vt ostendi *lib. 6. c. 2. num. 19. & seqq.* Et hac in re nonnulli tam Theologi, quam Iurisconsulti plurimum hallucinati sunt, non aduertentes discrimen inter regimen passiuum & actiuum, & in populo iure naturæ solum constitui regimen passiuum, non actiuum; & ex naturali consequutione non sequi, vt quis regat, sed tantummodo vt multitudo regatur. Solam electionem reliquit Deus iure naturæ, vt eligeret populus initio dum liber plene esset, eam formam regiminis, quæ sibi esset ad bonum conducibilior, siue Monarchiam, siue Aristocraticam, siue Democraticam, siue ex his mistam. Sed electa persona in Monarchia, vel personis Aristocratia, vel Magistratibus in Democratia, tunc DEVS immediatè dat illi, vel eis potestatem rectiuam, quæ vbicunq; & in quocunque sit legitime, à DEO semper immediaté est, vt explico *lib. 6. cap. 2. num. 19 20. 21.* Quod si potestas rectiua esset à DEO, iure naturæ concessa, tunc Democratia sola esset ex diuina immediata institutione, quæ est omnium deterrima regiminis forma: Monarchia vero, & Aristocratia quæ sunt longe meliores, essent immediatè ex humana, non ex diuina institutione, vt ibidem consideraui. Et tamen Suarez *ibid. num. 8.* admittit Democraticum regimen esse immediaté à DEO, quia, *inquit*, non relinquitur aliud subiectum humanum cui dare potuerit.] Ita ne? Igitur si relinquatur aliud subiectum cui DEVS immediatè tribuat rectiuam potestatem, hoc absurdum erit omnino vitandum. Relinquitur porro illud subiectum, quod multitudo elegerit, & designauerit, siue ille Rex sit, siue Senatus, siue magistratus Democraticus: Facta enim per multitudinem hac electione, tunc DEVS immediaté illi, vel illis rectiuam confert potestatem, qua vice DEI immediatè Rector populi populum regat, non vice populi. Sed neque absurdum *ait* esse, si DEVS dicatur Democratiæ solius immediatus institutor, si de naturali sermo sit institutione; absurdum vero tunc tantummodo futurum *ait*, si DEVS positiua sua institutione id efficeret. Nam Monarchiam & Aristocratiam vult pendere à positiua institutione, siue diuina, siue humana: non ita Democratiam.] Et hoc mirum est, quod summam diuinam sapientiam in mundi & generis humani regimine, adeo imperfectam cogamur ponere, vt nescierit incommodum hoc maximum euitare, sed imperfectissimum ipse regimen in terris immediate iure diuino naturali posuerit: Absit à nobis hæc blasphemia: DEVS neque iure naturæ, neque iure positiuo vllam specialem formam regiminis immediatè instituit: neque potestatem actiuam regendi in communi & indeterminaté posuit: sed naturæ humanæ eam vim indidit, vt ipsa regi velit, & formam regiminis eligat: tum verò DEVS semper positiuè, electis per Communitatem personis, sub ea forma, quam sibi opportuniorem multitudo positiué præstituerit, potestatem communicat rectiuam, vt ibidem pluribus sum persequutus. Si enim iure diuino naturali sola Democratia esset instituta, quis ab ea recedere auderet? quis hominum posset licite contra ius diuinum naturale insurgere? Ita igitur est, in libera multitudinis initio liberæ, electione forma Democratica, atque Aristocratica, & Monarchica. Et nulla harum est cum potestate rectiua in actu, nisi post factam hanc electionem, & post tributam eis immediate à DEO potestatem; cui vnicuique legitime electo paratus est semper DEVS eam positiue & in particulari communicare.

IV. Inepte veró potestas rectiua iure naturæ ponitur *ibid. num. 9.* in populo negatiuè, non positiuè; vt sic possit licité fieri transitus à Democratia in alias formas iuris positiui. Si enim multitudo ex natura habet potestatem rectiuam Democraticam, profecto iam positiue est à Deo iure diuino naturali determinata ad illam formam regiminis. Non enim sicut homo liber potest, & frui sua libertate in qua natus est, & vendere se in seruum, & sic fieri alieni iuris; sic potest multitudo vel libera esse in sua Democratia naturali, vel subdere se Aristocratiæ, vel Monarchiæ: quia adhuc in sua illa naturali Democratia non se habet negatiué ad subiectionem, neq; libera est, sed positiuè subiecta est potestati rectiuæ in suis Magistratibus: neque enim est alia & noua subiectio, si transeat in Aristocratiam aut Monarchiam, sed eadem penitus, licet Rectores sint diuersi. Vnica enim & eadem est potestas rectiua quā Deus instituit, siue illa sit in Rege, siue in Senatu, siue in populari Magistratu. Quod si naturaliter in populo iam adest hæc rectiua à DEO data potestas, illi profecto positiué subditus est populus non negatiuè: & quia illum Deus sic subiecit, non licebit ei ab hac subiectione resilire. Sed verum non est ita subiectum esse, nisi postquam formam regiminis elegerit: quod si Democraticam elegerit, tunc tandem Magistratibus popularibus in eorum propriis personis, quamdiu sunt in Magistratu, siue Comitijs, &c. DEVS immediate suam rectiuam potestatem participatiue communicat.

V. Male ergo concludit Suarez *ibid. nu. 10.* cum omnibus suis Theologis, Nullum Regem vel Monarcham habere vel habuisse secundum ordinariam legē immediatè à Deo, vel ex diuina institutione, politicū Principatum, sed mediante humana volūtate, & institutione. A quo enim immediate accipiunt illi, qui Democratice regunt multitudinem, suam rectiuam potestatem; ab eodem illam immediate habet Senatus in Aristocratia, & Rex in Monarchia. At in Democratia negare non potest Suarez *ibid. n. 11. 12.* immediate à Deo esse potestatem rectiuam; & ego probaui id esse positiue, & post electam formam regiminis Democratici; Igitur Monarcha similiter, & Senatus. Electionem vero rectorum vel rectoris, Theologi illi, & Iurisconsulti decepti putauerunt esse potestatis collationem, quod non est verum. Patres vero omnino Theologis istis neotericis sunt cōtrarij: qui licet dominium priuatum priuati hominis in hominem priuatum post peccatum introductum dicant, & hominum voluntate, dominium tamen publicum in regendo humano genere in temporalibus, omnes immediate á DEO recognoscunt, vt ostendi *lib. 6. cap. 2. num. 9. & seqq.* quod etiam ex Scripturis probaui ibidem *nu. 5. & seqq.* Et generale pactum quod ponit Augustinus *confess. l. 3. c. 8.* includit in se ius gentium, vt declaraui *ibid. n. 3.* Leges ciuiles exposui *ibid. n. 25.*

VI. Dei voluntate immediate concedi Rectoribus mundi rectiuam potestatem ideo negat Suarez, *ibid. n. 13.* quia hæc voluntas reuelata non est, nec hominibus nota facta. Quid ergo Paulus, *Non est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates a Deo ordinatæ sunt?* Quid Christus ad Pilatum, *Non haberes potestatem nisi datum esset desuper?* Quid Sapiens; *Data est à Domino potestas robis & virtus ab altissimo?* Quid hæc & alia scripturæ loca quæ protuli? *lib. 6. cap. 2. num. 5. 6. 7. 8.* Cur ad potestatem in genere illa trahamus, si scriptura nunquam id distinxerit, sed sæpius de ipsis singularibus Rectoribus ita loquatur, vt illi ministri sint DEI, & loco DEI regant: & á DEO habere potestatem dicantur, quod quidem & ratio conuincit, & Patres ita intelligunt?

Sed constat, *inquit*, populum mutare formas & transferre suam potestatem ad Reges, Ego tamen nego potestatem transferre populum; mutationes illas potest efficere, per solam personarum vel personæ electionē, quando ab inferiori ad superiorem transit formam regiminis, sponte illis qui iam potestatem habent cedentibus, & in mutationem consentientibus; sed hæc mutatio fieri potest etiam per priuatos sapientes, vt Augustinus censuit, *lib. 1. de lib. arb.* & ego explicaui *lib. 6. cap. 2. nu. 20.* Non ergo qui mutat formam regiminis, defert aut transfert potestatem rectiuam; sed nouas personarum facit vel electiones, vel Deo ita disponente etiam legitimas inductiones, & tunc illis Devs dat immediate potestatem, qua se vel sponte priores abdicauerant, vel eos Devs iusté priuauerat & spoliauerat, vt ibid. explicaui. Nec valet argumentari quasi à simili; vbi maxima est dissimilitudo: *vt ibid. n. 14.* priuata enim rerum dominia, quæ sunt naturæ, & Rectoribus mundi ad disponendum tradita, possunt, imo solent ordinariè à Deo quidem, sed mediatè, non immediate haberi: at vero regimen publicum cum sit solius Dei proprium, quia ipse est suæ Creaturæ Rector & Gubernator à solo Deo immediate committitur, ijs, quos vel multitudo elegerit, vel alij iusti tituli promouerint.

VII. Docui nullum esse discrimen inter applicationem potestatis spiritualis Episcopalis, & presbyteralis, per Electores & ordinatores homines; & potestatis laicæ similiter per homines *lib. 6. cap. 2. num 24.* Vtrobiq; enim homines personas eligunt, & deputant; potestatem tamen totam Deus immediate concedit; & potius homines hominem potestati applicant, quā potestatem homini, vt explicaui *ibid. num. 23.* & hæc voluntaria hominum applicatio non repugnat quo minus immediate à Deo vtraque potestas concedatur. Effugit Suarez; *ibid. n. 15. 16. 17.* Potestatem Ecclesiasticam esse à Christo institutam, non autem laicam & ita vtramque dispositam, vt prior per solam personæ designationem haberetur, in posteriori vero, vltra designationem personæ, etiam ipsa potestas per homines donaretur & conferretur. Exemplum sumit ab aliquo libero qui se in seruum vendat, hæc enim seruitus est iuris duntaxat humani, pendens tamen à libertate naturali quam quisq; habet à Deo, qua potest se vel liberum seruare, vel alterius seruituti subijcere.] Sed ego etiam supra monui, homines singulos, quatenus singulares & priuati sunt, nasci plane liberos: at vero nego societates humanas quoad Rempublicam esse liberas, aut cum primum in vnum coeunt, esse ita liberas, vt in ipsarum potestate sit subdere se, & non subdere publico regimini, sed necessario velint nolint & sane iure diuino naturali, alicui subdi necesse habent, vt docui *lib. 6. c. 2. n. 31. 32.* & ideo hæc subiectio non introducitur iure humano sed diuino; nec procedit à libera populi voluntate, sed necessitate: quia ex natura rei cogitur, velit, nolit, alicui subesse: Quemadmodum ad vitæ sustentationem, vt alimenta sumamus est summe necessitatis; sed vt hoc vel illo ciborum genere vescamur, plerumq; in libertate hominum est sibi sponte pro suo gustu vel sanitate eligentium. Cui itaque subesse velit populus vel inuitus, in ipsius sæpe stat electione: qua facta, Deus rectiuam potestatem statim communicat, etiamsi nullus adesset consensus, nulla efficax voluntas se subijciendi: facta enim libera electione, vbi electio concurrit, & data à Deo immediate electo vel electis rectiua potestate, tunc Deus subijcit Communitatem illam Rectoribus, & sic iure naturæ subijci debet omnis multitudo alicui: sed iure diuino positiuo subijcitur, huic, vel illi, vel illis, licet iure humano hic, vel ille, vel illi ad regimen prius sint designati, vel electi, vel deputati, quam rectiuam iure positiuo diuino acceperint potestatem.

VIII. Cur autem non omnes Reges æqualem habeant in suos subditos potestatem, explicaui *lib. 6. c. 2. nu. 29.* quia nimirum sæpe Monarchia est Democratiæ admista, vel Aristocratiæ: vbi videlicet ex Democratia vel Aristocratia factus est voluntarius transitus in Monarchiam, sed non cum totali suæ Democraticæ vel Aristocraticæ potestatis abdicatione. Atque ex hac reseruatione factum est, vt regna sint non vbique successiua, sed alicubi electiua, vbi nempe maior vel minor facta fuerit reseruatio: vbi tamen non ex libera voluntate & consensu, sed contra inuitos, iusto titulo insurrexerit Monarcha, siue ex iusto bello, siue ex alia rationabili causa, tunc ille habet plenissimam Regiam potestatem, à populo penitus omni ex parte dependentem. Sic Respublica Romana, amissa penitus sua rectiua potestate, pleno iure Imperatoribus subiecta fuit; Nam de Augusto ait Augustinus *de ciuit. Dei l. 3. c. 21.* illum non gloriosam, sed contentiosam, & exitiosam, planeq; tam eneruem ac languidam libertatē Romanis merito extorsisse, vt consideraui *lib. 6. c. 2. n. 20.* & ita plene eos sibi subiecisse.

IX. Quando autem, vt dictum est, voluntarie, vel Democratia, vel Aristocratia transeunt in Monarchiam, vel mistam vel absolutam, tunc non transfertur potestas iure humano: sed fit abdicatio potestatis & Electio noui regiminis: Deo immediate nouo Rectori concedente potestatem rectiuam, à qua se populus vel Proceres abdicarint, siue totam siue partem, prout fuerit maior vel minor abdicatio. Quando autem iniuste quis & per vim ac de facto tantum se Monarcham erigit, si aliquo modo sit vel fiat legitimus Rex, nonquam id erit ex concessione potestatis Regiæ quam ei populus, siue expresse, siue tacite concedat, seu in eum consentiat; sed semper id erit, quia Deus ei potestatem tradit immediate, tunc quando ei videtur esse tradendam, vt explico *lib. 6. c. 10. num. 82. 83.* Non tamen propterea ille liber & tutus manet in conscientia.

X. Grauissima incommoda incurret Rex, si Reges dicantur à populo immediate Regiam accepisse potestatem, vt asserit Suarez, facile enim seditiones, tumultus, & rebelliones excitarentur: quas ego quoq; consideraui *lib. 6. cap. 2. num 36. 37. 38* Negat Suarez, *ibid. num. 2.* quia populus concessa iam Regi potestate, non potest eam repetere: sicut qui se sponte vendidit, non potest se pro suo arbitrio in libertatem vindicare. *Dixit* hoc quidem Suarez: sed non ita alij popularis potestatis defensores & Regum depressores. Sotus enim *de iust. & iur. l. 4. q. 4. art. 1.* reseruationem ponit, vt potestas redeat ad populum, si Rex in Tyrannum mutetur: at quam facile est seditioso populo Tyrannidem obtendere? Bellarminus expresse ait in suis Recognitionibus, populum nunquam ita suam potestatem in Regē transferre, quin illā sibi in habitu retineat, vt in certis casibus etiam actu recipere possit.] Quæ ego consideraui *lib. 6. cap. 2. n. 37.* Hos certos casus Suarez *c. 2. n. 3.* interpretatur, vbi pacta intercesserunt, & conditiones cum aliqua potestatis reseruatione: sed hæc est priuata Interpretatio: Seditiosi eam non admittent, sed dictū Bellarmini interpretabuntur de quocunq; casu, quando ipsis placuerit rebellare: semper enim ostendent causam aliquam contra Regem, quam reducent ad vnum ex casibus, in quibus Bellarminus dixit posse populum suam potestatem resumere. At profecto Deus non exposuit publicam pacem generis humani, populis naturaliter seditiosis, & refractariis, quibus solam electionem & designationem, vt iam exposui, nec

semper

nec semper faciendam cōcessit: sed ipse immediatè tribuit potestatem cuilibet publico Rectori, quam nemo eripossit iure auferre, nisi ille solus, qui eam concessit.

XI. Itaque etiam vbi populus iam in Democratia firmatus sponte transit in Aristocratiam, vel Monarchiam, cum alicuius partis potestatis rectiuæ reseruatione, ex pacto certo & conuento cum Rege, vel Optimatibus; quod fieri non potest, nisi per abdicationem omnimodam illius partis, quam Regem vel Optimates à DEO habere voluerunt, nulla ratione, nullaq; ex causa, etiamsi Rex pactis non staret, potest populus amplius partem illam potestatis, qua se abdicauit, quamque consequenter DEVS iam Regi vel Optimatibus dedit, repetere & reuocare: licet possint iustè partem reseruatam viribus omnibus tueri, & ab vsurpatione etiam contra Regem vindicare: Intacta tamen, & inuiolata manente Regi ea parte potestatis, qua se populus iam semel abdicauit. Illam enim Rex, vel Optimates, non habent à populo, sed immediate à DEO. Et sic seditionibus omnibus ansa eripitur, ne populus putans se esse illius potestatis Dominum & largitorem, nouas moliatur, & publicam pacē turbet & tranquillitatem.

XII. Quod spectat ad Saulem & Dauidem, Rex optime affirmauit, eos à DEO immediate habuisse Regiam potestatem; & non à populo, & ego ostendi *libr.6.cap.2.num.*33.34. non modo potestatem, sed etiam electionem à DEO immediate illos habuisse. De electione concedit Suarez *ibid.num* 5.6. sed de potestate dicit *ibid.nu.*10. ex Scriptura non constare, sed vtrunque posse probabiliter dici: quod mihi videtur à Suarezio valde improbabiliter dictū; quia potestas rectiua in populo iure naturæ non est, vt probaui, est enim populus naturaliter regibilis non rectiuus. Et potestas rectiua non habetur à DEO, nisi iure diuino positiuo, & ex ipsius positiua voluntate: eo prorsus modo, quo Ecclesiastica potestas. Vrget cum Bellarmino, *ex Deut.17. Eligere esse DEI, constituere verò populi*. Sed constituere ibi, & eligere, idem est. DEVS enim ibi præcipit, vt eundem eligat populus in Regem, quem DEVS ipse eligendum esse ostenderit. Sic dicebant Israëlitæ Samueli: Regem constitue super nos, 1.*Reg*.10.18. Num ergo Samuel habebat authoritatem dandi Regiam potestatem? Electionem Regis petunt: cui bene sciunt à DEO dari potestatem. Aut si est aliqua differentia, eligere erit tantum designare; constituere verò erit, designatam personam eligere; Aut eligere erit vere eligere, constituere vero erit, personam electam admittere & ei se submittere; non autem potestatem ei tradere. Quicquid itaque in hoc de Saule & Dauide habet Scriptura, id totum ad solam personæ electionem spectat, & ad populi consensum in eam, eique factā subiectionem; traditio verò potestatis semper à DEO solo facta intelligitur. Et sortes illæ, tum quibus Saul, tum quibus Matthias est electus, *ibid.num* 9. vere & proprie demonstrant, electiones illas esse immediatè à DEO: Sicut igitur Matthias electus est per sortes immediate à DEO ad Apostolatum: Ita Saul ad regnum. Electio, fateor, non dat aut Apostolatum, aut Regnum, neque sortes conuincunt, potestatem esse immediate à DEO. Sed potestas vtraque immediate datur à DEO, cum primum legitima facta est electio; & sic Matthias & Saul habuerunt immediate à DEO per sortes suam electionem; consequenter verò etiam potestatem; Igitur non modo à DEO immediate habuerunt potestatem, quod semper omnibus contingit; sed etiam electionem; quod omnibus non contingit. Merito itaque reprehendit Rex Bellarminum, quod Saulem Dauidem dixerit habuisse regni potestatem ex subseq̄uēti ipsius consensu; quem consensum pro Saule ponit Bellarminus in electione, cum tamen electio quoq; ipsius per sortes fuerit immediate à DEO.

XIII. Sed non sequitur hinc (inquit Suarez) *ibid. num.*10. tametsi Saul & Dauid, & aliquis alius immediate fuerint à DEO Reges facti ex priuilegio, omnes propterea à DEO fieri. Sed neq; Rex quoad electionem id contendit; neque Saulem vel Dauidem ipse induxit, sed à Bellarmino inductos considerauit, & contra Bellarminum Saulem in primis direxit, in cuius inauguratione populus nihil sui habuerit, præter assensum quendam, & actu factam subiectionem. Et ex Saule ac Dauide satis fuit Regi ostendere, populum nō dare Regibus Regiam potestatem: Nullis vnquam opinor, (*inquit Rex*) Scripturæ testimoniis euicerit Bellarminus, Israëlitarum iudicio fuisse permissum Saulem ac Dauidem iam inunctos, & in publicum à Propheta productos, Reges admittere, vel repudiare.] Argumentum sane validissimum, ad ostendendum, in manibus populi non esse regiam potestatem. Cur enim DEVS immediate facit hos Reges, & non populo relinquit, vt ipse regiam potestatem tribuat cui velit, saluo iure positiuo, ne in exteros eam potestatem conferrent? Non ergo opus habet reuelatione peculiari Rex, qua pateat se suosque progenitores à DEO esse in Reges constitutos: satis enim ei est lex communis diuina, tum naturalis, quæ Rectores necessario postulat, tum positiua, qua Rectoribus rite Electis, rectiua conceditur potestas: Atque interim ex inauguratione Saulis & Dauidis colligit, populum potestatem regiam non concedere, sed DEVM; quod nos etiam exposuimus *libr.6.cap.2.num* 7.8.

XIV. Scriptura & Patres Reges faciunt ministros DEI, & à DEO habentes potestatem: Hoc Suarez *ibid. num.*11.12. subterfugere satagit per mediati & immediati distinctionem: nempe, vt populus potestatem habeat immediate à DEO, Rex à populo. Ergo secundum Suarez Paulus illis verbis; *Rom.*13. *DEI minister est*; hoc voluit: Vos populus (qui immediate à DEO potestatem summam accepistis) estis minister DEI; Rex autem, in quem vos hanc transtulistis potestatem, est minister vester immediate, & non DEI, nisi mediate, & reductiue. Atque ita Rex minister est DEI, quatenus minister est ministrorū DEI. O tortuosum Sotiten. Si hoc voluit Paulus, cur non potius aperte, ac sine ambage dixit, vester minister est vobis in bonum? Certe bis ibi vocat ministrum DEI, non simul populi. Deinde si daretur huiusmodi reductio potestatis ad DEVM, non nisi per radicationem eiusdem potestatis primitiuam in populo, improprie dixisset Paulus; *Omnis anima*; (hoc est. vniuersa multitudo) *potestatibus sublimioribus subdita sit*: Potius docendus erat Paulus ita loqui: Sublimiores potestates (hoc est, Principes) omni animæ (hoc est, vniuersæ multitudini) sint subditæ: hoc est, agnoscant, vnde suam immediate acceperint sublimitatem: nempe, non à DEO, sed à multitudine, cui hanc primario cōcessit DEVS. Si Papa concedat Legato suo à latere potestatem conferendi Episcopatus, Abbatias, & Beneficia, ac dignitates Ecclesiasticas totius regni suæ Legationis, cui ipsi placuerit, profecto Episcopus à Legato factus, Episcopatum habuit absolute à Legato, & absolute non habuit ipsum à Papa: licet Legatus potestatem habuerit faciendi Episcopos à Papa: & quid quis habet ab aliquo, quod mediate, & reductiue non sit à DEO? Et tamen, qui beneficium accipit, illud suo debet immediate benefactori, & non illi superiori, à quo ille benefactor habuit facultatem aliis benefaciendi: & omnis effectus debetur suæ immediatæ tanquam causæ secundæ, & particulari; remotio-

motiori vero causæ non debetur vt causæ particulari, sed vt causæ primæ & vniuersali. Denique cum iam probauerim, populum iure naturæ esse regibilem, non rectiuum, sequitur, naturalem illam consecutionem nullo modo esse admittendam: & falsum esse, populum esse subiectum, cui primario iure naturæ competat rectiua potestas: Hæc enim sola voluntate positiua à Deo datur hominibus: Electio tamen, vt plurimum, & sane iure naturæ permittitur hominibus. Igitur & Scriptura & Patres eodem modo loquuntur, & ita sunt intelligendi: Neque in hoc est discrimen vllum inter potestatem laicam, & Ecclesiasticam: vt electio personarum sit humana; potestas tamen electis immediatè à Deo concedatur.

XV. Non placet Suarezio *ibid. num.* 13. hæc æquiparatio: Assignet ergo nobis discrimen. Monarchia, *inquit*, Pontificia est à Deo instituta, nec mutari potest; Modi verò temporalis regiminis non ita. Monarchia tamen hæc est tantum Hieromonarchicorum somnium, *vt primis quatuor libris* probaui. Deinde hoc nihil ad rem. Abstrahamus nunc potestatem vtramque in genere à specialibus modis, quibus illa exercetur. Et de hac quærimus, à quo sit immediatè. Sit liberum hominibus variare modum, sed potestatem quis concedit? Sane, qui Ecclesiasticam concedit, siue mediatè, siue immediatè, ille etiam eodem modo laicam concedit. Vnus enim & idem Devs vtriusque author est potestatis. Deinde, *inquit*, spiritualis potestas nunquam fuit in communitate totius Ecclesiæ, quia eam Christvs non contulit corpori, sed capiti, vicario suo; Ideo non potest Ecclesia in electione Pontificis concurrere, tanquam dans potestatem, sed tanquam personam designans. Secus est in communitate laica.] Hic homo multa dicit, sed nihil probat. Cur de solo Papa loquitur? an sola potestas Ecclesiæ est Papalis, nulla Episcopalis, nulla Presbyteralis? quam audax illa assertio, Christvs non dedit potestatem Ecclesiæ, id est, corpori, sed capiti: Biceps ergo est Ecclesia, immane monstrum, vt docui *lib.* I. passim, & *lib. IV*. Quid est aliud, *Dic Ecclesiæ, & quæcunq; alligaueritis, &c. Matth.* 18. 18. Et cur Patres dicunt, claues datas fuisse Ecclesiæ in Petro? Ista sua ad Papæ palatum cocta malè olentia fercula imponat quæso Suarez mensæ Doctorum Parisiensium: videbit quam fastidita in gulam reiicientur. Quam audax verò hic coquus, qui hanc tam insipidam crambem toties recoctam haud obesis Anglorum naribus admouet, imo elimatissimo Regis iudicio obtrudit. Num censebat ea, quæ apud Pontificios ipsos adhuc summopere controuersa & cruda manent, ab aduersariis sani cibi instar deuoranda, imo admittenda tanquam fundamentalia ad ipsorum argumenta dissoluenda? Nihil sapit, qui eos ita parum sapere sperat. Illa verò vtriusque potestatis, quoad finem, & immediatam deriuationem æquiparatio est perfectissima: & hoc respectu nihil in Ecclesiastica potestate imaginari poterit Suarez, quod in laica quoque statim non obseruetur, vt ego contra Bellarminum satis ostendi, *libr. VI. cap.* 2. *num.* 38. 39. 40.

XVI. Potestates ciuiles esse inter Christianos, & earum vsum esse legitimum, est veritas Catholica; & contrarium asserere est hæresis; vt bene probat Suarez *cap.* 4. Ita vt Christiani subesse teneantur legitimis potestatibus, etiamsi regimen hoc & potestas sit penes Ethnicos & fideles: Devs enim potestatem hanc non solis tradit suis fidelibus, sed etiam infidelibus: ad regimen namque ciuile & temporale, iuxta lumen naturæ, potissimum hæc potestas traditur, non ad spirituale, ostitute religionis, vt explicaui *libr. VI. cap.* 5. Cum itaq; etiam gentibus potestatem rectiuam Devs immediatè tradat, etiam in Christianos, sibi iure diuino naturali, eo quod homines sunt, subiectos, plenissimè eis in ciuilibus parendum est, nihil minus, quàm si essent Christiani: sunt enim æque ac illi Dei Vicarii in terris; Nō enim qua fideles, sed qua homines, capaces sunt omnes, nisi vsu rationis penitus sint pro semper destituti, huius potestatis à Deo accipiendæ, si iusto titulo accedant, etiam liberæ electionis: Nam licet malè facerent Christiani, si societati suæ, quæ vel tota, vel ex maiori & saniori parte Christiana esset, Ethnicum in Principem eligerent, factum tamen teneret: quia capax est, & Devs potestatem hanc Ethnicis quoque concedit. Et verè ac Theologicè Suarez asserit, *ibid. num.* 7. si Regnum Christianum sub Christiano Rege gubernatum ex aliquo humano casu, puta per legitimam successionem ad hominem infidelem & gentilem (igitur etiam hæreticum) deuolueretur, tunc fidem subditorum impedire non posse illum ab acquisitione dominii. Qua in parte iustissimam Anglorum æquitatem & agnoscere, & suspicere debemus: qui cum se iam à Papali iugo liberassent, & sub Rege Edouardo sexto reformatam essent amplexi religionem, post mortem tamen Edouardi, eius sorori Mariæ, quam prorsus Pontificiam, Papæque partibus addictissimam prope sciebant, diadema tradiderunt. Quam quidem successionem admiserunt non Proceres modo, sed etiam ipsi Prælati Ecclesiastici, qui carnificinam ab ea, & martyria expectabant. Sciebant enim, religionem non posse nec debere impedire, ne legitimus hæres ad sceptrum suum admittatur, omnique ciuili obedientia colatur.

XVII. Aliqua tamē in hoc capite dicit Suarez *ibid. num.* 5. quæ mihi non videntur admittenda. Primum est, Principem gentilem cum suo principatu eadem ratione manere, si subditi ipsius fiant Christiani, qua Paulus ait, coniugem fidelem debere retinere suum cōiugem infidelem, quando alter illorum ad fidem conuertitur; quia matrimonium illud consistit, *inquit*, iure naturæ. Hanc inquam similitudinem non admitto, quia vt ostendi *lib V. cap.* 11. *num.* 7. Coniux ad fidem conuersus, altero in infidelitate manente, potest pro suo libito dimittere infidelem, quod etiam vult Augustinus, *de adult. coniug. libr.* 1. *c.* 13. quamuis ex Pauli consilio possit etiam eum retinere. Itaque aliud est vinculum inter Regnum & Regem, iure diuino & naturali & positiuo; aliud & hac in parte longè debilius inter cōiuges. Deinde non approbo exceptionem quandam, *ibid. nu.* 7 quæ sic habet: si incommoda probabiliter timerentur, & vitari non possent, nisi vel non ferēdo, vel non acceptando talem Principem, ius & potestas ad id faciendū non deest Ecclesiæ; & citat Thomam: sed vterque hallucinantur. Potestas enim Regia, vt hactenus probaui, in Rege & in quocunque ciuili rectore iure diuino positiuo residet. Immediatè enim à Deo positiua ipsius voluntate istis tribuitur, nō est ergo alius præter Deum qui possit iure eis illam auferre: & Ecclesiæ super ius diuinum, siue naturale, siue positiuum, perpetuum præsertim, & vniuersale, nulla est concessa potestas. *Roman.* 13. *&c.* Estque exceptio hæc seditiosa, scandalosa, iustæ in Christianos persecutionis adductiua, falsa, & diuinæ Scripturæ contraria. Tum verò etiam non approbo, quod ait *ibid. num.* 8. Ecclesiam habere potestatem directam in Principes hæreticos, vel infideles, qui fuerint baptizati, ad eos puniendos. Videtur enim intelligere de potestate eos abdicandi, ac regno priuandi, quod est falsissimū, vt probaui *lib. VI. c.* 10. & inferius iterum cōmemorabo. Potestas enim Ecclesiæ directa non est, nisi spiritualis, & circa spiritualia, vt docui *lib. V. cap.* 1. 2. 3. In-

directam

directam verò in temporalia nullam habet, vt ostendi *lib. VI. cap.* 10. Et baptismus non subiicit hominem Ecclesiæ in vlla re naturali & tẽporali. Atq; hîc rursus abutitur Suarez *ibid. nu.* 9. loco Pauli, de coniugio infidelium, quorum alter ad fidem conuertatur. Nam iure diuino positiuo Paulo reuelato, per talem conuersionem matrimonium ipso facto, etiamsi fideli nullũ adsit periculum, & ita velit ipse, est solutum. Sed ex priuilegiata, & reuelata solutione vnius vinculi, diuino iure, vel naturali, vel positiuo & vniuersali astricti, non licet aliorum vinculorum solutionẽ inferre; hæ enim solutiones, quæ à solo Deo fieri possunt legitimè, nisi speciali reuelatione à DEO notificentur, locum non habent, vt explicaui etiam *lib. VI. cap.* 10. *nu.* 75.

XVIII. Accedit paulatim Suarez *cap.* 5. ad potestatem Ecclesiæ, id est, Papalem erga Principes, & temporalia. Atq; imprimis concedit (vt facit etiam Bellarminus) imo & optimis fundamentis & authoritatibus probat, supremos Principes nullum in terris habere hominẽ, qui ipsis in temporalibus directè sit quacunque potestate superior, & id rectè quidem.

XIX. Iam verò parallelam huic supremæ ciuili potestati in temporalibus constituere conatur *cap.* 6. potestatẽ Ecclesiasticam supremam in spiritualibus: & succenset primum Marsilio de Padua, deinde Henrico octauo, tum vero etiam Serenissimo Iacobo, quod negent illi, supremum Principẽ ciuilem cuiquam subesse in terris, non modo in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, quoad potestatem Ecclesiasticam iurisdictionis. Sed si bene perciperet Suarez, quæ sit potestas iurisdictionis in Ecclesia, & quæ non sit: quid similiter sibi assumant Reges Angliæ, quid non assumant: quid Principibus tribuat Marsilius, quid nõ tribuat, nullam haberet occasionem succensendi, aut reprehendendi, aut disserendi in hoc genere. Si meliores non inueniat magistros, dignetur saltẽ *tria prima capita quinti nostri libri* perlustrare. Præcipue quæ spectant ad distinguendam potestatem Ordinis & Iurisdictionis: ipsius enim distinctio (quæ est communis scholasticorũ) cum veritate stare non potest: Nulla siquidem est vera potestas Ecclesiastica, quæ videlicet directè ac primario operatur ministraliter effectus internos animæ, in ordine ad æternã salutem, quæ non sit potestas ordinis, ab ordine sacro dependens (excepta forte potestate baptizandi, quæ & cum ordine sacro, & sine ipso ex causa exerceri potest, ita vt semper eam sacer ordo secum & ex æquo ferat. Inueniet etiam, nullã esse distinctionẽ fori interni pœnitentiæ; & externi Ecclesiastici: sunt enim eædem claues, tam in secreto, quàm in publico & parenti foro Ecclesiæ vtrunque enim est externum duntaxat & Ecclesiasticum: nam in pœnitẽtia interna, quæ coram solo Deo peragitur, Ecclesia nihil sui habet, vt docui *lib. V. cap.* 7. Eædem enim claues pœnitentem secreto ligant & soluunt, quæ publice peccatorem excommunicant & reconciliant. Atque harum clauium vsum sine sacro ordine Episcopali, vel presbyterali, nemo habet. Est tamen præterea regimen quoddam Ecclesiæ externum, cum externa quadã iurisdictione, quod & sine vsu clauium, & sine sacro ordine potest cõmode exerceri, vbi directè & immediate non intenditur, effectus internus spiritualis, sed solus externus externæ dũtaxat disciplinæ, quod *lib. V. cap.* 3. explicaui, sine coactione tamen, ac vera & propria forensi iurisdictione, vt manifestũ reddidi *toto cap.* 2. *eiusdem quinti libri*: quo spectant pœnæ aliquæ, quæ passim, licet nomine censurarum vocentur, veræ tamen censuræ non sunt, nec operantur directè in animam, sed sunt meræ pœnæ externæ, quæ neque à clauibus, neque ab ordine pendent, de quibus egi *lib. V. cap.* 9. *nu.* 6. *& deinceps.*

XX. Potestatem itaque illam, quæ est propriè Ecclesiastica, & ad interna, pendetque ab ordine, & à clauibus; siue ea vocetur ordinis duntaxat, vt ego eam voco, siue etiam Iurisdictionis, vt aliquas ex his potestatibus vocant scholastici, nemo mente & fide sanus negat Ecclesiæ, aut tribuit laicis: Et tali potestati subiiciunt se omnes Reges Christiani, nec quisquam eorum illam aut sibi vsurpat, aut ab illa se subtrahit: quia est solius Ecclesiæ ita propria, vt non nisi legitimi Ecclesiæ ministri exercere illam possint. Ea verò consistit in prædicando & tractando verbo Dei, in ministris ordinandis, in vsu legitimo clauium, & ligandi & soluendi, & in administratione Sacramentorum. Reliqua omnia, quæ ad solum externum regimen Ecclesiæ spectant, ita ad ministrorum Ecclesiasticorum potestatem pertinent, vt suam in illis quoque Reges supremam habeant potestatem: & hoc ex officio ipsorum proprio, vt fuse probaui *lib. VI. cap.* 5. vt est intimare & cogere Concilia, mouere, & si opus sit, cogere etiam ministros Ecclesiæ, vt hæreses detegant, & sana doctrina comprimant, & Ecclesiæ inuigilent; sacrorum canonum obseruantiæ insistere, simonias comprimere, vt verbi sani non desit abundantia suis subditis procurare, exorbitantes ministros punire, ac coercere, bonorum temporalium Ecclesiasticorum vt bene administrentur, curã gerere, iudicia vltima circa hæc omnia ferre, electioni bonorum ministrorum inuigilare, cultum diuinum externum promouere, etiam præscribere; & generaliter rebus omnibus Ecclesiasticis superintendere; in qua superintendentia supremum locum in suis ditionibus Reges habent. Hæc enim omnia sunt externa duntaxat, in quibus Ecclesia supremam non habet potestatem, aut iurisdictionem: imò nullam coactiuam; directionem aliquam potest habere, sed executionem per vim nullam habet, eam solus Princeps ciuilis habet.

XXI. Quicquid igitur affert Suarez *toto cap.* 6. *tertij libri*, & quicquid vlterius siue ipse, siue quiuis alius afferre potest, nihil aliud probat, nisi veram Ecclesiasticam potestatem, quæ sit ad interna, & ab ordine, missione, & clauibus propriè pendeat, laicis Principibus non conuenire, sed solis Ecclesiæ sacris ministris. Atque in his quidem, non ex ratione sacrificii & Sacerdotii, quod iam nullum est, verum in Ecclesia, neque ratione Ecclesiasticæ hierarchiæ, *vt vult ibid. num.* 5. sed ratione duntaxat missionis & Apostolicæ successionis, vt docui *libr.* 2. *passim.* Sed hanc potestatem habere rationem veræ & propriè dictæ iurisdictionis, hoc est, coactionis, *vt tradit ibid. numer.* 6. est perquam falsum: vt probaui *libr. V. capit.* 2. Sine tali enim iurisdictione Christianus populus potest in ordine ad salutem animæ conuenienter gubernari. Imò vis & coactio penitus est contraria tali spirituali gubernationi: quia Deus à nobis liberum, non coactum exigit seruitium, vt ibidem probaui cum Chrysostomo. Sitne verò hæc potestas in ministris Monarchicè, an Aristocraticè, an Democraticè, ad inferiora ad se tractanda differt Suarez *ibid. nu.* 9. 10. 11. Interim tamen per æquiparationem vult in Ecclesia esse Hieromonarchiam, quam Rex admittere noluerat, & merito. Eam ego coruis proieci *lib.* 1. *& lib.* 4. Et hoc loco æquiparatio hæc tota est extra rẽ: potestatem enim laicam supremam iam posuerat Suarez in ciuilibus, in vnoquoque supremo gubernatore, cuiuscumque formæ fuerit Respublica: sed vnum supremum gubernatorem in toto mundo non posuit: imò fatetur, hoc esse ferme impossibile. Cur ergo trahit nos ad Hieromonarchiam Papæ? Si quid potest in hoc genere, conetur postea: conatus profectò eius irritos reddemus. Interim sciat, tam impossibile esse vnum

Episco-

Episcopum vniuersalem Ecclesiam gubernare, quam vnicum Regem totum humanum genus regere. Ideo neque politiam generis humani, neque Ecclesiam ab vno Monarcha homine gubernari, sed à pluribus. Et sicut singulæ Respublicæ ciuiles, singulos habent supremos gubernatores ab aliis in suo regimine indepēdentes; ita etiam singulæ particulares Ecclesiæ habent suum peculiarem ministrum, vel ministros, qui independenter à quocunq; alio ministro, eas regant, quod ego *libr.2. & 3.* fuse demonstraui, quoad ius diuinum, iure Ecclesiastico admissi hierarchiam.

XXII. Christvm Vicario non egere, sed adhuc totum capitis Ecclesiæ officium per spiritum suum exercere, satis probaui *libr.I.cap.4.* Ad externa vero; Vicarios ipsius esse omnes ministros ex æquo, ostendi *libr.II.cap.6.* Et Rex Serenissimus quoad officium Capitis optimè dixit, Christvm per spiritum suum plenè supplere: quoad exercitia tamen ministerialia, non excludit Rex necessitatem ministrorum; qui omnes simul & in solidum, vt loquitur Cyprianus, regunt Ecclesiam ministerialiter. Se verò vocat Rex Vicarium Dei, non Christi, nisi ratione diuinitatis. Quia alia ratione Devs vult habere in terris Vicarios suos ad regimen temporale, qui etiam sint vera Capita: & non in propriè spiritualibus: alia vero ratione Christvs homo Ecclesiam suam regit adhuc, vt homo, opera suorum ministrorum, seruata sibi Capitis dignitate, & ea nulli communicata, vt explicaui tum *libro I. mei Operis huius, cap.1.* tum etiam *libr.V.cap.2.num.1.& 2.* Viget verò, distinctam debere esse potestatem spiritualem à temporali: ac sane distinctionem inter potestatem spiritualem proprie, & temporalem, nemo ei negabit: & potestatem vere spiritualem, nemo Regum Christianorum ad se pertinere dicet. Frustra ergo hæc longa nectit stamina Suarez *toto cap.6.* à quo vt me breui expediam, sat fuerit ei, vbi dicta ipsius id postulant, meas disputationes opponere, in quibus nempe soluitur, quod ipse obiicit. Itaque iis, quæ habet *nu.15.* oppono, quæ ego trado *lib.I. cap 6.nu.39.41.& cap 9.nu.8.& 19.* Iis quæ habet *nu.16.* oppono mea *libr.V.cap.2.num.40.& seqq.* Iis quæ habet *num.18.* de Marsilio, oppono mea *libr. II.cap.6.toto.* Iis quæ habet *num.19.* oppono mea *libr.V.cap.2.numer.5. & sequentibus.*

XXIII. Primatum Regis in spiritualibus & temporalibus impugnare aggreditur Suarez *capit.7.8 & 9.* Antequam autem vlterius progrediatur, rogo, ne vim faciat in verbo illo, *spiritualem*, sed intelligat, in quo sensu illud Rex, & Anglia sumant, & nouerit in iuramentis Anglice conceptis Regem esse supremum Gubernatorem suorum Regnorū, tam in ciuilibus, quam in Ecclesiasticis. Itaque res spirituales, intelliguntur Ecclesiasticæ. quæ tamen ad externum regimen spectant, vt iam toties explicaui. Sensum bonum & Catholicum Primatus Regii in spiritualibus & temporalibus, hoc est, in ciuilibus & Ecclesiasticis bene percipere potuit Suarez, si Regis Serenissimi scripta pio & syncero perlegisset animo: plane enim perspexisset, proprie dictam spiritualem potestatem Regem iustissimum & piissimum sibi non arrogare. Ea ego inferius ob oculos ipsi subiiciam. Quicquid ergo elaborat Suarez *suis 7.8.& 9.capit. libr.* de spirituali potestate, nihil ad rem faciunt in controuersia cum Rege & Anglia. Quæ enim veram potestatem spiritualem attingunt, ea Rex intacta relinquit Ecclesiæ, iisque se subiicit. Externa tamen Ecclesiæ si Regi tollere cupit, destruat fundamenta Regis, quæ ego pluribus explicaui locis iam citatis: & bene distinguat veram Ecclesiasticam ipsius propriam in spiritualibus potestatem, ab externo Ecclesiæ regimine, in quo supremum locum tenet supremus in temporalibus & externis Princeps. Ea enim iure diuino & naturali & positiuo cum potestate regia sunt necessario connexa, ita vt infidelis etiam Princeps tali, si velit, & sciat, possit legitimè vti potestate. Turcicos ego Magistratus in mea diœcesi Spalatensi, quæ ex maxima parte Turcis subest, expertus sum inuigilantes super Christianos subditos; ac præsertim Ecclesiasticos ministros, vt leges proprias in religione, & rebus spiritualibus externi diuini cultus exacte seruarent. Distinguat ergo Suarez veram spiritualem potestatem, à laica potestate, vt ego eas plene discreui ac separaui, *libr.VI. capit.3.* Et ita summa pax erit inter Sacerdotium & Regnum: iam enim Catholicus quisque sponte fatebitur; eas, sicuti in se, & sua natura propria sunt diuersæ, ita etiam in diuersis esse subiectis, ita vt cui altera rite conceditur, ei altera nequaquam ex vlla consequentia concessa esse putetur: nisi ex accidenti vni vtraque seorsim concedatur. Sic igitur fatemur, cum primum legitimus fit Ecclesiæ minister, solam spiritualem eum accipere potestatem; & nullam temporalem externam, saltem supremam, & independentem à supremo illius ditionis laico Principe. Et cum primum fit Rex, vel alius supremus ciuilis Rector, eum solam quidem, sed tamen omnem externam accipere potestatem; etiam in Ecclesias & Ecclesiasticos; quia omnia externa ei subiiciuntur, Ecclesiastica quoque, si non soli, certe tanquam supremo, à quo vltimo dependeant, qui externa etiam in Ecclesiis gubernat: vera tamen spiritualia, quæ ad interna tantum spectant, ab illorum potestate sunt penitus remota, nisi ex accidenti, Rex manens Rex, fieret etiam Episcopus, sicut solet nonnunquam Episcopus esse etiam in temporalibus Princeps; quæ sunt per accidens, & vitari debent, vt ostendo, *libr. VI. cap.9.*

XXIV. Custodem tamen vtriusque tabulæ se merito Rex vocauit, non quod veram spiritualem adinterna potestatem sibi arroget, sed quod omnium externorum, etiam in Ecclesiastico regimine, se supremum & iudicem agnoscat, & gubernatorem: & hoc egregiè paucissimis verbis ex vtroque testamento confirmauit: verba ipsius ad finē Apologiæ, quam sua Maiestas perscripsit, non sunt omittenda: *Denique illud mihi, inquit, compertum est ex verbo* Dei *(quod verbum certa sit oportet, & indubitata amussis omnia explorandi, grauiora præsertim fidei dogmata) ex verbo, inquam,* Dei *mihi compertum est, & defendi melius posse, & defensum semper iri, Regum primatum munus esse eorum proprium, intra fines suos atque ditiones; quam ille, Bellarminus, suam defendet Regum Regiiq; iuris imminutionem, cum verbis contemptus & irreuerentiæ plenis, quibus in eos vtitur; semper quidem satis licenter, sed nominatim & in voluminibus illis prioribus atque maioribus, & in nuper editis suis contra Venetos libellis. Sub veteri testamento Reges haud dubiè gubernatores erāt Ecclesię intra fines suos: corruptelas purgauere; abusus sustulere: arcam ad cōstitutum quietis locum perduxere: arcæ deportandæ ipsi præsultauere: templum ædificauere: ædificatum dedicauere, & sua præsentia opus consecrationis cohonestarunt: librum Legis è tenebris erutum populo recitari fecerunt: fœdus inter* Devm *populumque redintegrarunt: confregere serpentem æneum, quamuis, & deserto* Dei *mandato erectum, &* Christvm *Dominum suum suo modo figurantem: Idola omnia* Deo *sq; falsos exterminauêre: reformationes publicas instituêre, conuocatis eo fine & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis: exauthorauerunt*

sum-

summum Pontificem, aliumque in eius locum subrogauerunt. In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticū regimen quoquo modo pertinuerunt. Nec verò tituli & notæ, quibus insigniuntur, honorariæ, ab his eorum actionibus discordant; vocantur enim Filii altissimi, imò verò Dii & vncti Domini, in DEI solio sedentes, famuli DEI; imò Angeli DEI, facti iuxta cor DEI, Lumina Israëlis, Nutricii Ecclesiæ: cum innumeris ex eodem genere titulis atque insignibus honorariis, quibus & vetus vbique scatet testamentum, & aduersarius ignorationem nullam potest obtendere. Quid in nouo testamento? Omnis anima iis subiici iubetur, idque propter conscientiam. Orandum quidem & pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & in authoritate constitutis, vt sub iis, piam & pacatam, honestamque vitam degamus. Magistratus DEI administer est, ad vlciscendos facinorosos; innocẽtes autem atque probos remunerandos. Omnibus quidem obtemperãdum est superioribus potestatibus; sed potissimum Principibus & in eminentia collocatis. Reddite vnicuique quod suum est: Timorem cui timor, amorem cui amor iure debetur. Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, DEO quæ DEI sunt. Regnum meum non est huius mundi. Quis me constituit Iudicẽ super vos? Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic. Vtrum autem hæ sententiæ, hi tituli, hæ prærogatiuæ, cum aliis infinitis eiusdem notæ, tum veteri, tum nouo testamento comprehensis, satis magno argumẽto sint Regibus Christianis, ad Ecclesiam iuxta fines suos, non minus quam reliquum populum, gubernandam; vt qui custodes sint vtriusque Tabulæ: non quidẽ nouos articulos fidei condendo (id enim Papæ munus est, vt diximus,) sed efficiendo, vt DEI verbo publicè obtemperetur; Religionem repurgando iuxta diuinam voluntatem in sacris literis patefactam, & temporalem gladium in beneficium spiritualis potestatis distringendo, abolẽdo corruptelas; Ecclesiasticam authoritatem sanciendo, quæstiones friuolas & schismatum licentiam, vel componendo, vel coërcendo, tollendoque (quod Constantinus factitauit *teste Euseb. l. 3. de vita Constantini,*) denique decorum quoddam tuendo, & leges ac iura præscribendo de Adiaphoris rebus omnibus ordinis gratia, ad quem solum scopum collimat hoc iuramentum Primatus: vtrum, inquã, hoc officium munusq; Regium cum auctoritate consentiat, quam diuinum verbum iis attribuit, an secus, quiuis æquus rerum æstimator iudicet?] Hæc Rex Sapientissimus, et ipsis sacrorum oraculorum penetralibus, & sacratioris Theologiæ penu locupletissimo.

XXV. An non Rex in sua præfatione admittit lubens prima quatuor generalia Concilia tanquam Catholica, & Orthodoxa? Nonne se Regem Occidentalem Patriarchę Occidentali ipsi Romano Pontifici adhæsurum ait, si de Patriarchatibus quæstio moueretur? Non igitur negat, Concilia etiam extra Britanniam ritè & legitimè celebrata, authoritatem habere in rebus fidei, cui Anglicana quoque Ecclesia parẽre teneatur: nec similiter negat, Romani Pontificis Patriarchalem authoritatem ad Ecclesiam etiam Anglicanam se aliquando legitimè extendisse. Rursum verò in Apologia *pagin.* 297. expresse à se remouet officium omne, omnemq; authoritatem ferendi Iudicium circa articulos fidei, quibus se subiicit, non minori cum humilitate & modestia, quam quiuis subditorum, vel infimus.] Quid ergo Suarez & alii insultant Regi sanctissimo, quasi propriam spiritualem potestatem ipsi sibi vsurpet, quod est falsissimum. Nihil enim ille plus sibi tribuit, quam diuina Scriptura Regibus tribuit populi Israëlitici: non enim Pontificiam, sed Regiam: duntaxat, etiam quatenus ad res Ecclesiasticas externas se extendat, sibi cæterisque Regibus (Christianis præsertim,) propriam esse, & censet, & merito profitetur.

XXVI. Nihil habuit Suarez, quod exemplis ex veteri Scriptura à Rege cõmemoratis opponeret: *cap. 9. nu. 8. & seqq.* vellicat tantum ea, quæ Rex ex nouo testamento proferebat, ad sui Regii suprematus confirmationem, ea, *inquit,* nihil habent de spirituali potestate: Habent tamen de Regia: & tam ampla sunt, vt etiam externa Ecclesiæ complectantur. Omnis anima Regi subiicitur, ergo etiam presbyterorum, & Pontificum. Orandum pro Regibus, vt tranquillam vitam sub iis agamus: Ergo tranquillitatem etiam Ecclesiasticam suæ curæ commissam esse intelligit Paulus. Rex minister Dei est, ad vlciscẽdos facinorosos: Ergo etiam Ecclesiasticos. Omnes parere debent Regi, ergo etiam Ecclesiastici. Amor & timor eis debetur, ergo etiam ab Ecclesiasticis. Cæsari reddenda quæ ipsius sunt, ergo ab omnibus etiam Ecclesiasticis. Regnum Christi non est ex hoc mundo, ergo neque regnum Papæ: ergo regna ex mundo sunt Regum. Reges gentium dominantur, etiam in Ecclesiasticis: ergo multo magis Reges Christiani. Ergo omnia hæc testimonia faciunt pro suprematu Regis, & ego passim ea explico suis propriis locis, in meis libris de Republica.

XXVII. Inter articulos fidei Romanæ modernæ verè nuperos, adiectitios spurios, & ab omni vero Catholico reiiciendos, primum & nobilissimum, imò supremum absolute locum tenet Papatus Romanus: quem articulum vt fulciat Suarez, integrum fermè tertium librum insumit: nam nisi articulum hunc bene corroborarit, tunc profecto Rex, & Protestantes, ex abiectione huius præcipui articuli, hæretici non erunt, sed optimi Catholici, longè melius in pura fide fundati quam Romanenses. Expectabam nouas à grauissimo Theologo huius articuli confirmationes, nouas sanctorum authoritates, vel veteres melius explicatas; nouas saltem metaphysicas Suarezianas speculationes, & inauditas subtilitates; arrexeram aures, sed mea me fefellit expectatio; aliorum in hoc genere tractatus redegit in Epitomen, sed eis nihil neruosi de suo addidit, quin potius ademit; Quamplurimi, inquit *cap. 10. num. 2.* Catholici & eruditissimi, in hoc laborarunt; non est operæ pretium omnia transscribere, pauca quædam selectiora & efficaciora ex illis mutuabimur.] Quoniam verò nihil, quod in hoc genere selectum & efficax sit, in illis ego me omisisse arbitror, facili me negotio à Suarezio expediam: meas tantum considerationes iam factas ei applicabo. Placet verò mihi plurimum, quod ingenue fateatur, *ibid. nu. 1.* non posse melius rem hanc ostẽdi, quam ex singulari Christi facto: hic murus ahæneus esto, hic Rhodus, hic saltus. Nam rationes ex generali causa institutionis, si illæ cum facto non conueniant, nihil moror, non enim Christus facere tenebatur, quæ nostrum ingeniolum hominum audaculorum ei facienda fuisse dictauerit, *lib. 1. in proœmio.*

XXVIII. Fundamentum igitur solidum, & vnicum adstruendi Papatus, est ex Christi facto petendũ: Si ille vni soli homini, puta Petro, totam Ecclesiam gubernandam commisit; quem certam etiam habere voluerit in perpetuum, per singulares homines successionem, de Papatu non est ambigendũ. Age igitur Pater Suarez, ego te in rectam adduco semitam, tu obsecro ne deflectas, ne exorbites: rectà gradere. Ostende mihi factum Christi, ita committentis Ecclesiam Petro, vt illam simul cum Petro, & æque nulli alii cõmittat: Alioquin exorbitabis. Faxo, inquis: Petro dictum

esta Christo, ais, *ibid. nu.* 3. *& cap.* 11. *num.* 10. 11. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* An non dicta sunt hæc à Christo Petro, in ipsa persona Petri, dices? Omnino fateor: Christus cum Petro ipso singulari singulariter loquebatur, & promittebat, dum cum Petro solo singulariter loqueretur, se super hanc Petram, ædificaturum Ecclesiam; sed non propterea, quia Christus cum Petro ipso loquebatur, promissio ædificādæ Ecclesiæ Petro, & multo minus Petro soli fiebat. Ostende primum, hanc Petram alium non esse, nisi Petrum, Petrum inquam solum. Super Petram ædificandam esse Ecclesiam audio; sed non audio, *super Petrum.* An non potest in Catholico sensu per hanc Petram intelligi Christus ipse? An non fides, quam Petrus confessus est, contenta in illis verbis, *Tu es Christus filius Dei vivi*? Non ergo Petro promittitur ratio fundamenti, & ita intelligunt & interpretantur non pauci Patres. Sit tamē probabile, etiam Petram illam esse ipsum Petrum: nisi prius interpretationes illas de Christo, & de fide, damnes tanquam hæreticas, tua interpretatio non erit de fide, erit tantum probabilis: at quomodo dogma fidei fundabis in interpretatione dūtaxat probabili? Ecce tibi primum nodum insolubilem, à me declaratum, *lib.* 1. *cap.* 6.

XXIX. Donemus tamen ad tempus Patri Suarez etiam interpretationem, quam ille *cap.* 10. *nu.* 13. sequitur, solā esse veram, Petrum esse illam Petram; iam ergo ostendat constanter, quid sit ædificari Ecclesiam super Petrum: seu quis sensus sit, si dicamus, hic Petrum constitui Ecclesię, stabile & immobile fundamentum. Respondet cum Ambrosio, in his Christi verbis, Petro Regnum dari. Dic quæso, Reuerende Pater, aliquid clarius, omnia ista sunt metaphorica: hoc ne regnum est Papatus? Ambrosius tamen non propter ea verba, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*, dicit Petro regnum dari: sed propter illa alia; *tibi dabo claues regni cœlorum:* quomodo autem per regnum cœlorum, quod Petro dabatur, intelligat Ambrosius Papatum nō video? sed neque tu, bone Pater, vides, & nullus Patrum quos citas, in illis verbis, *Petræ*, & *ædificationis*, facit Petrum Caput, aut Primatem, vt ostendi clare *lib.* 1. *cap.* 6. vbi tamen ego planum reddidi cum Patribus, Petrum dici fundamentū, propter prædicationem Euangelii: quia ipse maxime omnium duodecim Apostolorum erat ædificaturus suis laboribus Ecclesiam Christi, per populorum conuersionem. Et hoc nihil ad Papatum: hoc enim pacto fundamenta fuerunt, teste Paulo & Ioanne, etiam Prophetæ, & reliqui Apostoli: vt ibidem docui. Et hūc ego cum Patribus ibi citatis sensum sequar, non tuum à te solo *ibid. nu.* 14. ingeniose modo excogitatum, de potestate singulari, ad instruendam & regendam Ecclesiam sanctam in fide. Mirum verò quomodo asseras, fundamentum nauis esse gubernatorem, & nauclerum: est quidē nauclerus rector nauis, sed fundamentum ipsius eum nemo præter Patrem Suarez dixerit: Sicut & liberè satis ait, metaphoram hanc ædificationis in alio non posse consistere, nisi in assignanda ei potestate gubernatiua. Et ipsemet statim diffidens huic suæ assertioni, ait, metaphoram hanc posse alios habere sensus, & significationes. Quale ergo est hoc primum Papatus fundamentum?

XXX. Nihilo fœlicius ex clauibus etiam colligit Papatum. Christus, *inquit ibid. nu.* 15. promittens Petro claues, nihil aliud promisit, quam potestatem regendi Ecclesiam. Ego verò iam probaui, *& lib.* 1. *& lib.* 5. *vtrobique cap.* 7. Claues tantum circa peccata occupari: & totam clauium potestatem Petro hic promissam, illis verbis fuisse demum & Petro & omnibus concessam: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c.* Vt & Cyprianus, & Hieronymus, & passim Patres à me ibidem citati explicant. Doceat ergo Suarez, claues Petro hic promissas non fuisse nisi soli Petro datas: Doceat, in clauibus contineri Papatum: sed hæc omnia siccissimo transit pede. Accautè quidem; ne, si in profundum insiliat, summergatur. In verbo tamen *pascendi* paulo plus sistit. Sed nihil profert, quod à me nō sit & discussum, & explicatum, & à Papatu longissimè repulsum *meo toto libro* 1. Et hæc de facto Christi, qui nihil Petro contulit, quod plenissimè reliquis etiam omnibus Apostolis nō contulerit. Solū vnitatis mysterium in facto illo Christi, dum cum solo Petro loquitur, à Suarezio non perceptum, est considerandum, quod ego exposui *libr.* 1. *cap.* 7. *nu.* 17. *& seqq.* Non quod vnitas Ecclesiæ requirat vnitatē Pastoris vniuersalis, quæ est ratio Suarezii Dialectica & Philosophica, *ibid. nu.* 22. in hac tamen Theologia illa est falsissima, & fallacissima: Sed quia Christus loquendo cum solo Petro de rebus totius Ecclesiæ, hoc facto mystice instruebat omnes discipulos, etiam Petrum, illum de vnica Ecclesia fundanda cogitare: vt sic omnes in solidum vni Ecclesiæ fundandæ instarent, & non quisque sibi suam putet extruendam. Et sic vnitas Ecclesiæ non consistet in vno Papa habendo, sed in caritatis vinculo, quo colligati sese omnes Christi operarii ad vnicum opus accingunt, vt ibidem, & alibi sæpe, sed potissimum *lib.* VII. reddo manifestum.

XXXI. Si hoc mysterium vnitatis benè in Patribus obseruare voluisset Suarez *cap.* 1. *nu.* 1. 2. 3. non proprias suas tenebras densissimas lucem clarissimam vocasset: neque lucem Regis clarissimam tenebras esse dixisset; non quæsisset, cur Petrus vocatur Princeps Apostolorum; non obiecisset, ordinem politicum inter Apostolos Christum non instituisse: Nam non politiæ, sed mysterii gratia, voluit solo ordine Petrum esse Collegii Apostolici caput; & sanè mysterii vnitatis, vt Cyprianus, Optatus, Hieronymus, Augustinus, & alii *meo libr.* 1. *capit.* 7. explicant. Præterquam quod aliis etiam nominibus Petrus Primatum aliquē gessit personalem; vt plene exposui *lib.* 1. *cap.* 5. Quis vero non rideat Patrem hunc, tam serio prius Regi irascentem, *ibid. nu.* 4. 5. quod dixerit, Bellarminum in suo illo, *Pasce oues*, intelligere, *tolle, proscribe, abdica Principes*; negantemque ipsos Pontificios scriptores vnquam illis verbis Christi, *Pasce oues.* hunc sensum dedisse: deinde verò ista subdentem, *ibid. nu.* 6. Si autem, quod verum est, sincere testatum cupit, dicimus, inter alia multa, quæ in illis verbis & potestate per ea data, continētur, etiam illud esse, *tolle, proscribe, abdica hæreticos Reges:*] Absit, inquit, ex illis verbis, *pasce*, Papa non habet potestatem directè abdicandi Reges: habet tamen indirectè. Ludunt ergo, & ludendo ac illudendo volunt omnino esse Domini Regū, etiam terrestrium, & regnorum: & quas claues non habent, nisi pro regno cœlorum directe; eas iam volunt indirecte ad regna etiam terrarum pertinere. Hæc ego impugno *libr.* VI. *cap.* 10. Nihil enim inanius, & nihil Regibus Christianis horribilius excogitauere potuerūt isti diuinæ legis contemptores, & Antichristi, aut ministri, aut præcursores, quā istam nouissimam indirectam potestatem. Mirum verò, quod ait Suarez *ibid nu* 8. Horum verborum, *Pasce oues*, non inueniri apud veteres Patres varietatem expositionum: ego tamen *libr.* 1. *cap.* 8. quinque saltem sanctorum Patrum veterum protuli varias expositiones, quarum nulla hunc Petri Primatum, aut ponit aut supponit.

XXXII. Clauium potestatem negare non potuit fuisse etiam omnibus Apostolis concessam: neque aliud, per quod effugeret, habuit, nisi id, quod reliquis iam seruit ad commune & ridiculum effugium: de Pasto-

Pastore ordinario, & cum successione; & delegatis, ac dependentibus. Quod quidem nouum ac pudendum latibulum eis abstuli, & in patibulum sustuli, *lib.1. cap.6.num.49 & lib.2.cap.1. & 5. & libr.5 cap.3.num.*8. Hoc enim recens & informe commentum, non modo nullum habet in scripturis, aut Patribus fundamentum, sed etiam se prodit & scripturis & Patribus penitus cōtrarium. Solum Augustinum exponit *ibid. num.*13. ne sit ei contrarius: quem ego satis luculenter exposui *lib. 1. cap.7. num.*23. 24. 25. vbi hanc Suarezii expositionem totam euerti. Augustinus enim *in Psalm.* 108. in omni actione, cum Petro, quæ sensum illustrem habeat, agnoscit, Petrum esse assumptum à Christo pro figura totius Ecclesiæ. Quando ergo dabantur claues Petro, dabantur Ecclesiæ, quia non dabantur ei, vt Petro, sed Ecclesiæ, cuius ipse erat figura, vt sensit Augustinus. Cuius celeberrimi Patris est optima illa illatio *in Ioan tract.*50. Si Petrus, quando accepit claues, non accipiebat eas vt figura Ecclesiæ, igitur Ecclesia non ligat & soluit per claues. Negat Suarez id sequi; Sed malè negat. Ecclesia enim ligat & soluit clauibus, tanquam suis: ergo, quando datæ sunt Petro, ipsi Ecclesiæ datæ sunt: si enim tunc non fuissent ei datæ, non posset iis vti. Sed iis vtitur, ergo tunc ipsi Ecclesiæ datę sunt in Petro: quia tunc Christus voluit, vt Petrus esset figura Ecclesiæ. At Christus hoc suis verbis non significauit. Augustinus tamen ex mysteriis in Euangelio declaratis id colligit: & nihil habemus in contrarium: & non omnia, quæ Christus mysticè agebat, etiam verbis exprimebat se mysticè agere. Expressit ne verbis, se scribere in terra, quando adulteram absoluit? Facta mystica constant; nos vero mysteria colligimus. Et perperam dicitur à Suarezio, Petrum propter Primatum repræsentasse Ecclesiam: præcessit enim ille quicunque Primatus concessionem, quæ prætenditur, Papatus, & ille Primatus erat personalis, vt docui *lib.1.cap.7.nu.*25.

XXXIII. Claues non fuisse soli Petro datas colligebat Rex ex aliquot Scripturæ locis: videlicet ex eo: *Dic Ecclesiæ, &c. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus: Quæcunque alligaueritis, &c.* Ecclesiæ ergo datur potestas clauium, & omnibus Apostolis simul. Respondet Suarez *cap.11. nu.*14. Pastores esse illam Ecclesiam, non enim potest alterius peccatum cœtui Ecclesiæ denunciari. Cur non? Quando celebrabantur synaxes, tunc fiebant istæ publicę denunciationes & correptiones, atque excommunicationes à toto cœtu simul, vt ego explicaui *libr.5. cap.9.* Sed esto, etiam Ecclesia sint Pastores, Ergo non soli Petro dictum est, vt ipse possit excommunicare, neque soli datæ claues, siquidem dictū est omnibus Pastoribus, *Quæcunque alligaueritis, &c.* Hoc tamen, inquit Suarez, est sine præiudicio singularis potestatis Petri: quia Leo ait, per Petrum communicatam esse aliis hanc potestatem. Plus ne Leone Papæ credendum, an Euangelio? Euangelium dicit, Christum immediatè dixisse suis Apostolis, *Quæcunque alligaueritis, &c.* Quis ergo tam audax, vt dicat, Petrum, & non Christum, hanc aliis discipulis dedisse potestatem; seu Christum, sed per Petrum. Sed & Leo ibi de imitatione Petri loquitur, quem tanquam exemplar charitatis, & æquitatis omnes sequi debeant Episcopi, vt à nobis explicatum est, *lib.2.cap.5.nu.*23.

XXXIV. Colligebat item Rex etiam ex Pauli facto, claues non fuisse soli Petro datas, quia Paulus incestum excommunicauit, & certe propria, non Petri authoritate. Fatetur Suarez *ibid. num.*15. 16. Paulum & Apostolos immediatè à Christo habuisse clauium potestatem, & non à Petro, neque per Petrum. Cur igitur ait, hanc coniecturam esse parui momenti? Cur Regis optimas coniecturas non admittit? Fortasse non negabit, Apostolos habuisse claues immediatè à Christo, negabit tamen Episcopos. Sed nondum disputatur de Episcopis. Petri duntaxat hactenus primatus indagatur. Quando deuenerimus ad Episcopos, inueniemus illos quoque immediatè à Christo suam habere authoritatem, quod Suarez relinquit saltem vt probabile. Sed præsertim Primatui Petri oberant ea, quæ Rex obiecerat, 1. quod fuerit inter cæteros in Concilio, *Act.* 15. 2. quod tam reprehensi illi, qui dicebant, *Ego sum Cephæ*, atque illi, qui dicebant, *Ego sum Pauli*, 1. *Cor.*1. 3. Quod Petrus fuerit à Paulo obiurgatus, *Galat.*2. 4. quod Paulus inuisens Petrum, ad oscula pedum non ceciderit. Ad primum respondet Suarez *ibid. nu.*17. *& seqq.* tum in primo Concilio, *Act.*1. Petrum fuisse primum in proponenda electione Apostoli in locum Iudæ: tum etiam in secundo, *Act.*15. Petrum primum esse locutum. In primo tamen nullum apparere Petri primatum, docui *lib.1.cap 9. nu* 19. Neque *in secundo, ibid. num.*25. Ad secundum respondet, exempli gratia positum nomen Petri & Pauli. Quicquid tamen sit, certum est, Paulum, qui vtitur his exemplis, vidisse nullum esse discrimē dignitatis, & potestatis inter Petrum & Paulum & Apollo. Et de hac contentione ego pluribus ago *lib.1.cap.9.nu.*27. Ad tertium respondet, illam fuisse fraternam correptionem, quæ potest etiam superiori fieri per inferiorem. Ego tamen ex hoc loco conuici æqualitatem saltem inter Paulum & Petrum, *meo libr.1.cap.11.nu.*13. & 21. Ad quartum contendit, Paulū inuisisse Petrum, adeoq; hoc ipso pro superiore agnouisse. Ego tamē contrarium demonstraui *lib.1.c.9.n.*26. Sic itaq; Petri Primatum illum Papatus nullum fuisse hactenus constat, sed merum esse hominū commentū.

XXXV. Iam verò, dato & non concesso, Petrum habuisse talem primatum, non potest probari illum ad Romanos Pontifices transiisse. Sed contendunt Hieromonarchici, quorum in castris militat Suarez, *cap* 12. Primatum hunc si habuerit, Petrum pro se solo nō habuisse, ideoque non oportuisse, vt cum ipsius persona extingueretur, & vrget perpetuitatem Ecclesiæ; & vnius pastoris necessitatem, &c. Ego verò Ecclesiæ perpetuitatem firma fide credo, & vnitatem pastoris Christi, cum multitudine Pastorum sub Christo, & non sub alio summo pastore ministeriali, vt probaui *libr.1 cap.8 n.7. & cap.12.nu.*17.18. Esto autem, hoc nunc etiam dem ei, (sed non concedam,) & Petrum habuisse illum Primatum, & pro se solo non habuisse, sed pro Ecclesia in perpetuum: adhuc & ipse nego, ei in hoc Primatu perpetuo Romanum Pontificem Petro succedere. Quod etiam negaui Bellarmino, pluribusque iam probaui, id non posse ostendi, *lib. 4.cap.1. & cap.6.* Licet igitur iam toties soluta denuo ·ectat, & inculcet Suarez *cap.13. nu.*1.2.3.4. de Ecclesiastica Monarchia, & abutatur Cypriano, trahatq; obtorto collo ea, quę ipse de Ecclesia vniuersali prædicat, ad solam Ecclesiam Romanam; & vnitatem Ecclesię, quam ponit Cyprianus in concordia Episcoporum & cōsensu fidei, ad vnitatem visibilis cuiusdam ficti, & cōmentitii Capitis reducat; & circa successiones Apostolorum, & Petri, quas ego declaraui *libr.2.cap.1.* multa somniet, donemus tamen ei tantisper omnia, vt donauimus Baronio *libr. nostro 4.cap.6.num.*8. & Bellarmino *ibid.num.*10.

XXXVI. Det igitur mihi ex sacra Scriptura, vel ex quacunque alia, quæ sit veræ fidei diuinæ notitia, Petri successores, qui ei in Papatu illo succedant. Satis est, *inquit ibid. numer.*5. vt applicatio, (vt sic dicam) illius institutionis & dignitatis ad talem Episcopatum *Romanum* per euidentem traditionem, & continuum ac notissimum vsum eidem Ecclesiæ sufficientissimè

proponatur.] Iam si Deo placet, etiam humanæ historiæ erunt parentes diuinæ fidei, & altioris speciei prolem generabunt. Si huiusce traditionis dogmaticæ supremæ irrefragabilis originem scrutemur, quis vnquam dixit, se ab Apostolis traditum per manus accepisse, Petrū fuisse Romæ, & Romæ mortuum? Hoc certè ex solis humanis historiis habetur: & quid consensus continuus & notissimus habet, nisi Petrum Romæ martyrio fuisse coronatum? & quis vnquam, etiam ex Patribus ac Ecclesiasticis historicis, dixit, Romanum Pontificem Petro in Papatu vniuersali successisse? Vix aliquis per prima quatuor sæcula id cogitauit; & si quis postea Romanum Episcopum fecit Petri successorem, ad summum in solo Episcopatu Romano fecit successorem. Postea tamen Papatum Romani Pontifices ex proprio tantum cerebro ad Petrum reduxerunt, postquam ipsum Papatum humana consilia pepererunt. Hæc omnia clarissimè ostendimus *dicto cap.6.libr.4.* Neque enim quicquam noui affert noster recoctor Suarez, quod non prius in Bellarmini olla bullierit, imo in Bellarmini ore præmansum fuerit: à nobis autem loco prædicto eiectum, & exquilinis vulturibus in escam datum. Sane mortuo Petro Parisienses volunt Papalem potestatem in ipsa Ecclesiæ communitate remansisse, tanquam in proprio subiecto; vt illa sibi Papam constituat, & ei potestatem tradat; neque volunt Romanum Episcopum succedere Petro in vniuersali Pontificatu vi successionis; vt ostendi *libr.4.cap.7.num.4.* Expediat se prius ab illis Suarez, postea suam hanc vrgeat successionem. Sed inter ipsum & illos erit pugna Andabatarum. Papatus enim neque habet in Ecclesia successorem, nec certè in Petro vllus fuit; prout est à me *quasi totis primis quatuor libris* prolixè comprobatum.

XXXVII. Hic autem ei pro sacra anchora sunt traditiones: *cap.1.num.1.* Romanum scilicet Pontificem succedere Petro in Papatu, traditiones vel maximè confirmant. En quicquid per modum historiæ humanæ tradunt Patres, id ei statim fit traditio: Esto autem traditio, sed humana; sed historica veri nominis traditio erit & Ecclesiastica, quod Patres veteres continuatè ab ipsis Apostolorum temporibus, sine interruptione conseruarunt, aut etiam ab Apostolis traditum esse, constanter affirmarunt. Sed quid quæso habent istæ traditiones; num exprimunt Patres, Romanos Episcopos succedere Petro in regimine vniuersalis Ecclesiæ? si hoc dicerent, aliquid esset: sed Patet Suarez producit successiones Episcoporum Romanorum in Episcopatu Romano. Quid hoc ad rem? Imo neque dicunt quenquam Petro successisse. Irenæus ait: Petrum & Paulum Ecclesiam Romanam fundasse, & eam Lino tradidisse. Linus ergo fuit primus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, cui alii in eadē Ecclesia successerunt. Arguté Suarez aduertit, Irenæum dixisse, Lino ab Apostolis traditum Episcopatum Ecclesiæ administrandæ, sine restrictione ad Romanam. Inanem vero argutiolam: de fundatione Romanæ Ecclesiæ loquebatur, ergo illius Ecclesiæ administrationem dabant Lino. Obtineat tamen, si vult: quid inde sequitur? Petrum cessisse Papatum Lino: non ergo amplius Petrus fuit Papa, non ergo mortuus est Papa: non ergo ex morte Petri Roma habet Petri Papatum, sed ex cessione Petri facta Lino Romano Episcopo. Potest ergo etiam Papa Paulus V. suum Papatum ante mortem cedere Cardinali Burghesio suo nepoti, & sic deinceps omnes. Aut Linus non erat nisi vicarius Petri, potuit ergo etiam illum extrudere.

XXXVIII. Augustinus quoque numerat Sacerdotes in sede Petri, id est, Episcopos Ecclesiæ Romanæ. Sed Petrum, *inquit*, nominat, id est, Pontificalem dignitatem: fallitur: Petra ibi est fides Romana, tunc purà & sincera: sic etiam Orthodoxam fidem suam Orthodoxi olim probabant ex fide sedium Apostolicarū; etiam Orientalium, vt videbimus *lib.7.cap.5.* Non ergo propter Papatum, sed propter fidei sinceritatem, quam in ea Ecclesia Principes Apostolorū prædicarant, doctrinam suam quondam veteres Patres tāquam ad Lydium lapidem libenter probandam, cum Romana doctrina ab Apostolis accepta, conferebant. Sed eodem modo cum aliarum etiam Apostolicarum sedium doctrina, suam conferebant. Nunquid in illis aliis inde totidem Papatus eriget noster Hieromonarchicus? Non opus est, ego vt obsecrem ne hoc faciant. Risum autem mihi mouet, quod Suarez noster ex Cypriano docet vel deducit, non modo, vbi vult matricem & radicem Catholicæ Ecclesiæ Cypriano esse Romanam Ecclesiam, cum ibi matrix vocetur Ecclesia vniuersalis, respectu omnium particularium, vt ostendi *lib.1.cap.10.num.17.& libr.4.cap.10.nu.77.* sed multo magis, vbi colligit ex eodem, Episcopum Romanum ritè electum ita esse Petri successorem, vt in illo vniuersalis fundetur & vniatur Ecclesia, sicut in Petro fundata & vnita fuit.] Hic mihi profectò & risum & bilem ciet. Nam vel penitus Cyprianum non intelligit, vel si intelligit, per summū dolum simplicibus sensus à Cypriano alienissimos obtrudit. Ibi enim Cyprianus agit de quadam cōfirmatione Cornelii Romani in Episcopum Romanum, ex eo, quod Episcopi Africani ipsum vt legitimè promotum pro legitimo Episcopo Romano agnouerint, & suam ei communionem Catholicam concesserint, vt explicaui *lib.3.cap.12.num.48.*

XXXIX. Pro successione Romani Pontificis in Papatum Petri nihil habuit Suarez *cap.16.* ex Scriptura, nihil ex Patribus, quo solidè eam posset confirmare, ad dicta Romanorum Pontificum accedit, vt ipsi, qui vel humanum passi sibi forte nimium abblandiebantur, sedem suam extollendo, vel etiam vsurpantur sibi quendam confictum Papatum, testes sint in sua causa idonei. Proferat si quos habet etiam ex Romanis Pontificibus, qui ante exortum & confirmatum nouum illud monstrum Papatus floruerunt, & quorum scripta non sint impostutæ nomine merito suspecta, ne dicam conuicta, post natum Papatum concinnata, & veteribus Pontificibus perperam attributa. Abstineat ab Apocryphis illis Epistolis, quas & Baronius Apocryphas esse agnouit, & editio Vaticana *in primam partem primi tomi* coniecit, profectò separatas ab iis, quæ suspicione carent, vt ego eas discussi *libro 3. capit.2. num. 2.* Respondeat ergo prius obiectionibus nostris Suarez, cum suo Turriano, & postea vtatur huiusmodi testimoniis. Duplici tamen argumento illis Apocryphis fidem conciliare nititur: alterum est, quia Leo & Gelasius seruandas præcipiunt Decretales Innocentii, & suorum decessorum. Alterum, quia multæ illarum insertæ sunt, & connexæ cum Epistolis indubitatis aliorum Patrum. Indigna Patre Suarez argumentatio. Leo & Gelasius loquuntur de veris Pontificum suorum præcessorum decretalibus, non de fictitiis. Et Leo cum incipiebat ab Innocentio, profectò innuit ante Innocentianas nullas extitisse Decretales. Illæ verò Apocryphæ omnes finguntur esse eorum Pontificum, qui Innocentium antecesserunt. Cornelii Epistolas, quæ sunt adiunctæ Epistolis Cypriani, & quas refert Eusebius, libenter admittimus. Innocentii Epistolas plurimas non negamus, illam, quæ interseritur operibus Chrysostomi, dubiæ fidei merito cū multis Catholicis censemus. Epistolas Marci & Athanasii, omnino cōfictas esse certo scimus. Nō enim inde

fidem

fidem accipit scriptũ aliquod, quod impressores librorũ id simul cum Authenticis Patrum scriptis impresserint. Hoc nouitii non ignorant, nedum veteranus Suarez. vtatur ergo, vt placet, Pontificum antiquorum Decretalibus authenticis & indubitatis, ac inueniet neminem ex antiquis, vsque ad Leonem, imò fortasse vsq; ad Felicem III. per quingentos circiter annos, suum Papatum iure diuino per reductionem ad Petrum stabiliuisse, vt ostendi *libr.4.cap.10.num.23.& seqq.& ibid. cap.8.num.13.*

XL. Concilia œcumenica prima quinque, nõ modo Papatum in Romano Pontifice non agnouerunt, sed plane etiam expresse illum negarunt: vt fuse probaui *libr.4.cap.2.nu.13.& cap.8.initio.& cap.10.initio.* Canones autem primi Concilii Nicæni, quos citat Suarez *ibid.nu.4.* apocryphi sunt, & nullius fidei. Veros enim eiusdem Concilii Canones, non plures, nec alios, nisi viginti illos, qui passim feruntur, agnouit & approbauit Ecclesia Catholica, vt *lib.8.* ostendo. Quemnam primatum honoris tribuat Romano Episcopo Concilium primùm Cõstantinopolitanum, plene docui & explicaui, *lib 4.cap.10.num.5.& cap.4.num.4.* De Ephesino quoque disserui *eodem lib.4.cap.10.num.6.* Sed ponderat Suarez initium Epistolæ eiusdẽ Concilii ad Cœlestinum Romanum Pontificem: vbi tamen Patres illi, neque eum vt summum pastorem, neque vt supremum fidei iudicem alloquuntur. Charitatem in eo, zelumque tuendæ Catholicę veritatis laudant, curamque quandam & superintendentiam generalem illam, quam ego in Pontifice Romano admisi *libr.4.cap.9.* & declaraui, in eo agnoscunt. Qualem curam vidimus etiam in Cypriano, & aliis Episcopis; qui omnes, ac singuli ad vniuersale totius Ecclesiæ bonum tenentur inuigilare, vt ostendi *libr.2.cap.6.num.2.& num.9.& capit.7.num.5.& seqq.& cap.8.num.2.& seqq.& libr.4.cap.3. num.30.& cap.9.num.2.& num.12.13.14.& cap.10.numer.15.&c.* Communionis verò non subiectionis est, quod idem Concilium de suis actis Romanum Pontificem reddat certiorem. Cum præsertim Ecclesiæ consuetudine Concilia œcumenica primorum Patriarcharum sententiam & consensum vel maximè requirerent, vt *libr.7.capit.3.* ostendo, propterea Papatui nil prodest, quod Cyrillus etiam Romani Pontificis Legatus esset in eo Concilio, hoc est, procurator, tales enim Legatos etiam cæteri Patriarchæ absentes habere solebant, imo etiam priuati Episcopi. Et de hoc *libr.7.* ago: egique *libr.4.cap.10.num.6.& num.61.* Verba autem gloriosa Philippi in eodem Ephesino Concilio Legati Romani, quibus suum extollit Pontificem, non sunt magnifacienda; sui Domini magnificat fimbrias, & dilatat phylacteria. Firmilianus tamen Cappadox Episcopus vir magnus & sanctus, multo antea Stephanum Romanum temeritatis, ne dicam stultitiæ arguerat, quod se Petri successorem esse putaret, *inter epist. Cyp.75.edit.Pamel.* Sedent quidẽ Romani Pontifices, in loco Petri, id est, in ea Ecclesia, in qua Petrus laborauit, & vitam finiuit, sed falsò posteriores sibi solis Petri authoritatem & dignitatem (si quam peculiarem habuit, de quo iam satis *libr.1 & libr.4.* disputaui) tribuerũt: omnes enim Episcopi in solidum, & Petro, & aliis Apostolis successerunt, vt docui *libr.2.cap.1.*

XLI. In Chalcedonensi Concilio nihil haberi pro Romano Papatu, ostendi *libr.4.cap.10 num.7.* Quæ autem refert Surius ex Thomæ opusculis, penitus vt Apocrypha contemno; conficta enim sunt ab Hieromonarchicis, & ab aliquo sciolo vel Concilio Chalcedonensi, vel etiam ipsi Thomæ perperam tributa: vtatur quæso Suarez authoritatibus indubitatis, quisquilias omittat, nec enim in re seria est ludendum; certe tantùm virum, quantum se haberi cupit Suarez, firma selecta duntaxat testimonia proferre decuerat. Cur verò idem Concilium Leonem faciat vineæ custodem, & membrorum caput, exposui *lib.4.cap.10. num.7.* Ita etiam cur petat ab eo confirmationem. Quæ verò ex aliis consequentibus Conciliis affert Suarez *ibid num.9.& 10.* pro sua Traditione confirmanda, nullius sunt momenti, & posteriora flocci facienda, vt exposui *eodem lib.4.cap.10.num.8 & seqq.* Augustini authoritas, quam producit Suarez, nihil aliud continet, nisi communionem inter alias Ecclesias, & Romanam. Et Concilia, quæ decretis sedis Apostolicæ parent, supponunt, Pontificem Romanum iure Ecclesiastico esse eorum Patriarcham: & tunc doctrinam Romanam fuisse puram, & tutam circa res fidei, ac propterea alias Ecclesias ipsius filias ab eius instructione pependisse, quæ omnia sunt à me *libr.4.cap.9.* planè explicata. Traditio itaque, cui vellet, si posset, initi Suarez, ad Papatum illum confirmandum, nondum ex Conciliis apparet.

XLII. Apparet, *inquit*, ex Patribus: ex verbis nimirum & titulis, quibus Romanos Pontifices honorant, ex actibus supremæ iurisdictionis spiritualis, quos illi tribuunt; & ex illustribus sententiis, quibus eorum primatum profitentur. Age igitur, audiamus, præsertim si quid afferat hactenus nobis inauditũ, aut indiscussum. Ignatium nobis primum profert. Sed iam Sanderus, & Bellarminus illum, & reliquos tum Græcos tum Latinos protulerant: eos omnes diligenter examinaui *lib.4.cap.10.nu.54.& seqq.* & Hieromonarchicis eripui. Si quos proferat Suarez à nobis indiscussos, eos solos explicandos seligamus. Polycarpum, ait, *ibid.n.1.* venisse ad Anicetũ, vt eum de Paschę quęstione consuleret. Si Polycarpus venit, vt Anicetum cõsuleret, venit postea Irenæus ad Victorem, vt eum ob eandem quæstionem reprehenderet, vt ostendi *lib.4.cap.8.num.3.* Illud autem consulere fuit conferre de modo, quo posset Ecclesia esse vniformis: quæ collatio est inter pares frequentissima. Irenæus quem citat *ibid.nu.3.* quid senserit, dixi *& loco citato.& cap.10.nu.55.* Athanasii Epistolę ad Marcum & ad Fœlicem sunt Apocryphæ, & omnino confictæ. Basilius ad Athanasium quid sibi velit, explicaui *lib.4.cap.10.nu.58.*

XLIII. Petrus Alexandrinus, de quo *ibid.nu.4.* sua sede pulsus opem Romani Pontificis implorat, quia iure Ecclesiastico licebat Episcopis in sua prouincia oppressis in aliena etiam prouincia suæ causæ iustę cognitionem quærere; vt pluribus ostendo *libr.8.* & in parte ostendi *libr.4.cap.8.num.13 & cap.10.nu.60.* Quod igitur dicimus de Athanasio & Chrysostomo, idẽ dicendum erit de Petro. Quas partes in damnatione Nestorii Cælestinus, de quo *ibid.num.5.* habuerit, *lib.4 cap 10.num.6.* declaraui. De dicto supposititio ex Thesauro Cyrilli *ibid. num.6.* non sum solicitus! Decretum Aureliani Imperatoris exposui *lib.4.cap.3.num.29.* in quo Episcopi Romani, sunt omnes Episcopi Romanæ Metropolis suffraganei, quos Suarez pro Põtifice Romano vellet nobis obtrudere: prout ipse fortasse sibi incautè persuasit. Quod in Conciliis generalibus sententia Romani Patriarchæ præ cæteris requireretur, de quo *ibid.num.7.* arguit, Romanum Patriarcham fuisse omnium Patriarcharum dignitate primum (quod ei non negabimus) & iam quidem integritate ac existimatione splendissimũ, (quod tamen illi non semper quadrat:) Inde etiam est, quod damnatio hæresium plenior esset, si ei suffragiũ suum adderet Romanus Pontifex. De Canone à Iulio citato, satis dixi *lib.6.c.5.nu.79.& 98.* De dicto Socratis & Sozomeni [*apud Socrat.lib.4.c.3.& Sozom l.3 c.8.& 9.*] pro primatu Romano, disserui *lib.4.c.x.n.15.16.18.* Petri

Alexandrini restitutio in sedem post lectas Damasi literas Lucio expulso, ostendit magni tunc factam communionem Ecclesiæ Romanæ, imo etiam ipsius iudicium, de quo postea *lib.*8. & in præcedentibus *lib.*4.*cap.*9. *nu.*15. Iulius legem quandam iactabat pro sua iudiciaria potestate in Episcopis condemnandis. Eam ego exposui *lib.6 paulo ante citato:* & notat Suarez *ibid.nu.*8. Sozozomenum referre, Iulium ad brachium Imperatoris recurrisse, & renitētes Orientales Episcopos, vt Romam ad iudicium in causa Athanasii & aliorum venirēt, coēgisse. De hac controuersia ego satis fuse *lib.* 4. *cap.*8. *à nu.* 10. *deinceps.* Et profecto verum est, Imperatorem compulisse Episcopos Orientales vt aliquos mitterent Romā, qui iudicii sui Synodalis, quo Athanasium & alios damnarant, causam dicerent. Sed non aduertit Suarez, causam illam in Synodo Episcoporum Occidentalium discutiendā fuisse, & non à solo Iulio: vt ostendi *l.*4.*c.*8. *n.*13. Nec pręterea illud aduertit, non coram Iulio illos, sed coram Imperatore se stitisse. Et Imperatorē noluisse eorum acta cōtra Athanasium, & alios approbare: & ita re infecta eos discessisse; Imo iidē Orientales & Iulium, & Hosium, & Maximum Treuerēsem, quia cum illis communicabant quos ipsi excōmunicauerant, excōmunicauerunt, *Sozom.ibid.c.*9. Nihil ergo habet Suarez *ibid.c.*10. quod glorietur de potestate Iulii in Orientales, sed habet, vnde multum confundatur. Factum non laudo, quia puto iniquum fuisse, non ex vsurpata potestate, sed ex abusu suæ potestatis, vt probaui *libr.* 5. *cap.*9. *num.*8. *& cap.*12. *num.*69. 70. Gloriatur tamen, quod Romanus Episcopus *Liberius* fidem de Spiritus Sancti consubstantialitate in Oriente firmarit: cui dissentientes acquieuerint, *Sozomen.lib.6 cap.*22. Id tamen tunc erat in more, vt doctrina Ecclesię Romanæ, quippe adhuc incorrupta, in magna esset existimatione, & ordinariè ab omnibus teneretur, vt explicaui *libr.*4.*capit.*9. *num.*2.

XLIV. Latinos Patres commemorat Suarez *cap.*3. *nu.*9. Tertullianum primo, & Cyprianum. Eos ego Papatui penitus eripui *lib.* 4. *cap.*10. *num.*72. *& seqq.* Primus locus ex Ambrosio à Suarezio prolatus, plenam habet explicationem *ibid. num.*84. Alia Ambrosii dicta ex epistolis ad Gratianum & ad Theophylactum *ibid. num.* 10. *&* 11. *&* 12. *allegata*, mihi hactenus ignotis, (quas in meo codice non reperio) adhuc bonum sensum habere possunt, cuiuscunque illæ sint. Caput enim & matrem Ecclesiarum in Romano Imperio Romanam Ecclesiam ego quoq; admitto *lib.* 4. *cap.* 3. *initio*, & iam olim fuisse vinculum communionis, *eodem libr.* 4. *cap.*9. *num.* 16. & quasi Lydium lapidem fidei, *ibid. num.* 6.7. Hieronymum explicuimus *lib.* 4. *cap.*10. *num.*86 *& seqq.* Augustinus nihil Papatui fauet, vt probaui *libr.*4.*cap* 8. *num.*27. *& cap.*10.*num.*92. Sanam doctrinam tunc fuisse Romæ, supponit Augustinus, & egregium in fide Catholica cum omnibus Orthodoxis Ecclesiis consensum, & tunc non est opus Conciliis, quando in veritate Catholica omnes Ecclesiæ Catholicæ consentiunt. Prosperum explicaui *lib.*4. *cap* 10. *nu.*64. Optatum *lib* 1 *c* 10. *n.*18. Isidorum. & posteriores non moramur, quia eorum temporibus iam Papatus per vsurpationes caput extulerat. Sic igitur traditio tota euanuit.

XLV. Papatum in Scriptura nullum habere fundamentum optime dixerat Rex: & à Paulo *Ephes.*4. omissum, vbi ministeria Ecclesiastica commemorat. Respondet Suarez *cap.*18. Scripturam esse; *Super hanc petram ædificabo Eccl siam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et addit his verbum non scriptum, nimirum, traditiones. Locus tamen ille nullum Papatum continet, vt fuse ego probaui *libr.*1.*cap.*6. & traditiones hac in parte nullas eum habere conuici. Siquidem tàm Patres antiqui, & Ecclesia vniuersa Papatu caruerint, nec eum vnquam agnouerint, quàm Paulus Apostolus, qui de Papatu nunquam somniauit. Nec est ad rem, quod ex Augustino profert Suarez de Eunuchi baptismo: ibi enim præcipua actio exprimitur, cui reliquæ accessoriæ iam notæ, & consuetæ, adiunctæ fuisse merito supponuntur. At verò Paulum præcipuum ministerium silentio prætetire, & accessoria duntaxat recensere quis dicat? Conciliis Papam subesse, *libr.*7.*cap.*3. probo, & argumentum Regis contra Papatum abundè confirmo, & subterfugia *capit.* 18. *nu.*6 *& seqq.* Suarezio omnia præcludo.

XLVI. Vrgebat Rex authoritatem Gregorii, Oecumenici titulum adeo abhorrentis. Responsionem aliorum ordinariam apponit Suarez *capit.* 9. quam ego totam conuulsi *lib.*4.*cap.*7.*nu.*10. *& seqq.* Quod vero aliquando Gregorius Romanam Sedem caput fidei vocet, excessum posse agnosci Rex aiebat. Nam reuera interdum excessit, vt notaui *lib.*2.*cap.*12 *nu.*48. *& libr.*4. *cap.*10.*nu.*41. Si tamen excessus tribuatur Gregorio, vbi sedem suam facit fidei caput, Suarez ait *ibid.nu.*2. excessum etiam hunc tribuendum esse Christo, qui Petrum vocauit Ecclesiæ fundamentum, quod minus non sit, quam esse fidei caput. At hic iam adhuc maior excessus est, & summa arrogātia, quod Romanus Episcopus velit habere Petri priuilegia: quis illa ei concessit? certe nemo, vt docui *lib.* 4. *cap* 6. Et esse fundamentum Ecclesiæ, est seruitus & ministerium; fundare enim Ecclesiam, est super doctrina fidei Euāgelicæ fideles instruere, & multiplicare, vt ostendi *lib.*1.*cap.*6.*nu.*43. At esse caput fidei est maxima dignitas, soli Christo propriè conueniens. Potuisse tamen aliquando Romanam Sedem citra omnem Papatum bono sensu dici caput fidei, monui *lib.*4.*cap.*10.*nu* 48.

XLVII. Pontifices Romanos Imperatoribus diu paruisse, [*de quo cap.*20.] vt affirmauit Rex ita verissimū esse probaui *lib.6 cap.*5.*passim*, *& lib.*4.*cap.*11 *nu.*19. idque vsque ad tempora Phocæ. Ille enim cœpit nimium ablandiri Romano Pontifici, dum conatus est ei æmulum Constantinopolitanū deprimere. Sed paulò post extincto Imperio sub Constantino & Irene res penitus inuersa est. nam Romani Pontifices supra Imperatores se subinde extulerunt. Hæc non sunt huius loci. Ea propriis locis à me tractantur. In his non immorandum. Papatum tamen magna ex parte Imperatorum fauoribus & decretis, non Christo, non Euangelio deberi, ostendi plane *libr* 4 *cap.*3. *num.*20. & non ex fabulosis actis Syluestri, sed aliis documentis authenticis. Argumentum contra Papatum vniuersalem ex ratione deductum, & à Rege significatum; videlicet vnum hominem nō posse totam Ecclesiam regere, optimum est, & à me *lib.*4.*cap.*1.*num.*8. & alibi sæpe positum. Ac nisi ostendat Suarez, diuinam, certam & infallibilem esse reuelationem, Devm suggerere ad hoc vires Pontifici supernaturales, & longe extraordinarias, ac perpetuo plane miraculosas, effugium ipsius *ibid.nu.*9. nullū erit: Nos verò habemus plane contrarium: Non enim vnum, sed duodecim Christus elegit Apostolos, quibus omnibus suam commendauit ex æquo Ecclesiam: quia sciebat, vnum huic oneri satis non esse: & multitudo Episcoporum, certe diuina institutione, hoc idem confirmat: & vsus Conciliorum. Ac quemadmodum Devs non instituit, vt esset vnus totius Orbis in temporali regimine Imperator, sed multa voluit esse regna, & multos Reges ac gubernatores; quia naturalibus viribus, diuina tamen gratia adiutis, voluit tale regimen exerceri: ita prorsus in Ecclesia esse voluit. Et sicut potuit, si voluisset, insigni miraculo vnum hominem sufficientem reddere ad totum Orbem in

sempo-

temporalibus regendum, noluit tamen, vt factum docet. (Neque enim vel Romano Imperatori, vel vlli alteri Monarchæ totum humanum genus per terras vndique diffusum vnquam subfuit) ita noluit in Ecclesia, vt similiter factum docet; quia in ea adest multitudo ingens Episcoporum, in Ecclesiastica potestate inter se penitus iure diuino æqualium: vt satis ostendi *libr.2. passim*, præsertim *capit.5. & 6.* Nec vnquam vnus vllus Episcopus de facto omnes totius Orbis Christianos pauit aut gubernauit? Quod autem ad spiritualis huius officii defunctionem attinet, sicut verum est, Episcopos speciali DEI auxilio egere, ad munus suum ritè exequendum; ita etiam de Regibus hoc idem est verissimum: vires tamen in vtrisque sunt ordinariæ & naturales; neque ad naturæ impossibilia extenduntur. Præcipuum Episcopi munus est prædicare Euangelium, instruere populos, eisque Sacramenta administrare: quomodo id in toto orbe vnicus minister potest facere? fides quam docet, supernaturalis est, & rerum supernaturalium, & absq; diuina reuelatione haberi non potest: prædicari tamen & tradi aliis per vires naturales debet, cum ordinariis diuinæ gratiæ auxiliis: quibus tamen ipsæ vires ad impossibilia & miraculosa non extenduntur. Sedere autem in Vaticano, aut in Quirinali, & inde toti Ecclesiæ dominari, ac Imperatorio supercilio iura dicere, est quidem Paparum vsurpatio, non tamen Christi institutio: qui hoc ipsum à suis ministris amouet: *Vos autem non sic*; vt ostendi *lib.5. cap.2. & sæpe alibi.* Caput quoque in Ecclesia aliud non esse nisi Christum, & visibili Capite eam non egere ostendi *libr.1.cap.1. & lib.2.cap.5. & libr.4.cap.7. & lib.5.cap.3. num 8.* vt verè iniuria fiat Christo, si aliud quodcuuque Caput in Ecclesiam inducatur.

XLVIII. Erecto, vt ipse putat, Papatu, Suarez *capit.22.* Principes omnes eidem nititur subiicere: & primum quidem quoad personas; mox etiam quoad Regiam potestatem. Illudque ante omnia statuit *ibid.nu.5.* Pontificem Romanum esse spiritualem patrem, & pastorem summum Regum & Principum temporalium. Hoc tamen ego ei penitus, ante omnia, nego. Actuale enim regimen pastorale Romani Pontificis extra Romanam propriam diœcesim non protenditur. Vt *in quatuor meis prioribus libris* manifeste constat. Metropolitica enim & Patriarchalis potestas, quæ iure duntaxat Ecclesiastico ad aliquot alienas quoque se extendit Diœceses, non est propriè pastoralis, nec ad oues ipsos fideles pertingit, sed ad ordinationes Episcoporũ, eorumque nonnullam directionem spectat; vt *libr.4.* passim explico. Si cui ergo pastori Ecclesiastico Principes Christiani subsunt in temporalibus, is nequaquam erit Romanus Episcopus, quia iam Roma in temporalibus nullum, præter ipsum Papam, & de facto supremum Principem habet. Proprius igitur Pastor Regum, & supremorum Principum Christianorum, erit Episcopus quilibet ipsius ditionis, vbi contingit ipsum Principem esse. Et quicunque tandem sit iste Principum proprius pastor, etiamsi concederetur esse ipsum Papam, quod verum non est, nihilominus erga personas Principum nullam aliam potestatem habet, nisi directiuam: Ecclesia enim coactiuam, & veram iurisdictionem nullam habet erga quemcunque fidelem, etiam quoad conditionem personæ vilissimum, nedum in supremos Principes, vt fuse probaui *libr.5.cap.2.* Aut ad summum & corripere fraternè Ecclesia Principem publice & notorie errantem poterit, & etiam fortasse excommunicare: quæ est quædam impropria Iurisdictio Ecclesiæ, etiam in personas Principum, qua fideles sunt, vt ostẽdi *ibid.cap.3. & libr.6.cap.10.* Neque aliud volunt testimonia & exempla, quæ affert Suarez *ibid.num.6.7.8.9.10.11.12.* exceptis Apocryphis, & iam modernis delirantibus aut deceptis, nisi directionem hanc & correptionem, Sacramentalemq; expiationem. Anglorum etiam Reges, quos seorsim in testimonium subiectionis adducit, *ibid.num.13. & seqq.* nihil plus Papæ tribuerunt. Lucius, si ab Eleutherio fide instrui petiit, & non ab aliis propinquioribus Episcopis fidei Romanæ, tũc ob recentem memoriam principum Apostolorum, puritatem respexit: & ad matrem tunc & magistram sedẽ solam in Occidente Apostolicam confugium habuit. Et solam obedientiam in fide paratam habuerunt. Si qui Reges post erectionem Tyrãnici Papatus se ei plus æquo ex aliqua necessitate temporali, humanisq; consiliis submiserunt, factum quidem, sed non ius habebimus. De denario S. Petri, & nonnullis subiectionibus dixi aliquid *lib.6 cap.9. num.65.* Legat interim Suarez, quæ in hoc genere scribunt Angli scriptores: Enodant illi hæc omnia, & plene cuiq; satisfaciunt. Frustra verò ad finem *sui 21.c.* ratione nititur cõfirmare, Reges omnes, etiam Angliæ, Ecclesiæ in sua persona esse subiectos in spiritualibus; hoc enim nemo negat: & Rex Serenissimus in sua præfatione id aperte est professus: dum præsertim potestatem ipsum quoque excommunicandi Papæ integram ex caosa relinqui voluit, *pagina 12.* Et Episcopos se velle, eosque defendere, aperte profitetur.

XLIX. Papam ius habere & vim obligatiuam, etiam in ipsam Regiam potestatem temporalem, & non solam directiuam, ac instructiuam, contendit Suarez *cap.22.* cum reliquis Hieromonarchicis, sed certè frustra. Nihilque affert, quod ego iam in præcedentibus nõ soluerim, aut cuius solutio ex meis explicationibus iam datis facile non possit peti. Inprimis verò sciat velim quæ ego concedo, & quæ nullus Princeps Catholicus Christianus sit negaturus: videlicet, Principem tanquam fidelem in spiritualibus esse ouem Ecclesiæ, non modo in suis priuatis actionibus, quatenus ad vitam æternam pertinent, siue amittendam, siue consequendam, sed etiam quoad vsum Regiæ publicę potestatis: quem vsum iuxta leges conscientiæ Ecclesia potest dirigere; & Rex coram Deo tantum, & in sua conscientia tenetur & obligatur, si saluus esse velit, eam sequi directionem, vt ostendi *lib.6.c.3.nu.14. & seqq.* quod si nolit, à nemine cogi potest: Excommunicari fortasse poterit, & inter Ethnicos & Publicanos ab Ecclesia reputari; sed nihil aliud in eum decerni à quoquam potest, etiam à tota Ecclesia. Atque hæc potestas Ecclesię Regum directiua directe & non indirecte, exercetur circa bonum vel malum vsum rerum temporalium etiam ipsius Regiæ potestatis: sed in ipsam Regiam potestatem neque directe neque indirecte Ecclesia quicquam potest, vt probaui *lib 6.cap.10.* Et sic prima ratio quam agitat Suarez *ibid.nu.4. & 5* hucusque pro Ecclesia, non pro Papa admittitur: etiam directe quoad solum vsum temporalium. Vsus enim in conscientia bonus vel malus temporalium, est res spiritualis, & per spiritualem potestatem directe regulari debet. Quod verò vrget Suarez, ei, cui datur aliqua iurisdictio, debere etiam dari vim & potestatem eam exequendi, agitatum fuit à Bellarmino in sua secunda ratione, quam ego discussi *lib.6.cap.10.nu.67. & seqq.*

L. Subordinationem deinde inculcat *ibid.nu.6. & seqq.* quæ debeat esse inter potestatem temporalem & spiritualem: quam ego subordinationem penitus sustuli *lib.6.cap.3.* Et inde suam primam Bellarminus pro Papæ potestate indirecta ad temporalia formabat rationem, quam dilui *lib.6.cap.10.n.64.65.66.* quid sit aliquid posse indirecte consideraui *lib.6.c.10.nu.6. & seqq.* Neque satis mirari possum, quomodo viri doctissimi,

Bellarminus & Suarez, directissimam actionem dicant esse indirectam. Sciunt profecto summæ esse dementiæ ei potestati, quæ sit tota mere spiritualis, dare vim directam in temporalia; quia tamē per fas & nefas volunt potestatem spiritualē etiam ad temporalia extendere, ac profecto directè, excogitarunt nomine tenus actionem indirectam, quæ tamen re ipsa sit directissima. Spiritualis potestas, inquit Suarez *ibid. num. 2. & 7.* temporalia sub se continet, & circa illa indirecte, id est, propter spiritualia, versatur.] Ergo omnis actio, quæ propter aliquid fit, erit indirecta? Medicus ægrotanti Papæ præscribit multa, prohibet vinum, sanguinis missionem præcipit, &c. idque facit propter valetudinem, cuius cura ad ipsum medicum spectat, est ne actio indirecta? profecto est directissima, & proxime ex arte medicina, qua ille pollet, fluens. Et Papa, si vult sanus esse, tenetur certè ei parere, sane directe & non indirecte. Sed si nolit, quid ei potest medicus? Sic spiritualis medicus Regi præscribit monita salutaria, ad salutem æternam necessaria, atque hoc facit potestate sua spirituali directissime, quod si nolit parêre, medicus spiritualis nullum aliud ius in Regem, imo ne in agasonem quidē vilissimum habet. Si tempore obsidionis Rex obsessus præcipiat etiam ministris Ecclesiæ, & viris religiosis, vt excubias pro sua virili agant, & ad mœnia vrbis vigilent, propter ciuium salutem; hoc profecto non erit indirecte potestatem Regiam in Ecclesiæ ministros exercere, sed directè: & ita directè, vt si nolint parere, possit eos vi adigere, & renitentes etiam capite plectere, atque hoc iustissime: qui tamen extra casum necessitatis non debet, imo neque iuste, & legitime potest, à ministeriis Ecclesiæ ministros auocare: Sic enim Deo & religioni faceret iniuriam. Aliud itaque est, posse aliquid, non absolute, & semper ac simpliciter, sed in certis occasionibus, necessitatibus, & casibus; aliud indirectè. Prius directa actione peragitur, quia illa potestas in illis casibus suapte natura extenditur: & eam vocat casualem Innocentius III. *c. Per venerabilem, qui fil. sint legit.* dum ait, se posse aliqua temporalia casualiter; hoc hoc est, in certis casibus, in quibus prætēdit potestatem propriam Papalem ad temporalia directè extendi: in quo tamen plurimum hallucinatur, vt ostendi *libro 6. cap. 10. num. 6.* Indirecte enim posse, est quando ad directam actionem ex aliqua necessitate aliud consequitur, vt eodem *lib. 6. cap. 10. nu. 16.* explicaui.

LI. Pro hac indirecta Papæ potestate vtitur Suarez *cap. 22. num. 9.* exemplo Regis, qui indirecte actionem habeat in filios suorum vasallorum, dum patriam potestatem eorum dirigit, vt taliter & taliter filios educent. Atqui Rex in his non indirecta, sed directa vtitur potestate sua propria Regia, sub qua directe æque sunt vasallorum filii ac ipsi vasalli: & sicut pater, sic etiam patria potestas quoad vsum subest Regiæ potestati, quę in hoc prouidet Patribus, & illi tenentur parere, & si nolint, sentient directam coactionem. Nō sic facit Rector spiritualis: is enim directe & patriam, & herilem, & maritalem, & Regalem potestates, quoad rectum vsum in ordine ad spiritualia potest instructiue dirigere, docendo arguendo, monendo, obsecrando, increpando: sed vim coactiuam nullam habet: ea enim illi soli à Deo data est, qui non sine causa gladium portat, *Rom. 13. 4.* Quæ addit Suarez de correctione, & abrogatione legum ciuilium per Ecclesiasticam potestatem, ea plusquam directiuam potestatem spectant, adeoque ad hoc Suarezii caput non pertinent, sed potius ad proximum de coactiua, cuius certe comes est vis, & legislatiua & abrogatiua: item falsa sunt, vt ostendi *libr. VI. cap. 10. num. 10. & seqq.* etiam in causis matrimonialibus, vt docui *libr. V. capit. 11.* Circa funera; [*de quibus Suarez cap. 22. nu. 10. 11. 12.*] potest quidem Ecclesia suis Ecclesiasticis ministris leges præscribere, quo ritu religioso, quibus precibus, &c. ea faciant: Sed quoad pompam & sumptus, spectant ad laicam potestarem: vt vidimus *lib. 6. cap. 6.* inter nouellas Iustiniani: *nouella 50.* & de legatis piis etiam statuit *nouella eiusdē 131. cap. 12.* Et si quid in his statuerunt Decretales Romanæ, ex conniuentia Principum statuerunt: Et si lis exoriatur, certè non Canones, sed leges ciuiles testamenta quoad legata pia explicabunt. Mira est illa Suarezii assertio, *ibidem nu. 12.* piæ causæ directe sub potestatem spiritualem cadunt.] Si causa de se temporalis propter annexam pietatem transit ad spiritualem potestatem, ergo etiam omnes homines pii eadem ratione ad spiritualem potestarem pertinebunt; Et ita Principes temporales pro suis subditis non habebunt alios, nisi impios: pii enim iam sub Ecclesiæ potestate esse debent. Pietas fateor est res spiritualis, & potestas spiritualis explicabit, quid sit pium coram DEO, & in conscientia, quid impium. Sed temporalia, quę laici faciunt ex pietate, ad potestatem iam Ecclesiasticam transiisse nemo dixerit, nisi laicus illa penitus Ecclesiastico iuri supposuerit. Planum est in fundatione, & dotatione Ecclesiarum, cum reseruatione in perpetuum iuris Patronatus, quod Ecclesia illis auferre non possit: & ius hoc manet sub potestate laica Principum, eo modo, quo reliqua temporalia: quod si qua lex Ecclesiastica circa temporalia aliquid disponat, ea vel ex Principum concessione, saltem tacita sine permissione, vim habebit: vel erit duntaxat directiua, & instructiua ad conscientiarum regulationem: & erit vere Canon, hoc est regula, non lex; vt doceo *libr. 8.* An verò Ecclesia possit abrogare leges laicas, si illæ videantur esse contra Ecclesiasticam libertatem, disputo *libr. 10.* Moneo duntaxat Suarezium, eum *ibid. num. 13.* immerito Epistolam Ludouici Galliæ Regis, ad Pium II. Pragmaticæ Sanctionis abrogationem pollicentem, afferre: nam epistola illa verba duntaxat dedit Pontifici: Pragmatica verò mansit vsque ad Franciscum, & Leonem X. Ac præterea inde habetur, pragmaticam illam, quæ vel maxime in regulandis rebus Ecclesiasticis, & beneficialibus occupabatur, in suo vigore perstitisse, nihil ei Pontificiis abrogationibus nocētibus, donec Rex ipse Galliæ eam abrogaret, non coactus, sed per sua Concordata, humanis sane consiliis ita exposcentibus. De ea plura dixi *lib. 3. cap. 12 num. 24. & seqq.*

LII. Iudicia rerum temporalium ad Papam *trahit* Suarez *ibid. nu. 14.* & vtitur authoritate *Innocentii III.* additque rationem, quia ad munus Pontificum spectat, publica peccata, eorumque occasiones auferre. Innocentius tribuit sibi illam authoritatem, quia se supremum iudicem omnium Principū, casualiter, id est, in certis casibus faciebat, & sane directum, non indirectum: quod est penitus intolerabile, vt ostendi *libr. 6. cap. 10. nu. 6. 7.* Si autem ad ministros Ecclesiasticos spectat peccata omnia impedire, & occasiones auferre; arripient illi sibi alienas potestates, easque absorbebunt: cesset itaque Magistratus ciuilis, cesset potestas patria, cesset herilis, cesset maritalis: In his enim omnibus generibus peccari potest; & solus & solus Iudex sedeat Papa. Absurdissima profecto & sine ratione ratio: Ecclesiæ est docere, monere, instruere, increpare, arguere, corripere: vt homines caueant à peccato, & fugiant occasiones peccandi. Sed tollere peccata, & auferre occasiones, non spectat ad Ecclesiam, nisi per modum medicinæ salutaris: non per vllam veram coctionem, vt docui *libr. 5. c. 2.* Vbi pluribus ostendi, rationem peccati non posse trahere causas Christianorum ad Ecclesiæ iudicium, *num. 52. & seqq.* Et in hoc Innocentium, ipsiusque

ipsiusq; sequaces Canonistas plurimum fuisse hallucinatos. Ecclesia reprehendere potest abusum Regiæ potestatis, tollere non potest. Suadere potest Regi, vt legẽ aliquam vtilem religioni ferat, cogere nõ potest, vt docui *lib.6.c.*10.*n.*10.*& seqq.* Directionẽ itaq; admittendã esse nemo negabit: coactionem negant omnes qui vel parum quid sapiunt. Et quod de vtroq; gladio ex Bernardo afferebat Bonifacius VIII. & affert Suarez, *ib.n.*15. 16.17.18. est á me satis explicatũ, *lib.6.c.9.nu.*34.*& seqq.*

LIII. Videt tandem Suarez *c.*2.3. se hactenus cum vmbris pugnasse, & nihil aliud probasse, nisi in Ecclesia esse directiuam potestatẽ, quam certe nemo Principum Christianorum negauerit: negant autem, spero, omnes coactiuam. Huic astruendæ, si quas habet vires eas omnes promit: *cap.*2.3. nihilo tamen fœlicius quàm ante eum Bellarminus. Fatetur enim, directè Ecclesiã in temporalia & Reges nihil posse; sed tantam vim ponit indirectam, vt hoc indirecti velamine propriis oculis obducto, liceat ei in sua cœcitate persistere ac obdurari. Lego libenter, & etiam atq; etiam obseruo illa in huiusce capitis sui vestibulo, vbi asserit, à Rege anxie timeri coactiuam hanc Pontificis potestatem, quę vsq; ad Regni expoliationem protendatur: Regem nõ credere se in sceptro suo securum, si à suis subditis talis potestas in Pontifice esse credatur. Hem bone vir, mentione ira sentit Rex, an sine causa? si immerito, cur nõ aufers ei suspicionẽ? cur non ostendis, Regum sceptris à Papatu nihil timendum? Bellarminus cum huniusce suspicionis scrupulum Regum animis eximere conatur; *cont.Barc.c.*12. quo quæso rem perducit? quam sceptris prquirit stabilitatem à Papę iudicio pendentibus? Nempe quod Pontifex non soleat, nisi adhibito Cardinalium consilio de Regib. statuere: vt videre est *lib.6.c.*10.*n.*27. Forte non minus sibi timebit Rex Serenissimus à Cardinalibus (quos ex Bellar. sententia pares habet, adeoq; æmulos) quam ab ipso Papa, quem nollet quidem sceptri Britannici Dominum. Sed vt ad præsentẽ Regum aduersarium simul & monitorem redeamus, bone noster, bone Suarez, fictitiam hanc Papalem potestatem, quam nunc confirmandã assumpsisti, omnem Regibus Christianis suorum sceptrorũ adimere securitatem: sin iure ac merito timeat, sibiq; à Papa Rex caueat, caue tu ne postea dixeris, ipsum non suum sceptrum tueri, sed fidem Catholicam persequi, dum suæ, suiq; populi securitati studet, leges salutares sanciens, & exequens.

LIV. Quomodo vero probat Suarez, penes Papam esse potestatem hanc in Reges coactiuam? Quia vis directiua, *inquit, ibid. nu.*2. sine coactiua inefficax est, & si Deus dedit Pontifici (*hoc est Ecclesiæ*) potestatem directiuam, dedit etiam coactiuam: quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Miseram vero Philosophiam falso dictã, quæ Deo leges præscribit. Quid si noluerit Christus Ecclesiæ dare potestatem coactiuã, sed solam directiuam? tunc, puto, cum Glossa Petri Bertrandi, Suarez blasphemabit, & dicet: Nõ fuisset discretus Dominus, nisi etiam coactiuam tradidisset. *nos lib.*2.*c.*6.*n.*16. At insufficiẽs esset sola directiua, inquit Suarez, Christus tamẽ sufficientẽ iudicauit, cum ẽt ipse sola directiua vsus sit, quia nõ coactum sed liberũ & voluntarium à nobis exposcit obsequiũ, vt optime Chrysostomus *supra lib.*5. *c.*2.*n.*13. Nũquid vero absurdũ est, vt qui dirigẽtis officio fungitur, nõ itẽ cogẽtis potestate armetur? Respõdeat quæso mihi Suarez, an vnquã medico vtatur ipse (& opus quidẽ habet ad expurgandum hoc delirium) Num de sanitate vel tuenda vel restituenda aphorismi & medicamenta omnia frustra sunt nisi medicus fuste accinctus sit? Ægrotus ita Suarez non tantum moneatur, sed vapulet, per me certo licet. At medicina à DEO est: & quæ à Deo ordinata sunt. Dicat iterum mihi argutus noster ratiunculatum faber, si vię ducem ipse aliquando errans, conducat sola potestate directiua instructum, annõ sufficienter poterit ab huiusmodi monitore manu duci ad locum quo properat, etiam sine vi coactiua? certẽ officium ducis viæ totum est directiuum tantummodo, & non coactiuum, & ex sola directione est sufficientissimum: sic Dux Ecclesiasticus datus est á Christo, vt dirigat tantummodo fideles in viam salutis, nõ vt cogat. Quod si haberet annexam necessario potestatem etiam coactiuam, tum sane directẽ & non indirectè coactionem posset exercere. At vero fatentur Hieromonarchici spiritualem potestatẽ directè nihil posse in temporalia & Reges. Nunquam ergo habet potestas spiritualis, quę non est nisi directiua, annexam potestatem coactiuam. Mittat veró has pseudophilosophicas rationes, & quid factum sit, ac á Christo Ecclesiæ Capite institutũ, perpendat, nõ quid secundum humanas coniectutas conuenire videatur. Ego autem munificè concedam, esse bono sensu verã illam ꝑpositionem, Vim directiuã, vt efficax sit, debere esse aliquo modo coactiuam, nempe in suo genere, non in alieno. Atq; ita Ecclesia non solum monitis suis & hortationibus suadet, sed etiam terroribus vrget & impellit, sed merè spiritualibus, interminatione scil. diuini iudicii, & exilio Ecclesiastico, hoc est expulsione è ciuitate Dei, & proiectione in fauces Diaboli. His pœnis spiritualib. Ecclesia non caret suæ diuinitus collatæ potestati proportionatis; prout nos apertius declarauimus, *lib.*5.*c.*2.*n.*32.*& alibi.* Ita nimirum quæ à Deo sunt, ordinata sunt, imo ordinatissima, cum actiuitatis suæ sphæram nõ egrediantur. Valeat iam, & applaudat sibi Metaphysicus noster Suarez in demonstratione sua philosophica speciosa.

LV. Scriptura autem id docet, *inquit: ibid.n.*3.*&* 4.& affert loca Scripturæ nihil minus, quam potestatẽ proprie coactiuam probantia; vel enim potestatem miraculorum continent, quam habuerunt Apostoli, non tamen perpetuo Ecclesiæ indultam; vel spectant ad potestatem corripiendi, arguendi, increpandi, ac tandem excommunicandi, vt docui & explicaui, *lib.*5.*c.*2. *passim.* Addit præterea, potestatem ligandi includere potestatem coercendi & puniendi. Fatemur. Sed quid? Corpora ne, an animas duntaxat? Si corpora, ergo per potestatem ligandi, facti sunt Apostoli lictores; miror quod fasces & secures non ferrent. Ligare Ecclesiasticum, est peccata retinere; Soluere est peccata remittere: & ita tota ligandi & soluendi potestas circa sola peccata per excommunicationes occupatur, vt ostendi *lib.*5 *c.*2.*nu.*19.*& cap.*7.*n.*24.65.*& c.*8.*nu.*27.28. *& c.*9.*n.*4. Posse vero etiam Principes ex iusta causa excõmunicari nemo Catholicus negabit; docebit tamen cum Augustino, vt ego docui *lib.*6.*c.*9.*n.*21.*& c.*10.*n.*17. *& alibi*, salua Christiana & spirituali prudentia vix vnquam debere Reges excommunicari. Quod vero spectat ad exempla, vix ea quæ profert Suarez *ibid. nu.*7.8. veram probãt excommunicationem ante tempora infælicissima Hildebrandi: & hoc ego luculenter explicaui *lib.6.c.*8.*n.*20.*& seqq.* Propterea redit Suarez *ibid.n.* 10.11. ad Hieromonarchicorum tritam cantilenam; ac in verbis, *Quodcunq; ligaueris*, & *Pasce oues*: indifferẽtiam considerat, & generalitatem, vt non solas censuras, sed etiam præcepta obligatiua, &c. contineant. Sed omnia hæc subterfugia iam ei interclusimus *lib.*6. *c.*10. *nu.*80. *& seqq. & aliis locis librorum præcedentium sæpius.* Petrum inducit nobis *ibid.n.*12.13. capitalia iudicia, ne dicam carnificis officium exercentem. Id vero ad miraculorum potestatem spectasse rudis est qui nesciat; Sicut & illa traditio Satanæ in interitũ carnis, qua Paulus aliquãdo

vsus est. Vnde igitur potestas in Ecclesia Reges deponendi, & suis sceptris priuandi? Cur Ecclesia maiorem potestatem habeat in Reges, quam in priuatos fideles? Quis vnquam dixit posse Ecclesiam peccatorē incorrigibilem, & excommunicationum contemptorē propter ipsius grauia peccata scandalosa bonis suis temporalibus spoliare, eaq; occupāti tradere, & ipsum vel ciuili exilio, vel capite mulctare, vbi spiritualis necessitus indirecte id postulet? Insaniet qui hoc asserat; Et nō insaniunt qui contra Principes Ecclesiā hęc posse audacter affirmant?

LVI. Tota igitur demonstratio monstrosi huiusce paradoxi tandem reducitur ad impia ac immania quorundam ausa, & sempiternæ ignominiæ exempla, quæ scil. Suarez *ibid. n.16.* praxim appellat Ecclesiæ: De quibus exemplis, ac potissimū de summa Hildebrandi audacia, fuse egi *lib.6.c.9.n.20.& seqq.* De Conciliis, præsertim supposititio Lateranensi, satis dixi ibidem *c.10.n.93.& seqq.* Quorum Conciliorum dicta vel facta, in quib. Papæ soli dominarentur, & Conciliorū nomine abuterētur, velle Ecclesiæ vniuersali tribuere, summæ certe stultitiæ est ac effrænatæ arrogantiæ.

LVII. Ad suas dialecticas circuitiones, quibus maxime confidit, Suarez *ibid. num.17.* denuo reuoluitur: & non quid factum sit, sed quid fieri debuerit, ex cerebro suo, non ex Euangelij oraculis, vanis ratiocinationibus nititur colligere. Prima, quam hic adhibet, ratio est respectu ipsorum Principum; nempe si errent corrigendi sunt; & quia censuræ non semper sufficiunt, necessarium fuit vicarium Christi habere potestatem eos digne puniendi. Esto, digne puniantur: Quid tum vero? At ijs pœnis quibus dignum est vt Ecclesia puniat. Ecclesiæ vltima pœna est excommunicatio, etiam contra vilissimum quemuis homuncionem fidelē, nec vltra habet quid faciat, vt probaui *lib.5. cap.2.* Quas igitur vlteriores pœnas exquirit, easq; vltra flagelli sacri ambitum, quibus vapulent Reges, filij Ecclesiæ scilicet miserrimi? Num reliquis omnibus Ecclesia mater est, regibus nouerca? Peccata vt sunt in Ecclesia scandalosa, & mali exempli, satis, eho, satis puniuntur, quando ex Ecclesia peccator incorrigibilis ejicitur, vt è fratre fiat Ecclesiæ sicut Etnicus & Publicanus. Iam enim ex albo Christianorum expunctus suis sceleribus Ecclesiam non amplius scandalizat; Imo quodammodo indirecte ædificat, quia sua expulsione, timori est cæteris, ne sint vt ipse incorrigibiles. Quatenus vero peccator ciuilem pacem & tranquillitatem turbat, nihil hoc ad Ecclesiam: laica potestas habens gladium, puniet illum, ac impediet ne publicam turbet pacem, & ratio hæc Suarezij directissimam, & non indirectam dat potestatem: vt sciamus nostros Hieromonarchicos Papæ Satellites, verbo solo directam negare potestatem, quia illam negandam esse penitus conuincuntur; re tamen ipsa per fas & nefas directam Papæ tribuere temporalem potestatem.

LVIII Pœnas corporales in Ecclesia, quæ potestate propria Ecclesiastica inferantur, nullas esse satis probaui *libr.5. cap.2. num.29. & seqq.* Intolerabile itaque est, (quod ait Suarez nec probat) posse Ecclesiam procedere vsq; ad bonorum confiscationem. O monstrum legibus & legionibus arcendum! Hæc audiunt, hæc vident Reges Christiani, & tolerant? & librū hunc pestiferum, seditionum magistrum, rebellionum buccinam, Regiam potestatē Papæ totam subdentem, non damnant flammis vltricib. vniuersi, prout merito prudenterq; exemplo præiuit Gallia? doctrinam hanc ex suis ditionibus non profligant? derident puto: dicta spernunt: factis credo acriter semper restituri, etiam qui edicto non proscribunt eos, qui scribunt talia, nec ipsa scripta. Sed ostendat nobis Suarez, quis Papa, quis Episcopus in Hispaniis, in Lusitania, in regnis Catholici Regis contra ipsius subditos Ecclesiæ contumaces, ad bonorum confiscationem deuenerit? Pudeat eum, si quid restet pudoris, talia proferre, & contra propriam conscientiam publicare. De pœnis corporalibus contra hæreticos, *de quibus Suarez ibid. nu.18.* agam *lib.7.c.11.* certum interim sit, eas non nisi laica potestate infligi. Quid si, *inquit, ibid. nu.19.* nolit Princeps contumaces Ecclesiæ punire? Et quid hoc ad Ecclesiam, siue puniat, siue non puniat? cur quærit hanc punitionem? cur id supplicium postulat? Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? *1. Cor 5.12.* eiecti sunt illi ex Ecclesia. Nullum itaq; scādalum ab ijs patitur amplius Ecclesia ipsa; sicut nec à gentilibus turpiter & impiè viuētibus. Reliqua quæ habet Suarez *in hoc capite* 23. sunt è Bellarmini ratiunculis suppilata, & à me satis confutata, *lib.6. c.10.n.64.& seqq.*

LIX. Papam habere potestatem Reges deponendi, & Regia potestate priuādi, siue directe, siue indirecte, nullum ex scripturis vel leue indicium proferri potuit à Suarezio. Rex vero optima protulit Scripturæ loca, quæ supremam summis Regibus, & à quoquam homine independentem tribuunt expresse potestatem: siquidem ab omnibus, etiam ab Episcopis, & ipso Papa in temporalibus sit illis parendum, etiam ex conscientia: quod ego quoq; pluribus probaui *lib.6.c.4.* Sed inde non infertur, inquit Suarez, *ibid. nu.3.* Reges non habere superiorem in spiritualibus, Imo etiam in temporalibus respectu spiritualium. Fateor: si id intelligat vt intelligi debet, de superioritate tantum directiua, vt hactenus probatum est. Absolute tamen inde infertur in temporalibus Reges nulli autoritatiuæ, & coactiuæ potestati vel directe, vel indirecte subesse, præterquam diuinæ; id quod à me probatum est, *lib.6.c.2. & c.4.* Nimium vero audacter interseruit Suarez illa verba, *Hoc in rigore ad fidem non spectat*, vt sic innuat, obedientiam Principib. supremis iure diuino naturali deberi, non esse fide diuina credendum: quasi diceret, hoc ex Scripturis non constare. Volunt iam igitur nostri Papalini per hanc suam, quam Regibus affingunt, dependentiam à Papa, Principatus terrenos destruere, & ad Anabaptistarum hæresim accedere, vt Papam Deum faciant in terris, vtraque potestate supremum: Thronum Regium sub Throno Pontificio ponit Suarez. *ibid. n.9.* Quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Omnia certe quæ producit aut instituit Deus, ordinata sunt; non tamen ideo inter se subordinata. Innumeræ sunt animalium species à Deo creatæ, & sane ordinatæ, non sunt tamen inter se subordinatæ, sed soli homini. Verba autem Pauli non ita sonant, omnia quæ sunt à Deo, esse ordinata; sed omnes potestates quæ sunt in mundo, eas esse à Deo ordinatas, hoc est, institutas. De thronorum subordinatione satis dixi *lib.6.cap.3.* Varij tituli, quibus Scriptura solet Reges insignire, eorum supremam in suo genere satis indicant potestatem. Quod si etiam Pontifices & Ecclesiæ ministri ijsdem aut similibus titulis aliquando insigniantur, inde insinuabitur inter Reges & Pontifices potius paritas, quā superioritas: ita vt Ecclesiæ potestas in suo genere, videlicet spirituali, sit æque suprema, atque laica suprema est in suo, videlicet temporali. Ridiculum vero est, quod *ibid. nu.17.* Prophetiam Isaiæ *cap.49.23.* *Erunt Reges nutritij tui vultu in terram demisso adorabunt te*: ad literam ait impletam esse in Imperatoribus & Regibus osculantibus pedes Pontificis vultu in terram demisso. Ibi enim de Ecclesia sermonem esse exponunt Patres; Sed Suarezio Papa est Ecclesia: vtriq; seruus & minister suæ Dominæ est ipsa Domina. Ioseph pudicus

cus noluit impudicam dominam suam allicientem, & prensantem violare, *Genes. 39.* Papa autem tot lenonibus et inseruientib. quot Scriptores similia effutiunt, vel inuitam & reluctantem pudicissimam Dominam sibi subijcere est conatum. Ecclesiam adorari ait Hieronymus, *in Esa cap. 49.* quia Christus caput adoratur in corpore: Addit Suarez: & præsertim in Vicario suo. Apage cum isto Vicario; Scio Ecclesiã esse corpus Christi, toties id testatur Paulus: itaq; adorare Ecclesiam, est adorare formaliter Christum, caput in corpore. Vicarium huiusmodi mihi scriptura nec designat, nec adorandum proponit. Quid occinis adorandum Vicarium, id est Christum in Vicario? Omnes sumus ministri Christi: non in nobis sed extra nos est adorandus Christus. Sed iamdiu hoc molimini Antichristi ministri, vt adorationem Papæ promoueatis, & illum tanquam Deum colendum proponatis. Impleram Prophetiam ad literam, ait, scil. quia Reges poculo illo fornicatiæ dementati osculãtur pedes Pontificis, vultu in terram demisso: sed prophetia addit, Reges etiam puluerem pedum linctutos: superest itaque Reges potentissimi, vt cogat vos Papa vester etiam puluerem vestigiis ipsius calcatum, & ex crepidarum suarũ soleis excussum exerta lingua lingere; eumq; cultu latriæ adorare, id est, Christum in Vicario, ait Suarez.

LX. Pulcherrima exempla Regum Iuda protulerat Rex, vt munus & officium Regis circa spiritualia & aperiret inde, & confirmaret; quod officium ego pluribus persecutus sum, *lib. 6. c. 5.* & quod Suarez *c. 26.* negare non potest, extenuare abominando quodam liuore nititur: & qui pietatem profitetur, laudare hinc debetet Regẽ, suum munus agnoscentẽ, hortariq;, & vehementer promouere, & Regem ipsum, quẽ stultè impugnandum suscepit, & alios, vt in hanc curã solliciti incumbãt; ille totus sinistrorum affectuum procella abreptus religiosissimum, piissimùmq; officium à Regibus Christianis auellere conatur: vt vtriusq; gubernationis Monopolium in vrbe Babylonis statuat. Timet inde probatum iri primatum spiritualem in Regibus, trepidat timore vbi non est timor, *Psal. 13. 5.* Totũ suum Primatum Rex piissimus in illis actionib. externis collocat, quas in Regibus illis antiquis non potest Suarez non approbare & laudare, ita vt Rex sit supremus Ecclesiæ in suis Regnis curator, Promotor, Gubernator, Custos & superintendens, vt ego probaui *lib. 6. c. 5.* Primatum ad vere spiritualia interna non prætendit.

LXI. Factum Salomonis contra Abiathar Pontificem præbebat Regi argumentum optimum ad ostendendam Regiam potestatem etiam in personas sacras extendi. Sed inde non probatur, inquit Suarez *cap. 26.* Regem in spiritualibus esse Pontifice superiorem. Neque huc collimat Rex. Satis est ei in temporalibus sibi habere etiam Ecclesiasticos & res Ecclesiasticas subiectos: & externam Ecclesiæ gubernationem á se, tanquam á supremo in suis ditionibus, pendere. Interna vero Ecclesiastica integra relinquit iudicio directiuo Ecclesiasticorum, cui suam quoq; animã & conscientiam submittit, etiam quoad bonum vel malum vsum Regiæ potestatis. Comparatio inter spirituale & temporalem potestatem vtra sit altera dignior, *de quo ibid. n. 3.* non est ad rẽ. Neutra n. ita est altera eo sensu dignior, vt alteram sibi subijciat. Vtraq; enim est in suo genere prima, & ab altera independens, vt ostendi *lib. 6. c. 3.* Interim moneo, Suarezium perperã ex loco *Deut. 17.* excludere Regẽ à iudiciis etiam Ecclesiasticis: quia in eo Concilio Rex quoq; & Senatores laici locum habebant, vt probaui *lib. 1. c. 12. n. 38. & seqq.* Merito tamen Rex excluditur ab officio incensum adolẽdi: hic enim actus erat proprie Sacerdotalis: Ita nunc Reges in multis Ecclesiasticis iudiciis partes habent; at vero Sacramenta ministrare nec debent, nec tentant. Perperam quoq; Suarez colligit, in eo Concilio supremum iudicium fuisse Sacerdotis, quia scriptura sic habet: Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio: cur vero omittit illa quæ sequuntur, & decreto iudicis? Imperio ergo Sacerdotis, id est, Sacerdotum, & decreto iudicis, qui erat laicus, erat parendum. Et sic etiam Cyprianus *l. 1. ep. 11.* locum intellexit, ac explicauit, dicens: Interfici Deus iussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, Iudicibus á se ad tempus constitutis non obedientes.]

LXII. Accipio libenter, & memoriæ mandandum esse moneo id quod cum veritate docet Suarez, *ib. n. 7.* videlicet, Salomonẽ sine peccato potuisse merito Pontificem Abiatharẽ abijcere, tanquã reum læsę maiestatis, & quia ab eo iam conspirante cum rebelli Adonia, timere merito poterat, ne si perseuraret in Pontificatu, aliquid in ipsius perniciem moliretur. Ne ergo posthac Hieromonarchici succenseant Regi magnæ Britãniæ, si in simili causa contra Pontificem & Pontificios interdum insurgat; eosq; abijciat, à quib. sibi perniciem toties intentari animaduertit.

LXIII. Negat deinde Suarez *ibid. n 8.* valere argumẽtum ab exẽplo legis veteris ad nouã legẽ. Quia veteri Pontifici nõ est dictum, *Quodcunq, ligaueris in terris erit ligatũ in cœlis:* nec, *pasce oues meas.* Inter legem veterem, & Euangelium, illa magna differentia est; ꝙ illa docebat quid faciendum, fugiendumve esset, gratiã tamen illa nõ dabat ad faciendum vel fugiendum; sicut dat Euãgeliũ. In reliquis, ꝙ spectat ad ministros eorumq; subiectionẽ Regib. præstitã, vix vllã ego inuenio differentiã. Ibi distinctæ fuerunt potestates, distincta munera inter Moysen & Aaron: ac deinde inter Pontifices, ac Iudices, vel Reges. Vna potestas ciuilia gubernabat, alia religionẽ & cultum diuinum. Nobis dicitur; *Quodcunq, ligaueris, &c.* hoc est, quos rite expuleris ex Ecclesia terrena, erunt expulsi ex cœlesti: & ibi extra castra &, extra Synagogam qui abijciebantur, peribat anima illa de populo suo: aut aliquandiu purgabatur. Et Pontifices, Sacerdotes, ac Prophetæ pascebant populum explicatione legis, obiurgationibus & doctrina. Primatum itaq; Papæ erga Reges quoad temporalia, ex scripturis neq; probare neq; deducere potest. Sed neque, *inquit, ibid. nu. 10.* Primatum suum in spiritualibus Rex Angliæ probare aut deducere potest ex scripturis: sed fallitur; quia Regia potestas in temporalibus, etiam in rebus externis Ecclesiasticis, tanquam diuino iure cõstituta, plurimis scripturis confirmatur: vt iam ostẽsum à me quoq; est *lib. 6. cap. 5.*

LXIV. Concilia & Patres *de quib. c. 27.* in Principibus Christianis magnam potestatẽ quoad externa Ecclesiæ agnouerunt, vt *eodem lib. 6. c. 5.* ostẽdi clarissime. Adeo etiam Conciliorum cõuocandorum ius maximum esse penes Principes ex praxi & vsu approbato Ecclesiæ. Quid autẽ potestatis habeant, siue Papa siue Principes, etiam in celebratione, directione, approbatione Conciliorum, dicam *lib. 7.* Illud duntaxat moneo grauiter hallucinatum fuisse primo Bellarminum, deinde etiam Suarezium, *ibid. n. 9.* dum literas quasdã Episcoporum Orientalium, putant esse literas Patrum primi Concilij Constantinopolitani, ex ijsq; deducunt, illud Concilium mandato Damasi Pontificis Romani collectum fuisse; Hæc n. omnia falsa sunt: nec mandatum vllum speciale Damasi continent, vt pluribus ostendi *lib. 6. c. 5. n. 24 & seqq.* Potuit sane Suarez videre, in suis recognitionib. Bellarminum errorẽ hunc suum retractasse. Quod obijcit ex Concilio Chalcedonensi Suarez, *ibid. nu. 10.* & de Romana 3. Synodo sub Symmacho omnia sunt à me excussa *eod. c. 5. lib. 6.* & explicata.

LXV. Pa-

LXXV. Patres vniuersos sibi contrarios habet Suarez, nunquam in Ecclesia potestatem vllam agnoscentes; Reges etiam impios & apostatas sceptris priuandi: Et solitam cum aliis occinit cantionem, *cap.28.* olim id Ecclesiam non fecisse, non quia de iure non potest, sed quia exequi id non poterat. Ego vero ostendi contrarium: & hoc ipsorum dictum totum redargui, *lib.6.cap. 8.num.20. & seqq.* Principem autem iure deponi non posse nisi à solo Deo, probaui *lib.6.cap.2. & c.10.nu.81.* quia à solo Deo immediate suam accipit potestatem; independentem ab hominibus; non sic Papa, aut Episcopus, aut Presbyter, quibus Deus immediate confert potestatem, sed dependenter ab Ecclesia; vt innui *lib.6.c.10.nu.86.* & fusius explico *lib.2.c.4. ac etiam lib.8.* Obedientia ergo iure diuino debetur absoluta & perpetua legitimo Regi: & restrictio illa iam Papalinis ordinaria; (*quamdiu per Ecclesiam non deponitur, & regnò priuatur*) nihil penitus valet: quia Ecclesia nullo pacto, nulla commissione, nulla permissione habet hanc potestatem.

LXVI. Ambrosij dictum celebre, lachrymas esse vltimum Ecclesiæ confugium contra obstinatos, & incorrigibiles Principes Ecclesiam deuastantes, optime probat, in Ecclesia non esse potestatem deponendi & priuandi ipsos Principes: tunc enim, non lachrymę imbelles, sed armata manus esset vltimum remedium. Sed longe diuersa est mens Ambrosij, ait Suarez *ibid.n. 4.* qui non sola prece, sed potestate & imperio restitit Theodosio: Quid autem, si Theodosius noluisset pœnitentiæ se subijcere, neque è templo exire; neque vlla ratione Ambrosio obiurganti & monenti parere? tunc Ambrosius ad lachrymas, & non ad depositionem se conuertisset. Hic etiam placet & libenter obseruo, ac notari velim id quod veritatis vi adactus fatetur Suarez, mentem Ambrosij esse, (quam profecto ipse approbat quia non reprehendit,) non esse Sacerdotis officium, arma contra Imperatorem sumere, &c. Cur ergo paulo ante dicebat, contra Iulianum Ecclesiam, (si nomine Ecclesiæ intelligit Papam, vt solet, & Ecclesiasticos) vt eum deponeret, non insurrexisse, quia exequi non poterat. Igitur si vires habuisset, potuisset eum vi & armis deponere, & abijcere; hæc plurimum inter se aduersantur: & tamen Ambrosij mens est optima, & verissima: & contraria falsissima & à spiritu Euangelico remotissima. De Gregorij obedientia Mauritio præstita, & de eius commotione in Mauritium satis multa dixi & explicaui, *lib.VI.cap.4.num.23. & seqq.* & omnia solui, quæ hic opponit Suarez, *ibid.nu. 6. 7.* ex Baronio desumpta, ac in Epitomem redacta. Iterumque moneo, frustra eum hoc etiam reliquo capite laborare, vt facta comparatione inter summam Ecclesiæ spiritualem, & summam Regum temporalem, potestates, spiritualem præficiat temporali. Reges Christiani contenti sunt sua summa temporali, prout in se illa complectitur etiam curam externam Ecclesiarum; quæ ita summa sit vt nulli potestati, ne spirituali quidem, in vllo casu subjiciatur. Licet ipsi habentes talem potestatem, tanquam fideles, se ipsos etiam quoad vsum suæ potestatis bonum vel malum in conscientia libenter spirituali subijciant potestati directiuæ, nulli tamen coactiuæ: excommunicatio enim coactiua non est vt toties explicaui.

LXXVII. Nouum esse commentum veteri Ecclesiæ inauditum, posse per Ecclesiam Principes suis thronis deijci optime dixerat Rex: iam tamen apud nostros Regum depressores verba CHRISTI; *Pasce oues*, idem sonare, quod *Tolle, proscribe, addica.* Isthæc Suarez *cap.29.* repellere conatur, & dicit ille quidem, se demonstrasse hanc esse antequam potestatem. Vbi vero id & quo ex fundamento demonstrauit? Ex *traditionibus* suis, scilicet fictitiis. Et tamē ne traditiones quidem vllas habuit, vt vidimus in præcedentibus: Facta tantum tyrannica Hildebrandi, & quorundam post illum: quæ etiam ipsa pessimum, prout digna erāt, sortita sunt euentum, vt suit locis ostendi *lib.6.cap.9.* Doctores Catholicos hanc potestatem asserere ait; & ideo de illa nil ei dicendum superesse. Doctores nulli, nisi post Hildebrandum sedis illius parasiti, vt probaui *lib.6.cap.10.num.89. & seqq.* Laudo autem ingenuitatem Suarezij nostri; suam paupertatem & nuditatem aperte profitentis, quia defuit ei quod diceret ad potestatis illius confirmationem, candide fatetur, sibi nil superesse. Interim animaduertat Lector in quodnam primum principium ac fundamentum resoluatur tota hæc Hieromonarchicorum structura, de Regibus per Papam deponendis: qui certe cardo est huius controuersiæ, & scopus hu usce voluminis à Suarezio conscripti. Ita vt qui Serenissimum Regem defendere suscipit, suo muneri maxima ex parte satisfecerit, si debilissima illa demoliatur fundamenta, quibus firmiter superstrui hanc Papalem Regifugam potestatem non probat; sed misere supponit egregius Doctor Suarez. Explicationem illam, *Tolle, proscribe, abdica,* esse, *ait,* voces Tyrannicas à Vicario Christi remotissimas: qui non nisi iuste sua sit vsurus potestate: sicut Rex sua vtitur in suos subditos, & tamen sine causa nō tollit, non proscribit, non abdicat. Non est par ratio. Rex habet suam potestatem indubitatam: at vero cum Papa attogèt sibi quam non habet, sicut iniustus est in eâ vsurpanda, sic præsumitur merito iniuste etiam illâ vsurus. Quid non iniustissime tentauit Hildebrandus? quid Bonifacius VIII. quid Ioannes XXII. & alij? Qui nempe titulo tyrannus est, plerunq; etiam est tyrannus exercitio. Iisdem enim artibus ac modis, qui bus comparatur dominium, etiam sustentatur ac augetur: nec in astutissimorum politicorum scholis peregrina est Romana Curia.

LXVIII. Nouitatem non admittit Suarez, directiuam enim potestatem semper fuisse in vsu asserit *ibid.n. 4.5.* Rex quoq; directiuā admittere non grauatur. Cōtrouersia est de coactiua, de potestate scil. abdicēdi Reges, & de ipsorum regnis deponendi. Sed coactiuæ etiam vsum ante trecentesimum à Christo annum expiscatus est in Fabiano contra Philippum Imperatorem Christianum. Iniunctionem pœnitentiæ coactiuam vocat potestatem. Quam insulse? Potuit Fabianus Imperatori sponte consentienti pœnitentiam publicam iniungere: ergo possunt Romani Pontifices, Reges inuitos abdicare, & è solijs deijcere. Risum teneatis amici? Concilium quoddam profert Africanum quod statuit, non licere Clericum tutorem in testamento nominare. Et tamen, *inquit*, leges ciuiles neminem à tutela eximi iubent. Sed tantum abest vt hinc ducatur argumentum potestatis Ecclesiæ supra leges ciuiles, & in temporalibus, vt etiam potestas hinc laica vel maxime confirmetur, & Ecclesiæ obedientia ac subiectio in ciuilibus. Rem narrat Cyprianus, *lib.1.ep.9.* & fatetur, statutum fuisse in Concilio quodam Africano, ne quis fidelium nominaret in testamento tutorem aliquem ex clericis; & tamen Geminius Victor decedens nominauit in suo testamento tutorem presbyterum quendam Faustinum. Nunquid nam vetitum fuit Faustino ne tutelam illam acciperet? minime vero: legibus enim ciuilibus tenebatur, neq; se eximere poterat: neq; Ecclesiasticum Concilium illud vetuerat, ne clericus acciperet tutelam: hoc enim directe fuisset contra leges: neq; ausi sunt id prohibere. Prohibuerunt tamen, ne Christianus in suo testamēto nominaret clericum tutorem;

torem: & ita non in Faustinum, sed in defunctum Geminium vltionem exercuerunt. Cum enim quisq; naturaliter liber sit in tutore deligendo, & nominando, & lex neminem cogat vt clericos nominet, voluerunt Patres, vt fideles à tali nominatione abstinerēt. Quod si tamen nominassent, tunc clericus cogebatur tutelā suscipere. Et quod profert ex Augustino 23. *quæst.* 4 *c. Displicet.* §. *Repetis.* de potestate compellendi; Sciat Augustinum docere, licere Ecclesiæ ad potestatem Regū recurrere, vt legibus & pœnis schismaticos reducant, & hæreticos. Et hoc non est factum, nisi post trecentesimum annum; etiam nunc Reges seruiunt Domino, legibus & pœnis sanctā Ecclesiam purgantes: sed contra Reges ipsos quis potest vti legibus, & pœnis? Vsus igitur nullus apparet, non modo primis tribus sæculis, sed ne totis quidem decem, contra Principes Christianos Ecclesiastica vlla potestate coactiua insurgendi, sed tantummodo directiua, & pœnitentiali, ac medicinali reprehensione.

LXIX. Imo vero Imperatores fuisse in multis Romano Pontifice superiores, inde Rex optime probabat, quia electio dicti Pontificis ab Imperatoribus diu vel facta est, vel confirmata. Vsurpationem hanc fuisse Imperatorum à tempore Iustiniani, nimium audacter dicit Suarez: *ibid. n.* 6. negatq; id eis iure diuino vnquā competiisse. Ego tamen contrarium abunde cōfirmaui *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 19. *& seqq.* Idq; muneris primū ex officio proprio & autoritate Imperiali, jure diuino ei concessa, Valentinianum, mox Honorium, etiam vti rem necessariam ipsis Romanis Pontificibus agnoscentibus & exposcentibus, assumpsisse. Ac proinde & Odoacrē Herulum, & Theodoricum Gothum Reges Italiæ; & postea Iustinianum aliosq; Imperatores id ius retinuisse, quousq; Romani Pontifices frænū hoc, quo iustissime compescebantur, per summam vim in lapsu Imperij excusserunt. Hæc omnia loco citato reddidi compertissima. Et quicquid in hoc genere ex Baronio & Bellarmino consarcinat Suarez *ibid. n.* 7. *&* 8. ea ibidem explicaui, & Imperatorio iuri proprio, & nō à Papa cōcesso, nil obesse ostendi. Et ita integerrimū manet Regis argumentū. De Papæ depositionib. per Imperatores factis, [*de quib. ibid. n.* 9. *&* 10.] ago sufficienter *lib.* 8.

LXX. Restiterunt Imperatores & Reges Pontificibus depositionem ipsorum molientibus: & hæc resistentia siue iusta, siue iniusta fuerit, nihil refert. Certe eo producitur à Rege vt hinc præscriptionis prætextū Papis auferat. Præscriptio enim pacificam requirit possessionem. Historias & facta ego quoq; in sequentibus libris examinabo: easq; *lib.* 6 *c.* 10. attigi. Dictum etiam illud Philippi Gallorū Regis contra Bonifacium VIII. *Scias nos in temporalibus alicui nō subesse*, approbat Suarez: *ibid. n.* 12. sed parum apte infert, Reges, si quidē subsunt Papæ, *id est Ecclesiæ*, in spiritualibus, si temporalib. contra spiritualia abutātur, ratione spiritualium posse etiā in temporalibus vexari & corripi.] Quid si corripi in temporalib. non bene percipio: pro peccato & abusu Regiæ potestatis, ac rerū temporalium, corripi per Ecclesiam posse Reges nemo, puto, negabit: Sed aliud est, exercere Ecclesiasticam potestatē in temporalia, aliud in homines, ratione peccati circa temporalia commissi. Prius non conceditur Ecclesiæ, cōceditur posterius. Similiter vix intelligo, quid sit vexari in temporalibus. Si vexari intelligit, reprehēdi, argui, increpari; ēt excōmunicari, potest Ecclesia vexare Principes, in tēporalibus, id est, propter eorū peccata circa temporalia commissa: vexare tamē Reges in temporalibus, auferendo ipsis temporalia, nō potest Ecclesia: vt iam toties ei dictum est, responsum, & explicatum, quia spiritualis potestas est tantummodo directiua.

LXXI. Sanctio pragmatica S. Ludouici Regis, *de qua ibid. n.* 13. *&* 14. satis derogat immenso illi Papatui: eam ego affero, & pondero *lib.* 9. *c.* 8. *n.* 28. *& c.* 9. *n.* 113. Pragmaticam vltimā alibi, vt supra monui, considero. Gersonij autoritas tāta est, vt plus crepidis eius deferat cordatus quisq; Theologus, quam in ea parte parum sano cerebro Suarezij, dum eum grauiter lapsum, satis procaciter asserit. *ibid. n.* 15. Vbi nos *lib.* 7. *c.* 3. examinamus potestatem Conciliorum supra Papam, pater num veriora sint & solidiora, quæ ex sacris & diuinæ Scripturæ & Canonum & Theologiæ adytis cum Gersonio proferuntur; an quæ ex culina Papali Gnathones ipsius, & pestiferi adulatores protulerunt. De inuestituris ad Reges iure diuino naturali pertinentibus satis disputaui *lib.* 6. *c.* 7. *toto.* In his & talibus iuribus defendendis etiam post vsurpatam papalem tyrannicā potestatem, aliqui Reges cordatiores, attentatis per Papas sui iuris inuasionibus, restiterunt; Angli præsertim; atque hinc vsucapionem à se Rex legitime & optime amolitur. Sed Suarez *ibid. n.* 16. facta improbat, aut excusat; & obedientiam erga Romanum Pontificem eorundem Regum inculcat: Olim quidem pij Reges & Imperatores in rebus fidei & conscientiæ, directionem & doctrinam Episcoporum, præsertim Romani Pontificis, amplexi sunt: obedientiam in temporalibus nemo, nisi vel vi, vel socordia, vel summa inscitia adactus, ei præstitit. Et postquam doctrinæ puritas Romæ infecta est, iam pij & sapientes Reges à præstigiosa illusione liberati, etiam in rebus fidei & doctrinæ Romanis falsitatibus & corruptelis meritō valedixerunt.

LXXII. Rationes aliquot potestatem Ecclesiæ in Principes & temporalia negātes conatur refellere Suarez, *c.* 30. Prima & præcipua est, quia potestas Ecclesiæ de suo genere spiritualis est, & ad sola spiritualia pringens: Hinc sequitur igitur, *inquit*, directè eam nō posse, indirectè tamen potest. Et fatetur quidem, *ibid. n.* 2. ius naturale directè tollere & prohibere subiectionem supremæ potestatis temporalis ad similem potestatem eiusdem ordinis & Principem supremum nemini subijcere in temporalibus, etiam indirectè: sed non repugnat, *inquit*, quo minus, per ius superioris ordinis subijciatur. Ego autem respondeo, si potestas hæc superioris ordinis, vel actu, vel virtute & eminenter sub se habeat potestatem temporalem, & hoc vel iure diuino naturali, vel positiuo, tunc necessario sequi, ius naturæ subijcere potestatem supremam temporalē huic potestati superioris ordinis, puta spirituali. Cum tamen hoc ipse neget, ac merito neget, sequitur potestatem illam superioris ordinis esse aliam penitus disparatam ac diuersam à potestate temporali, & cum ipsa nullo modo, nisi per accidēs, coniunctam. Et ita superioris ordinis illa spiritualis non est, nisi ratione dignitatis, quia in se dignior & nobilior est: non tamen ius vllum habet, aut imperium, siue directé, siue indirectè in aliam, nempe temporalem, vt ostendi, *libr.* 6. *cap* 3. Qui præferendam concedunt, non ideo præficiendam agnoscunt spiritualem temporali; Dignitas non est idem quod autoritas. Quis non præferat artificem sutori calceario? non tamen subijciuntur sutores artificibus. Illud duntaxat fateor, potestatem spiritualem subijcere sibi Regem in spiritualibus directiuè, etiam circa vsum suæ Regiæ potestatis, & sic quodammodo indirectè illam exerceri erga temporalia. Sed eodem modo Rex cogere potest Episcopos negligentes, vt in Synodum coēant, & hæresim aliquam nuper in eo regno exortam damnent: sic etiam potestas laica indirectè occupatur circa merè spiritualia. Sed tunc neutra potestas subijcit sibi alteram; licet subijciat ipsos habentes potestatem; Et quod ait, indi-

indirectam potestatem in temporalibus intrinsece esse coniunctam cum subiectione in spiritualibus, falsum est: id enim totum est per accidens. Nam spiritualis potestas dirigit Regem fidelem circa vsum suæ Regię potestatis, ipsam tamen potestatem Regiam nō propterea sibi subijcit aut directè, aut indirectè. Sicut quando maritos dirigit circa vsum maritalis potestatis, tūc maritalem potestatem sibi non subijcit: si enim subijceret, posset Episcopus, ex maritali omnium suorum parochianorum potestate sibi indirectè subiectâ, eorum vxoribus frui, aut eos vxoribus priuare, & illas occupanti tradere. Et tamen necessariò, & intrinsecè coniuncta est spirituali potestati directio etiam vsus maritalis potestatis: nam rerum etiā temporalium vsus vel abusus directe fit res spiritualis. Vide argutissimè Suarez, quā solidam gratiam inijsti apud omnes maritos, quorum nempe vxores per hanc tuam indirectā potestatem Clero Papali ad ipsius vsumfructum communicasti. Qua enim ratione ille, cui subest potestas Regia, potest regios actus ipse exercere, puta leges ferre, abrogare, &c. eadem certe ille cui subest maritalis potestas, potest actus maritales ipse exercere, puta, &c.

LXXIII. Optime vero dicit *ibid.* ex iure haberi, id quod est directe prohibitum posse alia via fieri, quando hoc necessario sequitur ex alio, quod eodem vel altiori iure concessum est.] Et in hoc vere & proprie cōsistit actio indirecta. Si igitur potestas spiritualis potest aliquid directe efficere ad quod necessario sequitur effectus aliquis temporalis, negare non possum, tunc potestatem spiritualem indirecte in temporalia operari: Nego tamen vnquā posse id contingere. Si enim Prælatus spiritualis prudenter viderit, Regem aliquem, moraliter loquendo, salutem animæ consequi nō posse, nisi se Regno abdicet, potest id ei significare, imo & intimare ac vrgere: aliud non potest: Sed ex hac significatione & intimatione non necessario sequitur regni abdicatio: in illius enim Regis libertate situm est, se vel abdicare, vel non abdicare. Similiter, si, vt monui *lib. 6. cap. 10. nu. 16. 17.* Excommunicatio secum ferret necessario dignitatum temporalium depositionem, facultatum & bonorum temporalium amissionem, profecto Ecclesia indirecte homines, per excommunicationē à se directè & iuste profectam, à sua dignitate deponeret, & bonis priuaret: sed hic effectus excommunicationi non est vllo modo annexus. Et ita absolutè ac vniuersaliter nego, vllam actionem directam potestatis spiritualis annexum necessario habere effectū in temporalia; Secus est de potestate temporali. Ea enim sæpe per suas directas operationes indirecte per necessariam sequelam effectus habet spirituales. Vt si Episcopū criminosum in perpetuum exilium eijciat, profecto etiam à suo illum Episcopatu deponet. Et si coga. Episcopos negligentes suo muneri in hæresi damnanda satisfacere; indirecte ipsi damnatio hæresis est tribuenda, & sic de alijs.

LXXIV. Altera ratio est comparatiua, si Principem Ethnicum non potest Ecclesia in temporalibus suis iudicare aut punire; multo minus id poterit in Principe fideli, qui deterioris conditionis esse non debet. Hic arguatur Suarez, sicuti etiam Bellarminus, vt vidimus *lib. 6. cap. 10. num. 76 & seqq.* In eo maxime Suarez argutando fallitur, quod nolit distinguere potestatem, ab habente potestatem: habens enim Regiam potestatem, si ipse sit Christianus, subditur directiuè spirituali potestati. Potestas tamen ipsa non subditur: quod ipse falsissime deducit: Si Rex, *inquit*, subditur, ergo etiam potestas Regia subditur. Id vero negatur, & merito. Rex enim ægrotus etiam medico subditur, sed non propterea Regia potestas. Sic maritus confessario subditur, non tamen ei potestas maritalis subditur. Sic pater, tutor, &c. Falsum similiter est, Principem legitimum Ethnicum per Ecclesiam ex vlla occasione vel causa posse suo Principatu priuari: vt ostendi *lib. VI. cap. 10. nu. 74.* Fundamentum solidum & perpetuum est, quia potestas Ecclesiæ est tantum directiua, non coactiua, sicut iam toties à me probatum, præsertim *lib. 5. cap. 2.* Et falsum est, Ecclesiam habere potestatem auferendi per vim & coactionem, omnia impedimenta æternæ salutis. Sic enim posset peccatores diuites diuitiis priuare, maritos vxoribus, parentes liberis, &c. vbi inde illi peccandi habent occasiones. Circa temporalia occupari, & à munere distineri ministrum Ecclesiæ non decere, probaui, *lib. 6. c. 8.* De subiectione actium & potestatum disserui satis *lib. 6. cap. 3.*

LXXV. Est etiā maximi momenti illa ratio; Ecclesia non potest contra ius naturæ; ergo non potest auferrē à subditis obligationem obediendi suo legitimo Principi, quæ obligatio est de iure naturæ. Respondet Suarez *ibid. n. 8. & 9.* obedientiam hanc non esse immediate de iure naturæ, sed de iure humano, in quo plurimum errat: Contrarium ego demonstraui *lib. 6. c. 2.* Ac proinde falsum est, Ecclesiam posse de subdito facere non subditum: hoc n. est aliquid temporale: Ad temporalia vero Ecclesia, nec directe nec indirecte se extendit: & ius naturæ tolli non potest, nisi in quantū Deus det potestatem. Sic Principes habent vitæ & necis potestatē, & possunt pro communi bono vitā etiam auferre. Ecclesiæ vero talis potestas nulla est concessa. Hæc pluribus à me tractantur *lib. 6 c. 10. n. 79.*

LXXVI. Permittat ergo Suarez, *ibid. in Epilogo libri tertij*, vt quæ sunt Cæsaris Cæsar habeat, nec tribuat Papæ, imo neque Ecclesiæ, quod ei Deus tribuere noluit: Regat Ecclesia Reges in fide & in conscientia; Regatur vero illa à Regibus, in externis & temporalibus. *Sit* Rex dominus etiam Episcoporum & Ecclesiæ in temporalibus, sint Episcopi & Ecclesia Magistri Regis & Doctores ac simul ductores in spiritualibus. Faciat Ecclesia, quæ legitime, tam directe quam indirecte potest; Abstineat vero penitus à temporalibus, in quibus nec directe nec indirecte potest. Permittat, vt liberam & absolutam ac perpetuam obedientiam ciuilem populi suis præstent Regibus; Et ipsi Reges Catholici in spiritualibus plenam Ecclesiæ exhibebunt obedientiam: nam iuxta directionem Ecclesiæ saluti æternæ ipsi subijcient se & temporalia omnia, vsumque quoque suæ Regiæ potestatis. Et si in hoc desint, humiliter correptiones Ecclesiæ & censuras iustas tolerabunt. Tandē autē Ecclesia si illos corrigere ac ad meliorem frugem reducere non possit, cum fecerit quod in se est, & proprias Ecclesiæ hoc est spirituales vires exeruerit, conuertatur ad lachrymas, quæ sunt vltima ipsius arma. Ouem se Rex Serenissimus Christi gregis esse, & scit & fatetur, & lætatur, nec sibi in veris spiritualibus internis vsurpat pastoris officium, sed pastoribus Ecclesiæ in ijs se subijcit. In externis vero omnibus, etiā Ecclesiasticis, ac in toto regimine ciuili & temporali, se pastorem à Deo positum agnoscit, cui oues omnes, etiam Ecclesiastici pastores, id est, oues in temporalibus, in externis ipsis & temporalibus, sint subiecti: nemo in ipsius gregem irruat, ipse enim, vt supremus eius pastor, in externis & temporalibus iussu & vice Dei pascit: & rursus vt ouicula Christi in spiritualibus vult à Pastoribus Ecclesiæ pasci. Seruentur ista, suis quæque cancellis distinguantur, & ita summa pax erit, nulla dissensio. Rex ciuilem obedientiam perpetuam & absolutam à suis iuste postulat subditis, & suam pariter humillimam in fide & via salutis æternæ, Ecclesiæ in legiti-

nisi ipsius ministris præstat obedientiam. Nescit ille, quis sit ille vnicus fidelis dispensator, quē Christus super omnia bona sua constituerit: hoc ex Euangelio & Patribus cuique Episcopo & Ecclesiæ legitimo ministro, pro sua gregis portione, dictum esse agnoscit. suis ergo Episcopis, & suis ministris in hoc, vt fuit semper, ita est parere paratissimus: etiam Iudi Canonico Patriarchali, si illo contentus sit Romanus Pontifex, nec plura sibi vsurpet, quam Euangelium & Canones antiqui ei concedant, vt in sua præfatione declarat, non repugnat.

LXXVII. Vsurpas libenter Reuerende Pater ea Bernardi verba: *Sunt quæ non putaui scribenda: præsens ea fortassis opportunius intimarem.* Qua sententiola caput hoc tuum claudens, videris illud affectare, vt in lectoris, præsertim Regis Serenissimi, pectore aculeum defigas, quasi coram admissus; nescio quid magni quod charta non capit, possis proponere. Nunquid vero doctissimi & sapientissimi Regis conspectum, & alloquiū desideras? Num inde dabitur expectare maiora, quam tibi nobisque in hac defensione polliceris? Patent profecto Regiæ aures oculique sacris colloquiis, librisq; dere Theologica conscriptis. Hoc in curriculo quotidie se exercet: nec aures solum, sed & calamum suum hoc in stadio terit. Certe castigatissimum illius iudicium nullius acumen, aut grauitatem reformidat. Vtinam Pōtificiorum, imo & Iesuitarum præcipui, ac neruosissimi possint ac velint cum Rege incomparabili de his, (non quidem sua sica parricidali, sed gladio Theologico) coram concertare; ac etiam captata aliqua occasione cum doctissimis, ac in antiquitate sacra versatissimis Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis, & Doctoribus dehuiusmodi quæstionib. colloquia serere. Tuq; imprimis, celeberrime Suarez, qui quasi de lōginquo prospectans, talem congressum optare videris; si hic præsens de hodiernis, quas Papatus inuexit, erroribus, & corruptelis cōferres, multa profecto cognosceres, quæ a te nondum satis degustata, aut non sat dextre intellecta ex his tuis scriptis constat. Quibus elucidatis & agnitis, sperarem te diu imbibitis erroribus valedicturum, & ingenium illud tuum ad vniuersalem inter Ecclesias Christianas, amotis amouendis, concordiam conciliandam, pie & ingenue in Dei timore applicaturum.

CAPVT IV.

De Immunitate Ecclesiastica: & Clericorum exemptionibus.

HAnc ego materiam *in vltimo mei operis de Republica Ecclesiastica libro* tracto: Qui quia nondum impressus est, opportunius censui, nostras ad *hunc quartum Suarezij librum* responsiones, illis nostris de hac caussa lucubrationibus attexere. Interim rogandus es, Reuerende Suarez, vt nos aliquantillum præstolere.

CAPVT V.

De Antichristo.

NOn multum salutaris vtilitatis tractatio hęc mihi semper visa est continere, vtpote quæ & Scripturis innitatur maxima ex parte Propheticis, ac reconditissimis; nec ad fidei Christianæ corpus aut puritatem multum conducat. Cum itaque iam plurium ingenia in eo argumento se exercuerint, præcipue vero Serenissimi Regis, qui acutissimas adduxit Scripturarum interpretationes; ac etiam ne nimium excresceret nostrum hoc volumen, hanc concertationem, quam suo lib. 5. Defensionis Suarez fusius est persecutus, prorsus omittendam duxi.

CAPVT VI.

Iuramentum fidelitatis Anglicanum totum iustum esse & legitimum: nec in vlla parte, fidei Catholicæ, aut Ecclesiæ contrarium.

NOn possum equidem pro veritate non decertare, & admirari simul nostram summam imprudentiam, cum magna cæcitate coniunctam: Qui vt falsam Hieromonarchiam Romanam, & vsurpatam præsertim in Reges potestatem in temporalibus, mordicus contra conscientiam, & reclamante ratione, natura, atque Scriptura, defendamus, Ecclesias nobilissimas & Regeś potētissimos abiicimus & repellimus: & qui vnitatem nobiscum fidei ac perfectæ Catholicæ religionis inire & conseruare cupiunt, & totis nituntur viribus, eas nos ex diabolica ambitione nostra, & pessime radicata falsitate, vt in diuisione perseuerent, & volumus & cogimus: Quod ex paucis, quæ pro responsione ad sextū Suarezij Defensionis librum, ex iis quas in sex meis libris hactenus disputaui, colligam, compertum reddo & manifestum.

II. Doleo vsque ad lachrymas, nos nostris vanitatibus & falsitatibus, perniciosisque erroribus medelam omnem inanem reddere; ac viam præcludere, qua possit & Anglia, & Gallia, totusque Septentrio; imo & totus Oriens ad vnitatem cum vniuersali Ecclesia redigi. Dicam amplius, pestilenti illa Romana doctrina de summa potestate Papæ erga temporalia huius mundi Dominia & Regna, (quam ego falsissimam esse iam demonstraui, diuinæ nimirum Scripturæ contrariam) nostræ fidei & religionis conseruationem & dilatationem plurimum impediri. Si enim semel Romanæ Ecclesiæ aduersarij Principes graui timore perterriti, ipsam Romanam Curiam, ipsiusque asseclas & ministros in ipsorum depositionem, imo & necem, conspiraturos non suspicarentur, non adeo sibi ab ipsis cauerent; sed metuunt Danaos vel dona ferentes; & merito timent: Quicquid dicat Bellarminus: *in respons. ad Regis Apolog. edit. 3. Rom. pag. 317.* nam toties aliqui eorum iam experti sunt, non religionis caussa, sed ad excitandas defectiones populorum, & conspirationes in capita & vitas Regum fabricandas, mitti Romanos ministros, & conuenire. Ipsemet summus, & tremendus Turcorum Rex, viros Ecclesiasticos Romanæ Ecclesiæ fidem & doctrinam profitentes, odit cane peius & angue; eos abigens & ad necem persequens, atque ab eis cauet oculatissime, eo duntaxat nomine, quod sibi timeat ab eis, ne subditi Christiani (qui sunt in Imperio Turcico innumerabiles) ad rebellionem eorum opera concitentur. Nouit enim Papam in eo esse totum, vt Regna & Dominia temporalia, quas ille cupit, sentiant varietates & mutationes. Quæ suspicio si abesset, liberrima esset & apertissima via, in tam ampla regna Europæ, Asiæ & Africæ ad Euangelium prædicandum, Christianos qui inibi fame verbi pereunt confirmandos, & paganos ac Machometanos ad fidem CHRISTI conuertendos. Timor humanus

Herodis ex Magorum interrogatione de Rege nato suscitatus, CHRISTVM infantem pene perdidit; & puerorum innocentum sanguinem plurimum effudit: *Matth. 2.* & tamen timor vanus fuit, iniustaque illa suspicio: nam pulchre carmen: *Non eripit mortalia, Qui regna dat cœlestia.* Timor idem eademque, licet falsa, suspicio Pilatum, audita Iudæorum accusatione de regno affectato, ex parte saltem compulit vt CHRISTVM iam vitum cruci affigendum damnarit. Et si tantopore Nero, Decius, Diocletianus, & tot alij crudeles Christianæ fidei persecutores, nullo simili timore perciti, in Christianos sæuierunt, quid fecissent, si vel minimum quid de immani hac Pontificum Christianorum in Reges potestate, fuissent certiores facti, aut leuitei etiam suspicati? Hanccine potestatem, cuius sola & vana suspicio ei infanti necem intentauit, Vito intulit, suæ Ecclesiæ dedisse Christum dicent illi, qui Ecclesiæ ascribunt potestatem sufficientem qua se à Tyrannorum incursionibus liberet?

III. Quis igitur vel miretur, vel vitio vertat, quod Rex magnæ Britanniæ Serenissim. qui à Catholicis Romanis toties suæ prædecessori Elizabethæ; ac etiam sibi insidias strui perspexerit, & plane senserit, vitæ suæ & regno prospicere cupiens, omnem mouerit & moueat lapidem, ad Romano Catholicos cognoscendos, distinguendos, & detegendos, atque ab aliis, Romano Pontifici quoad temporalem potestatem non addictis separandos? Eos enim merito rebelles & hostes ipsius esse reputat, qui hostem ipsius præcipuum ac periculosissimum in omnibus sequuntur: atque huiusmodi hosti qui profitetur in ipsius potestate esse, coronam Regi eripiendi, eumque de Solio deturbandi, qua in re isti omnino Papæ semper obsequi sunt parati. Ad suum itaque sibi Regnum stabiliendum, & ad vitanda pericula, subditos sibi suspectos censuit esse iuramento fidelitatis, sub certa verborum forma concepto, & indagandos, & in debita fidelitate confirmandos, vel saltem aperte, quales sint, propalandos. Iuramentum vero huiusmodi est.

IV. *Ego A. B. vere & sincere agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea coram DEO & mundo: Quod supremus Dominus noster, Rex* IACOBVS, *est legitimus, & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum Maiestatis suæ Dominiorum, & Terrarum: Et quod Papa, nec per seipsum, nec per vllam aliam authoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media, cum quibuscunque aliis, aliquam potestatem nec authoritatem habent Regem deponendi, vel aliquorum Maiestatis suæ Dominiorum vel Regnorum disponendi: vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare aut terras suas inuadere authoritatem concedendi, vel vllos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientia, & subiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Maiestatis suæ personæ, Statui vel Regimini, vel aliquibus suis subditis intra sua Dominia offerendi. Item Iuro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis aut depriuationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcunque authoritatem deriuatam aut deriuari prætensam ab illo, seu à sua sede, contra dictum Regem hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia: fidelitatem tamen & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus & successoribus suis præstabo, ipsumque & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes, & attentata quæcunque quæ contra personam illius, vel illorum eorumque coronam & dignitatem ratione vel colore alicuius sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam, omnemque operam impendam reuelare, & Maiestati suæ & hæredibus, & successoribus suis manifestum facere omnes proditiones & proditorias conspirationes quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum meam peruenerint. Præterea iuro, quod ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam hanc doctrinam & propositionem. Quod Principes per Papam excommunicati vel depriuati possint per suos subditos, vel alios quoscunque, deponi aut occidi. Et vlterius credo, & in conscientia meâ resoluor, quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habeat me ab hoc iuramento aut aliqua eius parte absoluendi. Quod iuramentum agnosco recta ac plena authoritate esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuncio. Hacque omnia plane ac sincere agnosco & iuro iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum & communem sensum & intellectum eorundem verborum absque vlla æquiuocatione, aut mentali euasione, vel secreta reseruatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntarie, & vere in vera fide Christiani. Sic me Deus adiuuet.*

V. De hoc iuramento certior factus Romanus Pontifex Paulus V. ad suos Catholicos in Angliam Breue suum direxit, in quo inter cæter hæc habet: Non potestis absque euidentissima grauissimaque diuini honoris iniuria obligare vos iuramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audiuimus propositum vobis fuisse, præstandum. Vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quod huiusmodi iuramentum, salua fide Catholica & salute animarum vestrarum, præstari non potest, cum multa contineat quæ fidei & saluti aperte aduersantur. Propterea admonemus vos, vt ab hoc atque similibus iuramentis præstandis omnino caueatis, &c. Datum Romæ sub annulo Piscatoris 10. *Calend. Octob.* 1606.] Et quia post aliquot menses relatum est eidem Pontifici, Breue hoc ipsius in Anglia suspectum à multis haberi de aliqua falsitate, & non fuisse aliquid tale à Papa iussum circa iuramenti illius præstationem, vt ipsum Breue melius corroboraret, alterum dedit sub die 10. *Calend. Septembr. Anno* 1607. In quo Anglos Romano-Catholicos certos reddit, Literas Apostolicas prædictas de prohibitione iuramenti, non solum motu proprio & certa sua scientia, verum etiam post longam & grauem deliberationem, de omnibus quæ in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas; & ob id eos teneri illas omnino obseruare omni interpretatione secus suadente reiecta.] His accesserunt priuatæ literæ Illustriss. Bellarmini ad D. Georgium Blackwellum Angliæ Archipresbyterum, increpatoriæ simul, & commonitoriæ, iuramentum hoc, quod Archipresbyter iam præstiterat, plurimum impugnantes: & hic est triplex nodus, cui Rex triplicem applicauit cuneum.

VI. Aduersus hæc duo Breuia, & aduersus literas hasce Bellarmini Rex ipse Iacobus, vt iuramentum suum, quo fideles subditos quærebat & firmabat, ab omni oppositione, tanquam iustum ac legitimum, nihilque contra Orthodoxam fidem continens, seque à variis calumniis & contumeliis vindicaret, Apologiam edidit; quam, *Triplici nodo triplicem cuneum*, inscripsit, nomen tamen suum reticuit. Aduersus hanc Regis Apologiam Bellarminus sub nomine, Matthæi Torti, emisit tractatum. Tum vero Rex nomen suum palam professus huic tractatui

opposuit

opposuit quasdam suas breues obseruationes, eisque præfationem satis luculentam & commodam prefixit: in qua Christianos omnes Principes & Potentatus de iustitia suæ caussæ plenius instruit. Bellarminus vero contra obseruationes hasce tractatus sui iam dicti defensionem elaborauit. & aduersus Regis Præfationem insurrexit; Idem pleniori volumine postea Suarez etiam persecutus. Caussam itaq; hanc Regiam, quoniam ex meis iam editis tractatibus, æquitas ipsius maxima ex parte elucescit, sola doctrinæ iam expositæ applicatione, nunc tandem seorsim placuit tãtisper discutere, & tueri, in ea parte nimirum, in qua præcipuus vertitur cardo difficultatis.

VII. Rex itaque in sua Apologia ac defensione iuramenti, quod suis subditis præstandum proponebat, illud maxime contendit & asserit, Post detectam illam puluerariam coniurationem, totam à solis Romanę fidei sequacib. conflatam, qui in Regem, Reginam, Principem, Prælatos, Proceresq;, crudeli, ac proiſus immani facinore, vno ictu de medio tollendos conspirauerant, non alia caussa, nisi ꝙ Romanæ religioni impense vellent, specimen quoddam atque exemplar sui se prębuisse, quo constaret ipsum nihil durius in Pontificios moliri nec meditari cõsciẽtiæ caussa ac religionis, nec vltra quid desiderare, quam vt de eorum fide & constantia, ciuilique obedientia securus fieret, quam ei omnino ex conscientia præstare tenerentur; vt propterea Pontifex in rebus ad ciuilem obediẽtiam duntaxat spectantibus non se immiscere debuerit, qui rem licitã & mere ciuilem ac temporalem prohibere non potuerit. Siq idem obedientia ciuilis cum fide Catholica nõ pugnet. Atque hæc sapientissimi Regis defensio in doctrina Orthodoxa solidissima habet fundamenta. Quã doctrinam nos in nostro *lib. 6.* sed potissimum *in 10. cap.* ab aduersariorũ impetitione vindicauimus. Subditos enim vniuscuiusq; Principis, ei iure diuino naturali obedientiam plenam debere conuicimus, adeo vt neq; Papa, neque tota Ecclesia possit vnquam huius obedientiæ vinculum soluere.

VIII. Hoc fidelitatis iuramentum, quatenus ciuilem poscit obedientiam, neq; Bellarminus reprehendere potuit, neque Suarez. Si enim nihil aliud in se cõtineret, vel expresse, vel etiam tacite, in quo fidei Catholicæ fieret iniuria, spondent se vt æquum & iustum approbaturos: sed quia aliqua huiusmodi ipsis scil. videntur continere, ideo merito à Papa reprehensum, damnatum & suis fidelibus vetitum esse asserunt. Contra autem Rex suæ legis optimus interpres, solã obedientiam ciuilẽ eo iuramento posci in sua Apologia solidissime comprobauit. Et quia absoluta obedientia ciuilis obtineri non poterat, nisi reiecto pernicioso illo circa Papæ potestatem in temporalibus, & in Regibus abdicandis, subditisq; eorum à subiectione & fidelitate liberandis errore, ideo Rex, sicut in iuramento hanc expressam reiectionem necessariam censuit, ita in sua Apologia pluribus confirmauit, potestatem huiusmodi in Papa aut Ecclesia nullam esse; ac propterea se merito illius abiectionem in iuramento requirere. Regis argumenta potestatem hanc fictitiam & vsurpatam conuellentia, *capit. 3. precedenti*, aduersus obiectiones Suarezij satis propugnauimus: Iam igitur iuramentum ipsum contra Bellarminum & Suarezium defendamus.

IX. Ante omnia accipio libenter à Suarezio, *lib. 6. cap. 1.* primum iuramenti à se definiti genus, in quo de sola ciuili obedientia agitur in rebus mere temporalibus, & ad Regis potestatem vere pertinentibus, licitum esse: atque hoc Catholico dogmate teneri: & quod fatetur, *ibid. num. 4.* omnia Regis argumenta hoc tantum satis confirmare: & varia Conciliorum per Regiam Maiestatem productorum Decreta, nihil amplius velle, aut probare: Pontificiam vero potestatem superiorem hæc ipsa nihil infringere: vbi enim Concilia aliqua ex iis quæ Rex allegauerat duplicem ponunt inter fideles potestatem, vtramque in suo genere supremam, Imperialem videlicet, & Pontificiam; Ille per Pontificiam intelligit Papalem, eamque de solo Romano Pontifice intelligendam censet; & tamen omnes illæ authoritates per Pontificiam Potestatem intelligunt Episcopalem in genere: quæ cuique Episcopo in sua Ecclesia conueniat, vt attente legenti ea loca facile patebit.

X. In hoc iuramento Suarez *cap. 2. num. 2. 3.* ante omnia ponderat verbum, *Supremus.* Latet sub eo, *inquit*, Primatus Regis in spiritualibus, & Ecclesiasticis, si ita se supremum esse intelligat, vt etiam in spiritualibus nullum habeat superiorem.] Timor vanus & inutilis, & otiosa ponderatio: Cum Rex ipse profiteatur, se aliam iuramenti formulam illis suis subditis exhibere, qui in religione cum ipso consentiunt, in quo expresse ponit primatum illum Pontificiis exosum; eamque de primatu hoc nulla in hoc iuramento sit mentio nec insinuatio, suspicio vana est. Sed neque vllum adest latens periculum; quia virtute huius iuramenti, nemo vt periurus puniri potest, etiamsi expresse post præstitum iuramentum neget illum Ecclesiasticum Regi primatum. Sub iuramento enim nihil est, nisi quod eo affirmatur vel negatur. At vero ille supremaius neq; affirmatur neq; negatur, quia est simplex Epitheton, & in enunciatione stat ex parte solius subiecti, non prædicati. Quæ Regis nominandi formula est Anglis non modo vsitatissima, sed (vt audio) vix vnquam omissa in Actis Anglicanis, & publicis & priuatis, etiam antiquis ante Henricum Octauum; vbi cum Regis sui mentionem faciunt, supremi Domini titulum præfigunt. Ita prorsus hic: *Declaro, quod supremus Dominus noster Rex* IACOBVS, *est verus & legitimus Rex.* Quod si quis inuersis terminis iuraret, Regem IACOBVM esse suum supremum Dominum, certe haberet paratam suam intentionem, quam verba ipsa ferunt, & non aliam, nempe se supremum vocare in ciuilibus, & in sola Regia potestate, quæ non est nisi externa & temporalis, ac in temporalia: neque sunt hic vllæ circumstantiæ, quæ possint efficere, vt Epitheton subiecti, siue descriptio personæ, sit res à iurante dogmatice affirmata: solæ enim affirmationes, & solæ negationes iuramento firmantur:

XI. Deinde in illis iuramenti verbis: *Et quod Papa, nec per seipsum,* &c. vterque & Bellarminus, & Suarez fidei dogma abnegari contendunt, hoc est, Põtificiam potestatem, quam abnegationem nullus vnquam Christianorum Principum in suis quæ exigunt fidelitatis iuramentis posuit.] Antiquiores non posuerunt, quia Romani Pontifices hanc sibi potestatem non arrogabant, à qua sibi cauere Principes deberent: Nam illi Romanos Pontifices deponebant, ex vrbe eiiciebant, in exilium mittebant, Pontificatu abdicabant. Recentiores vero tandem periculi moniti oculos aperuerunt. Rex Angliæ in suo iuramento non posuit illam abnegationem, vt se superiorem in terris absolute nullum habere profiteatur. Fatetur enim, vt toties monui, se in spiritualibus esse Ecclesiæ filium, & suos Prælatos Ecclesiæ sanctæ Pastores, in rebus fidei, & regimine suæ conscientiæ audire semper paratus est, ab iisque & preces & Sacramenta petit. In his à primatu abhorret, quem in Episcopis æqualiter ac insolidum, non in solo vno

Episcopo, agnoscit & veneratur, vt in Ecclesia pura semper factum est. In suo itaque iuramento quod discutimus, illud solum quærit, vt integram & absolutam ciuilem obedientiam plenam à subditis habeat talem, qualis ei iure diuino debetur. Quæ obedientia vt sit ei firma, absoluta, non conditionata, perpetua, non ad placitum alterius, posuit abnegationem expressam illius fictitiæ potestatis Pontificiæ, quia illa, stante obedientia hac, ille, integra frui non potest: Obstaculum ciuili obedientiæ oppositum, nuper inuentum, & contra ius diuinũ naturale mundo obtrusum, merito tollendum censet, ac proinde pro explicatione obedientiæ ciuilis, quam merito requirit, & quæ ei negari non potest, absolutam sibi vult promitti obedientiam, & non conditionatam: perpetuam, & non ad alterius placitum, reuocabilem. Nam Romano Catholici obediētiam ciuilem ita diminutam promittere censebantur, vt ad eam non tenerentur, nisi sub ista conditione, si ita voluerit Papa; & tādiu duntaxat, quam Papæ placuerit. Quæ restrictiones & conditiones, cum sint iniustissimæ, ac periculosissimæ, eas Rex publica & solenni huiusmodi sponsione auerruncandas iudicauit. Si potestas hæc Papalis obedientiam ciuilem non concuteret, imo excuteret, quoties Papæ fulminare placeret, de ea nihil rex esset in suo iuramento solicitus. Quidni vero talem abigat prætensionem duplici nomine, & quod intercipiat ei debitam absolutam obedientiam, & quod falsa sit, nulla, ac vsurpata, vt iam pluribus *capite 3.* est ostensum.

XIV. Ad ciuilem potestatem non pertinet, inquit Suarez, *ibid. num.* 4. spirituali Potestati, præsertim supremæ, terminos præscribere.] Terminos præscribere potestati Ecclesiasticæ profecto ad ciuilem haud pertinet potestatem: Multo minus ad ipsam Ecclesiasticam (quæ fortasse ex hominum corruptelis extenderetur ad fimbrias suas dilatandas) sed ad vtramque superiorem diuinam, quæ vtramque cancellis suis circumscripsit, ac iisdem haud obscuris, sed partim scripturarum euidentia, partim antiquæ puræ Ecclesiæ praxi clarissimis. Ad ciuilem tamen potestatem directe pertinet, se ipsam etiam aduersus spiritualis potestatis iniurias, & vsurpationes, atque attentata tueri: & Ecclesiasticam potestatem extra limites à Deo sibi præscriptos exorbitantem intra eosdem limites, ne ciuili ipsi iniuste noceat, coercere: & ideo Rex tam in actu signato, quam in actu exercito optime & iuridice in hoc iuramento procedit. In actu signato tractat materiam pure ciuilem, quæ est obedientia absoluta, absque restrictione, limitatione, conditione: talis enim ei iure diuino debetur obedientia: In actu exercito vtitur potestate pure ciuili, qua cogere potest suos legitimos subditos ad hanc eandem absolutam & perpetuam obedientiam, & omnes eis auferre reseruationes & conditiones tali obedientiæ mere ciuili contrarias, quæ non possunt esse nisi illegitimæ, & omni ex parte iniustæ.

XIII Negare Pontifici potestatem puniendi ex caussa Reges, etiam priuatione coronæ, error est *inquit Suarez, ibid. num.* 5. contra doctrinam ab vniuersa Ecclesia probatam. Si quidem, *inquit Bellarminus*, inter omnes Theologos & Iurisconsultos conuenit, posse Pontificem maximum hæreticos Principes iure deponere, & subditos eorum ab obedientia liberare, &c.] In iuramento illo sine dubio directe negatur, imo abiuratur potestas Papæ in Regibus deponendis & regno priuandis, eorumque Regnum aliis concedendi, & arma aliena contra ipsos Reges mouendi, Hoc tamen esse contrarium vlli dogmati Catholico orthodoxo, ne hi ipsi quidem ausi sunt affirmare, sed esse duntaxat dixit Bellarminus contra omnem Iuristarum & Theologorum sententiam: & esse contra doctrinam Ecclesiæ vniuersalis, ait Suarez. Itane ergo Papa supremus Ecclesiæ totius Christianæ, vt asseritur, Arbiter in publico Breui, certe ex Cathedra emisso, sacrosancta definitione sancit & pronunciat, Iuramentum hoc Britannicum salua fide Catholica & salute animarum præstari non posse: Quia nimirum negat Papæ id, quod Ecclesiasticum dogma fidei nullum habet, quod nunquam Ecclesia definiuit, sed à quibusdam neotericis tantum, temere potius quam sapienter est affirmatum; Quodque nos vt falsissimum euidentissimis scripturis, exemplis, & rationibus abunde iam confutauimus: & pro sola improbabilissima, imò erronea opinione, iuramentũ hoc contra fidei dogmata militare, non verentur asserere? Eorum fundamentum vnicum & singulare, est vsus & praxis Ecclesiæ, quam perperam vocant, traditionem. At cuius Ecclesiæ hæc praxis est? Ecclesiæ errantis, Ecclesiæ conculcatæ, Ecclesiæ sub Tyrannide Papali gementis, Ecclesiæ duntaxat post Hildebrandum degeneris & corruptæ. Eos vero plurimum à recto tramite aberrare satis docui, *cap. 3. superiori, & locis ibidem citatis*, dum putant datam esse Ecclesiæ, seu Vicario illi fictitio potestatem, etiam corporaliter puniendi, & cogendi à fide & bonis moribus ebertantes, vt vel in rectam redeant viam, vel liberent Ecclesiam à scandalo, & populum à periculo salutis. Iam enim probaui, vltimam pœnam Ecclesiasticam esse excommunicationem, & vltra eam Ecclesiam nihil amplius posse, nisi orare, & flere.

XIV. Illa quoque iuramenti verba: *Vllos subditorum suorum ab eorum sua Maiestatis obedientia, &c.* fidei doctrinæ contraria esse asserit Suarez *ibid. num. 6.* vult enim fidei dogma esse, Papam habere potestatem coerciuam Regis, per corporalem violentiam, vel alias pœnas temporales, id se *lib. 3.* probasse ait, sed eius probationes omnes fuerunt, vt ibidem ostendi, pueriles. Hic etiam obseruo, nostros Papalinos verbotenus indirectam vocare Papalem potestatem in Reges & temporalia, re ipsa vero eos directissimam ei tribuere. Si enim Papa habet in se, quatenus Papa, potestatem coerciuam, per corporalem violentiam & pœnas temporales, illa non potest esse nisi directe agens: aut si directe illam non potest Papa exercere, neque illam habere est dicendus: & si illam non habet, neque eam potest vllo modo, etiam indirecto, exercere. Est tamen obseruatu dignum, quod ait *Suarez*, per hanc iuramenti partem Regem sibi spiritualem potestatem vsurpare: Negat hoc iuramentum, Papam habere illam potestatem exonerandi subditos Regum ab eorum obedientia, tumultus seminandi, &c. Igitur sibi vsurpat hanc potestatem Papalem Rex; videlicet, exonerandi subditos ab obedientia, dandi licentiam arma contra se gerendi, tumultus seminandi, &c.] Ita summa libido Reges deprimendi, & Papam exaltandi, nihil pensi habet, quid dicat, dummodo aliquid effutiat, etsi nihil ad rhombum. Ex iisdem verbis elicit Suarez *ibid. num. 7. & 8.* negationem quandam Potestatis Pontificiæ iuramenta relaxandi, quia videlicet iurant subditi, neminem esse qui possit eis veniam concedere, vt liceat eis in proprium Principem ex caussa insurgere, relaxato eis fidelitatis iuramento. De hac relaxatione plura inferius. Ostendam enim, nullam posse vnquam dari iustam caussam, ex qua possit fidelitatis iuramentum relaxari durante vita legitimi Regis.

XV. Quid si ante mortem desinat esse Rex? Si desinat & de facto & de iure, vt puta, si sponte se abdicet,

vel

vel cedat alteri Regnum, &c. tunc non relaxatur iuramentum, sed cessat & cadit ipsa iuramenti obligatio. Nego tamen interim, posse quempiam hominem aut quamcunque in terris potestatem de iure priuare Regem supremum legitimum sua Regia potestate: Ac propterea priuationes huiusmodi nunquam iuramenti huius, imo verius iuris diuini, tollunt obligationem: adsit vero quæcunque grauissima caussa, quæ priuatione esset dignissima, ob defectum potestatis in terris, Rex à nemine, solo excepto Deo, potest deponi & priuari, vt iam in præcedentibus probaui. Quamuis igitur nullum esset periculum, ne Papa iniuste & sine legitima caussa Regem deponat, adhuc tamen id satis non esset ad Reges in tuto collocandos: quia etiam quando maxime exorbitant, sunt tamen inuiolabiles, cum nulla in terris extet potestas, quæ sacra eorum capita diademate denudet. Sed miror Patrem Suarezium tam inculpabiles & inerrabiles facere nostros Pontifices. Quid tentarint iniquitatis & impietatis etiam nostris diebus, iam supra innuimus. Facile est obtendere hæresim, schisma, inobedientiā, &c. Si violandum est ius, nulla alia ex caussa facilius quā regnandi violandum esse, olim dictum est. Sed sint iustissimi, sint sanctissimi, non modo non possunt ad libitum & sine caussa dare illas licētias rebellandi, inuadendi, &c, sed neq; ex vlla grauissima caussa; quia talem potestatē nullam habent. Et hāc eis absolute negare potestatem nullus est error, sed sincera veritas. Est enim verissimū, subditos cuiuscunq; supremi Regis nō habere in terris aliū superiorē præter suum Regē, nec ab alio cogi posse vera coactione, nec puniri vera pœna corporali vel reali, ꝓpter sua scelera quęcunque, etiamsi aliis Catholicis & Ecclesiæ Christi perniciosa sint. Habent tamen præter Regem suos Episcopos & Ecclesiasticos Pastores, qui pœnis Ecclesiasticis & censuris possint in eos agere, & ad summum ex Ecclesia eiicere. Nihil igitur hactenus in hoc iuramento exigitur, quod iustum, quod æquum, quod iuri diuino naturali conforme non sit.

XVI. De illa particula iuramenti, quæ sequitur, videlicet; *Iuro, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, &c.* His aperte, inquit Bellarminus *pag.* 139 *&* 166. negatur in Papa potestas excommunicandi Reges, etiam hæreticos.] Et pergit: quomodo enim licite & iuste Catholicus iurabit, se non pariturum summo Pontifici Regem hæreticum excommunicanti, nisi credat, non posse à Pontifice Regem hæreticum excommunicari?] Ac probat hanc potestatem esse in Papa, & Regem Anglorum ei subdi, & caussam iustam excommunicandi esse hæresim: ac proinde, hoc iuramento negari Primatum Papæ spiritualem, & non quæri eo solam ciuilem obedientiam, sed abnegationem fidei Catholicæ, & vt obediatur homini contra obedientiam Dei.] Huic Bellarmini ratiocinationi multa opponi possunt. Primum, in solo Papa male poni potestatem hanc excommunicandi; quæ est ei communis cum omnibus Ecclesiæ Prælatis, vt iam probaui *lib.* 5. *cap.* 11. Deinde obiicimus ei, excommunicationes in Reges latas plerunque esse importunas, periculosas, & scandalosas, & iuxta doctrinam Augustini à me iam *lib.* 5. *cap.* 9. *& lib* 6. *cap.* 10. explicatam, Reges vix posse excommunicari. Quare & in hoc sensu, si quis profiteretur se huiusmodi excommunicationes indebite latas contempturum, contra fidem Catholicam nō erraret. Oppono tamen vel maxime, admissa plenissima in Papa excommunicandi facultate, & concesso, nihil prorsus obstare quo minus contra Reges ex caussa, maxime hæresis, illam possit exercere, adhuc tamen iuramētum hoc, articulo huic, de potestate clauium in Ecclesia, quo ad excommunicationes, nihil prorsus iniuriæ inferre. Ac prorsus nego, errare eum, qui iuret se suo Regi subiectionem debitam non negaturum, etiamsi à Papa, vel ab Ecclesia ille fuerit, tanquam hęreticus, excommunicatus. Quia optime simul stare possunt (vt docui in superioribus) plena obedientia erga Principes in temporalibus, cum resistentia in hæresi, & negatione communicationis in crimine anathemate perculso. Sicut non tollitur Ecclesiastica excommunicatio Patris, etiam si filij & eius familia ei communicent in domesticis. Et iam docui, excommunicationem non posse Principi auferre communionem cum suis subditis in ciuili regimine, neque impedire subditos, quominus possint cū suo Principe in eodem regimine cōmunicare. Neq; se hoc iuramento quisquam astringit, vt non pareat Pontifici Regem excommunicanti (vt perperam interpretatur Bellarminus) sed tantum, ne pareat Pontifici, iubenti vt Regi à se excommunicato nō reddatur debita obediētia. Hoc enim Papa præcipere nō potest contra ius diuinum, vt iam explicui: & qui iurat hanc erga Principem obedientiam, iurat rem licitam, imo necessario debitam, ita vt Ecclesia non possit contrariū iuste præcipere: & si præciperet, errorem erraret intolerabilem: nec in huiusmodi decretis est ei parendum, sed Deo magis quam hominibus, qui præcipit obediētiam Regi in ciuilibus semper præstandam; idque eo arctius, quando iuramento etiam eadem obligatio cōfirmatur. In hoc autem Pontificio præcepto re vera continetur, vt obediatur homini contra obedientiam Dei. Est ergo falsum, in hoc iuramento negationem fidei Catholicæ contineri; hoc est negationem potestatis Papæ seu Ecclesiæ in excommunicando, cum scilicet hoc iuramentum, si Rex sit rite excommunicatus, relinquat excommunicatum; Regi tamen etiam rite excommunicato seruet integram obedientiam in ciuilibus, quæ optime stat cum excommunicatione: posito præsertim eo, quod est à me iam probatum, nimirum excommunicationem secum non afferre priuationem & depositionem in temporalibus. Hæc ad Bellarminum.

XVII. Suarez autem *cap.* 3. in hac iuramenti particula, alia effugia (quo est ingenij acumine) excogitauit: non quidem circa sententiam excommunicationis, quam nunc intactam relinquit, sed circa sententiam depositionis. Nam Rex subditum suum vult iurare, se obedientiam ciuilem perpetuo & absolute Regi seruaturum, non obstante etiam, vel excommunicatione, vel depositione Papali. His enim duob. duntaxat prætextibus vsi sunt Papæ contra Principes, in rebellionibus contra eos excitandis; aliqui solius excommunicationis, vt ostendi *lib.* 6. *cap.* 10. *nu.* 17. *& seqq.* alij, qui excommunicationem haud sufficere viderunt, cōmenti sunt depositionem, vel ipsi Hildebrando, & Aquinati ignotam. Suarez vero interrogat, an Rex intelligat sententiam Papæ deponentis Regem baptizatum, & qui se Christianum profitetur, ꝓpter crimina, posse esse iustam; an vero credat semper esse iniustam. Ego ei respondebo, (quod puto omnino etiam Regem responsurum) sentētiam hanc depositionis nunquam posse esse validam, sed semper fore ipso facto nullam, & contemnendam: ac proinde ex nulla hac sententia non posse obedientiæ perpetuæ, & absolutæ præiudicari, nec posse subditos per talem futilē & semper inanem sententiam, vnquam ab obedientia ciuili, iure diuino naturali debita, liberari. Est autem sententia illa semper nulla, quia Ecclesia in Reges, ratione rerum temporalium (quale est sceptrum Regium) nullam habet, neq; directam, neq; indirectam potestatem. Et

quando Regis grauissima sunt crimina, ad summum Ecclesia potest illum excommunicare. Sed excommunicatio non priuat hominem suis iuribus temporalibus, vt toties monui: & debetur obedientia ciuilis Regi etiam iuste excommunicato, æque ac Regi cuiuis sanctissimo. Hoc autem de Papa, vel Episcopo verum non est: quia Papa & Episcopi sunt meri ministri Christi & Ecclesiæ, qui per Ecclesiam & poni & deponi directe possunt; & per Principes etiam indirecte, vt diximus, non sic Principes supremi. Ideo nemo licite iurare potest, se Episcopum in sede sua defensurum, etiamsi iuste & rite depositus fuerit: Iurare tamen potest & debet quisque subditus, se Regem suum in throno defensurum, etiamsi de facto & nulliter deponeretur, cum scilicet nunquam possit iure deponi. Grauiter itaque peccat, quicunque sibi ipsi exceptionem suggerit, se non teneri ad obedientiā ciuilem suo Regi præstādam, nisi quamdiu Papa illum tolerat, nec deponit. Facit enim exceptionem contra ius diuinum naturale, contra quod falsa, & vsurpata potestas nihil vnq̄ potest. Et tantundem est, quātum ex parte Iurisdictionis, apponere hanc exceptionem, *quandiu Papa eum non deponit*, atque apponere istam: *quandiu Turcarum magnus Muphti eum a se depositum non declarat.* Nam sicut Muphti nullam habet in Reges (præsertim Christianos) iurisdictionem, ita Papa quoq; nullam penitus habet, saltem quoad depositionem.

XVIII. Obligatio obedientiæ, inquit Suarez, *ibid. n.6.* in quocunq; ordine vel statu, tantum durat in subdito, quantum in superiori durat dignitas, seu potestas & iurisdictio: quia hæc sunt correlatiua, & vnum ab alio pendet, &c.] At nos loquimur de supremis Principibus, qui in sua ditione superiorem non habent. Et tales Principes dicimus in terris nullum habere in temporalibus superiorem. In iis itaq; dignitas semper durat, & consequenter in subdito obedientia. Alium nouum errorem Suarez in eadem iuramenti parte obseruat; videlicet negari virtualiter posse Papam præcipere subditis, vt Regi pertinaci in aliquo errore, vel publico ac scandoloso crimine, non obediant: & absoluere eos pro tunc ab obligatione obedientiæ.] Isthæc autem ita sunt ab errore immunia, vt contrarium asserere aut hæresis sit, aut quid proximum hæresi. Nam iure diuino subditi tenentur esse fideles & obedientes suo Regi in ciuilibus, absque vlla reseruatione, limitatione, aut conditione. Ius vero Regium non amittunt Reges propter peccata, neque est vlla potestas in terris, quæ possit Reges legitimos ex quacunque caussa suo iure priuare. Vnde autem habet potestatem Papa vel Ecclesia supra ius diuinum naturale, vt licitum faciant subditis rebellare suo legitimo Regi, & aduersus eum insurgere? Hæc profecto doctrina fons est scandalorū & seditionum, & trāquillitatis publicæ radices enecat: quam si Principes Christiani gliscere permittant, nihil eis tutum erit, vtpote qui precario regnent, & sceptra sua sub nutu Papæ teneant.

XIX. Proditiones & proditorias conspirationes vt a se amoueret Rex, iuramento astringit suos subditos ad eas reuelandas. Iustum esse in hac parte iuramentū, fatetur Suarez *ibid. n.7.* Si tamen ab eo duplex fraus absit. Prima fraus, *inquit*, potest esse, quod proditio appelletur, quæ proditio vere non sit, sed iusta defensio, iustum bellum, iustum supplicium: quando nimirum Rex a Papa est depositus; tunc enim Rex non est: & tunc parendum est Communitati, pro bono communi contra Tyrannum conspiranti, & secretum talium conspirationum seruare tenetur quisque, iniusteque ac sacrilege compelluntur iuramento hoc homines, ad detegendum tale secretum, quod omnino seruare tenentur in tali casu.] Reserate aures sacratissima capita, colendissimi Principes: Audite, sed & obstruite vocem ex ipso Inferno, seditionum & Regicidiorum conceptaculo, sonantem, per calumniam hominis specie tenus deuoti & sancti. Proditiones & proditoriæ conspirationes, non sunt proditiones nec conspirationes, si Papa authore fiant; imo sunt defensiones, sunt iustum bellum, sunt iustum supplicium, secretæ debent esse, & nullo modo reuelandæ. Vnde autem hæc audacia? Vnde portenta hæc tam scandalosa & impia? Certe fundamentum habet non aliud, quam potestatem Papæ in Regibus deponendis: Eam vero nos somnio similem esse iam demonstrauimus. Erunt ergo hæ veræ & propriè dictæ proditiones; nec vnquam iustum est bellum inter subditos, & suum legitimum Regem. Hi sunt limites, hic rerum terminus, quem diuina institutio generi humano præscripsit. Ita Ecclesia, pura, pia, sancta, & modesta, a proditionibus & proditoriis cōspirationib. vehementer semper abhorruit: & persecutiones grauissimas patienti & lubenti animo tolerauit, obediētiam ciuilem etiam impiis persecutoribus nunquam negauit. Sacrilega vero hæc hodierna doctrina coniurationes proditorias, Regifugia, ac Regicidia, iusti belli, iustæ defensionis, & iusti supplicij nomine quam impie, quam sacrilege cohonestare audet. En Principes sapientissimi simulq; patientissimi, quo vos perduxit, quā lubrico in loco statuit Papatus ille, vestro amplexu primum fotus, iam vestrum iugulum morsu exitiali petens. Nec filios tantum, sed & hostes suos armat hic Pater exterminator, in vestra capita. Quippe si tales proditiones & proditoriæ conspirationes belli iusti nomine censendæ sint, in caussa potissimum religionis, licebit a pari iam Protestantib. subditis nihil minus conspirare contra Reges suos Romano-Catholicos; quā subditis Romano-Catholicis contra suos Reges ac Dominos Protestantes. Posset n. cœtus Ministrorum, æque ac Papa, prætendere potestatem, in casu religionis, Principes Papistas deponendi. Ita neutrobiq; tuti estis: quam certe huic pestilentissimæ doctrinæ debetis gratiam. Nos autem in his veritatem commonstremus. Quæ ad religionem spectāt separanda sunt a ciuilibus, & aliter hæc, aliter illa tractanda. Ciuilis obedientia iure diuino debetur absoluta & perpetua suo Principi, cuiuscunq; ille, cuiuscūq; subditi sint religionis, vel sectæ: ius diuinū in hoc nullam variationem, nullam exceptionem, nullam patitur in terris dispensationem. Diuina religio seorsim diuino verbo, verbique ministerio, toto directiuo duntaxat & instructiuo, est dirigenda: vt in ea semper Deo magis quam hominibus parendum sit. *Sæpe enim cōtingit*, vt in spiritualibus aliud Deus, aliud homines, etiam Vicarij Dei in temporalibus, præcipiant. In temporalibus autem vix contingit, vt aliud homo, aliud Deus præcipiat: Quicquid enim in his homo Vicarius Dei præcipit, id Deus ordinarie præcipit. Quod si in prudentia ciuili deficiat Rex, nihil in hoc negotij habet Ecclesia: temporalia suum cursum habent, adsunt consiliarij, & monitores, semper tamen obedientia intacta manet.

XX. Aliam fraudem dicit esse Suarez, *ibid. n.9. & 10.* quod reuelationem proditionū postulet hoc iuramentum, si earum habeatur vndecunq;, & quomodocunque notitia. Quando igitur secretum alicui notum sit, sub sigillo tantummodo confessionis, tunc sacrilega, *inquit*, erit reuelatio, illa nimirum quam sigillum omnino impedit.] Sigillum hoc esse nouum inuentum, neq; posse, aut debere damnum priuatum reuelati priuati secreti præiudicare bono publico, & communi publicæ tranquillitati, iure naturæ satis constat, vt innui,

lib.

lib.5.cap.7.in fine. Optimè tamen notârat Rex, etiam Scholasticos non esse adeo rigidos, quin velint pro bono communi teneri Confessarium rem ipsam indicare, persona non reuelata. Atque vel inde Garnetum Iesuitam reddebat inexcusabilem, qui fassus est, conspirationem illam puluerariam Anglicanam sibi notam fuisse, sed sub sigillo tantummodò Sacramentalis confessionis, ideoq; sibi non licuisse eam reuelare: vt autem sodalem suum excusent Bellarminus & Suarez *ibid. num.11.* non negant id illum fassum esse, sed declarant regulam illam Scholasticorum, de prodenda re, tacita persona, non semper locum habere: & indicandum esse Principi, vt caueat periculum, quando ipse est Catholicus, qui religionem confessionis Sacramentalis credat, & in debita reuerentia habeat: quando etiam Princeps pius est & Christianus, de quo præsumi non possit aliquid vltra fas interrogaturum, aut confessarium molestiis affecturum, & personam etiam velle omnino sibi detegi.] Sed iuris diuini naturalis est obligatio, vt quisque, quantum potest, citra proprium damnum, impediat, ne horribilia scandala & mala atrocia eueniant, quæ si potuit commodè, & noluit impedire, in ipsius etiam culpam redundabunt. Nihil ergo ad rem est, siue Princeps, cui malum iniustum imminet, sit fidelis, siue infidelis, orthodoxus, siue hæreticus, Confessionis sectator, seu contemptor; ius enim naturæ de impediendis sceleribus, non distinguit personas, in quas scelera sunt committenda: & homicidium est, occidere, aut esse reum occisionis iniustæ hominis Ethnici, perinde ac Christiani. Neque ideo tenetur Confessarius, sciens vnum Christianum esse occidendum, impedire ne occidatur, quia ille Christianus confessionem credit esse Sacramentum, sed quia malum est, hominem quemcunque occidi iniuste. Incommodum verò proprium, & molestia facile vitari possunt, prout etiam personæ reuelatio. Scripto enim agi potest, quod incerto & ignoto authore periculum prodat. Non destitit, inquit Bellarminus de Garneto, puluerarios dissuadere, sed non potuit. Debuit igitur caute Regem monendum curare, etiam per occultas syngraphas, vt sibi caueret. Sed Sigillum hoc Confessionis frustrà in hoc Garnetica casu obtenditur. Quis enim Pontificiorum ad Confessionem Sacramentalem accedit cum animo in scelere fixo & obfirmato? Potius igitur in confessione, si confessio fuit, consuluerant illi Garnetum, an id eis liceret, parati forte desistere si non liceret, & exequi si liceret. Executi certe sunt, quantum in ipsis erat: quid igitur? an non licet vehementissime suspicari, illos in confessione audiuisse, id licere, & ad opus etiam animatos?

XXI. Si pœnitentes, inquit Suarez *ibid. num.12.* de incolumitate sua per illud secretum securi non fierent, nullus esset, qui similia facta in confessione reuelare auderet. At iuramentum Britannicum non postulat reuelationem peccati iam commissi (quod solum est materia Sacramentalis confessionis) & proditionis iam factæ, & exequutioni mandatæ: sed postulat reuelationem consilij iam initi, & conspirationis ad peccatum proditionis committendum, non iam commissum. Hoc autem peccatum mentale de re futura, non est materia confessionis, nisi forte qui consensum internum iam tali peccato faciendo præstiterit, sed mentem suam & consilium reuocauerit. Et talia mala consilia iam abiecta, non sunt virtute huius iuramenti reuelanda. Sed ea, quæ vigent adhuc, & paratam habent executionem, vel in ipso confitente, vel in aliis complicibus, qui forte talem cogitatum non exuerunt. Nemo autem confessione aperit peccatum committendum, quod omnino committere statuit, nisi fortasse duntaxat consulendo, vtrum necne sit peccatum, vt dicebam. Si Confessarius (tunc consiliarius verè, non confessarius) negat licere, & videt nihilominus illum confitentem in malo proposito perseuerare, iam non tenetur secreto sigilli confessionis Sacramentalis, quia hæc fuit consultatio rei faciendæ, non confessio peccati commissi, cui data vel danda sit absolutio. Neque verò hæc mea solius est sententia, aut noua, sed probatiorum nostrorum, qui de sigillo confessionis scripserunt. Innocentius IV. *in c. Omnis vtriusq; sexus. de pœnitent. & remiss.* Abbas *ibid.* Alens. *part.4.q.78.m.2.artic.2. Sylu. verb. Confessio.3.q.5.* qui scilicet hanc futuri peccati retectionem à sigillo eximunt; quia in tali casu Sacerdos non est minister Dei, nec tenetur celare simpliciter detectum vt committendum; talis enim detectio in pœnitentiali foro non est. Vide etiam Dominicum à Soto *relect. de ratione tegen. secr. m.8.q.4. conclus.2.* qui exemplum affert quorundam, qui in Pontificem conspirauerant: & huiusmodi peccata, ait, celanda non esse, sed statim potius denuntianda. Non adest ergo obligatio ficti illius sigilli, sed naturalis & ordinaria seruandi secreti: quæ naturalis obligatio in proditoribus, & publicis intolerandis scandalis locum non habet. Maius enim malum impeditur, si non seruetur secretum, quàm si seruetur: & sic iure naturæ seruatio secreti cedit in tali casu reuelationi. Optimè igitur iuramentum Britannicum cauet vitæ Regis, ac obligationem imponit, vt notitia proditionum etiam in confessione habita reueletur: quia etiam stante Pontificiorum doctrina, ipsa quidem falsa, vt docui *lib.5. cap.7. de Confessione Sacramentali,* in casu facinorum non patratorum, sed patrandorum, confessio non est, sed mera consultatio. Consiliarius verò, etiam sub secreto quocunque naturali, tenetur secreta proditionum aperire, neque obligatione secreti naturalis excusatur, quin capite iustissimè plectatur, si conuincatur consultus fuisse, & non reuelasse: nam eo ipso, quod non reuelauit, præsumitur suo consilio sceleri fauisse. Qui igitur reuelat cautè rem, non personam, neque se reuelante prodito, & sanè cauta per scriptum reuelatione, tanto tutius Deo & propriæ conscientiæ satisfacit. Ea profectò via, Deo bene Regi innocentissimo fauente, facta est puluerariæ proditionis per literas autoris ignoti quædam virtualis reuelatio: qua tantum periculum est amotum, dum ille sceleris conscius priuati amici vitæ consulit. Garnetum tamen expressi consensus, & consilij illius proditionis, citra confessiones, reum fuisse, Acta probant.

XXII. Sed actis Anglicanis nec Bellarminus, neque Suarez fidem adhibent. Quis quæso his incredulis fidē adhibebit? Certè ipsi Anglo-Catholici, quorum non pauci ipsis processibus publicis (qui de more patriæ aperto in auditorio peraguntur) interfuerunt, & Anglicanum in iudiciis capitalibus candorem probè norunt, ea, quæ de his in Anglia publicè eduntur, adeo certa, & omnibus nota esse agnoscunt, vt exteros à nugiuendulis deceptos, qui Solem meridianum lucere negant, mirentur, imò rideant. Quam facile esset ipsis, si quid vani suis in fide Romana sodalibus affingeretur, suo oculato & aurito testimonio refutare? Nec tamen quisquam eorum, quod audio, inuentus est, qui vllam narrationum de puluerariis proditoribus editarum particulam redargueerit. Si enim possent mendacij acta publica, & imposturæ insimulare, cur non libellis saltem furtiuis, quos de controuersiis Theologicis, & pro Sacerdotum, ac martyrum suorum defensione, magno numero subinde emittunt,

tunt, hoc aut illud aliter se habuisse demonstrant? Suarez ait, se certam illius rei historiam legere non potuisse. Fortè si ipsum processum totum (qui Latinè editus prostat sub titulo Actionis in Henricum Garnetum) non modò scriptum legisset, sed & actum, gestumq; coram vidisset, in honorem tamen Societatis, & auribus & oculis suis omnem fidem derogasset. Ex hac erga suam Societatem reuerentia, religionem putat, fratri suo Bellarmino fidem suam, etsi cœcam, haud porrigere; asserenti, se à, nescio quo, graui teste audiisse, ipsum ex ore Garneti in mortis articulo audiisse, se illius proditionis conscium non fuisse, nisi in Confessione Sacramentali. Quod tenebricosum susurronis testimonium, vel confingat, vel sequatur hoc de negotio Bellarminus, non floccifaciendum. Qui propius hîc adsunt, vel clarè veritati aures aperiunt, viri cordati, sciunt indubitata esse, quæ publicis enarrationibus hîc consignantur, nec vlla franguntur calumniarum procella, nec impetuntur quidem. Illa cõtra Garnetum Actio typis euulgata clauditur narratione supplicij de eodem sumpti; ex qua constat, coniurationem illam Garneto etiam extra confessionem enotuisse. Eam ego in tuam, P. Suarez, & aliorum, qui non viderunt, gratiam, hîc verbatim subiicio.

SVPPLICIVM DE HENRICO GARNETO, Superiore Iesuitarum in Anglia, sumptum.

23\. Die tertio mensis Maij *Henricus Garnetus* extremũ supplicium subiit, in pegmate ad id destinato, iuxta portã Occidentalẽ Ecclesiæ Cathedralis S. Pauli Lõdini. Cùm in pegma ascendisset, quasi attonitus cõstitit, ipso vultu timorem & mentem malè consciam facilè prodente. Decani S. Pauli, necnon Ecclesiæ Wintoniensis, qui aderant, admodum grauiter & Christianè illum ad veram & viuidam in Christum fidem, ad ingenuam & publicam criminis confessionem adhortati sunt, & si qua alia proditoria machinatio ipsi comperta esset, ne reticeret, sed conscientiam exoneraret, & cum dolore se detestari demonstraret. *Garnetus* autem, qui impatientior has illorum adhortationes iniquo animo tulit, eos rogauit, ne sibi negotium facesserent, qui animo ad mortem parato & firmato accesserat. Tunc *Henricus Montague*, Ciuitati Londini A memoria siue *Recordator*, qui à Rege iussus ibi adesse, *Garnetum* interrogauit, si quid haberet, quod populo circumstanti communicaret, nullum iam tempus esse simulandi monuit, cùm eius crimina omnibus manifesta & in medio essent posita, itaque, si modò vellet, vniuersis testaretur, quæ suiipsius esset de seipso, & criminibus illis sententia; integrum enim esse sibi quæ luberet eloqui. At *Garnetus*, qui hæc inuitus audiuit, respondit, vocem eius adeò esse submissam, viresq; extenuatas, vt si populum alloqueretur, exaudiri non posset. Adstantibus autem in pegmate dixit, consilium fuisse sceleratum, & susceptum scelus fuisse immane, & eiusmodi, vt si peractum fuisset, non potuisse non ex animo auersari. Addidit, se tantum à *Catesbeio* in genere intellexisse, & in hoc tamen peccâsse, quòd celauerit, & præuertere neglexerit. Quæ autem in particulari nouit, dixit, se tantum sub sigillo Confessionis accepisse. *Recordator* verò monuit, vt in memoriam reuocaret hæc quatuor, quæ inter alia Rex propriâ ipsius *Garneti* manu consignata habuit.

1. *Greenwellum* illi rem significasse, non vt peccatum, sed quam ipse prius intellexerat, idque consultandi gratiâ.
2. *Catesbeium* & *Greenwellum* ipsum accessisse, vt in scelere suscepto confirmarentur.
3. *Tesmundum* & ipsum colloquium, de particularibus in proditione illa per puluerem fulminalem, satis longo pòst tempore in Essexia habuisse.
4. *Greenwellum* interrogasse *Garnetum*, quis Regni *Protector* futurus erat? *Garnetumq;* respondisse, id differendum esse, donec res esset acta & transacta.

Hæc euincunt, scelera illa aliunde, quàm ex Confessione tibi cõperta fuisse, & hæc tua ipsius manu cõsignata habentur. *Garnetus* respondit, quicquid sub manu sua consignatum fuerat, verum esse, quodque, quæ sibi comperta Regiæ Maiestati non aperuisset, mortis sententiam iustissimè in eum fuisse pronunciatam, veniamq; à Regia Maiestate precatus est. Hinc *Recordator* duxit eum ad pegmatis marginem, vt eius confessio à populo audiretur.

Tunc *Garnetus* inquit: Huc accessi hoc festo die *Inuentionis Sanctæ Crucis*, vt finis imponatur omnibus crucibus, quas in hac vita pertuli. Supplicij mei causa vos minimè latet, me in Regem peccasse confiteor, quod mihi est dolori, quoad malè conscius fui, scilicet in reticendo; & hoc nomine veniam à Regia Maiestate supplex peto. Machinatio contra Regem & Regnum sanguinolenta erat, quamque, si peracta fuisset, ego ipse intimis sensibus & toto animo detestaturus eram. Doleo sanè maximè, & peracerbè fero, Catholicos tàm atrox & immane facinus suscepisse. Tunc à populo conuersus, ad circumstantes Apologiam pro *Anna Vaulx* instituit. Spectatissimæ, inquit, fœminæ labes immeritò aspersa est, quia vulgò perhibetur, me illam in vxorem duxisse, vel quod peius. Ego autem contrà protestor, fœmina est virtute prædita, &c, quod ad me, virgo intacta. De *Breuibus* illis *Papalibus*, *Edmundi Baynham* in exteras Regiones profectione, & de machinatione illa cum puluere fulminali, se ad actionem in ipsum habitam, & *suas* ipsius Confessiones retulit, quia, quicqid sub manu ipsius in Confessionibus extat, verum esse agnouit.

Ad mortem iam se accingens, ad scalam, qua in patibulum ascendendum erat, in genua procubuit, & percunctatus est, an sibi liceret orare, & quàm diu. Responsum erat, sibi tempus ipse præscriberet, & quod nemo interturbaret. Videbatur non potuisse constanter & deuotè orare mortis terrore vel veniæ expectatione distractus; inter orandum enim subinde intermisit, circumspexit, & respondit, si quid inaudiret, dum orare videbatur. Cùm iam surrexisset, *Recordator* ex gestu obseruans, illum veniæ expectatione quasi torqueri, monuit, ne ipse sibi & animæ suæ fraudem faceret; cùm iam ad mortem adductus esset, & ipsi moriendum, simulque postulauit, ne supremum iam spiritum editurus *æquiuocaret*, sin aliquid, quod Regi aut Regno fraudi esset, nouerit, enuntiaret. *Garnetus* respondit: Non hoc tempus est *Æquiuocandi*, quousque *Æquiuocare* licitum, & quando, iam alibi sententiam explicaui meam, nunc autem minimè *Æquiuoco*, & plura, quàm confessus sum, haudquaquam noui; Cùm scalam ascenderet, petiit,

petiit, vt admoneretur, priusquam scala submoueretur, responsum est, nihil aliud quàm mortem expectandum esse. Iam ad patibulum eiusmodi verbis vsus est: Omnibus bonis Catholicis me commendatum habeo, DEVM comprecor, vt Regiam Maiestatem, Reginam, Regiam Sobolem, & Dominos à Sanctiori Consilio tueatur, quos quàm officiosissimè saluto, & quibuscum simulatè me egisse malè me habet. Verùm non putaram, illos ea contra me indicia & argumenta habuisse, donec coram produxissent. Tunc enim maiori honori mihi duxi confiteri, quàm antea meipsum subaccusasse. Quod ad fratrem meum *Grenvvellum*, in votis habeo, vt veritas elucescat, falsi enim rumores illi maiora, quàm admisit, crimina affingunt. Ego illum in crimen neutiquam vocaueram, nisi illum iam extra periculum esse existimassem. Faxit DEVS, ne grauius cum Catholicis meo nomine agatur, eosque adhortor, ne eiusmodi proditionibus & rebellionibus contra Regem se immisceant: simulque orare cœpit, & cruce se signans dixit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Maria mater gratiæ, Maria mater misericordiæ, Tu me à malo protege, & hora mortis suscipe; In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Iterum se signans: *Per crucis hoc signum fugiat procul omne malignum; Infige crucem in corde meo, Domine; Fac vt semper crucis meminerim.* Et denuo incepit: *Maria mater gratiæ.* Tunc scala submota suspendio vitam terminauit.

XXIV. Certè si qua ex parte claudicet hæc narratio, in eo deficit, quod non pergat attexere fabulam illam insipidam, aridam, & stramineam, de arista in loco supplicij inuenta, quæ nescio quo pacto in nescio cuius manum venit; in ea autem sanguineo colore depictam hominis faciem; hoc miraculo consignatum Garneti martyrium; & ipsam spicam in externas regiones sanctarum instar reliquiarum deportatam; ipsumque adeo Garnetum iam protomartyrem Sanctissimi Confessionis Sacramenti prædicari. Abstinuit ab hoc miraculo Suarez; sciebat enim imposturam esse: siquidem miraculi primi obseruatores debebant ipsum publicè comprobare, & Regi potissimum, etiam cum vitæ discrimine, si quod timere poterant, ne tanti martyris gloriam à DEO miraculo testatam supprimerent, manifestare. Bellarminus autem *Apolog. pag.* 143. 150. 151. durioris quoque fidei, qui editas narrationes fortè non legit, certè durissimi oris clamat, Actionem in proditores sine pudore mentiri, & acta conficta haberi, qualia fuerunt à persecutoribus Christianorum conficta Acta sententiam Pilati in CHRISTVM prolatam continentia: vt est apud Euseb. *lib.* 9. *cap.* 5. Nec tamen hanc impudentiam, mendacitatemque aliis affingens ipse, ad impudentiam à se amoliendam, vlla in re, aut circumstantia speciali errorem eo in libro vllum deprehendit. Ait de hoc ipso, Regiam præfationem narrare, non probare. An non hic ipse narrat, & non probat, imò ne narrat quidem, cùm nihil contrarium proponat? Sed vidit Bellarminus (vt ait) responsionem, etiam antequam publicè ederetur, qua Actionis illius mendacia deteguntur. Quis verò crudam illam coxit responsionem? *Crex semper mendax, mala bestia*; Eudæmon scilicet Ioannis, qui res Anglicanas non magis sapit, quàm lapis, nec quicquam aliud in sua illa declamatiuncula, quàm confictas ab aliis ridiculas calumnias phrasiunculis Latinis inducit clamosus Grammaticaster. Eius portentosa mendacia, ineptiasq; difflauit vir doctissimus ac integerrimus opr. mem. D. Rob. Abbotus Theologiæ Professor Oxoniæ, postea Episcopus Satisburensis: in sua Antilogia aduersus Apologiam eiusdem Cretensis pro Henrico Garneto. Eam qui legerit, Græculi nugas haud fastidire non poterit. Sed in viam redeamus.

XXV. Iuramentum Britannicum oppugnat Suarez in ea particula, in qua abiuratur tanquam impia ac hæretica doctrina ac propositio eorum, qui aiunt posse Principem per Papam excommunicatum, vel depriuatum per suos subditos, vel alios quoscunque deponi & occidi. Tria obiicit Suarez: Primò doctrinæ, in hoc articulo iuramenti, falsitatem. Secundò, recto iure non posse Reges tale iuramentum à subditis exigere. Tertiò, id ad ciuilem non spectare obedientiam. Quoad primum, tractat materiam iam toties & à tot scriptoribus vtrinque exagitatam, An liceat, priuatâ præsertim authoritate, Tyrannum occidere. Distinguit de Tyranno, vt sit vel Tyrannus in iure, hoc est, intrusus, iniustusq; Regni occupator, vel Tyrannus in facto tantum, & iniusto regimine, licèt iustum Regni titulum habeat. De priori disputare hoc loco non est ad rem: Iuramentum enim, quod examinamus, est iuramentum à legitimo Rege suis legitimis subditis exhibitum: quo astringuntur in sui legitimi Regis vitam, nulla occasione, nulloque impulsu, siuè publicè, siue priuatim, insurgere. Misso itaque Tyranno iuris, qui solus est Tyrannus propriè, de legitimo Rege, qui sit Tyrannus duntaxat moribus & factis, ait Suarez *ibid. cap.* 4. *num.* 5. priuata authoritate Tyrannum talem occidi non posse sub titulo vindictæ & iustæ punitionis: sub titulo tamen iustæ defensionis distinguendum putat, an quis defendat seipsum, vel Rempublicam; si seipsum, an defendat bona tantum externa, an vitam propriam. Pro bonis, *inquit*, externis, nemini licet in Regem insurgere: si tamen Rex priuatim velit subditum interficere, ille, *inquit*, potest licitè vitam tueri, etiamsi sequatur mors Regis iniusti aggressoris. Sed iste casus est rarissimus, atque insolitus, & fermè Metaphysicus. Nam vel Princeps id non facit, vel si facit, præsumendus quidem est adeò præsidiis stipatus facere, vt miser ille non possit vi sua vti. Quousque autem etiam in hoc casu vim vi repellere liceat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, satis explicatur à Iuristis. Addit Suarez, si ex morte Prncipis sequeretur magnum Reipublicæ damnum & incommodum, tunc priuatum illum non posse licitè suum Regem occidere, etiamsi posset, etiam vbi ille esset iniustus aggressor.

XXVI. Pro defensione verò Reipublicæ, occisio hæc, *inquit ibid. num.* 6. locum non habet, nisi vbi Rex actu aggrederetur Ciuitatem, vt illam perdat, &c. — tunc enim licet Reipublicæ quocunque modo se à suo Principe sibi hoste facto liberare. Quod si non aggrediatur Rempublicam, sed Rex titulo legitimus iniustè regat, & tyrannicè gubernet, tunc, inquit *ibid. num.* 14. priuato nemini licet vnquam illum occidere priuata anthoritate, etiam post sententiam depositionis. Latâ verò sententiâ per legitimum talis Regis Iudicem, (*& hunc Iudicem probat* ibid. num. 15. *esse, vel ipsam Rempublicam, vel Summum Pontificem,*) tunc, *ait ibid. num.* 14. priuatur Regno, ita vt non possit iusto titulo illud possidere: ergo ex tunc poterit tanquam omnino Tyrannus (*qui etiam titulo & iure Tyrannus sit*) tractari; & consequenter à quocunque priuato poterit interfici.] Et postea hæc habet *ibidem num.* 18. Dicendum est, — post sententiam condemnatoriam Regis de Regni priuatione, latam per legitimam potestatem; vel quod perinde est, post sententiâ declaratoriam criminis habentis talem pœnam ipso iure impositam, posse quidē eum, qui sententiam

tulit,

tulit, vel cui ipse commiserit, Regem priuare Regno, etiam illum interficiendo si aliter non potuerit, vel si iusta sententia ad hanc etiam pœnam extendatur.] Data ergo sententia, & commissa ipsius executione; siue alicui particulari, siue in generali, Regem etiam legitimum expelli & occidi posse asserit. Nam qui potest, *inquit ibid. num.* 19. aliquem iustè condemnare, potest etiam pœnam exequi, per se, vel per auxilia ad id necessaria. — Ita ergo quando Respublica iustè potest Regem deponere, rectè faciunt ministri eius Regem cogendo, vel interficiendo, si sit necesse. — Eodemq; modo si Papa Regem deponat, ab illis tantum poterit expelli, vel interfici, quibus ipse commiserit. Quod si nulli executionem imperet; pertinebit ad legitimum in Regno successorem; vel si nullus inuentus fuerit, ad Regnum ipsum spectabit. Et ita tradunt Doctores seruandum esse in crimine hæresis, quando Rex hæreticus per publicam sententiam Regno priuatus declaratur. — Si Papa aliquem Regem per sententiam declaret hæreticum, & à Regno depositum, & de executione nihil amplius declaret, non statim potest quilibet Princeps contra illum mouere bellum. — Et ideo solus legitimus successor eius, si Catholicus sit, habet tunc illam facultatem; vel si negligat, vel nullus sit, Communitas in Regni illo iure succedet, dummodo sit Catholica. Ipsa verò petente auxilium ab aliis Principibus, illud præstare poterunt, vt per se constat. Si autem Pontifex — aliis Regibus potestatem tribuat inuadendi tale Regnum, tunc iustè fieri potest, quia neque deest iusta causa, nec potestas.] Denique hanc veram & certam doctrinam asserit *ibid. nu.* 20. ac inde manifestè conuinci, Iuramentum Britannicum continere errorem contra Catholicam doctrinam.

XXVII. Mihi verò, dum hæc lego, oculi stupent, dum hæc transcribo, manus contremiscit. Proh Sancte Iesu! hæc ab iis, qui nomen tuum sibi peculiare adsciuerunt, qui se doctrinam tuam in Orbe Christiano sustentare, in non Christiano seminare gloriantur, hæc Orco digna eructare? hæc Tartareis flammis vindicanda spargere? Neque verò adeò miror tàm dira & truculenta à presbyterculo scribi, quàm potuisse typis mandari, & venum prostitui. Non video certè, cur talia vspiam imprimantur, nisi in Vrbe Papalis, vel Episcopalis iurisdictionis in temporalibus immediate. Cur enim quisquam Princeps politicus hanc aspidem pateretur oua sua mortifera in nido ditionis suæ ponere, nisi cui placeat Regnum vitamq; precariam ducere à Papæ nutu suspensam? Iniquitas iniquitati funibus alligatur, Superbia crudelitatem attrahit. Papa scilicet, quia Reges deponendi potestatem superbè sibi arrogat, etiam eosdem occidendi munus, & Carnificinam, Iudice Suarez, vendicabit: alterum falsissimum est; alterum horrendum, vtrumque intolerabile. Falsum est, Reges legitimos ex quacunque causa, seu temporali & ciuili, Tyrannidis exercitij, seu spirituali & Ecclesiastica hæresis; siue per Rempublicam, siue per Papam, esse deponibiles. Princeps supremus à nemine, vno excepto Deo, iure deponi potest: quod iam plenissimè probaui. Non à populo, quia potestatem suam habet immediatè à Deo, penitus independentem à populo, vt probaui *lib. 6. cap. 2.* Non à Papa, qui, quoad Ecclesiasticam potestatem, est vnus inter multos sibi æquales iure diuino Episcopos. Non ab Ecclesia, cuius potestas tota spiritualis duntaxat est, quæ ad temporalia; præsertim coactiuè, nulla ratione, etiam indirecta, se potest extendere, vt iam probaui in præcedentibus: Nunquam ergo potest contingere, vt in legitimum Principem supremum feratur sententia depositionis, etiamsi ob Tyrannidem malæ gubernationis eam vel maximè mereretur. Atque ob defectum iudicis competentis illa ferri non potest. Et sanè suprema pœna hæresis; quam potest inferre Ecclesia, etiam contra Principes, est sola excommunicatio. Excommunicatio verò in temporalia nihil operatur. Hoc iam notum est nouitiis & tyronibus, & tamen magnus Suarez *ibid. num.* 15. hæc ignorat. Si quid ergo contra hæreticos in temporalibus est statutum; vel statuendum; id à supremis Principibus totum pendet. Igitur neque sententiam depositionis ferre aduersus Reges, quantumuis hæreticos, neque executionem committere, præsertim occultis sicariis, vt fit; potest tota fidelium Communitas, non potest tota Christianorum Ecclesia, ac multò minùs potest Romanus Episcopus, vnus ex Ecclesiæ ministris meris & famulis: Ac proinde occidi aut expelli Rex legitimus, etiam tyrannicè gubernans, etiam hæreticus in fide, à nemine, nec publicè, nec priuatim potest: neque potest vnquam esse bellum iustum inter subditos, & suum legitimum supremum Regem, quia ille immediatus Dei in terris vicarius est, solo Deo minor, & soli Deo subiectus. Estq; expressus error contrarium docere. Qui enim potestati resistit, videlicet in obedientia ciuili, Dei ordinationi resistit, *Rom.* 13. Et qui docet contrarium, contra Scripturam docet, & sic errorem grauem tuetur. De executione autem sententiæ Papalis, quam illud crudele supra omnem immanitatem! Si Papa nihil declaret; solus Regis legitimus successor, modò sit Catholicus, habet illam facultatem, nempe executiuam. Itaque ex doctrina Suarezij, frater vel plerunque filius tenetur esse patricida, verus & proprius carnifex contra fratrem aut patrem suum, Quid verò limitatio illa, *Si sit Catholicus?* Stultè quidem, sed verè addita: Stultè; quia, vel ipso teste Suarez *lib. 3. cap. 4. num. 7. & nos sup. nostro cap. 3. §. 16.* ius successionis legitimæ ad Regnum, etiam in fideli potest competere; neque fides aut infidelitas iura naturalia turbant, aut impediunt: & si iure diuino ista sunt licita, quæ impia hæc tradit doctrina Suarezij, tum iure diuino naturali successio naturalis locum habebit, cuiuscunq; religionis sit successor. Verè, quia Catholicos intelligit Papæ mancipia; At barbarum & truculentum hoc officium neminem decet, nisi seruum illius Vrbis, cuius

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

XXVIII. Quoad secundum oppositionum ad impugnandum Britannicum Iuramentum *supra §. 25.* propositum caput; Qua authoritate, *inquit Suarez ibid. num. 20. 21. 22.* audet Rex Angliæ ad hæresum damnationem deuenire? Et damnare, quod nondum Ecclesia damnauit? Respondeo: Non damnat Rex, neque nouum cudit articulum, vt fit Romæ: sed clarissimam Scripturæ doctrinam Papali doctrinæ penitus contrariam, & satis per se in Scriptura damnatam suis proponit subditis: non quidem directè, vt eos in fide instruat (id enim non est directè munus Regium) sed vt obedientiam ciuilem, quam iustè quærit, liberam & absolutam, ab omniq; impedimento & labe purgatam obtineat. Nisi enim noua & priùs inaudita pestilens Papalis doctrina obedientiam ei ciuilem impediret, non conaretur iniusta hæc Impedimenta suo nouo Iuramento, quia illa noua sunt, auferre. Cur autem Ecclesia damnaret id, quod in hominum mentes nunquam antea venit? Damnauitne vnquam Ecclesia eam doctrinam, quæ dicat, Deum esse finitum, mutabilem, passione & perturbationibus moueri, &c? Profectò non damnauit: quia blasphemias hasce ante nostros dies, nunquam priùs, nisi à quodam Vor-

stio in

ctio in Dordracena Synodo iam coeunte, vt spero, damnando, audiuit. Tu verò, Pater Suarez, an non eam doctrinam hæreticam esse dices, & tuos auditores meritò monebis, vt ab ea caueant, eamque prorsus anathematizent? & non faciet id Rex, vbi doctrina manifestè hæretica & debitam ei subditorum obedientiam impedit, & sceptrum eius ac vitam manifesto exponit discrimini? Oportet ergo veros fideles subditos, vt certum faciant suum Regem de ipsorum firma & sincera ac constanti fidelitate, non fucata, non conditionata, non ab aliorum, ac præsertim hostium, nutu dependente, abiurare omnem falsam doctrinam, quæ sit directè debitæ huius ciuilis subiectionis ac fidelitatis destructiua: & Paulo ex diametro contraria, dicenti *Rom.* 13. Omnem animam debere esse sublimioribus potestatibus subiectam.

XXIX. Respondet Suarez, Paulum non dicere, omnem animam debere subiici potestatibus etiam excommunicatis, vel depriuatis à Papa.] Assentior tibi veracissime Suarez, Paulum nihil de depriuationibus Papalibus dicere, qui de Papatu nunquam, ne quidem per somnium, cogitauit, nisi forte, vbi grauissimam Ecclesiæ pestem prophetice adumbrauit. Nec minus à te dissentio, expectante vt Paulus mentionem faceret Potestatum excommunicatarum. Quid enim an non à pari, imo forte à fortiori illud insinuauit, de Potestatibus loquens iam tum Ethnicis, & Ecclesiam vexantibus haud minore flagello, quàm hæreticus vllus per Papam depositus? Itaque per consequentiam Paulus hic Potestates nominando, etiam excommunicatarum meminit: haud oblitus scilicet, Dominum Saluatorem excommunicati Christiani conditionem descripsisse per statum Ethnici, & publicani, ac ipsos interea Ethnicos Reges & Cæsares pro veris Potestatibus nihilominus agnouisse. Abi tandem Suarez cum putida hac tua annotatiuncula. Imò verò redi, & audi in aurem. Tibi, licet seni, reuertendum est in vterum Magistræ Dialecticæ. An oblitus es, indefinitum æquipollere vniuersali? Certe quando (vt hic) propositio est vniuersalis, nec ex natura rei fert secum vllam exceptionem, si quis velit illam ab vniuersalitate detrahere, & exceptionibus limitare, ille tenetur exceptiones suas probare. Si igitur excommunicatis Potestatibus non est parendum, ostendat Suarez excommunicatas excipi: Etenim frustrà petet, vt nos, qui habemus propositionem vniuersalem, & illimitatam, probemus illam non habere vllam exceptionem. Excommunicatio enim cum ciuili obedientia non pugnat, vt probaui *lib. 6. cap. 10. & lib. 5. cap. 9.* Depriuatio autem, fateor, tollit obligationem obedientiæ: quæ enim legitime priuantur Regia potestate, nō sunt amplius sublimiores potestates. Sed nullam vnquā posse legitimo Principi supremo legitimam depriuationem contingere; iam demonstraui. Qui ergo ista abiurat, suo iuramento doctrinam illam detestatur, non propterea quia Rex dicit esse detestandam, neq; inde iurat Regiam potestatem extendi ad articulos fidei declarandos: sed iurat ex se, ita Rege iustè poscente, se ea doctrina nolle vti, ad debitam obedientiam vlla occasione Regi denegandam. Et Rex, vbi præsertim agitur de bono politico, potest compellere Christianum subditum ad profitendum articulum fidei in Scripturis clarum, ex cuius professione malum politicum impediatur. Et sic ex parte Regis iuramentum hoc iustè requiritur, & à subdito iustè & debitè, imò necessariò præstatur. Veritatem enim & iure diuino naturali notam, & in Scripturis expressam propter rem ipsam, & non propter Regis autoritatem, iuramento piè sumpto, profitetur. Quod si Pontifex illos decipiens moneat & præcipiat contrarium, prudentes Christiani examinent suum iuramentum ex ipso iure, tum ex Scripturis; & clara veritate victi semper dicant, imò dicent: *Oportet obedire magis Deo, quàm hominibus*: Examen verò faciant non Regis, non Papæ authoritate, sed præceptis diuinis. Præcepto autem diuino ego iam probaui, omnes subditos teneri perpetuò liberam & absolutam absq; vlla conditione vel exceptione obedientiam ciuilem suo legitimo Regi præstare.

XXX. In vltima parte iuramenti errores, scilicet, vitandos obseruat Suarez *cap. 5.* Primum, quia abiuratur potestas Papæ, quam habet absoluendi subditos Regum Christianorum à iuramento fidelitatis. Bellarminus quoq; *pag. 166.* ait, hoc loco negari in Papa, siue Ecclesia, esse potestatem soluendi, sicut priora negabant, esse in eo potestatem ligandi. Vterq; tamen plurimum decipiuntur. Primò, quia nō est de fide, nec ab Ecclesia definitum, Papam habere potestatem absoluendi à iuramentis; & quamuis hoc multi colligāt ex verbis Domini; *Quodcunq; solueris, &c. Matth. 16.* Id tamē nō omnes, vt malè asserit Bellarminus *ibid. pag. 39.* sentiunt Catholici: nam vt optimè ei Regia obiecit Maiestas, plurimi sunt, qui de sola remissione peccatorum locum interpretantur. Quod ego etiam in pluribus sum persecutus *libris* 1. & 5. Deinde errant etiam, quia iuramenta promissoria sine consensu illius, cui facta est promissio, ab Ecclesia solui non possunt, vt *lib. 6. c. 10. n. 22.* demonstraui. Et vniuersaliter obligationes iuris diuini naturalis sub Ecclesiæ potestatem, vt tollantur, non cadunt: qualis est obligatio suo naturali Principi parendi. Negare ergo Ecclesiæ eam, quam non habet, potestatem, nullo modo malum est; tribuere tamen ei potestatem, quam non habet, & per se malum est, & hac in causa perniciosissimum, cum humanæ societati, quæ huiusmodi turbis susque deque vertitur, tum ipsi etiam Ecclesiæ, quæ hisce vsurpationibus in regnum degenerat terrenum & temporale.

XXXI. Hanc tamen potestatem Suarez *cap. 5. n. 2.* confirmat autoritate eorum Pontificum, qui per summum nefas intolerabilemq; Tyrannidem, & factis & decretis contra Principes insurrexerunt. Nec pudet hominem haud stupidum hic asserere, ita semper intellexisse & exercuisse Catholicam Ecclesiam; cùm in Catholica Ecclesia hoc perpetuò ante infelicissima Hildebrandi tempora fuerit inauditum; & non modò contradictorium, sed & contrarium, vsu legitimo, nec ab Ecclesia reprehensō vsurpatum; nempe vt & impios Imperatores antiqui Episcopi, etiam Romanus, nunquam deposuerint, & præterea Imperatores & Reges pij Episcopos, etiam Romanum, deposuerint. Sed facta quoque illorum Pontificum, qui cum Principibus decertarunt, exitum optatum nunquam habuerunt, vt ostendi *lib. 6. cap. 8. & 10.* Vbi videre potest prudens Lector, Papalem hanc absoluendi subditos à debita suis supremis Principibus fidelitate, & Principes deponendi potestatem, nil aliud esse, quàm meram Chimæram; sententiam autem negatiuam esse certissimam, & fide Catholica omnino tenēdam: nec tam vi iuramenti, quasi voluntarij, quàm iure diuino naturali, in Nouo etiam Testamēto clarissimè expresso, ad perpetuam & illimitatā obedientiam ciuilem omnes subditos suo legitimo Regi teneri: quā obligationem nulla vnquam potestas in terris potest tollere. Et hac veritate aufertur quidē Papæ potestas, quam in Reges non habet, sed non propterea ponitur potestas suprema in Regibus spiritualis, nisi quodammodo negatiuè: hoc est, nullam esse potestatem spiritualem, etiamsi supremam, quæ Regibus possit ciuile aut naturale quicquam quacunque ex causa vel occasione

casione detrahere. Ex quo fit, vt nullus possit dari casus, in quo subditorum obligatio, siue iuris diuini naturalis, siue sui iuramenti promissorij, tolli possit, aut quacumque ex parte labefactari. Frustrà itaque hîc de promissionis per materiæ mutationem euacuatione obloquitur Suarez *ibid. n.* 4. & de interueniente superioris autoritate: quorum neutrum hîc est dabile.

XXXII. Secundò opponit Suarez *ibidem num.* 6. huic vltimæ parti, in ea fieri confessionem supremæ Regiæ potestatis spiritualis, vbi vult iurari, plena authoritate illud iuramentum esse ministratum. Sic & Bellarminus ait, hîc agnosci in Rege esse plenam authoritatem iubendi, vt Pontificia excommunicatio siue declaratio contemnatur. Errant tamen: nam qui hoc iurat, nihil aliud affirmat, nisi Regem legitimè à suis subditis requirere obedientiam, & fidelitatem, cum tali declaratione, vt nihil præiudicare possit naturali obligationi subditorum erga suum Principem Papalis excommunicatio, seu declaratio, seu præceptum in contrarium. Et hoc addit Rex, non potestate vlla suprema spirituali, sed sola suggestione iuris diuini naturalis; quod certè non proponentis authoritate, sed insita vi sua valet, ac vincit hominum ingeniosè contra insanientium ineptias. Immeritò itaque odiosè inculcat Suarez, comparationem hîc institui inter potestatem Papalem & Regiam. Et vno verbo, idem est plena authoritate ministrari iuramentum, ac à Iudice legitimo, & competente, legitimè & iustè ministrari, ne forte iurans æquiuocatione eludat, sentiendo sibi à non Iudice proponi hoc iuramentum.

XXXIII. Tertiò opponit idem Suarez *ibid. nu.* 7. illis verbis, *cordialiter, voluntariè, & verè*, ea verba facere iuramentum sacrilegum, & manifestum periurium; vi enim, & sub pœnis etiam vitæ extorquetur: & tamen cùm inuiti iurent, iurant se voluntariè iurare: & sic necessariò coguntur peierare.] De pœna vitæ est mendacium, & cùm ad iustum iuramentum suscipiendum vocantur & vrgentur, tenentur voluntatem suam ad plenam fidelitatem flectere. Et si non flectant, non Regis iustè hoc iuramentum exposcentis, sed ipsorum subditorum impiorum culpa est, si peierent. Omnes profectò rebelles, si vi compellantur ad iuramentum præstandum, inuiti iurant, & tamen voluntariè iurant, & voluntariè iurare ac fidelitatem promittere tenentur in conscientia: nec propterea iniustum est iuramentum, si quis in infidelitate obfirmatus, inuitus tamen, ad vitandam pœnam iuret, & dicat etiam, se voluntariè iurare. Non secus ac cùm offensus pater filium immorigerum & rebellem castigans, adigit tandem ad palinodiam, sub expressa submissionis forma conceptam; in qua solenniter iurat, sese patri ex animo, lubenter, & voluntariè submittere, & sponte paratum esse, ad paterna mandata obeunda. Si adhuc tamen filius nequam, dum hæc ore profitetur, in sua perduret obstinacia, nec hoc nisi metu ductus pronunciet, hæc simulatio non est patri imputanda, qui ingenuam & liberam meritò expectat à filio obedientiæ debitam promissionem, sed ipsi filio, qui contumaciæ accumulans periurium duplicauit scelus. In Patre Patriæ, obedientiam iuramento ingenuo & minimè fucato firmatam poscente, apodosis clara est. Ad alia pergo.

XXXIV. Quoad tertium ex propositis contra iuramentum Britannicum, *suprà* §. 25. Rationes illas, quibus Rex Serenissimus suum defendit & probat iuramentum, sicut nos etiam probauimus, in eo nihil aliud præter ciuilem obedientiam, sed perfectam & plenam, qualis ei debetur, contineri, infirmare cupit Suarez *cap.* 6. sed verè nihil potest. Ante omnia ex titulo iuramenti; *ad detegendos, & reprimendos Papistas:* quod fecit etiam Bellarminus *in Responsione pag.* 37. colligens, iuramentum hoc non solam prætendere ciuilem obedientiam; Cur non dicitur, inquit Bellarminus, ad detegendos & reprimendos rebelles? nisi quia finis, cuius gratia excogitatum est iuramentum, non est detectio negantium ciuilem obedientiam, quod rebellibus conuenit, sed detectio negantium primatum spiritualem Regis, & confitentium primatum spiritualem Summi Pontificis, quod Catholicorum, quos vos Papistas appellatis, proprium esse dignoscitur.] Magnam verò iniuriam, quod ipse, à quo cauetur, hostis non taceatur, sed suo nomine designetur? Inverecunda ergo & audax Africana Ecclesia, quæ tempore Augustini (vt passim ex eiusdem Augustini Operibus constat) media quærit, & opem Imperatoris implorat contra Donatistas, non contentà generaliter appellare Schismaticos Ecclesiæ Catholicæ rebelles, & eiusdem persecutores? Vt autem, quia sola illa secta tunc temporis Ecclesiam vexabat, signanter & nominatim impetebantur Donatistæ; ita in Anglia, cùm hunc dierum nullum subditorum suorum genus clandæ fidelitatis suspectum habeat Rex Serenissimus, nisi solos Romanæ Sedi addictos, ac in Papæ verba iuratos (quos meritò, & aptè Papistas vocant) certè non tam opportunum erat generale rebellium nomen, quàm proprium hoc, quo ipsa designaretur inobedientiæ scaturigo, Papatus Romanus. Velle ergo detegere Papistas, est velle secernere rebelles (qui non nisi Papistæ sunt) à cæteris fidelibus Regi, siue Papistis, siue Protestantibus. Sed nunquid malè habet Bellarminum, quòd Papistæ hîc petantur, & malæ fidei suspicione onerentur? Age itaque, firmant iuramentum: ita rebellium nomen à se prorsus amolientur, ac Regem iustâ suspicione liberabunt. Si iurare recusauerint, Papistarum cognomen exuant; si velint, certè rebellium prænomen induent. Sed quid hæc ad Primatum de quo, aut violato, aut vsurpato conqueritur Bellarminus? Nunquid eo iuramento, vel Primatus spiritualis Regi firmatur, vel Papæ adimitur? Nihil minus: In solis & omnibus Papæ deuotis timet Rex meritò rebellionem: hos solos, propter solam inobedientiam ciuilem, conatur detegere, & detectos vel cauere, vel ad ciuilem obedientiam reuocare: circa fidei dogmata nihil mouet. Papæ nihil, quod ipsius verè sit, adimit.

XXXV. Instat Suarez *cap.* 6. *num.* 5. si iuramentum hoc solam exigeret ciuilem obedientiam, non esset signum discernens Papistas à Sectariis seu Apostatis à Papa: quia obedientia ciuilis communis est omnibus. Exhibetur ergo iuramentum ad hoc, vt ipsum admittẽtes eo ipso censeantur renuntiare Papæ: & qui recusant, cognoscãtur esse fideles & obediẽtes Papæ. Obedientia autẽ ciuilis non pugnat cum religione Romana.] Sed tu longissimè aberras, Pater; Hoc iuramentum relinquit Papam in cordibus iurantium, nec eum inde amouet, nisi in ea sola parte, in qua Papa integram obedientiam ciuilem perperàm, & contra ius fasq; studet violare. Miror autem, nec capio, quomodo stare possit plena obedientia ciuilis cum religione hodierna, quæ Romanæ nomine obtruditur; qua nempe docetur, & sub fidei Catholicæ titulo venditatur, cuiuscunque Regis Christiani subditos teneri ad nutum Papæ suo legitimo Regi rebellare: imò, si modò Papa quasi exerto digito significauerit duntaxat, hoc sibi gratum fore, Ecclesiæq; suæ vtile, tunc posse licitè quemcunque subditum, Regem suum interficere! O bellam obedientiam, qualem à lupo, non à famulo expectarem! Hoc igitur iuramentum distin-

guit Papistas in spiritualibus, sed bonos interim subditos in temporalibus (quales esse credo in Anglia non paucos) à Papistis, non modò in spiritualibus Papæ obedientibus, sed etiam in temporalibus eidem vniuersaliter obedire contra proprium Regem paratis.

XXXVI. Intrudit deinde *ibid. num.6.* quædam somnia de duobus Edictis distinctis; de quibus neq; scit quid loquitur, neque de quibus affirmet: quid necesse est Edicta vetera sub Elizabetha sancita repetere? Negotium est totum cum Serenissimo Rege IACOBO: quid ipsius temporibus fiat, si vult, inquirat. Duo exhibentur iuramenta: alterum suprematus, iis omnibus, qui in religione consentiunt cum Rege: De his nihil sollicitus sit Suarez, nihil Bellarminus: Quid Romano-Catholicis Regiis subditis proponatur, altero fidelitatis iuramento, omnibus, etiam suæ religionis, communissimo, id consideretur: illud solum iuramentum discutiatur: De eo queritur Pontifex: de eo hîc quærat Pontificis pugil Suarez: Illud tuetur Rex, & profitetur, se eo nihil præter ciuilem plenam obedientiam postulare: Hoc ipsum ego quoque defendo: si quid habet in contrarium, vrgeat Suarez. Et quia nihil habet, denuò ad nauseam verbis generalibus repetit, Papæ obedientiam, Papalem potestatem abiurari. Hoc negamus; hoc pernegamus. Ea sola potestas Papæ abiuratur, quam nuper sibi Romani Pontifices per vim arrogarunt, quæque obedientiæ ciuili Principibus iure diuino debitæ, derogat plurimum. Reliquam in spiritualibus potestatem hoc iuramentum intactam relinquit. Hic iam frustra, quasi diuersus à fine legis, finis Regis, ac priuata intentio, inquiritur. Si ex iuramento, quod est publicum, & notorium, sinistra vlla colligi possit intentio, deprehendatur, reprehendatur: Sin minus, cur diuinandum? Latet æquiuocatio, inquit Suarez *ibid. n.7.* in verbis, *ciuilis fidelitas, & ciuilis obedientia*, in quibus scilicet Rex talem quærit obedientiam, quæ nullum in terris recognoscat Regē superiorem, neque directè, neq; indirectè.] Hui! æquiuocatio in verbis Regiis? Ille verò & in Edictis & in dictis suis omnibus apertè & sine fuco loquitur. Illam æquiuocandi artem vestræ, vbi enata & expolita est, relinquit officinæ. Sed ad rem. Non agnoscit, nec habet Rex superiorem, qui in suis Regnis, & ad temporalia ac externa omnia ipsius suprema Regia autoritate, autoritatem habeat superiorem. Et hoc est verissimum, satisq; à nobis comprobatum: Quicquid autem in contrarium adduci solet, id totum iam conuulsimus. In hac itaque Superioris negatione nulla est abiuratio fidei Catholicæ: cùm non detur vlla subordinatio inter supremas laicam & Ecclesiasticam potestates, vt probaui. In spiritualibus Rex agnoscit, sibi vt fideli dari superiores; In temporalibus, & vt Regi, nullus supremus Princeps agnoscit vllum in terris vllo modo sibi aut directè aut indirectè supereminentem. Ita ergo peccabunt subditi Regis, si non reddant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, sicut peccabunt, si non reddant, quæ sunt Dei, Deo, neque Ecclesia licitè potest impedire, ne filij sui reddant Cæsari, quæ sunt Cæsaris: neque Rex subditos suos, ne reddant, quæ sunt Dei & Ecclesiæ, Deo & Ecclesiæ.

XXXVII. Etiam Bellarminus *pagin.167.* malam Regis intentionem conatur colligere ex illo alio iuramento, quod in religione consentientibus de suprematu exhibetur *Rex in Apolog. edit.2. pagin.249.* Et tale est: *Ego A. B. palàm testor, & ex conscientia mea declaro, quòd Maiestas Regia vnicus est supremus Gubernator huius Regni, omniumq; aliorum suæ Maiestatis Dominiorum ac Territoriorum, tàm in omnibus spiritualibus siue Ecclesiasticis rebus, aut causis, quàm in temporalibus; & quòd nullus extraneus Princeps, persona, Prelatus, Status, aut Potentatus, habet, aut habere debet vllam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, praeminentiam, vel authoritatem Ecclesiasticam, siue spiritualem intra hoc Regnum. Et proinde renuntio penitus & reiicio omnes extraneas iurisdictiones, potestates, superioritates, & authoritates; & promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam Regiæ Maiestati, eiusq; heredibus ac legitimis successoribus praestiturum; & pro virili mea adiuturum ac propugnaturum omnes iurisdictiones, priuilegia, praeminentias, & authoritates Regiæ Maiestati, Heredibus suis, ac successoribus, concessas vel debitas, siue imperiali huius Regni coronæ vnitas & annexas: Ita me Deus adiuuet.*] In hac formula expressè dicit Bellarminus *ibid. pag.167.* contineri, quod in superiori obscurius continebatur; nempe abnegationem Primatus Apostolici: ita vt ex hac formula clariori intelligatur, *inquit*, quo tendat illa: quæ, dum iubet abnegari potestatem excommunicandi Regem, simul iubet abnegari Primatum Apostolicum in Ecclesiam vniuersam, & aperit aditum ad constituendum Primatum Regis in spiritualibus.]

XXXVIII. An supremus spiritualis Papæ Primatus negetur in hac forma, nec ne, non est ad rem, quæ tractatur. Hæc enim formula non proponitur Romano-Catholicis, neque iuxta illam iurare coguntur: imò ex hoc, quòd solis in religione consentientibus hæc formula exhibetur, satis constat, Regiam Maiestatem nolle conscientias Romano-Catholicorum attingere, sed ab eis solam ciuilem reposcere obedientiam. Et quamuis hæc formula in se contineret abiurationem in aliqua parte fidei Romano-Catholicæ, non video tamen illam formulam, quæ illis Catholicis proponitur, ad hanc tendere abiurationem, neque illam ad hanc aditum aperire. In ea enim nullam Primatus spiritualis Ecclesiæ contineri abnegationem, ne à longinquo quidem, iam demonstraui, & contramilitantes rationes deieci.

XXXIX. Sed hæc etiam ipsa iuramenti formula, quam Rex asserit *in sua Apolog. edit.2. pag.247.* iis tantum proponi, qui in religione cum ipso consentiunt, neque solum Primatus Ecclesiastici articulum continet, vt apparet in ipso iuramento suprà exscripto, neque adeò clarè Primatus ipse negatur, vel Papæ vel Ecclesiæ vniuersæ, & soli Regi tribuitur pro Regno ipsius; quin adhuc bonum & Catholicum sensum retineat. Certè Primatus verus spiritualis, hoc est, suprema Ecclesiæ spiritualis potestas, non est in Papa solo, sed in tota Ecclesia, vt partim iam probaui in libris præcedentibus, partim in sequentibus probabo & absoluam: Et singuli Episcopi in sua quisque diœcesi plenissimam habent spiritualem potestatem, quamcunque Christus suis concessit Apostolis: In externa verò Ecclesiastica Ecclesiasticorum politia, ita se res habet, vt si Episcopum errare contigerit, circumuicinis eiusdem prouinciæ Episcopi primi eum corrigere teneantur; & si illi non sufficiant, tunc & alij eiusdem Regni remotiores; ac tandem, si opus fuerit, iuxta præceptum Euangelicum, *Matth.18.* etiam tota Ecclesia, per Concilia vniuersalia. Quo pacto Arius non Episcopus, sed presbyter, Nestorius Episcopus, Eutyches Abbas, & alij sunt correcti: vt fusiùs *septimo sequenti libro* sum ostensurus. Ac ne semper pro minuto quocunque errore Synodi & Concilia congregentur, Ecclesia ipsa illud statuit, vt inter aliquot Episcopos circumvicinos vnus emineat Metropolitanus: & pro grauioribus, aliquot Metropolitani cum suis suffraganeis in vno Regno vnum habeant Primatem; ac demum in integris regionibus vnus adsit Patriarcha: atque ita ad Concilia, præsertim Generalia, non perferantur negotia, nisi grauissima, quæ neque Metro-

politani, neq; Primates, neq; Patriarchæ possint expedire: in externa tamen politia Ecclesiæ ad Regem tandem tanquam supremũ & vltimum, quando opus est, omnia sui Regni reducuntur, vt pluribus disserui suis locis, præsertim *lib. 6. cap. 5. & lib.* 8. & de his multa *lib. 3.*

XL. Nunc igitur his positis, Iuramentum hoc paulò antè productum, ex pluribus Serenissimi Regis dictis apertissimis, facile est colligere, sensum bonum & Catholicum ex Regis intentione continere, & ipsum in sensu Catholico Orthodoxo esse sumendum & interpretandum, per ea, quæ dixi suprà Ostensionis huius *cap. 1. num. 3.* quia Regius Primatus Ecclesiasticus nullus alius est, nisi is, quem nos fusè *cap. 5. sexti libri de Repub.* ostendimus esse penes quoscunque supremos Principes temporales, qui rebus etiam Ecclesiasticis tenentur inuigilare: is quoque, quem nos *& lib. 6. cap. 7. & lib. 8. & lib. 10.* Principibus tribuimus, nimirum circa Episcoporum electiones ac inuestituras, & circa iurisdictionem & iudicia externa Ecclesiasticorum: Intra quos limites se Regem continere, ex ipsius, vt dixi, professione, mihi non est dubium: & consequenter iuramentum illud nihil continet, nihilque tribuit Regi in spiritualibus, hoc est, in Ecclesias & Ecclesiasticos, nisi id, quod iam ego eis tribuendum ex Sacra Scriptura, Patribus, Conciliis, & rationibus conuici: nihilq; negat siue Papæ, siue reliquæ Ecclesiæ Catholicæ extra ipsius Regna, nisi solam iurisdictioné temporalem, & externam Ecclesiasticam supremam. Et quamuis hoc iuramento Regem esse vnicum & supremum Gubernatorem etiam in spiritualibus, adstruatur, & negetur extraneis omnis potestas & autoritas, etiam in spiritualibus intra huius Maiestatis Regna; ex iam dictis tamen interpretatio est addenda: quod *Spiritualia* Anglicano idiomate (quo scriptum est illud iuramentum) idem sonent, quod *Ecclesiastica*; hoc est, pro rebus & negotiis Ecclesiasticis, externis tamen, personalibus, & realibus, atque externæ Ecclesiasticæ disciplinæ. Nicolaus proinde secundus ad Eduardum Regem Anglorum literas dedit quasdam priuilegiales, quas refert Ealredus in Vita eiusdem Regis: [*apud Baron. tom. 11. an. 1060. n. 11.*] in quibus sic loquitur: *Vobis verò & posteris vestris Regibus committimus aduocationem, & tuitionem eiusdem loci,* (Monasterij cuiusdam) *& omnium totius Angliæ Ecclesiarum, vt vice nostra cum Concilio Episcoporum & Abbatum constituatis vbique, quæ iusta sunt: Scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius Regnum & imperium non definet, nec minuetur in seculum.*] Et quamuis dicat Papa, se id committere, hæc tamen reuera non est commissio, aut concessio, sed potius adhortatio, & obsecratio: nam proponit ei meritum & mercedem coram Deo, si curam suscipiat Ecclesiarum sui Regni: Et hoc esse ordinarium Regum Christianorum debitum, ostendi *cap. 5. sexti libri*; vt iam ex hac parte etiam Primatus Regius, hoc est, præcipua Ecclesiarum gubernatio in suo Regno, vel ab ipso Papa cognoscatur; qui ad ipsum exercendum Angliæ Regem cohortatur. Cur igitur Rex Serenissimus IACOBVS suum præcessorem non imitetur?

XLI. Demum probat Bellarminus *in eadem respons. pag. 167.* in iuramento, quo Catholici obligantur, abnegationé aliquam fidei Catholicæ contineri, ex quibusdã aliis Regis verbis in sua Apologia pronuntiatis, nimirum; Hoc iuramentum institutum esse, quo populus arceretur, ne ita altè amarũ illud poculum ebiberet Antichristianarum scortationum.] Quam scortationem interpretatur Bellarminus à Rege intelligi venerationem Pontificiæ potestatis; & subdit: Non ergo sola ciuilis obedientia, sed etiam detestatio spiritualis obedientiæ hoc iuramento continetur.] Rex tamen, si citra affectum loqui volumus, per scortationem Antichristianam, vt mihi videtur, intelligit falsitates doctrinæ Romanæ in subiecta sola materia. An non corruptela est intolerabilis, imò blasphemia, Papam hominem, instar Dei, posse diuino iuri contraria præcipere, & obligationes diuino iure debitas abolere, in quibus à Deo nullam acceperit commissionem, aut potestatẽ; & velle, ac cogere, vt fideles Christi sibi homini magis obediant, quàm Deo, suis Principibus naturalibus rebellando, eisq; debitã diuino præcepto ciuilẽ obedientiam, quãdo ipse ita iusserit, denegãdo?

XLII. Occasionem, imò causam nouo condendo iuramento, dedisse Catholicorum irritam ipsius conspirationes, vt paulò ante narrabam, profitetur ipse Rex initio suæ Apologiæ. Hanc tamen Bellarminus, factus internarum Regis cogitationum scrutator & iudex, totam respuit, & contemnit *ibid. pagin. 172.* & sub colore fidelitatis, abnegationem Primatus Papæ eo iuramento Regem intendere. Quod eius commentum iam confutaui: & res ipsa docet, conspirationes non confictas, sed verissimas fuisse. Monet tamen Bellarminus, plus præsidij & securitatis Regem in populorum beneuolentia, quàm in iuramentis inuenturum; hortaturque Regem, vt Catholicos sinat frui antiqua possessione religionis suæ, quam à maioribus acceperant: neq; eos cogat ad nouas sectariorũ suscipiendas opiniones. Occasionem enim Catholicis datam desperandi nemo, *inquit ibid. pag. 192.* inficiari potest: vnde nonnulli minus patientes iniuriarum, in desperationem acti moliti sunt deploranda.] Reiicit hoc Rex, negans, proditores illos puluerarios occasionem habuisse desperandi: sed Iesuitas facit compulsores in facinus detestandum. Respondet Bellarminus, occasionem fuisse seuerissima Regis Edicta in recusantes adire Ecclesias hæreticorum; Iesuitas verò, vel ipsa aliorum reorum confessione, in ea coniuratione nullas prorsus partes habuisse.

XLIII. Hac de re, quantum mihi sat fuit, egi *suprà huius libri cap. 6. §. 26. & seqq.* Illud verò scio, Catholicos omnia tolerare debere; neque eis vnquam licere sui Principis, quantumcunque persecutoris, cæde sibi consulere. Scio Regem *in sua Apolog. pagin. 199. 200. 214. 216. 218. 263.* apertè profiteri, tàm de se, quàm de Regina, quæ illum præcessit, ex causa religionis & conscientiæ in Anglia nunquam Catholicos, etiam post detectas coniurationes, antius habitos; modò essent suo Regi in ciuilibus fideles; Et solo contentum fidelitatis iuramento supradicto, nullam se in Pontificios conscientiæ causa persecutionem meditari. Scio Catholicos Anglos optimæ fidei, & timoratæ conscientiæ prædicari; vt proptereà vix credam adeo scelestos posse reperiri, vt ex se, contra conscientiæ propriæ remorsum, & rationis rectæ dictamen, tàm immane facinus, cum aperto vitæ discrimine, proprij Regis interficiendi animo concipere; nedum opere attentare audeant, nisi vel impulsu magnæ autoritatis virorũ spiritualium, qui spiritualia, non temporalia præmia pollicèantur; vel suasu doctrinæ pestiferæ, quam imbiberint, suadentis definientisq; id eis licere, imò ad hoc teneri, vbi Romanus Summus Pontifex Regnum de manibus Regum hæreticorum ereptum aliis Catholicis tradendum esse declarauerit. Quæ quoniam est doctrina publica Romana, & Iesuitarum communissima, cur non potuit Rex conqueri, scelestissimos illos puluerarios, non desperatione vlla, sed spe maxima Romani, aut saltem cœlestis præmij, nostrorum Iesuitarum opera inductos, ad impiissimum scelus

animum

animum & manus adiecisse? Nam & Garnetus Iesuita publicè fassus est, sibi conspirationem illam puluerariam notam fuisse, vt est ostensum. Demum falsissimum est, quod ait de Edictis seuerissimis.

XLIV. Quis verò nescit Papales excommunicationes, & depositiones, & à Iuramento fidelitatis absolutiones, & externorum Regum ad Anglicana Regna occupanda excitationes, Catholicorumq; subditorum in hoc ipsum propensiones, & conspirationes; sanctissimum quemque, & piissimum, ac etiam egregiè Catholicum Regem; facilè ad asperiora remedia excogitanda; & ad ipsos Romano-Catholicos (tot malorum vel fontem, vel fomitem) in angustias redigendos, compulsuras? Quod si contra tales, etiam seueriùs aliquid statuatur; id certè magis in Papas iniusta molientes, quàm in Reges se iustè defendentes esset referendum, *ibid. pag.* 181. Non igitur illi causam habuerunt, aut habebunt iustam desperandi; qui & Papæ, & sua ipsorum culpa; vt rigidiùs tractentur, efficiunt. Sanè dùm in Elizabethæ sceptrum varia ipsi Romano-Catholici soli molirentur; & in temporali iure regnandi tricas quærerent; & rebelliones meditarentur, aut eas Papæ & aliis Principibus externis meditantibus applauderent; legibus & pœnis eos coërcendi amplam dederunt occasionem: non religionis & conscientiæ, sed Regiæ securitatis; & necessariæ cautelæ causa. Regium verbum est, *in Apologia Regis, pagin.* 213. *Palàm profiteor, & quod certò scio, præ me fero, Reginam Elizabetham gloriosissimæ memoriæ, nemini ex Pontificiæ religionis causa pœnam irrogasse; antequam eorum scelera & flagitia, veluti inuita, supplicia; quæ pertulerunt, extorsissent.*] De se autem ipso integerrimè sanè Rex ita scribit, *ibid. pag.* 218. *Et quod me de Catholicorum persecutione calumniantur, nunquam probari potest, quenquam conscientiæ causa, & religionis ergo, me regnante, hactenus vel morte mulctatum fuisse, vel in mortis periculo modo versari. Nisi fortè hæc nuper Catholicis interdictio à Papa facta, quo minus sub iuramento de fide sua mihi promittant, causa sit debitæ, cur multi eorum merito plectantur. Quod quidem si contingat, in caput Pontificis sanguis eorum recidat, qui solus tantæ seueritati causam dedit.*] Et nihilominus post truculentas, & repetitas, regnante Elizabetha, conspirationes, supplicia tamen non nimis crebra; leges & per se tolerabiles, & post admodum emollitæ. Etiam (quod mansuetissimi Regis Iacobi clementiam maiori theatro proponit) post puluerariam omne exemplum superantem coniurationem, cuius plurimos fuisse conscios est verisimile, de aliis non est quæsitum, quàm paucis quibusdam; qui in flagranti crimine sunt deprehensi. Si in Regem vllum Romano-Catholicum à subditis Protestantibus tam dira inita fuisset conspiratio, certè non paucis crux; sed fortè omnibus Siculorum Vespertinæ, vel potius Gallorum Bartholomæus expectandus. Fidem Papa promoueat, religionem foueat & tueatur, temporalia non attingat, terminos sibi à Patribus impositos non excedat, & omnes desperandi occasiones præcisas videbit. Bonus & misericors Cardinalis, qui illis proditoribus sic compatitur, vt eos excuset, vtpote desperatione actos; Cur non æquus arbiter ex iisdem miserationis visceribus Regi indulgeret, si modò in Romano-Catholicos esset concitatior, vtpote iusta indignatione actus, cùm fuerit tam horrenda conspiratione lacessitus? O præclarum osorem parricidiorum, & conspirationum execratorem: *Desperatione, inquit ibid. pag.* 173. *acti moliti sunt, quod nos vobiscum pariter deploramus.*] Putatne aliquis tam teneri cordis Cardinalem, vt verè factum illud conceptum, sed non perfectum, damnet, oderit, execretur, deploret? Fallitur. Astutus senex in genere ait, se odisse parricidia, & execrari conspirationes; intelligit fortasse de proditionibus, quæ ineuntur contra Principes Papæ obsequentes. Quid autem si se Rex quispiam nolit Papali iugo submittere, si Romanis corruptelis se opponat; si Papæ dominium in omnes Ecclesias spirituale; in omnes Reges temporale non agnoscat; ac his nominibus à Papa pro manifesto hæretico habeatur? denique si sententia depositionis à Papa (quod etiam occultè fieri potest) lata fuerit, tum eo casu Bellarmini mentem optimè explicat Suarez *lib.* 6. *t.* 6. *nu.* 11. nempe, si Rex per iustam Papæ sententiam ipso facto sit depositus, non possunt propriè dici proditiones; si quæ conatationes contra ipsum fierent. Quanquam & hanc Papæ sententiam alij Regum aueruncatori non iudicent expectandam; & ipse Suarez vtcunq; eam plerumque inculcet, alibi tamen innuere videtur meritum depositionis sufficere. Cùm *lib.* 6. *t.* 4. *nu.* 18. dicat; Quando Respublica iustè potest Regem deponere, rectè faciunt ministri eius Regem cogendo, vel interficiendo, si sit necesse.] Quidni similiter arguat, quando Papa iustè potest Regem deponere, rectè faciunt ministri eius *Regem* cogendo, vel interficiendo? Num tales ministros & tales proditores odit Bellarminus? Certè illam puluerariam conspirationem in particulari; & illa designata parricidia non ait se odisse, aut execrari: hæc enim iustissima & sanctissima putauit; quibus aut consensum dederit ipse explicitum; aut suis libris, suaque doctrina flabellum addiderit singulare. In deplorando tamen illo particulari facto truculentissimè designato, coniungit se; & reliquos Romanenses, cum Anglis Regiis; Quod nos, *inquit*, vobiscum pariter deploramus: Sed diuersa vtrisque causa deplorandi. Rex & Regij deplorant rei turpitudinem; indignitatem, barbariem; at Bellarminus cum suis, deplorat; quod res pro voto ipsorum non successerit. Quonam miseros Romano-Catholicos Anglos & Papa, & Bellarminus, & similes pestes impellunt; nisi vt verè ipsorum causa in desperationem multi agantur, & veluti desperati, & bona, & libertatem, & vitam, & Regem, & Deum, & conscientiam, & animam contemnant?

XLV. Audi, obsecro, Lector, grauem & iustissimam Regis querimoniam de angustiis, in quas infelices ipsius subditi hac Papæ definitione, & præcepto Iuramenti præstationem inhibente coniiciuntur. *Age itaque, inquit in Apolog. pag.* 261. dum isti Papæ obtemperant, & mihi Sacramentum legitimè exigenti renituntur, nimis amplam mihi, nimisq; iustam materiam suppeditant infligendæ pœnæ, extra causam conscientiæ; dum in has angustias misere se compingi, & contrudi sinunt, vt aut cum discrimine vitæ, & iactura fortunarum fidelitati erga Principem renuncient, aut cum Catholicæ fidei detrimento, animarum suarum salutem, vt obtendit Pontifex, in periculum adducant.] Iuramentum profectò nos totum licitum esse probauimus; nec id vel minimum quid Catholicæ fidei obesse: Papa tamen id esse contra fidem Catholicam, & contra salutem animarum in propria causa perperam declarauit. Hinc sequitur, quod Catholici Papæ credentes, & obsequentes, suo Regi indebitè & cum animæ damnatione renitantur, & bonis ac vita etiam meritò spolientur. sicque non Dei Martyres, sed Papæ Pseudo-martyres miserabiles; aut si non ex scientia, & veritatis cognitione, sed ex humano timore Regi obsequantur, in animæ damnationem incidant, cùm fidei Catholicæ graui læsione per conscientiam erroneam à Papa malè corruptam, & peius à Papæ ministris deprauatam. Neq; habuit Bellarminus *ibid. pag.* 174. quid ad hanc querimoniam responderet; nisi

nisi iuramentum illud aptè ad decipiendum fuisse compositum. In quo cum decipi iam satis ostendi.

XLVI. Queritur præterea Rex, sibi iniuriam à Papa fieri, dum fidei persequutor esse ab eo supponitur: siquidem ad martyrium subeundum eius hortatur subditos; & dum subditos eosdem à iuramento præstando deterret, ac proinde impedit, ne suo Regi sint semper fideles. Respondet Bellarminus *ibid.* Papam nemini iniuriam facere, dum quæstionem de iuramento, sitne licitum, an illicitum, ipse sua potestate iudicat & decidit.] Imò verò Regi summam infert iniuriam, dum ei corda subditorum, hoc est, sceptri medullam, conatur suffurari. Nam falsa illa & indebita decisione iuramentum alioqui licitum & iustissimum, impium perperam iudicatur, & consequenter iuramenti autor per secutoris labe & infamia notatur, cùm tamen iuramentum solius sit fidelitatis, absolutæ tamen & integræ, omniq; exceptioni atque adeò suspicione carentis. Sed Pontifices, inquit Bellarminus, fidelitatis obligationem non impediunt, si illa sola iuramento hoc requireretur: nam & non semel per literas Catholicos Anglos monuerunt, vt & Regi obedientiam debitam exhiberét, & à tumultibus & seditionibus omnino cauerent. Vbi tamen vident iuramentum à Catholicis peti, in quo per speciem ciuilis obedientiæ, fidei Catholicæ abnegatio petitur, cauendas insidias admonent.] Intelligat quæso semel Bellarminus, integram & absolutam obedientiam perpetuam à Papa in Anglia subditis erga suum Regem non permitti, quæ tamen integra & absoluta, absq; vlla reseruatione, conditione, aut exceptione in ciuilibus Regi debetur. Admonet Anglos Catholicos suos Papa ad obedientiam Regi præstandam, hac tamen conditione interposita, vt eam præstet, quàm diu ipsi placuerit: statim verò negent cum primum ipse negandam esse monuerit. Quæ reseruatio & exceptio, cum & in se sit omnino iniusta, & ratione prohibentis prorsus nulla, eam Rex hoc absoluto iuraméto tollendam & abolendam meritò prudenterq; curauit, tanquam eius Regiam potestaté iniustè & indirectè destruentem. Non ergo ad abnegandam vllam vel Papæ, vel Ecclesiæ potestatem veram & legitimam, sed ad tollendas illas perfidas & absurdas reseruationes, posuit Rex in eo iuramento particulas illas declaratiuas, omnino, rebus sic stantibus, necessarias, pro sola ciuili obedientia integrè à suis subditis obtinenda. Dum itaque prohibet Papa suos Catholicos Anglos iuraré fidelitatem ciuilem integram & absolutam, absq; vlla exceptione, quis non videt Regem merito conqueri. Patet enim ex Papæ prohibitione, illum hanc ciuilem obedientiam velle omnino à nutu suo totam pendere? Quod est prorsus intolerabile.

XLVII. Ac propterea consilium illud Bellarmini nullo modo est audiendum, vtpote nec opportunum, nec vtile, nec graui morbo remedium porrigens. Si, *inquit ibid pagin.* 205. Rex ipse Iacobus intra hos limites iuramentum à se propositum conclusisset, vt nullam excommunicationis Pontificiæ mentionem faceret, neq; potestatem eiusdem Pontificis vllo modo attingeret; sed solum contra proditores, & ficarios, aut Regni sui inuasores iuramenti verba dirigeret, eiusmodi iuramentum Sedes Apostolica non improbasset, neq; prohibuisset.] Atqui tota & sola perfidiæ in Catholicis causa in Anglia, est Papalis excommunicatio, & Regum deponendorum prætensa potestas; hæ enim & proditores excitant, & confidentiâ, imò conscientiâ armant sicarios, Regniq; inuasores aduocant, rebelliones seminant & fouent. Iisq; sublatis, cessat omnis in Catholicos meritò intorta suspicio. Noua itaque iuramenti formula necessariò fuit proponenda; quia noua perfidiæ occasio ex illa Papali potestate perpetuò pullulabat. Declaret quæso Papa Catholicis Anglis excommunicationem, si quam fortè sit in Regem eorum laturus, non impedire, quo minus illi in sua naturali subiectione, & obedientiæ debito in ciuilibus nihilo secius debeant perseuerare; sed tunc satis esse, si in crimine prætensæ hæresis, pro quo excommunicatio ferri posset, cum Rege suo non communicent; neque ei in spiritualibus contra fidem Catholicam obediant. Declaret similiter, se Regem ipsorum nunquam depositurum: & si deponat, eos tamen adhuc teneri in sua plena obedientia ciuili, & fidelitate firmos consistere: & ab hac obligatione nunquam à quoquam, ne ab Apostolica quidem Sede, quæ iniqua non debet attentare, eos posse liberari: & si verbotenus liberarentur, & absoluerentur, huic absolutioni credere eos non debere; imò eam vehementer debere eos detestari, & ab illa abhorrere: tunc quidem sublato periculo Rex non opus habebit, vt in hac fidei ciuilis attestatione expresse caueat de Papalibus insidiis, imò, ni fallor, speciale hoc abolebit iuramentum: sola communi & ordinaria fidelitatis attestandæ formula contentus. Interim ex malis moribus bonæ leges. Et quàm diu vastator aper in vicino imminet, dentibus infrendens, sepibus robustis, imò & spinosis, hortus Regius est muniendus.

XLVIII. Non possum equidem ex intimis animi præcordiis, totus cum lachrymis etiam non commoueri; dum incredibilem in viris alioquin piis cerno & contemplor verè lachrymabilem cœcitatem; vt velint, asserant, scribát, & mordicus tueantur articulum esse fidei Orthodoxæ, sub interminatione damnationis æternæ firmiter retinendum, Papam posse ex solio temporali Principes deturbare, & eorum subditos à subiectionis, fidelitatis, & obedientiæ ciuilis vinculo liberare. Quod non modò fidei articulus non est ab Ecclesia vnquam firmatus aut acceptus, sed etiam errorem in se continet apertissimum, periculosissimum, intolerabilem, vt abundè iam probaui: & nihilominus pro falsissimo hoc articulo, & pro errore manifesto Catholici illi in Anglia, in hoc heu miserabiles, tot damna, tot incommoda, tot ærumnas in fortunis, fama, adeoq; vita ipsa prodigenda, cum incredibili totius Regni perturbatione pati compelluntur, cum temporali & spirituali simul totius hominis ruina. *Et nemo est, qui recogitet corde, Hierem.* 12. Vt sanè meritò Rex toties obnciat, à Papa nostro nouos fidei articulos cudi, & pro libito in sua propria causa formari, ac promulgari; quod est prorsus intolerabile. Ac sanè ipse Summus Pontifex, in hac parte infelicissimus, à pessimis assentatoribus deceptus, præcipuus Diaboli fit minister ad cogendos illos miseros suos Catholicos ad peccatum, & vt pro sola humana Romanæ Ecclesiæ ambitione, & falsissima in temporalibus potestate, bonorum direptiones, miserorum clades, & in nobilissimo Regno horrendi tumultus consequatur. Pater Sancte, ne cœcutias; euigila, & hæc considera; serioq; animum ad hæc applica: Grauissimo enim & intolerabili onere teipsum tuosq; grauas. Tu præcipuè tot malorum, tanti sanguinis inutiliter effusi, scandalorumq; maximorum, ac ipsius etiam schismatis reus es coram Deo & hominibus. Potestas excommunicandi etiam Reges, si tua sit, tua adhuc erit per hoc iuramentum, in quo quidem illa nec leui digito attingitur. Se & te simul fallunt, qui eo iuramento hanc tuam potestatem abiurari asserunt: Prophetæ tui viderunt tibi falsa, viderunt tibi assumptiones falsas, & eiectiones, *Thren.* 2. Caue; abiice temporalem

lem in Reges potestatem, eo faciliorem perspicies aditum ad resarciendam Ecclesiæ vnitatem.

XLIX. Quiescat adhuc aliquantulum noster Suarez, dum negotium absoluo cum Bellarmino, ad ipsum breuiter rediturus. Aduersus Regis Apologiam paucula adhuc habet Bellarminus, quæ paulò pòst considerabo. At verò contra Præfationem monitoriam insurrexit censor acerrimus: suamq; censuram quatuordecim capitibus comprehendit: pauca apponit, quæ etiam Suarez non apposuerit: Placet ex his summatim selectiora, quæ in Suarezij confutatione non occurrunt, duntaxat attingere. In primo capite inter alia probat, fidem Regis non esse Apostolicam, sed Apostaticam; quia fides, quæ in Anglia nunc viget, seminatores habuit Apostatas, Bucerum, Petrum Martyrem, & similes.] Ego verò respondeo primò, Anglicanam fidem eosdem habere seminatores, quos Orbis Christianus Apostolos, & viros Apostolicos. Deinde Apostatas per summã calumniam vocari eos, qui fuerint serui Christi fideliores Bellarmino; quem iam senem, ac rationem Deo redditurum (vt ipse ait) harum calumniarum pudere debuerat. Non enim Apostata vocari potest, qui integram & puram fidem semel acceptam conseruat & tuetur. Tales certè illi, tales Angli, & quotquot alij affulgente lumine, non Christi fidem, sed Romanas sordes abiecerunt. Sed & ineptè argutatur à personis; nam quicunq; illi fuerint, qui reformatam nouam putatam religionem induxerunt, nihil ad rem. Fingamus (quod satis impudenter fingunt nostri) Reformatores non fuisse quoad ipsorum personas multum laudabiles, sed passionibus humanis nimium obnoxios, quid hoc ad Dei opus per ipsos præstitum? Dummodò nouitas & reformatio Ecclesiasticæ veteri doctrinæ sit consona, non tàm quærendum quis, quàm quid attulerit. Potest enim contingere, vt nouitas aliqua mala & reprehensibilis, per abusum & falsitatem, veterẽ veritatem iam diu alicubi obscurarit, si non etiam deformarit, & inueteratam hanc falsitatem ac deformationẽ nouitas alia, vel potius renouatio bona & sancta reformet, & ad pristinam veram & puram reducat veritatem. Et quicunq; hoc fecerit, author ve fuerit, opus erit bonũ, laudandum, & amplectendũ; autor verò, si malus ipse fuerit, suo Domino cadet. *Philip.* 1.18. Quidam & propter inuidiam & contentionem Christum prædicant: quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, &c.

L. Capite secundo mordet Regem Bellarminus, quod causam suam circa iuramentum illud communem faciat cum Regibus & Principibus orthodoxis, & Catholicis: sed immeritò id reprehendit; quotusquisque enim est Princeps, etiam maximè pius Catholicus & sanctus, qui, si commodè aliter posset, patiatur subditos suos sibi fidelitate dimidiata & conditionata tantum obstringi; vt sint fideles ad placitum duntaxat Domini Papæ? Nec dubito, quin & reliqui Principes Christiani, si quando id tulerit occasio turbarum & seditionum à Papa in suis Regnis concitatarum, satis apertè sint professuri, hanc causam esse sibi communem. Et Deo opportunitatem dante, excussuri sint hanc securim, quæ ex Capitolio eorum ceruicibus impendet. Quorsum verò inculcat Bellarminus eodem capite, obedientiam per Principes Catholicos Sanctissimo Domino Paulo V. ad initium eius Pontificatus, missis Legationibus, exhibitam & promissam, nisi vt hinc confirmet, conditionatam debere esse populorum erga ipsorum Reges fidelitatem? Si Papa contentus esset sola Principum, & fidelium omnium obedientia in spiritualibus, non esset cur iuramentum Anglicanum tantoperè insectetur. Eo enim spiritualis Papæ potestas ne remotè quidem attingitur, vt probaui. Succenset tamen Bellarminus, quia vult Regum subditos paratos esse ad deficiẽdum à suo Rege, quoties ipse ita iusserit. Hæccine potestas spiritualis? in hoc ne Principes obedientiam per legatos spoponderunt? Ipsi videant, & considerent, an monita Regis Angliæ sint salutaria, dum ait: *Expergiscimini igitur, dum tempus est & licet, neq; finite somno diuturniore incidi, in singulis ad ruinam vniuersorum, autoritatis vestræ neruos.*]

LI. Capite tertio in Regem inuehitur, quòd his verbis vsus sit: *Nam neq; me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo, &c.*] Occasio verò huius dicti fuit, quòd Rex se excusaret; cur in prima suæ Apologiæ pro suo iuramento tuendo editione, nomen suum suppresserit: quod non videretur ad Regiam Maiestatem pertinere, in Theologicas effundi disputationes, sed potius leges & decreta, ac edicta conscribere. Et quia Bellarminus in responsione ad Regis Apologiam, Regi conquerenti, quod Papa in suo Breui non exposuerit causam, quare iuramentum illud, quod vetabat emitti, esset illicitum, responderat, id non decere Pontificem edicta proponentem, & non Theologicas quæstiones tractantem: Hoc assumit Rex, & sibi applicat quasi per digressionem, nihilominus etiam ad se vt Regem pertinere, edicta & decreta scribere, & non Theologicas concertationes ventilare. Atque in hoc se Rex non credit Pontifice inferiorem.] Hoc est in autoritate leges suis subditis dandi, & edicta proponendi, etiam nulla addita aut explicata causa. Qua in re certè nihil est ipso Pontifice Romano inferior: Quod enim potest Papa legitimè in sua (etiam Papali arrogata) potestate erga suos subditos, etiamsi sint hi omnes prorsus Christiani, id omnino & nihil minus potest Rex in Regia potestate erga suos, etiamsi pauciores sint. Obtusus est, qui hæc non videt, obstinatus, qui non concedat. Sicut verissimum est, Episcopum paruæ Ciuitatis & exiguæ diœcesis nulla ex parte in autoritate sui Regiminis Ecclesiastici esse inferiorem Episcopo maximæ Ciuitatis, & diœcesis decuplo & cẽtuplo amplioris. Sed Rex, si est ex ouili Christi, non potest, *inquit*, non esse Papa inferior, cũ sit ipsius ouis.] Rex vt ouis & fidelis, est sub Pastore Ecclesiastico, & in hoc non fit comparatio: Sed Rex vt Rex supremus in suo Regno, non est ouis, sed Pastor, & comparatio est inter Regem, vt Rex est, & Episcopum vt Episcopus per analogiam. Hæc satis distinximus toties, explicauimusque. Rex in temporalibus & externè, cùm liber sit, & supremus, meritò non vult iugo humano sua colla, & sceptra subiicere, soli Deo immediatè supposita. Non ita, inquit Bellarminus, Henricus secundus, Aleonora, Richardus, Ioannes, & alij, qui se feudatarios Papæ agnouerunt. Et pluribus persequitur varia iura, quæ habet Sedes Apostolica in Regnis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ; de quibus ego *lib.* 6. *cap.* 8. egi. Potuit tamen Bellarminus ab his inutiliter commemorandis abstinere; sic enim adhuc magis Regis, non modò Britannici, sed & aliorum penè omnium animos non parum exasperat immeritò: qui nullo modo pati possunt, vt precariò tantum regnent, & habeant supra se Dominum temporalem, cuius illi sint vasalli.

LII. Capite quarto inter Regem & Cardinalem exagitat comparationem. Atq; ita Cardinalitiam Bellarminus extollit, sed frigidè, ac languidè, dignitatẽ, quam Rex obiter perstrinxerat, & nonnihil depresserat. De Cardinalitia dignitate nos satis *lib.* 4. *c.* 5. vbi ostendimus, eam longè subsidere infra opinionem Romanam. Regiam autem dignitatem ita certè nõ æqui-

parat, vt euanescat multis parasangis, antequã ad eam appropinquet. Vtinam inanes plumas & coccineas cristas demitteremus tandem, nec tanta superbia maiestatem diadematis prouocaremus ad paria. Quod ait Rex; ad Reges, vt Dei in terris Vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam insolens incrementum Cardinalitia dignitas ceperit; id nõ satis à Bellarmino infringitur, dum solam temporalem & in sola temporalia dat Regibus potestatem. Satis enim clarè iam ostendi, Reges posse suam temporalem authoritatem ad externam etiam Ecclesiasticam disciplinam, & multa Ecclesiastica negotia extendere. Quod etiam Rex *Praefat. pag.* 148. queritur de adempto Regibus Christianis iure conueniendi ad Concilia cum Ecclesiasticis, & communi consilio de Ecclesiastico Regimine tractandi ac deliberãdi, ego aliquid dixi *lib.* 6. *c.* 5. Plura dicam *lib.* 7. Optimum tamen Regis prudentissimi sensum toties à me in superioribus laudatum & approbatũ, non debeo silentio obuoluere: ita enim monet sapientissimè: *Si spes vlla*, inquit, *aut expectatio superesset, posse Christianos omnes ad aliquem in religione consensum adduci, id esset à Generali Concilio expectandum, indicto in commodum, nec suspectum locum conuentu; vbi Christiani omnes Principes, aut ipsi, aut per Legatos possent adesse; & Ecclesiastici omnes, qui Christianam religionem profitentur, illiq́, veteribus vera antiqua Catholica & Apostolica fidei fundamentis adhaerescunt, tutum accessum ac commeatum haberent.*] Hucusque praeclarè Rex Serenissimus. Excludendos tamen putat hinc Iesuitas, inde Puritanos. Ego quidem optarem doctum nullum excludi, qui accederet, sed omnes audiri: & postea per Reges & Principes eliminari omnes obstinatos, qui conuicti veritate, adhuc tamen reluctari & incendia miscere non cessarent. De Conciliorum tamen celebratione *lib.* 7. *sequenti, cap.* 3. fusè agimus.

LIII. Capite quinto de iniuriis variis & conuitiis, quibus se Rex à Bellarmino malè habitum conquestus fuerat, agitur. Omissis verò pluribus, vt minutioribus, illud considero, quod obiicit Regi Bellarminus; ipsum non colere Romanum Pontificem vt Christi Vicarium, sicut eum colunt alij Principes Catholici; & dico, istos adhuc potare ex calice fornicariae, nondum Agnus vicit eos, *Apoc.* 17. Solus Papa non est Vicarius Christi, vt iam probaui omnibus penè libris praecedentibus; neque supremam habet ille in Ecclesia, ne quidem spiritualem, potestatem, sed solam aliquam dignitatem iure humano, de qua suis locis. Rex Papae nihil detrahit ex illis, quae ad ipsum iure spectant; etiamsi nihil ei addat ex iis, quae iure non sunt ei addenda. Vt se tamen à nimia dicacitate, ne dicam procacitate in tantum Regem Bellarminus excuset, Hilarij profert libertatem in Constantio Imperatore Ariano reprehendendo. Sed in hoc ipso mihi videtur procacissimus, qui Regem fidem Catholicam profitentem, cum manifesto Ariano comparat, cùm sit ab eo non minus dispar, quàm Bellarminus à Machumetano. Et vnicum vnius Hilarij exemplum adducit libertatis, qui ab Imperatore remotissimus scribebat, & fortasse nunquam ad Imperatoris oculos aut aures peruentura: Plurima verò sanctissimorum Episcoporum cum exterur exempla summae humilitatis, summaeq́ue mansuetudinis erga Imperatores etiam manifesto impios, aut iniustos, noluit ex iis vlla sibi imitanda proponere, quae sunt à me *suprà lib.* 6. *cap.* 9. recensita.

LIV. Capite 6. Regi confirmanti potestatem Principum in eligendo Papa ex *cap. Adrianus, distinct.* 63. haec obiicit Bellarminus. At si haec vera sunt, *inquit*, sequitur igitur contra Regẽ, Principes nõ habere ex se ad has electiones potestatem, sed eam à Papa accipere.] Rex tamen intelligit Adrianum Carolo non concessisse ius hoc eligendi, sed vt in suo iure Carolus perseueraret, consensisse; & potius potestatem Regiam in Carolo agnouisse, eamq́; declarasse, quam de nouo tribuisse. Et satis habuit Rex ex historiis factum probare; & sanè factum, cui Pontifices non resisterent. Deinde si Pontifex, inquit Bellarminus, donat Carolum Regem dignitate Patriciatus Romani, quae erat dignitas Imperatoriae proxima; ergo poterat Pontifex Reges ornare & augere dignitatibus ad Imperium pertinentibus. Respondeo, Pontificem id fecisse non vt Pontificem praecisè, sed vt vnum & praecipuum ex Romanis proceribus, & membrum praecipuum Romanae ciuitatis, simul tamen cum aliis proceribus, vt dixi *lib.* 4. *cap.* 11. vbi agebam de electione Imperatoris. Addit verò Adrianus, praeter poenam excommunicationis etiam bonorum publicationem; Quia iam potiebatur Dominio temporali in Romana Ciuitate, in qua sola contingere poterat, vt quis decreto eius de electione Romani Pontificis obsisteret & repugnaret. Negat praeterea historiam hanc de concessione Adriani: ego tamen illam iam suo loco defendi, & solui obiectiones. Admisso tamen etiam potestatem eligendi Papam fuisse penes Imperatores, negat inde Papalem authoritatem erga Reges infringi. Respondeo, verum esse, ex sola electione non infringi: Si tamen adeò libera sit electoris electio, vt ad nouam electionem semper possit deuenire, deposito vno Papa, & alio substituto; tunc benè sequitur, quod Rex intendit, nimirum, Papam non posse Imperatores deponere; siquidem illum Imperatores pro ipsorum potestate, & instituant, & destituant. Ideoque addit Rex exempla depositionum. De quibus ego *lib.* 8. plenè disputo; sicut iam & de Inuestituris, & resistentia Regum aduersus Romanos Pontifices *lib.* 6. disputaui. Domestica etiam protulerat Rex exempla Regum Angliae suorum praedecessorum, qui Episcopos instituere in suo Regno soliti fuerint, etiam aduersus Romana Decreta. Contrà verò profert Bellarminus exempla aliquot sanctorum Episcoporum, qui plurimum in Anglia vexati fuerunt, quod mallent Pontifici circa Inuestituras obedire, quàm Regi: quales erant Anselmus, Thomas, Edmundus. Hos tamen omnes ego alibi & iam docui passim, & plenius docebo *lib.* 10. ex zelo quidem pio satis laudandos, sed tamen zelum illum non fuisse secundùm scientiam; & plurimum in se habuisse humanae imprudentiae: & aliquos tunc factos fuisse non Christi, sed Papae Martyres vel Confessores, qui pro sola temporali Papae, & fortassis vsurpata potestate defendenda, non pro fide decertarint. Vrget demum etiam Bellarminus, tàm multos fuisse Reges, qui fuerint Romano Pontifici obsequentissimi: sed Rex ipse Iacobus in *Praefat. pagin.* 43. hanc ipsam obiectionem praeuiderat in Parsonio, & dixerat. Quibusdam fortasse occasio, aliis vires ad resistendum defuerunt.

LV. Capite 7. oppugnat ea, quae nos cum Suarezio disputantes plenè defendimus & explicamus. Nunc satis sint verba Regis serenissimi, quae ab eo plenè amouent omnem haeresis notam, quam indebitè ei inurit Bellarminus. Ait enim *in Praefat. pag.* 69. Ego verò id ingenuè spondeo, quoties religionis illius, quam profiteor, vllum caput ostendetur non antiquum, Catholicum, & Apostolicum, sed nouitium esse, & recens, (in rebus scilicet spectantibus ad fidem:) me statim ab eo discessurum.] Et concludit cum Lyrinensi: se nunquam vllum fidei dogma, quod quidem ad salutem est necessarium, amplecti recusaturum,

rum,

tum, quod tota Ecclesia Catholica iam inde ab Apostolorum temporibus sine intermissione, multis post sæculis constanter docuerit & crediderit.] Quid hic alia opus defensione.

LVI. Capite octauo habet obiectiones circa controuersos Romanos articulos, de quibus nos satis contra Suarezium. Capite nono, decimo, vndecimo, duodecimo tractat de Antichristo. Hunc tractatum nos omisimus, vt supra monui.

LVII. Capite decimo tertio. Aliquot in Regis Præfatione dicta Bellarminus tanquam calumnias arguit, & eas diluere conatur. Primum Regis dictum est, ex Romana Papæ doctrina Catholicos vsque eo spe & promissione æternæ salutis fascinari, vt facile priuari vitæ Regum insidientur, vt iam toties contigit in Gallia & in Anglia. Negat tamen Bellarminus Sicarios illos fuisse ab aliquo Ecclesiastico Antistite persuasos sub promissione & spe vitæ æternæ. Ego tamen supra iam ostendi ex doctrina Bellarminiana, Suareziana, & Hieromonachicorum, facile posse etiam non infirmi spiritus hominem moueri ad enormia illa parricidia, vbi Rex aliquis fuerit à Papa hæreticus pronunciatus, proscriptus, execratus, depriuatus; vult enim talem Regem à subditis ipsius tanquam hostem haberi: at scitum est quid contra publicum hostem liceat. Hæc ego contra Suarezium pluribus persequor, & verissimum est Concilium Constantiense *sess.* 15. definiuisse hæresim esse hoc asserere: Nostri tamē Concilium hoc expungunt, & Caietanus *opusc.* 1. *cap.* 8. ipsum flammis dandum esse exclamauit.

LVIII. Alterum Regis pronunciatum erat, Male Bellarminum dixisse, Gregorium Mauritio vi & coactum paruisse. In quo, inquit Rex, non puduit Bellarminum sancti viri humilitatem traducere, dum ipsius obsequium facit coactum, & maculat splendorem humilitatis & patientiæ, qui nituit sub persecutionibus in Ecclesia; si hæc ingens, inquit, Martyrij & Christianæ patientiæ gloria non demissioni animi spontaneæ, sed necessitati adscribatur; contra Pauli Petrique præcepta; qui propter conscientiam subditos esse iubent.] Contra hæc insurgit Bellarminus, & primum; Oportuisset, *inquit*, ad loca citata ex Gregorio Regem respondere. Rex tamen vidit loca citata ex libris Gregorij nihil minus habere, quam quod asserit Bellarminus, & ego fuse id probaui supra, *lib.* 6. *cap.* 4. Qua etsi Gregorius interdum reprehendat actiones Mauritij (seu potius, imo vere Iustini) obedientiam tamen Mauritio, in publicanda illa lege, præbet spontaneam & voluntariam, atque ex conscientia & obligatione, vt copiose ibi ostendi. Deinde miratur Bellarminus, quorsum exempla Martyrum, & testimonia Sanctorum Petri & Pauli, sint allata: quasi non possit humilitas, *inquit*, & patientia seruari, & simul violentia & crudelitas persecutorum reprehendi.] Exempla Martyrum, & testimonia Apostolorum eo sunt à Rege allata (quod Bellarminus simulat se non intelligere, & alio asture diuertit,) vt appareat, quā immerito ipse coactionem posuerit & violentiam in Gregorio. Si enim Gregorius vi coactus paruit Mauritio iniusta præcipienti, vbi patientia Martyrum? & si vis ei adhibita non fuisset, certe non paruisset: vbi ergo humilitas sanctorum? vel enim iniusta præcipiebat Mauritius Gregorio, vel iusta: si iniusta, caruit patientia, qui ne pateretur Martyrium, se cogi passus est: si iusta, & tamen non nisi coactus paruit, certe caruit humilitate: neque præcepto Apostolico voluit obtemperare: quod propter conscientiam, & non propter iram, in iustis parendum esse Principibus denunciat; & non expectandum vt illi cogant.

LIX. Tertium dictum Regis est, Bellarminum in suis libris populos & subditos superiores fecisse Regiis fascibus; & non modo clericos exemisse, sed etiam Episcopos Regibus præfecisse. Respondet Bellarminus, exemptionem clericorum se cum omnibus Theologis, & Iurisconsultis Catholicis asseruisse: ac negat se vsquam subditos fecisse Regibus superiores; siquidem iam docuerit, subditos non solum ex necessitate, sed etiam ex conscientia legibus Regum obedire debere, eisque subiacere. Exemptionem tamen Clericorum S. Patres solis Principibus acceptum ferunt; & sane ita, vt liberi sint Principes in ea reuocanda, restringenda, amplianda; vt copiose tracto *lib. decimo.* Neque potest negare Bellarminus, se populum fecisse Regibus superiorem, qui toties potestatem Regalem à populo in Regem docuit emanare, & ita, vt penes populum sit illam etiam auferre, vt iam pluribus supra etiam contra Suarezium disputaui. Reprehenderat etiam Rex Bellarminum, quod negauerit, Cæsarem fuisse legitimum Pauli Iudicem: & Bellarminus se id merito negare respondet: Quia caussa inter Paulum & Iudæos erat spiritualis de resurrectione mortuorum, cuius Iudex non erat Cæsar. Merito tamen Rex, ei ipsa contextus verba *Actor.* 23. 24. 25. repugnare dixit: non quod verba contextus dicant, Cæsarem fuisse iudicem Pauli, sed quod ipsa acta verbis contextus explicata facto ipso id doceant. Cœptum enim est iudicium spirituale de spe; & resurrectione mortuorum coram Anania Principe Sacerdotum. Et quia tumultus in Paulum excitabatur, Tribunus eum per suos milites in castra rapuit, ne discerperetur. Inde vero Iudæi eum omnino & publice per accusationes coram Præside primum Lysia, deinde Fasto, & priuatim per coniurationes ad necem quærebant. Agitatum itaque est iudicium coram Tribunali Præsidum sæpius, & accusabant eum Iudæi, non quod resurrectionem mortuorum astrueret, hoc enim Pharisæi omnes credebant, & Saducæi negabant, sed omnes vnitim graues caussas ei obiiciebant, quas non poterant probare, vt est in textu: himirum quod seditiones excitaret, Leges destrueret, in Templum machinaretur, & Cæsarem. Quæ erant crimina realia & personalia ac temporalia: & de his auditus est ipse Paulus, & aduersarii eius, lite coram Tribunali Præsidum contestata; neque Paulus excepit à foro, imo appellauit Cæsarem, quia Festum videbat negotium iudicij differre, spe ab eo pecuniæ obtinendæ. Caussam vero fuisse capitalem, hoc est, iudicandum fuisse, an Paulus esset capite plectendus, quod Iudæi intentabant, satis verba contextus indicant: ait enim Paulus Festo: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti: si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori.] Ecce tota caussa erat criminalis, & pro hac appellat Cæsarem, tanquam legitimum supremum ipsius iudicem in criminalibus.

LX. Quartum Regis dictum est, Bellarminum lapsum fuisse memoria, & secum ipsum pugnare in exiguo libello Recognitionum, dum alio modo consensum populi accipit in Regibus Iudæorum confirmandis, aliter vero in Episcopis tempore Cypriani creandis. Respondet Bellarminus hæc inter se non esse contraria; Rex eligebatur à populo tempore Samuelis, & Episcopus non eligebatur à populo tempore Cypriani: nam & Personæ & tempora sunt diuersissima. Sed hic etiam noluit verā Regis obiectionem capere, sed aliam fingit. Rex profecto in eo lapsum agnoscit Bellarmini, quod vnicum & eiusdem generis consensum populi in Saulis ad Regnum promo-

tione intelligat esse Regiæ electionis confirmationem; at in Episcopi sub Cypriani tempora promotione, cõsensum quem ponit Cyprianus, ipse intelligat, nõ confirmationem electionis Episcopi, sed testimonium de vita & moribus Episcopi eligendi: cum tamen, inquit Rex, *in Præfat. pag.* 157. Cypriani verba magis faciant ad populi in eligendis Episcopis potestatem comprobandam; quam consensus ille in Saulem ad auctoritatem populi in Regib. inaugurandis confirmandam.] Verba autem Cypriani quæ Bellarminus in Apologia reticuit astute, & alia eius sensum aliquo modo facientia substituit; sunt ista: *lib.* 1. *epist.* 4. Ipsa plebs maxime habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.] Hac de re nos egimus satis *lib.* 3. *&* 6. De Garneti Iesuitæ conspirationis in Regem notitia, satis dixi, ipsum non posse per sigillum confessionis excusari.

LXI. Capite 14. perorationem Præfationis Regiæ excutit Bellarminus. Ac primum obijcit, non bene Principes terrenos vocari Vicarios DEI, ad Euangelij plantationem & propagationem instituros: Quia, *inquit*, CHRISTVS Euangelij prædicationem non commisit Principibus, sed Apostolis. At vero Principes esse Vicarios Dei in terris non à CHRISTO homine institutos, vt sunt episcopi instituti, sed à Deo ipso Authore naturæ, iam feci manifestum: & Christianos Principes cognitos fuisse ab Ecclesia semper præcipuos DEI ministros, non in prædicando Euangelio ac propagando proxime, sed in promouenda ipsa prædicatione & propagatione, satis docui *lib.* 6 *cap.* 5. Sicut & plenam libertatem Principum in temporalibus nemini subiectam, toto pene eodem libro asserui: in spiritualibus tamen eos Ecclesiæ ita subieci, vt tamen ipsi in Ecclesia etiam, & rebus spiritualibus magnam habeant curam exercendam, & superintendentiam. De Regis gratulatione, ob fidei suæ reformatæ dilationẽ, satis ago contra Suarezium. Ac certe lapis ille offensionis, & petra totius in schismatibus scandali, hoc est Papatus Romanus, cum toti sit Orienti vniuersalissime exosus, pauculis quibusdam exceptis, nempe deceptis, & nescio quibus artibus ad Romanẽses attractis; cumque in Africam, dum adhuc Christiana erat, nunquam penetrauerit; & nunc in Europa vix locum integrum habeat in sola Italia, Hispania, paucisque alijs Prouinciis satis exiguis, certe hoc nomine Rex videtur in Domino non immerito gloriari. Vt propterea hoc vnico exorbitanti debellato Papatu, vnio totius Ecclesiæ sit plurimum speranda. Ex his Bellarmini flosculis constat, quam inepte & insipide scriptum hoc Regium, nil nisi catholicismum redolens, sit ab hoc purpurato pugile impetitum. Reliqua quæ apud eum occurrunt, aut sunt in se leuicula, aut alibi in nostris scriptis diruta.

LXII. Priusquam ad Suarezium, qui me expectat, redeam, est certe obiter, non quidem merito suo, sed vel nationis nomine salutandus, ac (quia hanc Regis Præfationem vellicat, opusque habet monitione) mihi monendus est, & familiariter obiurgandus Abrahamus Bzouius Sarmata, meæ patriæ linguæ nationisque homo, qui nuperrime satis imprudenter, & procaciter in sua ad Serenissimum Poloniæ Regem dedicatoria, quam suo ingenti volumini, quod ROMANVS PONTIFEX, inscribitur, præfixit, Præfationem illam Regis IACOBI admirabilem, contemptim vocat, *nescio quid Epistolij*: eamque (ô delicatum verborum aucupem) lædarum, & stropharum in odium Romani Pontificis plenam esse asserit; nefastum aliquem septentrionalium ait id Regi imposuisse.] Pudet me profecto pudet ridiculi huius homuncionis, eoque magis, quod ipsum non pudeat. Hunccine Dalmatico semine ortũdum? Nostra profecto terra Hieronymos, non Thersites profert. Sed sui sunt cuique genti næui, & naturæ errores, ne dicam monstra. Tibi boui, Bzoui, diuinum illud opus, illa gemma, quia ferraginem tuam, imo sterquilinium mole non æquat, nil maius videtur scilicet, quam *nescio quid Epistolij*. Eho vero, Nefastus aliquis septemtrionalis Regi imposuit. Audin'. Hic quidem non septem colles, sed Septem Triones cœlesti luce fulgent clarissime, sed nullibi illustrius quam in Regio diademate, idque luce non aliena, sed sua. Non is Rex est Iacobus, cui facile quis, sicut Bzouius Sigismundo, possit imponere. Ille ex se, pio & sancto zelo ea monuit dormitantes Principes, quæ ex imposturis Papæ, & ipsius satellitum vltimum exitium, tam in temporalibus quam in spiritualibus minantur Principibus Christianis. Profitetur in suo illo miles gloriosus Bzouius, se laruam detracturum: hoc est Regiam illam Præfationem confutaturum: sed quid præstiturus est magno hic promissor hiatu? Ne verbum quidem in toto opere aduersus potentissima Regia argumenta. Ad sua stabilienda insomnia quisquilias omnes, quas inuenire potuit, quasque potissimum bibliothecarum, ac præsertim Vaticanæ, purgatores, scopis suis collectas ei præbuerunt mutuo, in hunc librum congessit, farragineque immensa illum repleuit; quæcunque etiam agasones cantillando aliquid in laudem Papæ dixerint, Gnathones etiam patinas culinæ Pontificiæ oblingentes, ea sagax iste laruarum detractor mundo ad nauseam obtrudit: & hoc apparatu instructum Papam suum vt victorem cum triumphali pompa producit: non Scripturis, non authoritatibus, non argumentis, non rationibus, sed horum omnium laruis, & adiectione rerum futilium, anilium fabularum, & vere omnis generis næniarum. Quod controuersum est penitus ferme semper dissimulat, sua ponit, controuersias (exceptis pauculis) silentio obuoluit, obiectiones tacet, nihil aduersariis respondet. Non absimilis fortissimo Leonardo Mario Sorici Coloniensi, quem meus Amanuensis eo quo dignus erat modo tractauit. Commentarios suum librum vocat, compenta potius vocare debuisset. Tituli porro sub multa tautologia ad multiplicandum eorum numerum, sunt isti. 1. Christianorum Monarcha. 2. A Deo assumptus. 3. Mortalium supremus. 4. Christi in terris Vicarius, non Antichristus. 5. Petri successor primæ sedis Præsul. 6. Catholicæ Ecclesiæ primas. 7. Conciliis iure diuino Prælatus. 8. Author Conciliorum. 9. Præses Conciliorum. 10. Præfinitor Conciliorum. 11. Confirmator Conciliorum. 12. Moderator Conciliorum. 13. Iudex Conciliorum. 14. Nec falli, nec fallere sciens. 15. Nec iudicari à quoquam hominum potis. 16. A quo nulla prouocatio. 17. Ad quem in rebus fidei prouocatiõ. 18. Depositi Apostolici seruator. 19. A Christo, & Spiritu Sancto traditæ doctrinæ Dictator. 20. Sacræ Scripturæ Custos; & cognitor. 21. Interpres sacræ Scripturæ: 22. Conditor Dogmatum. 23. Doctor Orbis: 24. Iudex controuersiarum. 25. Hæreticorum vltor. 26. Innocens ab hæresi. 27. Impollutus, & à peccatoribus segregatus. 28. Censor librorum. 29. Antistes sacrorum. 30. Clauiger Cœlorum. 31. Ianitor Regni cœlestis. 32. Iudex Cœli in iudicio terreno supremus. 33. Fons Sacerdotij. 34. Princeps Pastorum. 35. Legislator. 36. Totius Ecclesiæ Curator. 37. Iudex Episcoporum. 38. Ad quem in caussis Ecclesiasticis vltima prouocatio. 39. Religionis vertex. 40. Romanæ Ecclesiæ, & Vrbis Antistes,

Antistes, cum cura spirituali, & temporali, à qua Vrbi maxima felicitas. 41. Patrimonij Apostolici iustissimo titulo possessor, atque Paterfamilias. 42. Christiani, Imperij columen. 43. Imperij Christianorum Seruator. 44. Victor Regum. 45. Arbiter Orbis. 46. Vindex scelerum. 47. Ecclesiasticæ libertatis assertor. 48. Orbis Christianorum Pacator. 49. Christianorum defensor. 50. Indeficiens] Horum confutatio sit ineptiarum aliquot breuis, exempli gratia, commemoratio.

LXIII. In *primo titulo Monarchia*, Christum esse Monarcham Ecclesiæ quibusdam authoritatibus confirmat. Statim ad Petrum transit: nec docet, an, & quomodo Christus suam Monarchiam Petro concesserit, nec vllum soluit argumentum ex innumeris quæ Papę Monarchiam oppugnant. Colligit enim bonus fraterculus ex Bellarmino, & Bozio vere altero Bzouio, ac similibus paucula, quæ pro Monarcha faciunt: ea transscripsit: sed quia non tam altum sapit, vt controuersias audeat attingere, eos nodos dissimulat. Properat tamē vt ex Caietano, Delphino, & pęcmariis hodiernorum Poëtarum testimonia proferat. Barbaros etiam nostrorum dierum mendicos Papam magnis titulis decorantes in testes producit. Imo & postremos ad Papam modernum Principum oratores nominat, qui Paulum V. de ipsius promotione congratulaturi, in suis orationibus magnis titulis decorant. Talibus nænus tantum tantuli volumen replet: nec vllum propemodum caput est in hoc opere, quod non Pauli sui Quinti coronide in fide exornetur: siue ea cum titulo proposito conueniat, siue vt plurimum nihil penitus. Talis est ipsius mos, talis stylus perpetuus in illis titulis quinquaginta, quorum plures synonymi sunt, & vnicum, eundemque sensum continent, voluit tamen sua enumeratione meam Papalium priuilegiorū enumerationem, quam *lib. 4. cap. 9. num. 20. & 21.* superare. Quod vero spectat ad mei 1. voluminis cōfutationem, meus Bazoffius abunde eam confutasse visus est, sola Sorbonicæ censuræ, à Nuncio D. Papæ artibus extortę, & prohibitionis Romanæ Decretorum in suum librum *titul. 21. & 28.* insertione. Sic triumphat noster Polonus. Vitreum vas lambit, pultem non audet attingere. In *quarto titulo*, post paucula collecta, ad liberandum Papam ab infamia Antichristi, nulla contrariorū allata solutione, prolixus est in natalibus Pauli V. recensendis, puto vt sic probet, eum non esse Antichristum, qui ex Monacho, & Moniali (quod fabulæ ferunt) non sit prognatus. In *quinto titulo* pro Primatu Romanæ Ecclesiæ authoritates 150. colligit, & ex antiquis illas vel maximè quæ contrarias habent explicationes: quas tamen (quod ei perpetuum) ipse dissimulat omnes. Inde congerit modernorum authorum Romanensium authoritates plurimas. Inter hos splendidi incedunt Baronius, & Bellarminus: quin etiam Bozius. Mirum quod sibi charum Bzouium quoque non addiderit. Idem facit in omnibus ferme titulis, vt modernorum etiam viuentium authoritates pro Papatu consarcinet quantum potest; & quæ in contrarium afferuntur ab aduersarijs, omnia ferme prætermittat: plerumque etiam sola sua assertione contentus, nulla adiectâ probatione; vt titulo potissimum *septimo* est videre. *Titulo octauo*, vt probet ad Romanum Pontificem spectare Concilia generalia conuocare, affert exemplum Pauli Tertij, qui Tridentinum conuocauit: & quia chartæ est prodigus, quam scombris parat, totam Pauli Bullam illam transcribit. *Titulo vndecimo*, ex Pij Quarti confirmatione data Concilio Tridentino, confirmat, Papæ esse Concilia confirmare. Postea digreditur in historicam narrationem cuiusdam Babylonici ad Paulum V. Legati, quomodo acceptus sit Romæ. Historia tota mimica & fabulosa de impostore quodam, qui venerat vt Papam deluderet oblatione vnionis, & obedientiæ. Sed nihil præstitit, conatus est suæ crumenæ consulere: Strozzæ libellum iam seorsim impressum totum Bzouius in suum opus congessit, partim *in titulo* 11. partim 13. & iterum *titulo* 17. & 18. sic volumina replentur. Quippe iam Romæ magnum mole opus de Papa inscriptum, magnum esse Papam probat, etiamsi Homeri Iliadem, Æsopi fabulas, Apuleij Asinum aureum, Romanzes Hispanicos, & similia contineret. *Titulo* 16. Probat à Papa non appellari ex Bulla Pauli V. in cœna Domini, & ex Bulla Pij II. id prohibentis, quam ad verbum recitat, sicut & Bullam excommunicationis à Iulio II. contra Venetos latæ, cuius totius referendæ nulla erat occasio, nisi vt Pauli V. similem Bullam contra eosdem tacite corroboraret, quam tamen Papa reuocare coactus fuit, quia à pessimis & imprudentibus consiliarijs deceptus sententiam illam absque vlla aut caussa aut authoritate tulerat. *Titulo* 19. Pro traditionibus Romanæ Ecclesiæ confirmandis, longas literas & instructiones ac tractationes transscribit, quæ sub Paulo V. inter ipsum & Armenos intercesserunt. His fabellis, puto magna ex parte confictis tanquam visceribus totus scatet Bzouius. *Titulo* 20. Papam esse sacræ Scripturæ cognitorem & custodem, inter alia argumenta adducit, quia Petrus ex Psalmorum libro collegit, alium Apostolum esse in locum Iudæ substituendum, & quia idem alia ex scripturis in suis concionibus probabat. Addit in fine & illud argumentum, quia Paulus V. manuscriptos Bibliorum codices vndequaque colligit, & in Bibliotheca Vaticana recondit. Risum teneatis amici? Auget mole eundem titulum transscriptis prolixis Concilij Tridentini decretis. *Titulo* 24. Vt Papam Doctorem Orbis ostendat, enumerat Missiones modernas in Iapponem, & alias regiones. Atque hic describit vitas, & gesta plurimorum, & historias, exenteratis innumeris Iesuitarum libellis texit satis longas. Quidni? Pensum suscepit, ex foliorum numero stipendium expectatum metitur. Itaque volumen amplum erat ei replendum. Huc ei inseruierunt opuscula etiam eorum, quorum vitas describit, quæ integra suo operi inserunt; vt opusculum decem rationum Campiani; Et illud Patriarchæ Babylonij, totum puto Romæ confictum, & prolixum; quod sane ad rem nihil faciebat, sed oportuit ad cantilenæ vnius cuiusque clausulam idem accinere disdiapason, capitis finem Pauli Quinti nomine de more aliorum capitum occludere. *Titulo* 25. Quicquid Romani Pontifices, quicquid Imperatores contra hæreses & hæreticos gesserunt, scripserunt, decreuerunt, sanxerunt, id non modo commemorare voluit, sed etiam plane acta, gesta, decreta, sancita, sibi esse duxit describenda, metuens puto, ne penitus perirent exemplaria. Quod si quis vellet aliorum Patriarcharum & Episcoporum gesta, & decreta contra hæreticos describere, centuplo maius volumen, quam sit totum hoc Bzouij plaustrum, repleret: nec suæ pudet hominem stultitiæ. *Titulo* 26. Vt Liberium ab hæresi liberet, adducit scriptores de Liberio antequam in hęresim laberetur scribentes. Athanasius tamen, Hilarius, & Hieronymus, eum tædio victum in fine exilij hæresi Arianæ subscripsisse affirmant: Et Petr. Damiani *ep. 1. 6. c. 16.* idem confirmat: *de Rom. Pont. l. 4. c. 9.* Bellarminus quoque eum plene defendere non potuit, sed ex ipsiusmet Liberij literis eum errasse conuicit, saltem in fidei confessione. *Titulo* 30. vt ostendat Papam esse clauigerum, Breuia Pauli V. integra affert contra Britanblcum

nicum iuramentum. Sed ea ab obiectis non defendit. Item totam Bullam eiusdē in cœna Domini. *Titulo* 32. vt probet Papam esse iudicem cœli, in Iudicio terreno supremum; inter alia affert Canonizationes Sanctorum, easque multiplicat ad nauseam: totas enim ad lōgum, modernas prælertim Franciscæ & Cardinalis Borrhomæi describit, cum canonizatorum Legenda & miraculis. Angeli quoque Rocchæ tractatum addit, in quo formula Canonizationis describitur. *Titulo* 35. fontem Sacerdotij facit Papam: vt id probet, Cardinalium Pauli V. creationes commemorat, vt Cardinalem Burghesium nominet. Huic carmina decantata profert. Addit Bullam longam Gregorij XIV. de Cardinalium promotione. *Titulo* 36: vt ostendat Papam esse Ecclesiæ Catholicæ Curatorem, integram Bullam Sixti V. describit de liminibus visitandis. *Titulo* 38. vt probet Papam esse supremum iudicem Appellationum Ecclesiasticarum; in compendium, sed satis amplum redigit, & operi insetit Tractatum Baronij contra Siculam Monarchiam. *Titulo* 39. Papam esse verticem religionis probat longo processu sexaginta quatuor testium super sanctitate Pij V. *Titulo* 40. Probat Papam esse Romanæ Ecclesiæ & Vrbis Antistitem, ex allatis carminibus recentium poëtarum, quæ Sixto & Paulo V. oblata fuerint: & ex variis publicis operibus, viarum, obeliscorum, ædificiorum, &c. quæ singula recenset ac describit, efferens Paulum, in quibus est admodum prolixus. *Titulo* 41. Ad Patrimonium Papæ reducit omnia Europæ Regna; & Petri Aragonij per Papam factam priuationem totam transcribit. *Titulo* 46. Misere & infeliciter agit de potestate Papæ in Regibus deponendis, nulla soluta vel proposita difficultate, vt vere infans, qui in grauiorib. se prorsus peregrinum ostendit. Titulum postremum, egregia fabula, de quadam Bezæ concione, exornat. Valeat ergo meus Bzouius cum suo farcimine. In suo directo argumento si staret non quinquagesimam partem sui voluminis repleslet: totus reliquus est in aduentitiis & longissimis, ac extra rem episodiis. Redeat ad scholas Rhetorculorum; non vidit vnquam Theologorum.

LXIV. Posui hanc in Bzouium obseruatiunculam, non q̄ esset necessaria; Ea enim cuique lectori, qui illud opus vnico die percurrerit (neq; certe est operæ precium illi diutius immorari) erit peruia: sed vt hominem mihi contertaneum amice monerem, ne posthac nationi à gloria dictæ, (Slawni enim populi, gloria illustres in nostra lingua sonat, & Slaueni vocamur) suis ineptiis maculam aspergat. Non enim nunc mihi ad alienas ineptias est diuertendum. Ideo & Becanum, & Cydonium intactos relinquo, sicut & alios contra me scriptillatores minorum gentium: conuiciis enim & maledictis nostrum non est paria regerere. Obiectionibus vero friuolis, & summam imperitiam redolentibus, quis prudens se implicet, bonas horas melius elocaturus? qualis est illa Patris Andreæ Eudæmono-Ioannis cap. 5. sui libelli, vbi chronologiam meam in sacra Scriptura totam fundatam, & inde deductam, ille ex Iosepho Iudæo conuellere nititur. Si Iosephus verum dicit, errat certe Paulus, si Paulus vera narrat, claudicat Iosephus. Sequatur ille Iosephum, ego malo Paulum; aut reducat si potest Pauli annos, ad annos Iosephi, & tunc meam ipse corrigam chronologiam: Et si hoc non potuit facere, cur obiicit Iosephum, & insolutū relinquit nodū ex sacra Scriptura, cum qua Iosephi anni non possunt congruere? Admittat vero, vt placet, ex Iosepho collectam chronologiam. certe tertio, quatto ve Claudij anno Petrus coniectus est in carcerem ab Herode illo Agrippa, qui eo anno consumptus vermibus exspirauit: *Actor.* 12. 23. Igitur Petrus non se cōtulerat Romam secundo Claudij anno, huc mea chronologia collimabat. Vacillat itaque chronicon Eusebij, secundo Claudij anno Petrum adducēs Romam, ibiq; viginti quinq; annis Episcopum perseuerasse asserens. Apertissimus autem error est, quod mox quarto eiusdem Claudij anno mortem Agrippæ ponat, quam tamen mortem in historia idem Eusebius *lib.* 2 *cap.* 9. ponit paulo post occisum Iacobum, & Petrum in vincula coniectum, quarto igitur, aut saltem tertio Claudij anno Petrus fuit in carcere: Non ergo erat Romæ. Hos omnes nodos dissoluere debuisset P. Andreas Cretensis, antequam meam chronologiam reprehenderet: quam ex sacris paginis, non ex patinis collegi, vt illa canina facundia potens latrat. Vtinam vero mihi de cibo cogitare non esset pœna; & cibū sumere, stomacho sæpe inappetenti, admodū insuaue: qui etiam dum inter ipsos essem, cœnis iam valedixeram & vnica in diem refectione contentus, hodieque adhuc multo leuiori. Viderit ergo quam impudenter, ac stolide noster Græculus Cretensis, cui cognomen, *Venter inersi*, mihi patinas commemoret. Meo certe tempore nondum in Societatem vitium hoc maledicendi, conuiciandi, calumniandi, dicteriis & sarcasinis mordendi irrepserat: iam omnia immutata; proh dolor, si quis Scriptor maledicus, & contumeliosus, si quis procax, si quis Dei hominumque contemptor, libellos nō doctos sed famosos edit, is iam est Iesuita: non ita veteres, non Bellarminus, non ita olim Suarez. Nunquid Generalis Vitalescus, cuius ego pietatem & modestiam, dum Romæ fui inter ipsos, plane sum cum maxima animi voluptate admiratus (sicut ex summo præcessoris typho, & curiali, non diuina, sed humana in regendo prudentia, non leue scandalum semper cepi) hæc tolerat, & in lucem edi cum tanta Societatis infamia patitur; imo approbat, & laudat? ò tempora, ò linguarum & calamorum intemperantiam! Hæc dixerim exempli gratia, vt quisque sciat, me de similibus dicteriis non esse solicitum: scribant illi vt volunt, contra absurdos (vt in præfatione monui) surdus ero. Interim Deus inter me & ipsos iudicet, caussamque agat. Nos ad nostrum Suarez reuertamur.

LXV. Obiicit ille, obedientiam ciuilem inter Christianos non esse comparandam in omnibus cum obedientia ciuili inter Ethnicos.] Nouerit tamen in eo consistere totum discrimen (aliud enim eius ratiocinatio non conuincit) quod Ethnicus, & pure politicus Princeps supremus, non qua Princeps, sed qua Christianus, tum in priuatis, tum in publicis etiam sui regiminis actionibus, si salutem æternam consequi velit, directionem Ecclesiæ sequi tenetur, eamque tum docentem res fidei, tum mores corrigentem, tum bonum vsum Regiæ potestatis suadentem, audire. Semper tamen voluntarie & libere, absque vlla vera coërcitione; & si non audierit, sed manens contumax, ex Ecclesia per excommunicationem rite & prudenter latam eiectus fuerit, tunc sciat se inter Christianos nō esse reputandum, & omni spirituali & supernaturali prætensioni renunciasse: In naturalibus tamen, temporalibus, & ciuilibus non propterea quicquam amittit, sed omnia iura priuata, & publica ei integra, intacta, illæsa manent, in quo iam par ethnico Principi relinquitur. Quod si tam graue spirituale damnum à se cupit amouere, obedire tenetur Ecclesiæ præceptis, non coactiuis, sed directiuis, obedientia absolute libera, ac voluntaria. At obedientia ciuilis quam interim ipse à suis subditis postulat, ei omnino & ex integro ac necessario debetur; talis nempe à subditis Christianis, qualis à subditis ethnicis. Ciuilis enim obedientia

nunquam

nunquam excludit Ecclesiasticam propriam, vero suo obiecto applicatam, nempe iis quæ sunt verè & propriè Ecclesiastica: excludit tamen omnem obedientiam falso dictam Ecclesiasticam, vbi Ecclesia temporalia inuadit, & alieno inhiat, vbi scilicet vera ciuilis Principibus debita obedientia de facto tantum, & non de iure impediatur. Sed negat Suarez noster *ibid.n.11.* 13. hanc obedientiam esse de iure naturali, atque eam verius & proprius dici, esse de iure gentium. Cui primum respondere possum, supposito, sed non concesso, potestatem ciuilem non iuris primitiui naturalis, sed iuris gentium esse, (prout quidam volunt proprietatem bonorum esse de iure gentium, de iure naturæ omnia esse communia supponentes) non tamen inde sequi, eundem Ecclesiasticæ subesse dispositioni; certè non magis quàm bonorum temporalium proprietas potest Ecclesiæ arbitrio auferri, aut transferri. Sed absolute respōdeo, Suarezium falsis sua superstruere fundamentis à me funditus sublatis & effossis; qualia sunt, potestatem Regum esse à populo, cum tamen sit immediate à Deo, vt docuimus, *lib 6.cap.2.* & ius naturæ cogat homines, velint nolint, publico regimini subijci: Et qui potestati ciuili resistit, Dei ordinationi resistit. Parendum ergo est Regibus semper & absolutè in ciuilibus. Quod si aliquid contra fidem, vel contra obedientiam Ecclesiasticam inuoluant, aut præcipiant, tūc non tenemur parere, imò tenemur non parere. *Rom.* 13.2. Obedientia vero Ecclesiastica debet esse in spiritualibus, vbi Ecclesia præcipiens non erret, neque exorbitet.

LXVI. Excommunicandi tamen potestatem, ait Suarez, *cap.6.num.*13. eo iuramento non tolli quidem explicitè, tolli tamen implicitè. Nego: Sed expressè posita est, *inquit*, in iuramento abiuratio potestatis deponendi Reges ex quacunque caussa. Fateor: At hæc potestas non minori certitudine, *inquit*, conuenit Papæ (*dicat Ecclesiæ*) quam potestas excommunicandi. Nego, & pernego. Agnosco illis verbis: *Quodcunque ligaueris*, &c. (quoad animam & rationem peccati) dari expressam potestatem excommunicandi: Ad temporalia autem loco suo dimouenda, vel summo digitulo attingēda hinc facultatem porrigi nego, & quenquam non negantem cum risu miror. Duplicem modum ponit Suarez *ibid.num.*13.14.15. priuandi Regem Regni potestate: vnum, quo ad vsum, quæ sit quædam duntaxat *suspensio*; vt subditi non pareant illi quamdiu duntaxat in excommunicatione moratus fuerit: sed vitent illum; & ab eius etiam ciuili commercio abstineant: Alterum quoad proprietatem & dominium regni, per modum depositionis, cum perpetua liberatione subditorum à debito fidelitatis, & subiectionis. Potestatem priuandi Regem vtroque modo ponit in Papa, & vtramque ait iuramento illo ei negari. *ibid.nu.*15. *&* 16: Priorem probat esse in Papa, dum Regem excommunicat ex Gregorio Septimo, *cap: Nos sanctorum*, 15: *quæst. sexta*: Vrbano Secundo. *Ea.cap. Iuratos.* & Honorio Tertio, *De pœnis, cap fin.* Nos Hildebrandi, & posteriorum Paparum, cum Principibus ineptè, & superbe certantium dicta, in propria caussa; cum factis simul haud moramur: & iste quidem, & cum illis Innocentius Tertius, ac simul Aquinas, in excommunicatione putarunt contineri veram depositionem; & perpetuam liberationem subditorum à vinculo fidelitatis: vt habeo *lib. 6. cap:10. num.*14. Ideoque ipse Hildebrandus sui Henrici depositionem vrsit plurimum, nec tamen aliam in eum sententiam tulit, nisi sollus excommunicationis, vt ibidem ostendi: excommunicationem tamen veram depositionem Regum non afferre probaui *ibidem numero decimoseptimo*, *& sequentib.* & fatetur sponte Suarez, *lib.6.cap. 6.numer.* 16. sed neque priorem priuationem illam suspensiuam, & solius vsus impeditiuam, vera excommunicatio, vt est censura & per claues fertur, secum afferre potest: excommunicatio enim vera, & legitima, si claue non errante feratur, totum, & solum effectum habet ligare animam, vt ei peccatum sit irremissum etiam in cœlo, quamdiu sua culpa in terris per Ecclesiam, seruatis seruandis, non sit solutus, vt plene explicaui *lib.5.cap.7. & 9.* est enim seorsim præceptum iuris diuini naturalis, vt quisque vitet consortium omnis fratris malè ambulantis, ne ab eo subuertatur: est item præceptum Ecclesiasticum positiuum, vt fideles vitent, præsertim in diuinis, commercium cum vero excommunicato per eam excommunicationem maiorem, quæ dicitur anathema. Sed hæc ipsa excommunicatio non aufert de se, quatenus ligat, vlli commercium, præsertim naturale aut ciuile: vt expositum est à me *iam dicto cap.9.lib.5.* Est vero & illud singulare Regum, & supremorum Principum, vt excommunicari illa excommunicatione, quæ censura non est, sed mera pœna, priuans duntaxat commercio, nullo modo possint. Nec talis eos ligare possit excommunicatio; vt probaui sæpius in *meis libris de Republica*, præsertim *lib. 6.cap.10.numero 17. & seqq.*

LXVII. Quare prior illa suspensiua depositio Regum per excommunicationem nulla est. Si ergo expresse negetur Papæ, imo & toti Ecclesiæ, nihil ei quod iure habeat aufertur: relinquitur tamen ipsi Ecclesiæ potestas excommunicandi, etiam Reges, quoad suum proprium effectum ligandi animam, vt supra. Estque intolerabile; & manifestum continet errorem, id quod dicunt Papæ illi supra citati: dum annectunt excommunicationi Principis liberationem subditorum ab obedientia, siue perpetuo, siue ad tempus; & quidem decretum Hildebrandi in Exemplari Vaticano, vt adnotat ipse etiam Suarez, dicitur non habere illam absolutionem à iuramento. Ratio vero quam affert Vrbanus ex Scriptura nihil ei seruit. Imo ad hæresim eorum vergit, qui fundamentum Dominij Principum ponunt in gratia & charitate. Ait enim Vrbanus: Fidelitatem quam Christiano Principi iurarunt; Deo eiusque Sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur auctoritate persoluere.] At non soli excōmunicati, sed omnes peccantes mortaliter, Deo & Sanctis aduersantur, & diuina calcant præcepta. Honorius quoque absque vllo fundamento iubet; Principis iam per biennium excommunicati fideles denunciari à fidelitatis iuramento (quamdiu in excommunicatione persiterit) absolutos.] Cur non ante biennium illud? an non eadem excommunicatio? & idem manens idem semper aptum est facere idem, vt est in Scholis Philosophorum. Nescierunt autem; imo noluerunt hi Pontifices distinguere sacra à profanis: & temporalia à spiritualibus; & debuerunt excommunicationi solum spiritualem effectum tribuere; temporalem vero ciuilis obedientiæ & subiectionis, siue iuramento, ciuilique stipulatione, siue etiam iure diuino naturali firmatæ, non attingere.

LXVIII. Posterior vero illa priuatio, quæ sit absoluta quædam, & perpetua depositio, tota commentitia est, & somniata. Fatetur Suarez *ibid. num.* 16: illam de se non cōsequi excommunicationem, si nihil amplius addatur: Eam tamen adiungi cēsuris per modum singularis pœnæ. Neque id aliunde probat nisi ex vsu, quem *lib.3.* se ait confirmasse: quam nos ei confirmationem ibidem totam conuulsimus. Vsus sane post

infœlicia

infœlicia Hildebrandi tempora, vsus puriori Ecclesiæ ignotus: sit tamen illi præsenti (per me licet) tempore pro exemplo, sed fugiendorum. Vsum hunc, (imo turpissimum abusum) ait Suarez, *ibid. num.* 16. & 17. secum ferre fidem Ecclesiæ, recognoscentis in Pontifice legitimam potestatem ad eam depositionis pœnam imponendam, inclusam in potestate ligandi & soluendi Petro data, & in virga eius pastorali, &c. Vtinam se, nosq; tandem soluerent isti, ac liberarent ab his ineptiis, quę toties decantatæ non magis creduntur, sed magis fastidiuntur. Vsus enim est merus abusus & Tyrannis antiquitati Ecclesiæ, vt dixi, plane ignotus; & spiritualis pœna potestasque ligandi ad temporalia in inuitum non potest extendi. Et baculus pastoralis Ecclesiæ est ouium rationalium duntaxat directionis, non proprie coactionis. Quis vero dedit Ecclesiæ authoritatem pœnas temporales excommunicationi addendi? Si illas excommunicatio secum non affert, igitur neque per claues, neque ex Christi institutione pœnam illam habet adiunctam. Ecclesia vero excōmunicando nihil plus potest quam ei per claues est commissum. Et ad temporalia potestatem nullam habet nec directam, nec indirectam. Nos de toto effectu excommunicationis satis egimus sæpius in præcedentibus, potissimum *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 17. & *seqq.* & *cap.* 9. *num.* 20. & *seqq.* vbi patet, tam facile esse probatu quam dictu, eas esse meras Papales vsurpationes, & violentas inuasiones: non quod Papæ armis propriis deponere Reges sint conati, sed alienis; excitarunt quippe subditos in Regem, filium aduersus Patrem, &c. tragœdiæ huiusmodi in oculis omnium versantur, ad perpetuum Paparum opprobrium.

LXIX. Inane est illud Suarezij argumentum, *ibid. num.* 18. Qui negat Papæ potestatem deponendi Principes, is negat Christum dedisse Petro, aut per eum Romano Pōtifici ad regendam Ecclesiam supremam spiritualem potestatem.] Vtroque pede hæc claudicat ratio. Primo enim suprema spiritualis potestas nemini mortalium, non Petro, non Apostolis omnibus est concessa, non Ecclesiæ; soli Christo data est. Aliquid spiritualis potestatis, tantum scilicet quantum necessarium Ecclesiæ in terris duxit Christus, totum id ipsi Ecclesiæ in suis ministris, & non soli Petro, nec Papæ concessit, vt doceo *meo lib.* 1. 2. & 4. Deinde potestas deponendi Reges nihil ad potestatem regendi Ecclesiam pertinet; potestas Ecclesiæ tota est mere spiritualis, & directiua, non temporalis, non coactiua. Si quis malus Christianus scandalo sit Ecclesiæ, impedit multos à salute æterna, incitat ad peccandum, &c. hunc Ecclesia potest corripere, arguere, increpare, tandem excommunicare: at vero carceribus mancipare, in exilium mittere, bonis fortunæ spoliare, vita priuare, non potest. Hæc sunt notissima. Sic igitur iuramentum inquirit, quinam subditi iuxta diuinam legem velint esse suo Regi fideles subditi in ciuilibus; qui vero contra diuinam legem malint in iniusta vsurpatione, & in iis quæ ad temporalia spectant, Tyrannidi Papæ adhærere, quam suo legitimo Regi subesse: atque hoc pacto iuramentum hoc character est discernens in ciuilibus fideles suo Regi subditos a rebellibus per Papam Regis hostem periculosissimum seductis, & à debita absoluta obedientia ciuili abductis.

LXX. Vt suum Rex optimus tueretur iuramentum, *in Apolog. pag.* 250. quatuordecim formauit propositiones inde sequuturas, satis quidem absurdas & parodoxas, quas tamen, vel omnes, vel saltem aliquas, veras esse oporteret, si ipsius iuramentum eas reiiciens legitimum & licitum non esset. Propositiones vero sunt sequentes. 1. Quod Rex Iacobus non sit Rex legitimus sui Regni. 2. Quod Papæ liceat Regem ipsum Regno deponere ex mera sua authoritate, vel Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, aliisve mediis, & aliorum subsidiis. 3. Quod Papæ liceat de Regnis & ditionibus dicti Regis pro arbitrio statuere. 4. Quod Papa possit cuicunque extraneo Principi potestatem concedere inuadendi ditiones dicti Regis. 5. Quod Papæ liceat absoluere subditos illius à fide atque obedientia sui Regis. 6. Quod penes Papam sit licentiam concedere subditis iisdem, arma contra suum Regem arripiendi. 7. Quod liceat Papæ dare veniam subditis illis, vim personæ Regiæ, aut Dominiis, aut quibusdam ex ipsius subditis afferendi. 8. Quod si Papa Regem dictum excommunicauerit, aut deposuerit, non sit liberum subditis illius perstare in fide atque obedientia Regi debita. 9. Quod similiter in tali casu non sit liberum illis subditis personam & coronam Regiam omnibus viribus defendere. 10. Quod etiam in tali casu non teneantur subditi retegere coniurationes ac proditiones contra Regem initas. 11. Quod detestabile non sit, Principes à Papa excommunicatos impune deponi & occidi à suis subditis, aliisue quibuscunque. 12. Quod Papa possit absoluere subditos ab hoc iuramento. 13. Quod hoc iuramentum non ministretur subditis à Rege plena ipsius authoritate & legitima. 14. Quod possit iuramentum hoc suscipi, cum æquiuocatione, mentali euasione, aut tacita reseruatione, & non ex animi sententia, atque ex intimo pectore, in vera fide hominis Christiani.

LXXI. De his hæc habet Bellarminus, *in respons. pag.* 202. & 148. Ex his propositionibus apertissime demonstratur, eo iuramento non ciuilem tantum obedientiam, sed potestatem etiam Papæ attingi. Nam ex quatuordecim propositionibus plurimæ sunt de potestate Papæ. Falsum autem est, eos qui iuramentum recusant, non posse non concedere has quatuordecim propositiones, quæ contrariæ sunt omnibus partibus iuramenti: Nam ad recusandum ipsum iuramentum, satis est, si aliquę eius partes, imo vna sola sit mala, etiā si reliquæ omnes sint bonæ.] Hæc Bellarminus. Debuit ergo Papa in suis Breuibus, & Bellarminus in suis literis secernere malas partes à bonis; & iubere Catholicis, vt bonas partes iuramento affirment, abstineant vero à malis, moneantque Regem, se esse paratos ciuilem obedientiam perfectam & absolutam *iurare*, detractis ex iuramento illis partibus quas *illicitas putent.* Absolute tamen præcipere, vt recusent *totum* iuramentum, est ansam Regi præbere iustissimam ad suspicandum eos omnia iuramenti membra improbare. Nam etiam Rex (qua vere Regia ingenuitate est præditus) *in Apolog. pag* 204. innuit, imo & exprimit, se iuramenti particulas aut deleturum fuisse, aut molliores redditurum, si pacate & amice certior factus fuisset de alicuius partis iniustitia, aut ad fidelitatis ciuilis securitatem, quam solam illo iuramento quærebat impertinente.

LXXII. Succenset tamen Regi Bellarminus, *ibid. pag.* 203. quod omnes prorsus iuramenti partes Regia Maiestas asserat esse bonas & licitas, & solam ciuilem spectare obedientiam. Ipsæ, *inquit*, propositiones clamant: ex quatuordecim vndecim sunt quæ primatum Pontificis in caussis spiritualibus attingunt: caussa etiam vtique spiritualis est, an Princeps hæreticus à Pontifice excommunicari, & an populi Catholici propter periculum hæresis ab obedientia Principis hęretici absolui possint.] Et ex quatuordecim, inquit, *ibidem pag.* 148. articulis soli sunt tres, primus, decimus tertius, & decimusquartus, qui de potestate Papæ nihil dicunt.

Reliqui omnes de potestate sunt excommunicandi, & deponendi, quę ad Primatum spiritualem spectat: id enim Papa facit Apostolica potestate, quam spiritualem esse omnes, *inquit*, fatentur.] Primo miror Bellarmini temeritatem, asserentis hic tractari caussam illam spiritualem, an Princeps hæreticus à Pontifice excommunicari possit: quæ certe in hoc iuramento non attingitur. Deinde eius confidentiam, tam sæpe nobis suam authoritatem obtrudentis sine iusta probatione, cum tot propositiones dicat ad spiritualem primatum spectare. Nos autem contra, non suppositionibus & mendicatis, sed firmiter iactis fundamentis, ita spiritualem & ciuilem distinximus potestates, vt inde facile cõstet, quam procul absint hæ ex iuramento descriptę propositiones, à violanda aut attingenda vlla Ecclesiæ à Deo concessa potestate. Ex placitis autem Bellarmini, reliquorumque Hieromonarchicorum, imo ex hac ipsa horum Regiorum articulorum interpretatione, qua materiam in iis contentam ad forum Papale pertinere asserunt, manifestissime constat, prætextu Ecclesiasticæ, potestatem ciuilem temerari, & inuadi. Quam ridiculum est, vt ita Regem alloquatur Papa; Tu ne manum immittas in messem meam sacram, ego nolo in tuam ciuilem: sacra tantum attrectat hæc manus mea, politica non attingit, ne vnius quidem ciuis obedientiam Regi debitam subducet. Interim tamen quando mihi videbitur, omnes simul subditos eripiet. Dum igitur subditi Regis, facta per Papam depositione, non sint amplius suo Regi subiecti, quis non videt ad Regis obedientiam ciuilem directe, & per se pertinere hanc prætensionem, quæ si in prima propositione locum habeat, totam aufert Regi Regiam potestatem? Idem prorsus continetur, in 2.3. & 4. propositionibus, quæ si asserantur, falsæ sunt, & Regiæ potestatis destructiuæ. De absolutione à subiectionis iuramento quinti articuli seu quintæ propositionis, iam ostendi, eam non esse in Papæ, aut Ecclesiæ potestate: Illa enim tunc esset supra ius diuinum. Quod si non potest Papa subditos liberare à subiectione & obedientia ciuili erga suum Regem, quomodo potest eis concedere, vt insurgant in Regem, quod habetur in 6. 7. & 11. articulis: Excommunicatio vero cum solam auferat ad summum (vt ei hoc nunc donemus,) cum Rege communicationem, subiectionem vero naturalem subditis auferre non possit, quomodo dici iure potest, per excommunicationem Regis non licere subditis in sua fidelitate & obedientia permanere, ac Regem in temporalibus defendere, aut coniurationes in eum initas detegere? aut licere cuipiam Regem deponere, & occidere? quæ continentur in articulis 8. 9. 10. 11. Illud vero nescio qua fronte proferat Bellarminus, *Apolog. pag.* 148. *&* 202. Papalem potestatem extendi ad præcipiendum subditis alicuius Regis, vt illum ab iniuriis & sicariis non defendant; aut si sciant contra ipsum conspirari, coniurationes non aperiant, sed potius ad necē ipsi conspirent. Horret animus hæc audire: & tamen Bellarminus omnes ferme hos articulos, tribus exceptis, 1. 13. & 14. ad Papæ potestatem pertinere asserit, ac tacite eos omnes approbat, nullum enim reprobat: eorum siquidem cõtrarios singulos 12. in iuramento contentos, illicitos esse & malos definiuit, ac pronũciauit, quippe Apostolicæ Papali authoritati aduersantes.

LXXIII. Suarez tamen *cap.* 6 *num.* 19. *& seqq.* illas propositiones quatuordecim omnes esse in bono sensu veras conatur nobis persuadere: Excepta prima: Bene est, conceditis ergo iuramentum esse licitum quoad primam illam propositionem. In damnando igitur illo iuramẽto debuit Papa monere Catholicos suos, vt si separentur iusta ab illis quæ ipse iniusta censuit, non recusent iuramentum, quam separationem nunquam fecit, nec faciendam mandauit. Secundam propositionem dicit esse veram, modo verbum, *mera*, non excludatur legitima causa. Sed iã ostendimus ex defectu potestatis, non ex solo defectu iustitiæ, depositiones illas nullas esse. Ego autem interrogo, quid si Papa sine caussa deponeret, tenetne depositio, an non tenet? Si tenet, actum est scilicet de Regibus, etiam innocentibus. Precario enim regnant, hodie Reges, cras si Papa velit futuri exreges. Si non teneat depositio quis hoc declarabit? quis Papalis censuræ iudex? quo in foro, apud quem iudicem, quo aduocato defectum caussæ agitabit? Rex exsceptratus iudicem ne implorabit Ecclesiasticum? At Ecclesiastici omnes, quos Roma pro veris agnoscit, se membra, imo mancipia illius sedis profitentur; nec possunt, nec audent de suo Capite ac Domino sententiam ferre: latam itaque censuram præsumuntur approbaturi. Num adibit ergo Iudicem ciuilem? At caussam hanc volunt aduersarij esse spiritualem, nec ad laicorum cognitionem vllo modo pertinere. Ita Regibus qui Papatum admittunt, nec stantibus firmitudo, nec deiectis remedium. Ne itaque Regibus illudas Suarez obtentu legitimæ caussæ. Omnis caussa erit legitima quam extrudet Papa, quamque consequenter vos eius asseclæ defendetis: vos effingitis hæresim, vbi est veritas maxime Catholica: & tamen vestræ caussæ fictæ pessundare debent pios & Catholicos Reges. Idem dicendum est de tertia propositione. Pro arbitrio, ad libitum, imo vere pro libidine deposuerunt, aut tentarunt deponere Principes magnos Romani Põtifices, qui tamen nec vllam huiusmodi potestatem habebant, neque caussam iustam; ex mera libidine hæreses affingunt Regi, qui nolit iugo Tyrannico Papali colla subdere, cum tamen non modo subdere non teneatur, sed etiam non subdere teneatur, & sic de cæteris. Quas etiam circa Regicidia, tanquam veras rursus approbat Suarez, si Papa præter excommunicationem, & depositionem, etiam executionem mandet; quam vero falsæ sint, quam seditiosæ, quam impiæ hæ propositiones iam satis constat. Quæ ait *ibid. numer.* 27. 28. de Conciliis & Scholasticis, à me sunt explicata, *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 91. *& seqq.* vbi ostendi Catholicos plures authores potestatem illam Reges deponendi omnino negantes, & detestantes.

LXXIV. Incredibile est, ait Suarez, non habere Christianum Regnũ remedium contra hęreticum Regem: Est enim hoc contra omnem rationem & contra exactam Dei prouidentiam: Cum Rex hæreticus inficiat totum regnum, &c.] Ergo nisi Papa armetur potestate hac depositiua, Suarezio diuina concidit prouidentia, & Epicurei, & Athei vicerunt. Ego vero illi hunc laqueo suo nodum innecto, quem sibi soluat aduersarius rogo. Si remediũ hoc externum Dei exacta prouidentia necessario postulet, tũ requiritur vt & effectum sortiatur, ac etiam per omnes Ecclesiæ ætates inualescat. Primum probatur ex ipsis Suarezij principiis; *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 2. 3. vt enim ille Papæ potestatem Regum depositiuam se demonstrasse putat, hoc modo. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & optime instituta, ergo si Pontifici dedit potestatem directiuam, dedit coactiuam, quoniam institutio aliter facta esset imperfecta, & inefficax: ac ibi concludit, hanc rationem sine dubio esse sufficientem. Ita hic nos, si diuina prouidentia dedit Ecclesiæ in remedium persecutionis, potestatem authoritatiuã Reges noxios deponendi, dedit etiam potestatem executiuam, ac vires temporales sufficientes ad eosdem actu deponendos: quoniam institutio aliter facta esset inefficax: & hæc

ratio est sine dubio sufficiens. Secundum inde constat, exactam Dei prouidentiam esse perpetuam, sibique vniformem; nec minus inuigilasse, ac necessaria omnia contulisse Ecclesiæ antiquæ, quam posteriorum temporum, & hodiernæ. Ecclesia autem vetus quid hoc in remedij genere fecit, quid tentauit contra Ethnicos sanctorum vastatores, Neronem, Decium, Diocletianum, imo quid contra suos baptismate sibi tesseratos Constantium, Valentem, &c. quos ne quidem excommunicauit? quid etiam contra Iulianum professum Apostatam? num Apostata media habuit ad remedium huiusmodi actu exsequendum? num Ecclesia non vtens defuit sibi in necessariis? An vero non habuit: tum quidem ex Suarezij Theologia (quod horreo scribere) Deus defuit Ecclesiæ in necessariis. Quod si argueretur aliquis Hieromonarchicus, Ecclesiæ necessariam illam remedij copiam in actu primo, non in secundo, hoc est, vt ex autoritate sua possit iis mediis vti cum adsint, non autem vt semper habeat ad manum. Respondeo inde euerti consecutionem illius remedij ex Dei exacta prouidentia. Nam si Deus hoc remedium parauerit, vt vniuersaliter Ecclesiæ necessarium; certe quamdiu velit stare Ecclesiam, tamdiu non modo hanc illi conferet authoritatem, sed etiam media porriget, quibus Ecclesia vtatur cum velit: ac denique voluntatem efficacem suggeret, vt iis Ecclesia velit vti cum possit. Et per consequens nullus de facto restabit vnquam (saltem intra Christianismi ambitum) Rex hæreticus, vel scismaticus fidelium ve persequutor. Imo, vt à Regibus ad ipsos Ecclesiæ ministros deueniamus, quidni hoc externi adeo necessarij remedij genere præstitit, aut præstare potuit Ecclesia contra degeneres familiæ suæ Oeconomos, Arium, Nestorium, Dioscorum, & similes? Quem nam horum patrimonio priuauit, aut corporali supplicio affecit? Ideone diuina claudicauit prouidentia, quod non aliud, quam excommunicationis remedium habuerit Ecclesia contra hos hæresiarchas? & tamen illi peruersa ac blasphema docendo, & sophismatum strophis simpliciores decipiendo, tetrius inficiunt gregem Christi, quam soleant Reges, etiam hæreticissimi; qui non tam in animas agunt, quam in corpora. Nunquid Reges suggesta sacra ascendunt? nunquid Cathedras Theologicas possident? num disputant? num de controuersiis scribunt? Reges certe conscribere exercitus solent, & scribere edicta, non libros, de re præsertim Theologica. Vix vidit, aut visura vnquam credo est Ecclesia alium IACOBVM, qui non tantum sceptro, sed, & calamo magis, magisq; inclarescit, eoq; non Hæresim, non communes errores, sed veritatem Catholicam genuinam defendit, idque ea soliditate ac fœlicitate, vt merito pudeat insigne Romanorum pugilum par, Bellarminum, & Suarez, contra inuictam Regiorum scriptorum arcem telatam detrita, & arundinea ex attramentario Pontificio deprompsisse, & in suum caput reductura euibrasse. Sed quid, dubitemus quin diuina Prouidentia satis prospexerit Ecclesiæ, eo quod tempore Hæresium, doctos sacræ veritatis assertores Orthodoxos excitet Athanasios, Hilarios, & similes, contra Arium: Cyrillos; contra Nestorium. Augustinos, & Prosperos, contra Pelagianos, &c. Addideritque Principes, qui legibus etiam, & exiliis, aliisque corporalibus pœnis Ecclesiam contaminatam purgare solent. Sin ipsi Principes labantur, nec reuocati possint salutaribus monitis, inuitamentis, incitamentis, terriculamentis, habet Ecclesia arma eadem quæ erga alios suos cuiuscunq; ordinis filios, nempe preces, lachrymas & suspiria. Contra eos, imo pro iis, alias vires vlteriores non habet.

LXXV. Iustissimam Regis querelam aduersus Pontificem institutam retundere conatur Suarez ipsa Pontificia Breuia defendendo. Eorum defensionem totam fundat in Papatu, quem legitimum supponit, non demonstrat: ac præsertim in potestate Pontificia deponendi Reges, obedientiam ciuilem impediendi, & rebelliones excitandi: sed nisi prius & Papatum confirmarit, demonstrationesque contrarias, etiã nostras *lib. 1. & 4.* potissimum propositas sustulerit: defensio Breuium valde breuis, ac leuis; imo nulla erit. Et consequenter Regis querelæ adhuc rectæ stabunt in Curia Theologica. Errauit enim Pontifex, dum illicitum esse in suis Breuibus pronunciauit (certe claue scientiæ satis distorta, & corrupta, ne dicam rupta) id quod iure diuino naturali, non modo licitum, sed etiam necessario seruandum est. Qua quidem temeraria importunaq; declaratione, & suos in Anglia Catholicos iusta inobedientiæ suspicione onerauit, ac in angustias reduxit, & totum Regnum, valde imprudenter in grauissima coniecit pericula, vt superius monebam § . 44. *huius capitis*. Asciscit etiam sibi Suarez, pro Breuium defensione, supremam Papæ potestatem in rebus fidei declarandis; supponitq; ipsum esse solam, & certam, ac infallibilem fidei regulam. Quod tamen esse falsissimum, & summa cum Ecclesiæ infamia arrogatum, ostendo pluribus *lib. 7. cap. 5.* Libenter vero ex maxime controuersis sua confirmat Suarez, imo ex iis, quæ nullam in se veritatis speciem continere iam demonstrauimus. O præclaram fidei regulam: Christus dicit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: Paulus ait: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: tota natura clamat, societates humanas suis Gubernatoribus in ciuilibus subiectas esse debere: Papa contra clamat, Nemo se Regi in ciuilibus plene submittat, nisi quando, & quandiu mihi placuerit: quando autem ego significauero meam imminui & lædi omnipotentiam; tunc omne abiicite obedientiam; & Regem vestrum, si ego iussero, etiã occidite. Has profecto impias voces Breuia illa in se, secundum Suarezii glossam horribilem, virtualiter continent. Iuramentum vero ipsum rite intellectum nihil aliud requirit, nisi quod natura docet & cogit, Christus mandauit, Paulus monuit: & Ecclesia perpetuo seruauit: vt plena & ab omni homine independens ciuilis obedientia Principibus præstetur in humanis.

LXXVI. Illicitum esse Iuramentũ illud ex tripode dixit Papa: sed nihil probauit, vt merito ei obiecit Rex. Suarez *cap. 8.* cum Bellarmino ait, satis fuit Papam veritatem simpliciter proponere & docere, *& à probationibus abstinere.* Certè cœcis & bardis *hoc sufficit*; qui videlicet Papam faciunt totius doctrinæ Christianæ in terris fontem, Ecclesiæ sponsum, imo Dominum nostrum Deum. His quid mirum si satis, *ipse dixit*: vt quæcunque credenda proponit, fide diuina, cui nempe falsum subesse nequeat, credantur & colantur. Non hoc tamen olim iustum, vt quisque credat, quicquid docerent illi, qui loco sancto præessent; nisi illi docerent iuxta legem Domini; *Deut. 17. 10.* Propterea si Papa vult vt ei credamus, doceat nos iuxta legem Domini; & ostendat se iuxta legem Domini docere: Quod si Papa non vacet, vel non conueniat, ad suos de sua transcendenti autoritate, etiam eorum salutem æternã, vt ipse inculcat, concernente, instruendos descendere, vicariã hanc præstent operam illi, qui sunt huius oraculi interpretes, ipsi saltem doceant, oraculũ isthoc Papale iuxta legem Domini, aut saltem non contra pronuntiasse. Quod certè facient post annum Platonis magnum.

LXXVII. Quærit Suarez *ibid. nu. 4. & seqq.* an possit quis Catholicus in Anglia excusari á culpa infidelitatis

vel facti-

vel sacrilegij, qui iuramentum non recusauerit. Quæsiti huius plenam & apertam solutionem videre est in libris Widringtoni Anglo-Catholici, Sedis Romanæ in spiritualib. obseruantissimi, nec vlla hæresis aut schismatis macula notati: qui Iuramentum vt legitimum, quippe fidei Catholicæ nihil prorsus contrarium, tuetur, & consequenter docet, idipsum tuta conscientia non posse à Catholicis recusari. Ille profecto neruose & dilucide hæc tractat, & inanes aduersariorum tricas ita penitus dispellit, ac abolet, vt nolint Papæ consiliarij scripta illius à suis legi. Posita vero iam, & sufficientissime stabilita ea veritate, in iuramēto nihil esse quod Catholicam fidem vel minimū lædat: potius formandum est quæsitum, An possit Catholicus quispiam tuta conscientia illud recusare, & an magis sit Deo per illud i ramentum obediendum, an homini Papæ contrarium præcipienti. Excusationes quas affert Suarez nihili sunt faciendæ. Verum enim est, in Papa, imo in tota Ecclesia non esse potestates illas quæ eo iuramento abiurantur: & quia illæ sunt diuino iuri & S. Scripturæ contrariæ, ideo merito abiurandæ, ad obedientiam ciuilem attestandam: ac sane clare & expresse abiurādæ, quia expresse ciuilem impediunt, imo iugulant obedientiam: & hoc non modo probabile est, sed plane demonstratum. Ita vt & in fide error planeque hæresis sit asserere, ab homine posse fieri licitum, id quod sacra Scriptura docet iure diuino esse illicitum, & contra æternam Dei legem.

LXXVIII. Indignor autem & rideo, cum apud Suarezium *ibid. num.* 10. lego, longe certius esse, Papam habere potestatem (nempe depositiuam) in ipsum Regem, quam ipsum esse verum Regem, cum successio Iacobi in probatione tantum humana fundetur, potestas autem Papæ supra Regem fundamentū habeat in verbis Christi.] Veteranus Theologus hic peius quam si nouitius esset labitur. Papalem potestatem quoad ius, comparat cum successione Regis, quoad factum. Quæ comparatio si valeret, ego quoq; eam statim contra ipsum Suarezium conuerterem, & dicerem: Longe certius est, Regem habere potestatē absolutam, & perpetuam in suos subditos, cuius in terris de iure tollendæ superior potestas non detur; quam Paulum V. esse verum Papam: Cum successio Pauli vsque ad Petrum nō nisi traditione humana probetur, ex omnium Pontificiorum communissima doctrina: Potestas vero Regia sit immediate à Deo, vt est à me iam probatum, *lib.* 6. *cap.* 2. Comparet ergo ius cum iure, & factum cum facto, & tunc, si stemus etiam in Romanensi doctrina, erunt in omnibus saltem pares, Papa & Rex, quisq; siue in sua potestate iuris, siue in suæ facto successionis. Ius enim vterque ex verbo Dei quæret; successionem vterque ad humanam traditionem reducet. Sed si veritatem sequamur, in eo longe dispares sunt, quod ius Regium sit certissimum, & probatissimum ex verbo DEI, ex iure naturæ, ex Patrum testimoniis: Ius vero Papale sit falsum, inane, commentitium, &c. Nec possit ex alio Dei verbo probari, nisi forte ex illo, *Luc.* 21. 8. *Multi venient in nomine meo, dicentes quia ego sum.* Quæ scilicet afferuntur Christi ad Petrum dicta decantatissima, ab omni Papatus specie satis longe amouimus. Quod vero hic vel ille homo sit per successionem à Regib. prædecessoribus natus, & Regni hæres, euidētia tantummodo humana constat: Quæ tamen abunde sufficit, nisi ad schepticorum de omnibus dubitantium insaniam generi humano sit descendendum. Nunquid tibi, bone Suarez, vlla alia quam huiusmodi probatione constat, Philippum Tertium esse Hispaniarum Regem? Illi tamen spero non minori certitudine fidem tuam, vt subditus, etiam si opus sit iuramento, astringes, quam obedientiam soles Pontifici vt Ecclesiasticus; vel etiam addito quarto voto, vt Iesuita; quamuis hunc Pontificem esse verum Pontificem, Petri (vt vos vultis) successorem, non plus scias, quam quod dictum est de Regum successione. Quia ergo & ius, & factum in Rege Angliæ sunt certissima, merito à suis subditis ipse exigit sui iuris Regij agnitionem: Et quia Papalis potestas ad deponendos Reges est falsissima, merito ab iisdem suis subditis etiam exigit arrogatæ huius Papalis potestatis abiurationem. Vtrumque nimirum, vt rem non modo certam & manifestam, sed tuendæ Regni Anglicani paci inprimis necessariam. Quod autē insinuat ibidem Suarez, Serenissimū Regem suam ad sceptrum Anglicanum admissionem, vel pacificam eiusdem possessionem, magna ex parte debere Pontificis patientiæ, ac tolerantiæ, est quidem arrogantissimè dictum, & eo spectat, vt Regi suadeatur se Regno precario frui, tantisper scilicet, donec Papæ placuerit, data rebellionis tessera, ipsum exregem facere. Ita sane Latronum patientiæ ac tolerantiæ debetur, quod hic aut ille viator bonis suis, vitaque non exuitur.

LXXIX. In idem Regis dictum de sua & Papæ successione inter se collatis insurgit etiam Bellarminus, *in Respons. pag.* 208. & ait, Romanum Pontificem S. Petro in Apostolica dignitate, & potestate succedere fide Catholica credimus. IACOBVM autem Henrico Octauo succedere in Anglicani Regni possessione non arbitror vllum esse tam impudentem, qui dicat, fide Catholica esse tenendum, vt qui id negauerit, hæreticus haberi debeat.] Primo quod ad thesim attinet, nos *lib.* 4. *huius operis*, demonstrauimus, possibile non esse, vt fide Catholica certum habeatur, Romanum Pontificem esse Petri successorem: cum tota huius successionis probatio ex pura humana historia pendeat. Docui etiam *lib.* 1. & probaui, Petrum nihil plus potestatis habuisse in ipso Pontificatu, quam quemque alium ex Apostolis. Docui item & probaui *lib.* 2. Petrum nullum habuisse certū certæ Ciuitatis Pontificatum, sed & ipsum, & quemcunque alium Apostolum fuisse totius mundi Pontificem in potestate, & habitu; & non minus Petro succedere Antiochenum, quam Romanum. Docui demum ibidem, neque Petro, neque vlli Apostolo dari successores tanquam singulis; sed Episcopos singulos; & cum ipsis Romanum, succedere omnibus Apostolis in solidum. Quæ omnia sunt iam à nobis plenissime tractata, & conclusa; ita vt Regis dictū ex his certissimum, & Bellarmini assertio pariter reddatur incertissima. Deinde quo ad hypothesim, quam certe postulat hæc comparatio; quemadmodum Angliæ Regi respondet Pontifex Romanus, ita huic Angliæ Regi IACOBO hic Romanus Pontifex Paulus Quintus; igitur in Bellarminum ipsius verba retorquens dico, neminem esse tam impudentem, qui dicat, fide Catholica esse tenendum, vt qui id negauerit hæreticus haberi debeat, hunc Paulum esse verum ac legitimum Papam. Quomodo quæso mihi fide diuina constat, eum non irrepsisse per simoniam, aut se non intrusisse, aut non baptizatum accessisse, si forte Minister (stante nostrorum Papalinorum sententia) non habuit intentionem ipsum baptizandi? Cuiusmodi & similia impedimenta nullum reddunt Pontificatum; cum tamen nulla sint quæ possint incertam reddere Regiam potestatem in quocunque Rege, singulari actu regnante. In reliquis quæ obiecimus Suarezio in hac comparatione, obiicimus etiam Bellarmino.

LXXX. Placet mihi Suarezij quædam distinctio, *ibid. num.* 15. vbi loquitur de intentione Catholici simplicis

plicis & non docti, ante accepta Papalia Breuia Iuramentum illud præstantis, quo non intenderet iurare aliquid contra fidem, vel cõtra Papæ potestatem: iam enim diffidebat se posse conuincere, illam Papæ Potestatem esse de fide: cuius fidei fundamentum non potuit aliud solidius inuenire, *ibid. & num.* 19. quam Extrauagantem *Vnam sanctam*. ô præclarum fundamentum! At vero Bellarminus solam inde ciuilem obedientiam non quæri à Rege arguit, *in respons. pag.* 180. 206. 227. Quod legibus seueris & mulctis pecuniariis Catholici Romani ab exercitio Romanæ religionis auocentur, & ad frequentanda templa, conciones, & sacra Protestantium compellantur. Hoc enim ait non fieri ad hoc, vt deregantur quinam sint fideles Regi in temporalibus, qui non; nam etiã semel detecti, toties puniuntur quoties statutis temporib. à frequentatione templorum Protestantium abstinuerint. Religionis duntaxat, & conscientiæ causa, & non propter ciuilem obedientiam affliguntur.] Non sunt hæc duo confundenda, quorum primum est obstinata absentia à diuini cultus exercitio ordinario, & vere Catholico, contra quem nihil habent quod ex Romanæ fidei placitis obiiciant. Alterum & longe diuersum est perfidia, seu erga Regem ipsum infidelitas, in detrectando Iuramento, quo fidelitas supremæ Regiæ potestati debita esset profitenda in ciuilibus. Hæc vt officiorum natura, ita etiã legib. ac pœnis distinguuntur. Quoad primũ itaq; interrogo Bellarminum, Cur Imperator, & Reges Romanæ Curiæ deuoti, dum à Papa vel Episcopis coronãtur, iuramento seruandæ Romanæ religionis astringũtur, & id seuerissime contra dissentientes exequuntur? Cur truces ac sanguinariæ inquisitiones, tremẽdos nostris incutiunt terrores, idque solius Romanæ superstitionis tuendæ causa? Quoad secundum autem, quid fieret in Curia Romana, si simul etiam ad conseruandam summi Pontificis, & Imperatoris, ac Regum vitam, ipsisq; sua sceptra tuenda, fidelitatemq; subditorum retinendam, contra diuersa à Romana ipsa Curia sentientes esset procedendum? Hæc itaq; de mulctis pecuniariis quæ frustra hic commemorat Bellarminus, nihil ad præsentem de iuramento quæstionem. In quo nimirum hæc non continentur; nemo enim iurare & promittere cogitur hanc templorum frequentationẽ. Alia est illa seorsim lex, & alia illius pcepti cõsideratio: vbi recte & prudenter reformata est Christiana religio, & ad antiquam puritatem redacta, eam merito Reges & amplecti & fouere, & quantum humana diuinaque prudentia dictat, in suis regnis stabilire debent, & corruptiones eradicare.

LXXXI. Aliud tamen in hoc genere mouet quæsitum Suarez, *cap. 9.* An liceat Catholicis Romanensib. in Anglia, ad pœnas illas & mulctas euitandas, Protestantium templa, conciones, preces & sacra frequentare; & toto conatu nititur probare, id eis nulla ratione licere. Ante omnia præmittit doctrinam de confessione fidei; quam ei nunc totam lubens concedo: Supposita enim erronea ac falsa conscientia Papicolarum huius Regni, & concesso in Anglia hæresim dominari, adhuc ostendo, posse citra omnem legitimum scrupulum ipsos templa publica precesque frequentare, etiamsi nullum eis immineret damnũ, nullum incommodum temporale; sed siquidem immineat, tãto magis id eis licebit. Deberent quidem doctiores, qui plebis simplicioris ductores sunt, plane quod satis bene norunt, & quod res est docere, nempe nullam hic hæresim grassari, & summa cũ iniuria Romam Regi huic & Regno hæresis crimen impingere. Atque ita quæstioni illi de confessione fidei, & hæresis euitatione esset prorsus supersedendum. Id autem nos iam abunde in præcedentibus probauimus: sed licet abundent adhuc Romanenses in sensu suo, quousque nimis obstinatos CHRISTI lux emolliat animos; adhuc aio, licere tamen eis, absque vllo piaculo aut peccato, ad preces Anglorum publicas serio & aperte, non ficte, conuenire, & sacras cõciones audire, & sacramenta percipere.

LXXXII. Si ritus publici ac ceremoniæ diuini cultus Ecclesiæ Anglicanæ essent de se & intrinsecè mali, pura vel superstitiosi, vel periculosum aliquem errorem suapte natura profiterentur, merito essent vitandi. Quia tamen non alij, nec noui, sed iidem sunt qui semper in Ecclesia hac (aliquibus prætermissis) etiam quando cum Romana sentiebat, fuerunt; profecto non ideo vobis fugiendi, quia mali; eos vero prohibendi nulla ratio est, quia nullum periculum aut scandali, aut propriæ deprauationis adest. Non deprauationis quia in publico diuino cultu sacra Scriptura legitur vel canitur, Deus laudatur, Christus glorificatur, & orationes publicæ Ecclesiasticæ quæ Collectæ vocantur, illæ ipsæ antiquæ sunt, quas nostrum etiam Romanum Missale continet. Ministri antiquo & decoro habitu induti Ecclesiastico: Liturgia etiam ipsa nihil in se continet, quod non sanctum, non pium, non vere Christianum, & Catholicum sit. In Eucharistia celebranda verba consecrationis proferuntur à Ministris legitime in presbyteros consecratis, fit ipsa sacri panis & vini consecratio cum expressa intentione & publica Ecclesiæ, & priuata Sacerdotis (licet absolute necessaria non sit, vt docui *lib. 5. cap. 12.*) efficiendi vt per hoc diuinum Sacramentum digne accedentibus ipsum verum ac reale Christi corpus ac sanguis exhibeatur: vt etiam fuse *lib. 5. cap. 6.* probaui. Nimia est ergo petulantia, & blasphemæ linguæ impietas, vbi Suarez *cap. 9. num. 16. 17. & 29.* profana hæc sacra vocat, Calicem & mensam dæmoniorum, sacrilegam cœnam, & fictam Eucharistiam. Intoleranda hæc est furiosi Iesuitæ audacia, & fœdum conuicium cõtra maledicentis conscientiam prolatum. Quid enim? Si hos vult esse hæreticos, annon etiam hæretici verè ac ritè consecrant, si adsit materia, panis & vinum; forma debita verborum, ministri intentio (vt aduersarij volunt) & potestas sacerdotij? Quid iam deest? Episcopi certè Anglicani presbyterorum ordinatores originem & consecrationem omnes trahunt ab Episcopis per Ecclesiam Romanam consecratis. Conciones valde piæ, doctæ, elaboratæ, & ad mores habentur opportunæ: quorum multæ in Papæ Sacello haberi possent, & sane libentissime audirentur. Raro admodum in controuersias diuertitur: quas audire nullum prudenti periculum, imo magnum adiumentum & solatium: Earum ope auditores etiam Romanis erroribus demersi ad inquirendam veritatem aditũ sibi aperiri cernerent: Desinat itaque Suarez ignota damnare, & de Ecclesia Anglicana cũm aliis nostris temere ineptire.

LXXXIII. In his autem scandalo, quod metuit Suarez, nullus certe locus. Catholico-Romani admittant, vt teneantur in conscientia, iuramentum illud fidelitatis; deinde etsi aperte profiteantur Papismum, adeant tamen Ecclesias Anglicanas, & declarent se ad Deum laudandum, & Christum glorificandum, & legibus in se haud iniustis, sed bono sensu piis, parendum, precibus interesse, citra professionem vel admissionem eorum, quos putant hic regnare errorum: & sic iam nullum, vel suis vel Reformatis mouebunt scandalum. Statim enim per totum Regnum, & apud Romanizantes, & apud Protestantes diuulgaretur, Papistas in sua Romana fide integre manẽtes, templa, & sacra frequẽtare, quæ in se sancta & pia sint, & nequaquã

Reforma-

Reformatorum, à non reformatis distinctiua (etsi hoc iis falsò à suis vrgeatur) sed ad diuinam Scripturam audiendam, ad preces Deo fundendas, ad conciones ædificatorias & morales amplectendas, controuersiales autem ideo audiendas, vt quæstionum statum verum & Protestantium rationes intelligant, ac de iis secundum Christianæ doctrinæ fundamenta, & antiquam fidei regulam iudicent. Hæc protestatio statim in publicum emanaret, neque amplius vllum aut periculum, aut scandalum subesset: Ac interim damna & incommoda temporalia euitarentur. Neque profectò propterea forma & ritus prædicandi Anglicus, aut de se malus est, aut Religionis distinctiuus, quia paululum deflectit à Romano: Cum sub Papatu quoque in diuersis Ecclesiis insignes in precum formulis ritibusque diuersitates obseruentur. A Romano enim ritu plurimum variant Dominicani, plurimum Benedictini; plurimum Ambrosiani; & multæ aliæ particulares Ecclesiæ. Quid verò? Num tu Suarez antiquam illam tuorum conterraneorum Mozarabum damnabis lyturgiam, tam à Romana, & reliquis omnibus semper diuersam, & à quibusdam putatam ridiculam? Scis, quam variæ sint & inter se in ritibus discrepantes Orientalium Catholicorum Liturgiæ. Etiam in Anglia olim vigente Papatu Ecclesiæ Cathedrales non vnam adhibuerunt Liturgiam; Hæ nempe secundum vsum Sarum; Illæ secundum Lincoln; Aliæ secundum vsum Bangor. Ex quibus certe præsens Liturgia Anglicana decerpta est.

LXXXIV. Obiicit tamen Suarez authoritatem Pauli V. in suis Breuibus expresse asserentis, id Anglis Catholicis non licere. Ac primo quidem idem Saxum voluit, supponens Papatum. Præterea autem ego eum ad alios remitto doctissimos Romano-Catholicos Anglos; qui in his Breuibus non plenam agnoscunt parendi necessitatem, probantque simplex Papæ mandatum non obligare. Et in hoc præcepto tollendo, hacque Pontificia declaratione obliteranda totus hic noster contra nostros Antagonistas labor insumitur. Scripturas mox affert, prohibentes cum hæreticis communicationem. Primo respondere possum aduersario, illas Scripturas posse esse hortatorias tantum, non autem præceptorias; & periculum supponere vt datum graue scandalum; quæ si absint, & aliorum alia incommoda grauia sequantur, hortationes illæ locum non habent. Et quod ex Paulo viget, recedendum esse à fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem; ad rem nō est: Misere autem fallitur, vel malitiosè fallit, dum Anglicanos conuentus putat & ait esse inordinatissimos, & nouas humanas inuentiones, á traditionibus Apostolorum alienas. Dicat quæso, quid noui in his conuentibus inueniat, quod non fuerit in primitiua Ecclesia vsitatissimum? legat Iustinum ad finem 2. Apologiæ. & videbit quasi integrum Anglicanum præsentem in sacris conuentibus exercitium ibi descriptum. Estne humana noua inuentio Psalmos canere, sacram Scripturam legere, Sacramenta vt sunt à Christo instituta ministrare, verbum Dei prædicare, 1. *Tim.* 2. 1. facere obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus. &c? Hæccine ab hominibus inuenta, & à traditionibus Apostolicis aliena? An vero illa potius, aquà lustrali populum aspergere, thurificare altare, statuas & homines; panem adorare: Eucharistiam pro solo Sacerdote consecrare, nō communicaturos tali cōsecrationi interesse; quatuor, quinque, octo, decem & plures Eucharistiæ consecrationes in eadem Ecclesia eodem tempore simul in pluribus altaribus, cum populi diuisione, sine communione ipsius, sub forma schismaris facere; secretas preces populo ignotas murmurare; gesticulationibus non mysticis, sed mimicis populum simplicem pascere, & detinere: Scripturam sacram occultare: Candelis, facibus, & lampadibus ardentibus in ipso meridie Sole splendidissimo illucescente templa illustrare: Cruces, Statuas, Imagines, ad directam adorationem populo ostentare, Statuas & pictas imagines in Sacrario, ne tam facile populo pateant, clatis, velis, & thecarum foribus occludere, populumque vt & spiritualia & temporalia ab his poscat beneficia, docere ac hortari: à peccatis sine præuia pœnitentia absoluere; indulgentias pretio venditare; falsis peccatorum remissionibus populum decipere: Animas ex purgatorio educere, & in paradisum inducere, &c. Hæc iam omnia ostendimus esse mera & noua inuenta, veteri Ecclesiæ penitus ignota, & à traditionibus Apostolorum alienissima. Vtri igitur ab Ecclesia recesserunt? num qui in suis conuentibus, pro regula & exemplo habent, quod Apostoli docuerunt, & vetus Ecclesia seruauit: an qui nuperis, otiosis, imo & superstitiosis ritibus, & humanis auaritiæ & ambitioni dicatis corruptelis erroribusque, se suosque & discipulos & conuentus contaminatunt? Quæ ex Cypriano citat Suarez, *numero* 18. de Donatistis pronunciata, ea profectò non contra Anglos faciunt, sed pro Anglis, vtpote non schismaticis, sed puræ CHRISTI Ecclesiæ filiis genuinis, ab Antichristo iam decisis, ac merito separatis; contra autem Romanenses vere Schismaticos (quia ab vniuersali Ecclesia se separarunt, cuius nolint filij esse, sed Domini) aptissime possunt retorqueri.

LXXXV. Exempla vitati hæreticorum commercij frustra adducuntur, *ibid. num.* 19. 20. & 26. nisi ostendant hæreticorum conuentus, licet in se pij essent & puri, & solus DEVS verus verè & castè in ipsis laudaretur, nihilque in iis fieret quod hæresim redoleret, fuisse á Catholicis vitatos (vt præsertim legibus publica ac iusta authoritate sancitis eos frequentare tenerentur) nisi in illo conuentu fieret aliqua Catholicæ fidei contraria vel tacita vel expressa professio. Hic certe Anglo-pontificiorum hac in re status est, qui ab ipsis Anglis longe melius & distinctius declaratur, quam à me nuper aduena poterit. Rationes quas in contrarium affert Suarez. *ibid. num.* 20. 21. 22. nullius sunt momenti. Prima concidit, quia colere DEVM ritu Anglicano est colere illum ritu Ecclesiæ primitiuæ; qui in se bonus est & licitus; non sic se res habet in colendo idolo; Ille enim cultus in se malus est, & abominandus, nec occulta intentio vlla potest eum purgare. Simulationem non admitto, veritatem volo: quia cum vero & reali illo cultu simul stare potest professio etiam Romanæ religionis, vt ostendi: Nihil enim in eo cultu est, quod ad eam, quæ Romæ perperam putatur hæresis, pertineat: & cultus hic totus ad illam religionem solum pertinet, in qua tanquam fundamentali, & Papales, & reformatæ Ecclesiæ conueniunt. Quæro autem, cum Papistæ in Anglia baptismum, & Sepulturam à Protestantibus accipiunt (& licite quidem accipiunt) annon similiter possunt diuinas preces & cultum diuinum, quia verus est & legitimus, accipere? Nam si per receptionem Baptismi & Christianæ sepulturæ non abnegant Papismum, ita neque per sacras diuinas preces, & per alterum diuinum Sacramentum illum negabunt.

LXXXVI. Altera Suarezij ratio est, *ibid. num.* 23. 24. 25. 26. quia præceptum affirmatiuum confessionis fidei, tunc maxime seruandum, quando lex contra fidem promulgatur. Stulta omnia: eodem enim modo

loquitur de Rege Angliæ, ac de Principis olim Ethnicis, tyrannicè fidem Christi persequētibus. Non enim potest negare eandem esse fidem & religionem, in fundamentalib. in Anglia, quæ est Romæ. Idem Christus, idem Euangelium, idem Baptismus, eadem doctrina antiquorum Symbolorum, &c. Vbi igitur fiunt actus ad hanc ipsam fundamentalem fidem pertinētes, quis mente sanus affirmabit, per hos actus abnegari propriam religionem? Si Baptismum petat Papista à Protestante, num inde negabit suam religionem? Minimè vero. Quia idem est baptismus protestantium & Papistarum. Idem dico de precibus, de psalmodiis, de ritu & cultu externo, qui fundamentalia (in quibus est vnio & identitas) non excedat. Si exempli gratia Constantius Imperator Arianus iussisset solenne ieiunium omnibus Christianis, tam Catholicis quam Arianis, ad impetrandam gratiam à Deo pro aliquo bono communi, puta ad famem vel pestem amoliendam, an Catholici debuissent reniti? an si obsequerentur & ieiunarent, propterea se Arianos esse profiterentur? an in fidei confessionem peccarent? Nihil minus: quia ieiunium in se bonum est, nec ad hoc adhibetur vt per ipsum fiat Arianismi professio; ergo sicut legitime præcipitur, ita legitime celebratur. Sic Rex Angliæ rem bonam in se & legitimam præcipit, vt Devs laudetur, Christvs glorificetur, oretur pro communi bono Ecclesiæ Vniuersalis, pro pace omnium gentium, pro Christianorum omnium Principum salute ac tutela, pro Regni præcipuè Anglicani prosperitate, &c. Num per hæc & similia fit reformatæ religionis professio? Minime gentium: neque vero per vllam aliam liturgiæ Anglicanæ particulam. Nec tale quicquam intendit Ecclesia Anglicana. Satis enim est vt id fiat, quod & reformatis & non reformatis commune est, & apud vtrosque licitum, ac pium. Quod si de intentione hac quis suspicatur, protestatio supradicta omnem tollit scrupulum. Nulla ergo in his adest necessitas fidei confessionis, quia nulla in his prætenditur specialis professio religionis.

LXXXVII. Tertia ratio de scandalo similiter nulla est: iam enim ostendi, hic nullum scandalum esse, tum quia cultus hic de se sanctus & legitimus est; tum quia integra manet distinctio Papistarum à Reformatis. Ideo exemplum Eleazari (quem Suarez *ibid. nu.* 27. perperam nominat Mathaniam) ad rem non est. Ille enim cogebatur carnes suillas edere, 2. *Machab.* 6. quod ex iure diuino erat vetitum. At verum Deum in sacro cœtu inuocare, peccata nostra & miseriam coram eius throno agnoscere, eiusdem in Christo filio dilecto misericordiam implorare, eidem pro omnibus, & huius, & melioris vitæ bonis ac donis humillimas gratias agere, eundem Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum cum omnibus Sanctis & Angelis beatis laudare, in Psalterio, Cithara, in chordis, & organo psallere, Scripturam sacram publicè lectam audire, non est vetitum Christiano. Si Eleazarus ouinam pro porcina edisset secretò, publicè tamen putaretur edisse porcinā, scandalum merito dedisset, & grauiter peccasset. At Rex Angliæ non offert porcinam, sed simpliciter ouinam, & ad licitum salubremque cibum suos subditos omnes inuitat; horum quidam tamen nimis scrupulosi, imo vt verius dicam, malitiosi, male audiunt, nec videri volunt posse balatum à grunnitu distinguere: Haras esse clamant Protestantium aras: Quænam autem ex illa Anglorum porcina, qua vesci nefas vlli pio Eleazaro, potius illi fame vel gladio pereundum? Forma Diuinorum officiorum, hoc est publicarum precum per vniuersam Angliam, eaque, (vt dictum est) ex antiquis, ab Ecclesia Romana approbatis, ac laudatissimis Liturgiis optimo cum delectu (omissis iis quæ forte nostri Romanenses haud lubenter defendunt) desumpta. Adhortatio ante omnia ad pœnitentiam, & ad misericordiam Dei implorandam inuitatio. Publica generalis peccatorum confessio per omnes cōiunctā voce genib. flexis prolata subsequitur. Eique absolutio, ac remissio generalis per Sacerdotem pronunciatur. Oratio Dominica recitatur. Psalmus: *Venite exultemus*, voce modulata ab omnibus canitur. Psalmorum Dauidicorum pars, diei assignata, voce vicissim choraliter percurritur, & ad finem cuiusque Psalmi *Gloria Patri, &c.* additur; Caput ex Testamento veteri legitur: *Te Deum laudamus*, cantatur. Caput ex Nouo similiter legitur, cui canticum, *Benedictus*, suaui cantu subiungitur: & hæc quidem in matutinis: nam in Vespertinis loco Hymni, *Te Deum*, Canticum *Magnificat*, & loco Cantici, *Benedictus*, Canticum, *Nunc dimittis*, canuntur. Symbolum Apostolicum, Versiculi, Responsoria non omittuntur. Oratio, siue Collecta diei propria adhibetur, tum suffragia pro pace, pro charitate, &c. His subiunguntur Symbola Athanasij & Nicænum, Epistola & Euangelium sequuntur, prout dies vel Hebdomada requirit. Decem mandata Dei recitantur. Certis diebus Litania habetur cum inuocatione Trinitatis, in ea oratur pro omnium hominum salute, pro vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ ditectione, pace, & prosperitate, pro Episcoporum & Pastorum illuminatione, pro omnium gentium concordia, pro eorum qui errant reductione in viam, pro infirmis subleuandis, captiuis liberandis, afflictis consolandis, pro inimicis conuertendis, &c. Si Communio sit celebranda, *Gloria in excelsis*, canitur, preces consecratoriæ adhibentur, Eucharistia deuote, genibus flexis sumitur. Tandem pace Dei inuocata Populus cum Sacerdotali benedictione dimittitur. Hæc cum decoro gestu, ornatu, & deuotione quotidie magna cum solennitate in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis partim recitantur, partim cum vocali Psalmodia, tactis etiam eleganter Organis, canuntur. In Parochialibus Ecclesiis diebus Dominicis, ac Festis Christi, B. Virginis, Apostolorum, &c. lectione, & recitatione peraguntur.

LXXXVIII. Quid vero in iis nostrorum Romanensium palato non placeat, non intelligo, nisi quod hæc populus audiens & comprecans intelligat, apud nostros autem murmura tantum, & modulos non ipsa precamenta percipiunt. Magnum vero scelus quod cupiant Angli cum Paulo Apostolo, 1. *Corin.* 14. 15. precari in spiritu, precari & cum intellectu; psallere in spiritu, psallere & cum intellectu; quod apud Anglos qui supplet locum idiotæ cupiat ea percipere, quibus solet accinere, *Amen.* Ab Authoribus certe non vanis audio, Pontificem Romanum Reginæ Elisabethæ obtulisse permissionem generalem, qua omnibus Romano-Catholicis liceret adire templa Protestantium, ac his precibus se adiungere, ea conditione, vt Regina dictam precum formulam reciperet, vt à Papa datam, ac Populo Anglicano Pontificia authoritate præscriptam: quod quidem illa prudenter recusauit. Nihil ergo in Diuinis officiis est, vnde quis rationabile scandalum timere possit. Quod si dicatur, multos esse ita infirmos, vt scandalum graue patiantur, si alios Romano-Catholicos videant Anglorū sacra frequentare; imo si addatur, ex ipsis nonnullos qui hoc faciūt contra conscientiam suam facere, adeoque in eo peccare, quod conscientiam suam violent, cum conscientia etiam erronea obliget, respōdeo aperte ac sine ambage,

bage, eos teneri conscientiam suam melius informare & corrigere: & eo ipso grauiter peccare, quod hoc non præstent, aut setio conentur; cùm abundet Anglicana Ecclesia Theologis doctis, qui tales, cùm ipsos adeunt, piè ac solidè instruere, ac scrupulos huiusmodi euellere & possunt, & solent. Nec satis erit, vt obstinatus aliquis Papista dicat, sibi nunquam euelli scrupulos, ac inde occasionem arripiat, se à precibus publicis subducendi; lex enim interim bona est & pia, quæ eos, vt preces frequentent, vrget: & laudanda est Regis mansuetudo, qui libentissimè iis Romanensibus, qui ingenui sunt & indolis pacatæ, tempus indulget, ac vsq; & vsq; prorogat, quo possint melius ac plenius instrui, ac sine vllo scrupulo Ecclesias adire. Quod autem ad fidem attinet Romanam, vel Reformatam, de neutra hoc in negotio agitur. Hîc professio fidei nulla quæritur, scandalum ergo nullum adest, stante præsertim illa protestatione & declaratione, se in doctrinam Protestantium non consentire, nec velle, vt quisquam per accessum eorum ad iustas & legitimas preces, colligat eos etiam Protestantium in iis, in quibus à Romana fide dissentiunt, doctrinam amplecti, & inter Protestantes numerari. Atque ita Papistæ ipsi quoq; vocari poterunt Protestantes propter interpositam hanc suam protestationem, nō contra, sed pro fide Romana: & constat interim, diuina officia Anglicana non esse carnem porcinam, sed cibum animæ sanctissimum, atq; adeò scandalum in his precibus frequentandis nullum posse esse.

LXXXIX. Vsus fuerat alia occasione etiam Bellarminus illo exemplo Eleazari, quo monet Angliæ Archipresbyterum ad abiurandum Iuramentum præstitum, ne scilicet esset exemplo aliis ad præuaricandum; Rex verò negauerat esse eam causam Archipresbytero recusandi Iuramentum Regis, quæ fuit Eleazaro resistendi præcepto Regio ad carnis porcinæ esum compellentis. Respondet ei Bellarminus [*in Respons. pag.* 197.] his verbis: Ego verò audeo dicere, meliorem causam habere Catholicos iuramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis porcinæ non gustandæ, 2. *Macchab.* 6. Quamuis enim authoritas imperantis vtrobiq; sit eadem, tamen materia, de qua præceptum traditur, omnino diuersa est, ibi enim de carne porcina non gustanda, hîc de potestate capitis Ecclesiæ non abneganda lex datur, & opinor aduersarius non negabit, potestatem capitis Ecclesiæ rem esse longè sublimiorem carne porcina.] Hîc rursum Rex ei opponit nouum dogma: Breue scilicet Pontificium Legi Mosaicæ præferendum esse: & Catholicos magis teneri Pontificis decreto, quàm Iudæi olim Lege per Mosem data tenebantur.] Respondet Bellarminus *ibid. pag.* 229. se non præceptum cum præcepto, sed materiam præcepti cum materia comparare. Mihi tamen non videtur Bellarminus se ab obiectione, quam in eum Rex fortissimè intorsit, expedire. Longè enim diuersa causa est in Eleazaro & in Archipresbytero: Rex Antiochus Eleazarum cogit diuinum præceptum positiuum transgredi; Rex verò Iacobus cogit Archipresbyterum profiteri, se præceptum diuinum naturale obseruaturum. Eleazarus, si Regi pareat, diuinum præceptum positiuum transgreditur; & transgressionis malum dat aliis exemplum; Archipresbyter, si Regi pareat, diuini præcepti naturalis obseruationem promittit bonam & debitam: Et, si quod præceptum transgrediatur, humanum duntaxat, quoad rem, malum & iniustum; quoad autoritatem, vsurpatum & tyrannicum præceptum violat, hoc est, nequitiæ vincula abrumpit ac dissipat, adeoq; aliis præit exemplo non malo, sed pio & necessario. Materiæ verò præceptorum, nihil faciunt in comparatione, nisi propter adnexum præceptum. Caro enim porcina, & potestas vera Papæ proculdubio sunt longè diuersi ordinis & dignitatis. Certè non sunt eiusdem dignitatis, cùm illa in se salubris sit, eiusq; vsus vni tantum populo, idq; ad tempus, prohibitus; Hæc autem in se pestifera, ac exitialis, nulli vnquam genti vllo tempore permissa. Neq; verò eiusdem sunt ordinis, siquidem toto genere hæc duo distant, & vltra omnia prædicamenta, cùm caro porcina sit ens verum realiter existens, à Deo creatum; hæc autem, quam sibi Papa arrogat, nec à suis abnegari patitur, potestas in Regum sceptra, sit merum non ens, nullibi præterquam in somniantium cerebro, aut vanis blandientium Hieromonarchicorum scriptis (quales sunt hæ Bellarmini & Suarezij defensiones) existens; certè nunquam à Deo instituta, sed à Diabolo conficta, & per summam tyrãnidem mundo obtrusam. Quod autem hæc attinet, quatenus præcepto subsunt, circa materiam carnis porcinæ versatur præceptum diuinum positiuum, Eleazaro nullo modo licitè transgrediendum: at circa potestatem Papæ nullum aliud præceptum extat, nisi humanum & iniquum, ipsiusmet Papæ: quod Archipresbyter, cùm adsit præceptum diuinum naturale, huic pręcepto Papæ contrarium, (vera enim Papæ seu Ecclesię potestas hîc non attingitur) non modò postponere licitè potest Regis pręcepto, sed omnino tenetur. Comparamus itaq; primum præceptum Regis Antiochi, & Regis Anglorũ, qui pares sint in potestate præcipiendi (quamuis ne pares quidem sunt, quia ille merus Tyrannus, non subditis, hic subditis præcipit) sed illius præceptum vt illicitum est contemnendum; huius quia licitum, est seruandum. Deinde comparamus præceptum Regis Britanni & Papæ, vtrunque humanum: si vterque in propria materia præcipiat, dubium non est dignius esse & nobilius Papæ, seu potius Ecclesiæ præceptum in spiritualibus & æternis, quàm Regis in temporalibus: neque tamen contingere potest, vt in superioribus capitibus docui, vt alterum alteri sit contrarium, aut tanquam repugnanti præferendum: si tamen alter in alterius ingrediatur materiam, tunc regula iam data est, quod in spiritualibus præceptum Ecclesiæ præcepto Regis; in temporalibus verò Regis præceptum Papæ præcepto præferatur: tanto magis si præceptum Regis id præcipiat, quod etiam Deus præcipit; Papa verò præcipiat contra præceptum diuinum; prout se res habet in hac Iuramenti hinc postulatione, illinc prohibitione. Laudandi sunt itaq; vt Eleazarus olim præcepto Regio resistens, ita & Archipresbyter ille nuper præcepto obsequens: nec potuerunt sine peccato vel Eleazarus Regi parere: vel Regi non parere Archipresbyter. Idq; eò magis, quòd Eleazarus ad transgressionem præcepti diuini duntaxat positiui vrgebatur: Archipresbyter verò ad transgressionẽ præcepti diuini naturalis, à Papa, vt autore, à Bellarmino, vt suasore arctabatur. Quid ergo iam vltra quæret Bellarminus? Blakuello Archipresbytero proposuit imitandam pij senis Eleazari constantiam. Eam certè imitatus est, suillam scilicet à Papa appositam, imò in os sibi ingestam noluit deglutire, nec specie tenus degustare. Imò profectò hanc Eleazari constantiam superauit Archipresbyter. Ille conscientiàm custodiuit bonam contra minas hominis Ethnici, quem nouerat legis huius diuinæ aut hostem, aut prorsus ignarum, ac potentem corpus, non animam occidere: Hic verò plus præstitit, cum se ab officio suo non sit passus abduci per hortamẽta & minas hominis plus quàm hominis, qui se profitetur summũ, & quasi solũ legis diuinæ interpretẽ, ac pote-

state praeditum animas inobedientium filiorum in gehennam praecipitandi. Desinant iam tandem nostri Papistae hoc porcinae exemplum obtrudere, vt nauseam moueant suis pium hoc fidelitatis iuramentum suscepturis, nisi velint eodem lārido sua etiam ora vsque ad ludibrium obliniri.

XC. Vltima demum ratio Suarezij *cap.9. num.18:* & ipsa per se concidit: quia iam sufficienter periculo cauimus: id verò, si quod sit, in solis restat audiendis concionibus. Doctores, concedit Suarez, sibi facilè cauere, cùm possint, vt ait, haereticos impugnare, & confundere. Accipimus, quod datur. Ergo primum illi adeant Anglorum Conuentus sacros. Sed etiam hoc reposcitur. Illi scilicet prouectiores, inquit Suarez, suo exemplo secum ferent alios simpliciores. Ego verò metuo, ne in hoc Suarez metiat suis etiam Doctioribus, ne apertis Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimoniis per Protestantes allegatis, & ipsi ad abiiciendas Papatus corruptelas permoueantur. Veritatis enim diuinae lux erumpens, vtcunque ad tempus obueletur, & praeiudiciis obruatur, tandem tamen (quod & ipse per Dei gratiam sensi) sacra Scripturarum, & antiquitatis Ecclesiasticae adyta scrutanti erumpit, & affulget. Quod autem ad simpliciores attinet, an non tyrannicum est impedire, ne audiant & discant ea, quae ad propriam salutem pertinent; eosq; in crassae ignorantiae compedibus detinere, damnatos semper ad tenebrosum caecae ac implicitae fidei carcerem? Cur illi cogantur in media luce palpare, nec vnquam explicitè scire, quaenam sit doctrina, quae fundamenta probationum, quibus nixi Protestantes se ab Ecclesia Romana separarunt? Non ignotae sunt Romanorum Inquisitorum, qui misellas animas, si quid lucis cernere incipiant ex concionibus vel libris Reformatorum, non rationibus, sed tormentis adigunt ad eam supprimendam.

XCI. Vexationem suorum Catholicorum in Anglia, non propter ciuilem obedientiam, sed propter fidem fieri, vt inde martyres Papae aureola martyrij paulò pòst coronet, ostendere conatur Suarez *cap.10.* & multa dicit, quae, si ipse adesset in Anglia, iam puderet eum proloqui. De hoc superius aliqua dicta sunt, ducentem tamen, seu potius trahentem erronem sequemur. Suum falsum ante omnia repetit fundamentum, quod etiam totum subruimus, fidem illam Romanam esse fidem Catholicam. Ego autem etiam Romae fidem Catholicam à fide Romana iam distinxi: quae vera fides non est, sed falsa, & per excessum fidem veram Catholicam corrumpens: ac proinde si quis pro ea pateretur, pro fide Catholica is dici non potest, sed pro solo Papa, eiusque haud munda, sed mundana Curia, vexari. Attamen falsum est etiam, pro fide hac specialiter Romana falsa & corrupta in Anglia quenquam vexari, aut vexatum fuisse, vnico Romanae Curiae dempto articulo, qui totus est humanus, vsurpatus, ac tyrannicus, Diuinae Legi & Catholicae fidei è diametro repugnans, qui ciuilem impedit absolutam obedientiam, & Principes Papae subdit in temporalibus, subditosq; facit suis Regibus verè rebelles. Esse autem veram, & grauissimam persecutionem, quam Catholica Ecclesia à temporibus Henrici octaui patitur in Anglia, conatur probare Suarez *ibid. num.4. & seqq.* Primum ex fine & scopo, qui est mutatio Catholicae religionis, eiusq; scissio & à suo capite separatio, per media, quae odium Catholicae religionis manifestent, quale est altarium & basilicarum destructio, sacrarum imaginum confractio & combustio, &c. Respondeo primum, ex eo, quod actus huiusmodi sint violenti, non sequi, per illos veram persecutionem exerceri: tum enim persecutio dici posset, quando Christiani phana idolorum diruebant, idola confringebant, poenis corporalibus idololatras puniebant. Ostendat ergo priùs Suarez, altaria illa non fuisse superstitionis & idolomaniae instrumenta; statuas & imagines non fuisse idola, &c. quae in reformatione pio debitoq; purae, & incontaminatae religionis zelo, non furore persecutionis sublata sunt. Basilicas, ait, destructas, vt Lectori fucum faciat, quasi iam nuda esset sine Ecclesiis Anglia, ac quasi reformatio nil aliud sit, quàm deuastatio. Henricus quidē octauus omnia Monasteria (quorum nullum sine templo) diruit; qui non tàm fidem, quàm regimen reformasse dicendus est: Manent tamen templa Cathedralia, Parochialia, & Collegialia vniuersa, eaq; sanè pulcherrima & splendidissima pleraque, nec non sacra supellectili instructissima, quorum in fenestris vitreis picturae adhuc visuntur ornatissimae Christi crucifixi, Deiparae Virginis, Apostolorum, ac Martyrum, sed citra omne prioris idololatriae periculum. Etiam per vrbes pagosq; cruces erectae fulgent in triuiis, in plateis celeberrimis, vt insignia Christianismi, antiquissimis temporibus ostendi & erigi solita, non vt religiosi cultus obiecta, nuperis degenerantibus seculis malè & superstitiosè applicata. Aliud ergo est abusus tollere, aliud religionem delere: aliud est eam reformare & purgare, aliud mutare.

XCII. Incepit, inquit *ibid. num.9.* haec religionis immutatio à morum corruptione, & ad schisma processit, & in apertam haeresim consummata est, & ita nunc perseuerat.] Quid verò de corruptis Anglorum moribus obloquitur? nec pudet? Inspiciat Romam, Episcopia per Italiam, Germaniam, Franciam, Hispaniam perlustret: intima penetret Franciscanorum, Dominicanorum, Eremitanorum, Carmelitarum, Minimorum, & similium, latibula dicam, an lupanaria, an scelerum officinas? Digito, obsecro, compescamus labellum, de moribus sileamus. Apertae haeresis schismatisve crimen Anglis nostri Papalini nunquam poterunt inurere. Schismatis tota radix & vera causa est, ac iam diu fuit Romanus Pontifex, vt probaui, & *lib.7.cap.10.* clariùs persequar. Schisma Anglicanum, inquit Suarez, neque à Rege negatur. Vbinam quaeso illud fassus est? vt à se haeresis crimen amoueret, permisit potius se eorum sensu Schismaticum vocari; hoc est, Romano iugo liberatum, ac Papali ferulae subductum. Quoad veritatem autem, se schismaticum nunquam concedet: Schismaticus enim est, qui ab Ecclesia vniuersali se separat; non qui Papam errantem non lit sequi. Paulusne Schismaticus, quando Petro in faciem resistebat? *Gal.2.* Direptionem, vsurpationem, destructionem, dilapidationem bonorum temporalium Ecclesiasticorum deplorat Suarez, *cap. eodem, numer.10.* Quod si Henricus octauus indebitè sua potentia vsus sit vnquam; si in res sacras, non tàm purgandi studio, quàm possidendi cupiditate inuolauerit, quid hoc ad Regem Iacobum, cuius & integritas, & in Ecclesiis tum restituendis, tum amplificandis, magnificentia est notissima? Vt nihil hîc addam de Episcopatibus, quos in Scotia sublatos restituit, ac in Hybernia oppressos resarciuit. Sed Suarezium nostrum malè habet, *num.11.* quod Ecclesiae in Hybernia olim dirutae iam Regis iussu reaedificentur. Cur verò id te cruciat? Nempe quia ideo id fit, vt sacrilegis Caluinistarum ritibus inseruiant. Bona verba quaeso, saltem donec vnum aliquem ritum sacrilegum nominaueris, qui iam illis in templis adhibetur: alioquin te magis furiosum habebimus, quàm fuerint illi Braccati Syluicolae, Papicolae, qui instigantibus suis Romà emissis

emiſſis ſacrificulis rebellionem diutinam, ac arma impia mouentes, regiones illas magna ex parte vaſtarunt, ac ædes non modò profanas, ſed & ſacras promiſcuè demoliti ſunt.

XCIII. Aliud medium perſecutionis, ait Suarez *eod. cap.* 10. *n.* 12. *& n.* 20. eſſe leges violentas ac pœnales Catholicæ fidei repugnantes: tales, inquit, innumeræ ſunt in Anglia, quas Rex non modò confirmauit, ſed etiam non parum auxit.] Vtinam nobis aliquando demonſtraret P. Suarez ea, quæ edictis ac legibus Anglicanis prohibentur, ipſam eſſe genuinam fidem Catholicam, aut vllam eiuſdem particulam, vel ſaltem fidei Catholicæ inſeparabiliter annexa. Vtinam euinceret duo hæc Iuramenta lege ſtabilita, fidei Catholicæ caput minuere. Quod certè haud vaniſſimis Papatus ſuppoſitionibus, ſed inconcuſſis demonſtrationum fundamentis eſſet præſtandum. Satis itaque tollitur vniuerſa hæc Suarezij tragica, & prolixa declamatio de Anglorum perſecutione: ſi (quod res eſt) reſpondeatur, his legibus non hæreſim, ſed veram religionem muniri; non fidem Catholicam, ſed hominum inuenta, partim ſuperſtitioſa, partim ſeditioſa, vndique periculoſa conuelli: adeoq; ſi hæ, & acerbiores leges cum rigore executioni mandarentur, non poſſe de huiuſmodi ſeueritate conqueri Papiſtas, qui morte ipſa, & morte truculentioribus cruciatibus miſellos Chriſtianos, ſi quid contra Tyrannidem Papalem hiſcere audeant, de medio tollunt, aut ad abiurationē impellunt. Qua quæſo fronte, quo oculo feſtucam mulctæ pecuniariæ intuentur in Anglia, qui domi quotidie vident trabem exquiſitorum tormentorum, in Sacra ſcilicet Inquiſitione? cur non mihi æquè licet conqueri de Hiſpaniarum Rege Philippo, quod ſuos ſubditos patiatur nomine Religionis à ſanguiſugis Inquiſitoribus deuorari, & funditus perire; ac presbyterculo Suarezio de Iacobo Magnæ Britanniæ Rege; ſi modò legum ſuarum aciem in ſubditos ſuos Papalinos maiore impetu conuerteret? ſed clementiſſimo Iacobo (quicquid garriant; aut contrà ſcripturiant tabulæ) mens longè alia. Ille manſuetudine ſua leges pœnales emollit, quoad executionem; & Romano-Catholicos, præſertim ingenuos; & obedientiæ ſuæ ciuilis fidem facientes haud patitur ſtatutorum pondere nimis grauari. Hoc nomine gratias Regi humillimas debent; ac etiam agnoſcunt candidiores ex iis; nullas alitem habebunt declamatoribus huiuſmodi contumelioſis; & mendacibus (qualem hîc habemus) qui calumniis ſuis Regem manſuetiſſimum haud immeritò irritare poterunt; vt ſuo iure vtatur in ſuſpectos ſubditos; potius quàm vt de eodem quicquam remittat.

XCIV. Hæc hoſtes minus, ac ſi concederemus Statuta illa Anglicana religionem recta attingere: cum tamen ſi cominus rem introſpiciamus, in iis nihil reperiatur; quod circa dogma merè ſpirituale verſetur: & vix quicquam; quod ritus externos attingat. Iuramentum Primatus tantum externam Regiam in Eccleſiaſticis poteſtatem complectitur; cum abnegatione Papalis vſurpatæ. Quia tamen hoc Romano-Catholicorum conſcientias premere videtur; ad illud Iuramentum ſuſcipiendum vrgeri non ſolent. Alterum autem Iuramentum, quod eſt fidelitatis, rem merè ciuilem ſpectat; & recuſantem facit reum; non quidem religionis ſupernaturalis; ſed humanæ obedientiæ violatæ; dum negat ſupremam & abſolutam in ciuilibus ſuo Regi poteſtatem, Regemq; ipſum alteri ſubiicit in temporalibus ſuperiori, & ex ſupremo facit alienum ſubditum. Leges verò pœnales non adeuntibus templa, neq; ad publicas preces conuenientibus poſitas, oſtendi iuſtas eſſe, & legitimas, & nihil fidei Romanæ derogare. Perſecutionem verò in Hybernia impudenter aſſerit aduerſus Catholicos moueri, adeò vix viuere permittantur, niſi antiquæ religioni renuntient. Cum tamen conſtet ſatis licenter ibi graſſari presbyteros Romanos & Ieſuitas, qui cum Romana ſuperſtitione etiam rebellionum ſemina illi populo ad ſeditiones prono inſtillant. Hi certè meritò legum vinculis frænandi, quàm diu iuſtam à ſe amoliri nolunt ſuſpicionem perduellionis: quæ ſuſpicio non modò illi genti, cuius magna pars diu in rebellione perſtitit, ſed & vniuerſaliter omnibus Papiſtis adhæret propter eorum publicam, etiam Breuibus Pontificiis, & tot explicationibus, ac defenſionibus confirmatam, & declaratam profeſſionem; nempe Regi nō niſi ad nutum Papæ eſſe parendum in ciuilibus: & ad eiuſdem nutum Regem à ſuo ſubdito eſſe & deſerendum, & occidendum. Auferte has ſuſpiciones, mādate veſtris, vt plenam & perfectam Regi in ciuilibus obedientiam, non obſtante quacunq; Papali iuſſione, præſtent, ita & Regem à iuſta ac perpetua ſuſpicione, & veſtros à grauibus periculis omnino liberabitis. Quid ergo mirum, ſi in eorum religionem inquiratur, cui plerunq; conexum eſt perpetuum aduerſus Regia ſceptra, Regiamq; vitam diſcrimen? Recuſantes itaq; hoc fidelitatis Iuramentum pœnis afficiuntur non in odium religionis, ſed in odium perduellionis.

XCV. Carceris pœna agnos cereos, cruciculas, grana benedicta, &c. in Angliam importantibus eſt præſcripta, non tam quia puerilibus hiſce nugis populum decipi abſurdum ſit, quàm quia hæc ſunt ſtipendia, vel potius crepundia; quibus Papa pro ſe, & contra Regem milites in ipſo Regno cogit, & ſibi deuinctos, ac conteſſeratos tenet: & perinde iſta ſunt, ac ſi hoſtis Regis & Regni pecuniam tranſmittat in Regnum, qua fretus aduerſus Regem ipſum & Regnum conſcribat milites. Breuia & Bullas Româ miſſas inuehi ſub pœna capitis vetatur. Quid mirum? cùm etiam olim in Anglia (vt audio) longè ante eiectum Papatum Bullas quaſdam Papales inferentibus noxa ſatis grauis inuſta fuerit. Iam verò omnes illæ Bullæ, cuiuſcunq; ſint tenoris; peregrinam Regali ſuperiorē poteſtatem externam (quam iure & prudenter excuſſit Anglia) inuehunt: ac etiam earū nonnullæ, vt prius in Reginæ Elizabethæ, ita nunc in Regis caput veriſimiliter poterunt vltimum, forte ſulphureum, exitium concinnare. Reconciliare fidelem Regis cum Romano Papatu eſt crimen læſæ Maieſtatis, quatenus ita reconciliatus; tranſlato à Rege ad Papam ferme homagio, ſub religionis ſpecie paratus eſſe debet, ad Papæ nutum obedientiam ciuilem exuere, & in Regem, ac Patriam arma ſumere. Probibet lex pœnalis, ne quis Anglus, qui in Anglia gradum vllum ſumpſerit Academicum, non obtenta facultate, Regno exeat; quia periculum eſt, ne in hoſtium caſtra transfugiant: quod exemplis conſtat tot transfugarum, qui in tranſmarinis, vt vocant, Seminariis educati, & in Regicidarum ſchola edocti, partim ipſi redeunt patriæ creaturi periculum, partim libros quotannis ſcribunt; & in Angliam tranſmittunt, ſeditioſos & maledicos. Similiter & ipſi facti ſacrificuli Romani expelluntur; quia miniſtri ſunt Papæ in rebellionibus, & defectionibus procurandis. Tales autem à Romano capite pendentes ſeditionum fabros; ſi multis legibus eorum inſidias cauentibus velint in Angliam ſe intrudere; quid mirum; quod aliquando Regina Elizabetha, tot eorum laqueis lethalibus impetita, legum falce aliquos amputauerit? Rex autem Iacobus; etſi ſub initium Regni ſui talium machinatorum perfidiam ex-

pertus

pertus est, in alios tamen sacrificulos, & si contra legem in Anglia latitantes, gladium non euibrat.

XCVI. Pergit Suarez, & interdici, ait, in Hybernia, ne Catholicus doceat Grammaticam.] Quidni etiam in Anglia? cum tales Magistri instillent in animos puerorum ea documenta, quibus Papalis Potestas in immensum extollitur, ac insinuatur, etiam obedientiam Papæ præstandam, vnde sequetur postea in adultis neglectus saltem, ac dubitatio de ciuili obedientia Regi præstanda. Ac eo nomine quidni etiam suspectæ habeantur iuuenibus imbuendis Academiæ Romanissantes? quanquam certum sit, eas Anglis non prohiberi, cùm multi sint, qui literatum gratia in iis aliquandiu commorentur. Eadem quidem ratione Veneti prudentissimi, Iesuitarum & Scholas & Collegia omnia deleuerunt, & ex suis ditionibus eos planè expulerunt, ac ne iuuentus ipsorum institutione erudiatur, Edictis seuerioribus vetuerunt. Atqui in Anglia ad Magistratum aut Ecclesiasticam præfecturam nemo, inquit, eligitur, nisi vtroque iuramento præstito. Hæccine verò est persecutio? Vis bone vir in Anglia Magistratū? vis Anglicanæ Ecclesiæ Sacerdotiū? sis plenè Regi fidelis, & patriæ tuæ etiā in reformata religione cōformis: Non vis Regi reliquisq; ciuibus consentire? nemo cogit: sed interea de Magistratu aut Sacerdotio Anglicano ne cogites. Estne persecutio, quod Ecclesia Romana neminem ad sacros admittat Ordines, nisi à nuptiis abhorrentem? Quid hîc nostri? Non vis esse cœlebs? inquiunt, ne petas sacerdotium: Vis sacerdotium? sis cœlebs. Præterea summa, inquit Suarez, adhibetur diligentia, vt Papistica religio deleatur. Et vos similiter summam adhibetis diligentiam, vt reformationem aboleatis, idque ferro & igni. Sua cuique chara est religio. Vos vestrum zelum bonum putatis, & illi suum. Legem, quam aliis dicitis, ipsi in vestris subite. Profectò, nisi à vobis immineret Regi periculum, & ab ipsius obedientia ciuili subtractio, vel aperta, vel surreptitia, sopirentur, credo, prorsùs omnia ex lege irrogata supplicia: quæ nimirum huc tantum collimant, vt Regi tutum sit diadema, tuta vita. Vicecomitem quendam ob recusatum hoc iuramentum miratur indignabundus Suarez mulcta pecuniaria fuisse castigatum. Miretur potius, quod non grauiori, summoq; iure cum eo actum non sit. Lex carcerem, & omnium bonorum amissionem imponit: Rex aliquota (eaque, vt audio, oblata) parte sumpta, locupletem ac liberum dimisit reum. Sed nunquid hæc in religionis causa? Non sane; sed quia, qui recusat obstinatè iuramentum fidelitatis, eo ipso intelligitur sibi licentiam reseruare perduellionis: & hoc non est dignum graui pœna? Gratuletur suis iam Suarez, & clementiam prædicet Anglicanam, quæ inobedientiam tàm perniciosam ipsos regiminis ciuilis neruos succidentem non in iugulo vindicet, sed tantum in marsupio. Num ita apud nos sub Papatu euadere solent, qui in Inquisitionis fauces inciderunt? Queritur Suarez *ibid. num.* 17. etiam ante Pij Quinti Bullam Elisabetham in Catholicos sæuiisse, contra quam Rex sæpiùs sit professus. Regis assertio fuerat, neminem Pontificiorum per Elisabetham religionis nomine vltimo supplicio affectum fuisse. Si hoc dictum impugnat Suarez, ostendat, quisnam illorum hoc nomine per Elisabetham necem tulerit. Ille de legibus oggannit, & de carceribus etiam ante Breue illud Pij Quinti. Quid hoc ad dictum Regis? Sed & in Episcopis instat in eos sæuitum, eos suis sedibus depositos, in vincula coniectos, longo miseriarum tædio confectos. Cur de depositione queritur? Reformandæ religioni necessarium erat, vt qui adhuc eam deformare cuperent, non docerent, nec Ecclesias regerent. Quid autem dicturus Suarez, si (prout Marianis temporibus orthodoxi Episcopi) sic hi flammis, non sede tantum, sed & vita pulsi fuissent? Hi tamen Elisabethæ tempore quasi omnes in aliorum Episcoporum domibus perhumaniter accepti sunt, & in bona ætate placidè obdormierunt. Vnus certè in carcerem coniectus est, isq; crudelis, ac sanguinarius, qui truculentam sub Maria carnificinam exercuerat. Cui tamen carcer non tàm pœnæ fuit, quàm præsidio, ne fortè à populo lapidaretur. Sed illam quam vocant sæuitiam omnem, post editas illas miseras excommunicationes, & post apertas rebelliones, ac seditiones, hostilesq; ingentes classes immissas, Romani Pontifices in Catholicos hostibus addictos excitarunt, imò extorserunt.

XCVII. Sed audiamus mirabilem defensionem, qua Suarez factum Pij Quinti tuetur: & probare conatur, meritò Reginam ab eo excommunicatam, & Regnum ipsius traditum aliis occupandum. Quia persequebatur, inquit, Catholicos: quod est falsum, nisi aliqui truculenti sub Maria fuerint, alij de rebellione suspecti. Addit, quia bis Legatos Pontificios, qui illam vel ad obediendum Papæ, vel ad mittendos Legatos ad Concilium Tridentinum hortaturi essent, respuit, nec ad se accedere passa est. Illa iam se & Regnum in pulcherrimam libertatem restitutum videbat, cur denuò seruituti miserabili manciparet? si Concilium illud Tridentinum fuisset liberum, ac Protestantibus omnibus peruium, illa profectò suos doctissimos Episcopos eò misisset. De his autem extat luculenta & pulcherrima Ecclesiæ Anglicanæ Apologia eo tempore Latinè, suauiter simul & neruosè conscripta. Sed non propterea debuit Papa arma inter Christianos ciere, ac ad Angliam diripiendam alios Principes instigare, inuincibili classi alas addere, in qua tamen tot Romanæ Ecclesiæ filij, vel ferro vel aquis absorpti, profectò Papam cladis authorem habuerunt: Non ferro, non igne, non dolis, non rebellionibus religio propagatur, discite tandem Patres Iesuitæ, sed verbo & exemplo; cessate tandem Orbem Christianum turbare, ac susque deque vertere. Ardet hodie bellis Germania; vos incendij causa: Dominus dissipat humana consilia Principum, quæ vos, Papatum mundanis artibus defensuri, nec piè, nec religiosè suggeritis.

XCVIII. Deprimit & irridet beneficium Regis Suarez, *ibid. num.* 20. quod pœnas capitis aut perpetui carceris contra sacrificulos perduellionis reos in perpetuum exilium commutarit. Næ tu Suarez, si iam, idque merito, capite plectendus esses, aut perpetui carceris squalori addictus, cum præmio dignum putares, qui tibi nuntium afferret à Rege tuo liberam tibi exeundi facultatem dari, & in alienas terras commigrandi; præsertim cum tibi locus alibi pateret, in quo omnia tibi ad victum & studiorum supellectilem necessaria publicitus suppeditarentur. Quod si huiusmodi tibi non esset in promptu receptaculum, tamen omne solum forti patria est. Quam verò impudentis, & intolerandæ petulantiæ audacis Iesuitæ sunt illa, *ibid. num.* 21. in quibus latroni comparat Regem Iacobum, ac eum cum Catholicis dissimulasse ait; alibi verò [*cap.* 11. *n.* 17. & 18.] etiam Constantio & Iuliano Apostatæ eundem æquat. Certè si ego ita in Hispaniarum Regem debaccharer, meritò metuerem Iacobi Regis indignationem, adeoque iustam scriptorum meorum Regalem Maiestatem conculcantium suppressionem. Sed Iesuitis licet ex Societatis priuilegio, non modò contra Reges contumeliosa scribere, sed

etiam

etiam de modo & ordine Reges occidendi, totis paginis nemine prohibente philosophari. Sed & stulta sunt, quæ *lib.6. cap.4.* de latrone profert, qui beneficium velit esse, quod vitam victori non sustulerit. Capitalis enim damnatio iustissima est, vbi subditus absolutam obedientiam ciuilem suo Regi denegat; & obligat se externo Principi, vt ad ipsius nutum contra proprium Regem etiam priuato pugione insurgat. Tales verò Suarez vocat Sanctos, *ibid. cap.10. n.21.* quales Sanctos Iesuiticos vidit aliquos Gallia nostris diebus; vidit, & ingemuit.

XCIX. Constanter asseuerat Rex Iacobus *in Præfat.pag.169.* neminem vel suis, vel Reginæ Elizabethæ téporibus cõscientiæ, & Religionis causa vltimo affectum esse supplicio. Hoc malè habet Suarezium, qui *cap.11.num.1.* inde iis ereptam dolet Martyrij lauream: concedit interim, Martyres non ex pœna, sed ex causa nominandos. Itaque duo illi supponenda sunt: primum, de re non ciuili, sed religiosa & fidem concernente illos ad tribunal vocari; alterum, eos in re fidei partem veram; & apertè veram defendere. Quorum tamen neutrum illi probabunt vnquam; cùm & leges illæ capitales de iis ferantur, quæ spectant ciuilem obedientiam, pacem Reipublicæ, Regiam supremam potestatem, & externorum hostium inuadentium vel vsurpantium depulsionem, ac abnegationem: simulque pauci illi, qui huiusmodi legum acie icti sunt, partem falsam, turbulentam, ac impiam turati sint. De suo, & Elizabethæ Regno spoponderat Serenissimus Iacobus: Refutaturus ad Henrici octaui tempora recurrit ineptus Suarez, *cap.11.num.2.* Sed quid allegat? Thomæ Mori, & Ioannis Roffensis exempla, cum encomio Polydori Virgilij ea recitantis. Quas iis laudes affingar ille Papæ in Anglia Quæstor, & denariolorum Collector, haud multum laboramus, penes quem nulla est potestas Martyres canonizandi, aut libertas de martyrij causa iudicandi. De facto tamen agnoscimus, quod narrat, eos maluisse de vita, quàm de sententia decedere, cùm vigerentur ex lege sancita, tum quidem capitali, ad subscribendum Regis Primatui. In hoc profectò si Rex Henricus nihil aliud voluerit, nisi quod postea Elizabetha, & modò Rex Serenissimus Iacobus vult, & retinet, etiam certè sanguinis sui stultè prodigi, ac non martyrum, sed rebellium titulos meritò adepti sunt; cùm subditi omnes, præsertim ex lege requisiti, teneantur agnoscere suum Regem tanquam supremum, etiam in rebus Ecclesiasticis, externis tamen, Superintendentem & Gubernatorem. Cùm verò Papa, quoad potestatem Ecclesiasticam spiritualem, quæ propriè est Episcopalis, extra suam propriam Romanam diœcesim, nihil possit: & in alienas diœceses per vim irruperit; Episcoposque, imò Reges, ac omnia iura humana simul ac diuina sibi Tyrannicè subdiderit, prout hoc in nostro Opere est demonstratum; actus fuit heroicus Henrici octaui suum Regnum ab hac Tyrannide liberare; & Papæ vsurpatam, diuque toleratam potestatem inde repellere, & penitus abrogare: ac pro sua Regia suprema, quam à Deo accepit, potestate Ecclesias suas in pristinum statum libertatemque, qualem à Christo acceperant, reducere.

C. Neque Roffensis igitur, neque Morus, nec Monachi illi quicunque aut Carthusiani, aut alij, iure poterant rei ipsi, quæ bona erat & iusta, resistere; neque sine crimine perduellionis negare Regi authoritatem etiam Ecclesias sui Regni ad veram & primæuam libertatem reducendi, & ex Papæ, tanquam iniusti inuasoris, manibus eripiendi. Quod si quia ex parte dignitati Sedis Romanæ consulere tàm cupidè voluerint, poterant forte intercessisse pro antiquo Pontificis Romani Iure Patriarchali, quo ei Episcopi soli in aliqua particula, non autem laici subduntur. Cùm tamen adeo intolerandam tyrannidem nullo iure diuino vel humano, sed sola Ecclesiarum (vt verum dicam) vel socordia, vel superstitioso metu adiutus exercuerit Papa, etiam vsque ad politicæ supremæ potestatis concussionem, & compressionem, meritus profectò est totalem illam exclusionem, & ipsius Patriarchalis quoque apud Anglos præeminentiæ, si non irreparabilem extinctionem, saltem suspensionem quousque. Thomas autem ille Morus, si per illud septennij spatium, in quo se dixerat huic quæstioni occubuisse, Scripturas & Ecclesiastica monumenta rectò oculo perlustrasset, facile reperisset Papatum in iure diuino nullum habere fundamentum, neque verò in antiquis Ecclesiæ purioris institutis. Quo magis hoc in indagationis genere ipse per annos paulò plures versatus, miror equidem virum, qualis prædicatur ille Morus, tàm & ingeniosum & ingenuum, potuisse tàm crassè excurrere; vt qui primò credens Papalem potestatem iuris esse tantum humani, post tot annorum disquisitionem, nullis aut Scripturis Sacris, aut Ecclesiæ Patrumve dictis, aut etiam Scholasticorum rationibus adactus, absolutè determinauerit, eandem esse præscriptionis diuinæ. Quod si causa quædam ciuilis, ac tantum moralis subfuerit huic supplicio inferendo, etiamsi fuerit iniustissima, & laudabilis semper sit illius constantia, qui iustitiam moralem vsque ad extremum halitum tuetur, nec assensum præbet iis, quæ conscientiæ benè instructæ repugnant, tamen non video, quomodò, vbi de propria CHRISTI & fidei causa non agitur, possit ad Martyrij propriè dicti culmen aspirari. Neque enim omnis innocentis in causa iusta, & ob causam iustam mors martyrium facit.

CI. Tandem ad rem, ipsumque à Rege propositum tempus descendit Suarez, exagitans Elisabethæ Regnum, & allegat ante expeditum Breue Pij Quinti in Elisabetham, Thomam Comitem Northumbrium, qui contra hæreticos arma sumpserat, in manum Anglorum traditum, & vita, si vellet Religionis sententiam mutare, oblata, claro martyrio fideliter in Domino finiisse.] Iste Northumbriæ Comes, cum aliis suis complicibus, vt Reginam Elisabetham solio deiiceret, apertam & periculosam anno 1569. (memoria recens est, & Historiæ claræ) in Borealibus Angliæ partibus excitarat rebellionem, copiasque peditum 5000. equitum 2000. collegerat, quibus per Reginæ authoritatem & exercitum dissipatis, ipse Dux fuga sibi consulens in Scotiam vicinam se subduxit. Inde postea reposcitur, redditur, ac in ciuitate Eboracensi publicè supra patibulum securi percussus iustas perfidiæ pœnas persoluit. Gladio periit, qui gladium sumpsit contra gestantem diuina authoritate gladium. Euge quàm pulchrum martyrij exemplum à Sandero transfuga mutuatum Suarez noster Regi Iacobo in os opponit. Sed huic rebelli Comiti oblatam, ait, veniam sub conditione linquendæ religionis suæ Romanæ. Rident Angli, etiam Pontificij, quoties tales audiunt aut legunt Fabulas exteris rerum ignaris imponi. Neque enim hoc falsum modò, sed & ridiculum. Quasi quiduis in Anglia liceat Religionem Reformatam vel profitentibus, vel post noxam admissam professuris. Quasi sceptrum suum, aut pacem publicam venditurì sint Angliæ Reges violatam potentis, ac periculosi perduellis securum metuentis sponsione, vel Papatus abiuratione. Audi,

bone

bone senex, Si quis in Hispania reformandæ Religionis studiosus commoueret populum in Regem, ac in apertam seditionem prorumperet, nunquid censes illi pœnam remissum iri, si modò abiurata innouatione velit Romanæ Ecclesiæ se subiicere? Appage has nugas.

CII. Northumbrium quod attinet, ne ille arbitror magno emisset conditionem huiusmodi sibi offerri, quam tamen nec illi, nec cuiquam alteri in apertis huiusmodi perpetratis rebellionibus offerri vnquam solere, norunt omnes, qui Angliam norunt, & cum Suarezio non ineptiunt. Quod si fingeremus hoc fuisse verum, haud sequeretur verum martyrium. Supponamus Regem Machometanum Christiano subdito ob latrocinium reuera damnato pœnam capitis remittere, sub conditione Christi abiurandi: nunquid martyr dicitur ille, qui potius in Crucem crimini debitam se agi patitur, quam vt Christo abrenuntiet? Nequaquam. Ad martyrium enim requiritur Christi fides, vt supplicij causa positiua, & directa; non vt causa sine qua non, vel vt occasio. Non enim ille propterea neci datur, quia non vult Christum abnegare, sed quia latro est. Venia duntaxat ideo illi negatur, quia non vult abiurare. Veniæ autē in iusta damnatione negatio non facit martyrem: Neque verò arbitror Suarezium ex animo vrgere hanc vtcunque fictam circumstantiam. Potius causam directam, in qua huius martyrij neruum posuit, iis verbis insinuauit, quibus Northumbrij factum describit; vbi ait, eum contra hæreticos arma sumpsisse. Quid audio? Contra hæreticos arma sumere, res est meritoria, quæ postulet, non cruciatum, sed Cruciatam, & plenariam peccatorum omnium indulgentiam. Infidelitas non armis, sed verbo expugnanda; & gladius ad Christum defendendum non est exerendus. Quàm imprudenter perduellionem tacitè laudat? Subditum in supremam potestatem rebellare, aperto Marte solium Regum concutere, nil aliud est nostro, quàm contra hæreticos arma sumere, quasi hoc à legitimo hoste fieret, & contra hæreticos, hoc est, Reginam (vt insinuatur) hæreticam liceret. Simili loquela proditores in Anglia puluerarios nil aliud quàm contra hæreticos arma sumpsisse dicet, ac proinde posse martyribus annumerari. Atqui hæc Borealis commotio acciderat ante expeditū Breue Pij Quinti, inquit Suarez. Nam nihil refert, verum ante vel post hanc commotionem emissa fuerit illa Bulla, quæ Elisabetham à solio ad sicarios proiiciebat. Idem procuIdubio spiritus vtrumque monstrum animauit, & seditionem, & Breue illud. Sed nunquid inde insinuat Suarez, Northumbrium Papa inscio hæc attentasse? Breue illud quando Romæ expeditum, non inuenio, nec quanto spatio Romæ vel in Anglia delituerit. Certè publicatum est in Anglia mense Maio 1569. per appensionem ad valuas Episcopi Londinensis. Quasi sex menses illam publicationem præcessit illa rebellio mense Nouembri 1568. forte quia rebus nondum maturis, cum sua patere consilia persentiscerent rebelles, necesse habuerunt in apertam aciem erumpere paulò antequam destinarant. Ita pullus ille monstrosus abortiuè ex ouo exclusus est.

CIII. Campiani Iesuitæ exemplum subdit Suarez *ibid. num. 5.* qui postea missus in Angliam cum aliis quibusdam, succidaneus, ad huiusce fulminis Papalis, ac seditionis illius reliquias persequendas, ac prodromus ad viam ingenti classi Hispanicæ, quæ post annos quasi septem Angliam aggressa est, præsternendam. Ille Campianus cum suis publicè interrogatus, sententiam de Breui illo, quo Regina erat deponenda, nunquam damnare voluit. Hunc, & sodales eius pro martyribus habendos, probat Suarez ibidem, non alio argumento, quàm quod pro talibus habeantur à Genebrardo, Surio, Bozio, & aliis nostris *Pontificiis scriptoribus*, præsertim Baronio, qui Thomam Becchettum Cantuariensem admiratus, totus in Balaamum transformatur clamans: Moriatur anima mea morte iustorum, *Num. 23. 10.* His certè satis erit hîc respondere à pari, ex Anglicanorum Protestantium Actis, & Historiis, imò ex multorum adhuc superstitum omni exceptione maiorum, certa scientia apertissimè constare, eos ac similes reliquos transfugas & Papæ satellites non religionis (vtcunque in multis superstitiosæ, & falsæ) tuendæ nomine, sed perniciosissimæ seditionis, quæ plus quàm probabilem huius Regni subuersionem attrahebat, esse meritissimè damnatos, idque temporibus huius Regni periculosissimis. Atqui ipse dixit Suarez *ibid. num. 7.* suis scriptoribus credendum potius quàm Protestantibus, qui fidem negarunt, & odio in Pontificem facti sunt infidelibus deteriores.] Eho bone Pater, ne sæui tantopere, ne despuma virus tuum in immeritos & ignotos, ne ipse odio in Reformatos fias infidelibus deterior. Magis profectò standum est actis publicis, quibus illi adiudicati sunt morti. Publicè actitata mendacio vix substant: præsente innumerabili multitudine hominum etiam, si adesse placuit, Papistarum, rei conuicti & damnati sunt, vt superius etiam circa Garnetum obseruabam: nec quisquam, quod audio, vnquam inuentus est, qui aliter rem gestam esse sit conquestus, aut alia ex causa, quàm tota ciuili quempiam damnatum affectuerit. Mos hic est in omni capitali iudicio vniformis. Ad tribunal publicum & apertum acceditur, crimen ante omnia obiicitur reo coram iudicibus, præsente & audiente, vt dixi, multitudine: duodecim viri de facto num constet necne, iudicaturi adstant, coram iis & populo, ac ipso reo testes palàm audiuntur, similiterque ipsius defensio: tandem si duodecim virorum iudicio censeatur noxæ obiectæ reus, ac sufficienter conuictus, à Iudice ius dicente pronuntiatur sententia, infligens pœnam illam, quæ ex legis præscripto debetur. Neque quisquam est, qui morti, vel per ipsum Regem addici possit in Anglia, nisi propter crimina legibus expressis capitalia. Nulla verò lex est, quæ capitale crimen faciat professionem Romanæ religionis: propterea nemo vnquam damnatorum interrogatus fuit, an Romanam profiteatur religionem: parum congruè enim id interrogaretur, cùm id his legibus vetitum non sit. Quare si etiam id apertè reus fateretur, liber nihilominus dimitteretur, quia contra has leges hoc nomine nihil commisit. Crimen igitur semper talibus obiectum est, vel quod fideles Regis à debita Regi fidelitate detraxerint, seditiones & commutationes aut excitauerint, aut fouerint, aut sibi notas occultarint; vel eosdem fideles Papæ, tanquam superiori Regis in temporalibus, addixerint, & ita Regis subditos præparauerint, vt ad nutum Papæ parati sint Regi rebellare, & alteri extraneo Principi se subiicere; vel quod accepto sacro ordine à Pontificiis, & Papæ præstito fidelitatis iuramento in præiudicium Regiæ coronæ, ex vltramarinis regionibus in Regnum clàm & contra leges penetrarint. Et ob similia. Offerri solere vitam & libertatem huiusmodi reis, si veritatem Reformatæ religionis sub absoluta & perfecta Regis in ciuilibus obedientia amplecti velint, falsum est, nec inde habet Suarez vllam martyrij laruam. Quod si forte alicui ex damnatis talis conditio ex Regia clementia offerretur, quia nimirum pacatior sit, & deceptus peccauerit, non propterea posset Suarez affirmare

mare perpetuam esse hanc conditionem, & omnibus Papistis capitale supplicium subituris proponi.

CIV. Sed conquestus iam fuerat Suarez *ibid. num.* 5. apud Anglos caussam Religionis sub nomine criminis læsæ Maiestatis inuolui. Cui ego vicissim respondeo, apud Pontificios crimen læsæ Maiestatis sub nomine Religionis inuolui. Si quis Anabaptista à suis fanaticis sodalibus in Hispaniam clam missus populo suaderet, ne Philippum pro Rege agnoscerent, ne sub illo militarent, nefas enim esse Christianis vel bellare, vel Magistratum gerere; hoc ex Euangelio & verbis Christi constare; nunquid illi in crucem rapiendo satis erit protestari, se non ob crimen ciuile, sed (vt Suarezij verbis vtar) propter suam conscientiam, & Religionem immaculatam seruandam interfici, adeoque martyrem esse? Ridebunt certe vestri eos, qui talem vtcumque fidei, & conscientiæ prætextu peccantem referent in Martyrologium. Transferantur hæc quæso, & transferentur in Angliam. Si quis populum doceret, esse quendam tremendum & potentem Principem Ecclesiasticum, vtroque gladio accinctum, qui possit cum velit Regem Iacobum declarare Hæreticum, eumque sic declaratum (vel etiam non declaratum, sed facti notorietate conuictum) solio deiicere, vel sicariis exponere: Hoc autem ipsi ex eiusdem Principis supremi Ecclesiastici edicto, etiam exemplis quibusdam stabilito constaret, nec de eo dogmate dubitandum, cum sit fidei Catholicæ pars non minima, & omnes Ecclesiæ filios in cõscientia obligat: num talis à carnifice ad supplicium raptus merito dicet se in causa fidei, non criminali aut ciuili pati, num tali ius erit martyris gloriam affectandi? Irridendum hoc quidem, vel potius lugendum. Huiusmodi in casibus desinant quæso Romanistæ ex proditione fingere Religionem; & desinent Angli ex Religione facere proditionem.

CV. Interrogat Suarez, *num.* 10. quænam sint illæ leges, contra quas qui externo actu delinquunt capite luunt, num pure ciuilis ordinis quibus puniuntur latrones, &c. an illæ, quibus Catholici falsam sectã profiteri, & potestatem Pontificis abiurare coguntur; ac inde cõcludit, intelligi leges in Religionis materia disponentes contra Romanam Religionem, & consequenter veros esse martyres qui ex iis plectuntur. Respondeo, leges ipsas esse meri ordinis ciuilis, & ciuilem pœnam ciuili crimini applicare; cum illa crimina, vtcunque fictitio Religionis nomine obuelatã, non minus sint Regni Anglicani paci contraria, quam aperta latrocinia, imo his longe periculosiora, vtpote inspirata, & promota ab externo status præsentis Anglicani Aduersario temporaliter potente, sub specie spiritualis potentiæ, ac quotidie inhiante, vt vel apertis inuasionibus, vel secretis proditionibus Regnum illud alicui Romano-Catholico in prædam tradat. Deinde dico, externos illos actus de quibus res loquitur, vt pœnam capitalem attrahentibus, non esse actus vllos mere religiosos, aut superstitionum Pontificiarum exequutiuos, aut professionis Reformatæ abnegatiuos, sed eos tantum, qui subditorum debitam, & naturalem obedientiam tollant, aut concutiant, ac potestatem externam, vel ciuilem, vel ciuili prædominantem contra iura Regia inuehant. Legibus autem aliis, quæ non necem, sed mulctam imponunt, specifice inclusi sunt illi actus Romanæ Religionis, qui merito suspecti sunt, & iusta præsumptione machinationes adiunctas habere reputantur. Quis enim nescit, iuste & legitime posse à Regibus prohiberi ex caussa politica omnia externa, in quibus periculum suæ possit latere securitatis? Neque certe in Anglia est inanis, aut sine caussa hæc præsumptio; quia coniurationes contra vitam Regis in Catholicorum ad Missas & confessiones conuenticulis sunt initæ, per Missas & confessiones dilatatę ac stabilitæ. Sed ex spirituali quoque caussa ac zelo puræ religionis possunt hæ mulctæ à Rege pio imponi, vt superius est ostensum. Si enim licet Regibus Pontifici addictis adeo sæuire, etiam gladio, & ignibus, in Catholicos reformatos, cur non licebit mitioribus mulctis Catholicos deformatos ad reformationem preparare? Si Papa, si Iesuitæ, si Sacrificuli, vt decebat, & in conscientia tenebantur, sanguinarios spiritus in Anglia non aluissent, conspirationes non suscitassent, rebelliones non promouissent; sed politicam pacem & tranquillitatem in regno Angliæ intactam & illæsam reliquissent, non esset nunc disputandum, sintne Christi an Diaboli martyres, qui iustas perduellionis pœnas luunt: Neque leges illæ capitales latæ fuissent: quæ sane in materia religionis nihil directe disponunt, sed solam Regiam securitatem & publicam ciuilem tranquillitatem respiciunt. Caueant religiosi, ne religione ad perniciem Regum iniustam abutantur, & tunc Reges nihil per vim agent, quod indirecte prætensæ Romanæ religioni penitus tollendæ illaboret. Possunt quidem pro veritate legibus ac mulctis pecuniariis, vt factum olim fuit à piis Imperatoribus contra Donatistas, & sæpius Augustinus commemorat, laborare: sed hoc ad martyrium nihil attinet: satis vero est martyrem verum non esse, qui pro illo actu religionis patitur, qui legibus non in odium religionis, sed ob annexam iustam perduellionis præsumptionem, vetitus est: & qui alioqui vere innocens ex hac iusta præsumptione habetur pro perduelli, ille vt perduellis merito plectitur, quia non solum à malo, sed etiam à specie mali cauendum est, & iustis legibus obtemperandum. Amoueat Papa has quas ipse ingessit, & suspiciones, & præsumptiones, & leges illæ capitales omnino proculdubio cessabunt.

CVI. De iuramento nuper edito subiungit Suarez *ibid.* se certa relatione iam accepisse, aliquos ob solam illius recusationem esse in Anglia interfectos.] Vbi cor hominis? vbi frons? Non dicam vbi fides? Tam crassum certe mendacium non nisi primarium decebat Iesuitam. At ex certa relatione iam recentem & calentem acceperat nuncium simplex & credulus noster Suarez, qui omnia sine delectu vorat, sub sapore persecutionis Anglicanæ. Credo; ac quidni ab illo narratore, quem, Bellarmino laudante, didicit esse testem omni exceptione maiorem, vbi de verbis Garneti extremis recensendis, vt supra vidimus, agebatur? Simile dolio operculum. Quæso in posterum oculis vtere tuis, vigilantissime Suarez, lege ipsum hoc de iuramento statutum, quod & Latine, & Hispanice à vobis editum est: inuenies iurare recusantibus non infligi capitalem pœnam; & tamen merito posset infligi: neq vnquam audies in Anglia pœnas adhiberi grauiores, quam quæ lege expressæ imponuntur: multo minus inuenies vllum ob solam recusationem iuramenti capite plexum. Sed quid mirum, te in rebus Anglicanis vanos amplecti narratores, cũ malitiosissimos & mendacissimos lubens sequare scriptores, quales transfuga Sanderus, & eius farinæ cæteri. Iam dic Protestantibus scriptoribus non esse credendum, quia facti sunt infidelibus deteriores. Ego vero talia vestra dum lego tam sonora de Rege ac Regno hoc florentissimo mendacia, mihi certe consolationem haud exiguam ex hoc veneno exugere videor. Quid enim? ego Ecclesiæ pugillum infirmissimus, & Christi seruorum vltimus indigne conuiciorum calumniarumque plaustra in me ab iisdem aduersariis exonerari, ob Sanctæ

& Catholicæ veritatis publicam à me vtcunque elaboratam assertionem, cum videam Regem tam pium, tam sine exemplo clementem, crudelitatis ac persecutionis tam falso insimulari ab iis ipsis, quibus forte non sine periculo suo parcit: cum tantum absit vt vlli hoc ob iuramétum interfecti sint, vt valde paucissimi sint, qui minoris, quæ lege sancitur, pœnæ partem vllam gustauerint.

CVII. Aliqua tamen, inquit Suarez, sunt quæ capitalibus legibus prohibentur in Anglia, quæ neq; necessaria, neq; vtilia sunt ad Regis securitatem. Vt verbi gratia, ait: *Prohibere affirmare, Papam esse caput Ecclesiæ.* Hoc affirmare in Anglia non est capitale: Sed affirmare, Papam esse ita caput Ecclesiæ vniuersalis, vt etiam in Regno Angliæ ipse sit supremus Ecclesiarum in externis iudex & gubernator, excluso Rege, imo etiam supra Regem, hoc erit merito capitale: quia hiciam negatur sua naturalis Regi Regia potestas: ipsiusque proprium officium in alios exteros transfertur: Quæ potestas in omnibus externis rebus atque actionibus in proprio Regno superiorem non agnoscit. Si quis dixerit, Papam esse Caput totius Ecclesiæ, modo Regi suam Regiam reseruet supremam quam á Deo habet potestatem, propinabitur illi in risum, nō postulabitur ad supplicium. Addit Suarez vsum sacrificij: id est, missarum celebrationem, &c. Sed vagatur extra metas, cum hic quæratur tantum de iis, quæ sub pœna capitali prohibentur. Etiam de Imaginibus instat, quasi in Anglia omnis sacrarum imaginum vsus exularet, cum nulla sit ferme domus elegantior quæ sacris imaginibus non exornetur.

CVIII. Conspirationum pericula sibi ipsum Regem conflare, ait Suarez, dum Catholicos à suæ religionis exercitio pœnis & legibus impedit. Sic paulo ante Bellarminus aliquid tale Regi obiiciebat; & ego illud satis reieci *huius cap. 6. §. 40.* Nunc vero addo, Regem pium & Catholicum, cum iam certo certius agnoscat fidei puræ veritatem, & Romanorum excessuam in dignitatem, in conscientia teneri, pro Christi gloria, & pro Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ dignitate ac sinceritate eniti pro virili, vt in toto suo regno Christiana religio perpurgetur & á Romanensium erroribus liberetur. Vim quidem & coactionem parce adhibet, suasione tamen & aliquo per leges pœnales incommodo, quo duriores non cogi, sed permoueri possint, prudenter ac pie dat operam, vt veritas omnibus suis subditis illucescat: nō ergo illæ sunt persecutiones, sed eius generis incitamenta pia, qualia erāt parabolici illius Regis, *Luc. 14. 24.* q. dicebat seruis suis ad nuptias multos inuitantibus, Compelle eos intrare. Papa certé ferro flammaque suos compellit: & tamen ab illis, contra quos sæuiturus est, coniurationes nullas experitur: quia pij Catholici reformati, etiam Antichristum in seruos CHRISTI impie sæuientem tolerādum esse sciunt. Sed esto persuadeant sibi Papistæ, Regem esse hæreticum, (quod tamen est falsissimum) & sibi iniuriam fieri, dum liberum eis non permittitur suarum superstitionum exercitium, ideone in Regis statum vitamque conspirare debent? ideone Rex timore coniurationum à suo sancto & necessario proposito desistat? ideone subditi regem ad sibi obsequendum vi minisque pertrahere conabuntur? Non est is mos Regum, etiam errantium, vt quorundam suorum subditorum peruersitati metu obsequantur: ac proinde neque mos est bonorum subditorum, vt terroribus velint Regem ad ipsorum vota etiam periculosa adigere. Æquius longe, vt subditi Regibus, quam Reges subditis se submittant: Vbi præsertim non de ipsa agitur Religione, sed de actibus tantum externis Religioni nequaquam necessariis. Quod autem ad ritus Romanos attinet, constat Pontificios Anglos, licet cultus suos publice exercere nō permittantur, priuatim tamē ea frui libertate, vt nulla iusta hoc in genere occasione ad coniurationes compellantur. Interim tamen non acquiescit Romanus coniurationum architectus, ac faber, feruet officina Cyclopica, huic Vulcano ignea, & trisulca in Regum caput fulmina efformanti, folles submouent operosi nostri Iesuitæ, & alij eiusdem Papæ iurati satellites. His telis ignitis an non refrigerandis, & extinguendis aqua paranda? annon retundēdis clypeus, isq; bene compactus? Dicat quamdiu velit Suarez, mitia esse, nec Regum Palatia concutere vnquam illa pedi Romani eiaculamenta, qualia placidissimis verbis describit, verbi gratia, affirmare Papam esse caput Ecclesiæ; cuius prohibitionem ait nihil ad illum finem conferre. Quasi hic ignotum sit, sub illis verbis quid veneni lateat, non modo in Christi sceptrum, & Ecclesiam contumeliosis, vt prius abunde demonstrauimus, sed & in Regum sceptra temporalia perniciosis. Atqui his legibus prohibitiuis (voce pestifera sibilat noster Suarez) non vitatur hoc periculum. Audi ineptissime (vt spero) vates. Rex Iacobus præstat quod pium, & prudentem decet Principem. Deus prouidebit, & Vnctum suum ab omnibus, tua, tua inquam horrenda, & infernali (quam hic præsertim *libri tui 6. cap. 4.* excreas) doctrina imbutis, & ad Regicidia instructis tuebitur, vt tuis omnibus discipulis in impietatis cathedra educatis rumpantur ilia.

CIX. Hanc Papalis supremarus abiectionem legitimam & sanctissimam fecit Anglia fœlicissime; falsum tamen est quod ait Suarez, *ibid. num. 16. & seqq.* ad eam cogi Catholicos. Sanderum affert, sed frustra, vtpote perfidissimum & iuratum patriæ hostem. Qui quæ solam Regni securitatem à perduellibus ipsius similibus respiciebant, ea ille proditorio stylo ad religionis deducere conatus est persecutionem. Edictum etiam Regis quod profert Suarez, solam eandem quærit securitatem: sed quia illud lippis ex mala perturbatione oculis legebat Suarez, quid in se contineret non intellexit: Estque merum insomnium, quod ait, ex eo edicto haberi pœnas propter solam confessionem Primatus Pontificis infligi, vel propter non abnegatam eius potestatem. Hæc iam millies vsque ad nauseam repetit, & authoritatibus quibusdam Patrum, nihil ad eius rem facientibus, communit. Plane enim Rex eo edicto iuramenti fidelitatis exhibitionem vrget, & pœnas id recusantiū: qui enim id recusant, illi Regem non agnoscunt supremum sui Regni Caput in ciuilibus: vt iam millies etiam ipse repetere sum coactus: & satis ostendi, si quis ob recusationem iustissimi iuramenti capite pœnas lueret (quod tamen ea lege non irrogatur) non Christi, sed Diaboli martyrem futurum, & in peccato mortali moriturum.

CX. Veri certe & proprij Christi Domini Martyres sunt quos in Anglia summa Papæ crudelitas, Marianis facibus absumens, gratum Deo holocaustum præsentauit: quos Laniena Parisiensis demessuit (opprobrium eius Regni nunquam eluendum) quos sanctum scilicet Officium Romæ, & passim in toto Papismo interimit, eo solum nomine, quod Primatum Papæ negant; quod transubstantiationem non admittunt; quod indulgentias nullas esse asserunt; quod purgatorium reiiciunt; & denique quod nouos similes Romæ nuper excogitatos articulos, tanquam fidei Catholicæ articulos non credunt. Pro sola ergo religione, quia eam in se adiectione falsitatum pollui non permittunt ij qui dicuntur Protestantes, mortem multi verè martyrialem multis passim in regionibus

subierunt. Scio strictissimo sensu sumptum martyrem esse, qui ne abneget veram fidem mortem subit; sed cur martyr etiam non erit, qui, ne polluat puram fidem adiectione falsitatum, ipsas abnegat falsitates? Prior moritur vt integram, posterior vt puram conseruet fidem; Et sic vterque moritur pro fide, vterque igitur verè martyr est. Scripturam sacram testem habemus pro nouis hisce martyribus, quos Roma non parturit, sed facit. Nam Roma non vetus illa Ethnica, sed noua & Christiana, quæ nunc est, vt ostendi *l. 4. cap. 3. ad finem.* Meretrix illa est sub Papatu tyrannico horum temporum, Babylon magna, Mater fornicationum, & abominationum, in cuius fronte nomen eius scriptum est, *mysterium*: Et hæc ebria dicitur de sanguine Martyrum Iesu, *Apoc. 17. 5.* Martyres igitur IESV sunt illi, quorum sanguinem Roma nunc, quia Bestiam illam tricoronem, super septem colles sedentem adorare nolunt, & priuatim insidiis, & publicè ferro ignique fundit. Et habet, heu, Reges infœlices & excœcatos, qui potestatem Bestiæ tradunt, & pugnant cum agno, & ministri eiusdem bestiæ sunt ad Sanctorum sanguinem effundendum. Sed agnus tandem vincet, & illam faciet desolatam.

CXI. Verissime æque ac grauissime dixit Rex sapientissimus; Neminem post Pauli V. duo Breuia, in Anglia posse Romanam religionem profiteri, nec salutem animæ suæ curare, qui non fidelitatem suam erga Principem, cognitam, & iuratam, exuerit & eiurauerit. Hæc Suarezium acriter pupugerunt: Itaq; contra insurgit, ad suamq; redit iam toties à nobis abiectam cantilenam *c. 12.* Finem illius iuramenti esse, ab Ecclesiastica obedientia auertere fideles: quod iam ostendimus esse falsissimum. Væ vobis, qui dicitis bonum malum & malum bonum, *Isa. 5. 20.* à temporali Regum legitimorum obedientia auertere subditos, & spiritu seditionis ac rebellionis replere, non est diuini sed diabolici spiritus: at vero diuini spiritus est, subditos in officio, etiam per iusta iuramenta continere, & ad ea illos vocare ac vrgere, ad quæ iure ipso diuino, penitus per homines inuariabili & indispensabili adiguntur. Hunc spiritum Sathanæ spiritum vocat Suarez *Cap. 12. n. 4.* priorem vero vocat spiritum Dei. O Doctores pestiferos, Diaboli mancipia; in quorum ore spiritus mendax reperitur. Negat aut recusantes, aut detrectantes illud iuramentum, naturale illud obedientiæ ciuilis vinculum exuere & eiurare *Ibid. n. 5.* Sed nihil ad hoc nisi verba habet. Regibus obedientiam ciuilem vinculo naturali deberi ait, sed quæ cum Ecclesiastica non pugnet: Fateor: si Rex à suis subditis ita posceret ciuilem obedientiam in omnibus temporalibus, vt eos in spiritualibus quoq; ab obedientia Ecclesiæ subtraheret, iniquum posceret: & ipse Rex plene Ecclesiasticā obedientiam, non modo in subditis intactā relinquit, sed etiam in seipso, qui vt fidelis in spiritualibus, humillime se ipsum non minus quam minimus quilibet ipsius subditus, Ecclesiæ subijcit. Parum autem abest ab infamia (quod tamen ab eo tam sæpe inculcatur) obedientiam Ecclesiasticam vocare eam, quæ reuera temporalis tota sit, cuius incapax est Ecclesia, & quæ directe pugnat cum obedientia ciuili integra. Vult vnitatem Ecclesiæ pendere à coniunctione cum fictitio illo & assutitio Capite? Somniat; vnitatem hanc ponit Cyprianus in charitate, vbi multi pastores in solidum vnum gregem pascunt, concordiæ glutino inter se copulati. Id iam toties ostendi in præcedentibus; ostendam fusius *lib. 7.* Sed donemus ei aliquid: sit Caput Ecclesiæ Papa, neque sit in Catholica Ecclesia, qui tali Capiti non cohæret; Ecclesia tamen propter sola spiritualia Ecclesia est; propter ciuilia & temporalia non Ecclesia, sed Respublica est. Erit igitur Papa Caput in spiritualibus. At in spiritualibus ne quis obediat Papæ, Rex hoc iuramento non impedit.

CXII. Et tamen, inquit, in alijs Catholicis Regnis seruant subditi Romanam religionem, nec propterea putantur abiurare ciuilem obedientiam.] Religio Romana, hoc est, Papæ omnipotentia, quandiu non tangit Regibus pupillam oculi, fidelitatem nimirum absolutam, & nulli exceptioni subiectā, manet intacta, & sub generalibus terminis dormire permittitur. Excitet vero in alijs Regnis, prout in Anglia, factiones & foueat Papa, ac tunc suis Breuibus ad Gallos & Hispanos Catholicos datis se explicet, docens ipsos ita obedientiam ciuilem suis Regibus præstare, vt tamen ad nutum ipsius parati sint ipsis rebellare, obedientiam ciuilem negare, sceptris & vita etiam priuare, tum quidem videbit quid Reges illi sint facturi. Sciunt Principes Romano-Catholici doctrinam hanc tradi in thesi; sed quandiu non applicatur in hypothesi, quandiu sibi ab ea non timent, prudenter silent, ac vtcunque Pontificem Romanum colant, vt in spiritualibus Patrem, ac Pastorem, hanc tamen eius prætensionem de Regibus deponendis indirecte, & subditis à fidelitatis vinculo liberandis, intus irrident: neque in eam insurgunt, quia sciunt Papam contra ipsos, sua illa prætensa indirecta potestate non vsurum, vel quia efficaciter non potest, vel quia rebus sic stantibus non sit Pontifici Romano commodum. Vel forte conniuent ad hoc portentosum dogma, vt ipsi eius beneficio vtantur ad aliorum Regna inuadenda, cui rapinæ optimus prætextus obtendi poterit à Papæ donatione, ac in prædam traditione, vt est à nobis alias annotatum. Quod si Papa potentiorum illorum sceptra violare conetur, si tangat illos montes, vt tetigit Britannos, fumigabunt, credo, grauius quam Britannia, redigentque in ordinem Papam, vt sit ipsorum Sacellanus. Quæ gens vspiam erga Dominum Papam magis deuota, ne dicam superstitiosa, quam Veneti? Haud pridem tamen, vt obedientiam ciuilem suæ Reipublicæ integram seruarent, non modo potestatem illam Papalem indirectam in temporalia contempserunt, sed promptissimis animis etiam arma in manus sumpserunt, vt suum Principem contra ipsum Papam defenderent. Tentet idem cum aliis Principibus longe fortioribus & potentioribus, quam sint Veneti, quod tentauit cum Venetis, & suo discet periculo intra proprios Ecclesiasticos spirituales duntaxat limites se cōtinere. Nec tamen Orbi Christiano ignotum est quoties, & quanta cum confidentia Reges Galliæ Papali potestati alas circunciderint, ne in iura Regia (quod nisu suo semper facit) inuolaret: idque solemniter sæpe præstitum, nunc cum tubæ sonitu, nunc plaustri pompa, nunc carnificis manu, & flammis vltricibus. Quid erubescis innocentissime Suarez? Ego certe de Bulligerulis quibusdam loquor contumeliose olim tractatis; & de libro nostri illius, scis, Iesuitæ Mariani. De te, aut tuo hoc aureo volumine nihil à me dictum. Hæc tua Defensio veram, puram, spiritualem Papæ potestatem explicat, nulli sceptro noxiam, animarum saluti commodissimam, nulli Regi Catholico periculosam. Tuus hic liber nunquam Parisijs immolatus est sacra carnificis manu, Dijs Monarchomachis victima. Tunc enim nusquam vlla in officina prostaret ad erudiendos lauri parricidalis candidatos: tunc (ne quid amplius addam) ego huic refutandi labori lubens supersedissem. In tuam accedam Hispaniam. Ipse Rex Catholicissimus non libenter patitur falcem hanc Papalem immitti in messem suam Siculam. Nosti quid velim. Vide autem Edictum in fine mei sexti libri

libri positum, quo pientissimus Rex Philippus nonnulla in vndecimo Baronij tomo, quæ scilicet in Papatus gratiam Annalista scripserat, damnat & abigit, vt Majestatis ac Regiæ coronæ iuribus & prærogatiuis derogantia.

CXIII. Breuissimo compendio mox percurrit Suarez reliqua, quæ Rex in sua dixit Apologia aduersus Breuia Pontificis, & literas Bellarmini ad Archipresbyterum: & ea ad Bellarmini Responsionem remittit. Si quid alicuius momenti in ea Responsione habuit Bellarminus, imo etiam contra Regis Præfationem, ea ego superius omnia satis, vt arbitror, confutaui. Redit vero ipse ad finem Operis, ad martyres, Roffensem & Morum, quorum Martyrij causam Rex dixerat fuisse valde carnalem, nimirum propter diuortium & Matrimonium Henrici VIII. Ostensum est à me *supra* §. 83. 84. *huius capitis*, Roffensem & Morum extremo supplicio affectos, quia Primatui Regis iusto, & legitimo, non sine crimine læsæ Majestatis, obstiterunt. Sed præter hanc causam alia quoque non parum impulsiua fuit, quod diuortio Regis, & nouo Matrimonio restiterunt. Et hæc procul dubio fuit causa valde carnalis, vt sapientissime Rex Iacobus dixit: non quidem ea ratione, quod ex parte Regis Henrici carnalitas fortè dominaretur, & in neces illas eum impelleret, quo nos Bellarminus abducit. Sed ex parte ipsorum reorum, Roffensis ac Mori, causa martyrij fuit vere carnalis: hoc est mere humana, & ad fines politicos duntaxat spectans. Plane constat ex historijs, Catharinam fuisse prius Arthuro fratri Henrici primogenito desponsatam: si eam cognouerit Arthurus, de quo non dubitatur, erat impedimentum in primo gradu affinitatis, secundum multos indispensabile, & sic matrimonium cum dispensatione Papæ initum, nullum esse declarabatur. Constat etiam Romanum Pōtificem Clementem VII. propterea etiam sententiam per suum Breue pro diuortio præparasse, & Legato suo in Angliam tradidisse; & Academias Catholicas, ex aliquorum sententia pro diuortio similiter sensisse. Papa tamen Imperatori reconciliatus, Breue illud comburi iussit: & causæ dilationes multas addebat; tum vt plus pecuniæ in Curiam conflueret, tum vt humana sua cum Principibus consilia hinc etiam moderaretur, ac dirigeret: vnde Henricus delassatus, suorum Episcoporum iudicio contentus, Papalem illam vsurpatam autoritatem ex suo Regno penitus ablegauit. Cur ergo Roffensis & Morus alijs Episcopis & Academijs facti sapientiores, non modo in diuortium non consenserunt (& poterant salua conscientia consentire) sed etiam restiterunt, & diuortium aperte reprehēdebant, nullo conscientiæ debito gratis contra se iram Regis accendentes? Res cui resistebant, erat saltem in opinione, si non euidenter, licita & debita, probabilitas aliqua ad summum eis, nulla certitudo ex contraria parte fauebat, & Regiam prolem, successionemq; consequenter in discrimen vocabant: imprudenter ergo illi obsistebant, & mortem sibi sua imprudentia accelerarunt. Vere igitur carnalis, hoc est, priuati consilij, causa ipsis fuit, Papæ consilia politica promouentibus, si repudij causa mortui sunt, moriendi. Pro veritate etiam morali, sed Christiana, mori pulchrum est: vbi veritas plana est & aperta; sed pro opinione & probabilitate velle mori stultum est: Ioannes Baptista vt martyr celebratur, quia ex aliquorum sententia, veritatem apertam propugnabat, non licere adulterium, ac multo minus cum fratris viuentis vxore. Quod si frater Herodis vir Herodiadis non viuebat: veritas Ioanni clara & aperta erat, non posse fratrem fratris vxorem ducere, extra casum legis ad suscitandum fratri semen. Et hac ex parte planum erat, matrimonium inter Henricum & Catharinam Arthuri fratris vxorem, non obstante Iulij dispensatione, fuisse illicitum & nullum. Et consequenter diuortium fuisse iustum & necessarium. Si itaq; Roffensis & Morus voluerunt Ioannem Baptistam imitari, non contra diuortium, sed pro diuortio Regis mori debuerunt. Carnalem ergo etiam ipsi causam defendebant; hoc est iniustum, saltem probabiliter, concubitum Catharinæ cum Henrico. Sed diuina prouidentia, quæ ex malis bonum colligit, ex carnali causa ingens bonum spirituale Regno Angliæ concessit, religionis reformationem, & veritatis cognitionem. Abiecto enim Papatu tanquam crassissimo pariete quod inter fideles & DEVM facit diuisionem, veritas puræ fidei statim fit omnibus conspicua & manifesta.

CXIV. In conclusione demum operis, virus, quod satis acre non semel in Regem re ipsa, & intentione sua euomuit Suarez, oculo in Protestantes verso excusat, & modestiam suam agnosci petit hoc nomine: Cū tamen optime sciat, Regem sapientissimum & rerum cum diuinarum tum humanarum scium, suo, & proprio in his controuersijs pollere iudicio, nec opus habere vt cœcam alijs fidem præstet, aut aliorum suasu à Romanæ fidei corruptelis abducatur. Non is Rex est (vt superius monui, Bzouium meum castigans, Suarezij oui pullum) non est, qui in re Theologica se ab alijs vel decipi permittat, vel etiam iam instrui opus habeat. Optime nouit se à te, P. Suarez, non tam argumentis Theologicis, quam truculentis quarundam consequētiarum inuolucris impetitum: sed impetitiones tuas has, vt vanas, & friuolas, vt omni fundamento carentes, & adulatione in Pontificem plenas facile retundit: illas, vt non suo tantum, sed reliquis sceptris exitiales, non Mineruæ, sed Vulcano purgandas adiudicat. Dū vero tuas lego excusationes, quibus vis videri modestus, & in tua scriptione temperatus, Crocodili lachrymas mihi videor intueri; qui cum hominem occiderit, tunc dicitur ei illachrymari. Quicquid funestum potuit Tartarus euomere, quicquid ille qui ab initio homicida est *Ioan.* 8. 44. promere potuit, vt Regicidia persuadeat, id totum ore sanguinario effutijsti. Ea denuo cōmemorare mihi horror est. An tu, tuiq; sodales Euangelico spiritu ducamini, an vero vos Orcus Furias pepererit, doceat solus tui Operis huius Index, sub verbo TYRANNVS. Mihi Epilogus sit te hortari, vt iam tandem artes tuas ad miserum Papatum *fulciendum* detectas deseras, & veritati tibi iam clarissime manifestatæ adhæreas, ac pro ea decertes. Papæ potestas maior quam Episcopalis non est iure diuino: Ecclesiastico vero iure Metropolitica, & Patriarchalis, omnes spirituales, nihil omnino, neq; directe, neq; indirecte temporales: Reges vero iure diuino in temporalibus, neq; directe, neq; indirecte, in terris vllum habent superiorem. Subditi in spiritualibus plus Ecclesiæ quam Regi parere tenentur; in temporalibus vero plus Regi quā Ecclesiæ. Potestatem Papæ vsurpatam etiam indirectā in temporalibus, vbi illa ciuilem erga Reges obedientiam impedit, & licet, & decet abiurare. Fidelitas absoluta, libera, perpetua, absque vlla conditione, exceptione, aut reseruatione Regibus iure diuino à suis subditis debetur. Iuramentum ergo Britannicum, & iustum est, & hac tempestate necessarium. Si quis illud recuset, merito perduellionis suo Principi suspectus erit. Ne, quæso, & per Christi sanguinem obtestor, vestris erroribus, & terroribus oblectis, vestros adigatis in laqueos legum, in se quidem iustissimarum, sed miseris per vos deceptis Anglo-Romanensibus haud vtilium; quarum mulctæ vestrorum nec opes, nec ani-

mas præmonebunt: pacem publicam, & Regni Anglicani tranquillitatem ne turbetis: ita nec de vobis Rex erit suspicax, nec vestri de Rege queruli, nec vestra tam iustis scandalis religio onerabitur.

Hic ego te P. Suarez rogo, ac obsecro, vt meis & obiectionibus, & tuorum argumentorum solutionibus serio, & pacate respódeas, pro vt tute polliceris: Quod si ad respondendum plene, & sincere iam te vires defecerint, agnosce te parum prudenter in tuo huius operis epilogo Magistrum duntaxat Regi, & tot grauissimis, te certe doctioribus, Theologis Anglis, exhibuisse: qui si ingenuus, si prudens, si moderati esses ingenij, & ad docendum pariter, & ad discendum paratũ te esse profitereris, vt nos ex corde profitemur. Habes à me responsum quod expectas, & expetis; de rebus quidem Theologicis, vt spero, integrum: De Anglicana, & Rep. & Ecclesia, quantum ab homine peregrino, & nuper aduena, satis. In illis meos supplebunt defectus ipsi exactissimi Angli scriptores, qui de rebus proprijs instructissimi hæc tua, & plurima alia, vel antea elucidarunt, vel posthac ab omni difficultate liberabunt. Sed tuo forte palato nullus placebit responsor, præter ipsum Regem, quem ad vices videris in tui operis peroratione prouocare. Miror quidem quod tibi in mentem non venerit, solere Reges talibus Regiæ lanienæ magistris non calamo, sed potius securi respondere.

Tu IACOBE Rex inclytissime & mitissime, ex his ipsis Bellarmini & Suarij inutilibus contra tuam & doctrinam & potestatem conatibus, in pura fide & vera pietate confirmatus pro domo Dei murus ahæneus esto. Tibi Deus inter omnes Christianos Reges & Principes donum contulit singulare pijssimi zeli erga sanctam religionem, & fidei Christianæ puritatem, ac vnitatem. Qui tibi suæ gratiæ face præluxit Deus aperiet, spero, breui aliorum quoq; Principum oculos præstigiis fornicariæ illius septicollis excæcatos; vt per vos ab Agno delectos, & dilectos Duces, diruto magno ingentis maceriei obstaculo, Ecclesia in tot fragmenta discissa ad primæuam reducatur perfectam & integram vnitatem. Faxit DEVS.

CXV. Superiore, libros quatuor complexo, volumine, de Reip. Ecclesiasticæ Ministris egimus, de Apostolis, de Episcopis vt paribus, ac iisdem vt imparibus, de Romano speciatim Episcopo, ac Clero. Iã eiusdem Reip. potestatem lineis suis hic emensi sumus. Eam demonstrauimus tantum illa, quæ sursum sunt, sapere, non terrena, non fasces, non secures, non strepitum fori, Sua tamẽ virgula quasi iurisdictionali pollere. Præterea eiusdem potestatis intima scrutati penetralia, qualis sit eiusdem in sacra mysteria influxus, cõsiderauimus, præcipue in duo magna CHRISTI deposita, Baptismũ, & Eucharistiam; tũ vero in vtramq; Pœnitentiam, siue internam, siue virtute clauium externam, sacram, & salubrem. Deinde quam longe absint ab huiusce potestatis ambitu hodiernæ Indulgentiæ, & quam facile ijs annexum euanescat Purgatoriũ. Ab ea etiam remouimus extraordinariam iamdiu antiquatam Extremæ vnctionis consuetudinem: necnon Matrimonium suæ veræ conditioni & origini restitutum. Denique ipsam hanc potestatem inquisiuimus, & in quod præcipue clauium obiectum feratur, & in quali subiecto resideat.

CXVI. Præfinitis hisce Ecclesiasticæ potestati cancellis, etiam temporalem conterminam lustrauimus ac, vt vtramque suis limitibus circumscriberemus, primo separatim vtriusq; originem, ac fundamentũ præstrauimus Ecclesiasticæ Christum, vt fœderis noui ministrum, ac Ecclesiæ Dominũ, qui certe eo titulo nullum in Regna mundana ius exercuit, aut sibi vindicauit. Laicæ diuinam immediatam institutionem, ac Vicariæ repræsentationis concessionẽ, non populo (vt-pote regibili) sed supereminentibus Potestatibus (vt per se rectiuis) datam. Deinde coniunctim vtramq; inter se comparauimus respectu originis, ac demonstrauimus vtramq; in suo genere absolute primam, liberam, & immixtam, nec ab altera vspiam, vel ortu, vel exercitio dependentem. Denique seorsim, quid altera in alteram possit, inuestigauimus. Ac primo quid laica in Ecclesiasticis, & rebus & personis sibi subijciendis, tũ quoad temporalia, tum etiam quoad Ecclesiastica negotia externa, quod quidem Principum regimen Ecclesiasticum ex ipsorum etiam potestate legislatiua, & edictis de re Ecclesiastica sancitis, necnon ex Electionibus, & Inuestituris per eosdem factis, ac iure optimo defensis, confirmauimus. Tum demum vt se habet Ecclesiastica erga temporalia sibi subijciẽdi: Primo quoad res, quam præpostere, simulque infœliciter se Ecclesiastici immiscuerint Principatibus, ac supremis Dominijs, vel sibi arrogãdis, vel à manu temporali recipiendis, sub specie Christianæ fidei gladio promouendæ: ac etiam quoad personas, quam minime deceat Ecclesiam in Principes, quamuis deuiantes, excommunicationis, aut immodestæ increpationis virgula, vtcunque per se licita, insolescere. Inde multo magis intulimus, ac demonstrauimus quam nefas sit, & ipso iure irritum, vt Ecclesia eam, quam non habet, virgulã siue directe, siue indirecte, vibret ad sceptra Regum excutienda, vel transferenda. Huic vsurpationi speciosam illam prætensionem de Imperij Romani, quasi auctoritate Papali, facta translatione, Electorumq; institutione, eripuimus: Regis Catholici Sicula iura etiam Ecclesiastica à Baronianis laqueis expediuimus. Tantæ molis erat (certe maioris, quam cui subeundæ nostra par sit imbecillitas) sua DEO reddere, sua Cæsari.

CXVII. Hæc maria profunda, sinuosa, ac turbida postquam per aliquot annos pernauigauerimus, ac dũ ipsum præli Typographici portum in propinquo cõspicimus, en nobis Oceani Ecclesiastici veteranus nauta, vel (vt verius dicam) pirata, sub specie Catholicæ defensionis, tempestates excitat nouas, quamquam non nouas quidem, sed maxima ex parte vbique obuias, & in aliorum, qui eosdem sinus infestarunt, incursibus repertas. Quo nos breuius, ac certe laxius cum hoste hoc obiter intercurrente conflixímus. Quem primo quidem aspectu ita neutiquam veriti sumus affari

—Scriptorum haud ista tuorum,

O Suarez, *noua mihi facies, inopinave surgit.*

Quippe nostris superius positis fundamentis nullo negotio concidunt, quæ opponuntur, de doctrina Catholica Ecclesiæ Anglicanæ, de articulis Ecclesiæ Romanæ merito abiectis, de potestate vera Regum, & vsurpata Pontificis Romani supra temporalia, & Reges: de iuramento fidelitatis Britannico. Atque hæc nostri in controuersali hoc curriculo stadij secundi meta esto.

—Cursus restat pars tertia nostri.

NVnc denuo ad te supplex reuertor, Iesu Christe, Mundi Redemptor, Ecclesiasticæ potestatis fons, nec minus laicæ vigil conseruator, ac etiam, dum in terris ageres, obseruator humilis. Te doctore per verbum tuum, te per Spiritum tuum ductore, potestatis illius innocentem sanctitatem, huius illibatam Maiestatem conatu infirmo, sed affectu (tuum tribunal appello) simplici sinceroque iam descripsi. Si quid hic erratum sit, meum est, monstretur modo mihi per fideles seruos tuos, lubenter agnoscam, ac deprecabundus non modo ad tuæ misericordiæ thronum, sed & ad Catholicæ tuæ Ecclesiæ pedes me proiiciam. Nosti, bone Iesu, a me non me non mea, sed te, ac tua quæri. Valeat, vincat, triumphet Veritas tua per me, vbi rectam calco semitam; cōtra me, sicubi deuius aberrem. Illud spe lætus opto; hoc patientia tutus subibo. Quod restat, tu cæcorum Dux, videntium salus, qui meis hisce de, ac pro tua Ecclesia, elaboratis lucubrationibus hucusque fæliciter in lucem prodeuntibus affulsisti, dignare etiam reliquis serenum diem addere. Inuenit (tibi gratias) inuenit profugus passer domum, & gemens turtur vbi pullos suos (imo tuos) ponat, Altaria tua ô Domine: Psal. 83. 4. *Quietum scilicet Reformatæ, ac puræ Ecclesiæ nidum in vltimis Insulis defixum. Hic nec tempestas oues quassat, nec exclusi pulli à Coruis aut exquilinis Vulturibus deuorantur. Hic me mancipium tuum, causæ assertorem tuæ, benefice Iesu, perge, quæso, protegere, vt pergam tibi hoc modo inseruire, quandiu visum fuerit in oculis tuis. A te principium, tibi pergo, da vt in te desinam, cui omnis sanctorum chorus nunquam desinit canere, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Sabaoth, Amen.*

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE OPERIS, DE REPVBLICA ECCLESIASTICA, MARCI ANTONII DE DOMINIS, EXPLICANTVR.

Nota 6. numeri, Libri Sexti contenta notat.

EX ACTIS APOST.

EX EPISTOLA AD ROM.

EX I. AD CORINTH.

EX II. AD CORINTH.

AD EPHES.

AD PHILIP.

I. AD TIMOTH.

II. AD TIMOTH.

AD HEBREOS.

I. PETRI.

IACOBI.

EX APOCALYPSI.

INDEX RERVM ET VERBORVM HVIVS SECVNDÆ PARTIS.

Notabit beneuolus Lector, ea, quæ numeri 6. notam adscriptam habent, Libro Sexto contineri.

Carolus

N.

Paupe-

Q.

R.

Signi

Vica-

INDEX.

FINIS.